à l'Institut des Ministres de Lausanne
don de Mr le Min. A. Rochat

JOH. COCCEJI
ORATIONES.
CONSILIA.
EPISTOLÆ.

CONTRA

JUDÆOS.

CONTRA EQUITEM

POLONUM.
APHORISMI.

CONTRA

SOCINIANOS & PONTIFICIOS.

TOMUS OCTAVUS.

ORATIONES.

ΛΟΓΟΣ ΕΞΗΓΗΤΙΚΟΣ
DE
INDOLE, RADICIBUS ET REGNO FALSÆ; TYPOQUE VERÆ RELIGIONIS AC MINISTRI ECCLESIÆ:
EX

II. Timoth. II: ℣ſ. 23. &ſ. uſque ad finem capitis III.

Habitus d. XVIII. *Dec. A.* MDCXLIII.

quum ad Theologiæ profeſſionem ordinariam

A

Magnificis & Nobiliſſimis

Academiæ Friſiæ Curatoribus

introduceretur.

Reverendis, Conſultiſſimis, Experientisſimis, Doctisſimis Viris,

D. JOH. ANTONIDÆ VANDER LINDEN Med. Doct. & Profeſſ. Rectori Magnifico;

D. JOHANNI MACCOVIO SS. Theol. Doctori & Profeſſori,

D. CORNELIO PYNACKER,

D. MARTINO WYBYNGHA,

D. JOH. JACOBO WISSENBACH,

Anteceſſoribus,

D. PIERIO WINSEMIO J. U. D. Hiſtorographo Hiſtor. & Eloq. Profeſſori,

D. ARNOLDO VERHEL J. U. D. & L. A. M. Philoſoph. moralis & naturalis Profeſſori,

Bibliothecario,

D. BERNHARDO FULLENIO Matheſeos Profeſſori,

D. CHRISTIANO SCHOTANO Græcæ Linguæ Profeſſori,

D. JOH. PHOCYLIDÆ HOLWARDA Logices Profeſſ. extr.

Collegis ſuis obſervandis, amandis

JOHANNES COCCEJUS Th. & L. S. Prof.

S. P. D.

Magnifice Rector, Clariſſimi Viri, Collegæ honorandi.

O*Rationem, quam nuperè in arcto tempore cum patientia audiviſtis, cum benevolentia ut accipiatis, vos obnixè rogo. Offero eam vobis duabus potiſſimum de cauſis. Primò, ut aliquo teſtimonio conſtet, quanti faciam, per ſeptennium hoc in celeberrimo Collegio vobiſcum & partim jam expletâ ſervitute piè denatis* D. Johanne Bogermanno, D. Georgio Paſore, D. Menelao Winſemio, D. Henrico Rhala, & D. Nicolao Vedelio; *partim aliò tranſlatis*, D. Daniele Dammio *etiam μακαρίτῃ*, & D. Meinhardo Schotano *Sanct. Theologiæ Doctore in Eccleſia & Academia Ultrajectina, magni nominis viris, ita vixiſſe, ut & pacis jucunditate & veritatis ingenuitate, & amicitiæ fidelitate non caruerim, interque quotidianos congreſſus doctrina omne genus refertos unde aut doctior aut prudentior evaderem non defuerit, neque uno à vobis honore affectus fuerim. Secundo, quòd intelligam, novam hanc mihique inexſpectatam profeſſionem vobis tum cupientibus tum faventibus in meam tenuitatem eſſe devolutam; eaque re me non tantum ad laborum ingruentium ſuſceptionem non mediocriter animari atque erigi, ſed etiam vobis ad omne honoris atque benevolentiæ genus obligari ſentiam. Accipietis igitur benevolè levidenſe hoc muſculum cum voto perpetuæ concordiæ & incolumitatis, divinaque benedictionis ſingulorum labores ad copioſam frugem fœcundantis; meque & ſtudia mea benignitate omni fovere pergetis.* Et Muſeo meo ipſis Calend. Januar. Anno M. DC. XLIV.

Omni-

ΛΟΓΟΣ ΕΞΗΓΗΤΙΚΟΣ

EX

II. TIMOTH. II: 23. usque ad finem CAP. III.

Precatio. OMnipotens, æterne & clementissime, Deus spirituum omnis carnis, qui distribuis, ut vis, multifaria beneficia, insigniaque charismata tua, quibus ædificare, concinnare, in plenam staturam corporis Christi educare, itemque in conspectu totius mundi exornare atque illustrare Ecclesiam tuo sanguine redemtam tibi complacitum est; cujus nutu ac potentia parva exaltantur, magna abolentur; debilia roborantur, fortia enervantur; famelici saturantur, saturi exinaniuntur; qui se in vilibus ac simplicibus gloriosum, in celsos ac sapientes sublimem ac timendum exhibet: qui ex mundi fœdissimo cadavere tibi ad laudem gloriæ gratiæ tuæ sanctas reliquias servas ac contra diaboli furorem atque nequitias defendis; qui in tenebris cordium nostrorum admirabili fulgore tuo luces: Ad tuos pedes Ego miser peccator (vir pollutus labiis inter populum pollutum labiis habitans) humillimè prosternor, Teque fiducia immaculatæ victimæ Filii tui unigeniti ex animo invoco. Quandoquidem me miserum, infantem & tenuis scientiæ hominem tanta dignatione prosequeris, ut adhiberes, per cujus os gregis tui ministri futuri de veritatis salutaris mysteriis ex verbo tuo sacrosancto edocerentur: Ne desere servum tuum vocationem à te impositam, potiùs formidatam, quàm exoptatam, sola tibi parendi necessitate tuique auxilii fiducia licèt trepidè adeuntem; sed, qua pruna labium Esaiæ servi tui sanctificasti, eadem h. e. Spiritus tui igne animum meum, linguamque & omnes vires facultatesque meas concalefacito & purificato, ut, quicquid unquam in hoc ministerio meo meditaturus sum aut voce stilove promturus, sit semen sanctum fœcundum ad copiosam messem salvandorum.
Ps. 119: 18. Aperi igitur mihi cum iis, quos fidei meæ committis, oculos, ut intueamur mirabilia ex lege tua: da te respicere in omnibus
Prov. 3: 6. viis nostris, dicta tua accipere & præcepta tua recondere apud nos, attendere Sapientiæ aures nostras, inclinare cor
Prov. 2: 1. & seq. nostrum ad Prudentiam: Prudentiam vocare & Intelligentiam inclamare, Eam quærere tanquam argentum, & ut thesauros scrutari, quò intelligamus Timorem Domini & Agnitionem Dei assequamur; ut Ecclesia tua diebus nostris, post horribiles tentationes & vastissima vulnera, servato sermone patientiæ tuæ, quam promisisti per angelos tuos pro-
Es. 33: 6. phetas, possessionem salutis, sapientiæque & scientiæ adepta, eum thesaurum Timore tui, ceu fidissima arca custodiat; donec militia per inoffensam conscientiam defuncti in districto judicio coronam, boni certaminis brabeion à paterna tua clementia reportemus. Amen.

ADORATO NUMINE,

Ad Vos

Magnifici & Nobilissimi D. D. Curatores, Mecænates colendi,

Convertor: quibus Academia hæc pro sollicitudine vestra, in quærendis idoneis doctoribus eorumque commodis promovendis maximas agit gratias. Ego certè, omisso judicio vestro (cui nec detrectare nec subscribere ut possim mea fert ratio, ad quod implendum præter spem divinæ opis, quæ plerunque *ex ore puerorum & lactentium fundat robur*, præterque enixam voluntatem Vestræ benevolentiæ favonio multorumque bonorum adhortamentis impulsam, præterque gemitus inenarrabiles Ecclesiæ ad revelationem gloriæ Dei & cœlestis pabuli abundantiam anhelantis parum mihi superesse commeatus intelligo) sed, omisso, inquam, judicio vestro, affectum vestrum sanè exosculor, qui hoc vobis negocii datum credidisse videmini, ut in mea exiguitate ostenderetis, vobis propositum esse, mediocrem diligentiam & parvas operas, quanto possetis maximo honore & commode supra modesti hominis vota pensare. qua re non tantum obligastis, ut Nobilissimas Dignitates vestras officio ac reverentia omni colerem, idque operam darem, ut vestræ expectationi studia mea respondeant, sed etiam bonis omnibus jam in vinea Domini laborantibus spem bonam fecistis; imprimis verò Academicæ juventuti vexillum sustulistis, quo ad laborem, industriam, virtutem, modestiam, pietatem, tanquam ad compendiosissimum Honoris tramitem vocarentur: ut ita in illis veretur, quod Sapientiæ cultoribus proponitur; *Longitudo dierum est ad dexteram ejus, ad lævam ejus divitiæ & honor.* Prov. 3: 16. Deus vobis, Magnifici & Nob. Domini, cum istoc animo in pace florentissimæ hujus Provinciæ & vitam longævam & prolixam, tanquam virtutis agonothetis atque brabeutis, benefaciendi largiatur facultatem.

VOS AUTEM,

Magnifice Rector, Clarissimi Professores, Collegæ amandi, observandi,

Oro atque obtestor, quod à viris cordatis & probis, bonisque collegis, &, quod maximi est, iis qui honestis artibus imbuti sunt, mihi spondeo, ut vestra εὐνοίᾳ, εὐφημίᾳ atque εὐλογίᾳ, tum ope ac consilio prosequi ac promovere velitis divinum hocce opus. Divinum, inquam; quod me ignaro susceptum & peractum est, ad quod adjuvandum neminem unquam impuli, meo me metiens pede, neque ad magna oculos attollens, statione mea honesta, in qua justum septennium post patriæ redditos labores in hac Academia altera patria mea exegi, contentus, Deumque apud animum meum seriò rogans, ut huic rei nisi cum salute conjuncta esset impedimenta efficacia objicere vellet, expressè non uno in loco testatus, mihi id in votis esse, ut optimi maximique ad gravem hanc functionem advocarentur, interimque à Dei nutu & voluntate pendens. Quod igitur si istam benignitatem à vobis impetravero, vicissim fidem vobis do, me, per Dei gratiam, operam daturum, ut tum per pacem, concordiam, amicitiam, reverentiam, & officia omnibus singulisque præstem, tum in functionis hujus sacræ administratione nihil nisi sincerum & purum lac salutaris veritatis, quæ in hac Ecclesia, post ejuratos Antichristi errores, gratia Supremo, regnat & mundi furores experitur, mihi commissorum auribus animisque volentem scientemque propinaturum, quò & me & ipsos servem. Cujus meæ sponsionis non aliud majus habeo pignus, quàm septennii si non experimentum certè rudimentum.

Postremò, quotquot adestis, quique imposterum laborum meorum arbitri eritis,

Viri Spectatissimi, Honoratissimi, Consultissimi, Reverendi, Experientissimi, Doctissimi, Tuque nobilissima & ornatissima Studiosorum pietatis & honestatis amatrix Corona:

Vos per misericordiam Servatoris nostri enixè obsecro, ut in tanti muneris obitione non hunc hominem, testam scilicet ex testis terræ, ejusque viriculas, sed Deum demandantem & ministeria pro lubitu distribuentem spectetis, eumque per preces vestras studiis meis propitietis; partim verò industria vestra meam alacritatem augeatis divinamque benedictionem invitetis. Dici enim non potest, quantum utraque res, & pia oratio & industria eorum, qui docentur, docentibus conferant. Certè quidem, ubi ignavia & contemtus & ingenii humani arrogantia vel æstimatio regnat, non est mirum, ibi vel qui doceant tolli, paribus, qui succedant, negatis, vel dona illis atque animum minui, ut, licet sint, qui docere debeant, inutiles fiant vel etiam extra oleas vagantes noxii. Deus enim is est, qui, ut in omni necessitate nostra, ita vel maxime in iis, quæ ad salutem & pietatem spectant, omnibus nos vult momentis ab ipsius ore & gratia pendere, oculosque nostros ad ipsum attollere. *Petite à Domino pluviam tempore serotinæ. Dominus facit nimbos & pluviam imbriferam dabit illis, cuique herbam in agro.* Zach. 10: 1. vel 3. inquit Spiritus sanctus apud Zachariam.

Cæterum,

CÆterum, A. quum mos à me flagitet, ut in novæ professionis exordio edissertatione nobilis alicujus argumenti animos tot futurorum testium subiturâ benevolentia in calida vota festivasque [Zach. 4: 7.] χάριτος omnimodæ comprecationes provocetur: Ego in subita re nihil inveni dignius aptiusque tempori, quàm, quod ante paucos menses inter itineris molestias defixum tenuit, in epistola secunda ad Timotheum caput tertium. Quo in capite S. Apostolus, pro data ipsi sapientia, populari & facili stilo tanquam artificioso penicillo graphicè depinxit, quibus ex causis Ecclesiæ corruptio, cum qua jampridem conflictamur, extitura esset, quonamusque processura, quæque ratio atque instrumentum accommodatissimum sit, eam penitus eliminandi. De qua re pauca, pro horæ modulo & temporis ad meditandum concessi brevitate.

[*Falsæ religionis.* 1. *Indoles.* *II. Tim. II:* 23.] Principio S. Apostolus, dum filium suum Timotheum præceptis format tanquam ideam *Servi Dei*, inter reliqua jubet STULTAS & INDISCIPLINATAS QUÆSTIONES non tantùm *vitare*, sed & REJICERE. quarum *illæ* sanè non possunt esse aliæ, quàm quæ nihil faciunt ad veram sapientiam. Vera *sapientia* est accuratè & efficaciter scire, quid optimum sit, quidque ad illud, quod optimum est, adipiscendum faciat, h.e. nosse & metam & viam: quemadmodum *prudentia*, bonum ita cognitum ea via, quæ sola recta est, cum attenta & cauta discretione mali, sæpe per boni speciem imponentis, prosequi. Est doctrina [1. *Tim.* 6: 3.] sancta διδασκαλία κατ' εὐσέβειαν, *doctrina ad* formandam *pietatem* accommodata: & vera Sapientia in *Timorem Domini*, ut initium, ut custodem, ut nucleum & medullam & vitam Sapientiæ, resolvitur. *Stulta* igitur quæstio est, quæ ad pietatem nihil facit. quam *rejicere* nihil aliud est, quàm [*Prov.* 26: 4. 5.] ostendere ejus stultitiam. Sic enim instituimur *respondere stulto secundum stultitiam suam, ne sit sapiens in oculis suis:* minimè verò ita, *ut ejus fiamus similes* exorbitando à doctrina pietatis & timoris Domini. Verum sunt quædam quæstiones, quæ sua natura non stultæ videri possint; ut si [1. *Joh.* 3: 2.] quæras. Quales futuri simus, quum revelatus fuerit Servator noster ad assumendum nos? quod scire velle in se [*Rom.* 8: 19.] stultum non est, quum *omnis creatura ingemiscat ad manifestationem gloriæ filiorum Dei:* attamen hactenus est *stulta* quæstio, quia ἀπαιδεύτους h.e. *indisciplinata*. Verè S. Hilarius: [*De Trin.* *l.* 8.] *Extra Euangelica promissa est, quisquis extra fidem illorum est. & impiæ intelligentiæ crimen spem simplicem perdidit. Habet enim non tam veniam quam præmium ignorare, quod credas, quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias.* Habet fides disciplinam. [*Deut.* 29: 29.] *Quæ abscondita sunt, Domino Deo nostro: &, quæ revelata sunt, nobis & filiis nostris in seculum, ad faciendum omnia verba legis hujus.* [*Ibid. vs.* 24. 25.] Ita obsignat Moses prophetiam suam, qua ostendit Gentes ipsas Judæorum rejectorum fore judices, ut indisciplinatæ quæstioni ansam præcidat, quam confutat alibi Apostolus. [*Rom.* 9. & 10. & 11.] Habet fides disciplinam. quia *omnes filii Ecclesiæ sunt διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ docti à Deo.* Quæstio, quæ interrogat, quod Deus non docuit, indisciplinata est. [*Esa.* 54: 13.] Quæstio, quæ *in suasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, non *in demonstratione Spiritus & virtutis* procedit, [*Joh.* 6: 45.] indisciplinata est. Spiritus enim & quæ & quomodo loquamur, docet. [1. *Cor.* 2. 4.] Quodque secundùm hoc homines Dei loquuntur, ad hominum fabulas est ut malleus ad testam, [*Jer.* 23: 28. 29.] ut ignis ad stipulam, ut frumentum ad paleam.

Subdit Apostolus causam, cur Stultas & indisciplinatas quæstiones debeat rejicere.

[2. *apparatus, pugnacitas.*] *Sciens*, inquit, *quòd generant* PUGNAS. *Servum autem Domini non oportet pugnare; sed mitem esse adversus omnes, aptum docere, tolerantem malorum; cum mansuetudine erudientem eos, qui se opponunt, si forte det ipsis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis, &* tanquam ex crapula *ad sobriam* sanamque *mentem redeant ex diaboli muscipula, captivati ab ipso in voluntatem ipsius.*

Inter se opponit supernæ sapientiæ & humanæ, quæ in stultis atque indisciplinatis quæstionibus languet, vitiliginis [*Jac.* 3: 14. 16. 17. 18.] choragium. Sic Jacobus Apostolus: *Superna sapientia primò est casta, deinde pacifica, æquanima, morigera, plena misericordiæ & fructuum bonorum, sine disceptatione & hypocrisi.* Contrariæ sapientiæ, quæ ex Inferno est, primus apparatus est *Rixa*. Non sola; sed ea, per quam reliqua omnia vitia, quorum longus sequitur catalogus; sunt ἐνεργῆ & operosa ad destructionem charitatis, fidei corruptelam, Ecclesiæ ruinas, dissidia, persequutiones.

Igitur statim se accingit Apostolus ad vaticinium de ultimis temporibus. [*II. Tim. III.* 1.]

Hoc autem nosce, quod in extremis diebus tempora difficilia. [3. *incunabula, mm. extremorum temporum vitia.*]

EXTREMI DIES in anteriorum prophetarum oraculis notant Tempus Manifestationis Regni Dei in Filio suo, & ejus manifestati eluctationis ad gloriosum triumphum: quod tempus, præcedaneis signis definitum, habet omnium deinde vaticiniorum & umbrarum complementum. Quo sensu S. Johannes: *Filioli extrema hora est.* & S. Paulus, [1. *Joh.* 2: 18.] *nostri*, inquit, *quos fines seculorum attigerunt.* [1. *Cor.* 10: 11.] Ita & hic accipias licet, nisi malis, Apostolum de temporibus primorum Ecclesiæ doctorum ætatem excepturis vaticinari; de quibus & Christus non uno in loco, & Apocalypsis & ipse Paulus in secunda ad Thessalonicenses, & in priore ad Timotheum cap. IV: 1. *Spiritus disertè dicit, quod in posterioribus temporibus quidam deficient à fide, attendentes spiritibus deceptoribus.* Ne tamen putaret Timotheus longum nimis esse, & ad suam cautelam non pertinere eam rem, significanti utitur vocabulo, ἐνστήσονται, *instabunt.* Quod verbum de propinquis usurpari solet. [2. *Thess.* 2: 2.] Ita Actor. 20: 29. *Ego enim novi hoc; quod subintrabunt post abitum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi. Atque ex vobis ipsis surgent viri loquentes distorta, ut discipulos post se abstrahant.* Quamobrem & Timotheo tanquam cum initiis luctaturo præcipit, *& hos aversare.* [*vs.* 5.] Jam enim suis temporibus operari mysterium iniquitatis testatur alibi; [2. *Thess.* 2: 7.] alibi, *Jam quosdam declinasse post Satanam.* [1. *Tim.* 5: 15.] DIFFICILIA TEMPORA significant Ecclesiæ acutissima tentamina & certamina, & horribilem rerum in mundo & in Ecclesia confusionem. [*exitiosa.*] quæ qualia sint, nemo ignorare potest, nisi qui per totam vitam stertit. Sed properemus ad malorum *incunabula*, ut intelligamus mysterii iniquitatis operationem in occulto.

Homines enim erunt amantes sui, argenti cupidi, vani, superbi, blasphemi, parentibus immorigeri, ingrati, prophani, expertes naturalis propensionis, inconciliabiles, diaboli sive *calumniatores, incontinentes, immites* (sive *intractabiles*) *minimè amantes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius, quam amantes Dei, Habentes conformationem pietatis, vim autem ejus abnegantes.* [2. *Tim.* 3: 2. 3. 4. 5.]

Omnia hæc prædicantur de *hominibus conformationem pietatis habentibus.* [*Sub nomine Christianorum latentia.*] Neque enim de iis, qui extra nomen Christi & fratrum in mundo sunt impii, fures, latrones, adulteri, scortatores, aliisve etiam apud ethnicos notatis criminibus vel ipsa aperta idololatria vel ἀθεότητι insignes, hîc agitur. Deinde talia hæc sunt, quæ ignorata apud animum non satis sui peritum latere vel colore incrustari vel tenebris occultari aliquamdiu possint & soleant. Unde constat, plura non tantùm *ad honestatem*, ut Seneca loquitur, sed multò magis ad veram pietatem requiri, quàm quæ in decem roboribus sive ἄξοσι, vel codicibus legum civilium scripta sunt, ne putes ibi Christianum esse statim, ubi non est manifestarius homicida, rapax, injustus, adulter, publicanus, ubi est frequens jejunium aut etiam eleëmosyna; qualia, sua natura egregia, de se ebuccinabat Pharisæus. [*Luc.* 18: 11. 12.] Omnia enim ista & à gentilibus præstari potuerunt. Nova creatura secundùm Deum facta Christianus est. [*Gal.* 6: 15.] Observo tertio, per istas temporum difficultates, de quibus Apostolus loquitur, vitia ista vulgaria & propemodum communia fore. Ait quippe: ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι. [*Vulgaria.*] Non: *erunt homines sui amatores*; quasi tum demum novi exempli homines φίλαυτοι extituri sint: sed, HOMINES ERUNT φίλαυτοι, ut rarum hominem reperias, qui non sit talis. Ipsa vitia quod attinet, ea nudè nominantur ab Apostolo. Atque utinam non vera rerum vocabula amisissemus, proclive foret, non tantùm in aliis (in quam partem oculatissimi atque ingeniosissimi sumus) sed etiam in nobis deprehendere, si quid hujus in animi laciniis obhæreret.

Sed necesse est radices hasce amaritudinis paululum insignire. [1. *φίλαυτοι.*] AMATORES SUI, φίλαυτοι duûm generum sunt. Primò qui omnia ad se commodumque suum referunt, obliti scil. Dei, cujus honori omnibus nostris cogitatibus

dictisque & factis litandum erat: obliti charitatis proximi, *Matth.* 7: 12. & illius regulæ, *Quæcunque vultis vobis fieri ab hominibus, facite illis vos similiter. Hæc enim est Lex & Prophetæ:* obliti *Luc.* 6: 31. & illius verbi, quo Servator jubet eum, qui ipsum sequi *Matt.* 16: 24. velit, non *amare se ipsum*, sed *abnegare se ipsum*, imò *odisse* tum omnia sua tum etiam *animam suam*, h. e. omnia, quæ *Luc.* 14: 26. homini cara esse possunt, minoris facere quàm gloriam Dei & salutem proximi, sique illis videantur obstare atque ab illis alio trahere, promtè, tanquam si non sint sua, *Luc.* 18: 9. imò tanquam odiosa & molesta σκύβαλα abjicere. Alterum genus φιλαύτων sunt ii, qui sibimet placent, tanquam sa*Apoc.* 3: 18. pientes & justi & sancti, & non emunt à Christo collyrium, ut videant; vestes, quibus amiciantur; aurum, 2 *Cor.* 10: 12. quo ditentur. Hi sunt, qui se ipsi semet ipsis metiuntur & se comparantes sibi ipsis nihil intelligunt. Hic affectus est contrarius humilitati fidei, quæ nos in nobis nudos & inopes coram Domino statuit: & desiderio spei, quo iis, quæ à tergo sunt, relictis ad interiora extenditur. Duplex φι*Philipp.* 3: 13. λαυτία sive *amor sui* est vel mater reliquorum vitiorum, vel obstetrix. Altera enim quærit bona fluxa etiam cum injuria proximi & neglectu Dei: altera animum hisce quærendis occupatum reddit securum salutis & judicii divini.

2. φιλάργυροι. Radicis hujus certum germen est φιλαργυρία sive pecuniæ *Col.* 3: 5. opumque cupiditas, quæ est idololatria. Est enim hoc, ut *Job.* 31: 24. Jobus nos docet, *aurum statuere confidentiam suam & pallenti metallo dicere, Fiducia mea.* Hæc pestis extinguit egregias virtutes Christianorum, αὐτάρκειαν, & κοινωνίαν, *sufficientiam & communicationem:* imprimis spem in Deo. Inducit autem hypocrisin, & hominem ad libertatem vocatum subjugat rebus terrenis & infinitarum cupiditatum stimulis compungit.

3. ἀλαζόνες. Eadem catena trahit ἀλαζονείαν, h. e. VANITATEM, quæ est in vanarum rerum ostentatione & tumore hujus vi1. *Joh.* 2: 16. tæ. S. Johannes in ἀλαζονείᾳ τοῦ βίου sive *vanitate* & tumore *vitæ*, vel, ut rectiùs loquar, *victus & altus* humani, tertium ponit bonum, quod cum mundo perit. Ad hoc genus pertinet omnis sumtuositas, luxus, profusio, &c, quod malum Chrysostomus ubique exibilat, καλλωπισμός. Inimica hæc sunt modestiæ, sobrietati & simplicitati Christianæ.

4. ὑπερήφανοι. Quartum hydræ caput est ὑπερηφανία sive superbia. 1. qua quis alium præ se spernit, seque ei anteponit. Unde consequitur, ut alterius & locum & commoda invadas, illo, cujus erant, expulso. 2. qua quis τὸ μέτρον τῆς πίστεως καὶ τῆς *Rom.* 12: 3. δωρεᾶς Θεοῦ *mensuram fidei & doni Dei* excedens altum sapit, & πολυπράγμονα καὶ ἀλλοτριοεπίσκοπον agit: & quæ his sunt si*Eph.* 4: 7. milia. Hinc impatientia vilipendii, imò justæ reprehensionis, hinc odium melioris, invidia, & quid non?

5. βλάσφημοι. Proximè abest, qui ita affectus, ut in Deum insurgat. Ergo sequitur βλασφημία, quæ, cùm latè pateat, obtrectatione veritatis & viæ Dei absolvitur. Qualem *blasphemum* 1. *Tim.* 1: 13. se & Paulus fuisse confitetur. Fieri non potest, ut, cui non placet humilitas Christi, ei placeat fidei & conversationis Christianæ simplicitas.

6. γονεῦσιν ἀπειθεῖς. Qui contemnit verbum Dei, parentes infirmos quomodo honorabit? Quibus reverenter & humiliter subjici instar *Ephes.* 6: 2. 3. est cultus divini. Quare & primum hoc præceptum est cum promissione, *Honora patrem & matrem tuam, ut bene tibi sit & diu vivas in terra, quam Deus dat tibi.* Parentes non co*Plutarch.* lere esse ἐπίδειξιν ἀθεΐας sive *athei argumentum* ipsi gentiles agnoverunt. Et contra *in Domino illis subjici*, est in parentibus, quos videmus oculis, quibusque naturaliter conjunctissimi sumus, meditari cultum Dei; qui *Pater* & ob hanc causam appellari voluit, ut ostenderet, se velle *filialiter* honorari. Accedit, quod ut vitæ ac lucis usuram parentibus debemus, ita pii parentes primi liberis ad pietatem & religionem duces ac magistri sunt, ut ipsorum vox censenda sit vox Dei. Ergo S. Paulus *blasphemis* subnectit PARENTIBUS IMMORIGEROS. Intelligens procul dubio per *Parentum* vocabulum omnes, qui Patria officia aliis impendunt.

7. ἀχάριστοι. INGRATITUDO & beneficiorum oblivio proximum vitium est.

8. ἀνόσιοι. Octavum est ἀνοσιότης sive IRRELIGIOSITAS. Ὁσιότητα vocant Græci omnem honestatem, reverentiam, pudorem, & verecundiam, quæ naturali quadam lege & conscientiæ ipsius, tanquam luminis à Deo cordibus irradiantis, imperio continetur. Quam qui calcant, ἀνόσιοι, *nefarii* aut *prophani*, aut *irreligiosi* appellantur.

9. ἄστοργοι. Quemadmodum naturæ Lex exigit quædam, quædam reprobat, quæ omittere vel admittere sine pudore non possumus: ita quasdam propensiones & amoris erga nostros igniculos eadem nobis natura infixit, quas στοργὰς Græci appellant. Qualis est patrum erga liberos indolescens miseratio, liberorum in parentum honore ac bono verecunda exultatio, conjugum casta dilectio, fratrum atque affinium confidens necessitudo & indivulsa conjunctio. Qui eas, ipsi sanguini & præcordiis insitas, extinxit atque eruit, quod est brutissimæ feritatis, is ἄστοργος, &, ut ego quidem putem, IMMANIS rectè appellatur.

Sequuntur INCONCILIABILES; cum quibus amicitia 10. ἄσπονδοι. fœdusque sanctum sarta tecta non sunt: quibus nulla fides in verbis promissisque etiam juratis.

OBTRECTATORES calumniatoresque istos excipiunt. 11. διάβολοι. Quod vitium tantò injustius est, quò ipsis peccatis nævisque & defectibus proximi delectantur, imo virtutibus dolent; sæpe etiam fingunt, quæ non sunt, peccata, ut innocentem infament: injurii in humanitatem communem, cujus particeps nemo vitiositatis exsors est; arrogantes in Deum, quasi ipsi soli sapientiam ac sanctitatem non à Deo accepissent; imo detractores Dei, dum ipsi veluti cum cachinno exprobrant lapsus & defectus filiorum suorum tanquam in vindictam torturæ, quam sentiunt in animis suis ob conscientiam propriæ impietatis.

INTEMPERANTIA ad omnium affectuum desideriorumque immodestiam pertinet, imprimis si quis gulæ, ven- 12. ἀκρατεῖς. tri, iræ atque libidini fibulam ponere non possit.

Decimo tertio loco sunt IMMITES. Quod vitium con- 13. ἀνήμεροι. trarium est mansuetudini & lenitati tolerantiæque infirmitatis. Ἥμερος dicitur animal cicur, mansuetum. Feritas igitur in contrario est: quæ mutat docendi suavitatem in pugnacitatem, judicandi æquitatem in iram, odium, & nocendi libidinem sæpe sub larva severitatis & zeli justitiæ latentem, obtemperandi modestiam in recalcitrationem. Hæc equi & muli similes facit, quorum maxilla lupatis stringenda est, ut adducas vel arceas. Hoc est ova ponere, *Es.* 59: 5. ex quibus compressis exilit basiliscus.

Decimum quartum crimen, NON AMARE BONOS. 14. ἀφιλάγαθοι. Talis affectus in iis est, qui viros examussitatæ virtutis ferre non possunt, qui illos fugiunt & aversantur tanquam testes suæ improbitatis, ideoque amotos & oppressos cupiunt. Ex quo consequitur.

PRODITIO, sive insidieris innocentibus, sive tradas in 15. προδόται. manum insidiantium, sive non defendas.

Decimum sextum προπέτεια est quædam temeritas, levi- 16. προπετεῖς. tas, stultitia, audacia in dictis factisque; quæ absentiam timoris Domini arguit. Ubi enim timor Dei est, omnia, quantum ejus fieri potest, in fide & in nomine Dei geruntur.

INFLATIONIS mentio est 1. Timoth. 3: 6. & 6: 4. ubi 17. τετυφωμένοι. partim præcipit, *ne episcopus sit neophytus: ne forte inflatus incidat in judicium diaboli:* partim, si quis *alia doceat, & non accedat sanis verbis Domini nostri Jesu Christi, & doctrinæ, quæ est secundùm pietatem*, damnat pro *inflato*. Quibus comparatis perspicuum est, hîc notari audaciam arrogantiamque docendi, qualia non didiceris. Cui contrarium, nimir. *Manere in iis, quæ didicimus*, infra præcipitur. *vers.* 14.

Penultimum hujus catalogi crimen est MAGIS AMARE 18. φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. VOLUPTATEM, QUAM DEUM. Quod facere se ostendunt ii, qui *libertatem* & immunitatem à peccatis eorumque pœnis *pollicentur, quum ipsi sint servi corruptionis*, 2 *Petr.* 2: 19. qui *gratiam transferunt ad lasciviam*, qui religionem pruritibus suis & cupiditatibus accommodant, qui, *ubi mordent* *Jud. v.* 4. *dentibus suis, prædicant pacem; & si quis ipsis non det, ei bellum clarigant:* qui cum muscis ubi calet frequentes adhæ- 2. *Tim.* 4: 3. rescunt parietibus Ecclesiæ, ubi tempestas increpuerit, disce- *Mich.* 3: 5. dunt.

Agmen hoc claudit, NEGARE VIM pietatis, vel 19. μόρφωσιν εὐσεβείας ἔχοντες, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. FORMÆ PIETATIS, QUAM HABENT, *Forma* sive *formula*, ut significantiùs loquar, *pietatis* est præceptorum pietatis delineatio. Ita Rom. 2: 20. *Confidis, te esse rectorem stultorum, doctorem rudium, qui habeat μόρφωσιν formulam* sive delineationem *cognitionis & veritatis in lege.* Ita nos in Ecclesia N. T. habemus μόρφωσιν, h. e. ἰδέαν, τύπον, ὑποτύπωσιν (ita alibi loquitur Apostolus) *deformationem* (Latino hoc vocabulo Cyprianus μόρφωσιν exprimit, non deformitatis conciliationem cum Corn. à Lapide intelligens, sed typi & characteris effigiationem) descriptionemque eorum, quæ ad pietatem faciunt in Lege, Prophetis, scriptisque Euangelistarum & Apostolorum. Pace magnorum interpretum dixerim, vel formula religionis hîc intelligenda est, vel *species* ac *simulatio pietatis* ea, quæ in affectatione nominis Christiani verbique & sacramentorum vendicatione consistat. Nam ea pietatis forma hîc indigitatur, quæ retineatur cum oppugnatione veritatis, cum manifesta impietate. Et verò cum vocabulum est huic rei aptissimum, & talis impietas exorta est, & de vi Scripturæ, ut in qua pietatis forma est, paulo post disputat Apostolus. Porrò uberius est ad sensum, novum hic peccatum & distinctum, quàm aliquid commune præcedentibus intelligere. Et in præcedentibus enim hypocrisis & sub σχήματι τῆς εὐσεβείας latentia vitia, quibus se vim pietatis μὴ ἐπιποθεῖν neque affectare ostendunt, traducuntur. Cum tanta igitur luce iturum

tuum indigitat Apoſtolus, ut non tantùm tales ſint, qua-
les deſcripſerat hactenus, nimir. gentiles & carnales, imò
diabolici, ſed, quod magis & admirandum & execrandum,
doctrina ſua abnegent vim, valorem, ſpiritumque adeò &
vitam verbi illius, quo gloriantur, in quo omnis informa-
Act. 20: tio pietatis continetur. Hoc eſt illorum, quos alibi dicit *di-*
30. *ſtorta locuturos*; alibi *contorquere Scripturas in propriam perni-*
2 Pet. 3: *ciem*. Etenim fuerunt olim & nunc ſunt, qui omni ingenio
16. & artificio Scripturam extorquent, ut alibi minus videatur
dicere, quàm dicit, alibi amplius, alibi planè aliud: prout
ſuis ipſorum peſtilentibus commentis putant eſſe accom-
modatum. Minimè igitur nos perplexos ea res facere de-
bet, ut Scripturæ imputare hominum nequitiam aut ſtulti-
tiam velimus, eaque, ut limpido Iſraëlis fonte relicta, ad
ciſternas ſordidarum adinventionum erremus. Servator
Diabolum per Scripturæ vocabula tentantem Scripturarum
virtute confudit: Sadducæos, Scripturæ obtentu reſurre-
ctionem mortuorum impugnantes, per Scripturas ἐπιστόμισε.
Judæi Legem opponebant. Chriſti regno & Euangelio: at
Apoſtoli verbis Moſis & Prophetarum Eccleſiam ex Judæis
& Gentibus collegerunt. Hæretici Scripturas allegabant, ut
Zach. 13: Chriſti divinitatem abnegarent, & per Scripturas jugulati
3. ſunt. Papiſtæ traditionibus ſuis ſenſus Scripturæ adulterant,
& per Scripturas *amentia illorum manifeſtatur*. Quantumvis
2 Pet. 3: enim multi ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι *diſtorqueant Scripturas in pro-*
16. *priam perniciem*; manet tamen ea nihilominus ζῶσα, neque
deſinit exhibere μόρφωσιν τῆς ἀληθείας *inſtructionem pietatis*,
Hebr. 4: neque amittit δύναμιν ſuam & *poteſtatem*, qua *tanquam gla-*
12. *dius acutus & anceps penetrat uſque ad diviſionem animæ & ſpi-*
ritus, compagum & medullarum, judicans cogitationes & com-
2 Cor. 2: *mentationes cordis*. Hæc vis eſt illa *fragrantia vitæ ad vitam il-*
15. 16. *lis, qui ſervantur*: cujus abnegatio reddit Scripturam puti-
dum cadaver & *odorem mortis ad mortem*. Quia mente do-
Apoc. cet Prophetia, duos Teſtes Dei (h. e. Verbum Veteris &
11: 8. Novi Teſtamenti) jacere in plateis civitatis magnæ inter-
fectos: quod nihil aliud eſt, quàm Verbum Dei in magno
illo regno gentium oſtentui quidem eſſe publicè, ſed abne-
gata & non percepta illius vi atque virtute pro *cadavere* ipſis
eſſe; neque enim vivum & efficax eſſe in iſtis ſpiritualiter
mortuis.

Hactenus ſeries vitiorum, quæ à prima quaſi baſi, τῇ
φιλαυτίᾳ *ſui amore*, gradatim naturali conſequentia ad colo-
phonem (nimir. *abnegationem virtutis verbi divini*; quod to-
tum, quantum quantum eſt, nos ad pietatem deducit)
profecta perfectam quaſi matricem apoſtaſias & defectionis
à veritate abſolvit. A qua nemo ſe penitus liberatum cen-
ſeat, qui φίλαυτος manſerit, ſeque abnegare magiſtro Spi-
ritu Dei non didicerit. *Civitas Dei*, inquit Auguſtinus, *in-*
cipit & conſtruitur ex amore Dei & creſcit ad odium ſui ipſius:
civitas verò Diaboli incipit ab amore ſui & creſcit uſque ad odium
Dei per contemtum proximorum.

Habes faciem mundi poſt patrum exſpectationem & pro-
phetarum præconia atque umbrarum præludia, ſub Chri-
ſti regno; vel poſt prima Eccleſiæ tempora, ne putes
aurea ſecula inſtare & Diabolum ab ingenio deſciturum,
ut liceat Viro Dei in utramque aurem dormire. Audia-
mus igitur, quid viro Dei in iſto hominum habitu agen-
verſ. 5. dum præcipiatur. Καὶ τούτους ἀποτρέπου. ET HOS AVER-
Officium SARE. Prophetæ, quum pios informant de ſuo officio,
viri Dei hoc compendio id explicant: *Sic ait Dominus, Servate judi-*
circa cor- *cium & facite juſtitiam*. Neque enim ſufficit Deo credidiſſe,
ruptionis Deum amaſſe, & præceptis Euangelicis (quod *juſtum*
initia, di- eſt) pro ſe paruiſſe: Judicio etiam opus eſt, quo bonos à
ſciplinam malis, juſtos ab injuſtis diſcernamus. Id hîc dicitur ἀποτρέ-
exercere. πεσθαι, *averſari*. Quod alibi *odiſſe*. In Pſalmo: *Amantes Do-*
Eſ. 56: 1. *minum odio habete malum*. Item: *Ambiguos odi & legem tuam*
Pſal. 97: *diligo*. Item: *Nonne oſores tui odi & cum iis, qui inſurgunt in*
10. *te, litigo. Perfecto odio odi ipſos, facti ſunt mihi hoſtes*. Alibi,
Pſ. 119: *Jubere diſcedere à ſe. Diſcedite à me malefici, ut cuſtodiam præ-*
113. *cepta Dei mei*. Alibi *non admiſceri*. *Nunc ſcribo vobis, non*
Pſ. 139. *commiſceri, ſi quis Frater nominatus aut ſcortator, aut avarus*
21. ſive *injurius, aut idololatra, aut convitiator, aut ebrius, aut*
Pſ. 119. *rapax. Tali nec conveſci*. Alibi *ave non dicere*. *Si quis hanc*
115. *doctrinam non afferat, ne recipite ipſum domum, &, Ave,*
1 Cor. 5: *ipſi non dicite*. Alibi παραιτοῦ. *Hæreticum hominem poſt*
11. *unam alteramque admonitionem* παραιτοῦ, *non admitte, non re-*
2 Joh. 10. *cipe*. Alibi *habere tanquam gentilem & publicanum*. & ſimili-
Tit. 3: 10. ter. Omninò diſciplina eſt Eccleſiæ commendata, extir-
Matth. patrix vitiorum, fotrix virtutum. Sunt qui eam contemnant.
18: 17. Sed illi ſciant, Eccleſiam ſecundùm verbum Dei judicare:
& ubi rectè judicat, Dei eſſe, non hominum ſententiam.
Sunt qui intolerabilem putant, quam tamen omnis Scri-
ptura in præcipua parte officii neceſſarii ponit: qui oſten-
dunt, ſe nolle accedere ad lucem, ut facta ipſorum mani-
feſta fiant, quòd in Deo facta ſint. alioqui gratulaturi,
quòd liberati non modò à gravi animorum tyrannide Deo
ſervire liberè poſſint, ſed etiam à terrore & jugo legis Mo-
ſaicæ (cujus violatio, ſæpe per inconſiderantiam, terribi-
lem ultionem identidem attraxit, certè quidem difficiles
expiationes flagitabat) ita nunc ſub Chriſti leni jugo ſuavi-
ter regantur, ut per homines contemtibiles admoniti, quà
eundum, qua non deflectendum ſit, ſi in ea via ambulent,
ſive ad eam redeant, habeant laudem, non terrore ac metu
ſed generoſo filiorum Dei obſequio gloriam Deo ſoli dediſſe.
Alii ſeditionum & turbarum fomitem interpretantur, quaſi
ad pacem faciat Eccleſiæ vel ἑτεροδιδασκάλων novitatibus flu-
ctuare, vel ſcandalis contriſtari, vel plurimorum offenſio-
nibus, ruinis & refragatione fraternæ, in qua communio-
nis Sanctorum vita eſt & anima, remeliginem injici. Alii
nobis ſuaſores atque auctores ſunt, (præſertim eorum hoc
tempore magna meſſis eſt) ut pacem faciamus cum omni
genere hominum, qui ſe Chriſtianos appellant. Hoc enim
ajunt eſſe charitatis & manſuetudinis Chriſtianæ. Unum
debere eſſe ovile. Igitur nobis comminiſcuntur novam quan-
dam hypotypoſin, morphoſin, formulam & canonem, &
verè Leſbiam regulam, omnibus figuris, rectis & curvis,
aptam, involucra verborum, cothurnos verſatiles, com-
mentarios vim vel typipietatis vel ipſius pietatis exinanientes;
atque ita *unitatem ne pax ſit*, ut cum Pa[illegible] non infimo lo- Hilar.
quar, *procurant*; quique eorum conſilium non approbant, cont.
eos in perpetuo ſchiſmate velle vivere, dictitant. At Apoſto- Conſt.
lus nos monet cautos eſſe & ἀποτρέπεσθαι tales, licet multi & 262.
magni ſint, cùm in quibus omnia illa, quæ enumeravimus,
deprehenduntur; tum imprimis eos, qui vim formulæ pieta-
tis abnegant. Non eſt enim *communicandum alienis peccatis*. 1 Tim. 5:
Non eſt admittenda in Eccleſiæ corpus peſtis *gangrænæ* inſtar 22.
omne, quod ſanum eſt, populatura & depaſtura. Non 2 Tim. 2:
aliter fiet, ut impleatur illud Prophetæ: *Et populus tuus* 17.
omnes juſti. Eſ. 60:
21.

Neque deeſt Apoſtolo ἀπόδειξις παράδειγμα, qua demon-
ſtret, hanc diſciplinam eſſe ſummopere neceſſariam. Ar- Neceſſariò
gumenti vicem eſt ſecutura & ab hac radice pullulatura Ec- reſecanda
cleſiæ corruptio. Eadem ratione S. Johannes in prima epi- vitia illa,
ſtola monet *filios* ſuos, *ne velint diligere mundum*, quia *An-* quia re-
tichriſtus venit. ut ſcil. poſſint ſeſe ab ejus nexibus expedire. gnum de-
Et fuit hæc ratio magni ponderis apud veteres. qui probè fectionis
ſciebant, in moribus & verbis hominum, Eccleſiam ſe di- generant.
centium, filium perditionis nidum & ſedem eſſe inventu- 1 Joh. 2:
rum. De cujus progreſſibus Apoſtolus pergit vaticinari, 15. 16.
non eodem, quo alibi, vocabulo, ſed perſpicuo charactere 17. 18.
& evidenti εἰκονισμῷ regnum impietatis deſignans. Sed au-
diamus Apoſtolum.

Ex his enim, inquit, *ſunt, qui ſe inſinuant fami-* verſ. 6. 7.
liis, & captivant mulierculas cumulatas peccatis, quæ 8.
aguntur variis cupiditatibus ſemper diſcentes & nun-
quam ad cognitionem veritatis venire valentes (Quem-
admodum autem Jannes & Jambres reſtiterunt Moſi,
ita illi reſiſtunt veritati) homines corrupta mente, re-
probi circa fidem.

Vitandi ſunt tales, quales deſcripti ſunt, quia *ex his ſunt* Ordo
homines corrupta mente & rejectanei circa fidem 1. *penetrantes* verborum
domos, 2. *captivantes mulierculas*, 3. *reſiſtentes veritati*. EX S. Pauli.
HIS SUNT. Divini judicii hæc eſt ſeveritas, ut, *qui amo-* 1.
rem veritatis non exceperunt, ut ſalvarentur, iis mittat effica- 2 Theſſ. 2:
ciam erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui 10. 11.
non crediderunt veritati, ſed quibus complacitum eſt in injuſti- 12.
tia. Tale judicium Deus & in gentibus peregit, quum ad-
huc eas Euangelii radiis non colluſtraſſet, ſed fineret eas
ire viis ſuis. De uno peccato enim in aliud, ex una turpi-
tudine & ſtultitia in aliam ruerunt. Ita *ætas parentum pejor*
avis tulit Nos nequiores mox daturos Progeniem vitioſiorem
Neque tantùm à peccato ad peccatum, ſed ab errore &
ſtultitia ad φρενοβλάβειαν, ad inſaniam & corruptionem men-
tis ac rationis everſionem proceditur. Quam rem graphi-
cè deſcribit S. Paulus in ea ad Romanos capite primo.
Et eſt hæc naturalis vitiorum multiplicatio. Non abſque
cauſa vocatur *Radix fructificans veneno & abſinthio*. Semi- Deut. 29:
nii mali mala meſſis, arboris malæ malus fructus eſt. 18.
Quandoquidem autem veri fideles à tam nefariis homini- 2.
bus opprimuntur, apparet in eo acris caſtigatio Eccleſiæ
tales coërcendi & à ſeſe ſeparandi officium ſuum negligen-
tis. Pati enim venena & lolia creſcere in horto ſuo, eſt
velle bonas herbas malarum luxurie ſtrangulari. Interim
ut Gentilitatis manifeſta atque inexcuſabilis turpitudo divi- 3.
næ gratiæ ac potentiæ illuſtravit gloriam, quum tales ad
regnum lucis vocare dignatus eſt; ita ſemen fidei incre-
breſcente corruptione conſervari, hominesque ita corruptos
ex tene-

ex tenebris sponte densatis revocari, illustrissimæ fuit opus potentiæ ac misericordiæ. Oportuit etiam pestilentia hy-
5. pocriseos ulcera pus suum per impietatem effundere, ut electi, per talium admoniti putorem & languorem, deprehensa in semet corruptionis semina sollicitius medico animarum evellenda atque extirpanda præberent: utque ita manifestum fieret, quid inter pietatem veram ac dissimulatam ad tempus impietatem interesset. *Ex his* igitur sunt,
4. ut infelicis matris detestabilis soboles. Neque putes ingenium matricis suæ perdidisse. Si vis nosse sobolem, parentes contemplare.

Characteres hominum amentium & circa fidem reproborum. Primus character, omnia ista vitia in ipsorum studiis placitis reperiri.

Atque hic primus character erit hominum mente corruptorum & circa fidem reproborum, nimir. Exprimere doctrina & factis, iis scil. quæ legitima illi & decora habent, enarratorum vitiorum lineamenta. Negabunt se φιλαύτους & charitate Dei atque hominum carentes, qui verbum Dei famentibus subtrahunt animabus? qui hoc agunt unicè, ut nemo Christianus habeatur, qui ipsos reprehendat, & contra commoda ipsorum sentiat? Qui in omni memoria nullos ita laudant, ut qui illorum similes sive ex parte sive ex toto fuerint, inque iis, quos condemnant, nihil habent, quod oderint, quàm dissimiles esse ipsorum, dum Christi & Apostolorum similes esse student? Negabunt se *avaros*, qui tot opes privatorum, viduarum, pupillorum, tot regiones, tot latifundia deglutiverunt? qui
2. omnia, etiam remissionem peccatorum &, quæ nulla sunt, merita Sanctorum & pœnas animarum pecunia intervenien-
3. te dispensant? *Vanos ac tumidos*, quorum omnis actus orchestræ & theatro & triumpho aptior est, quàm Christia-
4. næ modestiæ? *Superbos*, qui regum apices pedibus subdiderunt, qui in altari per cultum plus quàm humanum adorantur, qui præfinitum ministerii sui limitem excedentes
1. Petr. 5:3. *dominantur cleris* h.e. iis, qui ad sortem sanctorum vocati sunt, potestatem temporalem usurpant, omne jus fasque pro mensura cujusque membri Ecclesiæ corpori datum ad se rapiunt solos? *Blasphemos*, qui condemnant innocentes
5. atque eos, qui certæ veritati in verbo Dei patefactæ primisque Ecclesiæ temporibus receptæ credunt, & secundùm eam versari & regi cupiunt, h.e. *qui piè volunt vivere:* qui Christi sacerdotium & regnum invadunt, qui Sanctos adorando & ante imagines latriam præstando & Deum & Sanctos atrocissima afficiunt contumelia? Qui libertatem à vinculis Satanæ spondent ipsi captivi corruptionis, &, dum
Cypr. de lapsis. non cogitant, hominem Deo non esse majorem, potestatem usurpantes remittendi peccata hoc crimen addunt lapsis, ut incidant in sententiam, Maledictus homo, qui spem
6. habet in homine? *Parentibus immorigeros*, qui invitis pa-
Matth. 15:5. rentibus vota suscepta habent rata, quibus efficitur, ut honorare parentes & iis inservire liberi amplius non possint, alius Patris & Abbatis obedientiæ astricti, patriæ potestati erepti? qui deserunt patrum, h.e. primorum Ecclesiæ doctorum præcepta? *Ingratos*, qui negant honorem, cui ho-
7. nor; tributa, cui tributa debentur? Qui à principibus ditati cum illis conflixerunt, nec contenti potestatem partiri suos effecerunt servos, sua mancipia? Erga Deum verò, qui donum fidei ac justitiæ & meritum Christi suis satisfactionibus, operumque vel præceptorum vel non præceptorum imò malorum perfectione, suis sacrificationibus, indulgentiis, purgatorio, invocatione Sanctorum, operibus supererogationis, libertatis arrogatione tollunt: quum vera pietas in εὐχαριστίᾳ & gratam confessionem divinæ benignitatis resolvatur? Nam *qui sacrificat laudem is honorat*
Psalm. 50:23. *me & utitur via, qua ipsum faciam videre salutem Dei. Irre-*
8. *ligiosos* atque impios, quos non puduit regum fascinatorum nudam carnem (quam honestas occulit) virgis cædere? magisque matrimonium quàm concubinatum (quem civiles leges licet non puniant, abominantur tamen) & scortationem in homine spirituali abominantur? Qui me-
Eman. Sa in aphorismi. retricium & lupanar non ferunt tantùm, sed & privilegiis ornant & in quæstus vertunt, imò erigunt, majoris mali scil. vitandi causa, (quasi ii illi sint, qui ex malo bonum facere, aut vitiis sua natura gliscentibus modum limitemque ponere possint) imò qui per illud *majus malum* legitimas ministrorum Ecclesiæ nuptias intelligunt? quas verentur con-
9. cedendas, si lupanaria non sint. Quam verò habent ἀστόργους,
Daniel. 11:37. qui καλὸν τὸ μὴ γαμεῖν, ejurant *desiderium conjugum*, majoribus vicem non reddunt, liberos ad dedecus gignunt? At ido-
10. nei sunt amicitiis & federibus servandis. quibus credere non possis, licet vel millies juraverint, servaturos fidem, si habere sibi videantur, quare te hæreticum vocent. qui fœdus subditorum cum principibus solvunt. qui matrimonia dissociant. Qui contra fidem datam arma inferri pacatis jusserunt. Cujus rei illustre est exemplum in Ladislao Pol. & Ungariæ Rege, qui inducias pactus cum Amurate in decennium, Eugenio Papa per Julianum Card. suasore, quod fœdus cum hostibus Ecclesiæ factum servari non posse diceret, ante annos propemo dum ducentos eas rupit infeliciter. De quo versus:

> *Romulidæ Carras, ego Varnam clade notavi.*
> *Discite mortales non temerare fidem.*
> *Me nisi Pontifices jussissent frangere fœdus,*
> *Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.*

Atqui Deus in prophetis inter causas deducti Judæ in Ba- *Ezech.*
byloniam, captæque & desolatæ urbis ac templi ponit viola- *17:16.*
tum fœdus & jusjurandum Babylonio præstitum. Quàm verò 11.
sint *diaboli* obtrectatores ex eo patet, quòd veram religionem falsissimis onerant calumniis. *Intemperantiam* forte iis 12.
negaverit convenire, qui jejunia, quæ vocant, cœlibatum & alia monachorum crepitacula attenderit. Sed iis non movebitur, qui rem cum verbis & jejunii atque abstinentiæ veritati comparaverit. Neque enim quorundam fastuose jactata abstinentia cibi, afflictioque corporis (quæ Deus non præcepit) tegere potest tot seculis palam exercitam neque nunc desitam, licet aliquo modo, propter eos, quos metuunt, occultatam intemperantiam. In ipsis jejuniis vinum, aromata, pisces delicatissimos panemque sapidissimum non aspernantur, *non resecantes delectationes corporis sui, sed mu-* *Prosper*
tantes, nec abstinentia sed immundicia aut stomachi nauseantis *de vit. cont.*
teneritudine delicias illas communes & viles abjicientes, quo pos- *lib. 2.*
sint aliis non solùm carnibus, sed etiam delicatioribus & precio- *cap. 23.*
sioribus carnibus suas voluptates explere: cùm non aliquarum carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis naturæ damnanda sint, quas Deus instituit, sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensui carnis Diabolus introduxit. Hoc certum est, si maxima pars parvo esse contenta seque & familiam honesto labore sustentare vellet, deserta esset maxima ex parte eorum veternosa religio. quæ sanè est pura puta spiritualis *scortatio.*
Longè alios novit Spiritus *Virgines* & cum mulieribus non *Apoc.*
maculatos, redemtos ex terra primitias Deo & agno, sequen- *14:4.*
tes agnum, quocunque vadit. Immitem animum ostendunt 13.
crudelia bella infinities excitata, sævissimè gesta; horrendæ persecutiones; excommunicationes integrorum populorum hactenus miserorum, quòd putarent eas sibi timendas esse; excoriationes pauperum; luxus de eleemosynis Christianorum. Omni autem tempore boni & homines spiritus libe- 14.
rioris in reprehendendis non tantùm erroribus, sed & vitiis manifestis curiarum Pontificalium & Episcopalium, exosi fuerunt. unde merito ἀφιλάγαθοι *osores bonorum* existimari possunt: ideoque inemendabiles. Nam quales diligant, ostendunt ii, qui semper apud ipsos in gratia fuerunt. *Pro-* 15.
ditores non sunt, qui proditionem & delationem piorum (quos ipsi vocant hæreticos) jubent? Quorum legibus injustus est, qui non prodiderit innocentem? ut ita per ipsos impleatur quod scriptum est: *Tradet frater fratrem in mor-* *Matth.*
tem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte *10:21.*
afficiendos curabunt. Ut alia omittam, quantum sanguinis prodiderunt eorum, quos temerario furore ad recuperandam terram sanctam impulerunt: nihil aliud quærentes, quàm ut attrita principum potentia ipsi fierent magni, vel ut ea ad suam ipsi magnitudinem abuterentur. Nihil necesse est dici de *præcipiti audacia*, quum non modo in aliis rebus ea 16.
pateat, sed maxime in eo, quod citra verbi Dei præscriptum, quicquid placet, motu proprio, tanquam in Spiritu sancto, agunt & dicunt, suaque dicta & facta, quæ non possunt ex timore Dei proficisci, ubi Deus auctor non est, Christo & Deo adscribunt. Non multum distat *inflatio* judicium merita 17.
Diaboli, qua pares volunt esse Altissimo, qui tanquam ex potestate prætoria interpretantur Scripturam, & leges condunt, & conscientias vel solvunt vel ligant. Nam *amor voluptatum*, concupiscentiaque oculorum & carnis tam ma- 18.
nifesta est, ut tegi non possit. *Dei* verò *amorem* nullum videmus, in quibus est horror & fuga Scripturæ, ex qua sola Deus & amor ejus cognosci potest; quique nulla tanguntur afflictissimorum hominum miseratione. Vim *formulæ pieta-* 19.
tis, quæ est Scriptura, nonne manifestè abnegant, qui non tantùm contra agunt atque ab iis docentur, neque tantùm Scripturas interpretando contorquent, sed & apertè asserunt, Vim non habere, qua illuminet, qua vivificet, qua salvet, sed esse literam mortuam: & quum disertè Apostolus dicat Euangelium esse *Vim atque potentiam Dei ad*
salutem omni credenti, Judæis primum & Græcis: illi è con- *Rom.*
trario vel negant esse Potentiam, dum arcessunt Impoten- *1:16.*
tiæ, vel volunt esse potentiam hominis de illo dispensantis, illo utentis pro libitu, illud interpretantis, & ei vim q. dantis, ei suas leges addentis, & supra illud atque extra illud judicantis judicium, quod ut in conscientiis valeat vel ad pacem & tranquillitatem vel ad horrorem & metum divinæ pœnæ atque æterni exitii, cum armorum, tormentorum, exitii, paupertatis, mortisque dirissimæ terrore imperat.

Non

Non omnia à nobis dici possunt. Digitum ad fontes intendimus. Argumenta non minutatim evolvimus, sed in cumulo ostendimus.

Secundus character. Hactenus prima nota. *Esse ex talibus.* Secunda est *Subire domos.* Et Apostoli adibant homines *domatim* & instituebant *Act. 20: 20.* κατ' ἰδίαν in Christianismo. Alienissimum est hoc vituperium à laude Apostolorum. Ad intima usque domorum ipsarum se insinuant secreta. h. e. Adeò non tantùm publica, curias, regias, tribunalia, jura, sceptra, & quicquid est, fecerunt sua, sed & privata, ut nihil sit in intimis domorum recessibus, quod eos lateat aut eis non serviat. Nosce magnitudinem potentiæ efficaciamque versutiæ. Non egent ista ulteriori luce. Ἀλλοτριοεπισκοπία & tyrannis illa manifesta est, & pro qua illi imprimis pugnant.

Tertius character. Tertia nota est in hujus potentiæ instrumento. Quæ sunt præcipuè *mulierculararum* 1. *peccata*, 2. *cupiditates*, 3. *indocilitas:* per quæ illas *capiunt*, dum spondent *peccatorum* remissionem, *cupiditatibus* accommodata subministrant, *ruditati* institutionem pollicentur. Quæ omnia secretæ Confessionis mysterio continentur. Quo vinculo irretitis mulierculis & eas & maritos & familiam & domum & secreta domorum ac familiarum habent in potestate. Etiam Ammiano Marcellino observatur Episcopalis & luxuriæ nervus & ambitionis ac dissidiorum sæpe cruentorum incentivum *Oblationes* *Ammian. lib. 27.* *matronarum.* Notabile est in sermone Apostoli, quod ait, Eas mulierculas *non posse ad cognitionem veritatis pervenire, cum tamen perpetuò discant.* Causa in aperto est; *Peccata* ipsarum non redarguuntur, vel ineptarum satisfactionum remediis focillantur, *cupiditates* foventur, *institutio* verè Christiana eis denegatur, neque Scripturæ lectio conceditur, nisi aut præoccupatis, aut ne non concessas ardentiùs expetant; certè quidem cum ea cautione, ne alias legant vel versiones vel interpretationes, quàm quas ipsi approbant; quæ quidem ita comparatæ sunt, ut vim verborum, quantum pote, occultent.

Quartus character. Quarta nota est in potentiæ hujus usu. VERITATI RESISTUNT. *Veritas* sine dubio illa est, quæ in vi potestateque & energia Scripturarum continetur. Latissimus mihi hîc se aperiret campus, si ostendere velim, quibus in partibus, quamque multipliciter atque impudenter sinceri- *Gal. 2: 5.* tati, puritatique fidei Christianæ (quam *veritatem Euangelii* appellare consuevit Apostolus) se suis interpretationibus ac commentis opponant. Qua in re hactenus plurimus labor noster qua publicè qua privatim desudavit & in posterum, Deo volente, desudabit. Res enim nostra ætate eò deducta est, ut quum antea de Scripturarum divinitate cum gentilibus, deinde de Scripturarum sufficientia & perfectione vel necessitate cum Papistis certatum sit, restet, ut quid Spiritus sanctus intenderit, atque significaverit; quis ubique nu- *Matt. 13. 46.* cleus; quæ mens Christi; quæ illa preciosissima sola expers adulterii margarita sit, accuratissimo studio investigandum esse videatur. Tot enim oriuntur incrustatores falsitatum, coutortores & exinanitores Scripturæ, ut segnitiei & oscitantiæ nullus sit relictus locus.

JANNES & JAMBRES etiam apud Synagogam & Numenium, & partim Plinium celebria magorum Pharaonis nomina, ex vulgatissimæ historiæ fide assumuntur. Hos in scenam producit Apostolus tanquam typum & figuram novorum pseudoprophetarum. Ægyptus hîc spiritualis & Ægyptia nomina sive numina. Hic Pharao incrementis Israelis invidens, dolos comminiscens, servitutem imponens, libertatem Deum colendi negans. Hîc falsa miracu- *Esai. 19: 11.* la. Hic certamen de legationis divinæ fide. Hîc, qui dicant Pharaoni, *Filius sapientum ego* sum, *ô filii regum priscorum.* h. e. qui apud Principes seculi tanquam in throno Davidis & Solomonis sedentes, quò faciant illos usurpatores potestatis Christi, & regni Christi oppugnatores, persuadentes eis, ipsorum auctoritatem sperni, dum libertas serviendi Deo quæritur, sese ipsos jactant Prophetarum & Apostolorum successores, qui Spiritu Dei æquè præditi sint, ut errare non possint, quò per regum credulitatem ipsi obtineant animorum corporumque tyrannidem.

Post hæc omnia definit quales sint, HOMINES COR- *2. Thess. 2: 3.* RUPTA MENTE, *filii perditionis*, cæcitate Sodomitarum percussi, in quorum omnibus consiliis & actibus patet, quantumvis callidi & versuti esse videantur, quod tanquam cæci palpent parietem. Nihil enim eorum agunt, quæ Deus jussit. Ignorant consilium Dei. Ideoque à Deo *Job. 5: 13.* *capiuntur in astibus suis*, ut, quamvis id ipsi non sentiant, suis machinationibus provehant, quod impeditum, impediant, quod provectum ibant. Maximè tamen in hisce emicat illorum ἄνοια & væsania ac corrupta ratio. Primum, quod cùm Verbum ita caro factum sit, ut in ea sit manifestatum, seseque in ea ipsis sensibus nostris obtulerit, omniaque, quæ veræ humanitatis sunt & veri corporis, nihilque unquam aliud de sua humanitate ac corpore dixerit, quàm quod in nobis experimur aut & nobis promissum est, atque adeò Rationem nostram judicem fecerit veritatis humanæ naturæ; deinde ea naturâ corporis sit, ut partem extra partem habeat, sitque visibile & palpabile & uno in loco: tum verò omnis mutationis hæc sit indoles, ut pereunte eo, quod fuit, eodem subjecto manente, res, quæ non fuit, fiat: tamen contra hæc & alia certissima & cognitissima credant & tradant, carnem Christi pluribus simul in locis in Eucharistia invisibiliter & inpalpabiliter sine quantitate & loci descriptione localiter præsentem esse, &, quod fuit, fieri ex eo, cujus nec forma nec materia maneat in eo quod fit, & tamen unum in alterum transmutari, ita in cœlo quidem non, in terris autem omninò offeri pro peccatis, circumferri, comedi & alia pati glorioso corpore indigna. Quod credere apicem pietatis facientes per summam stultitiam & idololatriam eum, qui adorari vult in cœlo sedens ad dexteram Patris, adorant in pane, in manu & tantum non in ventre sacrificuli aut suo ipsorum. Sanè quædam credimus, quæ ex pleno non intelligimus (ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus) attamen nullum dogma est, quod sanam rationem evertat. Imago enim Dei est in ratione hominis, quæ per fidem perficitur, non interimitur, non *corrumpitur.* Enimvero quæ Deus intelligi voluit (voluit autem intelligi, quod voluit manifestari) id ita excipere, ut intelligi non possit, mente captorum est, & furiosorum. Iidem homines quum se doctores omnis Ecclesiæ profiteantur, & rationem fidei suæ omnibus reddere teneantur, eo eruperunt dementiæ, ut, quos volunt convertere scilicet, si possint, solo tormento adigant ad fidem: si id non possint, suam esse possessionem Christiani nominis clamantes, docere detrectent, &, quos tamen ad ipsorum dogmata refellenda admiserint, jubeant ita agere, ut omnis syllogismi pars vel ipsis verbis vel synonymis exstet in Scripturis. Qua arte licet non vincant, tamen se ipsis Judæis & Pharisæis (cum quibus Christus & Apostoli ita egerunt, ut consequentiarum pondera & connexionum veritas & rationum momenta in disputationibus ipsorum valerent) magis brutos & neque docere neque doceri velle aut posse, sed mente corruptos ostendunt. Nam idem Hilarius, quem supra audivimus dicentem: *Maximum stipendium fidei esse, sperare, quæ nescias:* *ultimæ* vocat *impietatis furorem aut intellecta non credere aut intelligentiam corrupisse credendi.* Iidem negantes posse fideles idiotas ex sacris Literis discere & doceri veritatem salutarem, semet ipsos privant instrumento maximo ministerii sui: deinde plenis buccis obscuritatem Scripturæ accusantes efficiunt, ut nulla causa supersit, quare ipsis credi debeat, siquidem Scriptura tam est obscura, ut, ipsis credi debere, ex ea non possit evidenter probari: denique abnegantes *sapientiam* Dei, quam perfecti sive adulti *2. Tim. 3: 15.* ex sacris Literis percipiunt, analogian & concinnitatem fidei, & φανέρωσιν ejus factam per Christum, se suamet ipsi *1. Cor. 2: 6.* sententia scribunt inter ἀπίστοις & ἀπολλυμένοις, in quibus Euan- *Rom. 12: 6.* gelium est opertum, quorum Deus mundi occæcavit mentem atque animum. Uti enim Judæis, qui Christum & *2. Cor. 4: 2. 3. 4.* justitiam ejus agnoscere nolunt, totum volumen Legis & Prophetarum, quæ Christianis Christum ibi quærentibus & excipientibus lux sunt, in cimmerias tenebras vertuntur: ita hisce hominibus regnum Christi & justitiam ejus depravantibus omnis Scripturarum pagina, dum ipsorum commentis obluctatur, quæ bene sentientibus Solis instar splen- *Jer. 8: 9.* det, obscura & difficilis esse videtur. Et quænam igitur re- *2. Petr. 1: 19.* liqua est illis Sapientia, quibus Phosphorus Scripturarum non lucet? Præterea, inquit, REPROBI sive REJECTANEI CIRCA FIDEM. Verissimè! Credunt enim, quæ Deus non docuit, fabulas stultas & aniles, ita in frivolis occupantur, ut à sanitate fidei Christianæ longè aberrent. Audiant hoc illi, qui sinceritatem, puritatem & ipsam veram vivamque δοκιμασίαν atque explorationem fidei nec quærunt nec ostendunt; sed sub nomine Christiano chaos & Babylona opinonum temerariarum atque impiarum, consentaneorumque affectuum, propositorum & factorum miscent & conglomerant.

Limes regni defectionis. Enimvero in tantorum malorum diluvie docet Apostolus Dei clementiam Ecclesiæ & generi humano non defuturam: qui & limitem posuit furoribus illorum hominum, & eorum amentiam nudabit ac manifestabit.

In eo judicio quinta nota rectè ponitur. *Quintus character.*

vers. 9. *Sed*, inquit, *non proficient ulterius* sive *magis magisque*,

ut nemo evadat captivitatem illam tenebrarum, aut verbum Dei penitus de medio tollere vel omnem notitiam doctrinæ pietatis extirpare, atque pristinam gentilitatem reducere

ducere, aut in perpetuum possint Ecclesiam oppugnare: minimè. Limitem illis posuit Deus.

Nam amentia illorum evidens erit omnibus, ut & magorum *illorum* Ægyptiacorum *facta est.*

Ut illi non potuerunt suis simulamentis æmulari omnia, quæ Moses patravit: ita hi non poterunt omnia facere, quæ Christus facit. Potuerunt videri Magi ex scipionibus fecisse serpentes, ex aqua sanguinem, ranas produxisse: at hic stetit vis carminum. Pediculorum plagam inhibiti sunt
Apoc. 9: imitari. Habet ille filius perditionis, ut clave aperiat pu-
2. 3. 17. teum abyssi, ut fumus prodeat, ut locustæ exeant; habet
19. equitatum cum serpentum caudis: habet pseudopropheta,
Apoc. ut ex ore ipsius exeant ranæ: habet, ut faciat sanguinem
16: 13. in terra: habet, ut ignem faciat de cœlo descendere: ha-
14. bet, ut faciat imaginem bestiæ loqui. Sed non habet, ut
Apoc. plagas Ægypti suæ septem phialis effusas vel avertat vel imi-
13: 13. tetur. Imprimis non est ei datum, ut electos seducat;
15. vel Israeli Dei tenebras faciat. Erunt enim, quibus illumi-
Apoc. nabit oculos Deus, ut fucum à veritate possint distinguere,
16. qui agnoscent testes Dei in Scripturis loquentes, *neque*
Apoc. *sinent eorum cadavera* (hoc est literam apud homines mor-
13: 18. tuos inutilem, apud se verò per Spiritum Dei vivam &
Exod. 10: efficacem) *sepeliri* & ab oculis hominum amoveri. Dein-
23. de judicio Dei ad illam impudentiam progredientur, ut &
Apoc. *simplices* videant illorum amentiam & videntes arguant,
11: 9. damnent, aversentur. Hoc est, quod idem Apostolus di-
Es. 35: 8. cit, fore ut *reveletur Hostis Legis divinæ*, utque *Dominus*
2. Thess. *ipsum, consumat Spiritu oris sui & aboleat illustri præsentia sua.*
2: 8. Hoc est, quod Apocalypsis, casurum sidus de cœlo, ca-
Apoc. suram Babylonem, in tres partes fore, desolatum iri, or-
9: 1. bitatem & luctum visuram, mari demersum iri, fugitu-
14: 8. ras insulas, cœlum vetus abolendum esse. Quæ omnia &
16: 19. similia Apostolus planissima oratione explicat: innuens &
17: 16. refrenationem Impietatis & Reformationem Ecclesiæ. Re-
18. 8. 21. formatio enim quædam est, abominationes Amentium &
17: 10. Reproborum intelligere, damnare & fugere.
21: 1.

Sextus character. Sexta nota est in differentia typi Apostolici, tum in do-
vers. 10. ctrina, tum in virtutibus & moribus, tum in statu. *Tu au-*
11. *tem assecutus es doctrinam meam*, h. e. partim quid docuerim, partim quàm solerter & libenter docuerim (à quibus qui desciscunt, Apostolorum successores esse non possunt. Non enim locus, sed doctrinæ ejusdem secundùm donum Dei solers prædicatio Apostolorum successores facit. Alioqui enim Jannes & Jambres eodem in loco incantationes exercuerunt, ubi Moses legatione Dei functus est) *vitæ meæ rationem*, sine omni ἀλαζονείᾳ, *propositum* & constantem voluntatem serviendi Deo, *fidem* verbi Dei & fiduciam in Christum, *longanimitatem, charitatem, tolerantiam, persecutiones* exantlatas, *perpessiones, quales mihi obtigerunt Antiochiæ, Iconii, Lystris, quales persecutiones sustinuerim.*

Magnus est usus hujus pericopæ. Primò, ut ex hoc ὑποδείγματι cognoscas *amentes illos & reprobos* homines, & ab illis discedas. Secundò ut, quum ab iis discesseris, non aliis aliisque spiritibus impostoribus fias obnoxius, sed habeas clarum exemplar, ad quod te componas: ut Ecclesiæ reformatio sit vera ἐπανόρθωσις & emendatio, non verò unius corruptelæ cum altera commutatio. Quem in finem Acta Apostolorum & in iis Apostoli Pauli conversationem Ecclesiæ relictam esse, liquidum est. Unde quid sordidum adhuc alicubi Ecclesiæ inhæreat sive in doctrina, sive in regimine & disciplina, perspicuum est. Neque est dubi-
Esa. 4: 4. tandum, quin Deus has sordes eluere velit atque abstergere Spiritu judicii & Spiritu ardoris atque incendii. Quod, qui oculos habet, à Deo jam cœpisse fieri, facile videre potest.

Ut verò in Paulo perpessionum est exemplum, ita & liberationum. *Et ex omnibus me liberavit Deus.* ut, quod ipse
2. Cor. alibi scribit, *quemadmodum passiones Christi in ipsum exube-*
1: 5. *rant, ita per Christum consolatio ipsius redundet* ad multorum consolationem.

Septimus character. Quam consolationem dum applicat piis, simul Septimam adjungit notam, quæ Ecclesiam veram & Ecclesiam malignantium discriminat.

vers. 12. *Et omnes vero volentes pie vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.*

Est prophetiæ continuatio cum ℣. 9. Quum manifesta facta fuerit amentia illorum, omnes, qui piè vivere volent, non inquam, fucatè in superstitione, non profanè in regno impietatis, nec tantum honestè secundum leges civiles, sed *pie in Christo Jesu*, extra cujus Spiritum & mentem & præceptum & fidem nulla pietas est, gravissimas persecutiones patientur. Quod verum esse, dies docet. Certissima res est, quod Deus secundùm verbum suum admirabili providentia & stupenda potentia instituit, fovet & illustre facit coram toto mundo adeò, ut ejus invidia furat Diabolus & ad id tollendum omnes lacertos commoveat, id Deo carum & Hosti animarum contrarium & grave esse: quique in eo persequendo strenuissimi sunt, eos esse Diaboli satellites.

Breviter succedat nota octava: Profectus in pejus per malitiam & imposturam atque præstigias. Octavus character.

Mali autem homines & præstigatores proficient in pejus, seducentes & seducti. vers. 13.

Deprehensi & reprehensi ab omnibus convertentur, sed magis obfirmabuntur in suis erroribus, omni scil. studio in hoc incumbentes, ut errores suos defendant & pallient. Errores mordicus tenere etiam revictos, πονηρίας est; per Rom. 16:
Sophismata, χρηστολογίας & εὐλογίας palliare, expolire & co- 18.
mere, veritatemque cludere, *præstigiarum*, γοητείας atque Apoc.
μαγγανείας est. Hæc est φαρμακεία, qua Babylon seducit 18: 23.
& fascinat & infatuat omnes gentes. Cujus instrumenta Esa. 47:
quæ sint, proclive esset demonstrare, nisi longum foret. 9. 12
Ubi sunt igitur, qui censeant *Papas tam bonos fieri posse*, ut ad *uniendam* Ecclesiam & sananda schismata, occurrendum corruptelis, impietatique reluctandum idonei haberi possint? quos certum est magis magisque indurari & ad insaniora procedere. Habet tamen Deus etiam in illa non communione sed confusione, quos suo tempore ad lucem suam revocabit. Neque enim etiam in omnibus istam πονηρίαν & γοητείαν *malitiam & præstigias* esse præjudicamus.

Hactenus de regno corruptionis. Subnectitur institutio, qua ratione corruptio evitanda & vera pietas ædificanda sit. Institutio de ratione vitandæ corruptionis.

Tu verò mane in his, quæ didicisti. vers. 14.

MANE, rejectis stultis & indisciplinatis quæstionibus: neque adde, neque deme, nihil muta, hoc crede, hoc vita moribusque exprime. MANE, quia manet veritas: non mutatur, non augmenta, non detrimenta patitur. QUÆ DIDICISTI, sive *edoctus es*. Semel tradita est omnis salutaris doctrina. Noli alium doctorem expectare vel admittere. *Tu*, Timothee; Tu, quisquis vocaris, hanc fidem sequere, præcepta Dei explora, ne erres, utque confirmari & crescere possis, aliosque ædificare. Singulorum est discere à Christo quid credant: non unius hominis, omnes docere, multò minus omnibus imperare. *Doceri, disci* pietas debet, ut pateat, & demonstratione 2. Cor.
Spiritus omni conscientiæ probetur, hanc veram fidem, 4: 2.
hanc veram pietatem esse, & Deum auctorem habere. MANE autem & *Tu*, Christi Ecclesia, quæ ab initio in hanc viam ingressa es, in hac via servata es, & in hac viis tuis martyriis Deum glorificasti, in hac Satanam hostem experta es, hac fide mundum devicisti. ET QUORUM TIBI FACTA EST FIDES. Doctrina enim salutaris evidentissima & locupletissima habet argumenta. Alia
omnia ἀδέσποτα sunt. In suo nomine, non in Dei nomi- Joh. 5:
ne, licet obducto Christi nomine, venit Pseudopropheta. 43.
At Scriptura ipsorum hostium testimonium habet. QUIA Matth.
SCIS, A QUO DIDICERIS. Quis tu es, Papa, Car- 24: 5.
dinalis, Episcope? Christum novi, Paulum, Mosen & Prophetas novi. Te verò, quis sis, ignoro. Fac fidem missionis tuæ, quod à Deo sis & non diaboli emissarius.
ET QUIA A PUERO SACRAS LITERAS NOSTI. 1. Joh. 2:
Chrisma qui habent, non egent alio doctore. Ii autem ha- 27. 24.
bent, qui Sacras literas Deo magistro norunt. Ad Sacras literas omne judicium revolvitur. Quæ quod judicant in tua conscientia, quum te & impietatem omnem abnegaveris, ut convincaris Deum dicere & operari, in eo mane. Secundùm Scripturas Christus venit, egit, docuit, passus est, resurrexit, regnum occupavit, in gentibus annunciatus est Apostolis. Secundùm easdem igitur Christus creditur in mundo, creditur Apostolis Christi probatis testibus. Secundùm has nemini detrectamus, extra has nemini audemus credere. EÆ literæ enim TE POSSUNT SAPIENTEM FACERE AD SALUTEM PER FIDEM IN JESU CHRISTO. Perfectæ igitur sunt ad fidem & in fide ad mores, quia ad *sapientiam salutarem*: & claræ doci-
libus, qui non spernunt χαρίσματα donata Ecclesiæ, per quæ Ephes. 4:
illam Deus vult concinnari & confirmari. OMNIS 10. 12.
SCRIPTURA DIVINITUS EST INSPIRATA. Di- vers. 16.
vinitus dictata, data, conservata ad sapientiam salutarem. De ejus igitur dictis ne dubita; neque ullam ejus particulam sperne, quantum potes omni industria assequi. Omnis enim

enim est divina, tum ea, quæ scripta est, tum ea quæ ab hominibus ὑπὸ θεῷ φερομένοις scribitur & scribi debet. ET
2. Tim. 3: 5. UTILIS. Habet enim vitam, *vim*, potestatemque ad intelligentiæ claritatem & evictionem veritatis: efficaciamque Spiritus comitem ad certum effectum conversionis & conversorum salutis. *Utilis* autem AD DOCENDUM rudes. εἴτι μαθεῖν, εἴτι ἀγνοῆσαι χρὴ, ἐκεῖθεν εἰσόμεθα, ait Chrysostomus, *si quid scire*, *si quid ignorare oporteat*, *inde sciemus*. uti ne stulta velis quærere vel indisciplinata; sed ut quæstio sapiens habeat eruditionem, modesta dilationem: ut Scriptura quod explicat, eruditè credatur; quod non explicat, vel prudenter contemnatur, si taceat, vel cordatè speretur, si promittat. AD REDARGUENDUM mendaces. Quod enim præter illam docetur, vel mendacium est, vel non ad fidem & salutem est. AD CORRIGEN-
Tit. 2: 12. DUM peccantes, AD DISCIPLINAM inordinatorum IN JUSTITIA, ut piè, justè, ac temperanter viventes in
vers. 17. seculo hoc coronam æternæ gloriæ obtineamus. Ut non tantùm idiota sed & HOMO DEI PERFECTUS SIT AD OMNE BONUM OPUS docendi, redarguendi, corrigendi, regendi, PERFECTE INSTRUCTUS. Utilis autem est ut regula, ut instrumentum Spiritus sancti, cujus solius est fidei magisterium. Quum Apostolus hoc instrumentum solum commendet, & *utilitatem* per δύναμιν & σοφίαν explicet, tum manendum doceat in iis, quæ secundùm illam tradita sunt, apparet nullum aliud esse ad perpetuum usum Ecclesiæ datum. quod vice Apostoli semper ei adest; ne ullo tempore quicquam desit ad καταρτισμὸν ἁγίων, *ad plenam instructionem Sanctorum*. Ἀντ' ἐμοῦ, φησὶ, τὰς γραφὰς ἔχεις, εἴ τι βούλει μαθεῖν, ἐκεῖθεν δυνήσῃ. *Meam vicem, inquit* (sic verbis Apostoli Chrysostomus) *Scripturas habes: si quid vis discere, inde poteris*. In his igitur Moses & Prophetæ, & Apostoli, imò Christus & Spiritus ejus semper electos, & fideles alloquuntur, neque opus est, postquam Canon consummatus est, Clementibus ac Bonifaciis Apostolicæ non successoribus sedis sed suffossoribus veritatis.

HÆC EST IDEA ET TYPUS

Partim Falsæ & non satis subactæ pietatis proficientis ad Regnum falsitatis & oppugnationem veritatis:

Partim Veræ pietatis & Regni Dei ex persecutionibus caput exserentis ad triumphum Mendacii:

Partim Veri Hominis Dei sive Servi Dei.

Quem ut intueamur & Ego & Ii, qui se ad honestissimum hoc nomen gerendum parant, necesse est.

Nos voto Mosis *Servi Dei* hæc nostra claudemus initia.

Appareat, O Deus, *servis tuis opus tuum & majestas tua* Psal. 90: 16. 17.
super filiis ipsorum. Et sit suavitas Domini Dei *nostri supra nos, & Opus manuum nostrarum fac certum apud nos, imò opus manuum nostrarum, fac id rectum & certum.* AMEN.

DIXI.

O R A T I O

D E

Causis incredulitatis Judæorum.

H A B I T A

Lugduni Batavorum in Auditorio Theologico Die IV. Octobris Anni CIↃ IↃC L.

I N S C R I P T A

Nobilissimis & Amplissimis Dominis, Dominis Curatoribus Academiæ & Dominis Consulibus Reipublicæ Lugduno-Batavæ, eorum Collegis, & ejus Collegii Secretario, Urbis Syndico.

I. CORINTH. X. 9.

Ne tentemus Christum, quemadmodum quidam illorum tentarunt.

Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissimi Viri.

QUum nuper mihi in celeberrima vestra Academia dicendum esset, ut partim aures auditorum sermonibus nostris, partim oculi mei vultibus eorum initiarentur, ab amico, cujus pretium apud me permagnum est, inter familiarem festivitatem argumentum propositum mihi est nobile cumprimis & amplum, Quæ causa, quæ scandala fidem Judæorum in Christum Dominum excluserint: quare sui, quum ad illos venisset Lux, eum non receperint; quæ tanta impietatis & ingratitudinis scatebra; quæ incentiva odii in salutem suam; qui artus malitiæ; quæ retinacula carceris tenebrarum & damnationis fuerint. Quod argumentum libens amplexus sum, tum quia in Scripturis prompta est ejus explicatio, tum quia lucem facit historia dictorum & factorum Christi, tum quia omnis Prophetia de Christo & Ecclesia libera nucleum continet, tum quia in Judæis omnis hæresis & falsæ religionis ac regni humani, quod se pro regno Christi & Dei venditat, prædamnatio est: maximè tamen quia charitas nobis imperat, ut quemadmodum omnibus errantibus, ita Judæis, à quibus prodiit salus & verbum Dei, quorum jactura nos ditati sumus, curemus esse fructuosi ad velum, quod cordibus ipsorum incumbit in lectione Vet. Test. quantum per nostrum ministerium fieri potest, hoc est, per demonstrationem veræ justitiæ & Testamenti ac regni Dei, abolendum; idque eo magis, quod plurimi inter Christianos reperiuntur, qui ἀνόμως & docendo & agendo obicem fidei ipsorum ponunt, vel etiam Christianos ad Semi-Judaismum sollicitantes scandalum, quod se minuere putant, conduplicant. Quibus loquentibus & omnem lapidem moventibus, nobis torpere & consilescere nefas est. Quanquam autem ipsa argumenti nobilitas & amplitudo me ab ejus tractatione absterrere potuisset, nihilominus pudor me vetuit, non in eo genere aliquid conari. Ita enim omnes de studiis nostris judicant, qui viginti annos explicandis libris Vet. Test. triverimus, ad eorum explanationem aliquid debere nobis esse observatum. Quibus fortasse singulare & eximium quid exspectantibus quamvis satisfacere me posse non præsumam; tamen si parva illa, in quibus profecimus, cum ipsis candidè communicemus, saltem voluntatem nostram à malignitatis crimine absolutum iri speramus. Cæterum quum argumentum illud ita mihi tractandum fuerit, ut temporis haberem rationem, atque ita multa paucis persæpe & verbis Scripturarum ruminationem desiderantibus dicerem, quædam etiam omitterem, quæ meditationi se obtulissent; &, ne quid dissimulem, ipsum illud argumentum mihi cordi esset, ac, in quibus me profecisse putabam, iis recognoscendis cuperem plurimos mecum in Christiana pietate confirmari: tum recepto pridem mori tum amicorum inhortamentis sine obluctatione cessi, ut, quicquid id est, quod inter convasandam rem familiarem meditatus eram, & in arcto tempore dixeram, etiam oculis hominum subjicerem; non cupiditate gloriæ (quam sperare me vetat sublimitas argumenti orationis meæ tenuitatem multis parasangis post se relinquens) sed voto utilitatis: quam sperare jubet divina promissio, verbum suum, quod in ore Ecclesiæ posuit, non rediturum ad se inane & vacuum. Vobis autem, Nobiliss. & Ampliss. Domini, vestroque nomini hic labor meus debetur, quibus Auctoribus in illustri hoc loco dicere cœpi; quorum judicio tanquam clypeo tenuitas mea protegitur. qui ut audientiam benigne ac patienter mihi dicenti præstitistis, ita, confido, non illibenter inter gravissima negocia, captato ad hoc ocio, estis inspecturi & conatus meos agnituri & approbaturi. Id mihi persuadet insignis vestra benevolentia, à qua me omnia ornamenta exspectare jussistis, quæ facit, ut nemo miretur aut miraturus sit, quomodo ex loco commodo & honesto & quiete, quam mihi destinaveram, abripi ad illustrem hanc stationem quiverim. Deum oro, ut mihi gratia sua clementer adsit, ut vestrum bonorumque omnium favorem industriâ, sinceritate doctrinæ modestia & mansuetudine, denique uberi fructu mihi liceat promereri: Nobilissimas porrò & Amplissimas dignitates vestras, itemque hanc rempublicam, & in ea Ecclesiam atque Academiam, omni bonorum genere cumulet. Scripsi 8. Octobris 1650.

Nobiliss. & Ampliss. Dign. Vestrarum
Observantissimus
JOH. COCCEJUS.

MAGNI-

MAGNIFICE RECTOR, NOBILISSIMI CURATORES, AMPLISSIME PRÆTOR, CONSULES AC SENATORES, SYNDICIQUE AC SECRETARII HUJUS REIPUBLICÆ, CLARISSIMI PROFESSORES, VENERANDI PASTORES, CONSULTISSIMI, HUMANISSIMI DOCTORES AC MAGISTRI, OMNIUM ORDINUM VIRI GRAVISSIMI, PIETATIS ET BONARUM LITERARUM ΠΡΟΣΤΑΤΑΙ EXIMII, TUQUE SPES REIPUBLICÆ ET ECCLESIÆ NOBILISSIMA STUDIOSORUM CORONA.

REvera comperior, hominis gressum non esse suum, viam ipsius obtectam, tempora atque opportunitates in solius Dei manu esse & ab eo dispensari. Me post dulcissimam patriam, post studiorum, honorum, commodorumque meorum altricem Frisiam, à cathedræ illustrioris ac luculentiorum *ἐγχειρῶν* voto necessarius timor coërcuit, quem minorem omni gratia ac veritate Dei coargueret conscientia. At non placuit Deo, ut essem tanquam vinum, quod de vase non transfunditur in vas, & in nido meo nimis diu conquiescerem, vel etiam computrescerem. Miles tiro ex post principiis, si in prima acie quem fatum suum occupet, succedit in locum; ita in sacra militia propagandæ veritatis primis ab imperatore summo in quietem cœlestem receptis secundi necessario sufficiuntur. Maximum disertissimumque Theologum, lumen hujus florentissimæ Academiæ, Fridericum Spanhemium, non tam labores & pro justitia certamina spiritum ejus quotidie populantia consumserunt, quàm pater misericordiarum præliantem fortissimè ad eam civitatem, in qua justitia regnat, transtulit. necesse erat suppleri locum. Vestra, N. & A. D. Curatores, suffragia multorumque bonorum vota me vicarium tanto viro designarunt. Quod quia nulla mea arte quæsitum, nulla ope procuratum, sola intentione stabiliendi ordinem, per quem doctrina, quæ est secundùm pietatem, ex Scripturis sine fallaciis, vanitatibus, tricis, rixisque ex verbo Dei clarè & in spiritu mansuetudinis demonstraretur, propagaretur, vindicaretur; solo judicio duce, & testimonio bonorum astipulante, factum est, quanquam in me non agnoscens talis vel testimonii vel judicii merita, nihilominus conscius sinceræ voluntatis ac nonnullius studii veritatem sincerè & pacificè propagandi judicare aliter non quivi, quàm in timore Dei & ejus nutu ac clementi dispensatione vocationem hanc esse decretam. Atque ego quidem, fateor, quanquam non mediocriter gauderem, honestissimo judicio istos animos juventutis in studio sacræ Scripturæ, ad quod eam semper instigamus, confirmari, & in pudorem dari illos, qui nec satis esse magnum judicant, à puero Sacras nosse literas; nec necessarium, ut eo omnis industria contendat: quanquam etiam viderem vocationem hanc meditationibus sacris me in solidum vindicare; adhæc plurium in celeberrimo loco ædificandorum spem ostentare: non tamen statim vocationem N. & A. D. C. pro divino imperio potiùs quam tentatione habui. memor & tenuitatis & titubationum mearum, quæ in illustri loco mihi pavorem possent incutere; & jam demandati gemini oneris, quod detrectare inertiæ esse videbatur. Hanc meam vel Hæsitationem decidit vel Cunctationem abrupit enixa D. C. instantia & insignis benevolentia, qua non tantùm me opinione citiùs innodare, sed etiam illustribus studiorum in vicina provincia agonothetis, me tum humanitate tum beneficentia nunquam mihi non prædicanda retentantibus, ut in dimissionem benignam consentirent, satisfacere potuerunt. Hæc quum ita sint, atque Deum ita de temporibus meis statuisse liqueat, ut post vicesimum publicæ functionis annum in illustri hoc loco Ecclesiæ formandis juventutis studiis pro virili una cum reverendis Collegis de Ecclesia meritissimis inserviam; necessarium videtur, ut ante omnia & ego & omnes, quotquot regnum Dei seriò quærunt, primò quidem Patri & Deo Domini nostri Jesu Christi ex animo humillimè agamus gratias, quod non recordatus delictorum innumerabilium, quibus patres nostri & nos iram ipsius provocavimus, & adhuc non patimur eum poculum vertiginis & castigantem manum ab Ecclesia & republica penitus amoliri; nihilominus nón permisit, ut sceptrum improbitatis requiesceret super nobis; sed indutus justitiam tanquam loricam, & galea salutis capiti imposita, brachio suo salutem fecit, & in terris hisce, vero umbilico, ut apparet, orbis hubitabilis, ostium patefecit luculentum Euangelio suo, & Ecclesiam suam exuviis Antichristi exornavit. Deinde eundem veris gemitibus oremus, ut docentibus det timorem sui, spiritumque ingenuum & certum, iisque aperiat ostium sermonis, ut loquantur mysterium Christi, & ut *manifestum id faciant, quemadmodum id oportet loqui;* arceat ab illis *κενοδοξίαν*; ambitionem, pruritum novitatis, suspiciones, susurros, contentiones; ut [1] *uno humero serviant Domino*, [2] *uno canone incedant, idem sentiant*, nihilque sentiant, *quod Deus* ipsis non *revelaverit*, &, *si quid aliter sentiant*, misericorditer *ipsis revelet;* ita quærentes non quod suum est, sed quod Christi & proximi est, aliique aliorum onus portantes in zelo veritatis & charitatis, *conscientiam inoffensam servent in diem Domini:* auditores porro industria sua studia docentium exsuscitent, precibus suis benedictionem divinam impetrent, fructu laborem ipsorum compensent, & divinam clementiam glorificent: tum ut omnibus, qui Christo nomen dèderunt, det eum animum, ut, spretis voluptatibus, inertia ac lasciviis pietatem strangulantibus, studeant esse ad gloriam Dei, atque à veritate aberrantibus minimè sint scandalo, sed vel invitis extorqueant tum sermone bonæ frugis, tum sine sermone ipsa conversationis gravitate, confessionem, hunc populum esse *justorum cœtum* & eam *gentem, quam Deus sibi hæreditatem delegerit.* Quo impetrato, minimè dubitandum est, quin Deus etiam terrestria bona, pacem, fertilitatem, bonas valetudines, omnemque felicitatem (quanquam & animus Deo devotus facilè illius nimietate careat) salutari temperamento sit adjecturus, & in sinum effusurus.

Cæterum tempus hoc & hic augustus tot auditorum consessus me monet, ut, avito more, de argumento aliquo non exigui ponderis sermonem instituam, quo benevolentia devinciatur, si pote, frequentantium hæc auditoria, *χῶρος* studiorum præbeatur, animique nostri meditationumque tanquam effigies imprimatur. ad quam rem non absque formidine accedo, suetus non tinnientium concrepatione verborum aures titillare, sed simplicitatem intelligentiæ Scripturarum cogitatione vestigare & rudi eloquio adumbrare.

Neque hìc, A. à me expectabitis novum atque inusitatum argumentum. Ea enim convenit nobis in mente atque in ore esse, quæ neminem oporteat ignorare, quorum oblivio & neglectus periculosus atque perniciosus est. Quæ optima sunt, humanæque vitæ pernecessaria, aqua, solisque tepor & fulgor, aura, qua vescimur, sunt & vulgatissima; quæ paucorum sunt, uniones, aurum, purpura, & similia, nulli necessaria sunt, & ab omnibus relinqui & projici absque detrimento humani generis possunt. Theologi est, vera loqui, & certa *commemorare*, non paradoxa disputare; salutaria figere, non fingere supervacua. Sapientia humana sit scire recondita; divina est, scire ea, quæ ad timorem Dei faciunt, *quæ revelata sunt nobis & filiis nostris, ut faciamus ea.* Quæ ab intelligentia & suspicione carnis abstrusa, in testimonio Dei sunt promulgata; in Christo occultata, in parvulis ad fidem obsignata, sapientibus hujus seculi negata. Qui, dum futilibus inhiant, excidunt animam pascentibus *torrentibus rivis fluviorum mellis ac butyri;* &, dum in alienis tricantur, suorum obliviscuntur; &, tanquam talpæ in terræ visceribus argutæ, ad lucem cæcæ, ita illi in humanis disceptationibus solertes, ad ea, quæ lucis patent filiis, stupent. Necessaria ignorant, qui supervacua didicerunt.

Argumentum, Auditores, proponam, non cura delectum, sed aliunde objectum; nec rejectum, quia accommodatum ei parti operis Theologici, ad quam me ordo Collegii deposcit; scilicet, Quæ causæ sint, quare Judæi non admiserint fidem in Christum Filium Dei, patribus promissum, in fine seculorum datum, & in mundo prædicatum ac creditum.

De qua re dum loquor & breviter, ut fastidium excludatur, & humiliter, ne fatigetur vel attentio vel judicium vel memoria, tantò majorem mihi spondeo à vobis benevolentiam, quantò ad nostram instructionem facit in alieno exemplo & typum spectare nostræ infirmitatis, ut caveamus; & documentum divinæ cùm severitatis, ut pertimescamus, tum erga nos miseri- cordiæ,

1 *Zeph.* 3: 9. 2 *Philipp.* 3: 15. 16.

cordiæ, ut in ejus amorem, ad eum glorificandum ac proximum scandalo eversum ex infernali igne sollicitiùs eripiendum vehementiùs inardescamus.

De Judæis loquemur: de quibus & Apostolus; quum dicit: [1] *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis scandalum, Græcis stultitiam.* Non magis in Christo spectabile est, quod crucifixus est, quàm quod Græcis & sapientibus mundi stultitia est; ideoque tot hostes in mundo experitur veritas Euangelii: neque magis hoc ad sinceram nostram meditationem facit, quàm quod Judæis scandalum est: ne malimus Christum vel Philosophum Græcis, vel *virum* Judæis. Judæis, inquam, genti, quæ patres habet Abrahamum & Isaacum & Jacobum, quorum Deus voluit vocari & adorari in præscriptione fœderis æternum illud & unicum numen, creator cœli & terræ: genti, quam Deus ab omnibus olim gentibus mundi secreverat, ut, has in viis suis relinquens & tradens in manum concupiscentiarum, illam assumserit sibi populum, & potenti manu è medio populi eduxerit, seque regem ejus & doctorem ostenderit, eique cæteris [2] ἄθεοις & *sine Deo* abjectis, fecerit potestatem ipsum Deum suum invocandi & in eo gloriandi: genti, quam vocis suæ alloquio & visione magnificæ gloriæ sublimavit: cui testamenta dedit & promissiones: [3] cui elogia sua concredidit: ex qua prodierunt viri Dei, sancti & Prophetæ & reges in omnem posteritatem memorandi: cui soli cultum sui in symbolis dedit; [4] cui terram tot populorum, quot erant Patriarchæ, assignavit hæreditatem: cum qua collisa omnia summa mundi imperia etiam elisa sunt: cujus reliquias iterum liberatas non gladio & hasta sed Spiritu suo & ex Babylone in terram reductas inque disciplina Mosis deinceps longo tempore per seniores in cathedra illius sedentes coërcitas ipse filius Dei ut frater carnem & sanguinem ex illis habens adire, docere, miraculis omne genus illustrare, testem facere tum passionum tum resurrectionis suæ, denique effuso Spiritu sancto & distributione inusitatorum charismatum ac prima vocatione ad regnum suum dignatus est. Hujus gentis tot beneficiis affectæ, tam nobilitatæ in mundo, tam sedulò doctæ, tam prope visitatæ & ad videndum Deum admissæ incredulitatem miratur totus mundus, qui resipuit à vana conversatione à patribus accepta ad Deum vivum. Non quod tota illa gens incredulitatis infamia conspurcata sit, sed quasi tota; nimirum illi, qui terram tenuerunt ac templum, & populum fecerunt. Nam verbum Dei excidere non poterat; qui dixit: [5] *Ecce dies veniunt, ait Dominus, cùm excitabo Davidi germen justum, & regnabit rex, & prosperabitur, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus ejus salvabitur Juda & Israël habitabit securè.* Salus igitur, ut ex Judæis, ita Judæorum omnino fuit: &, si salus, & fides. Sed salus *reliquiarum* est, *gens induruit, terra anathemate percussa est.*

Reliquiæ, inquam, fide steterunt: incredulitate Gens cecidit, & ramorum plerique de olea effracti sunt. Utrumque & fides reliquiarum & contraria gentis Judaicæ incredulitas paucis describenda est. Habacuc utramque complectitur hoc dicto: [6] *Adhuc visio ad tempus, &* [7] *præco in fine, qui non mentietur. Si tardet, præstolare ipsum: quia veniendo veniet & non veniet seriùs. Ecce acclivatur, cujus anima non est recta in ipso: & justus in fide ipsius vivet.*

Hic locus nos docet, totam institutionem prioris temporis esse *visionem*, h. e. prænunciationem & adumbrationem rerum futurarum. Per eam ingeri *exspectationem:* atque ita fidem illius temporis esse exspectationem. Hanc exspectationem, licèt longo tempore protractam, tamen certo & immutabili fine unà cum *visione* terminari. Hunc finem visioni & exspectationi fieri per *adventum testis minimè mentientis;* qui & *servus Dei & justus* simpliciter, & *Germen Davidis justum, in cujus ore non est dolus, & qui ἁρπαγμὸν non admisit,* nominatur. Hujusque testis officium esse, *visionem* mutare in *præconium*, & sic *visionem ac prophetiam obsignare.* Unde liquet, Omnem visionem, prophetiam, fidem, exspectationem in hujus testis adventum concentrari, & in eo ἀνακεφαλαιοῦσθαι ac consummari; [8] ut *de quo in summa libri scriptum est*, qui *venturus* sit, ut *faciat voluntatem Dei*, cuique *corpus aptavit*, & *aures* tanquam voluntario servo perforavit, pro eo, quod *is victimis & holocausto non delectatur.* [9] Hunc igitur esse *finem legis*, ad quem *Lex & Visio* deducit, & in cujus adventu *visio*, prophetia, typus, figuraque omnis terminatur & absolvitur. Planè quemadmodum & Dominus Jesus dixit: *Prophetæ omnes & lex usque ad Johannem prophetaverunt.* [10] *A diebus Johannis Baptistæ hactenus regnum cælorum vim facit, & violenti rapiunt illud.* Ad hæc, *Animam credentis in ipsum* esse *rectam.* Quod prima statim fronte nihil aliud significat, quàm fidem in ipsum esse veræ obedientiæ erga Deum, timoris & amoris Dei, fiduciæ in Deum collocandæ, resipiscentiæ, purique cordis ac bonæ conscientiæ primum & nobilissimum actum, atque ita primum effectum sanctificationis. [11] Ex quo illud consequitur, hunc testem esse non tantùm hominem sanctum, vitii, inquinationis & communionis peccati expertem, sed & verum Deum *altiorem cælis, filium Dei in æternum consummatum.* Nam, cujus amor, timor, fiducia, glorificatio est ipsa hominis *rectitudo*, is non potest esse alius à vero Deo. Præterea credentem ipsi uniri & inseri, & *in ipso* esse, sive habere communionem cum ipso, & tanquam unum corpus fieri. Hoc significatur eo, quod innuit, *Animam esse rectam in ipso.* Ita per fidem in ipsum & in ipso peccatorem esse *justum*, h. e. habere remissionem peccatorum & imputationem mercedis æternæ per communionem obedientiæ & sanctitatis ipsius; sive, in peccatore per fidem impleri τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, & quidem ita ut cesset omnis peccati accusatio, tollatur execratio & condemnatio & concerpatur *chirographum subcontrarium* peccatori, quod in *visione* sive præfiguratione legis continebatur. Hujus justitiæ per fidem acceptæ finem & fructum esse *vitam.* Denique contrarium rectitudini animæ in ipso, quæ est fides, cerni in multis, & opere ipso manifestari, nim. τῇ ὑποστολῇ h. e. sui abstractione à fide & communione testis veracis, in quo est justitia, ad terrena munimenta, & elationes carnales, ad *clivum*, in quo templum extructum erat; & duritie cordis sese contra Deum & Unctum ejus acclivantis & efferentis.

Neminem esse puto, qui aliam *fidei*, quam Judæis negamus, descriptionem à nobis hoc tempore exigat, quàm quæ verbis prophetæ à nobis breviter enucleatis insinuatur. Quippe ea nihil est aliud, quàm animæ rectæ & à Deo sanctificatæ in Christo teste mentiri nescio, Servatore perfectò implente omnem *visionem*, prophetiam & figuram, à Patribus exspectato, in fine temporis revelato, acquiescentia ad justitiam & vitam.

Huic fidei contraria est Judæorum, quam Scriptura accusat & mundus miratur, incredulitas; qui Lucem veram, quæ illuminat omnem hominem, quæque & in tenebris lucebat, h. e. quæ in medio gentis incircumcisæ corde, & oculos ad videndum non habentis, cum gloria & majestate in monte Sinai se manifestaverat, & per Mosen ac Prophetas adhuc de se testabatur; eam, inquam, lucem ad ipsos ut *suos*, delectos ex omnibus gentibus, & in carne ipsorum venientem, & inter ipsos non cum terrore, ut olim, sed cum plenitudine gratiæ & veritatis atque ita in humilitate servi voluntarii habitantem, non receperunt. Contra suis vanitatibus & mendaciis indormiverunt & induruerunt.

Cujus incredulitatis & indurationis multis Scripturæ testimoniis damnantur. Nobis pauca sufficient. Nahumus cap. 1:11. accusat Hierosolymam (Nam Hierosolymam compellat contextus sermonis) *Ex te exivit cogitans contra Dominum malum, consulens nequitiam.* quasi dicat, Ex Hierosolyma omnem errorem atque hæresin, omne odium Dei & regni ipsius, omnem persecutionem veritatis & pietatis originem trahere. Habacuc cap. 1:5. *Opus operatur in diebus vestris, non credetis, quum narrabitur.* Mich. 6:9. *Vox Jehovæ, civitatem vocantis,* auditur (*&* qui est *veritas, videt nomen tuum*) *Audite*, inquit, *ô Tribus! & quis congregavit illam?* q. d. Deo urbem Hierosolymam & tribum Judæ vocante & nomen suum filiis veritatis manifestante, non tamen potuit congregari tribus in caulam pastoris animarum & regnum ac civitatem Dei. Esai. 53: 1. *Quis credidit prædicationi nostræ*, quam nos audivimus, *& brachium Domini super quo revelatum est?* Psalm. 118:22. *Lapis*, quem *reprobarunt architecti, factus est in caput anguli.* Et antea Moses Deut. 32: 15. *Et pinguis factus est Jeschurum, & recalcitravit (impinguatus es, incrassatus es, obductus es adipe) & dereliquit Deum*, qui *fecit ipsum, & pro scelerato tractavit rupem salutis suæ.* Et quæ est *rupes salutis*, nisi *lapis*, qui fit *caput anguli*; & *lapis probationis, fundatum fundatissimum*, quem Deus *fundat in Sione, in quo qui credit, non confunditur?* Esai. 28: 16. Omitto cætera. nam & ipsum judicium illud terribile, quo excisa est urbs & templum & populus, & longissimum exilium, Deo occultante faciem suam ab ipsis, sententiam damnatæ infidelitatis confitetur. [12] *Vox tumultus ex urbe, vox à templo; Vox Domini reddentis talionem inimicis suis.* Et Psalmus secundus: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Quare, reges, animadvertite; disciplinam accipite, judices terræ. Osculamini Filium, ne irascatur, & pereat vobis via; quia exardescet brevi ira ejus.* Ira igitur Filii est, quæ percutit terram. Et alibi: [13] *Dixit Dominus Domino meo; sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* [14] Et Daniel: *Consummatio & rigor destillabit in stupentem* h. e. cæcum, surdum & mente captum.

Sed jam, quod sermonis nostri caput est, causas hujus incredulitatis investigemus; idque eo fine, ne & in nobis subnascatur radix amara pullulans veneno & absinthio; utque miserati casum illorum judiciumque Dei exhorrescentes sedulo in id incumba-

[1] 1. Cor. 1: 23. [2] *Eph.* 2: 12. [3] *Rom.* 3: 2. [4] *Deut.* 32: 8. [5] *Jer.* 23: 5. 6. [6] *Hab.* 2: 3. 4. [7] *In Hebræo est* יָפִחַ *quod nomen est. vide Psalm.* 27: 12. *ubi* יָפִחַ *non potest esse verbum. Descendit inde, unde* הֵפִיחַ proclamare. *Cum* עֵד *testis in* παρεμβολῇ *compositum notat indicem publicum, præconem.* [8] *Psalm.* 40: 7. 8. 9. [9] *Rom.* 10: 4. [10] *Matth.* 11: 13. 12. [11] *Hebr.* 7: 26. 28. [12] *Esai.* 66. 6. [13] *Psalm.* 110: 1. [14] *Daniel.* 9: 27.

cumbamus, ut eos, qui habent zelum Dei non secundùm scientiam, ad zelum Dei secundùm scientiam excitemus, & omnia, quantum ejus fieri potest, impedimenta, quibus illi evertuntur, vel ab illorum cordibus, si in illis sunt, vel ab illorum oculis & auribus, si in nobis sunt, amoveamus. Neque enim tantùm Baptistæ fuit clamare: *Elapidate viam Domini, dirigite in eremo aggerem Deo nostro.* Perpetuò sonet illa vox Spiritus & sponsæ, qui extat in Psalmo 68: 5. *Aggerem facite equitanti in deserto cum decentia nominis sui, & exultate coram ipso.* Christus in myriadibus suis vehitur in *deserto gentium* triumphans omnem hominum & justitiam & sapientiam & potentiam, regnumque suum explicare satagit: ei nostrum est aggerem facere, ut sine offensione & cæspitatione in corda quorumvis invehatur.

[1] Prima causa incredulitatis Judæorum est sine dubio illa, quæ omnibus hominibus officit, quò minùs Deo pareant: nimirum, quod, ut alii omnes, ita Judæi caro sunt. [2] *Carnis* autem *sensus* is est, ut *legi Dei nec subjiciatur nec subjici possit; sed sit inimicitia contra Deum. Carnem* vocat Scriptura id, quod homo est mente atque animo à natura sine ductu ac ducatu Spiritus sancti; sequens ea, quæ sensibus corporis & membris carnalibus attinguntur & percipiuntur. in quibus homo Spiritu Dei vacuus [3] *corrumpitur* & perperam afficitur, ut ea diligat ad fruendum illis, quibus debebat uti ad gloriam creatoris Domini omnium. Idem enunciat Scriptura de *homine animali*, [4] h. e. in quo summum movens & agitans est anima & non Spiritus Dei; quod ea, *quæ Spiritus Dei sunt, nec recipiat, quia ipsi stultitia sunt; nec possit cognoscere, quia spiritualiter*, h. e. Spiritu Dei in verbo prælucente & internè illuminante ac cor purificante, *dijudicantur.* Igitur S. Johannes ipsum populum, in cujus medio Lux vera dudum luxerat, *tenebras* vocat, & negat, *tenebras lucem assecutas esse.* Igitur Servator, quum Nicodemum, principem & magistrum Israëlis, in discipulum formaret, id ante omnia inculcavit, Nullum hominem, nisi *denuò gigneretur*, [5] *vel videre regnum* Dei per cognitionem, *vel in illud intrare* per fidem & obedientiam, & communionem cum Deo & Christo rege & omnibus Sanctis habere *posse.* Et Baptista expresse in eodem capite [6] negat; ullum hominem esse tam sapientem & tam bonum, ut testimonium Filii recipiat. Hæc causa est, quare Moses Israëlitis, qui vocem Dei cùm tonitruis & sono tubæ & terræ motu & igneis globis cœlitus sparsis audiverant, aut Deum ita apparuisse patrum suorum testimonio acceperant, qui Dei *numen* [7] & allocutionem quotidianam familiariter noverant, qui potens Dei brachium in liberatione potenti, ductu & conservatione mirabili, in judiciis severissimis, in beneficiis insignibus, omnibusque miraculis perspexerant, verba testamenti patribus notificati didicerant, nihilominus testatur, [8] *Deum necdum dedisse ipsis oculos ad videndum, aures ad audiendum & cor ad intelligendum:* quodque dilectionem Dei & fidem & timorem ipsius & resipiscentiam à Dei gratia & divina cordium circumcisione suspendit, quam postremis temporibus uberiùs dispensandam promittit. Hunc mali fontem increpat Stephanus, quum dicit, [9] *O incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, ut patres vestri, & vos.* Et hoc indicat illud oraculum, quod Esaiæ datum est promulgandum: [10] *Vox* est *dicentis: Prædica. & dixit: Quid prædicabo? Omnis caro gramen, & omnis gratia ejus, ut flos agri. Exaruit gramen, emarcuit flos, quum Spiritus Domini id perflavit. Certe gramen est populus. Exaruit gramen, emarcuit flos, & verbum Domini stat in seculum.* [11] Nimirum verbum illud vitæ, verbum Testamenti & promissionis gratuitæ, prædicatum inter nos, quo nuncupatum semen divina voluntate regeneratur. Huc tendit illa concertatio Dei cum populo suo apud Esaiam: [12] *Quid facerem amplius vineæ meæ? Quare igitur exspectavi uvas & tulit labruscas?* q. d. Siqua hominis bonitas, siqua aptitudo ad regnum meum, siqua gloriatio est; quare in tantis beneficiis non resipuit Israël? Nempe tantummodò malitia humani cordis, quod nisi à Deo reformatum non potest non resistere Deo, omnibus beneficiis, omnibus castigationibus, omni legislatione, omni prospectatione Dei de cœlo, & manifestatione sui, ac omni vocationis instantia convincitur & detegitur, ut omnis gloria cedat Deo. Conticescat igitur omnis caro coram Deo, & nemo glorietur in sapientia sua, neque in divitiis suis, neque in nobilitate sua, sed, quem divina gratia aspexerit, cuique se Deus cognoscendum in Christo præbuerit, in eo solo glorietur & cum eo humiliter ambulet eique agat gratias.

[13] Secunda causa ex prima fluit in hominibus iis, qui veritatem cœperunt cognoscere. Id Scriptura nominat *cor duplex*, & animum plenum adulterio. Unde & Moses eam ætatem, quæ repudiavit rupem salutis, vocat [14] *ætatem perversam*, sive duplici corde præditam: & Christus *γενεὰν μοιχαλίδα*. Cor humanum imprimis quidem omnem religionem & pietatem fugit; & contra legem Dei, utut conscientia illi attestetur, recalcitrat; & per eam magis accenditur ad concupiscentiam contra illam, imprimis ad illam pestilentissimam concupiscentiam, qua, nolens esse Deum & legem ipsius, se ad non timendum Deum omni ratiocinatione obfirmat. Quando tamen cogitur agnoscere, esse Deum, esse legem & judicium, & in verbum Dei incidit, ac de eo convincitur, secunda cordis humani nequitia est, quod nomen Dei & verbum ejus & quarundam veritatum professionem & opera quædam justorum assumit non ex fide & amore Dei & obedientia, sed secundùm dictatum concupiscentiæ. Unde fit, ut homo magnum sæpe zelum Dei in quibusdam veritatibus tuendis ostendat, à vera tamen pietate alienus & incuriosus eorum, quibus Deus glorificatur. Nam, quæ concupiscentiæ accommodata esse videntur, eligit, cætera prætermittit. Sic Christus arguit Pharisæos & Scribas, [15] quod *decimaverint mentham & anethum & cuminum, & omiserint graviora legis, judicium & misericordiam & fidem:* eorumque catechesin, quòd non docuerint veram & perfectam *justitiam;* [16] h. e. quod contenti quibusdam sententiis legis quoad corticem inculcatis, vel etiam malè confutis, non, ut oportebat, docuerint vim legis, & quodnam esset illud opus, quod legis justitiam affert, & sine quo merces vitæ neutiquam obtineri potest; atque ita homines ab agnitione peccati & quæstione Christi & amplexu justitiæ Dei & seria pœnitentia longè abduxerint.

[17] *Tertium* malum, duobus jam dictis assitum, est eversio Scripturarum. quod malum in iis nominatur תַּהְפֻּכוֹת q. d. *inversio.* Non potest fieri, ut homo cupiditatibus actus legens Scripturas sine timore & amore Dei, & eligens ea, quæ suæ libidini putat se posse substernere, non incidat in ea, quæ ipsius appetitui repugnant. Ibi se exserit *γογγυσμὸς καὶ διαλογισμὸς murmuratio & disceptatio*, quibus telis torquet Scripturas à sano intellectu in propriam perniciem. Quod quum facit, evadit is, qui in Scripturis nuncupatur לֵץ *irrisor, ἐμπαίκτης:* cujus est omnem veritatem, *ἔλεγχον & ἀπόδειξιν redargutionem ac demonstrationem* irridere & eludere.

Talem igitur animum quum attulerint Judæi ad lectionem Mosis & Prophetarum, & Christi præconium, non mirum est, illos in plena luce instar cæcorum titubasse, idque eò magis, quò putabant se videre, ita ut ad indurationem & justam condemnationem ipsorum nihil deesset. quod dicit Servator, [18] *peccatum ipsorum manere.* quippe qui convicti de divinitate Scripturarum Mosis & sanctorum Dei virorum, inque ea se vitam habere gloriantes, [19] jamque se doctores rudium & ductores cœcorum jactantes, ipsi se ex illis non docerent, imò Mosen Testamentum Dei & Christum mediatorem Testamenti proponentem non audirent, denique testimonio ejus refragarentur.

Sed hæc omnia palpabiliora evadent, si paullò singularius pressiusque, quomodo se contra Christi fidem armaverint, consideremus. [20] In primis igitur Servator culpat in legisperitis, quod *clavim cognitionis occultaverint.* Est autem *clavis cognitionis* proculdubio *κατήχησις* & institutio de Testamento Dei & *mysterio Dei & Patris & Christi, in quo omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sunt absconditi.* Ex quo consequenter tanquam fonte omnis interpretatio Scripturarum debebat profluere, & in quod tanquam finem omnis meditatio Scripturarum debebat corrivari. Ita egerat Deus cum populo suo, ut ipsis non tantùm per Mosen & Prophetas *scribi* curaret *amplitudines legis suæ*, [21] in quibus mysterium Dei *multis partibus & multis modis* [22] continebatur, multaque ænigmatibus contecta docilibus exercitatos sensus habentibus innuebantur; sed etiam conservaret institutionem & *κατήχησιν patrum carnis*, qua rudiores & pueri ducerentur ad enucleanda Scripturarum ænigmata, & intelligendum prophetiæ unicum scopum ac metam. Qui insuper seniores, sacerdotes & Levitas ipsis dedit, collocatos in cathedra Mosis, ex quorum ore doctrina salutaris, demonstranda tamen ex Scripturis, peteretur. Nam, postquam Deus verbum suum Scripturis mandari curavit, Scriptura unica & perfecta credendi regula facta est, ad quam omnis *κατήχησις πατροπαράδοτος* sive, ut vulgo loquimur, Traditio de manu in manum ab ætate in ætatem propagata debuit examinari. Hîc erat officium Seniorum & Sacerdotum & Patrum, diligenter & quidem cum demonstratione analogiæ omnium partium Scripturæ mysterium fidei filiis suis communicare; ita ut nihil esset in Scripturarum virtute, quod non esset in *κατηχήσει*; nihil vicissim aures rudiorum circumsonaret, quod non verbo niteretur scripto. Sic enim futurum erat, ut nihil ad legem Dei adderetur. Hoc autem officio non esse functos præceptores populi, non tantùm Servator queritur multis in locis; [23] qui fuit *tanquam ignis aurifabri & tanquam smegma fullonum*, in primis *filiis Levi:* sed etiam Malachias

[1] *Causæ incredulitatis. I. Naturalis hominis corruptio.* [2] *Rom.* 8: 7. [3] *Jud. vs.* 10. [4] 1. *Cor.* 2: 14. [5] *Joh.* 3: 3. 5. [6] *Johann.* 3: 32. [7] *Σκήνωσις respondet Hebræo* שכינה. *Id notat gloriosum signum, nubem, ignem, lucem, ex quo Deus populo locutus est, & quo se præsentem est testatus.* [8] *Deut.* 29: 4. *Deut.* 30: 6. [9] *Actor.* 7: 51. [10] *Esai.* 40: 6. 7 8. [11] 1. *Petr.* 1: 23. 25. *Jacob.* 1: 18. [12] *Cap.* 5: 4. [13] *II. Cor duplex.* [14] *Deut.* 32: 5. [15] *Matth.* 23: 23. [16] *Matth.* 5: 20. [17] *III. Distorsio Scripturarum.* [18] *Johann.* 9: 41. [19] *Rom.* 2: 19. 20. 21. [20] *IV. Occultatio clavis cognitionis. Luc.* 11: 52. *Col.* 2: 2. [21] *Hos.* 8: 12. [22] *Hebr.* 1: 1. [23] *Malach.* 3: 4. 5.

chias ultimus prophetarum, prope ante Idumæorum receptionem in communionem politiæ Iſraëlis per ſacramentum circumciſionis, atque ita non diu ante adventum Chriſti expreſſis verbis in ſacerdotibus taxavit: quum dicit: [1] *Ad vos eſt præceptum hoc, ô ſacerdotes. Fœdus meum fuit cum Levi vitæ & pacis, & dedi ea ipſi timorem, & timuit me, & ob nomen meum conſternatus eſt. Doctrina veritatis fuit in ore ejus, & injuſtitia non fuit in labiis ejus: in pace & in rectitudine ambulavit mecum, & multos reduxit ab iniquitate. Nam labia ſacerdotis ſervarent Cognitionem & doctrinam repeterent ex ore ejus. Nam Angelus Jehovæ Dei exercituum eſt. Sed vos receſſiſtis à via, offendere feciſtis multos in Lege; corrupiſtis fœdus Levi: ait Jehovah Deus exercituum.* Et ante Jeremias: [2] *Quomodo dicitis: ſapientes ſumus & lex Dei apud nos eſt? Profecto in mendacium mutavit ſtylus falſarius ſcribarum. A Propheta uſque ad ſacerdotem univerſi faciunt falſitatem.* Ita factum, ut vix tenues veteris catecheſeos de Chriſto & regno Dei laciniæ conſervarentur in populo, & demonſtratio analogiæ Scripturarum obliteraretur, & præcepta hominum pro præceptis Dei inveherentur; Deo tamen interim per Prophetas identidem [3] legem & teſtimonium obſignante inter diſcipulos ſuos; quorum miniſterio effectum eſt, ne tota cognitio de populo (in quo partim Sadducæorum omnem πατροπαραδότων catecheſin rejicientium impietas, partim Phariſæorum fermentum dominabatur) periret. Horum agmen clauſit Baptiſta, quem miſit Dominus ante ſe [4] in ſpiritu & virtute Eliæ, ut *converteret cor filiorum ad cor patrum* ſive *in ſententia juſtorum, ne veniens percuteret terram anathemate.*

[5] Quemadmodum Sacerdotes & Seniores à lege Dei & vera via ac fœdere pacis ac vitæ deſciverunt; ita populus à Deo magiſtro ad homines doctores, ex ſe, imò ex dæmonio loquentes, defecit. unde nec Eſaias illos [6] *ſuſurrones, pipilantes, ariolos,* ἐγγαστριμύθους vocare veretur, quibus populus, cui lux orta non eſt, Deo ſuo relicto, aurem ſubſtrinxit. Nam, ut ſine verbo Dei cum jactantia Spiritus Dei quid dicas, aut reticeas, quod verbum Dei in parte religionis docet, doctrina dæmoniorum eſt. Non defuit perverſis Judæorum πρόσχημα & prætextus, quo auctoritas humana alto & irrefragabili extrueretur faſtigio. Jacobus dixerat in verbis ultimus: [7] *Non recedes legiſlator è medio pedum Judæ, donec venerit Siloh.* Hæc promiſſio ſanè dicit, Cathedram Moſis in tribu Judæ uſque ad Chriſtum duraturam, Moſenque & Prophetas per os Seniorum prophetaturos, eoſque à Deo delectos eſſe, cum aliis pleriſque illius tribus, librarios Eccleſiæ Catholicæ & eloquiorum Dei & nominatim ſtatutorum Dei τῆς ἐν δόγμασι & δικαιωμάτων λατρείας conſervatores; denique catecheſin pietatis non penitus extinctum iri in toto populo; & ejus non contemnendas particulas horum miniſterio eſſe propagandas: ſed minimè hæc eſt ſententia illius oraculi, quod illos jam olim opinatos eſſe inſinuat Jeremias; [8] *Non peribit lex à ſacerdote, & conſilium à ſapiente, & verbum à Propheta.* Cujus ſanè dicti ſententia, ni mens læva eſſet, facilè noſceretur. nim. Judæos ſic argumentari ſolitos ad prædamnationem verorum Prophetarum Dei & ipſius Chriſti: Si Jeremias, ſi Jeſus vera loquuntur, conſequens eſt, ſacerdotes, legiſperitos, ſeniores, totum, inquam, ordinem, & quatenus Concilium Iſraëlis conſtituunt, errare & legem ignorare. Atqui id impoſſibile eſt. Sic enim promiſſiones Dei intercciderent, & Iſraël totus, ut populus, exterminaretur. Ergo Jeremias, ergo Jeſus mentitur. Putabant, Deum pollicitum eſſe eam infallibilitatem Synedrio & ſacerdotum Collegio ac populi Concilio, ut nihil contra veram pietatem ab eo ſtatui poſſet. Neque nihil huc fecit, ſine dubio, locus alter Deut. 17: 10. *Et facies ſecundùm verbum, quod indicabunt tibi de loco illo, quem eliget Jehovah.* Quaſi Deus ita revinxiſſet loco alicui ſuam gratiam, ut nunquam receſſurum eſſet *verbum* Dei à Synedrio & Concilio ſeniorum ac Sacerdotum congregato in loco templi, quem Deus elegiſſet. Quam opinionem nudat & traducit Jeremias cap. 7: 4. *Nolite confidere in verbis illis falſis: Templum Domini, templum Domini, templum Domini iſti.* q. d. Vana iſta præſumtio eſt, quod illi, qui vobis præeunt ad omne peccatum, & quos vos ſequimini oculis clauſis, & templi Domini inſeſſores videtis, errare non poſſint, tanquam ſi ſint ii, in quibus Deus habitet. Liquet etiam nobis hoc tempore, quàm tenaces ſint Judæi patriarum traditionum; & quantam illis tribuant auctoritatem, qui eas tradiderunt: adeò ut, etiamſi diſſentiant, tamen *verba Dei viventis* appellare eas non erubeſcant; ea nimirum de cauſa, quòd non dubitent, perpetuam eſſe cum ſucceſſione Collegii ſedentis in Cathedra Moſis traditionem veritatis, quam Moſes ex ore Dei exceperit in monte Sinai; & communes Concilii Iſraëlis congregati in loco, quem Deus elegerat, ſententias & interpretationes à Lege Dei abire non poſſe. Hinc ingentes illæ παραδόσεων & δευτερώσεων & συνταγμάτων ſtruices, quibus Judæi etiamnum inhiant. Quod oculis videmus, fidem facit ei, quod narrat Euangelica hiſtoria; Populum Iſraëliticum, Chriſto inter illum verſante, multis traditionibus patrum onuſtum fuiſſe, eas populum religioſe obſervaſſe, & per eas legem ipſam violaſſe, D. Jeſum & ſermone & opere eas oppugnaſſe; ea re odium principum irritaſſe; & tantam fuiſſe auctoritatem principum apud populum, ut Chriſtum propter eam rejecerint & interfici optaverint. Nam, quod principes ipſos attinebat, qui anteceſſores ſuos certam traditionem & ſanctam ad ſe protuliſſe ſtatuerent, & viderent, ſuas leges & majorum inſtituta à D. Jeſu corripi & non obſervari; non poterant bene in eum eſſe affecti. Longum eſſet & ſupervacuum, hæc teſtimoniis confirmare. Sunt enim vulgo nota. Sed non eſt omittenda hujus ſcandali conſideratio, quin animadvertamus, quo artificio finitimus & ſimillimus error Chriſtiani nominis maximam partem in defectionem impulerit, Antichriſto ſubjecerit, & à regno Dei ſeparaverit. Is nimirum, quo præjudicatum eſt, Concilia œcumenica, ſaltem in quibus proceres maximarum & pertinaciùs retentæ Orthodoxiæ gloria illuſtrium congregarentur Eccleſiarum, nihil contra fidem aut noxium regno Dei inſtituere aut decernere potuiſſe; Eſſe ſucceſſione Epiſcoporum probandam veritatem; & Traditiones non ſcriptas pro verbo Dei recipiendas eſſe; porrò, ut in V. T. ita in Novo eſſe principes quoſdam thronis Apoſtolicis ſedentes, interque eos caput & Epiſcopum Epiſcoporum, à quorum cœtu nihil falſi potuerit provenire; ſcilicet, quia Eccleſia non potuerit deficere. Genuinum Judæorum & Chriſti nomen profitentium ſcandalum eſt; originem trahens ex illo carnis conſilio, Videri populum Dei auctoritate hominum continendum. Quod conſilium vetuſtæ Babylonis arcanum eſt, Homines in [9] *unitate populi, ut idem loquerentur,* ſub *nomine* humano & traditionis ſinceræ cuſtode Senatu optimè poſſe copulari & compingi. Cujus arcani tradux civitati Antichriſti [10] *Babylonis* nomen potiſſimùm fecit. A quo fermento ſi immunes eſſe & verè Reformati audire volumus, opera danda eſt, ut regnet in Eccleſia ſcientia & demonſtratio Scripturarum; & omnis ἀναπόδεικτος legiſlatio procul habeatur; cum omni illa interpolatione hujus ſpiritualis nequitiæ, qua ſtatuitur, *Deum eſſe colendum κατὰ τὰ νόμιμα; Eorum, qui civitati præſunt, eſſe præſcribere religioni modum per Epiſcopos, quibus manus perpetua ſucceſſione impoſita fuerit:* & ſi quæ ſunt hujus farinæ.

[11] Non minus momentum ad ruinam fuit promiſſionum de *ſeminis* Abrahami benedictione, deque *hæreditate terræ*, & perpetua *libertate* danda uſque ad Chriſtum & *regno* per eum ſtabiliendo ad appetitum carnis flexa interpretatio: quæ tam altas in populo radices egit, ut vix à Chriſto reſurgente coërceri, & non niſi ſublato ipſo in cœlum per Spiritum effuſum in Apoſtolos ex pectoribus ipſorum potuerit eradicari.

Putabant enim, promiſſionem benedictionis totum aut ſaltem plerumque ſemen carnale Abrahami complecti. Ita legimus in Judæorum doctrinali: *Totus Iſraël particeps eſt ſeculi venturi.* Atqui verum quidem erat, Chriſtum miſſum iri ad tribus Iſraëlis recollectas, eique datum eſſe regnum in univerſas tribus; ſed, ſemen benedicendum & populum Chriſti eſſe pleroſque, non erat verum: quanquam præcepto fidei ad bona regni Chriſti percipienda vocarentur. Unde vanum erat dicere, *Semen Abrahæ ſumus*, (Matth. 3:9. Johann. 8:33.) ſi non crederent.

Putabant, illa tempeſtate libertatem ſuam politicam continuatum iri cum Chriſti dominatione. Et ſanè verum erat, promiſſam populo [12] libertatem politicam à jugo gentium poſt captivitatem Babylonicam, & eam non fuiſſe interrumpendam, niſi eo articulo, quo Chriſtus Filius Dei adveniret & *ſuis oculis videret* ſtatum illorum in ſervitutem inclinantem, & populo ſuo veram [13] libertatem à jugo peccati & maledictionis, à ſervitute elementorum mundi & principum gravantium gregem & vendentium & toto die ejulantium & nomen Dei blaſphemari facientium procuraret. De qua libertate ipſe dicit: [14] *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Et, *Venite ad me, quotquot laboratis & oneramini, & ego tranquillabo vos.* At non erat verum; libertatem ipſorum politicam in dominationem evaſuram. Multò minus verum erat, eo tempore, quo Chriſtus eos ad libertatem regni ſui vocabat, eos liberos eſſe: quemadmodum jactabant: [15] *ſemen Abrahami ſumus & nemini unquam ſervivimus*, quaſi dicerent, Nullius adhuc ſervi facti ſumus, ſtamus in libertate noſtra. Nam ſciebant, patres ſuos variis ſerviiſſe: ſed, ſe libertate frui opinabantur, quia utcunque αὐτόνομοι erant. Atqui non animadvertebant; ſe à principibus, ob vexationes regum ſuorum ejulantibus, jam eſſe venditos Romanis, quum [16] ii peterent à Cæſare, ut à præſidibus Romanis gubernarentur, & Syriæ fierent contributi: unde factum, ut Archelaus Viennam relegaretur, & Judæa in provinciæ formulam redigeretur. quo tempore fides facta eſt oraculo Eſaiæ, innuentis; [17] Damaſcum

[1] *Malach.* 2: 1. 5. 6. 7. 8. [2] *Cap.* 8: 8. 10. [3] *Eſai.* 8: 16. [4] *Malach.* 4: 5. 6. *Luc.* 1: 16. 17. [5] *V. Præſumtio de Sacerdotum & Seniorum infallibilitate.* [6] *Eſai.* 8: 19. [7] *Geneſ.* 49: 10. [8] *Jerem.* 18: 18. [9] *Geneſ.* 11: 1. 4. [10] *Apoc.* 14: 8. [11] *VI. Præſumtio carnalis de benedictione ſeminis, de libertate & regno & hæreditate terræ.* [12] *Eſ.* 52: 1. *Zachar.* 9: 8. [13] *Eſ.* 52: 5. *Zach.* 11: 5. [14] *Joh.* 8: 36. *Matth.* 11: 28. [15] *Joh.* 8: 33. [16] *Joſeph.* ἀρχ. 17: 12. 15. ἁλώσ. 2: 4. 7. [17] *Eſai.* 7: 6. 14.

mascum non fore caput Judææ donec nasceretur Christus. Non animadvertebant, jam ante semel *transiisse super illos exactorem*, quum nasceretur Christus, nimirum, quum juxta [1] edictum Augusti universa terra censeretur, antequam Cyrenius Syriæ præesset, atque ita antequam Judæa Syriæ adjungeretur: neque, legentes Scripturas, consideraverant, hoc illud tempus esse, quo Deus videretur clara voce testari, [2] *Non iterum transibit super illos exactor, quia jam vidi oculis meis.* Cujus dicti cum antecedentibus & analogia Prophetiæ ac historia comparati simplex & evidens sententia est: Eo tempore, quo primùm census & exactio tributi pervadet populum, inquit Filius Dei, ipse carne indutus inspiciam oculis meis statum Israëlis; neque hoc fiet iterum, me adventum differente. Ipse autem præsens rex me demonstrabo Sioni afferens eam in libertatem veram & justitiam, inops quidem sed salvatus, imò mortificandus carne, sed vivificandus Spiritu. Id enim verba sequentia canunt: [3] *Gaude admodum, filia Sion, jubila, filia Hierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus & salvatus. Ille inops est & equitans asinum & pullum filium asinarum.* Nempe rex Christus præsens veræ libertatis dator, & tentatus in omnibus infirmitatibus ipsorum, edulcare omnem corporalem passionem poterat, & efficere, ut in ipsa servitute non servirent, jacturis non depauperarentur, in morte non tristarentur, quum parum à pædagogia & carnali hæreditate absolutorum referret, quis status Palæstinæ & reipublicæ Judaicæ esset. Hæc ignorantes Judæi & tempus libertatis politicæ imaginantes non tantùm disputarunt, an esset dandus census Romanis (quæ fuit quæstio de libertate) sed & seditiones crebras agitarunt, denique bellum cum Romanis, quo pessumdati sunt, consciverunt.

Putabant, se omnino cum Christo terram possessuros; quia scil. promissum erat, [4] *Christum dominaturum à mari usque ad mare, & à fluvio usque ad fines terræ.* Sed fallebat eos ratio, quum prophetia illa satis impleretur partim vocatione electorum ex duodecim tribubus in omnibus locis per Apostolos, partim prædicatione Euangelii in terra sub Christianis Cæsaribus; unde ne nunc quidem penitus exulat: partim adhuc implenda restet, revocatis Judæis ad obedientiam & terra ad possessionem Ecclesiæ. Mali prophetiarum interpretes erant, qui verba distinctorum oraculorum non comparabant inter se. Quod si fecissent, vidissent, sic regnaturum Christum in tota *terra*, ut tamen [5] *terra* infidelium dari posset in anathema & vastitatem.

Vara vibiam sequitur. Dum ignorant, quomodo Christus regnet in terra, & certum interim habent, non posse fieri, ut templum secundum non visitaretur à Christo & sub illo non manifestaretur regnum ejus (quod certum erat: quanquam in hoc posteriores à sensu priorum desciverint) miseri mortales in extremos illos angores & furiosam circa templum conflictationem ruerunt. quod Josephus apertè testatur. Tanti est, habere scientiam, videre regnum Dei & ejus consortem esse, nosse tempus visitationis suæ, & officii satagere. Quo qui destituuntur, ut exemplo Judæorum patet, sæpe temerariis consiliis se in certum exitium, Ecclesiamque & rempublicam in præsentissimum conjiciunt periculum.

[6] Nam Judæi, ne in apparatu incredulitatis ipsorum id omittam, quod non minimam vim habuit ad eorum oculis adimendam lucem, in tempore visitationis suæ noscitando nullam diligentiam adhibuerunt. Sancti patres ipsorum & [7] *Prophetæ* solertissimè *scrutabantur, in quod & quale tempus Spiritus Christi, qui in ipsis erat, denotaret Christi passiones & secuturam gloriam*; ut S. Petrus de iis affirmat. quod etiam exemplo Danielis [8] *libros scrutantis* satis constat. At Servator clarissimis verbis ipsis exprobrat, quod, *quum* [9] *faciem cœli & terræ nossent explorare, illud tempus* ad suum Canonem referre & examinare atque *explorare, & signa temporum non possent dignoscere.* quod meritò *hypocrisin* vocat. Et vero liquet ex vetustis Hebræorum apophthegmatibus, eos se in temporum rationibus ponendis valde imperitè & negligenter gessisse, tandemque etiam eò erupisse insaniæ, ut exsecratione à putandis temporum rationibus deterruerint, dicentes: *Exeat anima illorum, qui terminos computant.* Atqui Deus, ut se populo & mundo ita notificaret, ut certissima fide ipsi adhærescerent, utque Servatoris adventum ardentiùs desiderarent, & inter scrutationem temporum & agnitio & fides & spes cresceret & patientia confirmaretur, denique ut ipsum Servatorem certiùs cognoscerent præsentem, omnem gubernationem suam, qua populum & mundum in varia conditione recturus erat, antequam Filium mitteret in carne; ipsumque adeò articulum temporis adventus ejus & statùm populi nascente Christo & adolescente, deinde & patiente, resurgente & Euangelium prædicante ac regnum suum erigente, futurum verbis prophetarum in omni ferè sermone, qui de Christo loquitur, distinctè præscripserat: rebusque gerendis quibusdam etiam annorum numeros addiderat, ut partim attentionem acueret, partim patientiam duraret, partim *annis* [10] *congruentibus cardinem faceret veritati.* Ita, ut exemplo utamur, ab edicto Cyri de restituenda urbe septem septimanas, h.e. 49. annos ædificationis templi assignaverat; iis tempora angustiæ quædam (qualia sub Xerxe & Artaxerxe evenerunt) apposuerat: rursus *sexaginta duas septimanas*, h.e. non minus *quadringentis triginta quatuor* annis, quibus urbs redintegrata permaneret usque ad *Christum principem, obsignationem prophetiæ, & visionis, peccati & defectionis coërcitionem, unctionem* non templi manu facti sed veri *sancti sanctorum* h.e. Ecclesiæ cœleste habentis πολίτευμα, per effusionem Spiritus, expresserat. quæ interim varietas status mundi & populi futura esset, alia parte prophetiæ explicaverat. quæ annorum series inter Darium Nothum Christique in cœlum Ascensionem, quando in throno regni consedit, ut effunderet donum Spiritus impetratum à patre, facillimo negocio invenitur; intercedente, si forte, parva angustiæ nube, ut sub Antiocho. Sed de regno Christi ita loquitur, ut ei subjungat præcedaneam excisionem ejus & dissipationem populi ejus; eique rursus connectat effectum libertatis populi Christi in ablatione jugi sacrificiorum & munerum; dicens: *Dimidia septimana faciet cessare sacrificium & munus:* quod patratum est, quando Cornelius in præputio Spiritu Dei est baptizatus. Rempublicam & urbem & pacem populorum post Christi ἐνθρονισμὸν, adhuc septem minimum, annis staturam innuit; interim templum & urbem & populum stupore & ἀναισθησίᾳ laborantem sub *ala abominationum* hoc est, non tantùm sub Cæsare, sed etiam defensoribus scelestis, futura; tandemque suo tempore per populum principis advenæ & sanctuarium & ipsam abominationum vastitatem & excidium esse passura. Hæc & similia scrutanda erant, in singulis istorum partibus animadvertenda veritas Dei, ista opera pro tubis adventum Domini ad templum suum certo ordine denunciantibus erant accipienda. Sed illi circa hæc tam socordes fuerunt, ut in spississimam cæcitatem prolapsi tempus visitationis suæ neglexerint, & ferè lege atque anathemate sibi usu omnium in universum oraculorum Dei interdixerint. Quo præjudicio ad posteros derivato, factum est, ut, si quando cogantur oracula Dei edissere, ita illa tractent, ut & gentium fidelibus (quibus debebant institutionem) magnum obicem ad simplicissimos sensus inveniendos ponant. Ita dum spinis commentorum Judaicorum Scriptura oblita est, negligitur; nisi in quantum Novi Testamenti auctoritate sensus quarundam prophetiarum defenditur. In negligentia Scripturarum hæresis & falsa traditio subrepsit: traditio imperium humanum & persecutionem & abundantiam ἀνομίας; h.e. doctrinæ legi non adstrictæ, quæ charitatis noverca est, invexit. In his omnibus irrisorum prophanitas, cum quibus in omni hominum genere conflictandum est, pullulavit. Adeò tristes sunt Judaici circa temporum signa stuporis consequentiæ!

[11] Non minor, imò multis partibus major ipsis incredulitatis commeatus fuit, quod opinati sunt, Regnum Dei venturum ἐν παρατηρήσει, h.e. in observatione & evidentia sensili. Sic dico, Quum Deus promisisset, se venturum ad ipsos & habitaturum inter ipsos, & templum Zorobabelis impleturum gloria, Sionem oculo visuram Deum suum, facie ad faciem allocuturum eos ut in deserto, & sic regnum suum inter ipsos constituturum, id acceperunt eum in modum, quemadmodum olim in deserto Deus de cœlo in nube & igne descenderat in montem Horeb, & supra tabernaculum requieverat, & castra Israëlitarum fuerat comitatus, & supra Cherubim conspectus fuerat & templum Solomonis impleverat; ita scilicet Deum etiam apparitùrum in μεγαλοπρεπεῖ δόξῃ *in magnifica gloria* ad omnium aspectum παρατηρητῶς *observabiliter*; ut *Deum* (sic loquitur [12] Cyprianus) *fateretur*, imò publicaret. Id quod etiamnum doctissimos Judæorum dementat. Atqui scire debebant, Venturum quidem omninò fuisse Deum ad ipsos & non minùs propinquum illis se exhibiturum, quàm in deserto & inter Cherubinos se exhibuerat, sed *plenum gratia & veritate*, ut redemtorem populi, non, ut par est Deum esse, in majestate, quæ omnium oculos præstringeret, sed exinanientem se, in templo carnis ex semine Abrahami & Davidis sibi aptato; & fide quidem, ipsius dicta factaque tum omnibus obvia, tum paucis testibus demonstrata secundùm Scripturas æstimante, agnitum iri, reliquis autem fore [13] scandalo.

Ex hoc fonte processit, quod, quum viderent quotidie [14] *miracula* ejus, & quidem tanta, quanta Christum facturum fuisse vix imaginatione concipere poterant, & Johannis Baptistæ testimonio cognovissent vocem Dei de illo ex cœlo lapsam; nihilominus tergiversata fuerit ipsorum incredulitas, postulans miraculum ex cœlo, tam evidens & conspicuum ad omnes, quam evidenter Moses patribus manna de cœlo dedisset. Nam, Christum

C

[1] *Luc.* 2: 1. [2] *Zach.* 9: 8. [3] *Zach.* 9: 9. [4] *Zach.* 9: 10. *Psalm.* 72: 8. [5] *Deut.* 29: 23. [6] VII. *Incuria signorum temporis.* [7] 1 *Pet.* 1: 11. [8] *Dan.* 9: 1. [9] *Luc.* 12: 56. *Matth.* 16: 3. [10] *Solinus cap.* 2. [11] VIII. *Præsumtio de aspectabilitate adventus regni Dei; & evidentia miraculorum Christi; & forma regni Dei.* [12] *De idol. vanitate.* [13] *Esai.* 8: 14. [14] *Joh.* 7: 31.

stum non minorem esse Mose, sciebant: sed, quod citra illam publicam evidentiam esset, id [1] tentandi sui gratia à Deo fieri circa seductorem instinctu dæmonis mirabilia opera pronunciantem arbitrabantur. Atqui nec ipsorum erat Deo ponere modum, & maximum quidem miraculum *τῆς ἐνσαρκώσεως* sive [2] Panis cœlestis vitam mundo dantis descensum in terram debebant fide amplecti; cui animadvertendo sufficiebat; quod viderent ipsum & loquentem & facientem ea, quæ filius, idemque *servus* Dei, *justus ille*, facere & loqui debebat. De cætero mirabilia opera, quibus excitare vellet humanam tarditatem. & populum suum consolari, ipsius dispensationi erant permittenda; locupletibus testibus evidentiorum argumentorum (qualia erant angelorum apparitiones circa nativitatem, vox audita de cœlo in baptismo, *μεταμορφώσεως* coram discipulis facta in monte sancto, & allata vox à magnifica gloria, *Hic est filius meus dilectus, Hunc audite*; resurrectio ipsius & ascensio in cœlum) horum, inquam, testibus, instructis virtute divina & signis & Scripturarum explanatione, & ab omni falsitatis suspicione liberis, non erat contradicendum; sanationum in populo factarum numerus & insignis virtus non erat deprecianda; imprimis quum impossibile esset, illo tempore Christum non sequi prodromum suum Baptistam; & seductorem implere omnes numeros operum Christi: effusionem Spiritus sancti ea, qua oportebat, religione sine calumnia & irrisione debebant notare: denique, quid Christus facturus esset, ex Scripturis observare.

Ejusdem coloris erat præjudicium de aspectabili forma regni Dei; quod planè reipublicæ Israëliticæ fingebant simile. Unde illud axioma: *Nihil interesse inter seculum istud & dies Messiæ, nisi pacem gentium.* Statum enim populi eundem exigebant. Ibi Christum regem instar Davidis; ibi sacerdotes & Levitas in Templo manu facto cultum facientes; ibi seniores dominantes populo *αὐτονόμους* religionis, juris & justitiæ. Atqui ista minimè cum *regno Dei* conveniebant. *Regnum Dei* non admittebat alium regem & Dominum, præter Deum ipsum; neque sacerdotium, nisi ejus, qui dignus esset intrare in ipsum cœlum & ad dextram majestatis considere ad intercedendum pro Ecclesia. *Regnum* enim *Dei*, quod in expectatione erat, dicebatur in oppositione regni hominum, qui tanquam [3] *socii* regni, quadam analogia, *dii* appellabantur, quos esse abolendos, & exuendos, Scriptura clarissimè pronunciabat.

[4] Quæ quum ita sint, perspicuum est, in *regno Dei* compellatum regem Christum, eundemque sacerdotem N. T. & Prophetam magnum non posse esse *alium* ab eo, qui patribus à seculo, & in monte Sinai populo & per Prophetas locutus erat; neque non *unum* cum eo, qui promiserat ipsum; h.e. filium proprium æternum, Deum, æqualem Patri & natura ac voluntate unum cum ipso & imaginem invisibilis Dei, ut in ipsius gratia gratiam Patris cerneremus. Quare & Christus hæc apertis verbis de se asseruit & talibus elogiis, quæ non nisi vero Deo convenirent, sibi vindicavit; atque adeò *verba Dei*, quæ is sibi reservaverat & olim se locuturum promiserat; locutus est: cujus *ὁμολογίας* etiam martyr factus est, blasphemus & porrò seductor ac magus à Senatu judicatus; sed cui per resuscitationem ex mortuis *Pater gloriam dedit, ut per ipsum crederemus in Deum.* Hanc Christi *δόξαν*, ut *Κυρίου τῆς δόξης*, non agnoverunt: quin putarunt, blasphemum esse filium hominis verba Dei & non ex terra loquentem.

Hinc culpæ datum, [5] quod *remitteret peccata*; quod *se æqualem Deo faceret*, dicens se *filium Dei missum ad homines è cœlo*, & *Deum Patrem proprium* innuens; quod se diceret *ante Abrahamum fuisse*; quod *se & patrem unum esse* affirmaret. Igitur interrogati, [6] *Cujus filius esset Christus*, &, si Davidis, *quomodo Davidis Dominus* esset? nihil potuerunt respondere. Igitur pro blasphemia habitum, quod putaretur dixisse, se [7] *tribus diebus templum ædificaturum, & quidem non manu factum*, h.e. verbo potentiæ suæ, ut Deus cœlum & terram condidit. Maximè verò damnatum est, quum coram Sacerdote non abnuisset, se esse Christum Filium Dei, & addidisset, [8] *visuros filium hominis sedentem ad dextram potentiæ & venientem in nubibus cœli.* Quod caput accusationis etiam Johannes diligenter annotavit: [9] *Secundum legem nostram tenetur mortis, quia se ipse fecit Filium Dei.* Non, quod nominari *Filium Dei* simpliciter blasphemum putarent, aut Christum *Filii Dei* nomenclatura insignitum nescirent; sed quod eum [10] *filium in potentia* h.e. naturalem, *proprium*, coæternum, *è cœlo missum, omnia habentem & agentem, quæ habet & agit Pater*, agnoscere nollent. Impediebat quippe [11] *Zelus Dei*; quem quum ita unum esse opinarentur, ut hic homo unus est & non alius, ut quemadmodum Dei & hominis distincta est & natura & nomen, ita Deus & Christus distinctam essentiam haberent; nollentque *Deum alium* se habere severissimè vetari: effectum est, ut, dum pro gloria Dei pugnare sibi videntur, veri & unius Dei ignari & hostes reperti sint. Debebant sanè *unum* Deum agnoscere, & ei soli servire; sed ita ut primò veram Deitatem agnoscerent, Deoque, creatori cœli & terræ, qui ipsis in Sinai locutus erat, attribuerent hoc ipsum, esse non tantùm Creatorem, sed & *Vindicem*, *Redemtorem* & *Sanctificatorem* ipsorum, & *Spiritum* Dei, per quem unum fierent cum Deo, non *afficerent dolore*: deinde, illa quæ salutis sunt, ut redemtionem, regenerationem, justificationem, glorificationem, nulli nisi Deo adscriberent, atque adeò nullam *rupem salutis*, nisi Deum, dicerent, nulli confiderent, nullum colerent, glorificarent, gratiarum actione prosequerentur, in solo Jehovah gloriarentur. Quod si facerent, agnoscerent in Deitate non tantùm vitam Patris, sed & Filii, qui mitti & dari hominibus sponsor ac frater posset (Nam redemtio nisi per legis obedientiam & passionem mortis non poterat consummari) & Spiritus sancti, vice arrhabonis à Filio acquisiti, à Patre & Filio donati, manentis in nobis. Ita simplicissimam unitatem cum veritate & gloria divinitatis in tribus testibus in cœlo testantibus cum Patribus & sanctis Prophetis glorificassent. Nunc, dum unitatem propugnant, & gloriam ac vitam perfectam Dei ignorant, partim [12] *vim suam faciunt Deum suum*, partim *gloriam Dei dant* figmento suo Christo filio hominis mero, & *dominum gloriæ* tanquam mendacem crucifigunt. De quo mysterio non licet nunc plura dicere: nisi quod vehementer culpandi sint illi, qui etiamnum putant, mysterium trium testium, in quorum nomen baptisamur, in Veteri Testamento parum cognitum fuisse, & Filium in unitate Patris absque distinctionis personalis cognitione explicita cultum & adoratum fuisse. Hi quemadmodum per posterius Sabellianismum tuentur, ut notiones Filii & Patris confundant: ita per prius efficiunt, ut in iis locis Scripturæ, in quibus distinctè de Deo Patre & Christo Filio Dei & Davidis, & Spiritu Dei loquitur, ibi *φρόνησιν δικαίων* & fides Patrum fuerit, quod postea fuit stupor & *ἀσυνεσία* Judæorum & mendacium hæreticorum, nimirum; ut ea, quæ Dei sunt, adscriberent Christo, ut *non-Jehovæ.* Ex quorum sententia etiam hoc consequitur, Judæorum incredulitatem non contra Mosen & Prophetas, sed contra Christi testimonium tantùm tendere; & eos obligatos fuisse Christo in hoc articulo credere sine demonstratione Scripturarum; & demonstrationem, quam facit Servator ex Davide filium suum Dominum suum appellante, & similes, sine Christi indicio non obligasse. Quæ non puto facilè cordatum Theologum & filium Ecclesiæ admissurum.

Enim vero ex dictis patet, quàm bene consulant regno Dei & saluti Judæorum, qui martyrium Christi & confessionem morte obsignatam de vera sua Deitate & unitate cum Patre tollunt, ut Judæos ad Turcicam fidem Christi, quæ perfidia & abnegatio est, adducant.

[13] Quibus Jehovah *factus sanctuarium* sive Filius Dei habitans in carne scandalo fuit propter unitatis retinendæ præceptum, ut nec Patrem haberent, qui Filii erant exsortes; iidem in criterio de manifestatione Christi perinde cæspitarunt. Scandalo enim ipsis fuit; quòd *scirent, unde esset.* Ex Galilæa enim & Nazaretha prodiisse noverant; ex qua parte Christus esse oriundus non poterat: quippe quem oportebat ex Bethleem esse editum: deinde tenebat apud ipsos traditio; [14] *Christus quum venerit, neminem futurum qui sciret, unde esset.* Rectè didicerant, [15] Christum oportere in Judæa & Bethleemi nasci: sed in eo hallucinabantur, quod ignorabant, Christum civitate Galilæum fore & Nazaretham patriam educationis ipsius esse. Quam patriam tam clarè à Prophetis designatam innuit [16] S. Matthæus, ac si totidem syllabis Nazarenus nominatus esset. Nam Zacharias quidem ostendit, extra Hierosolymam primo prædicaturum: Esaias verò [17] in tribu Zebulon & Naphtali, quæ Galilæa est, & ubi Nazareth sita, lucem magnam orituram præcinuit. Alterum porro dictum, *Christo adveniente neminem sciturum, unde esset*, vetustæ & sinceræ Catecheseos fragmentum fuit; & in ipsis implebatur. Nam & locum nativitatis ignorabant, & civitatem ac primæ prædicationis locum prænotatum esse, nesciebant, &, Christum ex cœlo esse minimè cognoscebant. Nam quid eo dicto aliud significari poterat, quàm, quod & supra ostendimus, Christum non ad sensus externos manifestaturum, quis sit, & unde doctrina sua sit, sed ad fidem, [18] *volentibus facere voluntatem Patris*, h.c. testimonium Mosis & Prophetarum recipientibus Item, [19] *Regnum Dei non venturum ἐν παρατηρήσει.* Item, Fore ipsum scandalo plurimis, & repudiandum à gente sua. Iccirco necesse esse, ut non secundùm [20] *ὄψιν* & apparentiam judicarent, sed ut justum judicium judicarent. At illi ad subitam *ἐπιφάνειαν μετὰ παρατηρήσεως* hanc observationem patrum traxerunt. Cui succinit ejus, qui inter Judæos Doctor nominatur, sententia, qui omnem

[1] *Deuter.* 13: 3. [2] *Johann.* 6: 32. [3] *Psalm.* 45: 8. *Psalm.* 82: 6. 7. 1 *Corinth.* 2: 6. *Coloss.* 2: 15. *Zachar.* 11: 8. [4] IX. *Error circa personam Christi, & unitatem Dei.* [5] *Matth.* 9: 3. *Luc.* 5: 21. *Johann.* 5: 18. 10: 33. 36. *Johann.* 8: 58. 59. *Johann.* 10: 30. [6] *Matth.* 22: 45. [7] *Matth. cap.* 26: 61. *Marc.* 14: 58. [8] *Matth.* 26: 64. [9] *Johann.* 19: 7. [10] *Rom.* 1: 4. [11] *Rom.* 10: 2. [12] *Hab.* 1: 11. [13] X. *Error circa apparitionem Christi & locum, unde erat proditurus.* [14] *Johann.* 7: 27. [15] *Johann.* 1: 47. 7. 42. *Johann.* 7. 41. 42. 47. [16] *Matth.* 2: 23. *Zach.* 12: 7. [17] *Esa.* 8. & 9. [18] *Johann.* 7: 17. [19] *Luc.* 17: 20. [20] *Johann.* 7: 24.

omnem heroëm bello egregium pro Christo habendum putat, licet nesciatur unde sit, donec vel ex clade appareat, eum non esse Christum, vel ex victoria gentium ejus æstimatio confirmetur.

[1] Humilitatis fuit, quod Christus nec cum tonitru & fulgure venit, ut Deus; neque ex oppido Bethleem egressus est, ut filius David; sed quod Galilæus & nominatim Nazarenus nuncupari voluit. Si humilitas scandalisavit, quî non offenderet mortis & crucifixionis inculcatio? Audi illos: [2] *Nos audivimus ex Lege, quod Christus maneat in secula: & quomodo tu dicis, oportet exaltari* sive crucifigi *filium hominis*? Zacharias dixerat, [3] *Rex tuus veniet tibi inops*, malis cumulatus & tantum non oppressus; sed Judæi id non absolutè ita prædictum autumant, sed, si indigni reperirentur Israëlitæ gloria ejus. Non affero jam Scripturas, ex quibus facilè discere poterant Christi passiones; quarum modum ignorabant vulgo, ut liquet ex eo, quod Christus discipulos redux à mortuis necesse habuit de eis informare, & Eunuchus Candaces in Esaiæ loco nitidissimo hæsitavit. Hoc saltem dicam: Tralatitiam esse apud Judæos opinionem passionum Christi. Imò & fingi ab illis duos Christos; unum, qui interimatur, alterum, qui non moriatur. Addo Apostolum Paulum, qui ait, se non dubitare, quin Agrippa rex, [4] Christum pati & primum ex mortuis lucem annunciare gentibus & populo, Mosi & Prophetis esse consentaneum, admittat. Si hæc ita sunt, quare vel Judæi de morte Christi dubitabant, vel discipuli eam abominabantur? Et hi quam spem de justitia habuerunt, si Christi mortem nesciverunt facere ad ἀπολύτρωσιν? Respondeo: Discipuli non dubitabant, se habere tum remissionem peccatorum tum donum vitæ in Christo, qui diligeret ipsos; & obedientiam ejus cum iis doloribus, quos videbant & experiebantur, satis esse ad sanctificandum Deum justificantem impios & sacrificii & ἀντιλύτρου virtutem habere, eosque dolores *mortes* à Scriptura nominari, judicabant: & communionem passionum ejus de cætero reformidabant. Quam & ex antiquis quidam ita legitur fugisse, ut Christum videre deprecatus sit; dictitans: *Neque ipse, neque dolores ejus* mihi contingant. Nihil igitur mirum, si omnia læta atque splendida Christi secundùm humanum morem & oculi aspectum intellecta cogitatione exaggeraverint & affectu robustiore amplexi sint; illa autem, in quibus horror & tristitia est, extenuaverint & aliovorsum retulerint.

[5] Quantum vero apud Judæos, in quibus verbum Dei non manebat, valuisse credendum est, quòd Christo viderunt intimos esse, qui in populo erant minimi & partim à peritia literarum & usitata Scribis tractatione legis alieni, partim etiam sordibus notabilibus & peccatis inquinati? Ideo vocant illum [6] *socium* meretricum, *publicanorum, peccatorum, & vitio dant, cum talibus cibum capere.* Sed ignorabant [7] *beneplacitum* Dei, *occultare illa sapientibus & revelare parvulis. Stulta mundi*, inquit Paulus, *elegit Deus, ut sapientes confundat; imbecilla, ut confundat robusta; ignobilia & quæ pro nihilo habentur, & quæ non sunt, ut aboleat ea, quæ sunt.* Et Servator, [8] *Veni, ut non videntes videant, & videntes cæci fiant. Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cælorum.* Quæ omnia sunt Prophetiæ consentanea. Moses ante omnes: [9] *Corruptela*, putatis, *ipsi est? Neutiquam. Filii ejus* sunt *labes ipsorum, ætatis perversæ & distortæ.* q.d. Quid arguunt Deum suum corruptelæ? Nulla ipsi corruptela inest, nulla pravitas. *Justus est sine injustitia.* Id res ipsa probat. Nam qui illorum, ipsum criminantium, labes & opprobrium sunt, indocti, viles, peccatores; ii, per illum illuminati & sanctificati, *filii ipsius, filii*, inquam, *Dei* fiunt. De iis igitur merito dicit: [10] *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, in signa & portenta in Israël. Ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam. Sapientia sapientum ejus occultabitur; & audient surdi verba libri, & cæci videbunt. Ex ore puerorum & lactentium fundasti robur.* Hoc igitur Christi semen, hæc hæreditas est, quam [11] *sibi decoram* reputat. Decori enim sunt Christo magis pauperes sitientes & esurientes justitiam; meretrices, publicani, peccatores, gentiles ab ipso sanctificati, abluti, emendati; indocti, rudes, ignari illuminati; quàm sapientes mundi ignorantes Dei sapientiam, nobiles mundi saturi bonis, justi in semet ipsis gloriantes & Deum non glorificantes. Tales verò quærere ut servaret, officium ejus fuit & veram ejus charitatem & humilitatem comprobavit.

[12] Hujus scandali, quod est in vilitate discipulorum Christi, accessio est, natum inde præjudicium de ignorantia Christi, & superbia discipulorum. Quod illam attinet, Simon, is, qui Christum convivio accepit: [13] *Si esset hic Propheta, aut in corde suo, cognosceret, quæ & qualis sit mulier, quæ ipsum tangit. Nam peccatrix est.* Revera enim Christum, magnum illum Prophetam, oportebat non ignorare, [14] quid esset in homine; quum is sit, [15] qui *odoratur timorem Domini*, tanquam sacrificium boni odoris. Unde & Judæorum sapientes inter Christi insignia posuerunt, *Odorari* h. e. statim & sine monitore nosse *improbos*. Quo signo carentem Bar Cochebam, qui visus erat aliquis esse, destituerunt scilicet. Sed Christus non defuit vel existimationi suæ vel etiam infirmitati Simonis; cujus ea benignitas erat, ut [16] linum fumigans non extingueret & cannam quassam non frangeret. Nam & ipsi Simoni ostendit, se non ignorare ratiocinationes cordis ejus, & probavit, se charitatem mulieris, cui, ut fideli, multa peccata remissa essent, pro sacrificio fragrantiæ acceptum gratumque habere & veluti odorari. Quod attinet superbiam discipulorum, præjudicabant, illos ἀχειραγωγήτους, μὴ εἰδότας τὸν νόμον, ταπεινοὺς facere superbè, quòd sibi tantum tribuerent, ut meliùs de Christo & ipsius doctrina præsumerent judicare, quàm Seniores; & sic doctores doctorum suorum fieri: quasi esset Spiritus sanctus alligatus hominum διατριβαῖς, aut Scriptura sine doctoribus illis non esset sufficiens ad simplices sapientes faciendum, aut non plura essent fidei impedimenta in παραδιατριβαῖς ἀνθρώπων, & in sapientibus & justis secundum hominem, quàm in pauperibus spiritu; denique quasi nunquam verificaretur verbum Davidis in Ecclesia: [17] *Præ magistris meis prudens evasi.*

[18] Sed jam ad Christi ἀναστροφὴν & πολιτείαν accedamus. [19] *Johannes* Christi præcursor *venerat neque edens, neque bibens.* Quidam dicebant, *eum dæmonium habere*; quidam volebant *in illius splendore exhilarari* & se jactare ipsius singulari continentia, sanctitate, modestia. Quid Christus? Edit, bibit, vestiebatur. (Nam & vestis, quum pateretur, in precio fuit) discipuli ipsius non jejunabant, erat cum eis, ut sponsus cum amicis suis in convivio; quin & missis à se omnia procurabat, ne qua re indigerent. Quid hîc Judæi? Dedignabantur habere Prophetam & Servatorem, qui esset & viveret ut alius homo, qui famem sitimque & sentiret & cibo potuque profligaret. [20] *Edonem & vini potorem nominarunt.* non cogitantes, Austeritatem & tetricitatem non convenire benignissimo Servatori; debuisse ipsum tentari etiam illa infirmitate, cui corpusculum nostrum in hac vita subjectum est, quod & ruentis stomachi fulturis & vestitu ad depellendum frigus, & cultu nonnullo ad conciliandum decus indiget; sanctificatum fuisse per illum omnium rerum, quæ propter hominem conditæ sunt, usum; omnia subjecta esse pedibus ejus, omnia in ipso (modo absit καταχρήσεως *abusus* aut servitus cupiditatum) Ecclesiæ donari; venisse ipsum [21] *ad consolandum contritos corde, ad exhilarandum lugentes, & cinerem cum ornatu, spiritum stupentem cum amictu laudis ac gloriationis commutandum*; onus Ecclesiæ & servitutem elementorum mundi per ipsum auferendum fuisse & ἀνάπαυσιν dandam laborantibus & oneratis, non verò novum onus placiti, [22] *Ne contrectes, ne attingas, ne gustes*, & formidolosæ ταπεινοφροσύνης atque ἀφειδίας τοῦ σώματος οὐκ ἐν τιμῇ τινι, cervicibus imponendum. Exhibuit Christus exemplar *viri pii*, de quo Solomoh: [23] *Benefacit animæ suæ vir pius; &, qui vexat carnem suam, immanis est.* Denique omnis ostentatio & jactatio sui in publico ab ipso debebat abesse, ut Esaias testatur: [24] *Non edet in publico vocem suam.*

[25] Hoc, de quo egi, scandalum me deducit ad ipsam animam Judaismi. Quantumvis enim Judæi in cultu requirant & *Cor*: ut quum dictitant, [26] *Misericors ille*, Deus, *cor postulat*: tamen non tam exactè atque ἀκριβῶς obedientiam cordis, quam lex requirit, definiunt, & se maximè insignes præ reliquis gentibus esse ac justos existimant obedientia ac observatione legis carnalis & δικαιωμάτων λατρείας. Adeò ut verè ipsorum gloriatio ac symbolum fidei esse comperiatur, quod Propheta Esaias ipsis attribuit: [27] *In nomine meo glorificabitur Dominus.* Partem enim gloriæ ad se pertinere putant, qui in lege volunt justificari. Iccirco non ferebant, qui diceret, Opera illius non prodesse ad justitiam, eos cum omnibus suis factis, si abesset fides in eum, quem Deus miserat, esse filios Gehennæ, [28] publicanum implorantem Dei misericordiam justificatum affirmaret præ illis, qui nec essent rapaces, mœchi, injusti, vel ut alii homines imprudentes & incauti, & bis Sabbato jejunarent, & omnia sua decimarent: tempus esse, ut Deus neque in monte Garizim neque Hierosolymis, sed *in spiritu & veritate adoraretur*, dictitaret; præterea sanaret homines in Sabbato & de industria sanatis imperaret opera, ut [29] lutum, quod ipse fecisset, eluendi, grabatum auferendi; denique discipulis spicas vellentes ante oblationem manipuli & manibus commolentes in Sabbato patrocinio

[1] XI. *Scandalum humilitatis & mortis Christi.* [2] *Johann.* 12:34. [3] *Zachar.* 9:9. [4] *Actor.* 26:23.27. [5] XII. *Scandalum vilitatis discipulorum Christi.* [6] *Matth.* 11:19. *Matth.* 9:11. [7] *Matth.* 11:25. 1. *Corinth.* 1:26. [8] *Johann.* 9:39. *Matth.* 21:31. [9] *Deut.* 32:5. [10] *Esai.* 8:18. *Esai.* 9:1. *Esai.* 29:14.15. *Psalm.* 8:3. [11] *Psalm.* 16:6. [12] XIII. *Error circa scientiam Christi & conscientiam discipulorum.* [13] *Luc.* 7:39. [14] *Johann.* 2:24.25. [15] *Esai.* 11:3. [16] *Esai.* 42:3. [17] *Psalm.* 119:99. [18] XIV. *Contentus Christi conversationis non singularis.* [19] *Matth.* 11:18. *Johann.* 5:35. [20] *Matth.* 11:19. *Matth.* 9:14.15. *Luc.* 22:35. *Matth.* 11:19. [21] *Esai.* 61:2.3. [22] *Col.* 2:21.23. [23] *Proverb.* 11:17. [24] *Esai.* 42:2. [25] XV. *Error circa justitiam, Sacerdotium, Sabbatum, circumcisionem: ignoratio justitiæ & veritatis.* [26] רחמנא ליבא בעי [27] *Esai.* 66:5. [28] *Luc.* 18:13.14. [29] *Johann.* 9:14. *Luc.* 6:1.2.3.4.5.

cinio suo tutaretur. Duo hic fœda & pestilentia tangimus ulcera. 1. Constituere justitiam propriam in factis legis; quæ est blasphemia & abnegatio sanctitatis Dei. Nam, qui legem vel interpretando evacuat, vel operando non implet, & nihilominus ex lege se justum autumat, is Deum autumat [1] *similem peccatori & abnegatorem sui.* Rursus in eo est summa & secum pugnans stultitia. Nam quomodo potest justus esse secundùm hanc sententiam, *Qui fecerit illa, vivet in eis:* si indiget remissione peccati? Nam, qui indiget peccati remissione, utique non fecit præcepta. 2. Quod partem justitiæ & conditionem remissionis peccatorum, si non causam, ponerent in circumcisione præputii carnis & observatione rituum sanctuarii. Atque illa [2] *ad tempus usque correctionis imposita* erant, figuræ & umbræ rerum futurarum, pignora promissionum, exercitia fidei, accusatio peccati necdum propitiati; onus & jugum sitim justitiæ & satietatis per Christum dandæ exstimulans. Neque erat, cur in promissione [3] de filiis Aaron & Levi perpetuo sacerdotio functuris impingerent, quum Deus verbo & facto oblationes externas abjecerit toties, negaveritque, se ex manibus sacerdotum munus accepturum, imò & offerentem munus se excisurum prædixerit, atque insuper sacerdotem in throno Dei sedentem secundùm ordinem Melchisedec (cujus sacerdotium non fuit ad jugum legis imponendum) promiserit. Terrenis igitur istiusmodi rebus justitiam affigere, quid erat, nisi justitiam Dei & redemtionem animæ per precium sanguinis agni immaculati & integri abnegare, [4] *vim suam Deum suum facere*, fatigationem & requiem sive Sabbatum Domini non distinguere; in servitute dicere, [5] *Quid est fatigatio?* &, exhibita redemtione & justitia, *sitientem addere saturatæ?* denique colere Deum ut Molochum & gesticulationibus sanguineque mutarum pecudum, quemadmodum malos genios pagani solebant, incantare & innodare? Igitur Deus passim negat se iis delectari, imò & [6] *carnes sanctas abituras* ab Israële; quinetiam, qui pecudem mactet, pro homicida, qui thure suffiat, pro idolum nominante, Deo cœlum ut solium regni tenente & domum terrenam repudiante, habitum iri declarat. Enimverò opinari, quod Deus quovis modo & cujusvis, etiam muti animalis, interventione precii, aut etiam sine precio ac sacrificio, per quod sanctificetur nomen ejus, peccata remittere & justitiam imputare possit, quomodo post Judæos delirant Sociniani, id est contradicere apertæ Scripturæ, neganti, Deum absolvere peccatorem, & Christi obedientiam ac mortem hoc fine necessariam doceuti, ut per legem legi moreremur, & per cognitionem ipsius in ipso justi reperiremur; denique Deum decuisse Servatoris consummationem per passiones & nos talem Pontificem, quandoquidem neque legem abnegare, neque sine lege creaturam ad imaginem suam factam regere aut judicare decore poterat. Nam Sabbatum Mosaicum continens condemnationem operis humani, ut peccato impurati; sanctificationem divinam ac quietem à servitute tum elementorum mundi tum peccati partim in Novo Testamento, partim in altero seculo futuram & per sacrificium dignum Deo procurandum portendens, per σαββατισμὸν, in quem Christus nos per sanctificationem sanguinis & Spiritus sui introduxit, & à quo Judæos refractarios exclusit, esse interemtum & sublatum, nulla potest dubitatione exagitari. Christus autem, cæteroquin subjectus legi & nullius peccati, quo illam violasset, reus, non tantùm verbis, sed & ipso opere ostendit, Sabbatum propter hominem factum esse, & ocium legale cedere eis operibus, quibus Deus glorificaretur & proximus calamitate atque ægritudine ad communem gratiarum actionem levaretur; sanans & à morbis liberans in Sabbato; idque de industria, ut seniores Judæorum nimia intensione rigoris conscientiam intricantes demonstraret dominari populo duriter & à charitate (quæ legis est impletio & omnis recti norma) discedere, contra expressam Dei protestationem: [7] *Pietate & benignitate se delectari & non sacrificio.* Fecit hoc Christus auctoritate Prophetæ. Sed, quod etiam lutum fecit, & grabatum tolli jussit in Sabbato, quum eis operibus demonstraretur Filius Dei, Dominus Sabbati, & in iis operibus esset sanctificatio nominis divini dantis redemtionem homini; id non magis accusari potuit, quam quod Sabbato vel Deus format hominem & cœlum terramque & omnia, quæ in eis sunt, sustentat, faciem rerum anniversariis vicibus mutat, Solem educit & condit, vel patres circumcidebant liberos, aut sacerdotes in templo victimis offerendis operabantur.

Circumcisio autem, quæ fuit signum fœderis sive sigillum justitiæ fidei, cujus hæres Abrahamus in præputio factus erat, inter reliquas promissiones obsignat promissionem seminis dandi Abrahamo ex gentibus, quod particeps esset benedictionis Abrahami, nim. sine jugo & in præputio justificandum; item promissionem regni Dei, quod servitutem excludit; item circumcisionis cordium per Spiritum filiationis ad libertatem plenæ justificationi consentaneam. Quocirca, quum circumcisio adhuc locum relinqueret legi propter peccatorum reatum & exsecrationem necdum sublatam subintroducendæ, & circumcisioni lex, legi circumcisio deinceps sit annexa; non potuit circumcisio manuaria retineri, ubi figura impletur, ubi Prophetia obsignatur, ubi benedictio Abrahæ explicatur, ubi Spiritus filiationis effunditur, ubi conscientia absolvitur, ubi regnum Dei illucet, ubi præputium eodem Spiritu in idem corpus ante aquam baptizatur, ubi principes exuuntur, libertas promulgatur, jugum frangitur, inimicitia interficitur, hæreditas mundi repræsentatur, lex expungitur & æterna justitia, legi deinceps locum faciens nullum, adducitur. Miserabilis igitur cæcitas fuit, nec Dominum Sabbati & templi & populi ac seniorum, *verba Dei loquentem*, [8] *Deum in cœtu deorum stantem & judicium exercentem* recognoscere; neque finem Sabbati, aut fœdus promissionemque circumcisione obsignatam, aut exsecrationem & justitiam, aut inimicitiam ac pacem intelligere; & in laceris fœdisque pannis tum externæ cujusdam honestatis, & abstinentiæ ac vexationis animæ, tum functionum manualium, circumcisionis, lotionum & sacrificiorum, tanquam pulcherrimo indumento justitiæ, se jactare; contra Christo succensere melius δικαίωμα ut χάρισμα Θεοῦ commendanti, meliorem pœnitentiam exigenti, & adorationem non in carne, sed in eo, quod spiritus operatur, solo; non in umbra sed in veritate gratiæ & justitiæ & lucis suo tempori vendicanti. Quum tamen & olim per Zachariam Deus, quum se dixisset reversum ad Sionem, promisissetque [9] *se habitaturum in ea, & Hierosolymam vocatum iri urbem veritatis* (quæ hactenus *vallis visionis* fuerat) & *montem Domini montem sanctitatis*, quippe Deo in Christo ipsum visitante & pedibus sanctis calcante, eadem opera inculcat diligentissimè, ut *Veritatem*, quæ umbris opponitur carnalibus, *& pacem*, qua inimicitia abolетur, *ament* & amplexentur.

[10] Percommodum est, ut hic attexamus non leve offendiculum, quod fidem Judæorum elidit; ignorantiam *Pacis.* Nam Christus promissus patribus nuncupatur *princeps pacis.* Addit Esais: [11] *paci non erit finis.* Et Haggæus: *In hoc loco dabo pacem.* Quam *pacem* ut amarent, modò audivimus per Zachariam præceptum. Psalmus etiam antea: [12] *Montes offerent pacem populo.* Illi in hisce nihil vident, nisi subjectionem gentium & pacificum Christi imperium sine armorum strepitu, gentibus ubique tranquillis. Atqui audiebant Christum dicentem: [13] *Non veni mittere pacem sed gladium.* Audiebant voces ejus, quibus urbi & genti excidium præunciabat. Quarum prædictionum veritatem etiam experiuntur. Igitur argumentabantur, Non posse eum esse principem pacis, qui bellum & excidium annunciaret & mitteret. Sed pacem Christi ignorabant; de qua is dicit: [14] *Pacem meam do vobis. non ut mundus hic dat.* Quid igitur? Ignorabant, Deum per intergerinum illum parietem legem præceptorum in placitis gentibus bellum facere, dum eas excluderet à politia Israëlis & in viis suis desereret: iisdemque Christum annunciaturum lucem & pacem per Euangelium, destructa macerie & interemta inimicitia in carne ipsius. Nam non erant Sodoma & Samaria Hierosolymæ [15] *dandæ in filias ex fœdere suo* vetusto, sed ex fœdere Novo. Illud dicit quibusdam gentibus, [16] Ne veniant in cœtum Israëlis; & gentibus non proponebatur, sed protestabatur, Israëlem esse separatum ex gentibus in populum. Novum contradicit; [17] *Ne dicat alienigena & Eunuchus, Deus me separavit à populo suo:* & ostendit Deum, [18] *respondentem non interrogantibus, inventum non quærentibus;* Legem prodeuntem ex Sion & verbum Domini (quod patres non audiverant) prodiens non ex Sinai, sed [19] ex Hierosolyma, & gentes affluentes & vias Dei discere gestientes. Ignorabant, se ipsos, quamdiu [20] *sub lege erant, esse sub ira* (*Lex* enim *iram operatur*) & *sub execratione*, & hanc execrationem aliquando in ligno expiandam & abolendam. [21] *exsecratio* erat *suspensus*; & ideo non relinquendus in patibulo sed sepeliendus: Manifesto documento, peccatores quidem omnes dum castigarentur exsecratione territari, fratrem autem primogenitum, illum justum, per serpentis in ligno suspensi typum præsignificatum, ligno affixum *in corpore suo peccatum & exsecrationem in lignum sustulisse* & in sepulcro suo condidisse nullo unquam tempore revicturam. [22] *Justificatos* igitur *fide pacem habere*, ut *gloria in spe gloriæ*, in *pressuris, in Deo* possent, ignorabant: contra [23] quum exsecrationem legis audientes & in duritie cordis, non in fide veritatis, ambulantes pacem se habere præsumerent, in iram Dei inexpiabilem inciderunt. Atqui, inquiunt, quomodo princeps pacis est Messias, si per eum ira irrogatur populo & plaga? Respondeo: Dum filiorum suorum filiarumque miseratus ægritudinem dominos carnales cum hastis & equis & curribus suis abolet, velum cerimoniarum aufert, fontem pro peccato apertum ostentat, filios carnis, hostes suos & illorum, calumniatores

viæ

1 *Psalm.* 50:21. 2. *Timoth.* 2:13. 2 *Hebr.* 9:10. *Hebr.* 8:5. 10:1. 3 *Jerem.* 33:22. 4 *Hab.* 1:11. 5 *Malach.* 1:13. *Deuter.* 29:19. *Amos.* 5:26.27. 6 *Jerem.* 11:15. *Esai.* 66:3. 7 *Hos.* 6:6. 8 *Psalm.* 82:1. 9 *Cap.* 8:3. 10 XVI. *Ignorantia pacis.* 11 *Esai.* 9:5.6. *Hagg.* 2:10. 12 *Psalm.* 72:3. 13 *Matth.* 10:34. 14 *Johann.* 14:27. 15 *Ezech.* 16:61. 16 *Deut.* 23:2.3.4. 17 *Esai.* 56:3. 18 *Esai.* *cap.* 65:1. 19 *Esai.* 2:3. 20 *Galat.* 3:10. *Rom.* 4:15. 21 *Galat.* 3:13. 22 *Rom.* 5:1.2.3.11. 23 *Deut.* 29:19.

viæ justitiæ & persecutores filiorum promissionis, sub pedes ipsorum proterit. Quid igitur, inquient, an nulla est in regno Dei pax & requies à tumultu & bellis? Respondeo. Sanè *ira Dei manifestatur in omnes veritatem detinentes per injustitiæ* obicem, juxta illud: [1] *Qui non obedierit ipsi, ego requiram ab eo*: & [2] *Dominus quæret profligare omnem gentem, quæ venerit contra Hierosolymam sanctam.* Ita [3] *dominabitur* Christus *inter hostes suos*, donec Deus *ponat eos scabellum pedum ipsius*, & *perdat* atque extirpet *omnem superstitem ex Urbe*: intellige Urbe dominatrice per propagines suas diu cum regno Christi luctante. Interim pax Christianorum manet inviolabilis, quippe quæ in pressuris vel maximè triumphat. Neque tamen desunt καιροὶ ἀναψύξεως *tempora refrigerii*. de quibus S. Petrus ad Judæos: [4] *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra: ut veniant tempora refrigerii à facie Domini, & mittat ante prædicatum vobis Jesum, Quem oportet ut cœlum teneat usque ad tempora repræsentationis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium sanctorum Prophetarum suorum à seculo.* Sunt, inquam, tempora refrigerii, tum Ecclesiæ parata; tum etiam populo Israëlitico, sub conditione fidei, oblata. Ita enim Psalmus canit: [5] *Si populus meus audiret me, Israël in viis meis ambularet; brevi inimicos ipsorum flecterem, & contra hostes eorum referrem manum meam. Osores Domini mentirentur ipsi, & foret tempus illorum in seculum: & cibaret eos de adipe tritici.* Sed Judæi per infidelitatem exciderunt hac pace, & Ecclesia in catinum probationis adducta identidem refrigerio exhilarata expectat, ut omnia tandem regna terræ fiant Dei & Christi ejus & omnes populi serviant populo Sanctorum altissimorum. Nam tentatio Christianorum nonnulla per varia temporum spiramenta quiete interpolata tandem in victoriam & regnum exitura est. Quæ omnia ordine à viris Dei descripta pios in ærumnis sustinent & hostium Christi temeritatem hactenus confuderunt & plenius aliquando confundent.

Tot tamque efficacia fuere Judæis animæ fascina, quæ ingenita pravitas bonis terrenis, splendore gloriæ inter homines, & fuco religionis irretita arripuit, subjectisque ratiociniis adversus lucem veritatis communivit, ut credere non possent, imò ut in necem Christi *odio temerario* exardescerent, neque contenti essent eum ἀλλοτριόνομον declarasse, sed, jam ablato rerum capitalium judicio, ne viveret, gentibus crucifigendum traderent, idque summa importunitate extorquerent.

Ita inscii consilium Dei expleverunt, & exemplum humanæ stultitiæ ac nequitiæ in maximis beneficiis & cumulatissima veritatis inculcatione turpiter se dantis & Deo se non subjicientis præbuerunt. Qua in re & divinum judicium animadvertimus, qui famelicos implevit bonis & saturos dimisit inanes, humanasque prærogativas, ne habeatur acceptor personarum, in Judæos congestas, omnes conspuit & proculcavit. Ita ipsi placuit. *Sile coram ipso, omnis terra.*

Quod si ex me quærat aliquis, quid sit, quod ipsos etiamnum in stupore suo sub velo detineat? de qua re longus sermo institui posset; nihil pro tempore aliud respondero; quàm *primò* Grave ipsis incumbere verbum Dei apud Mosen: [6] *Occultabo faciem meam ab ipsis; videbo, quis finis illorum.* Quia enim, [7] benedictione, quæ est in Semine Abrahami & Davidis justo, repudiatâ, exsecrationem legis elegerunt, & illa recessit ab ipsis & induerunt maledictionem tanquam talarem tunicam, & intravit in ipsos, ut aqua, & ut oleum in ossa ipsorum. *Deinde*, non parum ipsos obfirmari per eos, qui Christiani vocantur, dum neglecta Scriptura & demonstratione veritatis, inhiantes traditionibus aut Philosophiæ gentili, à veritate, quæ est in Christo, ad hæreses desciscunt. tandem in idololatriam & regnum Antichristi prolabuntur, cujus splendor & potentia & vanitas ad tempus bene longum [8] templum Domini tanquam fumus circumvallavit, ut nemo potuerit intrare, omnibus quibus non oculos aperiret Dominus, majestate bestiæ fascinatis: denique dum odiis & factionibus secundùm hominum & nomina & opiniones scinduntur. Ita per nos fratres Servatoris nostri, eheu, pereunt. Qui tamen si etiam hîc veritatem Scripturarum audire & recognoscere, & iis, quæ Deo præmonente & inter regnum suum & bestiæ discrimen ponente fiunt, attendere vellent, & non similiter atque circa signa adventus Christi etiam circa faciem regni ejus inter hostes cæcutirent, minimè in istis impegissent. Quo in statu ipsorum necesse est animadvertere singularem Dei providentiam, qui tanto eos tempore tum ab idololatria gentili, tum à seductione Antichristi (quanquam in eâ Judaismi vigeat radix) eos conservavit, sepositos ad hoc, ut in fine temporis, cui videmur approximare, in Ecclesiæ Christi sanatione & hostium destructione (impleta periodo severitatis divinæ ut olim in gentes, nunc in Judæos vicissim) quum ex omnibus suis operibus per Scripturam Christum cognoverint, toti mundo ad idola & errores suos abjiciendum fiant duces. Ad quod nos demonstratione pietatis in verbis & factis conniti, etiamsi fructum non è vestigio videamus, debitæ ipsis & omnibus errantibus erit charitatis, &, ne pro tot animabus respondere cogamur, omnino necessarium. Sed, ne multa, stadium videmus, ad quod vocamur; laborem, qui imponitur; curriculi regulam habemus, dummodo ejus non simus incuriosi & inobedientes, negligentiæ filiam inobedientiam, hujus stipendium exitium & rejectionem in typo videmus, à carceribus progressi sumus per Dei gratiam, & ad coronæ spem, si retineamus, quod tenemus, erigimur; brabeuten Deum Patrem judicem ἀπροσωπόληπτον, Christumque fratrem, qui compassus est nobis, cernimus; exempla finis fidei non obscura sunt; restat, pio zelo & cum proposito faciendi voluntatem patris D. nostri Jesu Christi in inquisitionem veritatis omnis incumbamus. Quod quia supra vires nostras est, qui caro sumus & lucem fugimus natura, Te, ô Pater luminum, ex pectore adoro, aufer omnem nebulam ab oculis nostris, ut videamus mirabilia legis tuæ; pone timorem tui in cordibus nostris, ut te solum magistrum audiamus, adde virtutem ex alto animis nostris, ut torporem carnis potentia & promtitudine spiritus superemus; coagmenta animos nostros vinculo pacis; fac videamus ædificari muros Hierosolymæ dudum ab hostibus laceratos & ventis humanorum affectuum & consiliorum indignis modis conturbatæ. Miserere eorum, quos in torculari fluminibus sanguinis manante calcas; &, ut tandem diem exoptatum ex hisce tenebris & vertigine videamus, pœnitudine servorum tuorum tactus, indulge: ac sanctifica nos, ut solvamus juvencos labia nostra, & æternum accinamus, cum Sanctis tuis, Hallelu-Jah, Amen!

D I X I.

[1] *Deut.* 18: 19. [2] *Zachar.* 12: 9. [3] *Psalm.* 110: 1. 2. *Numer.* 24: 19. [4] *Actor.* 3: 19. [5] *Psalm.* 81: 14: 15. 16. [6] *Deuter.* 32: 20. [7] *Psalm.* 109: 17. 18. [8] *Apocal.* 15: 8.

PANEGYRICUS DE REGNO DEI, HABITUS

Die 8. *Febr.* 1660. *Quum Recturam deponeret.*

CELSISSIME PRINCEPS, NOBILISSIMI CURATORES, AMPLISSIMI FLORENTISSIMÆ HUJUS CIVITATIS CONSULES, SENATORES, QUIQUE IIS A CONSILIIS ET SECRETIS ESTIS, REVERENDI, CLARISSIMI PROFESSORES, COLLEGÆ HONORANDI, VERBI DIVINI PRÆCONES VENERANDI, VIRI GENERE ET ERUDITIONE NOBILES, DOCTORES, MAGISTRI; OMNESQUE PRÆCLARIS ORNAMENTIS FULGENTES: TUQUE GENEROSA JUVENTUTIS CORONA.

IPse me hic dies, quo mihi dicendum est, de qua re dicam, monet. Dies hic est, quo lux ex tenebris, vita ex morte, salus ex damnatione, Sol justitiæ ex inferioribus terræ, Dominus ex carcere ad regnum occupandum prodiit, & primogenitus hæres omnium in habitabilem secundò intravit. Dies hic, cœlum & terra & omnia nova ut essent, fecit. Dies hic terrorem, angustiam, laborem & ærumnam sustulit; lætitiam, pacem, libertatem adduxit. Hujus diei donum est, ut vita nostra sit Sabbatum & requies, ut civitas nostra sit cœlum, ut, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, unum sint. Jure & merito hunc diem Ecclesia in dierum septenario ad lætitiam sumsit, ut commemoraret novæ creationis initium, qui & in eodem ordine vetustæ formationis tenet primordium: ut, à quo die lux & lætitia in totum mundum diffusa est, is præcipuè non carnali vitulatione, non lascivia, non nugis & ineptiis, non tristibus curis & manuum labore in sudore vultus, quem corpusculi hujus necessitas extorquet, sed rerum sublimium cogitatione, sed confessione & gratiarum actione, sed annunciatione virtutum Dei nostri, sed fratrum congratulatione, inter recreationem corporis transigeretur. Ex quo fit, ut, quemadmodum olim Sabbati reditu cœlestis cibi in deserto Israëli per quadraginta annos dati, & mundi primitus septem diebus constituti memoria conservata est; ita Dominicæ reversione exortæ justitiæ recordatio deinceps expungi non possit. Is omnium fidelium consensus est, cui accedit, quisquis ad fidem accedit: id in votis fidelium continetur: &, qui hoc die facti sumus liberi, hoc die liberali gaudio coram Deo nostro ovamus: non magis exempli veterum reverentia, quàm ingenuæ dilectionis, quæ semper non quid liceat, sed, quid expediat, curat, hilaritate incitati: ut pro libertate, quæ nobis tanquam filiis donata est, enixiore studio agamus gratias, quàm, qui à servis non differebant, facere potuerunt; quum impossibile sit dilectionem filiorum vinci à servorum anxietate. Imperat igitur mihi hic dies, ut Academicis valedicens fascibus, & jam liber à molesto satis onere, id, quod omnes, una cum omnibus canam canticum novum canticum regni, fruiturus, ut spero, imposterum regia libertate, quum deposuero pædagogicam servitutem. Dicamus igitur sanè Regno & quidem Domini: cujus servi verè sunt liberi & reges. Regnum id est Dei, quod Prophetæ in Spiritu prævidentes sæpe exclamant, *Dominus rex factus est, Dominus regnum capessivit.* Quod ipsis videre non licuit, ad id spiritus eorum exultavit; id videre gestivit; in id se superextendit; id fide præcepit, tanquam sensu. Nemo requirat imposterum, an Deus sit in mundo, quum Deus regnet in mundo. Nemo est, qui in palatio, in curia, in throno, in cœtu principum nesciat esse regem: nemo, qui apud gregem nesciat esse pastorem: nemo, qui in exercitu nesciat esse imperatorem: nemo, qui in familia nesciat esse patrem aut matrem familias: nemo, qui in civitate nesciat esse magistratum. Brutus igitur est, qui in regno Dei non agnoscit Deum. Aspice illud sublime candens, & in eo Solem & Lunam & innumerabiles stellas, quæ certa lege tota acie in conspectum prodeunt tot jam seculis, ita ut earum ordo ne ad pili quidem latitudinem à regulis suis discedat. Considera diei & noctis vicissitudinem: contemplare terram supra mare & fluvios fundatam, matrem plantarum, nutricem animantium, hominum palæstram & scenam; observa maris elationes in gyrum actas; nota ventorum, fulgurum, fulminum, pluviæ, roris, pruinæ, nivis, grandinis, caloris & frigoris officia: & nega, æternam sapientiam & potentiam, quæ illa non ex apparentibus fecerit apparere; nega, cœlum Dei thronum esse & terram scabellum pedum ejus, eumque luce & caligine indutum in hoc theatro præsidere, eum vehi alis venti, eum potenti manu omnibus modum, ordinem, viam dare. Nulla est gens tam barbara, earum etiam, quibus Deus nihil nisi hoc mirabile spectaculum impertivit, apud quam non certum sit, numinis esse plena omnia, iis, qui se non omni humanitate exuerunt. Est in ore omnium Dei nomen, non ullius astu & calliditate confictum, non lege & imperio adstructum, non ex composito receptum, sed tanquam animi & conscientiæ germen depromtum: &, quantumvis hominum differant linguæ, una apud omnes notio est ejus, quod optimum est & maximum, quod à se est, & non esse non potest. quod qui esse negat, negat, etiam fieri posse, ut sit; quia omnibus notum est, id, quod optimum est, à nullo posse creari & formari. Quod autem non est, & formari non potest, id esse, impossibile est. adeò, qui Deum esse negat, negat, id, quod optimum æternumque est, esse posse. Ita ut possibile sit, hominem, qui vel non est optimus, vel etiam malus est, esse; & aliquid, quod non est optimum, à se esse; (necesse est enim aliquid à se esse, quum quædam manifestum sit, esse non à se) optimum vero, quod à se sit, esse impossibile sit. Qua cogitatione nihil absurdius est. quæ & in hominem, nisi phreneticum, cadere non potest. Ita Deus non tantùm in illo stupendo mundi theatro se omnium factorum, concinnatorem, conservatorem, moderatoremque demonstrat; sed etiam intra hominem, in ipsius animo & conscientia, se manifestum facit; ut nullus sit, qui, quantumvis velit, Deum ignorare possit. Habet enim homo aliquid intra se, quo bestias præcellit, quo quidque, quod sensibus objicitur, examinat, quale id sit, unde sit, quam naturam, bonitatem, utilitatem habeat, quem propter finem sit: quo se ipsum considerat, quæritque quid ipse sit, propter quid sit, quid sui simile sit, quid se deceat, quid sibi utile atque conveniens sit, quid agat, quid patiatur; quo præteritorum recordatur, futura prævidet; quo justum ab injusto distinguit, & causam rationemque justi requirit, agnoscit, profert; quo decernit; ratiocinatur; quo ad sapientiam fertur; quo prudenter regit suas actiones; quo artes excogitat, discit, exercet; quo de se & de aliis judicat; denique quo & νοεῖ, ut significanti vocabulo dicunt Græci, & θέλει, intelligit & vult. Quæ hominis pars est *lucerna Dei pervestigans omnia intima ventris*, ut Sapiens loquitur.

loquitur. Quæ res est fons sermonis: qui ad hoc comparatus est, ut homines inter se suas cogitationes communicare, veritatem, sapientiam, prudentiam, gloriam creatoris auribus attentis & omnia non minus, quam palato cibus exploratur, examinantibus instillare; atque ita veri & cognitionem & amorem animo proximi inserere possint. Quibus dotibus homo longè præstat omnibus, quæ non tantùm essentiam, sed & motum, sed & qualemcumque vitam habere cognoscuntur. Quum igitur in nobis rem tam excellentem, quam Græci Νοῦν, nos *Mentem* appellamus, deprehendamus, linguamque & oculos & aures & manus, &, si quæ sunt alia corporis nostri membra, non nutritioni & vitæ propriè destinata, ad hoc esse apta & conformata animadvertamus, ut Menti inserviant, nobisque clarum & evidens sit, quod non ultrò & deliberato consilio in hoc corpus, quod gestamus, habitatum concesserimus; neque id nobis fabricaverimus aut subjecerimus; neque etiam ipsi sciamus, quomodo membra nobis subjecta moveantur ad voluntatem nostram; neque, antequam in corpore hospitaremur, ullibi fuerimus; neque parentum nostrorum consilio & potestate hoc simus, quod sumus; neque nosmet ipsos conservemus & sustentemus: fateri cogimur, nos ita factos esse; ideoque nos ejus esse, qui nos fecit. Huc quum venerimus, inveniemus, quæ sedes regni Dei propriè sit: & an id in ea sit. Propriè enim sedes regni Dei est mens nostra. Hoc est regis palatium. Cætera omnia, quæ in mundo novimus, parent, sed non consilio & voluntate parent. Non hoc propriè regnum est. Regnum est, ubi est obedientia amoris. Quæ in mundo visibili extra hominem sunt, Deum nec cognoscunt nec amant: famulantur tamen Deo, quia à Deo vel ad gratiam vel ad judicium adhibentur, velut organa. Ita venti faciunt voluntatem Dei: ita nix, grando, fulgura faciunt; ad quod mittuntur. Homo solus ad hoc aptus natus est, ut cognoscat & amet factorem. Neque fas est cogitare, noluisse Deum ibi regnare, ubi propriè regnare potest: hoc est, noluisse cognosci & amari ab eo, à quo cognosci & amari potest. Nam, id noluisse Deum, impossibile est. Noluisset enim esse dominus operis sui & finis: atque ita noluisset verum esse, quod erat verissimum, quodque falsum esse non poterat. Quare, quum in mente hominis atque animo regnum Dei inveniri oporteat, si porrò, quemadmodum convenit, animus se ipsum introspiciat, non inveniet in se, quod in ipso esse debebat; nempe regnum Dei. Quanta istic ignorantiæ caligo! Ignorantiæ autem, non dico rerum utilium, sed ipsius boni, ipsius finis, ipsius factoris, ipsius Dei. Quanta ibi stultitia, quantus stupor, &, ne sibi placeat, quanta in omnibus rebus hallucinatio! Quanta homini cum homine de veritate, de justitia, de officio lis & contentio! Ita omnes ἐματαιώθησαν & evanuerunt suis cogitationibus; neque vel Deum gloria digna affecerunt, vel gratiarum actione beneficia ipsius prosequuti sunt. Atque, etiamsi Deus indulserit homini ingenium & solertiam, eam omnem in requirendis & comparandis iis rebus consumserunt, quarum fructus & usus in terra clauditur: neque per ullam sapientiam & prudentiam ad cognoscendum Deum & eum amandum & ad regnum ipsius in se habendum profecerunt. Imò omne ingenium eo verterunt, ut veritatem Dei & justitiam ipsius sepelirent. Qui, quum se nudos & vacuos omni luce agnoscere debuissent, eò audaciæ provecti sunt, ut, religione insipienter condenda, se sapienter agere & Deo consilium & legem, ex qua justos & pios ipsos censeret, dare opinarentur. Quo sui & suæ sapientiæ amore fascinati inepti & inidonei facti sunt, ut quicquam veri & boni probare & cum lubentia recipere potuerint. Nam, quum ipsorum cogitationes ac viæ essent malis cupiditatibus ipsorum consentaneæ, non potuerunt cum vera sapientia congruere: neque potuerunt eam non aversari, odisse, deridere, insectari. Nam, in quo animo regnum Dei non est, in eo cum Dei ignoratione etiam neglectum ac contemtum; imò odium ejus stabulari necesse est. Quæ causa est, ut ab homine non possit exspectari, ut vel ad opera Dei vel ad verba attendat, ut ex iis verum ipsius divinitatem & virtutes cognoscat, & regnum Dei quærat. Inde fit, ut, quum se accingunt homines perspicacissimi ad vestigandum naturam animi sui, tum, quasi in tenebras & immensum ignorantiæ barathrum delati, absistant, & vix recognoscant, an ea natura & propria conditio mentis sit, ut quicquam norit, præter id, quod sensus, à rebus externis titillati aut fodicati, ad eam quomodocunque transmiserint. In quibus contingit hominem, regno Dei destitutum, prava cupiditate sive appetitus sive fugæ corrumpi. Quibus iisdem in rebus ita versari bestias videmus, ut nihil agant præter naturam. Solus homo in iis cæcutit, fallitur, perplexatur, labitur; amans tanquam fruenda & immodicè abutens iis, quæ cum gratiarum actione & non sine æstimatione bonitatis ejus, qui ea fecit & utenda dedit, neque sine trepidatione ac sollicitudine, ne forte rebus optimi Creatoris abutamur, fuerant accipienda. Quo rerum Dei abusu & homo infra bestias se projicit, & se raptorem non filium Dei declarat. Ita dominus membrorum animus noscitur eorum servus. Inde in membris fœditas, opprobrium & pudor animadvertitur. Animus, quum se talem inspexerit, &, quæ extra se sunt, circumspexerit, quid, nisi tellurem matrem patulo ore corpori, quod genuerat, inhiantem; molesteque interim & maligne id alentem; & tantùm non cum fructu suo & hospite homine, tanquam ignoto & indigno inquilino, rixantem; homines fratres linguis, moribus, sensibus, animis diversos, sibique invicem imminentes; & quamvis necessitate per familias ac civitates conjunctos, non à bestiis tutos, non à manu immaniorum bestiis fratrum. Ibi labor, ibi sudor, ibi egestas & nuditas, ibi morbus, ibi dolor, ibi metus, & terror, ibi injuriæ & fraudes, ibi leges, ibi gladius, ibi tribunalia coërcendis sceleribus comparata sæpe injuriis per juris formulam & speciem opitulantia. Denique omnia maxima Dei opera ministerio non tantum mortis sed & vanitatis ac peccati mancipata. Quis credat Deum hoc tam pulchrum & tantis bonis instructum domicilium in gratiam hominis stulti, ingrati & mali condidisse? & non potiùs convenire, ut potentissimus conditor in mente hominis regnet, menti membra decorè obsecundent, omnia, quibus homo uti potest, illi, ut imagini Creatoris, gratabunda respondeant, & non invita abblandiantur? Qui nunc, postquam editus in lucem est, post vagitus & maternum lac, se ignarum omnis boni, ineptum ac stultum, & Domini ac regis sui, cujus vocem in conscientiæ audit secreto, osorem atque inimicum ostendit, nullam unquam sanctam piamque cogitationem ex se suscipiens. Ita ut Universi domino, postquam peccatum & rebellio & mors in mundum ingressa sunt, nihil reliquum fuerit, nisi per longanimitatem malos tolerare, eosque ad amandum se omnibus modis sollicitare; cæterum per misericordiam ac mansuetudinem novum sibi regnum condere, ne frustra hominum genus formasse & ex uno sanguine in omnes terras diffudisse videri possit: sed ita per sapientiam fundasse terram & eam habitatoribus exornasse cognoscatur, ut qui se oblectare in homine & in eo pulcher, potens, dives, bonus, gloriosus & admirabilis decreverit apparere. Quemadmodum Universi origo est Nihilum, ita Regni hujus Novi origo est Injustitia, Damnatio, Mors. Quemadmodum primi operis colophon erat imago Dei posita in homine; per quam Creatura Conditori per amorem veri & boni subjiciebatur: ita Regnum hoc Dei restitutum per imaginem Assertoris reparatam & omnibus numeris completam consummatur. Quæ est in puritate sincera, in vita sempiterna, in lætitia incontaminabili, in unitate creatoris indissecabili. Quare hoc novum regnum magis est contrarium suis initiis, quàm primum. Illius enim initia sunt non esse: hujus, esse non posse. Potest enim id existere atque oriri, Deo vocante, quod non est: sed ad vitam pervenire, quod injustum damnatumque est, & æternæ morti implicatum; cùm Dei natura & virtutibus pugnat. Neque enim vita absque justitia est. At, ubi injustitia, ibi justitia non est; imò ibi damnatio & mors est. Quem verò Deus justè ad mortem damnat, eum non potest justè vivificare. Quare nec in eo regnare potest. Extat Lex, quæ, quum peccatorem damnet, non potest damnare accusans peccatum. Extat caro, sive natura Spiritu rectore orbata, quæ non potest subjici legi: extat sensus & factio carnis, quæ est inimicitia erga Deum. Nam odit necessariò eum, quem sibi cognoscit contrarium, quemque & amabilem peccatori cognoscere non potest, aut, ubi peccatori animadvertit lenem & clementem, etiam reputat similem. Ita, ut Regnum Dei novum exoriretur, impossibilia necesse erat fieri; nempe ut Lex, quæ peccatum accusans damnare non potuerat, id damnaret; ut Caro sentiret ea, quæ sunt Dei, ut Injustus justus pronunciaretur à justo, qui mentiri, seque ipse abnegare & peccatori similis esse non potest. Nemo regnum Dei habet, nemo id cognoscit aut videt, qui id non ab impossibilibus proficisci persuasus sit. Procul abest à cognitione Dei & amore, qui putat, vitam absque justitia dari; aut carnem putat posse facere, quod pro justitia à Deo honoretur: aut hominem non esse injustitia obrutum; aut injustitiam posse esse absque damnatione, aut ex damnatione non sequi mortem. Neque ullus hanc impossibilitatem salutis videt, nisi qui regnum Dei videt, idque in se exoriri persentiscit. Simul cognoscuntur &, quod impossibile est omni creaturæ, &, quod solus Deus potest & solus facit. Non nisi per lucem regni tenebræ carceris absterguntur; non nisi per amorem Dei nostri expectoramus odium Creatoris. Quum intelligimus, eum potuisse facere, quæ omni naturæ impossibilia erant, ut ipsum glorificemus; & ea fecisse, & nobis indicasse recognoscimus, atque ita in mentibus & animis nostris amorem ipsius effusum sentimus, ut eum lætitia ipsi gratias agamus. Accedo jam ad id, quod nulla mortalium sapientia unquam attigit, quod in nullius cogitationem venit. Quo ignorato, totus mundus falsam religionem & spuriam justitiam cum Dei ignominia amplexatus desipuit, & à regno Dei, hoc est, ab amore Dei & bonæ conscientiæ lætitia aberravit: ut demersus in errorem & rerum cupiditatem præsentium de futuris desperaret, partimque libidine & luxu se ad vivendi fastidium compellerent, partim

animi

animi duritie aut stupore, vel etiam sui admiratione fallacibusque ac ambiguis de futuro hariolationibus vanitatem suam solari & conscientiæ terriculamenta elevare studerent. Hoc, inquam, quod homo ignorabat, solus Deus noverat, quia in Deo, quem nemo videt, erat. nempe *τὸ σωτήριον θεοῦ*, quod *Salutare Dei* potiùs diceremus phrasi Latinis nota, quàm cum Cicerone quæremus eloqui, quod Cicero nescivit. Ita Scriptura appellat eum, qui à Deo factus est nobis & redemtio, & sanctificatio, & justitia, & sapientia. Redemtio, ut damnationis fulmen evaderemus, factus ipse peccatum & exsecratio pro nobis. Sanctificatio, ut per Spiritum gratiæ Deo uniremur, emti precio hæreditas & peculium Dei: Justitia, ut in ipso vitæ æternæ causam perfectumque jus eam petendi, cum ipso unum facti, possideremus: *Sapientia*, ut in ipso, tanquam imagine viva, Deum & omnes ejus virtutes contemplaremur; in eo, tanquam in via, ad gloriam procederemus; omnem veritatem in ipso cognitam adamaremus; & ab ipso disceremus, atque ita sapientes ac prudentes in Domino evaderemus. Quæ qui habet, in eo regnum Dei esse, certum est. Est enim immaculatus, sanctus, justus, sapiens. quæ sapientia in cognitione boni, finis scilicet ac metæ, & viæ, quæ ad metam certò ducit; tum in cogniti amore & prosecutione; tum in notitia status felicis consistit. ideoque spem vivam cum immarcescibili lætitia conciliat. Sapiens enim iter ad verum scopum tenet, & novit, quo vadat, &, quia justus est ac peculium Dei est, novit, se eo, quo vadit, perventurum, ad hoc semper intentus, ut sigillum justitiæ integrum & purum nunquam non habeat in conspectu. Quæ intentio animi *timor Dei* in Scripturis appellari solet. qui salutis & justitiæ & sapientiæ arca est. quem Sapiens non minùs caute custodit, quàm avarus arcam obsidet, cui Deum suum Mammonam inclusit. Sed is, quem *Salutare Dei* appellari diximus, in quo nobis hæc omnia sita sunt; non potuit esse *non-Deus*. Ei enim convenit gloria, ei gratiarum actio, ei fides, ei amor. Is Dominus & Rex noster est. De eo debuit posse dici, *Ecce Deus vester*. Ejus fuit Spiritum sanctum dare, & per eum redemtos suos sibi unire, eosque conservare & vivificare ultimo die. Non potuit idem esse *non homo*. Non enim potuit Deus fieri Deus noster, nisi & fieret justitia nostra. A justitia Dei omnis spes nostra pendet: in justitia fundatur thronus regni. Nec *justitia* exoriri potuit, nisi *judicio* condemnaretur peccatum. Utrumque per Legis sententiam ut fieret necesse erat. Lex enim damnat, absolvit, & præmii justum petitorem pronunciat. Igitur, qui *justitia nostra* est, eum necesse est hominem esse & fratrem, ut esset sub Lege, & quidem dilectionis fratrum. Est igitur *Salutare Dei* & *germen ex alto* & *fructus terræ*; Dominus & Servus; Filius hominis & Dei. Quæ res est admirabilis admodum & revera est id, quo Deus gloriatur supra omnem creaturam & omnes deos. Deum condidisse omnia, omniaque servare, & mundum judicare, bonisque benefacere & malos persequi, facile cognitu est. Id & gentes Deo assignarunt. Id gentium dii vel sibi arrogarunt, vel patri suo Jovi; quem mentiti sunt. Nullus in omnibus nominibus aut numinibus inventus est, qui se justitiam peccatoris futurum promitteret & re ipsa præstaret, & à quo verbum salutis, pacis, justitiæ, prodierit. Tametsi autem res hæc sit summè admirabilis, & multis accidat incredibilis: tamen ea hujus rei natura est, ut, si ea res facta narretur, id verbum mereatur haberi verè divinum & supra omnia, quæ dici aut cogitari possunt, dignum fide. Nam, quis dicet, vel ab humanis figmentis vel ab impuri spiritus fraudibus prodiisse verbum, in quo proponitur & explicatur id, quod solum potest hominem à peccato reum, aversum, hostem, pravisque studiis & libidinibus deditum, ad amorem sincerum creatoris sui revocare, ut ei gratias agat, & gratias agendo ei nihil laudis, virtutis, veritatis detrahat, sed cum solida & plena gloria afficiat? quo verbo id narratur Deus fecisse, quod eum maximè decet? quod nisi fecerit, dicendum est, Deum nec sapienter fecisse hominem, nec decorè tolerare & beneficiis cumulare; imò eum peccatori similem esse & ex eo voluptatem capere? Ea est omnium religionum cum honore & nomine Dei conflictatio: sola Christianorum sapientia, quæ Salutare Dei & in eo justitiam Dei docet, nomini Dei & divinitati ipsius, quæ conscientiæ manifesta est, congruit & consentit. Liceat hîc compellare aliquem de omni gente, qui Christi nomen non recepit, vel Judæum, vel hæreticum de Dei in carne apparitione dubitantes, ejusque fidem subsannantes. Quid tu, pagane, censesne indignum Deo sibi aptare membra qualia nos habemus, & animum similem nostri, sed purum: quem vides induisse lucem & tenebras? à nobis audiri, quibus dedit aures? à nobis videri, quibus dedit oculos? & à nobis cognosci eo modo, quo homo cognoscere aptus natusque est; quandoquidem etiam amor alterius hominis & voluntas à nobis per oculos aures que cognosci potest? Quid tu, Judæe, censesne indignum Deo venire ad nos & habitare in nobis, qui in nube, in igne tuos patres allocutus & ab eis visus est? qui voluit habitare in templo, in caligine, supra propitiatorium inter Cherubinos? qui in specie hominis visus est & oculis corporeis in monte à Senioribus populi, & in visionibus Spiritus à Prophetis? Quid tu, Photine, censesne impossibile Deo, ut, qui tibi fecit linguam, & oculum & mentem, & omnia membra; qui sibi fecit vocem in Sinai monte; omnia, quæ & tu habes, faciat sibi? & inde hoc nominetur, quod & tu nominaris, Homo? Potest animus, potest angelus habitare in corpore, & non potest Deus? Qui toties promisit & prænunciavit, se visitaturum esse populum suum, se ad eum venturum, se in medio ejus staturum ambulaturumque, se coram facie ad faciem cum eo disceptaturum; si id narretur & ab infinitis testibus narretur ita fecisse, ut ea ipsa promissionis verba portendunt, ut omnes figuræ adumbrant, ut omnia ænigmata significant, ut veræ sapientiæ ratio & gloria Dei postulat, non habebitur verus?

Quandoquidem igitur est Regnum Dei, idque in homine est, & quidem peccatore, ideoque non est citra Salutare Dei h. e. citra Filium Dei: noscamus regem in regno Dei *Filium*, *qui datus est; puerum*, *qui natus est nobis*, & in eo Patrem; & utrumque in nobis regnantem, nosque sibi copulantem per Spiritum suum, eumque nobis datum est *Arrhabonem acquisitionis & Paracletum intercessionis*, quæ non potest non exaudiri.

Est autem in homine peccatore regnum Dei per fidem in eum, qui dixit, *Noli metuere, ego clypeus tuus, merces tua magna admodum*: &, *Respicite ad me & salvi estote, omnes fines terræ*; &, *In Jehovah justi erunt & gloriabuntur omne semen Israëlis*. Quomodo enim accedet ad Deum, qui hoc non credit? Et quid priùs offeret Deo, quàm ut eum credat vera & salutaria loqui: eisque dictis assentiatur, non quia impunitatem promittunt, sed, quia mercedem magnam ostendunt, qua nihil majus est, Deum ipsum: & gloriam det Deo non tantùm veracitatis & bonitatis & potentiæ sed & justitiæ & sanctitatis: itaque incipiat oblectari in Deo sancto, osore ac vindice peccati & impuritatis, teste & laudatore & auctore & exemplari omnis veritatis, justitiæ ac virtutis. Hoc est illud *munus purum*, quod Deus sibi in omnibus gentibus offerendum gloriatur contra Israëlem cæcas, mutas, surdas, mancas, hoc est, non rationales victimas sibi cædentem; eaque re nomen suum profanantem. Hæc fides est id, quo nos sibi despondet Deus. Per hanc enim ipsum accipimus habitantem & viventem in nobis, & hæc est arra, qua nos sibi obsignat & se nobis. Nam & eam non ex nobis habemus: ne quis in iis, in quibus regnum Dei est, aliquid esse putet, præter carnem & veterem hominem, quod non sit Dei & à Deo. Fides nostra fructus est justitiæ Christi & opus Spiritus ipsius. Per quem simus unum corpus cum capite & omnibus membris, non aliter atque unius corporis membra per unam animam convinciuntur: ut, quemadmodum sanguis idem totum corpus perambulat, ita Spiritus idem in Rege & omni ipsius populo sit per omnes quasi perfusus. Quam ob rem Scriptura non dicit *in unum corpus uno Spiritu baptizari*. Neque enim ita Dei regnum in singulis est, ut ad singulos non pertineat regnum Dei, quod in aliis est. Est coaptatio, est coagmentatio, sunt juncturæ & commissuræ; est commeatus donorum, communio amoris, participatio lætitiæ, consensio desideriorum; denique nullus in hoc regno ita suus est, ut non sit alterius, & pronitate affectus omnium; nullus ita ab aliis separatus, ut non alii, imò omnes, sint vicissim ipsius. Et, qui est Deus pacis, ita inter se jungit membra, ut sibi invicem prodesse cupiant, sibi invicem gratulentur, inter se gaudeant, doloribus communicent, peccatis communibus indolescant, onera alter alterius ferant, infirmitatibus succurrant, delictis ignoscant. Quod quum faciunt, conservos, cives, fratres agnoscunt, seminis divini generationem admirantur, vitam Dei in miseris peccatoribus animadvertunt, regem Christum in membris ejus excipiunt, &, quemadmodum amici in conviviis mutuo affectu deliciantur, ita fideles membra Christi inter se verbis factisque sua dona communia facientes sibique invicem charitatem & lætitiam de salute significantes, amorem Dei, qui in ipsis omnia est, quasi epulantur: voluptatem illam plenissimam, qua, quum Dominus ipse apparebit, non modò mentes ipsorum, sed & oculi & aures implebuntur, prægustantes. Quippe qui sciant, non tantum sibi datum esse membra Christi videre per corpus, sed etiam ipsum caput, ipsum regem & Deum suum.

Quanquam igitur Regnum Dei sit internum, & non, ut regna mundi, externa pompa & claritate innotescat; sed, qui id intra se habet, id solus norit, quatenus & Regem novit, & amorem ejus æternum, quo ad eum redamandum inflammatur, in se sentit, & signaculum hæreditatis in se videt; cujus rei nullum conscium, nullum arbitrum habet: nihilominus non latet, non occultatur id regnum. Auditur palam verbum Regis; lingua eorum, qui ei credunt eumque amant, narrat laudes ejus; eorum vita mutata eos mutatos testatur. Inde, qui mendacium & vanitatem amant, ad iram concitantur; qui vocem Pastoris animarum cognoscunt, & veritatem diligunt, cum iis, qui veritatem diligunt

ligunt & faciunt, conglutinantur. Quam discessionem diversæ armaturæ compugnatio sequitur; in compugnatione partim patientia partim victoria Sanctorum cum inimicorum pudore spectatur. Hæc non latent mundum, sed in propatulo sunt: at Rex, cujus hæc virtus est, quia in eum non credunt, ab ipsis ignoratur. Ideoque, quæ à divina gratia ac potentia sunt, ea humanis consiliis & carnalibus assignant machinationibus: veritatem divinæ gloriæ nullo modo assequentes, quia eam etiam cognoscere non avent & infra suas curas Dei consilia & vias ponunt. Ita regnum Dei à plurimis, in quorum medio est, & videtur & non cognoscitur, partimque negligitur, partim irridetur, partim etiam oppugnatur. Oppugnatur autem non tantum ab illis, qui nomen Regis repudiant, sed & à multis, qui id ore ferunt. Neque enim omnes illi sunt Christi, qui eum Dominum dicunt. Quod quomodo fiat, necessarium est explicare. Multa potest habere mundus, quæ sunt Dei, etiamsi non habeat regnum Dei. Dei est omnis veritatis cognitio, omnis ars, omnis probabilis scientia; Dei est disciplina & laus boni malique improbatio. Hæc mundum non latent omnino. Deus enim etiam per disciplinam suam regit gentes, quæ Dei oblitæ sunt. Quumque mundus prorsus ignorare non possit, Deum esse, eumque colendum & ei credendum esse; idque adeo, quia videt à Deo omnem vitam dependere, aut, quia sine nominis Dei reverentia societatem hominum subsistere non posse perspicit; vel ad cudendam & comminiscendam rationem colendi Dei, vel ad eas opiniones, quæ cum humana stultitia conveniunt, sequendas fit pronissimus: facile fit, ut ab uno errore in alium compellatur; aut id dici patiatur, quod magnos auctores habet & à potentibus ac sapientibus probatur, aut sanè, quod ab iis dicitur, qui mirabilia opera faciunt. Igitur, quum vanitas idolorum, & venerationis mortuorum, & eorum numinum, quæ non tantùm Poëtæ, sed & aniculæ irriserunt, convicta esset; demonstratumque esset, cœlum, sidera, terram, animalia, plantas (quæ à quibusdam adorata sunt) divinam voluntatem & potentiam non habere: quumque in nomine Christi maxima fierent & salutaria opera, & Christi nomen profitentium tum virtus, tum patientia esset conspecta; verbique prophetici fides per annunciationem Euangelii in gentibus & per Judæorum rebellium, templique ac urbis eversionem esset comprobata; atque etiam paullò post tyranni religionem Christianam exscindere omni vi molientes ipsi compressi & excisi essent; datique essent Imperatores rerumque publicarum præsides Christiani; doctoresque & rectores Ecclesiarum incepissent esse potentes; jamque Christianum nominari non amplius stultitiæ aut probri, sed decoris & honestatis esse videretur: caussam habuerunt hostes Dei, ut Christiani esse & videri vellent. Idque eò magis, quia jucundum est audire id verbum, quod consolatur peccatores, eosque, si credant, justos pronunciat. Quod perversi libenter aptant suis cupiditatibus, ut securius peccent. Diabolus, quando non potest efficere, ut verbum Dei non audiatur, & populi stultis religionibus fascinati obbrutescant: hoc secundò agit, ut verbum fiat apud eos, qui id audiunt, infructuosum. Audiverunt Israëlitæ legem, quæ ipsis eo fine inculcata est, ne sperarent justitiam ex lege operum. Diabolus illis persuasit; ut justitiam in lege operum quærerent & justitiam fidei repudiarent. Audiverunt gentes Euangelium de justitia fidei: & nihilominùs Satanæ non defuit astutia, qua versus in Angelum lucis faceret, ut homines vel non pervenirent ad cognitionem Christi & justitiæ Dei, vel naufragium circa fidei portum facerent, carentes studio bonæ conscientiæ. Possunt igitur etiam illi, qui non pertinent ad regnum Dei, nomen regis & verba præferre: sed cognitionem Christi & fidem habere non possunt. Neque enim est hoc fides, quod multi putant. qui, quum non possint obniti, ne Scripturæ à viris Spiritu Dei actis magnorumque operum patratoribus editæ & rerum eximiarum, quæ fingi non potuerint, testes esse videantur, sufficere sibi putant, quod eas sanctas appellant, vel etiam eas recitare norunt; eas verò non scrutantur, sed hoc, quod plurimi aut amicissimi dicunt, dicere, &, quomodo eos agere vident, ita agere suscipiunt. Qui etiam facile eò perducuntur Satanæ sophismatis, ut credant mendacio, idque se auctore Scriptura credere autument. Quales vix est ut ad fidem imò ad sanam mentem reduci possint. Eodem modo, ut videmus, Judæos nulla Euangelicæ doctrinæ claritate nec judicii divini acerbitate à suis erroribus & propriæ justitiæ præsumtione dimoveri posse. Alia res est fides, quæ nos Christo unit. Ea facit pauperes, ut ditentur: ea facit lugentes ob Dei gloriam imminutam & proximi salutem in periculo constitutam, ut consolatione recreentur: ea eti cum fame & siti non impunitatis sed justitiæ, atque ita regni justitiæ & gloriæ Dei, ut satientur. Ea est ferax bonorum operum, radix charitatis. Ea non dicit, *Non Jehovah fecit omnia hæc.* atque ita ei, qui non est Jehovah, non tribuit id, quod est Dei, nec Dei gloriam *alienat.* Non dicit, *In nomine meo glorificabitur Dominus:* atque ita cum gloria Dei non consociat suam voluntatem, potestatem, bonitatem & celebritatem. Ea confugit ad arcem Domini eamque firmiter apprehendit. Ea Deum *Patrem* nominat, & ad eum semper clamat, *Abba, Pater,* & id agit, ut Patri benignissimo placere & gratias agere possit. Ea amplectitur futura, & quæ non videntur: quæ verò videntur, non habet in precio. Ea studiosè contendit ad spei perfectionem, quæ est animæ anchora unica penetrans intra velum, qua anima potest confirmari & sustentari, ut in omni certamine & tentatione tranquilla consistat. Igitur in eo unicè est & perpetuò, ut regnum Dei in se semper inveniat, ut nullo non tempore gaudio salutis integro perfrui possit. Quum igitur ita se res habeat, ut quædam, quæ fidelium sunt, possint esse cum mundo communia, patet ratio, quomodo infideles possint conjungi cum fidelibus & in sanctam civitatem, imò tanquam in atrium templi, intrare. Qui quum ingressi fuerint, non mirum est, domesticum inde oriri bellum & oppugnationem. Nam infideles cum fidelibus juncti suis peccatis & scandalis non cessant pacem Sanctorum perturbare. quippe, si fideles videant, ab iis, qui fratres appellantur, id, quod cum regula non est consentaneum, fieri, non possunt non dolere, & per verbum Dei eos redarguere. Quibus plerumque non cedunt falsi fratres, vel verbum Dei torquentes, vel libertatem ad lasciviam transferentes. Sed, etiamsi ex hac compugnatione magna oriri tristitia possit, tamen est adhuc gravius certamen, si abundet Defectio. Unde consequitur refrigeratio charitatis multorum. Non possumus præterire hoc genus pugnæ, nempe cum Apostasia & Defectione à Lege justitiæ. Quæ defectio hoc & parentum seculo ad summum venit, & multos à Regno Christi, cujus consortes videbantur esse facti, abstraxit. Est in hoc certamine cum Defectione spectanda singularis subtilitas Diaboli: hoc agentis, ut sub nomine Christiani populi totum genus possideat humanum. Quod Spiritus Propheticus insigni emblemate Draconis de medio cedentis & thronum Bestiæ, Sanctos vincenti, tradentis, depinxit ac fidelium observationi commendavit. Ansa, quam habet Satanas ad letiferum hoc malum comminiscendum, est fidelium socordia, & eorum, qui regendæ Ecclesiæ ministerium acceperunt, ambitio & avaritia. Quod fideles attinet, non omnes sunt provecti, adulti, sapientiæ Christianæ compotes, ut non pleraque, quæ scripta sunt, parum intelligant, aut non, dum audiunt verba Scripturæ, [1] *pro sensu carnali variis phantasmatum concursibus fluctuent;* ut spiritus explorent & dictata spiritus Antichristi à dictatis Spiritus Christi discernant. Sunt multi rudes, carnales, parvuli in Christo. His ignorare multa, & in multis offendere atque errare proprium est. Certè illi, quæ aguntur à versutioribus, non curant, & doctrinam à simplicitate verbi Dei ad sapientiam humanam traduci facile patiuntur; præsertim si ipsis verbum Dei non proponatur in sensu proprio & genuino, sed tempus eorum vel disputationibus cum adversariis apertis, vel ingeniosis sermonibus, vel superstitiosis exercitiis occupetur, qua ratione fieri potest, ut, cætera sapientissimi & prudentissimi atque eloquentissimi, in eo quod fundamentum est, explicando & ad id revocanda omni doctrina sint pueri. Pueris (omnes autem, quamdiu aliquid adhuc ignoramus, quod addiscendum est, vel opinamur, quod dediscendum est, vel non in omni re prudenter agimus, pueri sumus) pueris, inquam, dedit Deus in Ecclesia doctores & rectores. quorum officium & labor ad id debet contendere, ut omnes homines, certè fideles, evadant viri perfecti & impleant staturam ejus, quod implet Christus. Hi, si eo officio ita fungantur, *Patres* sunt: omni lenitate, labore, studio, institutione, demonstratione veritatis ad conscientiam hoc agentes, ut, qui *pueri* sunt, ad virilem sapientiam adolescant. At magnæ fortitudinis magnæque prudentiæ est, sine magisterio & dominatu, aut ejus etiam specie, auditoribus sapientiam ex verbo Dei tradere, eosque ad imaginem Christi quodammodo effingere. Facilius longe est, ferulam pastoralem, ut quidam loquuntur, sumere in manus; considere in cathedra velut regem; & edicere, quid faciendum, quidque non faciendum sit, quid item dicere & non dicere oporteat. Qui id faciunt, si tamen id edicant, quod & Christus dicit, *pædagogi in Christo* sunt. de qualibus dicit Apostolus: [2] *Infinitos licet habeatis pædagogos in Christo, sed paucos Patres.* Quales multi fuere pædagogi prisco tempore, qui in Cathedra Mosis consederunt, quos *legumlatores* & *principes* eo ævo Scriptura appellabat. Habet certè pædagogus aliquid principale: aut, ut veriùs loquar, princeps omnis aliquid pædagogicum. Quod enim pædagogus est sub patrefamilias, potestatem exercens in filios; id princeps est in mundo sub Deo. nisi dubitamus, civitatum regimen esse domestici imitationem, & potestatem ex domibus in civitates, ex civitatibus in regna se diffudisse. Pædagogus igitur edicit, jubet, prohibet, judicat, & sibi non obtemperantes increpat atque objurgat. Hic *pædagogus in Christo est*, ubi loquitur, quæ sunt Christi: sed nondum est *pater:* nisi quum fingit, parturit, & cum omni mansuetudine indefinenti institutione auditorem informat, ipsumque instar matris

D

[1] Aug. 5. de bapt. cont. Donat. 27. [2] 1. Corinth. 4: 15.

tris filium lactantis fovet, donec is, exorto in corde ipsius phosphoro, fiat judex suorum dictorum; itaque ad voluntarium assensum, ad Dei & verbi ejus amorem eum trahit, eumque efficit discipulum Dei, non suum. Si igitur multi sint pueri in Christo, & pauci adulti, multi pædagogi in Christo & pauci patres, habet Satanas rimam & viam, qua introducat Defectionem. Ex iis, qui accedunt ad cœtum fidelium, & non credunt, quos antea diximus, quidam doctrinam de Salvatore sollicitant. Horum facilior deprehensio est. Fideles enim non possunt ignorare, quis sit Dominus ipsorum: ideoque eos, qui alium ipsis nominant, in quem credant, facile repudiant. Tales igitur non possunt manere cum fidelibus. Ita antiquis temporibus multi exiverunt ab Ecclesia hæretici, qui abnegarunt Dominum suum. Hos produxit Diabolus in scenam, ut in eorum contradictionibus ingenia fidelium & maximè eorum, quorum erat veritatem docere, falsitatemque redarguere, occuparentur & distinerentur, interimque Judæorum cæcitas conduplicaretur, & multorum fides labefactaretur. Sed hi deprehensi, reprehensi, convicti, judicati & ex cœtu fidelium ejecti sunt. Decebat in eo judicio primos esse Episcopos. Præiverunt illi, Ecclesia secutæ sunt. Simul throni collocati sunt, & consederunt quidam, quibus judicium datum est. Verbo, Episcopi sumserunt pædagogicam potestatem, sive principalem majestatem. Et Deus dedit illam mentem Regibus & Principibus, ut potestatem suam conferrent in illos. Et visum est utile, ut, qui debebant hæresibus resistere, potestate & opibus pollerent, utque populi incederent ex *præcepto*. Qua re effectum est, ut Ecclesia à fratrum cura semoveretur, locus autem Antichristo præpararetur, &, qui ex *præcepto* agebant, fratres & fideles compellarentur. Horum ea indoles est, ut id eligant dicendum vel rejiciendum, faciendum vel omittendum, quod multitudo, præcepto & præscripto se subjiciens cum suis regibus & principibus, dicit, rejicit, agit, vitat. Hanc multitudinem *Bestiam* appellat Scriptura, & parabola Salvatoris *zizania* in agro Domini inter frumentum dolo inimici hominis subnata. Postquam huc res deducta est, ut talis multitudo, verba quædam fidelium in ore habens & ea dici non repugnans, nomen & titulum Catholicæ Ecclesiæ ferret (qui titulus ei à fidelibus omnia sperantibus negari non potuit) quis mirabitur, inter illos, sive pædagogos sive principes, potuisse consìdere aliquos vana loquentes, inutilia decreta facientes, cultus improbabiles, veluti Sanctorum compellationem in precibus, adorationem ad simulacra, & quæ similia sunt, introducentes, de justitia verò Dei non rectè docentes, Scripturam contorquentes & sepelientes; denique, ad principatus illius stabilitionem primam sedem efferri ad magistratum totius mundi & magisterium Ecclesiæ? ejusque Sessorem cum suis sociis tandem aperire os & contra Christum ejusque sacrificium, & verbum ejus & regnum Dei & Ecclesiam & justitiam, grandia pronunciare? Quæ apertius clariusque & cum insectatione ac damnatione veritatis pronunciata non potuerunt non animos fidelium provectiorum, in tanta multitudine vix nomen & numerum habentium, lancinare & ad loquendum pro veritate ac contradicendum mendacio excitare, denique eos ad egrediendum ex societate hominum in errore versantium & veritatem audire nolentium & ad falsitati subscribendum atque idololatriam eos compellentium fodicare. Hoc est bellum, quod Bestia fecit Sanctis. Dum enim in uno cœtu commixti fuerunt Sancti cum hostibus Christo mentientibus per communia verba Dei & communes ignorantias ac errores, gravis fuit & molesta ea multitudo fidelibus, eosque in multis seduxit ad malum, in multis bonis impedivit, ipsis perpetui mœroris & luctus ac suspiriorum causa extitit: donec Antichristus se denudans suam legem loco legis Christi observari præcepit, veritatis assertores & errorum reprehensores exsecratus est, anathemate percussit, è cœtu suo, tanquam civitate sancta & regno Dei, eliminavit, aqua & igni eis interdixit, denique eos ferro & flamma persecutus est, & eos, qui jam effugerant errantium societatem, per regum & populorum arma aggressus est & horrendis modis in eos est grassatus. Nemo mirabitur, ista fieri potuisse sub Rege Christo. Decuit Christum in medio hostium suorum regnare. Quo major est hostium multitudo, violentia, astus; quo major fidelium paucitas, infirmitas, debilitas: eò clarior est Christi triumphus, eò illustrior fidelium victoria. Sive enim cum externorum hostium immanitate fuit pugna; fortitudo fidei, imò virtus Spiritus sancti in fidelibus fuit manifestata, qui animas suas non dilexerunt usque ad mortem. Sive hostium illorum furor fuit compressus, laquei soluti, carceris fores effractæ, fideles in latum educti, qui nihil egerunt neque quicquam agere valuerunt; conspectum fuit brachium Christi regis. Sive certamen fuit cum humana sapientia, cum Philosophia, cum ratiocinationibus Judæorum & hæreticorum, cum falsantibus & detorquentibus Scripturam, cum traditionibus hominum & auctoritate humana; inflammatum est studium scrutandi Scripturas & per insipientiam puerorum & lactentium sapientia mundi uit confusa. Sive Draco coactus est se transformare in Angelum lucis & Christi nomen assumere ad fallendum homines; argumentum id fuit Draconis judicati & devicti. Sive scandala in Ecclesiam invecta sunt cum seductione multorum, & tyrannide ac terrore constricti sunt illi, qui errores adamaverunt; puniti sunt justè, qui amorem veritatis non exceperunt, traditi in mentem improbam & nihil pensi habentem, ut crederent mendacio, conjecti in infernum, in stagnum ignis, in quo Mors secunda eos detinet compeditos. Sive facta est separatio illorum, qui retinent sermonem Dei & testimonium Jesu, ab iis, qui legem Domini relinquunt, iique post plurimam insectationem nacti sunt pacem, & lux super illis fulget; patefit ejus, qui renes & corda explorat, in perpurganda area sua per ventilabrum aptissimum & conservandis suis, exquisitè cribratis, dexteritas & fidelitas. Sive per hasce defectiones & confusiones in mundo, Ecclesiæ Christianæ nomine sibi blandiente, obex objectus est Judæis, ut regnum Dei agnoscere & invenire non potuerint; veravit sermo Dei, qui de illis dixit, quod faciem suam ab illis occultaturus esset, & ab illis conspici & cognosci nollet. Sed, quanquam Regi Christo non sit indecorum neque populo ejus inutile aut inglorium & adversarios habere & belligerare: tamen ingens donum est pax. Cujus id bonum est, ut recti mutuo se videant, dum congregantur, & se invicem libenter videant, & uno humero & corde, nemine impediente, Deum & Regem ejus colant & concelebrent, & in ea concordia fructum capiant multiplicium Dei munerum, & mundo sint veluti lucerna, ut is viam ad regnum Dei reperire possit, & ita, ut Christi, etiam ipsorum hæreditas locupletetur. Et inter ea, quæ populo Dei promissa sunt, est pax. Quæ sanè non unius generis est. Primò, quod nihil populo Dei metuendum est. Nam, quæ omnibus peccatoribus erant contraria, sublata & abolita sunt. Pro quibus stat Deus, quis eis erit adversus. Ubi & Lex peccati est interemta, & Lex justitiæ, Lex Redemtoris, Lex Spiritus vitæ in Christo viget? Ubi nulla est accusatio, nulla condemnatio. Secundò, quod in Regno Dei nulla est originis, gentium, linguarum, sexus, terrarumque distinctio; sed uno jure imò una gratia Deus est omnium Deus justificans circumcisionem eam, quæ ex fide est, & præputium per fidem. Quod enim regnum Dei propriè & eximiè dicitur, id non est in uno certo populo. Quemadmodum in Israële aliquando fuit regnum, sed non solius Dei. Suberant enim etiam patribus carnis, judicibus, senioribus, præceptoribus, sacerdotibus, denique, ut minùs etiam appareret Dei regnum, regibus. Subjiciebantur elementis mundi, quæ non sunt Deus. in qua subjectione ab hominibus, patribus carnis, detinebantur, judicabantur, castigabantur. Non erat id merè & verè regnum Dei. Nam etiam ibi tanta lætitia non erat. Neque igitur tanta, quanta in regno Dei eximiè dicto esse potest, dilectio & gratiarum actio esse poterat. Erant ibi, quæ ad iram potiùs quam ad gratiam erant referenda. Justificatio per accusationem peccati obscurabatur: excludebatur Israël ab hæreditate sua: mundus sine Deo relinquebatur. Atqui Deus est Deus non tantùm Judæorum, sed & gentium: & regnum ejus obtinet in omnia: & meræ gratiæ possessionem largitur populo, & iram omnem aufert, & hæreditatem mundi repræsentat. Igitur in regno Dei est *pax*, quam facit gentium & Israëlis coalitio in unum, opposita divisioni & inimicitiæ. Sed & tertii generis pax est, quam rex pacis affert. Quæ in eo consistit, ut omnes gentes & populi serviant Ecclesiæ. Quæ pax per suos gradus non sine certamine ad summum progreditur. Fuit aliquando mulier, quæ virum pepererat, hoc est, Ecclesia Christo, quem speraverat, potita, in desertum gentium profuga deducta in locum præparatum, ubi aleretur à gentibus. Fuit aliquando, ut leones, pardi, ursi cum agnis & jumentis versarentur. Fuit tanta pax, & tantus gentium erga Ecclesiam favor, ut, quod Scriptura sub *Assyrii* vocabulo dicit, rectè potuerit dicere Christianus populus, quod nempe, quum Sarraceni intrassent in terminum ejus, septem, imò octo reges & unctos hominum in eos excitaverit, qui eos retroagerent, & urbes eorum depopularentur. Fuit aliquandò, ut, quum Antichristus arma & arcum sumsisset, ut fideles interficeret, arcus ex manu ejus excussus fuerit, & recedentibus ex Babylone datus fuerit locus, in quo tranquillè agerent & agri dominici culturæ intenderent: & puer tutò luderet ad cavernam basilisci. Factum etiam nuper, ut potentissimus Monarcha, subditorum suorum oppressor & veritatis persecutor, post longum & acre bellum dederit gloriam Deo protectori ipsorum, eosque liberos declaraverit. Factum, ut ii, qui à rejectione humanarum opinionum Reformati nuncupantur, in iis partibus, in quibus precariò vivebant, lege publica eadem conditione & statu essent, quo ipsorum Adversarii, composito ferali bello. At enim, quia carni obsecundamus plurimi, divinis virgis adhuc cædimur. Alibi inimicorum immanitate innocentes trucidantur; alibi cadunt fastigia regnorumque status mutatur. Alibi commercia diminuuntur. Passim nunc annonæ charitas, nunc pestilentia, nunc ignis, nunc aqua hominum ingratitudinem incusat. Alibi fœdera fiunt irrita, regna concutiuntur, Ecclesiæ dispergun-

dispērguntur, reges inter se confligunt, manus denique populi sancti confringitur & dissipatur. Nobis, si ulli, dixit Jacobus: *Unde bella & prælia in VOBIS? Nonne hinc, ex voluptatibus vestris, quæ belligerant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis, invidetis & æmulamini & non potestis obtinere. Præliamini & belligeratis, & non habetis, quia non petitis. Petitis & non accipitis, quia malè petitis, ut in voluptatibus vestris consumatis.* Profectò hæc res tanquam nubes obscura impedit aciem mentis nostræ, ut, unde adventura sit pax, unde conversio Judæorum exspectanda sit, quomodo Babylon appropinquet ad casum, quomodo Regnum Christi, in quo omnes gentes ipsi servient & Euangelium in tota habitabili prædicabitur, accedat, nequeamus prospicere. Nisi quod nos sustentant Scripturæ, quæ pronunciant, celeriter illa eventura, & quidem eo ipso tempore, quo cantatura est Babylon, *Sedeo regina*, & quum hostes Ecclesiæ dicent, *Ubi est Deus ipsorum?* Pœnitebit tandem Deum irriti laboris & infrugiferæ patientiæ & longæ exspectationis servorum suorum, eosque aliquando solabitur. Tantùm nos, qui pacis hujus primitias nos accepisse negare, nisi ingrati esse volumus, haudquaquam possumus, in timore & tremore tantum bonum possideamus. Luceamus, si filii lucis sumus, si lux super nobis coorta est, & luce nostra tenebras, quibus mundus fere integer coopertus est, illustremus. Amplectamur, occupemus, desiderio, charitate, totum mundum, velut hæreditatem Christi & nostram. quæramus homines in longinquis terris, non, quæ natura à nobis semovit, irritamenta malorum: sitque nobis dux ad illas charitas non cupiditas. removeamus scandala de via, ut multitudo gentium possit intrare. quod ita apud nos efficietur, si Christi & non hominum regnum apud nos vigeat floreatque. Ea enim, quæ Christi sunt, sunt vera, sunt justa, sunt gloriosa, sunt amabilia apud omnem conscientiam: quæ nostra sunt, regnum Christi opacant, abscondunt, & accedentibus ad illud viam intersepiunt, eosque faciunt cæspitare & offendere. Imprimis id agendum omnibus, qui docent & regunt, ut non velut pædagogi agant, sed velut patres. Pædagogi adigunt ad parendum præcepto; legem dicendi & silendi, faciendi & non faciendi condunt; non autem animis inserunt fidem, cognitionem, sapientiam, amorem veritatis. Ita non erigitur & stabilitur regnum Christi. Id enim subjectione astipulationis in Euangelium Christi, hoc est, fide in Christum collocata, amore Dei ut misericordis ita sancti & justi, desiderio justitiæ & servitutis ejus in sanctificatione, deliciatione in Deo & lege ejus, ejusque meditatione diurna ac nocturna consistit. Hæc non efficiuntur per humanum nomen, auctoritatem, imperium, legislationem, neque etiam per humanam sapientiam; sed per semen illud incorruptibile animis insertum, ex quo gignuntur filii Dei, per rationale sincerum lac, quo adolescunt. Hoc subministrant patres, cum omni mansuetudine, cum indefessa sedulitate, cum labore, cum patientia, cum crebra adhortatione, cum omnis benevolentiæ exhibitione, cum supplicatione, cum lacrymis, per id filios, qui sint discipuli Dei, generare nitentes. Pædagogicam verò dominationem in Ecclesia alia omnia comitantur & sequuntur. ambitio, factiones, dissidia, contentiones, susurri, obtrectationes, insidiæ, denique dissipatio pacis & charitatis & omnis boni eradicatio. Quæ res ut quam diligentissimè caverentur, à principio diligentissimè monuit Apostolus noster Paulus. neque potest ullum tempus, dum mundus hic stabit, existere, quo illa cautio non sit necessaria. Pronum est enim humanum ingenium ad magisterium, & nemo est alicujus profectus, qui non se dignum putet, quem alii sequantur, &, si quam existimationem apud alios habeat, ea exultet. Deinde à labore, qui sumendus est, ut sis pater, & à submissione abhorremus omnes. Quare, ut eum scopulum evitemus, nobis cum ipsa natura nostra, hoc est, cum veteris hominis, qui se, ut videatur sanctus & religiosus, etiam in causam Dei ingerere gestit, petulantia & impotentia & ignavia est de industria omni studio & cura pugnandum; ut nihil audeamus facere aut dicere, ad quod prono impetu ferimur, quodque nobis aliqua commoditate & specie sapientiæ adulatur, sed, amore & timore Dei constricti, in regno Dei, ut servi indigni ad filiorum dignitatem assumti, paveamus, ne quid non in bona conscientia dicamus aut faciamus præter præceptum Domini; neu partibus nostris ulla in re desimus. Attamen & nobis, qui audimus, qui regimur, qui sequimur antecessores, opera danda est, ne simus ut pueri, sed pueri quidem simus malitia, minimè autem pueri simus mente & prudentia, ut ii, qui ad nos loquuntur & nos præcedunt, non habeant occasionem, ut fiant pædagogi; quum nos per cor duplex dederimus ad sequendum præceptum & hominibus obtemperandum, & religio nostra extiterit præscriptum hominum condocefactum: sed præbeamus nos ipsis ut filios patribus, & lac sincerum verbi Dei ab ipsis petamus & libenter hauriamus, eosque ita nos ad imaginem Dei in Christo efformantes & effingentes tanquam veros & genuinos patres ingenuè & sincerè diligamus, atque eorum sermonem non ut sermonem ipsorum, sed ut revera sermonem Dei excipiamus & in bono corde, ut fructificet, retineamus. Tu verò, magne Deus, qui nos ab imperio dominorum aliorum præter te liberasti, per quem commemoramus nomen tuum, qui nos clementissimè paterna manu, inter clarissima severitatis exempla, protegis, condona peccata servorum tuorum, aperi tibi portas cordium nostrorum, qui in urbes nostras intrasti, sanctifica nos & illumina, ut luceamus coram toto mundo. Imprimis hanc Academiam ut verus ejus rector guberna. fac idoneos, qui docent, ut eorum ametur & doctrina & virtus. custodi juventutem à peccatis Gibeæ, imò fac, ut prophetent pueri nostri secundùm promissionem tuam. Da, ut illustre hoc germen illius domus, quam tua manus & benedictio omnium amori commendavit, inter nos non nisi bona videat exempla, & coram oculis nostris crescat, fiatque exemplar & sapientiæ & prudentiæ & sanctæ fortitudinis ad decus populi tui. Amen.

D I X I.

SERMO ACADEMICUS DE VIIS DEI, DICTUS

Die 8. Febr. 1669. Quum Recturam iterum deponeret.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI CURATORES, FLORENTISSIMÆ HUJUS CIVITATIS CONSULES, SENATORES, QUIQUE EIS A CONSILIIS ET SECRETIS ESTIS, CLARISSIMI PROFESSORES, COLLEGÆ HONORANDI, EUANGELII PRÆCONES FIDELISSIMI, DOCTORES ET MAGISTRI ERUDITISSIMI, VOSQUE, GENEROSI JUVENES, OMNIS VERITATIS ET VIRTUTIS STUDIOSI, FLOS DELIBATUS PATRIÆ, SPES ECCLESIÆ ET REIPUBLICÆ, COELI INCREMENTA.

NOvem anni ſunt, quum ex hoc loco, Recturam deponens, verba feci. Eo tempore lætabar, me abire magiſtratu. Cum multis enim moleſtiis luctatus eram; quarum me pœnitebat. Nunc æquè lætus quidem eum depono; ſed non æquè faſtidiens; verùm hoc lætus, quod mihi liceat ad quietem meam redire ſine memoria tetricarum curarum. Et tunc quidem de moleſtiis meis ſilui: nunc autem de eis, quæ mihi jucunda fuere, ſilere non debeo. Imprimis vidi Academiam florentem, ſi unquam, copia & multitudine nobiliſſimorum & generoſiſſimorum, cumprimis optimarum ſcientiarum ſtudio flagrantium, juvenum. Vidi eandem (Deo ſit gratia; qui hoc nobis proprium & perpetuum eſſe velit) meliùs moratam, quàm unquam, opinor, antehac ullus Rectorum. Quis enim non fuit annus præteritus aliquo notabili flagitio aut ſevero judicio nobilis? Hoc anno nullus condemnatus eſt. Atque etiamſi acciderunt quædam non læta, quæ prudentia & ſobrietate potuiſſent evitari; tamen ea fuit Dei clementia, ut nemo ſit damnum paſſus grave & cui remedium non eſſet. In eis verò infortuniis hoc accidit lætum, quod etiam ii, quos coactus ſum objurgare, vel patienter atque æquo animo meas objurgationes excepere, vel etiam me plenum irarum, ſe ipſi accuſantes, fecerunt mutum & elinguem; ut, in quos ſtomachum egeſturus fuiſſem, eos cogerer laudare. Scio, etiam fuiſſe, qui injurias, quas videbantur ab aliis paſſi, mihi condonaverint, ne ſenectuti meæ eſſent graves. Ad hæc accedit, quod in Academia non vidi Collegia Nationalia, cum quibus prior meus Rectoratus ultimo conflictatus eſt. Addo & hoc, quod undique, à quibus me adjuvari par erat, adjutus ſum benignè, quod non ſimiliter dicere potui priori Rectoratu. Quanquam & in illo fidem & bonam conſcientiam eximiorum virorum, quorum quidam dormiunt, quorum memoria ſit in benedictione, expertus ſum. Ob hæc non poſſum non Deo gratias agere, qui mihi in hac ſenectute mea etiam valetudinem & vires idoneas ſuppeditaverit, & tam tranquillum Rectoratum dederit. Lætus igitur magiſtratum hunc Academicum depono: non tam, quod à quotidiano metu & ſollicitudine liberer, quam, quod mihi liceat commemorare beneficia Dei. Quid verò, quandoquidem mihi hoc die verba facienda ſunt, aliud loquar, quàm, quod aptum eſt ad exhortationem inſtigationemque, non tantùm auditorum meorum, qui quotidie mihi, Scripturas interpretanti, operam dant aureſque accommodant, ſed omnium, qui in hoc loco convenerunt. Quorum neminem puto eſſe, qui non familiares habeat ſacras Literas, & nos, magis cum piſcatoribus, qui Spiritum Dei doctorem habuerunt, quàm cum eloquentiæ Romanæ parente, loquentes, ſit intellecturus. Neque enim hac hora ita potero meum ſtilum transformare, ut non appareat, quorum ſermonibus quotidie aures meæ atque animus circumſonet; quemadmodum in patriam redux non poteſt abſtinere à vocibus, quas peregre didicit. Atque etiam eæ res iſtiusmodi ſunt, ut nullis vocabulis, quàm quibus eas docemur à Deo, meliùs explicari poſſint. quas ſi aliis verbis exprimere vellemus, fortaſſe parum intelligeremur. Quod igitur Deus bene provenire velit, dicam de *Viis Dei*, qui ante novennium dixi de *Regno Dei*. Intuebor autem maximè nobilem graviſſimamque ſententiam, quæ legitur in fine Vaticiniorum Hoſeæ. *Rectæ ſunt viæ Dei: & juſti ambulant in eis, at, qui* Hoſ. 14:
Dei dominium exuunt legemque à ſe rejiciunt, offendunt in eis. verſ. 10.
Solet Scriptura *viam* appellare, quod quis agit propter finem. *Viæ Dei* proinde ſunt ea, quæ Deus facit propter finem. Qui finis non poteſt alius eſſe, quàm, ut ipſi laus & gloria conſtet, quod ita ſe manifeſtum fecerit creaturæ, cui mentem dedit, ut ab ipſa cognoſcatur & ſentiatur ſufficientiſſimus & amabiliſſimus, & in ea admirabilis fiat. Hoc fine Geneſ. 1:
in initio fecit cœlum & terram, quæque in eis ſunt; & 26.
inter ea hominem imagine ſua præditum, h. e. rectum, Eccleſ.
qui in ſe, velut in nitido ſpeculo, relucentem inveniret 7:29.
veritatem Dei, ejusque amore lætans fruendi gloria Dei in æterna vita appetitu atque deſiderio agitaretur. Nulla eſt anima tam miſera & tam mala, quæ non, hoc Dei ſimulacrum in anima fuiſſe, quum ſe ipſa introſpexerit, deprehendere poſſit. Omnis anima ſcientiam appetit, ignorantiam erubeſcit, verum à falſo, juſtum ab injuſto ſecernit, vero, niſi cupiditati videatur obſtrepere, delectatur, quietem in bono exſatiante ſitit & vitam, quam in ſe non reperit. Ille fluvius vanitatum, cui ſe ſpiritus hominis nauſeans raptandum, diſtrahendum lacerandumque involvit, inclamat illi, ut alibi quærat bonum, in quo conquieſcere poſſit. Voluntas illa bona, ſapiens potensque, quæ animæ membra, ignaræ quomodo, ſubjecit, & in operibus ſuis admirandis ubique omnibus membris occurrit, ſeque per tolerantiam pravitatis & beneficentiam, maximeque teſtifica- 1 Johann.
tionem de ſe, oſtendit eſſe charitatem, facilè agnoſcitur 4:8.
eſſe vel Deus, vel vita Dei, certum atque unicum hominis bonum æternum. Igitur, quum recto eſſe homini dediſſet, non dedit ei eſſe in rectitudine conſtanti, & mandato, quo oſtendebat, in terreſtribus rebus non eſſe vim ad vitam bea- Joh. 1:4.
titudinemque conciliandam, obedire. Neque enim in ho- Apoc.
mine erat vita: ſed in germine, quod eſt in paradiſo cœ- 2:7.
leſti; hoc eſt in Filio Dei unigenito: propter cujus gloriam Joh. 8:50.
hominem creavit. Eum homini jam per peccatum inquinato Eph.
& à vita Dei ſancti alienato indicavit futurum fratrem ipſius 4:18.
& juſtitiam & ſanctificatorem: ut is in homine miſero, tan- Gen. 3:15.
quam

quam caput in membris, summam gloriam, justitiæ, san-
ctitatis, bonitatis, sapientiæ, potentiæque, obtineret; &,
qui illum amaret, Deum ejusque virtutes amaret atque in
Eph. 4: honore & precio haberet: eoque ipso Dei similitudinem,
24. quam non conservaverat, homo in novitate possideret,
& quidem cum certa spe vitæ æternæ, propter justitiam
Ephes. Domini & Capitis sui, & communionem cum ipso in
1:14 Spiritu ipsius; tanquam arrhabone & pignore certissimo,
quod apud se nitidum & integrum requireret. Patet, Spiri-
tum Dei in eo, quem conglutinat cum Filio Dei, nihil prius
efficere, quàm fidem in ipsum, ut Salvatorem perfectissi-
Actor. mum. Sine fide enim in ipsum, ut justitiam suam, ne-
15:9. mo Deum honorare, ne dum amare potest. Neque enim
Hebr. Deum amat, qui non agnoscit virtutes ejus, & ad gloriam
11:6. ipsius esse vult, & ei confidit.

Hæ sunt *viæ Dei*, quibus hominem peccatorem dedu-
cit ad salutem. *In eis ambulat justus.* Qui recta de Deo
cogitat, qui divino nomini non detrahit, qui Deum amat,
qui non fingit Deum alium; qui nemini injuriam facit,
proximum diligit, quique eum perinde, ut se, cupit esse
ad gloriam Dei, in hac via ambulat, hoc est, fidei præ-
Psalm. cepto obedit, confugit ad Filium, ut Rupem salutis, cum
95:1. Deo pacem facit, eique, ut fideli Creatori, in bonis fa-
Es. 27:5. ctis, animam suam committit. *Non verò ambulat in via*
1. *Petr.* *peccatorum:* non eò tendit, quo tendunt peccatores, qui,
4:19. quum Deum non ament, hoc est, non cupiant esse eum,
Psal. 1:1. qui est, nihil boni faciunt, neque amant proximum; quip-
pe quem non studeant adducere ad justitiam. Neque etiam
Psal. 1:1. *ambulat in consilio improborum*, hoc est, non ambulat in eo,
quod homo, qui sibi videtur prudens, eligit, tanquam id,
quod possit Deo obtrudere, velut justitiam propriam. quem-
Es. 66:5. admodum Judæi eligebant, velut justitiam, & id, in quo
Rom. 2: Deus gloriosus esset, appellari Judæos, facientes in litera,
vers. 27. quod lex Mosis exigebat.
Rom. 8: Qui porrò ambulat in hac via, is *justus* est. Is, inquam,
vers. 33. non patitur accusationem legis, sed in capite suo, non
Johann. tantùm absolvitur, sed etiam habet jus petendi & expectan-
1:12. di coronam justitiæ.
2. *Timot.* Qui illi mandato Dei non obediunt, & ad Arcem Dei
4:8.
Es. 27:5. non confugiunt, etiamsi appellentur populus Dei, & fœ-
Ps. 2:12. dus Dei in ore ferant, sunt *defectores* atque apostatæ, fran-
Psalm. gunt jugum: rumpunt funes, & imperium Dei rejiciunt
50:16. à se: neque ambulant in viis Dei rectis, sed in iis offen-
Es. 1:28. dunt.
1. *Timot.* Justi *ambulant* & progrediuntur. Apostatæ offendunt.
4:1. Justorum via est, ut lux jubaris, quod magis magisque
Ps. 2:3. proficit, usque ad plenum merumque diem. Injustorum
Prov. 4: autem via est, ut caligo; nesciunt, in quo impingant, &
18. 19. eorum posteriora fiunt deteriora prioribus.
2. *Petr.* De utroque profectu necesse est quædam dici distinctiùs.
2:20. Primum in via justi est, ut, quum audiverit vocem Dei
vocantis eum ad se, illectus bonitate verbi, quum repe-
rerit, id Deo non indecorum esse, animadvertat, quan-
tum pote, omnia argumenta, quibus fides ipsi fieri potest,
Roman. quod verbum auditum sit à Deo, velitque Deo gloriam
4:20. dare. nempe ut humiliet se, neque suas ratiocinationes
Johann. potiores putet, sed pro certo habeat, consilium, quod ho-
6:43. mo ex se capit de salute sua, esse stultum & vanum; id-
Phil. 2: que tum, quòd conscientia id attestetur, tum, quod Deus
vers. 14. id inculcet. Ideoque attendat ad sermonem auditum; &
1. *Cor.* 3: in eo requirat sapientiam: comparetque inter se omnes
11. 14. partes sermonis; & id, quod fundamentum dicitur, fir-
2. *Cor.* miter apprehendat, eique omnia vera superstruat. Quum-
2:13. que in eis, quæ Deus loquitur, quædam sint, quæ nobis
natura aut proprio sensu nota sunt, cum eis comparet ea,
quæ non, nisi Deo revelante, nosci à nobis possunt; &
videat, an ea, quæ revelantur, necessariò sint vera propter
ea, quæ sciuntur; & an gloria Dei & pietas, quæ Dei
glorificationem quærit, flagitet, ut revelata tam habean-
tur vera, atque illa, quæ naturali cognitione & proprio
sensu deprehendimus esse vera. Quam harmoniam & mu-
tuam consensionem omnium partium doctrinæ Dei & at-
testationem animæ quando videt atque perspicit, non po-
test dubitare de veritate & mente divini testimonii, ac di-
Ephes. vinitate doctrinæ. Ita ex pueris simus viri; in quibus ser-
4:13. mo Dei est sapientia: ita veritas se manifestat conscientiæ:
1. *Corint.* ita dies dilucescit in corde nostro, tanquam loco tenebri-
2:6. coso & squalido, oriente phosphoro. ut S. Petrus loquitur.
2. *Corint.* Sed hæc fortasse in ipso veritatis, quæ pietatis mater est,
4:2. typo clariùs conspiciuntur. Natura notum est, hominem
2. *Petr.* esse à causa æterna, bona, sapiente ac potente. & ita fa-
1:19. ctum esse, ut illius effigiem gestaret. quippe qui mente
Roman. atque voluntate præditus est, ut possit cognoscere & ama-
1:20. re, quod optimum est, & in eo beatus esse. adeò ut etiam
Genes. homo non edoctus verbo Dei potuerit dicere: τοῦ γὰρ καὶ γέ-
1:26.
νος ἐσμέν. *Et proles sumus hujus.* Proinde patet, hominem *Actor.*
constitutum esse in obligatione amandi Deum creatorem 17:28.
suum ex toto corde: eumque hujus debiti sibi conscium
esse. Porrò amorem Dei esse fontem omnis virtutis at-
que officii. Nam, qui Deum amat, vult Deum in se,
ut imagine ipsius & opere, gloriosum esse & honorari.
Quod sine illo amore fit, id ne bonum quidem nominari
meretur. Hæc nosse hominem, manifestum est: tum,
quia judicat contraria dicentes ac facientes; tum, quia vult
videri ita sentire & agere; & contraria faciens apud se ex-
peritur cogitationes accusantes, quas compescere non po- *Roman.*
test; sin talia fecerit, sentit cogitationes defendentes, & se 2:15.
laudat ac jactat, vultque videri quovis alio melior; tum,
quia omnes homines talibus legibus civitates suas munie-
runt magis, quàm mœnibus; tum, quia, quum audit præ-
ceptum Dei, non potest ei refragari. Quum igitur hæc no-
rit homo, & ita fortè educatus sit, ut, quod per se nosse
poterat, etiam propter institutionem non possit ignorare &
per disciplinæ instantiam ad externam honestatem forme-
tur, evenire potest, ut quis sibi videatur vivere & commu- *Roman.*
nione atque amicitia Dei esse non indignus. Quod qui co- 7:9.
gitat, Deum summa afficit injuria, & magis erit indignus
Deo, quàm, qui se mortuum sentit. Quando igitur ve-
nit præceptum, veluti, quod dicit, *Non concupisces;* ne-
cesse est, talem hominem *emori & occidi.* h.e. tum sentire 2. *Corint.*
mortem suam, tum deteriorem fieri se ipso. Non enim 3:6.
potest velle, Dei hanc esse veritatem & justitiam, ut po-
stulet hominem esse vacuum concupiscentia; & concu-
piscentem, velut fœdum cadaver, abominetur.

In hoc statu, si in optimo, invenit hominem Deus,
quando ad illum accedit eumque vocat, ut verbum suum
bonum audiat, & secum pacem faciat. quum ipsi dicit,
Noli metuere, Ego clypeus tuus, & merces tua magna valde. *Genes.*
quum dicit, *Ero tibi in Deum;* quum dicit, *Justitia tua à* 15:1.
me; quum promittit *Semen, quod frangat caput Serpentis,* *Gen.* 17.
cujus calcaneum fracturus sit Serpens; in quo benedicantur omnes *Esai.*
familiæ terræ; & *Angelum Testamenti*, eundemque *Filium*, 54:17.
nominat *Salvatorem;* & *beatum dicit omnem, qui ad eum* *Genes.*
confugit. Quando igitur hoc verbum ad hominem perla- 3:15.
tum est, si is observet atque animadvertat, tum, id cum *Genes.*
divinæ majestatis ostensione allatum esse, tum, id con- 22:18.
venire divinis virtutibus, quæ naturaliter homini notæ sunt, *Malach.*
si idem desideret fieri servus justitiæ, seque atque animam 3:1.
suam Deo committat, Deoque sanctitatis & justitiæ lau- *Psalm.* 2:
dem tribuat, & hanc virtutem Dei diligat; is sine dubio 7. 12.
Deo gloriam dat, eique obedit, &, dum non timet, Deo- *Roman.*
que confidit ad justitiam & vitam, adstipulatione & assen- 1:20.
sione fidei cum ipso pacem facit & fœdus atque amicitiam *Roman.*
contrahit. 6:18.

Quumque is Angelum Testamenti, Servum Dei Justum,
in verbo Dei uberiùs descriptum, cognoverit, & viderit,
hanc salvationem hominum justitiæ Dei & sanctitati con-
venire, & divitias ipsius ostendere, neque gloriam Dei ab *Ephes.* 11
ipso abalienare; & per amorem, non tantùm impunitatis 6. 7.
& vitæ nobis per Angelum sive Mediatorem Testamenti *Deuter.*
impetratæ, sed etiam obedientiæ, sive, Dilectionis ipsius 32:27.
enixissimæ, & sanctitatis ac justitiæ Dei, quæ in ipsius obe-
dientia & passionibus ostenditur, Salvatori assimilatus fue-
rit: eum esse participem Spiritus Salvatoris, & filium Dei, *Gal.* 4:6.
& rectè sentire de Deo, & amare, quod Salvator amavit,
quodque amando legem Dei implevit, justitiamque iis,
qui ipsius Spiritu ipsi uniuntur, impetravit; & sapientem
denique ac prudentem esse, manifestum est.

Nam, qui amat Deum justum & sanctum, Deum ho-
norat; qui amat amorem Dei, novit & amat salutem &
bonum proximi sui, imprimis ejus, quem Deus amat,
quique Deum amat.

Is porrò habet Spiritum Dei. Neque enim ex se ipso,
qui malus est, amat, quod bonum est; nisi à Deo vivifi-
cetur & sanctificetur per Spiritum ejus.

Per Spiritum vero Dei est in Filio Dei & in ipso justus 1. *Corint.*
est. Quem Spiritum in se habet, ut arrhabonem suæ re- 12:13.
demtionis & conservationis. Per quem excitatur atque ex- *Ephes.* 11
stimulatur, ut in omnem veritatem inquirat, omne bo- 13. 14.
num faciat, salutem plurimorum quærat, & hanc hæredi-
tatem suam reputet. idque, ut habeat bonam conscientiam,
& arrhabonem apud se depositum in suo vigore & claritate
semper conspiciat, atque similitudinem Dei in se renova-
tam perpetim contempletur. Necesse autem est, eum, 2. *Petr.*
qui hunc in modum factus fuerit particeps divinæ naturæ 1:4.
& vitæ, si ipsi prorogetur tempus, tempore suo non abuti, *Ephes.*
sed magis magisque proficere ad certitudinem, ad uberio- 4:18.
rem cognitionem, ad depositionem errorum & ignoran- *Galat.*
tiæ, & sermone casto, puro, irreprehensibili, temeritatis 2:20.
& stultitiæ experte, uti, ut gratiam concilliet audientibus;

ea verò

ea verò agere; quæ laudari possint, minimeque reprehen-
di mereantur.
Ephes. His videmur adumbrasse, quomodo sermo veritatis,
1:13. quæ pietatis effectrix est, in peccatore, per fidem receptus,
Tit. 1:1. ut semen in terra bona, in amplitudinem cognitionis &
Matth. omnis boni fructus abundantiam excrescat; vel potiùs, ut
13:23. cum Salvatore loquamur, fiat in ipso fons aquæ salientis
Johann. ad vitam æternam & fluvios copiosos effundens.
4:14. Ex altera verò parte, si homo noscens præceptum non
Hebr. audiat verbum bonum gratiæ, cum necesse est vel ratioci-
nando imminuere vim præcepti, vel judicio, in quo ve-
6:5. ritatis testificatio est, detrahere, atque ita Deum fingere
Psalm. homini peccatori similem, sui verò abnegatorem: ut au-
50:21. tem Deo placeat, religionem fabricare & eam sapientiam
2. Tim. putare; ideoque cupere eam ab hominibus omnibus ap-
2:13. probari; ut conscientia, cui se falsa religio probare non
potest, strepitu multitudinis & mutua mentientium assen-
Actor. tatione exsurdetur & obtundatur. Vel denique, pessimè
13:46. de se judicantem, se ad non timendum Deum, quasi is
nullus esset, indurare, omnemque religionem & pietatem
irridere.

Quod si verò etiam sermonem Dei vocantis hominem
ad se audiat, eumque à Deo venisse cogatur confiteri, si
ad eum non attendat, & in eo virtutes Dei non animad-
vertat, necesse est, eum etiam verba Dei juxta præcon-
ceptam de Deo & justitia Dei opinionem, cupiditatibus
2. Petr. convenientem, exponendo torquere & in mendacium com-
3:16. mutare: &, quò hoc fecerit majori cum industria, quo-
Jer. 8:8. que plura contra veritatem excogitaverit sophismata, si
Esai. 5: etiam multos adulantes nactus sit, ita in injustitia acquiesce-
20. 21. re, tanquam si sit justitia, in impietate, ut pietate, in men-
2. Timot. dacio suo tanquam veritate à Deo docta: & deinde vix
3:8. doceri ac sanari posse.
Tit. 1:16.
Deut. 29: Ex quibus apparet, quàm necessarium sit Dei monitum,
18. 19. ne quis *ambulans in cordis sui cogitationibus sibi benedicat pa-*
Es. 55:7. *cemque polliceatur:* sed ut, *qui indiget justitia, relinquat*
8 9. *viam suam, & qui vanitati natura deditus est, cogitationes
suas:* & hoc potiùs reputet, *quemadmodum cœlum à terra di-
stat, ita vias Dei à viis hominum, & cogitationes Dei à cogi-
tationibus hominum distare.* atque, etiamsi quis magnam sibi
videatur paravisse scientiam rerum, quæ sunt in mundo,
nihilominus in iis non reperisse sapientiam, neque quic-
Job. 28. quam, quod cum Deo comparari possit. Quam ob cau-
Esa. 40: sam etiam Apostolus monet, ne quis se patiatur *captivum*
18. 25. *agi per philosophiam;* ut, intra cancellos ejus conclusus,
Col. 2:8. nihil velit de Deo credere, cujus simile non invenerit in
rebus creatis; atque ideò potiùs *Dei nomen* & *vias* velit ne-
Roman. gare, quàm agnoscere eum, quem Deus nominavit *justi-*
10:3. *tiam nostram*, & *justitiæ Dei*, quæ non est *propria justitia*,
1. Petr. se subjicere. Primum igitur omnium est, ut, qui vitam
3:10. amat, & se ipse non indignum ea judicat, nihil temere
Actor. probet, nec suo nitatur consilio atque ingenio, tanquam
13:46. aliquid à se proferre possit, quo placeat Deo: sed ad Dei
2. Cor. verbum attendat, & *stultus fiat*, hoc est, suam & omnem
3:5. humanam sapientiam stultitiæ damnet, Deoque testanti
1. Cor. credat simpliciter. Quod si faciet, & testimonium animæ
3:18. de Dei virtutibus, deque sua & totius mundi imbecillitate
& pravitate, & Dei opere, atque imprimis longanimitate,
Col. 2: audiet; inveniet, *in mysterio*, quod credidit, *veram sapien-*
2. 3. *tiam & prudentiam absconditam contineri;* idque ita verum
esse, ut falsum esse non possit, & nullum mendacium ex
1. Joh. illa veritate esse. Neque adeo quicquam est, quod viam
2:21. vitæ magis intersepiat & hominem stultum brutumque effi-
Ps. 92:7. ciat, quàm persuasio propriæ sapientiæ, suarumque virium
94:8. & justitiæ propriæ.

Atque hæc de viis Dei generatim dicta sunto: nempe
de indicatione viæ justitiæ ac vitæ, ut homo miser in ea
ambulet & salvus fiat. Restat, ut de aliis, quæ Deus in-
terim facit, ut mundus eum cognoscat, atque ambulet in
via sua & in ea proficiat, addamus pauca. Nam, quæ
de iis dici possunt, nec temporis hujus pravitas, neque
mei tenuitas ingenii capit.

Rom. 9: Voluit Deus misericordiam suam ostendere, & interim
22. 23. iram in hostes suos, ut misericordiam magis commenda-
Act. 17: ret atque illustriorem faceret. Tempus definivit, quo
26. 31. Transgressor viveret in corpore, & ex ejus sanguine nasce-
Genes. rentur filii multis ætatibus habitantes in universò terrarum
3:19. orbe. Singulis dedit annos & menses, quibus longani-
Job. 14: mitate Dei & beneficiis ejus uterentur, vitam & bonum
vers. 5. quærerent, doloribus & miseriis multis exercitati, ut sci-
Eccles. rent, se peccatores esse, & tandem redirent in terram,
12:7. ea parte, quæ ex terra sumta est; spiritu autem vel in glo-
Heb. 2: riam reciperentur, ut justi, vel in carcerem concluderen-
vers. 10. tur, ut injusti.
1. Petr. Videmus, Deum inter reatum peccato contractum &
3:19.
judicium interposuisse clementiam & mansuetudinem; & Hebr.
omnes creaturas subjecisse vanitatis & corruptionis servi- 9:27.
tuti invitas. Invitas, inquam: quia conditæ sunt ad nar- Roman.
randam gloriam Dei & serviendum justitiæ. Videmus, 2:4.
tolerantiam Dei hactenus nos servare, quia & perditionem Roman.
sufflaminat, & nos admonet, ut redeamus ad eum, unde 8:20.
discessimus, & Creatori serviamus, non peccato, iram- Ps. 19:2.
que effugiamus. Quam tolerantiam & mansuetudinem 2. Petr.
frustrari quid est, nisi thesaurum indignationis & iræ justæ 3:15.
sibi in futurum reponere? Matth.
3:7.
At enim invitæ, ut dixi, creaturæ serviunt vanitati. Roman.
Ergo in spe revelandæ gloriæ filiorum Dei, ut ejus parti- 5:9.
cipes fiant. Non potest Deus velle, ut cœlum & terra, Roman.
& Sol & sidera &, quæ in terris nascuntur, tantùm ser- 2:4. 5.
viant peccatori & sint instrumenta peccandi; & nunquam Rom. 8:
injustis & injustitiæ morem gerere desistant. Dies igitur 20. 21.
constitutus est, in qua palam fiet, quàm potens & bonus Actor.
sit Deus in iis, qui ad ipsum confugiunt; & quanta sit ira 17:31.
ipsius in eos, qui ipsum contemnunt.

Interim ita agit in mundo, ut nomen suum notificet.
Nomen, inquam, quod ipse aliquando pronunciavit, ut
omnibus innotesceret. *Jehovah, Jehovah, Deus misericors* Exod. 34:
& gratiosus, longanimis & multus gratia ac veritate. qui servat 6. 7.
*gratiam millibus, qui condonat pravitatem & defectionem & pec-
catum, & non omittit* sine judicio aut satisfactione: *qui vi-
sitat peccata patrum in filios, & filiorum filios, in tertiam &
quartam ætatem.* Hoc nomine *vias Dei* contineri, Psalmus Ps. 103:
centesimus tertius testatur. Quas vias Dei qui abnegat, 7. 8.
eum, quum Deum nomine suo spoliet, Deum abnegare
evidens est. Significant autem illa, Deum esse immuta-
bilem, mendacii expertem, quique homini, quem ad Tit. 1:2.
imaginem suam creavit, se ostendat factis & rebus, qui est. Exod.
Illum igitur, ut potentem, & liberaliter donare, quæ sunt 3:14.
vitæ, & posse decenter ac velle miserum salvum facere;
neque tantùm tolerare posse malos atque decrevisse, sed
etiam abundare studio & miserationem suam ad effectum
deducturum, fidemque fœderatis suis etiam in millesimam
progeniem servaturum, & futurum eorum Deum; con-
donatis quidem transgressionibus, sed neutiquam dissimu-
latis, neque obscurata justitia: atque etiam quorundam pec-
cata in seros nepotes statuisse vindicare, ut pateat reatus
hominis & justum de ipsis judicium.

Secundùm hæc igitur necesse fuit, Dei, & quidem, ut
condonantis peccatum & donantis vitam, aliquando de-
monstrari justitiam. h.e. debuit omni conscientiæ patefie- Rom. 3:
ri, Deum non dissimulare peccatum, neque id non pu- 25. 26.
niendo prætermittere, neque habere communionem cum
peccatore debitore, ὑποδίκῳ & condemnationi obnoxio,
sine sacrificio, quo satisfiat legi & honori ipsius, & in quo Ps. 50:5.
peccatòr Deum justum ac judicantem secundùm verita-
tem, eundemque sanctum atque à communione mali ab-
horrentem, cognoscat. Quod sacrificium fuit offerendum Hebr.
à Sacerdote, qui non tantùm legem, quæ exigit dilectio- 1:2.
nem Dei & proximi, implere, sed & hæres omnium & Actor.
dominus eorum, qui redeunt ad Deum, esse posset; qui- 10:36.
que suo Spiritu sibi uniret perditos homines, ut in ipso per 1. Corint.
legem, quæ peccatum, petens dominationem in peccato- 12:13.
rem ad mortem, damnare non poterat, peccatum damna- Roman.
retur & injustus justus judicaretur. Hoc sacrificium nemo 8:3.
potuit offerre, nisi Filius Dei & Hominis; qui, quia super Roman.
ipso est Spiritus Dei & eum iis, quos postulat à Patre hæ- 4:5.
reditatem, dat, atque ita Sacerdos & Dominus populi Dei Es. 61:1.
& angelus fœderis sive interpres adstipulationis, verba Dei Ps. 2:8.
loquens, ungitur atque declaratur, CHRISTUS, sive Un- Zachar.
ctus, in sacris Literis appellatur. 6:13.
Psalm.
Visum fuit Deo ita tempora distribuere, ut secula quæ- 110:1.
dam præcederent Christi apparitionem, alia sequerentur. Malach.
Primò igitur Christus per promissionem fidei hominis com- 3:1.
mendatus est ad spem vivam. Idque ut, quum apparuis- Hebr.
set, ex promissione & præcedentibus testimoniis multipli- 3:1.
cibus eò faciliùs cognosceretur, atque ita, qui ipsum reci- Johann.
perent, in plenissima luce versarentur: qui autem ipsum 3:34.
non reciperent, nullam haberent excusationem stuporis & 1. Petr.
inobedientiæ. 1:3.

Homo in spe seminis, tum ejus, quod vitam daret, Daniel.
tum ejus, quod vitæ hæres fieret, liberos genuit. In qui- 9:27.
bus misericordia & judicium spectatum est. Unus melio- Johann.
rem oblationem in fide obtulit. Ad eum Deus ex cœlo 3:36.
ita respexit, ut alter id observaret, atque iratus justo fra- Genes.
tri eum interficeret. Sobolescente mortalium gente, ho- 3:20.
micida urbium colligendarum sepiendarumque auctor ex- Hebr.
titit. Quumque ex alio filio, cujus etiam nos posteritas 11:4.
sumus, miseriæ hæres, indeque nominatus *Enos* (hoc Gen. 4:5.
enim *miserum* notat) natus esset, eo adolescente cœptum Genes.
est, ut se Jehovæ esse & eum eo facere dicerent alii, aliis 4:17.
in Genes.
4:26.

Gen. 6:12. in diversa abeuntibus. Tandem eo res rediit, ut ferè omnes
à via vitæ aberrarent; & homines existerent, qui alios ha-
Gen. 6:4. berent in potestate, quorum nomen auctoritatemque seque-
rentur, qui aliis meliores religiosioresque videri vellent.
Gen. 5: In hac temporis parte septimus ab Adam Enoch & volun-
22.24. tatem Dei fecit & de judicio Dei prophetavit, &, à Deo
Jud. assumtus, inter mortales non est amplius visus. Hujus
vers. 14. pronepos Noachus præco justitiæ, arca jussu Dei exstru-
2 Petr. cta, quum aqua, ex qua olim terra emerserat, eam rur-
2:5. sus operuisset, mundum, & in eo magnos illos magistros &
Heb. legumlatores, auctores religionis, infidelitatis & injustitiæ
11:7. condemnavit. In eo judicio, cujus memoria ad omnes
gentes penetravit, voluit Deus spectari instar futuri olim
judicii, quo rebus mundanis impositurus est finem: mo-
nitosque universos, qui in mundum venturi erant, ne ipsi
sibi confiderent & quidquam, nisi in nomine Dei, dice-
rerent agerentque, neque putarent, obsequium homini præ-
stitum, aut quod humano consilio & auctoritate traditum
est, esse cultum Dei.

Quomodo in Noachi posteritate misericordia & judicium
se essent exsertura; ipse Noach Spiritu Dei agitatus expo-
Gen. suit. In Semi posteritate futuros, cum quibus Deus fœdus
9:25. faceret. Tum Canaanem Chami filium fore servum. Ja-
26.27. pheti posteros post oblivionem Dei in Christo accessuros
ad Semi filios & cohæredes eorum futuros. Et tunc rur-
sus Canaanem aliquem servum futurum. quam maledi-
ctionem implent, qui in terra Canaan habitantes, matri-
Ex. 18:3. busque Chittæis orti, atque ita Canaanem parentem ha-
bentes, non exceperunt Deum Semi & ab eo dispersi per
Deuter. totum mundum Dei faciem non vident.

32:20. Humanæ sapientiæ vanitas novo exemplo comprobata
Gen. est, quum homines aucti numero ceperunt consilium ædi-
11:4. ficandi civitatem & in ea nomen constituendi, ne, utcun-
Gen. que per totum orbem habitantes, desinerent esse unus po-
11:6. pulus. Acceperant enim à patre Noacho veram doctri-
Gen. nam de justitia: & ideò, sine schismate, idem loqueban-
11:1. tur. quam veritatem putaverunt se traditione feliciùs custo-
dituros, si & Traditionis sedes metropolis generis humani
nosceretur. Sed id temerarium inceptum erat. Neque
1 Timot. enim quisquam sibi justa ratione persuadere potuit, Deum
1:12. illius urbis principes fideles judicasse, ut ab ipsis veritas in-
corrupta peteretur. Igitur ibi linguæ confusæ sunt, & fa-
miliæ à se invicem discesserunt. Qui autem pertinaciùs
urbem ædificarunt, primum regnum instituerunt. Nomen
Esai. 13: Urbi à Confusione factum. Quæ Babylon ab antiquo ce-
19.20. lebratissima nunc ita, secundùm prophetias, periit, ut vix
ejus locus inveniatur.

Ex illa Confusione factum, ut familiæ aliæ aliis barbaræ
fierent, & paulatim Dei veri & justitiæ ejus obliviscerentur.
quædam etiam penitus obbrutescerent. Omnibus quidem
dedit Deus Cœlum & sidera: quibusdam etiam artes &
1 Corint. eloquentiam & philosophiam. Σοφίαν appellat Apostolus.
1:21. Sed illæ per sapientiam Deum non cognoverunt, & vanis
Rom. 1. suis ratiocinationibus, quum Deum non glorificarent &
vs. 21. vias ejus non requirerent, sine Deo in mundo fuerunt,
Eph. spem non habentes. Quod testantur scripta eorum, quo-
2:12. rum ingenium, perspicacitatem, solertiam, eloquentiam
post tot secula miramur. In quibus hoc maximè mirandum
est, quod, quum omnia videantur diligentissimè esse per-
Actor. scrutati, atque etiam fabulas artificiosissimè composuerint,
17:27. ut viderentur esse historiæ, nunquam palpantes invenerint
Rom. Deum, qui injustum justo veroque judicio justum reputat.
4:5. Nimirum nominis Dei obliti sunt; & ejus rationem non
Psalm. habuerunt. Ita tot seculis homines fuerunt exemplum stul-
9:18. titiæ & vanitatis.

Roman. Sed, qui voluit cognosci misericors, undecimum à
1:28. Noacho Abramum evocavit è Chaldæa, ejusque filio Isaaco
Gen. 22. & nepoti Jacobo innotuit, cumque eis fœdus fecit, pro-
vs. 18. misitque, ex iis Semen oriturum, in quo gentibus bene-
dictio, salus, justitia contingeret, & in quo se justus bea-
tusque gloriaturæ essent. Jacobum cum filiis in Ægyptum
deduxit. Ibi eos in multas myriadas multiplicavit. Ibi
sapientia humana cum fide, & divina potentia cum diis
Ægyptiorum conflixit, & fides deos hominesque judicavit
ac plurimis plagis affecit. Tum mare ipsis cessit. Mox
Actor. 7. Deum patrum suorum ex nube & igne loquentem audive-
vs. 38. runt, & ab eo acceperunt oracula viva, & pane cœlesti
1. Cor. cibati ac potu ex petra potati sunt. Ita in omne tempus fides
10. est facta hominibus, quæ verba Moses libro consignavit,
à Deo fuisse dicta. Neque enim dubitari potest, ea sic
dicta factaque esse, quemadmodum scripta sunt, quum
tot myriadibus consciis dicta factaque sint, & ab illis, ut
testibus, liber susceptus fuerit traditusque posteris, una cum
omnibus, quæ, ut monimenta rerum gestarum essent, in-
stituta sunt. quæ post illud tempus fuerunt à gente celebrata.

Inest in eo libro & doctrina justitiæ & sapientia ac prudentia: inest & prophetia; ita ut hæc doctrina & hæc prophetia omnis sermonis imposterum audiendi & omnium prophetiarum fons & canon sit. Habet verò & ænigmata: accendentia studium scrutationis & meditationis. quibus ostendit Deus, se non amare oscitantes & segnes, sed studium & attentionem postulare.

Quum ita Deus in eo populo tanquam domicilium cepisset. & velut thronum suum collocasset, duxit eum ad occupandam terram, quam patribus promiserat. Ostentabat populis, qui terram insidebant, misericordiam pariter & iram. Misericordiam, quia inter homines habitaculum cepit, & cum eis fœdus fecit: iram, dum jussit populum suum gladium stringere in illos populos, ut impios & hostes à se devotos. Maluerunt illi potentiam Dei tentare, quàm ad misericordiam ejus, impietate relicta, confugere. Ita excisi sunt.

Israëlitas ipsos, antequam in hæreditate sua collocaren-
tur, multis symbolis partim ornavit, partim oneravit. Ut Ezech.
onerarentur, merebatur durities cordis ipsorum. Symbo- 20:25.
la illa erant testimonia rerum, quas viderant, maxima- Actor.
rum. Figuræ erant rerum futurarum. Ostendebant etiam 15:10.
& arguebant conscientiam ipsorum nondum purificatam à Esai.
mortuis operibus, hoc est, nondum eò adductam, ut gau- 10:27.
dere & gloriari possent, jam esse peccatum expiatum. In- Hebr. 10:
ter cætera præcepta erat præceptum de sepeliendo crucifixo, 1.2.3.
propter eam causam, quod suspensus esset execratio Dei. Hebr. 9.
Quæ lex testabatur, vigere adhuc accusationem peccati, vs. 14.
ut sacrificio idoneo necdum extante; & nondum venisse Deuter.
eum, qui peccata in corpore suo tolleret in crucem. Itaque 21:23.
illa chirographum fuerunt ipsis contrarium, donec affigere- Gal.
tur cruci. Omnia hæc docebant, justitiam Israëlis non esse 3:13.
in ipsis, sed in Sacerdote vero, qui se ipsum pro peccatis 1 Petr. 2:
oblaturus erat. Postremò fœdus cum ipsis fecit per Mosen, vs. 24.
& palam stipulatus est, ne cor ipsorum spectaret ad deos Col.
alios, neque esset in ipsis radix pullulans veneno & absin- 2:14.
thio, hoc est, cogitationes & opiniones non veræ, non Deut. 29:
secundùm Deum, ex quibus nihil, nisi amarum & vene- 18.19.
natum, in profectu provenire potest. Habet enim, ut veri-
tas, ita etiam falsitas, suos profectus. Illa ad laudandum
Deum, hæc ad abnegandum. Et Moses quidem adhuc
clariùs: *Ne benedicerent sibi, & pacem sibi sponderent, quum
in placitis cordis sui ambularent.* hoc est, Ne per suam phi-
losophiam se perderent. Denique monet eos, ne, suis
ratiocinationibus indulgentes, non distinguant inter sitien-
tem & saturum. Promittit enim statim, Deum aliquando,
& quidem post multa benedictionis & maledictionis experi-
menta, corda ipsorum circumcisurum, circumcisione, Deuter.
quæ nondum erat facta; idque, ut ament Deum, cum 30:6.
lætitia, & in statutis ipsius ambulent. Erat tunc promissio:
erat igitur spes, exspectatio & desiderium audiendi, quod Matth.
nondum audiebatur, & videndi, quod nondum videbatur. 13:17.
Quod quum vidissent atque audivissent, nihil amplius, ad
vitam & justitiam, ad lætitiam salutis, ad spem vivam,
ad gratiarum actionem, ad gloriationem, audiendum vi-
dendumque erant desideraturi. Volebat igitur tempus sitis &
saturitatis distingui. In viis igitur Dei ambulare erat futura
sitire: non verò in rebus præsentibus acquiescere & saturum
esse. Contrarium erat viis Dei, nihil novi desiderare vel Luc.
exspectare (nimirum verba Filii Dei, & prædicationem 1:53.
Euangelii) sed in suis factis & in istis elementis mundi, Galat. 4:
sive terrestribus rebus, aliquod momentum ad justitiam 3.9.
collocare. Ita, quæ erant ad docendum & ad futuram
gratiam quodammodo oculis ingerendam instituta, potue-
runt etiam hominibus, sua consilia sequentibus & in iis
pacem sibi pollicentibus, esse scandalo, ut putarent, Deum Es. 66: 5.
illo cultu delectari, & eum exercentes, tanquam si ea
gloria sua esset, amare & pro justis habere.

Israëlitæ cum hac lege in terra, quæ Dei hæreditas dice-
batur, positi, plerique per stuporem, oscitantiam & ne-
gligentiam verborum Dei, opinione de se & de patribus
suis eorumque traditionibus effascinati, rationem non ha-
buerunt Nominis Dei, & à lege justitiæ aberraverunt. Si- Roman.
vit etiam Deus eos in idololatriam & gravia facinora inci- 9:31.
dere; si quomodo, redarguti à Prophetis, à temulentia er-
roris resipiscerent & ad se redirent, seque non ambulare in
via justitiæ intelligerent. Immisit etiam eis varios populos,
à quibus graviter premebantur. Sed & hos judicavit Deus.
Neque enim ex animo affligebat populum suum. Et vo- Thr. 3:
luit eum cognoscere potentiam suam, & sibi confidere, 33.
neque assimilari populis, qui ipsum circumdabant, aut eis
confidere, aut cum eis scortari. Tandem eis & regem de-
dit. Primum & corporis statura atque animo magnum;
sed prudentem in oculis suis; eoque non morigerum: exi- 1 Sam.
tu infelicem. Secundum, virum timentem Dei, fortem 23:3.
in

in Domino; victorem omnium hostium: carnis infirmi-
tatem expertum, sed & confugientem ad gratiam Dei &
Deo non recalcitrantem: qui & Promissionem accepit, ex
2. Sam. 7: semine ipsius proditurum, cujus æternum regnum esset.
11. 14. Tertium abundantem pace, majestate, divitiis, sapientia:
16. qui & Templum splendidissimum construxit. Et horum
non tantum victoriæ populo profuerunt, quantum scripta
in omnem ætatem prosunt.

Tantum jam erat regnum Israëlitarum, ut viderentur
felicitatem suam non posse concoquere. Humiliati sunt
schismate: sed ipsa humiliatio magnitudinem Israëlis de-
monstravit. Duo enim regna firma & valida ex uno exor-
ta sunt.

Jaroboam schismatis auctor & templa alia, præter id,
quod erat in loco, quem Deus elegerat, ædificavit. Ibi
tentati sunt rursus, utrum terrenis rebus uterentur, ut figu-
ris; an, ut justitiæ causis. Decem tribus palam & publico
decreto cultum Dei in formula pro vero cultu in fide & spe
futuri elegerunt. Eædemque deinde parvo momento in
cultum Baal prolapsæ sunt. Haud secius in Judæ tribu,
qui voluerunt religiosiores videri, altaria & fana multipli-
carunt. Illas Assyrii, qui Ninive habitabant, deportarunt.
Tribum Judæ Babylonius in exsilium egit, urbemque, in
qua erat domus Dei, ipsamque domum, concremavit.
Ita fidem fecit prophetis, qui hæc antè prænunciarunt, &
populum injustitiæ coarguerunt, vel pluribus in locis ado-
Actor. 7: lentem, vel Hierosolymæ fungentem cultu carnali sine fide
48. 17: in Christum & quæstione justitiæ Dei. Ita demonstravit
24. 25. Deus, se non habitare in domibus manu factis, neque
Ps. 40: 7. manibus hominum coli, neque delectari sacrificiis mutis.

Fuerunt & ante exilium & in eo plurimi prophetæ, qui
insignibus voluminibus & viam justitiæ explicarunt, & con-
silia Dei, quæ imposterum erat exsequuturus: ita ut ser-
mones sequentium temporum ordinem explicantes sine
magno labore numerari non possint. Christum omnes &
1. Petr. 1: passiones ejus & sequentes glorias in regno ipsius cecine-
11. runt. Apex enim religionis, nucleus sapientiæ Dei, fun-
damentum veritatis, quæ ad pietatem animos format, fons
Ps. 118: amoris Dei est cognitio Christi. In eum noluit eos impin-
22. gere, rupem & lapidem anguli: qui futurus erat inobe-
Es. 8: 14. dientibus rupes offensionis & confractionis. Prænunciari
1. Petr. 1: igitur curavit per hos, & tres sequentes prophetas, quali-
11. tatem temporis, quo Christus appariturus erat, & prolixi-
Daniel. 9: tatem temporis præfiniti quodammodo ad calculos revoca-
24. 25. vit.
26. Tandem, quum sermo Dei eximio modo esset multipli-
catus, & pro meditatione divinarum promissionum stupor
Daniel 9: in populo vigeret, atque omnia in eo, quæ prædicta erant
27. futura, antequam elucesceret Germen ex Alto, facta es-
Luc. 1:78. sent, & imperia gentium, quemadmodum antea præscri-
Hagg. 2: ptum erat, perpetua vertigine, mirabilem in modum, fuis-
22. sent & erecta & pessumdata, moreque bullarum inflata &
elisa: atque ita revera, adventante Domino omnium, qui
mutat petram in fluvium & durum silicem in stagnum aqua-
rum, montes subsiluissent, instar arietum, & colles, in-
Ps. 114. star agnorum (quemadmodum Psalmus loquitur) totum-
Es. 40: 4. que orbem veluti complanasset populus Romanus; cui data
Joh. 19: erat potestas occidendi Filium Dei & lapidem probationis
11. à monte suo abscindendi: repentè exortus est, qui dixit:
Esai. 28: *Spiritus Domini est super me: quia Dominus unxit me. misit*
16. *me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis liber-*
Daniel. 2: *tatem, & vinctis acutum visum; ad prædicandum annum ac-*
45. *ceptationis, & diem ultioni Domini, ad consolandum omnes lu-*
Es. 61: 1. *gentes.* hoc est, Filius Dei & hominis, donatione Spiritus
& maximorum operum patratione demonstratus donator
Joh. 1:14. Spiritus, incepit prædicare libertatem, & veritatem sine
Act. 10: velo explicare. Visa est ejus gloria (Deus enim ipsum un-
38. xit potentia & Spiritu sancto) & Verba Dei loquutus est,
Joh. 3:34. iisque Pater attestatus est: sed in ea specie, in qua oporte-
Gal. 4: 4. bat apparere subjectum legi verum Sacerdotem, qui, quum
Hebr. 10: se ipse obtulisset, in sanctum cœleste ingrederetur, nosque
21. ad id adduceret in fiducia filiorum. Deficeret me tempus,
Hebr. 9: si de hoc argumento plura vellem dicere: & parvi magni-
24. 25. que quotidie, Deo sit gratia, de eo κατηχούμεθα.
Ephes. 2: Notemus illud, cum dici Præconem tum Anni Gratiæ
13. tum Diei Vindictæ. Id enim instituto nostro aptum est.
Gal. 4: 7. Populus ignorans Justitiam Dei Christum exspectavit,
Es. 61: 2. non qui moreretur & sacrificium offerret, sed, qui sapien-
tiam quidem, quam ipsi animo præformaverant, doceret,
sed & more hominum, feliciter compressis gentibus, re-
gnaret in mundo, in pace perfecta & perpetua. Quum igi-
tur hi & audirent verba majora hominis captu, & doctri-
Esai. 63: nam, quam ipsi probabant, non audirent, & non viderent
11. circa ipsum duces atque exercitum, nihilque comparatum
Ps. 82: 1. ad imperium Romanis extorquendum, sed ipsum etiam
primores populi objurgantem, & subterfugientem plerum-
que ac latitantem, observarent: non potuerunt non often- Es. 42: 2.
di atque eum dignum omni supplicio judicare. Verum-
enimverò, quod, quum prædicaretur resuscitatus ex mor-
tuis, eaque prædicatio redargui non posset, & Spiritum 2. Cor. 2:
effudisset in discipulos suos, & Paulum, captivum suum, 14.
in triumpho ostentaret in toto mundo, non crediderunt Deut. 32:
etiam tum, sed filios Dei & filias vexarunt; id Dei iram 19.
in capita inobedientium provocavit. Non potuit ex illo Deut. 29:
manere incolumis urbs & domus, quæ in ea erat, jam de- 29.
serta à Deo. Non potuit manere urbs, quæ gentes acce- Matt. 23:
dentes ad Christum retardaret & infestaret. Hic igitur fuit 38.
audita *vox tumultus ab urbe, vox à Templo, Domini talionem* Es. 26: 5. Zoph. 3: 1.
reddentis inimicis suis. Neque in hoc subsistit Vindicta. Deus Es. 66: 6.
gentes illorum loco assumsit, & per non populum, popu- Deut. 32:
lum stultum, eis ægrè fecit. Ab ipsis vero occultavit fa- 21.
ciem suam, atque eos conclusit sub inobedientiam: jussit- Rom. 11:
que sedere sine rege, sine principe, sine sacerdotali stola, 11.
sine imaginibus, & libros quidem Prophetarum gentibus Deut. 32:
exhibere, inobedientiæ verò & stuporis exemplum præbere 20.
& justitiæ propriæ condemnatione insignes esse. Rom. 11:

Nec tamen pari humilitate ac fide a gentibus accepta est 32.
annunciatio pacis ac regni. Etiam Paulus conqueritur, se Hos. 3: 4.
non posse Corinthiis scribere, ut spiritualibus, ut sapienti- Rom. 3: 2.
bus, sed ut carnalibus, ut pueris in Christo. Et Johannes Rom. 11:
testatur, jam Spiritum Antichristi esse in mundo, hoc est, 8.
divino judicio per Diabolum jam omnia præparari ad de- Rom. 10: 3.
fectionem & mortem secundam adducendam. Nidulatæ 1 Cor. 3: 1.
sunt sine dubio in multis opiniones non sanæ. Quare & 1. Johann.
Apostoli seriò inculcarunt, ut eos, qui aliud docerent, vi- 4: 3.
tarent. Monentes, exituras hæreses exitiales, & lupos sæ- 2. Thess.
vos se insinuaturos in Ecclesiam minimè parcentes ovibus, 2: 7.
postquam ipsi cursum suum peregissent. Fuerunt etiam Apoc. 22
tum schismata. Non omnes sincerè Christum nominarunt 11. 20: 6.
& prædicarunt. Fuerunt pseudapostoli studentes excludere Rom. 16:
veros Apostolos Christi. Ita prædicationem veritatis, quæ 17.
pios facit, comitata est statim tentatio. Mox apparuerunt, 2 Pet. 2: 1.
qui Christi magnitudinem in dubium vocarent. Neque ab- Act. 20:
nuerim, omnium errorum, qui postea in publicum eru- 29.
perunt, semina tunc jacta esse. neque defuisse, qui in sa- Jud. vs. 4.
cra Cœna putarent Corpus Christi ore assumi. quum vul- 1. Cor. 11
go non aliter loquerentur doctores, & rem ipsam coram 11. 12.
non initiatis aperire atque explicare religioni ducerent. In- Philipp. 1:
ter doctores etiam fuerunt, qui mallent esse pædagogi, 15. 16.
quàm patres, & Apostolorum laborem, charitatem, hu- Gal. 4: 17.
militatem non imitarentur. Deut. 32: 3.

Ergo maturè Deus posuit Ecclesiam in igne afflictionum, Ps. 95: 3.
& fidem fidelium suorum in eo fecit exsplendescere, & ab Theodor.
eis scorias abegit. Vicit fides, vicit patientia, vicit inno- dial. 2.
centia, vicit verbum veritatis. Fugerunt reges, *decessit pag. 85.
Draco, & aliam personam assumsit. Data est pax. Gen- 1. Cor. 4:
tes cuderunt enses suos in ligones, & cuspides in falces. 15.
Collocati sunt throni seniorum, congregatus populus Dei. Apoc. 2:

Quis non putaret, jam regnum esse datum Ecclesiæ? 4.
At non meminerunt ejus, quod olim, serventibus perse- Apocal.
cutionibus dixerant, se orare pro imperio Romano, quod 12: 11.
scirent, ejus commeatu Antichristum retardari. Gentes Ps. 68: 13.
mendacio Christum nominantes & Ecclesiæ fraterno no- Apocal.
mine blandientes cum suis opinionibus & vitiis in Civita- 12: 17.
tem sanctam intrarunt. Sederunt quidam in thronis, qui- 13: 2.
bus judicium datum est, hoc est, quibus concessum est ju- Esai. 2: 4.
dicare, tanquam ex potestate, & ut habentibus Spiritum Apocal.
Dei. Hoc genus hominum *Pseudoprophetæ* nomine designat 20: 4.
Scriptura. cum quo conjungit regnum, quod vocat *Bestiam;* Tertull.
quæ sibi arrogat, quod de Ecclesia Dei dicit Spiritus Dei. Apol.
Sumsit sibi Bestia etiam potestatem leges præscribendi, & cap. 31. Ps. 18: 45.
dedit Uni Nomen & Auctoritatem, tanquam erroris ex- Ps. 12: 3.
perti, ut is legem daret & professione & actione approban- Apocal.
dam. quod Scriptura dicit dare Signaturam in frontem & 12: 2.
dexteram manum. Eum unum hominem nominat Imagi- Apocal.
nem Bestiæ, velut si in ejus sensu sensus Bestiæ, quæ se 20: 4.
jactat Ecclesiam, spectaretur. Apocal.

Excitavit interim Satanas multas hæreses. De quibus 16: 13.
quum plurima esset disputatio, neglectæ sunt non postre- 19: 20.
mæ salutaris doctrinæ partes. Visum est multis, præscri- 20: 10.
ptione fortiùs & compendiosiùs agi cum hæreticis, quàm Apocal.
demonstratione. non cogitantes, Demonstrationem à Præ- 13: 1. 4.
scriptione separari non posse. Quæ enim vis est Præscri- 15. 16.
ptionis, ubi non demonstratur antiquitas? hoc est, ubi Tertull. de
non patet, Ecclesiam in doctrina Apostolorum & Prophe- præscript.
tarum permansisse? Neque enim pro principio fidei poni cap. 19.
potest, aut multitudinem non errare, non labi & ignoran-
tia laborare, aut certum thronum possidere veritatem abs-
que errore & defectu. Sed, quia demonstratio separata est
à Præscriptione, invaluit humanum nomen, & pro fide
viguit

vigait obedientia hominum. Hæc imperiositate hæreses da-
mnatæ sunt, eadem leges datæ sunt, & errores magnorum
virorum splendore se inceperunt commendare. Non mi-
Apocal. nùs mille annis hoc mysterium Iniquitatis adolevit. Quid
20: 4. igitur dicemus? An tunc non regnavit Christus? Utique.
& regnarunt cum ipso fideles ex omnibus nationibus & lin-
guis. quippe Christo & fidelibus mentitæ & blanditæ sunt
gentes. Sed quinam illi? Qui Bestiæ legem non recepe-
Apocal. runt: definit Scriptura. Bestia autem fecit bellum Sanctis,
13: 7. & eos devicit. Non, ut esse desinerent Sancti, aut sancti
Daniel. 7: à sanctitate abirent, sed, ut aliquando non apparerent san-
21. cti in publico & inter hypocritas non eminerent. Nam zi-
Matt. 13: zania à frumento aliquanto tempore non erant discernenda.
29. Quo tamen in tempore fides Sanctorum per intervalla ap-
Cantic. 6: paruit. Emicuit Ecclesia, ut aurora; pulchra, ut Luna;
10. clara, ut Sol; terribilis, ut acies vexilliferæ. Fuerunt au-
Apocal. ditæ voces; ut aquarum multarum, ut tonitrui magni, ut
14: 1. 2. citharœdorum. Nam & planctus fidelium auditi sunt, &
multi, imò innumerabiles, læti animam suam profude-
runt; qui noluerunt signaturam Bestiæ accipere. Qui qui-
Apocal. dem non omnes caruerunt errore (nam Scriptura ostendit,
2: 20. & servos Dei erraturos & scortaturos & idolothyta come-
suros) sed tamen fuerunt discipuli Dei, neque alium do-
ctorem admiserunt; & crediderunt in Christum, neque
aliud fundamentum, aliud sacrificium, aliam justitiam
adoptarunt: semper parati à Christo doceri, & animas suas
ipsi commendantes.

Videmus, in quod certamen deducta sit fides; quomodo
eam voluerit Deus probari omnibus modis. quomodo eam
oportuerit suam Cynosuram sequi, & suo hærere funda-
mento, & nullis, neque obliquis neque adversis, ventis à
linea sua deflectere. Hîc non potuerunt subsistere, qui
Ef. 54: 14. consilium proprium consilio Dei prætulerunt, quique non
Rom. 11: justitiam Dei & gratiam tenuerunt. In hoc certamine falsa
22. vetustas exclusit novitatem profectus; humanæ doctrinæ
Hebr. 13: novitas à vera vetustate abduxit. itaque fuit vetustas præju-
8. dicans novitati cognitionis ex verbo Dei & fundamento
redundantis, novitas contraria vetustati, h. e. ei, quod
primitus auditum est. Uno verbo, Traditio hominum se
Col. 2: 8. opposuit Traditioni divinæ, quæ in Scriptura pervenit ad
2 Thess. 2: omnes. Atqui Scriba discipulus factus ad regnum Dei pro-
15. fert è thesauro suo & Vetera & Nova: Vetera initia, No-
Jerem. 31: vum profectum; ut posteriora semper sint meliora priori-
33. bus; & magis magisque primis, quæ Prophetæ & Christus
1 Cor. 14: & Apostoli locuti sunt, gemina, imò eadem. A quibus
36. ita recessum est, ut & vocabula alia cum infinitis alterca-
Matt. 13: tionibus invecta sint, & vocabula Scripturæ aut vix usur-
52. pentur, adeò ut, qui eis loquitur, videatur barbarus, aut
Apoc. 2: etiam usu hominum aliud significent: atque ita Deus er-
19. rantibus loquatur sermone barbaro. quam pœnam Israëli
1. Cor. 2: inobedienti comminatus est Esaias. Postquam deserti sunt
13. sani sermones Domini nostri Jesu Christi, & nova aucto-
1 Cor. 14: ritas in Ecclesia se elevavit, etiam à doctrina veritatis, quæ
21. pietati efficiendæ apta est, est deviatum. Opinio præsentiæ
Ef. 28: 11. corporis Christi in S. Cœna omni molimine ad fastigium
1. Timoth. dogmatis & legis nixa est; ut viderentur, qui se extulerant
6: 3. super fratres, esse factores Dei & quotidianum offerentes
Matt. 24: sacrificium pro vivis & mortuis: νομοδιδασκαλία & doctrina
23. justitiæ ex factis invaluit: satisfactiones pœnales pro pec-
catis excogitatæ sunt, ne deesset jugum, quod lex Israëli-
tis imposuerat, exigens sacrificia pro peccatis & satisfactio-
nes carnales: justitia fidei ad opus operatum traducta est:
inter opera meritoria numerata sunt voluntaria mendicitas,
à parentibus & civibus se separare, uxorem non habere vel
relinquere, & de eis rebus votum facere. Sanctis datus est
1. Timoth. honos Mediatoris: cultus Dei & Sanctorum in imaginibus
4: 3. stabilitus est; discrimen ciborum introductum est; tanquam
Col. 2: 21. si puri cibi fideles aliquo tempore inquinarent: & statutum
est, commentitium illud sacrificium non posse offerri à vi-
ris uxoratis, quanquam possit offerri à concubinariis & scor-
Apocal. tatoribus. Super hæc reges redacti sunt in ordinem, &,
17: 12. qui istiusmodi doctoribus non parerent, vellentque officium
Apocal. facere, anathematis fulmine percussi sunt, cum eo eventu,
13: 13. ut aliqui, tanquam cœlitus tacti, à stirpe perierint, non
sine seditionibus & internecinis bellis.

Tandem placuit Deo per Spiritum suum excitare viros, Esai. 57:
qui cum vitæ periculo & Verbi divini auctoritatem & justi- 14. 16.
tiam Dei assererent, & in omnia fidei adulteria inquire- Apocal.
rent. Prædicatum est Euangelium purius, doctrinis homi- 14: 6.
num spretis: idque populi & principes receperunt. Via ju- 2. Petr. 2:
stitiæ per fidem patuit etiam levis propositi hominibus. 21.

Ibi, quum vis non proficeret, auctoritate agendum fuit. Ef. 35: 8.
Concilium collectum est hominum, qui vellent credi,
quod ipsis placeret, placere Spiritui sancto. Eos oportuit
veritatem vel approbare vel damnare. Amaverunt se ipsi,
errorem lege sanciverunt, opiniones fecerunt articulos fi-
dei, veritatem, imprimis justitiæ Dei, & fidem veram ac
spem vivam, stigmate notarunt, eosque, qui vellent Deo
magis obedire, quàm hominibus, hæreticos dixerunt. Ibi
coactus est populus Dei ex Babel exire. Ibi Zizania cœpe- Apocal.
runt in fasces colligi. Nam & multi, magna illa civitate 18: 4.
relicta, in errores rectè damnatos relapsi sunt. Hæc est illa Matt. 13:
à Prophetis prædicta Apostasia sive Defectio; quæ à Co- 41.
gnitione verbi Dei & nominatione Christi ad errores no- 1. Timoth.
xios & denique ad secessionem à fidelibus verumque loquen- 4: 1.
tibus profecit: quemadmodum, qui ex Ægypto cum Hie-
rosolymam petentibus profectus, in medio itinere, eis de-
sertis, Sodomam versus tendat aut Babylonem, &, quum
eò venerit, se Hierosolymæ esse jactet.

Atque hæc quidem evenerunt, quemadmodum ante
scriptum erat; & in viis Dei alii ambularunt, alii offende-
runt per inobedientiam sequentes consilium cordis proprii.
Neque adhuc desinit Deus Ecclesiam ventilare. Et multæ Matth. 3:
paleæ multis modis avolant. Redeunt porci ad cœnum, 12.
canes ad vomitum: & Dei Spiritum, qui eis aperuerat Cypr.
veritatem, mendacem dicunt, suis consiliis obsequentes. 2 Petr. 2:

Ecclesiam quidem sivit Deus venire in ignem & aquam, 22.
sed non sivit opprimi & demergi. quin etiam quosdam, Hebr. 10:
qui effugerunt eos, qui in errore versantur, & nomen Chri- 29.
sti nuncupant, & viam justitiæ non abnegant, cum Regi Ps. 66: 12.
bus in solio collocavit. at interim multis modis castigavit; 2. Petr. 2:
& sæpiùs flere atque ingemiscere & proterviam suam (li- 18.
ceat mihi hoc nomine appellare, quod Apostoli ἀσέλγειαν Ps. 113: 8.
nominant, hoc est, nimium rerum vanarum & earum, Job 36: 7.
quæ sensibus placent, studium cum neglectu *ἰδίου στηριγμοῦ*
propriæ constabilitionis & regni Dei) confiteri ac damnare 2 Petr. 3:
coëgit. 17.

Et novimus quidem, gentes electas esse, ut Israël per Rom. 11:
eas ad æmulationem concitaretur; promissumque habemus, vers. 11.
aliquando plenitudinem gentium intraturam; & sic totum 25. 26.
Israelem salvum futurum; & tum Ecclesiam refrigerio & Esai. 59:
consolatione fruituram: sed vereri cogimur, ne de nobis 20.
dici possit, quod dicit Propheta: *Et vidit, quòd non esset* Actor. 3:
Vir, & obstupescebat, quòd non esset Intercedens. Fortasse, 20.
qui Vir inter nos videtur esse, est puer, &, qui sibi vide- Ef. 59: 16.
tur pius, non intercedit pro pereuntibus enixa charitate at-
que operosa; & preces nostræ sunt potiùs accusationes &
suspiria adversus eos, quibus Deus dedit brachium, quàm Ef. 58: 5.
vota secundùm Deum. Eja igitur evigilemus, surgamus, Job. 35: 9.
luceamus. Nam, si super nobis non est dies, tamen dedit 1. Joh. 5:
Deus nobis sidus matutinum. Luceamus, inquam, si vo- 14.
lumus gentes in luce nostra incedere, & reges ad splendo- Esai. 60:
rem exortus nostri. Elevemus sermonem veritatis, since- 1. 2. 3.
rum illud lac propinemus nobis invicem: justitiam Dei ce- Apocal.
lebremus: sine cordis nostri fiducia, non per Philosophiæ 21: 24.
rudimenta ac serperastra, sed per Sapientiæ Dei πλεονότητα Philipp. 2:
profectum ad unitatem & linguæ & sensus urgeamus. Im- 16.
primis autem, qui Sapientiæ alumni auditis, Juvenes opti- 1. Petr. 2:
mi, spes patriæ suæ quisque, incrementa Ecclesiæ, hoc 2.
affectate &, ut significante vocabulo utar, φιλοτιμεῖσθε, Job. 28:
hoc est, tanquam honoris vestri studiosi, operam date, 28.
ut vos non multiloquio, sed vera sapientia, quæ est timor
Dei, omnes alii homines sibi præstare intelligant, & non
propter pueriles ineptias vos derideant, sed vestri, ut se
meliorum, quam simillimi esse cupiant atque contendant.
Ne offendamini in viis Dei, ne ab eis evertamini: sed in Jac. 1: 17.
iis incedite constanter & proficite. Id quum vobis vestri- Matth. 5:
que similibus à Patre luminum comprecor, existimo me 13.
salutem mundi à Deo comprecari. Nam juventus in ti- Ps. 144:
more Domini erudita est sine dubio sal terræ. 15.

DIXI.

O R A T I O
N O Υ Θ E T I K H.

Ad Studioſos,

Quum in tumultu veſpertino

Præſtantiſſimus ac Doctiſſimus Juvenis

JOHANNES PRACK

SS. LL. Candidatus occubuiſſet,

Ex Decreto Senatus Academici habita

Proprid. Kalend. Martii, A. M DC XLIII.

Illuſtribus ac Præpotentibus

FRISIÆ ORDINIBUS,

EORUMQUE

ACADEMIÆ CURATORIBUS

Magnificis

S. P. D.

ILLUSTRES PROCERES, MAGNIFICI CURATORES;

IN *Academia veſtra ſubita atque inopinata calamitate, quæ nuper illam inceſtavit, Clariſſimi ejus Profeſſores, Collegæ mei, unanimiter à me ea, quæ ad Studioſos redarguendos & modeſtiæ præparandos facerent, ex verbo Dei & legibus Academicis dici voluerunt: non*
Prov. 17: vſ. 10. *ignorantes, rem nobis eſſe cum ingenua pube humanioribus initiata literis, &* Increpationem *paternam* magis penetrare intelligentem, quàm ſi centies ſtultum verberes. *Dixi igitur,*
Pſal. 44: vſ. 10. *&, Deo gratia, ſummo cum ſilentio atque attentione, nec ſine motu animarum aut gratulatione multorum auditus ſum. Quod nobis meritò ſignum eſt, Deum nondum* nobiſcum in aciem prodire *deſiiſſe. Valuerunt Collegæ mei, quod a me pro ea mediocritate, quam Deus conceſſit, dictum eſt, VV. Illuſt. & Magn. DD. exhiberi. Exhibeo, ea, qua par eſt, reverentia. Veſtrum erit, verbis noſtris Veſtræ auctoritatis pondus addere, in Academia (inſignis ornamenti hujus Reipublicæ) ſalutem excubare, & morbis ejus (Nam quid in Chriſtiano orbe hoc tempore non languet?) medicam manum ſalutariter admovere. Ego Deum veneror, ut VV. Illuſt. & Magn. DD. det neceſſaria providere & fructuoſe exſequi, ad gloriam ipſius & commune bonum. Scripſi prid. Cal. Martii, A. M. DC. XLIII.*

Illuſt. & Magn. DD. VV. deditiſſimus

JOH. COCCEJUS

S. Ling. Prof.

ORA-

ORATIO
ΝΟΥΘΕΤΙΚΗ.

MAGNIFICE RECTOR; CLARISSIMI, REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, DOCTISSIMI PROFESSORES, COLLEGÆ HONORANDI; PASTORES VENERANDI; DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI; TUQUE DEO AC PATRIÆ CONSECRATA JUVENTUS.

Amos. 3:8. LEo *rugiverit, quis non timeat?* inquit Propheta; *Dominus Deus loquutus fuerit; Quis non prophetet? Leo rugiit.* Quid enim? Injuriane usurpabimus hac ipsa tempestate, quod per alium Dominus dicit: *Dum pascuntur, saturantur. Saturantur & elevatur cor illorum. Idcircò obliviscuntur mei. Quapropter extiti ipsis ut leo, ut pardalis juxta viam. Occurro ipsis ut ursus orbatus catulis, dilanio munimentum cordis ipsorum & devoro ipsos ibi* in vestigio *ut Leo.* *Hos. 13: 6. 7. 8.* Horret animus meminisse, lingua torpet effari. Quod, utinam nunquam oculus meus videat iterum vel auris usurpet, factum est. Is, cujus oculus vigilat super via omnis carnis, qui in numerato habet omnes passus hominis, sine cujus numine & voluntate neque bonum neque malum fit, sine quo nec pilus de capite cujuspiam cadit, qui cuique rependit secundùm viam suam; Is, cujus clementia diu Academia hæc criminis innocens stetit: Is tremendo & justo judicio commilitones fratresque alios aliorum gladiis objecit; ejus indignatio grassanti licentiæ occurrit; ejus ira corporis nostri nobile membrum in vestigio devoravit. Quis tam brutus, tam durus, tam silex est, ut rugitum Leonis animosissimi non animadvertat? Quis animadvertens non contremiscat, non toto corpore atque animo percellatur? *Dominus Deus locutus est.* Testor corda vestra, Auditores, annon vestri omnium animi cœlestem vocem exaudiant, quæque in Sacris tabulis extant oracula obsignent, seque ad deplorandum tantum malum, ad detestandum fraternarum manuum conflictum, ad expiandum deprecandumque cæcorum furorem pectorum diviniori atque inusitatiori stimulo acui atque incitari, igneque flagrantissimi ardoris accendi sentiant? Quis igitur tam infacundus erit, ut non loquatur? Ego, qui rarus ex hac cathedra dico, eos contentus quotidie alloqui, qui sacrarum Literarum rimantur arcana, nunc in hac Academiæ tempestate, nulla gloriæ cupiditate instinctus (quam potueram minùs salebroso argumento minusque tristi in loco aucupari) vos, optimi juvenes, ut salvi esse velitis, obtestaturus prodii. Imperavit hoc Collegarum mihi colendorum concors auctoritas: Imposuit officii communis necessitas: ut excusarem, non permisit vestri studiosissima charitas. Credite, Studiosi, vos nobis artissimis esse vinculis nexos. Vestri vos parentes, qui tenerrimè pignora sua diligunt, hac solum spe, quod vos, preciosissimum scilicet depositum, in oculis atque in intimis affectibus gesturi essemus, à se ut dimitterent, adduci potuerunt. Testes sunt frequentes literæ, quibus suos præceptoribus solent commendare: Testes preces quotidianæ piorum parentum & gemitus & lacrimæ ad Deum fusæ, informatoribus docendi regendique suos liberos prudentiam atque animum, liberis suis docilem & obsequiosam mentem exorantes. Nos, si quid fidei merentur vel quotidiani labores nostri, vel multorum tolerantia tædiorum, vel severitas corripiendi, vel, utinam non nimia! lenitas coërcendi, Nos, inquam, vos in utero veluti gestamus & parturimus, hoc optantes, sperantes, nec sine dolore nitentes, ut primùm homo Christianus, deinde utilis civis, postremùm artibus honestissimis ad omnes decus ornatissimus in vestrum singulis animus formetur, exascietur, absolvatur, vestrisque cùm Patris tum Genitoribus, cum gratulatione divinæ benedictionis, statuatur. Hæc nobis meta, hoc operæ precium est. Viscera nostra laniat, qui vos corrumpit, qui deformat, qui discerpit, qui destruit. Possumusne, visceribus nostris discerptis ereptisque, non indolescere, non vociferari? Dicam, charissimi juvenes, ad Vos, quos divina gratia integros ab hac calamitate servavit, ut Deo servatori humillimas gratias agatis; ut innocentiam vestram firmiùs firmiusque amplectamini; alieno exemplo cauti laqueos Diaboli vitetis solicitiùs; ac commilitiones vestros ab exitio retrahatis: Ad Vos item, quos tempestatis hujus pestilens turbo corripuit, ut ad rupem, ad portum tutamque pietatis & tranquillitatis stationem vos confestim recipiatis, ne decumani licentiæ & ferociæ fluctus in altum vos referant corporisve exitio aut inexpiabilis voragini reatus demergant. Audietis verba non mea, sed hujus Venerandi Collegii, sed Nobiliss. & Ampliss. Dominorum Curatorum, sed Illustrium hujus Provinciæ Ordinum, sed omnium bonorum, sed parentum vestrorum, sed patriæ quisque vestræ, sed Dei. Verba non fuco adulterata, sed veritate armata; non arte composita, sed charitatis vigore librata. Accipietis ea ut non in Caucaso aut inter asperos Scythas, sed ex mansuetis gentibus nati; ut optimorum parentum filii ad virtutem & modestiam educati; ut studiosi, artibus feritatem detergentibus exculti, in fraternam conjunctionem sacramento Academiæ præstito auctorati; ut Christiani divino igne calentes & sanguine Christi in unum corpus tincti. Deum interim supplex toto animo adoro, qui in hac tam gravi re hoc mihi munus suum largiatur eximium, ut ab ipso inspiratus orem & obtineam adjutus. Majores nostri, fortissimi *Minut. Felix in fine.*
simul & sapientissimi viri, qui sudoris sui fortunarumque & corporum impendio nobis hæreditatem libertatis (quam nos licentia & impotentia pervertimus) & illustratæ veræ religionis (quam nos impietate contaminamus) partam reliquerunt; iidem inter ipsum justissimi adversus potentissimum Monarcham belli fervorem Academiam hanc instituerunt atque erexerunt, palæstram ingenii, officinam virtutis, veræ sapientiæ & omnigenæ in omne hominum societatis officium utilis scientiæ seminarium; cujus germinibus in omnem posteritatem Provincia hæc exornaretur, cujus fructibus dulcissimis Ecclesia & Respublica Christiana deliciaretur. Conservandæ autem hujus Academiæ tranquillitati hi sapientissimi viri optimas æquissimasque leges condiderunt: quarum observatio partim singulorum studiosorum conscientiæ, juramento obligatæ; partim Rectoris, Assessorumque vigilantiæ & severitati, si quid protervè contra eas fieret, commendatur. Sunt inter eas leges præcipuè quatuor, quæ si observatæ his postremis temporibus fuissent pro ea fide, quam Studiosi Deo, Patriæ & Academiæ debent, nullum dubium est, quin calamitas illa, quam nunc deploramus, non accidisset. Una earum le- *Lex 36.*
gum *ebrietatem* prohibet, eamque DILIGENTER *caveri mandat, ne per illam in pugnas ruant, quarum sunt tristissimi sæpe eventus.* Altera vetat, *Ne quis in plateis noctu vociferetur: aut* TUMULTUS *interdiu aut nocturno tempore excitet.* *Lex 37.*
Tertia interdicit, *Ne Studiosi arma ulla tectè aut apertè gerant.* *Lex 39.* Quarta exigit, *Ne quis conventicula nationalia instituat, convocet aut iis intersit.* *Lex nova.* Salutares profectò leges & minimè graves. Quid magis studiosum decet, aut studiis convenit, quàm fugere Ebrietatem? Quantum est bonarum literarum discendum, quanta cura opus ac prudentia, quanto tempore, quàm enixis precibus & gemitibus ad Deum, ut tandem probè educatus adolescens in virum examussitatæ virtutis & doctrinæ evadat! Ebrietas hisce omnibus officit. Ebrietas venenum bonæ mentis, nex virtutum, diluvium vitiorum, insaniæ fomes, libidinis æstuarium, pietatis strangulatrix, precum extirpatrix, animæ

 gehenna.

gehenna. *Cui*, inquit Sapiens, *Cui ah? cui eheu! cui rixæ? cui garritus? cui vulnera temeraria? cui rubentes lippæque oculi? Qui tardant apud vinum, quise in gurgustia condunt ad pitissandum crama. Ne spectes vinum, cum rubet, cum adulatur in calice color ejus, cum suaviter influit. Ad extremum ut vipera mordebit & ut basiliscus punget. Oculi tui videbunt alienas & cor tuum loquetur perversa: & eris ut qui cubat in corde maris, ut qui cubat in fastigio mali. Percusserunt me; Neque enim ægroto:* inquies. *Tutuderunt me, & nescio,* qui. *Quando experrectus quæram ipsum ultra!* Quæ verba sanè, si quicquam, *diligenter cavendam* esse ebrietatem, ut Leges volunt, admonent. Ita enim cum ea bellua comparatum est, ut si quis semel ei indulserit, licet sano corpore langueat, licet prostratis contusisque viribus sit, licet omnibus membris doleat, nihilominus tamen vix expergisci possit, quin ad eandem redeat sese ingurgitandi insaniam. Ita res inimica naturæ, adversa saluti, vertit paulatim in morem, in servitutem brutæ cupiditatis, in naturam, in gloriam denique, h. e. vitæ impiæ & ærumnosæ necessitatem pudoræ temperantiæ ac sani cerebri devinctam. O pestem diligenter cavendam! quæ & viro suo extinguit, & sibi, quos semel attigit, mancipat. Lex Dei Nasiræos à vino abstinet. Impossibile enim est, ut sapientia ac sana ac Deo addicta mens in vino habitet. *Subsannator est vinum, tumultuatur sicera; quicunque inerrat in eis, non sapiet.* Planiùs vultis me hoc dicere? Vinum, quum ingressum est in hominem, mentem ejus obnubilat, eumque transversum abripit à recto proposito, adeoque pervertit, ut omnem bonam rationem, omnem sanam admonitionem spernat & exsibilet: tum cæco & belluino impetu ad probra, ad pudenda peccata proruit: denique sic à sapientia, h. e. timore Dei & pietate longè abit, ut stulti cuique, recti & pravi, veri & falsi nullum habeat discrimen, nihil provideat, nihil consideret, nihil circumspiciat, nihilque, nisi quod furor & libido suggesserit, approbet & amplectatur. At quænam ista *cavendi diligentia*? Sapientes Hebræorum dictitare soliti sunt: *Nasiræe, Nasiræe, ulla ex parte ad vineam ne accedito.* Qui vult vitare peccata, vitet peccandi occasiones. Vitet domos ebrietati dicatas, templa intemperantiæ, quæ patent malis æquè ac bonis, dum crumena pateat, quæ sanos accipiunt, sideratos aut furiatos plerunque evomunt, inimica sobrietati & castitati. Vitet sodalitia, vitet turbas, in quibus pietati minimæ vires, & per innocentium ac modestorum mussationem ac refragandi verecundiam audacissimus quisque dominatur, & ad peccatum dux fit, lasciviæ suæ satellitium ex simplicium incautorumque multitudine parans. Non absolvit cautelæ diligentiam nosse locos, occasiones, illicesque Intemperantiæ; necesse est, O juvenis, qui animam tuam diligis, sepem tibi & custodiam circumdare. Esse scopulos fluctibus opertos, qui novit Nauclerus, qui brevia & Syrtes suspectat, non ludibundam pelago ventisque permittit navim, optans supinus, ne in exitium pervehatur; sed signato sibi certo itinere rectum fortiter tenet clavum, omnique flaminis usura limitem suum cursumque observat portumque sequitur; si ventus reluctetur, anchoram demittit, &, quantum pote, manet in loco, ne à cursu suo abripiatur. Item faciendum censeo Studiosis, qui cupiunt malarum contagionum acerba vitare. Non decet oblivisci Studiosum nominis sui. Studiis consecratus est hic locus, studiis nomen datur, ad laboris sudorisque palæstram, ad ingenii arenam venistis. Hæc una ad laudem, ad decus, ad splendorem, (qui post vestram patriæque salutem vester scopus est aut esse debet) via est. Putasne parvo labore, exigua prudentia, levi brachio, sine instantia, sine pertinacia, sine violentia obiter ab oscitantibus & lascivientibus comprehendi eas artes, quibus vita humana regitur, imbecillitas fatuminatur, civitates emendantur, regna & provinciæ conservantur, judicia vigent, fora temperantur; quibus Ecclesia plantatur, pietas formatur, squaleus naturali sorde animus perpurgatur, regnum Diaboli expugnatur, præda Antiquo Draconi eripitur, anima servatur; quibus hominum sanitas ac vita defenditur; quibus prudentia instruitur; quibus lingua politur; quibus secreta naturæ ad opificis admirationem panduntur, & sagacissimæ fructus solertiæ in omnem vitam effunduntur? O malè feriatum, qui ocium ullum hisce occupationibus præfert! O infelicem, qui nudus his artibus undosum scopulosumque publicæ privatæque vitæ tentaverit mare! O miseram & desperatam Rempublicam, si non per harum gratiam artium, fortitudinemque pietatis, ac modestiæ nitelam, sed per ocium grassantemque lasciviam, per luxum ac tumultum ad honores struatur gradus! Qua enim fide publicum servabunt bonum, qui suum bonum, pudorem, salutem prodigunt ipsi? Liceat mihi tamen, O charissimi, verum dicenti hoc vobis dicere, quod sibi Catullus:

Ocium, Catulle, tibi molestum est.
Ocio exultas nimiumque gaudes.
Ocium reges, priùs & beatas
Perdidit urbes.

Non puto, non credo, non admitto, O optimi, vos, studiis omissis ac spretis, ocium sectari, securos sine merito præmiorum. Novimus, novimus, quibus invicta ad labores ingenuos industria est, qui perpetuo tenore studiis incumbunt; pluresque tales esse, tum comitas morum, animique ingenua moderatio, quam in multis observamus, spem nobis facit: quibus veræ cupiditas laudis & sapientiæ precium laborem commendat, labor studendi affert voluptatem, voluptas in studiis retinet tranquillos, tranquillitas innocentes, innocentia tutos præstat. At remissio quæritur. Bene est. Habent & studia suam remissionem. Pulchrè sapientes monent, oportere à contentioribus asperioribusque studiis ad mitiora lenioraque descendere, non inertiæ dissolvi, non ad servilia & illiberalia delabi, non ad voluptates, ex quibus difficulter animum recipias atque erigas, prosterni. Sed quæ remissio potest in ebrietate esse, quæ corpus vexat,

Atque affligit humi divinæ particulam auræ?

Quæ ad turpia prolectat, quæ pudenda & frivola dictat, quæ ingenium enervat, libidinem suscitat & cum Circe homines convertit in sues, in leones, in lupos, in ululas & nescio quas belluas? Maneat infixa animis aurea Syri sententia:

Arcum intensio frangit, Animum remissio.

Claudat hanc meam admonitionem Ennius:

Ocio qui nescit uti, plus negocii habet,
Quàm cùm est negocium in negocio.
Nam cui, quod agat, institutum est, nullo negocio
Id agit: studet ibi, mentem atque animum delectat suum.
Ocioso initio animus nescit, quid velit.

Atque utinam hactenus oratio mea apud vos, studiosi charissimi, esset efficax: possem dicendis supersedere. Sed non patitur solicitudo nostra, ut hîc subsistamus. Neque enim hic substitit cauta majorum providentia. *Nemo*, inquit Lex, *in plateis nocte vociferator.* Res profectò & turpis & immanis. Tu, quem Deus hominem effecit, animal, si suo ingenio utatur, mansuetum & cicur, animal venustum & delicatum, animal societati & amicitiæ factum, cui pro truculentia ferarum innumerabilia Gratiarum delinimenta aspersit, quod ad imaginem suam Creator formavit, quem filium vocat, à quo gestit audire, Pater mi; quid linguam, laudibus Dei & salutari sermone vibrandam, conviciis, jurgiis, hominibus Deoque ipso lacessendis agitas; quid os, quod melle & lacte debebat stillare, terrificis boatibus exerces? Quid thesauri in pectore conditum gestas, ex quo tam pudendæ voces prorumpunt? Num canem, qui latras? Num lupum, qui ululas? Num leonem, qui rugis? Audivi, & exhorrui, tonante graviter cœlo, fulminibus reboari. Si hæc pulchra sunt, si generosi animi signa, quare non de die pleno foro hinnis? Dicis,

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.
Trojanos metuo & Trojanas syrma trahentes.

Si homines revereris, Dei oculos non reverebere? De quo ita Propheta: *Domine, scrutatus es me & cognoscis. Tu nosti sedere meum & surgere meum: intelligis cogitationem meam à longè. Iter meum & decubitum meum spithama mensus es & omnes vias meas dispensas. Non enim est verbum in lingua mea, Ecce, Domine, novisti id, quantum est. Retro & ante formasti me, & posuisti super me palmam tuam. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à præsentia tua fugiam? Si ascendam in cœlos, ibi es; sternam mihi Infernum, Ecce tu. Et dixerim, Certe quidem tenebræ oppriment me; Etiam nox lux est circa me. Etiam tenebræ non sunt tenebræ ante faciem tuam, & nox tanquam dies lucet, perinde est caligo & lux.* Sic est, Charissimi, Deus adolescentiam verecundia, juventam modestia, virilem ætatem gravitate decoravit. Cum ornamentis hisce qui conveniet absonis istis clamoribus? Tu quum, favente Deo, olim inter Reipublicæ consiliarios prudentissimos, Senatores gravissimos, severissimos judices, magistratus spectatissimos, proceres clarissimos, pastores integerrimos aliosque ordines illustres censeberis, nonne te pudebit hujusce levitatis? Nonne fiduciam tuam retundet, si quid de modestia audeas loqui, ea cogitatio, *Quid si hic norit, quis*

ego

Prov. 23: 28.-35.
Proverb. 20: 1.
Gell. 19: 10.
Ps. 139: 1.-12.

ego fuerim? Nonne ficta in te simulataque omnia & scenæ te aptatum judicabunt omnes? Citò bonum esse oportet, qui seriò & sine fuco bonus esse judicari velit. Bonus non est, quem non sua voluntas, sed hora ostendit bonum. Non convenit assumta pro tempore persona; non est fidelis existimationis tutatrix simulatio, ubi non sibsit bene subactus animi habitus. Patebit facile acutioribus levis animi nota, neque auriculas Arcadici pecoris leonina pellis abscondet. Ita jacebit auctoritas, vilescet existimatio, &, si non antica, certè postica te sanna exagitabit. At, inquis, quanta morositas, innoxias vexare voces, lubentiæ indices? Audi Legem, Studiosè. *Aut tumultus interdiu aut nocturno tempore excitato.* Clamor ille tuus minax socium excit, occursantem irritat, insidiantem provocat, denique *tumultum* facit. Compertum est hoc tristissimis experimentis, Studiosi. Desinite tandem facere, quod honestum non est, quod tutum non est, quod salutare non est; imò quod pestilens & exitiosum est, cujus facti amarissimos fructus non semel brevi tempore percepimus. Contemplamini, quæso, Christum, vitæ nostræ magistrum. *Non clamabit*,

Es. 42:2. inquit Propheta, *neque extollet, neque faciet audiri in publico vocem suam.* Neque patiens vociferatus est deque vi conquestus, neque hostibus suis convicium dixit, neque ad obtinendum regnum turbam voce concivit atque tumultum fecit. Si Christus in nobis est, si in ipso vivimus, si ejus membra sumus, quare tam dissimiles capitis nostri sumus? Si magister noster est, cur ductum ejus non sequimur? Si dominus, cur præcepta repudiamus? Si victima pro nobis cecidit, cur ipsi non mactamus veteris hominis nequitiam, novique secundùm ipsum facti hominis hostiam grati offerimus? Si per Spiritum ejus agimur, quare spiritui infernali nos non regendos, sed discerpendos & exearnificandos tradimus? Si in corpus unum contesserati sumus, quare tumultibus diruimur? Si cœlestis cibi ac potus suavitatem gustavimus, cur stercus vel carnalis voluptatis ac libidinis, vel diabolicæ insaniæ mordicus retinemus? Sed pergo. Lex dicit: *Arma Studiosi nulla neque tectè neque apertè gerunto.* Fidem vestram, Auditores, fuisse seculum, quo hujus legis obedientia sperari potuerit & obtineri! Obtineri, inquam. Constat ex matricula hujus Academiæ, unum tantùm hominem fuisse, qui, quod huic legi parere nollet, nomen suum expungi voluit. Quanquam cur potiùs admiremur cæteros voluisse, quàm hunc ipsum unum hominem noluisse parere? Quid enim convenientius ætati & animo infirmo, professioni studiorum, vitæ tanquillæ ac pacatæ, Bellonæ terribilia signa an Pacis decora? Si impetrare hoc à nobis possimus, ut paululum vanitatis nebulam ab oculi detergeamus, majus monstrum esse videbimus studiosum armatum, quàm militem inermem. David inermis armatum subegit Philistæum; Studiosum ad expugnandam imperitiam, ad debellandam levitatem, ad interimendam immanitatem, ad edomandam cupiditatem; ad roborandam continentiam atque abstinentiam, ad formandam humanitatem, ad vegetandam grave vitæ sanctæ propositum, ad cumulandam sapientiam & prudentiam, quid enses, quid saxa juvant? Alia, alia, ô oculissimi, vestra militia est, aliis vobis armis opus est; aliis signis auctoramini. Audite, quid Christi sponsa, quæ vos estis (si modò ab errore vestro resipiscitis) quid de suæ militiæ signo prædicet in divino Cantico. *Ut malus inter arbores silvestres, ita Amicus inter juvenes. In umbra ejus cupida consedi & fructus ejus dulcis est palato meo. Duxit me in domum vini & V*EXILLUM *ejus supra me* est CHARITAS. Convenio animum vestrum, Optimi juvenes, Annon Christi odorem sensistis? Non fructibus ejus saginamini? Non umbra ejus inter flagrantia mundi incendia refrigeramini? Non vino ejus exhilaramini? Quod si ita est, quare Vexillum Christi non est supra vos? Charitas, inquam, Pax, tranquillitas; sed terror, sed minæ, sed truculentia, sed notæ animi sanguinem sitientis? Audite & Apostolum: *Reliquum, fratres mei, roboramini in Domino, in præpollentia*

Ephes. 6: *roboris ipsius. Induite armaturam Dei, ut possitis stare contra*

10.-18. *versuta Diaboli strategemata. Non enim est vobis lucta cum carne & sanguine, sed cum principatibus, cum potestatibus, cum mundipotentibus tenebrarum hujus seculi, cum spiritualibus nequitiæ* artibus, quæ exercentur *in supercœlestibus. Propterea assumite armaturam Dei, ut possitis resistere in die illa mala & omnibus confectis stare. State igitur cincti lumbos veritate*, hoc est, vero serioque pietatis decreto, sine fuco, sine dolo, sine claudicatione, *& induti thoracem justitiæ*, h. e. conscientiæ in Deo à peccatis absolutæ & sordibus vetusti fermenti inquinatæ (Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa) *& calceati pedes præparatione* ac promtitudine *prædicationis pacis. Supra omnia assumto clypeo fidei, quo possitis omnia arma Maligni ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium Spiritus, qui est verbum Dei. Omni oratione orantes omni tempore in spiritu, & in hoc ipsum vigilantes omni perseverantia & supplicatione pro omnibus Sanctis.* Vos, qui præclarissimæ Juris prudentiæ operam datis, Ornatissimi juvenes, ad ipsum limen tabularum vestrarum non respicitis? *Imperatoriam majestatem non tantùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus pacis ac belli rectè administretur.* Extra dubium est, Imperatorem ac Principem quemvis gladium divina voluntate gestare: Attamen Imperator *Arma* quidem *belli* tantùm *decora*, sed *Leges pacis arma* vocavit. *Si leges* sunt *arma* Imperatoris, quæ vestra arma sunt, qui milites pacis estis, nisi inculpata secundùm leges innocentia? Cato Major filium suum apud exercitum manere vetuit, nisi sacramento Imperatori dixisset, ut citra cujus imperium injusta & crudelia arma judicaret. *Cic. 1. de offic.* Chrysantas Cyri prioris dux in acie cum hostem versum percussurus tubæ revocantis sonum audivisset, reduxit manum, latrocinium existimans injussu Imperatoris vel hostem ferire. *Xenoph. Cyri Inst.* Quod igitur merebitur vocabulum, in pace, inter inermes commilitones & cives, ubi nullus ab hoste pavor est, contra leges, contra expressum Principis interdictum gladio dextram in fratres armare? Non est de nihilo hæc res, ô mei. Nondum dolos, nondum strategemata infernalis animadvertimus latronis? Lateri gladius adjungitur; ornamentum est scilicet. Pectus vino [illegible]), remissio studiorum est. Viæ nocte percurruntur, amœnitas est. Voces resonant, lubentiæ signum est. Gladius stringitur, justæ defensionis præparatio est. Interim multitudo conglomeratur, obvii lacessuntur, tumultus fit, concurritur, confligitur, fiunt vulnera, fit cædes, imago Dei destruitur, pax publica violatur, fœdus fratrum incestatur. Sequitur horror omnium bonorum, conturbatio studiorum, severitas judiciorum, reatus plurimorum per omnem vitam furiarum vice exagitans, mœror parentum, sparsio Academicæ juventutis, gemitus & suspiria innocentium, & certa divinarum expectatio plagarum. Expergiscimini denique, qui dormitis, qui stupetis adhuc, & laqueos Satanæ, quos induistis, excutite. Agnoscite, quæso, Majorum, qui hunc locum studiorum Deo consecrarunt, solicitudinem & prudentiam. Animum vino, Os vocis ominosæ diro tonitru, Manum sævitiæ telo exarmare voluerunt. Quid dixi, vestrum animum, vestrum os, vestram manum? Imò Diabolum nocendi instrumentis spoliare satcgerunt. Hoc vinum, quod sorbetis, venenum est, quod Satanas vobis miscuit, quod per fraudem vobis propinat, quod ut infundat, per legum suarum, quibus convivia regit, minas vos torquet. Hæ voces, quæ vestro ore prorumpunt, Inimici tuba sunt. Hi stricti gladii ab illo spiritu vobis in manus traditi sunt, qui desiderat mentem odio atque audacia furiari, fratrum per fratres sanguinem effundi, & vestris jugulis suos demergi mucrones. Suspicor, esse quosdam, qui has leges, quas hactenus inculcavi, stultè (salvus sit honor Clarissimorum Majorum, qui eas scripserunt) stultè, inquam, scriptas esse, quia vix impediri posse videatur, ne contra eas fiat, & stultè à nobis earum exigi obedientiam, opinentur. Quos ego, ut oculos paulum aperiant veritati, vehementer rogo. Omitto, quondam hasce leges, nominatim illam de non gestandis gladiis, impetrabiles fuisse: omitto in multis magnis etiam urbibus nemini privata lubidine armato esse licere, idque artè retineri: hoc dicam, quod cupio à vobis, Studiosi, intelligi & rectè expendi. Quarundam legum vos ipsi custodes facti estis, quas vobis ipsis imperetis, quarum violatione ipsi vobis rei sitis, vobis iram & animadversionem debetis. Nos huic florentissimæ Reipublicæ sacramento diximus, harum legum obedientiam pro omnibus viribus nos exacturos. Vos, invocato Deo, Patriæ & Academiæ jurastis, vos sanctè hæc statuta observaturos. Nosne magis ad officium faciendum quàm vos obligari putatis? Esto. Conniveamus nos aliquando. Nam & austeritatis nomen fortasse nimis extimescimus, & vestri parentes hunc habitum in vobis, prout nunc mores sunt, non culpant. Attamen nullusne judex? Primùm omnium, ut dixi, Vos vobis ipsi judices estis. Scio ego, quæ sit conscientiæ vis. Multos etiamnum video nulla re nisi modestia & innocentia armatos, nisi legibus tutos: & ante parvum tempus multò plures etiam ex vobis sine telis vidi. Cur nunc repentè sumsistis? Ponite filii (quare enim non vos isthoc nomine compellem, cùm Scriptura præceptoribus patrum dederit nomen, & vos tanquam viscera nostra amemus?) ponite, inquam, filii. Nolite contemnere conscientiam vestram.

Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos & surdo verbere cædit

Occultum

Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens ac multò sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit aut Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Alter judex sunt omnes boni, imprimis præceptores vestri, qui quum vos incautè ambulare vident, ingemiscunt ad Deum, hisce malis orant remedium aut finem, & ex hoc vitiorum pelago ad cœli serenitatem suspirant. Judicium aget Sanctorum cœtus, qui eos, quos videbunt inordinatè incedere, à communione, à tesseris & jure fraternitatis excludent, ne per eos reatus in totum gregem adducatur, tradentque Inimico ad damnum corporis, ut spiritus servetur. At Deus, cùm mensura impleta est, gravibus pœnis tum singulorum tum integrorum populorum immodestiam, contemtum legum ex verbo ejus sumtarum, contemtum magistratus, parentum, præceptorum, contemtum jurisjurandi inter alia ad ipsum clamantia peccata vindicat. Talis pœnæ exemplum est, quod nuper accidit. Jam quis te prætextus, quis color, quæ excusatio, o bone, salvabit, quem per inobedientiam legum horrenda tempestas oppressit? Extra vias Dei fuisti. Neque enim in viis Dei hic apparatus, hæc pompa. In Satanæ telas justo Dei judicio incidisti. Resurgant nunc prisci illi Christiani, qui inermes sermone veritatis & patiendi constantia totum orbem subegerunt Deo; imò illi, qui vobis hanc libertatem legibus Dei & patriæ serviendi sanguine suo pepererunt: & Christianos inter nos quærant. Qui gladiatorum spectacula, qui homicidii disciplinam (ita vocant *batuendi* artem) detestabantur & oculis usurpare nefas putabant; nunquid Abelis fratres, dicent, an Caini; num Christi an Bellonæ
Lactant. l. 1. c. 21. sacerdotes, *qui secti* corpus *& manibus districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt?* At hi profectò eos, qui non resipuerint ab hisce, judicabunt ultimo die. Servator, si oculus, si manus scandalum offerat, effodere & præcidere jubet, hoc est, omnem peccandi occasionem etiam cum dolore & acerbitate vitare. Quid cunctaris, ut gratus sis ei, qui pro te opprobria, sputa, alapas, flagra, coronam spineam, clavos, spicula, mortem, imò iram Dei pertulit, Inimici deponere arma, & opera tenebrarum? Quomodo tu pro fratre paratus es mori, qui in fratrem arma stringis, paratus conferre gradum, manumque conserere, quicquid de te, quicquid de fratre fiat? Quomodo animam pro nomine Dei pones, qui odia, qui vetita tela non ponis? Quomodo spiritum tuum in Dei manus depones, quem Dei Inimico geris obsequentem? Sed dabit his meliora Deus! Tempus est, ut & de quarta lege dicamus. Quæ quanquam gravissimi momenti est, confido tamen penitus, tot verbis opus non esse apud eos, quorum animos hactenus dicta tetigerunt. Sed ferte me, charissimi, etiamnum pauca de salute vestra dicentem; ita vos ferat & peccata vestra auferat Deus. Collegia, quæ vocantur, Nationalia pestilens Academiæ nostræ malum est. quod seriò exstirpatum cupiunt Illustrissimi Proceres, Magnifici Curatores, Clarissimi Professores, Vestri Parentes & omnes boni. Breviter videamus horum prætextum & fructum. Prætextus est amicitia arctior & defensio. Amicitiam quis quæret in istis conventibus, qui necessitate ac violenta extorsione colliguntur, qui non ad honesta exercitia, sed ad compotationum commercia conjungunt, in quibus vectigal ac tributum variis ex caussis, materia luxus, imperatur, ubi par pari imperat, ubi impotentior simpliciorem & modestiorem exagitat, ubi servilia ministeria exiguntur, ubi libertas, imprimis studendi & officium faciendi, eripitur? Taceo alia. Neque enim novi ex pleno hæc mysteria, neque mihi satis est facundiæ ad dedecus hoc propalandum. Si amicitia quæritur, non desunt ejus conglutinandæ instrumenta. Habetis communem in honestis disciplinis institutionem publicam, habetis Disputationum Exercitia, aperiuntur vobis privata collegia citra avaritiam & tædium, est templum, in quo ad religionem ac pietatem fideliter ducimini, sunt communes preces, sunt communia studia, est commune propositum Patriam, Rempublicam & Ecclesiam adjuvandi; ingressi estis certamen ingenii ac virtutis, quod sub oculis Dei, iis judicibus & testibus, quorum vos pœnitere non debet, brabeutis Reipublicæ principibus, per solertiam & modestiam peragatis. Defensionem quum obtendunt, expressim judicia legitima, magistratum suum ejusque potestatem pedibus proculcant, seque de injuria cognitores, se defensores, se vindices constituunt. Vos quum Academico corpori, cùm vestris conscientiis vim feceritis, quum in diversis hinc inde conventiculis in vino & sicera injuriam biberitis (Nam τίκτει κόρος ὕβριν, *Satietas insolentiæ mater est*) quum ad injuriam vos armaveritis, quum eam provocaveritis, quum ei occurreritis, si quid vobis accidat, continuò in vestris conciliabulis Prætores sitis, &, quos decebat vel condonare injuriam vel usque ad emendationem tantùm exsequi, gladium vindicem, quem Deus vobis non dedit, quem Lex eripit, improvidè sumitis. Sed valeant levissima prætextuum folia, per quæ satis consignatio iniquitatis transparet; convertamur ad fructus. Primus est, quod honestarum artium cupidi adolescentes à libris & præceptoribus suis abducuntur vel ad deses ocium vel etiam ad exitiosum negocium; contra conscientiam suam, contra sponsionem suam parentibus & præceptoribus factam non sine tentatione Dei se periculo committere & cum improbis conspirare coguntur. Secundus, quòd audaces & impotentis animi juvenes, boni ordinis & suæ salutis hostes, sibi comitatum & exercitum innocentium & verecundorum, tanquam stipatorum, circumdant. Nam qui tales leges scribunt, qui suos populares ad jugum earum ferendum adigunt, qui tributa extorquent, qui pedellos circummittunt, qui coire cogunt, quid nisi turbarum tumultuumque auctores, luxusque & intemperantiæ magistri sunt? Hi verò in talibus conventibus regnant. Tertius fructus, quod studiis destinatum peculium, quo multi non abundant, quod vel Respublica in stipendium honestissimæ militiæ dedit, vel parentes genium defraudantes suum comparserunt, nequiter prodigitur. Quartus, quod per illos ebrietas, quam pluribus verbis antea damnavimus, bonorum morum procella, exercetur. Quintus, quòd unus alterum animat ad peccandum, ad crimen ducit; ad inobedientiam rapit. Ex quo, sextò, frequentia peccatorum existit; quæ judiciorum vigorem elidit, Præceptorum vires delassat; eosque ad correctionis desperationem ferè deducit. Septimus, quòd plerique his societatibus nexi sine fructu eruditionis; si peritiam species, crudi; si animum, in vitia durati ex Academia exeunt, vel ipsi perditi, vel etiam Rempublicam atque Ecclesiam, quamcunque ejus partem attigerint, perdituri. Octavus, quod Academia ob hæc infamis est, quodque amantes suorum parentes ad Academiam tanquam corruptelam eos non mittunt; imò ex ea tanquam ex voragine evocant. Nonus, quod literarum virtutisque cultura deseritur, quod barbaries reducitur, quod omnes fructus, qui ab Academia exspectantur, intercidunt. Ita pietas domi, sanctitas foris, justitia in tribunalibus, prudentia in consiliis, eruditio in scholis, doctrina in templis laborat. Ita fit, quod Esaias improperat cap. LIX. *Delicta vestra vos intercludunt à Deo vestro, & peccata vestra faciunt, ut occultet faciem suam à vobis. Nam manus vestræ inquinatæ sunt sanguine & digiti vestri iniquitate. Labia vestra loquuntur mendacium, lingua vestra injustitiam meditatur. Non est, qui clamet pro justitia; non est, qui disceptet in veritate. Confidunt Nihilo & loquuntur Temerarium; Concipiunt ærumnam & pariunt vanitatem. Ova basilisci excludunt, & telas arancarum contexunt. Qui edit de ovis ipsorum, moritur; quod comprimitur, excludit viperam. Telæ illorum non sunt in vestem, neque conteguntur operibus suis. Opus ipsorum est opus nihili, fabricatio injuriæ est in manibus ipsorum. Pedes ipsorum ad malum procurrunt, & festinant ad effundendum sanguinem innocentem. Cogitationes illorum vanæ sunt, Vastitas & Fracturæ est in regiis viis illorum. Viam pacis ignorant, neque est judicium in orbitis ipsorum: semitas suas sibi distorquent; quicunque insistit in illas, non agnoscit pacem. Propterea elongatum est judicium à nobis. neque attingit nos justitia. Expectamus lucem, & ecce tenebræ; splendores, in caligine ambulamus* &c. donec tandem una cum reliquo mundo impio, cum Sodoma & Gomorra, cum ingratis Judæis, cum idololatris Romanis, cum lascivientibus in Oriente Christianis, qui nunc tot annos sub gravi Turcarum jugo tabescunt, cum Antichristianis mœchis, inexcusabilis & planè stupendæ ingratitudinis rei puniamur, &, si non externis gladiis, vel domesticis furoribus (ut nunc in vicino regno, h.e. Ecclesiæ nostræ corpore fit) consumamur. Quod clementissimus Deus avertat! Sed nos ad finem dicendi anhelamus. Prodeat ergo decimus tandem harum sodalitatum fructus, imò decumanus Satanicæ versutiæ fluctus. An quid majus dici potest iis, quæ dixi? Potest. Corpus Academicum, quod non nisi unitate & concordia stare ac florere potest, lacerat, findit, discerpit, qui nationes dividit. Contrarium hoc fundatorum voluntati. Lex I. quid dicit? *Literis & pietati Academia publico Christo Ecclesiæque dicata Franekeræ Frisiorum publicè adaperta in usum patriæ exterorumque esto.* Quos Lex conjunxit, cur tu divellis? Nemo mihi hic Frisius, nemo exterus, omnes Cives Academici sunt. Neminem tollat natale solum. Ex gleba omnes formati; ex luto crasi sumus. Halitus in naribus omnes vivificat, & Spiritus Domini, prout vult, sua dona dispensat. Non omnes sapientes nascuntur ex eadem argilla; neque est terra, ubi inter homines non invenias aliquos homines, aliquos

pecudibus

pecudibus propiores. In malo enim jacet totus mundus; *& Catilinam quocunque in populo videas, quocunque sub axe.* Cui divina lux exorta fuerit, is virtute ac laude insignis inter cæteros emicat, *velut inter ignes Luna minores.* Tui majores si clari sunt togata sagataque laude, cave infames nomen illorum tuo probro. Tu, qui obscuris natalibus es, occupa lauream omnibus expositam, patriamque obscuram meritis illustra. Tu, quem hoc solum αὐτόχθονα & vernaculum nutrit, quid ab Exterorum accessu lucreris, expende. Ubi eruditio, ubi virtus, ubi boni mores vigent, affluunt optimi ex omnibus partibus quique, quorum profectus experiri, ingenium periclitari, studia in usum fructumque tuum convertere potes: & quod passim vagatus vix invenires, in tua Academia tibi præsto est. Sit inter illos aliquis abortus, servetur modò bonus ordo, facile est, tamen, si luces esse incipiat, tanquam fucum ab alvearibus aspellere. Reliqui convictu, studiorum communione, hospitii commoditate, hospitum comitate coalescunt, partimque hanc sibi patriam, sua spreta, legunt, partim ad suos reversi Academiam & Academiæ matrem Rempublicam egregiosque in ea Viros per totam vitam adamant, colunt, prædicant. Quo quod majus ad decus Patriæ, ad gloriam, ad favorem totius orbis Christiani adjumentum sit, equidem ignoro. Quæ enim major & verior gloria reperiri potest, quàm præbere eruditioni & pietati sedem; huc, qui laudis cupidi sunt, tanquam ad Honoris fanum properare; hîc tenuibus tramitem studiorum difficilem & asperum complanari; beneficentia & comitate civium effici, ut nesciant, utrum apud parentes malint, an in Academia vivere; hîc miseris portum, exulibus patriam esse, hinc præclaræ doctrinæ & honestæ vitæ domum incrementa referri? Obtines, Belga, eximia à Deo beneficia. Utere ad tuum, ad aliorum emolumentum. Hospites hospitibus lex Dei commendat. Non sperne, sed juva; non irrita, sed comitate concilia & devinci; non offende, sed emenda. Cave hospites, cum te introspexerint, abeuntes mirentur, qui fiat, quod Deus hunc terrarum angulum, dum mundus conflagrat, tot beneficiis cumulet. Ad Vos me converto, quos Academia, sui opinione invitatos & illectos, sinu excepit, civesque suos effecit. Venistis ad nos honoris cupidi & scientiæ; patriæ suæ quisque præter nomen, seque suæ civitatis non putridum ac ignobile germen ad viridaria hæc nostra exornanda venisse videri contendit. Agite ergo, cernamus in vobis tanquam pulchro specimine, tanquam fulgidissimo speculo, patriæ vestræ virtutem, modestiam, comitatem, temperantiam, pietatem, religionem. Præbet hæc vobis tellus insignia beneficia; Pacem, abundantiam omnium rerum, immunitatem, hospitium, literas, Academiam, ex omni orbe Christiano, quos pote, clarissimos liberalibus excitos honorariis doctores: recipiamus
Philipp. 4: 8. aliquem fructum à vobis. *Siqua vera, siqua honesta, siqua justa, siqua amabilia, siqua boni ominis ac nominis, siqua virtus, siqua laus;* non invidete, vos rogo, sed communicate nobiscum, præite sermone, prælucete exemplo. Vos, Germani, Germanus compello, (neque enim me pudet patriam Germaniam inter Frisios meos profiteri, siquidem ipsi Frisii Germani sunt) date hunc honorem patriæ vestræ, date Deo, ut post tot Germaniæ plagas, quibus prima reliquorum regnorum afflicta est & adhuc premitur, resipuisse primi videamini & popularia vitia deposuisse. Claudam hæc, ubi quædam à disertissimo martyre fuero
Cypr. de simp. præl. mutuatus: *Ad regnum cælorum non potest pervenire discordia. Pertingere non potest ad præmium Christi, qui dilectionem Christi perfida dissensione violavit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Deus dilectio est, & qui in dilectione manet, manet in Deo & Deus in illo manet. Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis & ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo & Christum Diabolus sæpe mentitur.* Atque hæc quidem, Clarissimi Collegæ, vestris obtestationibus obsecutus ad Studiosam juventutem fidei nostræ commissam dicere potui pro ea facultate, quam Dominus mihi concessit. Spero, Deum, qui vobis illam mentem dedit, ut ex verbo Dei & legibus hujus Academiæ eos admonendos censeretis, mihique in hoc negocio animum ad sincerum salutis ipsorum desiderium accendit, non passurum, ut ea ad surdos aut ad maris turbulenti concitatos fluctus dicta sint. Interim simus nos officii nostri memores. Ad erigendam, exornandam, concinnandamque Academiam unanimes simus. Nemo vanam gloriam ex titillatione improvidæ venetur ætatis; nemo, ut molestiam fugiat, vitiis corporis nostri aduletur. Præceptum admittamus & nos ejusdem doctissimi Martyris. *Qui peccantem blandimentis adulantibus* Cypr. de lapsis.
palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At, qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & castigo. Sic oportet Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est & secandum &, putredinibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget postmodum, quum senserit sanitatem. Si sanitatis spes non est, si remediis fortioribus æquè ac lenioribus quispiam reluctetur, exscindamus gangrænam è corpore nostro,

ne pars sincera trahatur.

Aufer scorias ab argento, & proveniet aurifabro vas: Aufer im- Prov. 25: 4. 5.
probum à facie regis & firmabitur justitia solium ejus. Expelle Proverb. 22: 10.
irrisorem & exibit jurgium, & cessabit lis & ignominia. Absit personæ respectus. Innocentes, modesti, industrii ne careant patrocinio, ne negligantur oppressi aut scandalorum dominantium procellis jactati. Segetem qui colit, urticas coërcet: qui bonæ indolis frugem virtutisque messem desiderat, earum pestibus viriliter resistet. Adjuvanda & staminanda imbecillæ ætatis virtus est, sine eo facile vitiis delectantibus vel territantibus succubitura. Misereat nos Academiæ, quam boni horrere & fugere incipiunt. Ne committamus, ut scortum Satanæ audiat, quæ virgo dicata est Deo. Si in copia honor est, demus operam, ut plurimi apud nos filii Dei reperiantur; hinc Respublica, hinc Ecclesia coronas referat plurimas, non carcinomata. Horrenda non desideranda impiorum & inobedientium est colluvies. Infelix ager est, qui lolii ubertate gloriatur. Misereat nostri, qui Academiæ præfecti sumus: quibus si semper ferenda est Contumacium protervia, nec conscientia potest esse tranquilla, nec vita aut honesta aut expetenda. Misereat Reipublicæ, Barbariei recidivam metuentis, ab Academia nobilium animarum ad sobrietatem & prudentiam formatrice medicinam efflagitantis. Misereat Ecclesiæ per Antichristi furores, Hæreticorum fraudes, Fratrum diffidia, Inque ipsis membris ejus regnantem oscitantiam ac amorem mundi hujus attenuatæ, labefactatæ, sorditatæ, obscuratæ: utque tandem vel è nostro corpore lux ei aliqua affulgeat, Deo qui piis conatibus nunquam deest, adjuvante, seriò atque omnibus viribus nitamur.

Tibi verò, Deus omnipotens, Pater clementissime, judex justissime, nos sistimus cum humili ac sincera confessione. Vocati sumus à nomine tuo, veritatem agnovimus, falsitatem Antichristianam ore abdicavimus; at verbum tuum pone tergum rejecimus, in statutis tuis non ambulavimus, luxui atque crapulæ servivimus, à protervis non abstinuimus, inobedientes, inordinati, immanes fuimus, fratrum fœdus rupimus, & retia Diaboli incidimus: partim vitiis non pro eo, atque oportebat, restitimus. Sanctum nomen tuum profanavimus, & propter nos blasphematur in gentibus, in quo gentium salus est. Tu autem, quum Vir non esset, qui staret in ruptura, induisti togam ultionis & brachium tuum sanctissimum gladio iræ tuæ armasti, & in viscera nostra eum vibrare incepisti. Parce, ô Deus, propter unigenitum Filium tuum, qui pro peccatoribus sanctissimam victimam in cruce obtulit. Compesce increpatione tua Satanæ furores & criminationes. Nunquid ira tua, quæ totum mundum, tanquam ignis flagrans pyram lignorum aut stipulas, pascitur, nihil faciet reliqui? Sanctifica nos potiùs, ô Pater, & commissas nobis oves; quas Tartareus lupus hiante gula, non una, non altera, non tertia satiatus laniena, persequitur; & duc nos in viis tuis. Castiga nos, sed cum moderatione, ne comminuas nos. Conserva potissimum animas nostras, quibus Infernalis imminet latro. Conserva tibi semen sanctum apud nos, hoc pessimo seculo; donec ira tua prætereat & tu Zijonis afflictæ ac dirutæ recorderis; *cujus lapides ac rude-* Psalm.
ra servi tui miserantur. Largire his à servo tuo in nomine 102: 15.
tuo dictis eam efficaciam, quam verax os tuum promittit.
Quemadmodum pluvia & nix descendit cælo & eo non redit, Esai. 55: 10. 11.
sed irrigat terram & fructiferam reddit, & dat semen seminanti, panem vescenti: Ita verbum meum, quod exit ex ore meo, non redibit ad me vacuum: sed faciet, quod cupio, & proficiet, ad quod misi illud. In manu tua sumus, ô Deus; in manum tuam nos commendamus, ad te animam oculosque elevamus. Tibi, Pater cum Filio Servatore nostro & Spiritu Sanctificatore nostro sit laus, honor & benedictio in secula seculorum. Amen.

D I X I.

ORA-

O R A T I O
I N F U N E R E

Admodum Reverendi & Clarissimi Viri,

D. J A C O B I T R I G L A N D I I, P. M.

S. S. Theol. Doctoris & Professoris primi, & Ecclesiæ Dei in Hollandiæ non uno nec postremi nominis loco Pastoris meritissimi,

H A B I T A

A. D. 17. Aprilis, Anno Christi cIↄ Iↄc LIV.

AUditur vox dicentis, Prædica. Et dixit: Quid prædicabo? Omnis caro gramen; & omnis ejus venustas ac pietas ut flos agri. Arescit gramen, marcescit flos, quum Spiritus Domini eum perflaverit. Utique gramen est populus. Exarescit gramen, marcescit flos: at verbum Dei nostri stat in seculum.

Præclarè,

MAGNIFICE RECTOR; AMPLISSIMI VIRI, PRÆTOR, CONSULES ET SENATORES FLORENTISSIMÆ HUJUS CIVITATIS, QUIQUE IPSIS A CONSILIIS ET SECRETIS ESTIS; PROFESSORES CLARISSIMI; COLLEGÆ HONORANDI; DOMINICI GREGIS PASTORES ERUDITISSIMI, VIGILANTISSIMI; DOCTORES, MAGISTRI EXCELLENTISSIMI; VIRI HONORATI; VIRTUTI AC LITERIS SALUTAIBUS DEDITA JUVENUM CORONA NOBILISSIMA, ELEGANTISSIMA:

IN PRIMIS AUTEM VOS, *τῦ μακαρίτυ* FILII, NEPOTES, AMICI, REVERENDI, CLARISSIMI, CONSULTISSIMI, ORNATISSIMI;

PRæclarè, inquam, à Gregorio Nazianzi episcopo mihi dictum videtur, *Optimum esse sermonis ordinem à Deo incipere & in eum desinere.* Nam quid ex nobis de iis quæ Deus facit, Deo non præformante & cogitationes & linguam nostram, bene & emendate dicere possumus? Igitur mihi contemplanti hujus viri, cujus exuvias terræ matri mandavimus, & vitam & mortem, animus illud divinitus dictatum præconium, tanquam exemplar quoddam & compendium eorum, quæ de hoc viro dici possint, suggessit. *Carnem*, hoc est, aliquid Deo Spirituque Dei ac gloria ipsius indignum, esse, quicquid marcescit, labitur, fluit, abit; id & oraculum dictat, & res vociferatur. *Pulvis* est, qui in pulverem spargitur: Spiritus est, qui in æternum vivit. *Caro* & *pulvis* sumus omnes, quotquot, non dico sumus, sed tanquam umbræ & phantasmata volitamus; parvi, magni, pauperes, divites, servi, reges, indocti, sapientes, mali, boni. Falx inevitabilis leti unversa metens, locuples testis est vilitatis atque impuritatis nostræ, & quantumvis inflatos gloriæ vento cogit fateri, quid sint: nempe non id quod Deus fecit, sed quod Inimicus conspurcavit. Templum suum non destrueret Deus, nisi versum esset in lupanar, in malitiæ ergastulum, in tugurium vanitatis. Oculorum, aurium, gulæ, ventris, renumque & aliarum partium nostri in animum vel subactum tyrannis, vel tironem libertatis præsentium dulcedine armata rebellio, totius demum ædificii ruina sepelitur. Est hæc in singulis nostrum imago lucida & testimonium indubitabile, mundi hujus, qui nos ad breve momentum & fovet & exercet, flammis, ministeria & servitutem vanitatis exurentibus, novissimâ, quam cita ætatum appellere glomeratio videtur, horâ retaxendi. Et hæc quidem nobis prædicat omnium & mors & mortalitas: illud autem cœlestis vox ad vocem ipsius naturæ obsurdescentibus intonat: Etiam *populum*, qui à nomine regis Dei appellatur, & carnem & gramen esse, &, quicquid in homine optimum est, nihil nisi florem agri esse. Prima hæc pars spiritualis sapientiæ est, videre atque agnoscere, non tantùm nos fluxos esse & caducos (nam quis hoc ignorat?) non tantùm omnia hujus mundi sive emolumenta sive oblectamenta præterire, & vel relinquere, vel relinqui, certè nunquam satiare, nunquam haberi. Quàm brevis enim est & fugax rerum perceptio? quàm prope nauseam paulò longior jucundi mora? Quod agnovisse summa in Philosophis sapientia fuit. Ultra quam sapientia Christianorum eò assurgit altius, quo facit de se hominem sentire demissius. Nempe quæ scit, quod pulchrum, venustum, laudabile & admirabile in oculis hominis carnalis est, id apud Deum esse stipulam, fœnum, florem putridum, pœdorem, stercus. quinetiam in ipso illo *populo*, quem Deus insignem habuit inter omnes gentes mundi & familiaritatis suæ atque magisterii prærogativa decoravit, nihil esse proprium & suum, quod Deo placeat; multa,

etiam

etiam in sanctificatis & justis, sua ac propria, quæ Deo displiceant. Atque hoc, inquam, primum in vera sapientia est. Alterum caput spiritualis sapientiæ est, *Verbum Dei in æternum stare.* Quod Deus esse jubet, id est: quod ex tenebris vocat, id venit atque apparet: quod verò & vocat, ut suum peculium, & venit, id in perpetuum stat. Nam quod Deus vocat, & venire jubet, id non revocat vel jubet abire; quod jubet esse, non jubet non esse. Ea natura est Dei, ea constantia, ea bonitas, ea gratia. Ita vocat generationes ab initio, ita semen Abrahami. qui sunt filii promissionis, divini amoris germina, genimina omnipotentis, qui, quum aliis det gignendi facultatem ipse infœcundus ac sterilis esse non vult; portio & hæreditas Dei. Atque hi quum Dei filii sint, neque adeò sine imagine Dei & non ad gloriam ipsius ac laudem esse possint, necesse erat, ut Deum Patrem suum nossent, ejus nomen præ se ferrent, & ab illius nomine appellarentur, eumque amarent, & in eo deliciarentur. Necesse igitur perinde erat, ut hoc ipsum æternum Dei consilium, propositum, testamentum, imperium, quo, quæ mansura sunt & qui hæredes illorum futuri sunt, vocantur, sistuntur, etiam semen fieret, quo hi gignerentur; & lux, qua illuminarentur; & invitatio, qua traherentur; & stipulatio, cui astipularentur; & nomen patris ipsorum, & sapientiæ ac prudentiæ typus, & incentivum ac fomes amoris, & lex fœderis, & in ore ipsorum laus creatoris & parentis sui, & in corde ipsorum anchora spei & arrhabo, quo obsignati clamarent, Abba, Pater. Quapropter, cujus verbi potestate nos esse voluit imaginem suam & in perpetuum vivere, id in auribus nostris sonare, in cordibus radicari, linguis nostris celebrari, factisque oportuit obsignari. Hoc est, quod in illo germine terræ, in ista testa confracta, in istoc pulvere, quem origini suæ reddidimus, spectandum nobis præbuit Deus. Plerique, qui homines laudant, hoc unum videntur agere maximè, ne videantur seriò eos laudare: quam fidem mereri poterant, si appareret, eos meminisse, homines à se laudari; & in homine nihil laudari posse, quod non sit Dei; & nihil esse in homine laudabile, nisi quo se filium Dei testatur. Laudant illi ferè vel divitias ac copias, omnemque felicitatem, vel robur animi atque corporis; vel sapientiam atque dexteritatem agendi ac loquendi. Et sunt illa quidem insignia Dei dona, ad multorum utilitatem opportuna; sed quibus nec Deus adstrinxit potiora beneficia, quæque sæpe imò plerunque in decipulam & offendiculum vertunt. Quæ laudanda sunt, de quibus gloriari possumus, longe alia sunt. quod Propheta præivit.

Jerem. 9: 23. 24. *Ne glorietur dives in divitiis suis, nec sapiens in sapientia sua, nec robustus in robore suo: sed in eo glorietur, qui gloriatur: intelligere & agnoscere me; quòd ego sum is, qui facit gratiam, judicium & justitiam in terra. Nam his delector; ait Dominus.* Noster μακαρίτης non alio sermone se laudari voluit, quàm quo commemoratur gratia Dei erga se, qua eum non tantum pereuntem respexit, errantemque reduxit in viam, sed etiam verbi illius potentis, quod in seculum stat, voluit esse custodem & præconem, ejusque præconium & divini nominis glorificationem non voluit carere fructu, sed ea benedictione prosecutus est, ut lætus atque animo tranquillo in spe gloriæ Dei gloriari, residuarumque vetustatis secum expurgationem in corpusculi sui dissolutione expectare posset. Hanc ejus voluntatem votumque fuisse, mihi liquet ex commentario, quem de vita sua simplicissimè & modestissimè manu sua scriptum filiis suis & posteritati reliquit: cujus unicum argumentum est repetitio beneficiorum Dei; maxime quomodo ad veræ Ecclesiæ agnitionem adductus sit, quomodo ad laborandum in vinea Domini protrusus sit, quæ summa doctrinæ fuerit, quam per totam vitam propugnavit, quomodo Deus ei occasiones & causas veritatem asserendi præbuerit & sermonis ostium aperuerit. Quorum omnium narrationem suæ debilitatis confessione & divini auxilii (quod in re ipsa apparuit) & singularis providentiæ annotatione ornavit & interstinxit. Atque ita ostendit, se cum vera fide etiam humilitatis ac modestiæ & gratitudinis dotem, quæ omnis virtutis vel colophon vel forma & vita est, accepisse. Neque aliud quid nunc nobis negocii datum esse puto, quàm ut summa eorum capita, quæ ipse scripto non consignavit, breviter delibemus; eisque colophonem laboris ac certaminis ipsius attexamus. Quas res explicandi partes mihi non invitus passus sum imponi à Clarissimo ordine, cùm quia non nolebam palam fieri meam erga τὸν μακαρίτην reverentiam & benevolentiam; tum quia plerisque vestrum, A. H. notissimum hunc virum esse scio; de cujus dotibus, laboribus, ornamentis, virtutibus quæ infra rem & non ea elegantia, quam hoc Auditorium postulare videtur, dixero, id non argumento sed dicentis viribus imputaturos; ac rursus, quòd, quum nemine minus ad hoc memoriæ tanti viri celebrandæ officium imparatus sim, tamen id non voluerim detrectare, tanquam libamen aliquod sacrificiis laudis, quæ pius senex in vita & in morte Deo obtulit, affusum, εὐφήμως benigno & affectu & voce, quæ vestræ humanitatis consuetudo est, prosecuturos confido.

Superioris seculi annus octogesimus tertius, qui eximio & probissimæ notæ Theologo, de eo genere, quod nasutum hoc seculum Scripturarium nuncupat, Zachariæ Ursino emortualis fuit, idem duos insignes viros tulit: Simonem Episcopium Amsterodamensem, nobile Societatis Remonstranticæ, ejus, quæ miserabili schismate se ab Ecclesia Reformata avulsit; & Jacobum Triglandium τὸν μακαρίτην. Illius parentes, ut fertur, Religioni Reformatæ nomen dederant: huic parentes fuerunt Romanis implicati erroribus. Hunc divina misericordia ad suum gregem adduxit; illum τῷ ὑψηλοφρονεῖν & ingenii sui fiducia in avia abduxit. Illum hic, dum uterque viveret, acrem satis antagonistam est expertus: qui ei pro cote & aculeo fuit, quò vel fodicaretur vel probaretur. Parentes nostri senis fuere Cornelius Gualteri van Dryeyckelen, Goudanus, ex familia patricia oriundus; & Anna Gerardi, Culemburgica. uterque parentes habuit coctores cerevisiæ. Quod genus opificii cum primis honestum inter Batavos, ut & in Civitatibus Hanseaticis, nec indecorum primariis viris habetur. Ex hisce parentibus natus est noster Vianæ ad Leccam, oppido Baronis Brederodii; quo parentes turbarum vitandarum causa concesserant. Natalis ipsi fuit 22. dies mensis Julii. Si ille sibi visus est sapere, qui diis suis gratias agebat, quod inter Græcos natus esset, non inter barbaros: nescio an non majore jure sibi gratulari possint, qui in Belgio nati sunt. Non quod admirer admodum genium soli, civitatum magnificentiam, amplitudinem, multitudinem; affluxum opum; nitelam, elegantiamque cultus atque ædificiorum; suavitatem & comitatem plerorumque incolarum, quibus quidem ingenii cultura & morum politura non defuerit: sed quod compertum sit, Deum hanc præcipuè maritimam glebam in orbis veluti umbilico constituisse hospitium Ecclesiæ, refugium miserorum, gymnasium ingeniorum, theatrum frustra oppugnatæ, & divina ope, confracta ac propemodum nulla humana manu, assertæ; denique castellum in totum orbem derivandæ veritatis. Quod votum omnium piorum procul dubio secundaret Deus, nisi vel lasciviis nostris veritatis depositum infrugiferum haberemus, vel pro bonis mercibus, quas omnis nobis affundit tellus, quibus ipsi corrumpimur, malos mores longinquis refunderemus terris, non ipsos, cum quibus nos mare conjungit, sed quæ ipsorum sunt quærentes. Sed profectò quo tempore nostrum Triglandium suscepere parentes sui, non potuit iis videri, eum tam feliciter in eo loco natum esse, quem Deus ipse tanquam murus igneus circumvallare & tanquam suum φιλοχώρημα ac dilectam mansionem protegere destinasset. Præcedenti enim anno Ordines Belgii Philippum hostem declaraverant; ex qua re nihil nisi dissipatio omnium rerum esse consecutura videbatur; & ipsi Papanæ sectæ nomen hîc collabascere non optabant. Puer Triglandius educatus est Goudæ in ædibus Aviæ suæ paternæ Claræ, filiæ Francisci Adriani Consulis Goudani, & filiarum ejus, Amitarum suarum. Ex Romanæ addictæ superstitioni optabant in familia, quo ei benedictionem conciliarent, habere masculum Ecclesiæ Romanæ devotum & consecratum. In quam spem Jacobus præpositus est vetustiori fratri Gualtero; quod vividioris ingenii & satis firmæ esse memoriæ videretur. Ab iis deductus in scholam Pauli Traudenii, quum identidem novos libellos ediscendos posceret, atque avia ex præceptore felices profectus nepotis cognovisset, studiis cum luculenta spe, ipsius consilio, addictus fuit. Nactus hîc est præceptorem egregium Hermannum Rijnsdijck, Ultrajecto vocatum. Cujus, quantumvis puerilis, institutionis per totam vitam cum gaudio meminit noster μακαρίτης. quippe quum Hermanni illius animo is insederit amor nostri Triglandii, ut ipsius deinceps promovendi primarium instrumentum fuerit. In Hermanni schola commilitonem inter plerosque alios Pontificios habuit unum Leoninum Leonem Centurionis filium, qui in orthodoxa Theologia sub ductu Rev. & Cl. V. Johannis Cuchlini in Collegio Ill. Ordinum H. & W. institutus in classe Brielana, deinde Noviomagi ministerio sacro functus est laudabiliter. Quum Leoninus Lugdunum, noster suasu Sasboutii Amstelodamum deductus est, & in disciplinam traditus quibusdam sacrificulis sub inspectione Magistri Alberti Duyvensen educandus & dogmatibus Papisticis imbuendus. Quum anno & aliquot mensibus ibi hæsisset, sub finem anni 1598. missus est Lovanium: quo anno & Episcopius missus est

Lugdunum. Habet hoc Lovanium, ut Augustini libros magni faciat; qui supra alios insignis propugnator fuit Gratiæ salutaris adversus Pelagium. Ex quo gymnasio prodiit Cornelius Jansenius Yprensis nuper Episcopus; qui insigni volumine errores Pelagianos & Semipelagianos, eorumque ratiunculas explicavit, & Molinistarum & Scholasticorum sequioris ævi ac Jesuitarum dogmata accurato confodit stilo. Cujus doctrina, licet eam Papæ stigmate notarint, in ipsa Ecclesia Romana cordatos assertores habet: qui doctissimis libris doctrinæ de Gratia plerasque partes dudum in Ecclesia Reformata receptas ex primævis Ecclesiæ Christianæ doctoribus, præsertim Augustino, Prospero, Fulgentio Ruspensi adstruunt. Ita Deus novit efficere, ut & lapides loquantur: & non tantùm ex puerorum sed & adversariorum ore aliquando procurat laudem. Certè quidem nostrum Triglandium Gratiæ oculus non neglexit. Is, quum philosophicum cursum absolvisset, jamque Theologicis studiis esset applicandus, in ipso limine remoram & perplexitatem expertus est. Thomæ Aquinatis omnisque Scholasticæ Theologiæ vastitatem exhorrescebat: & parum præsidii in ea esse animadvertebat ad orthodoxos, qui ibi hæretici dicuntur, confutandos. Hosce enim se solis Scripturis subjicientes, & demonstratione Spiritus ex sacris Literis pugnantes judicabat sustineri non posse abeo, qui humanis duntaxat ratiocinationibus & speculationibus armatus cum eis in certamen descenderet; & gladio divini verbi uti nesciret. Bellarminum Cardinalem audiebat controversias nostri temporis accuratiùs aliis tractasse. Cujus legendi cùm copia ipsi facta esset, & is ipsi non satisfaceret, in perplexitatem incidit, quæ ipsi adhæsit, donec valvis Academiæ affixam vidit disputationem de Meritis. Quorum defensio, ut inflandæ superbiæ humani ingenii idonea ita humilitati Christianæ adversa animum ejus graviter offendit. Hæc quum subinde ipsum torquerent, ecce Jacobus Jansonius, Amstelodamensis, Theologiæ Romanæ Professor, Collegii Pontificii Regens, Studiosorum Hollandorum inspector, Triglandium nihil tale postulantem & ignarum quo fine, mittit ad M^m. Albertum Duyvensen; qui tum Harlemi agitabat. Cum eo per aliquot hebdomadas commoratus Goudam ad amitas & amicos profectus est. Ibi in animo ipsius cœperunt reviviscere, quæ conceperat, semina veritatis; quæ nec dies nec noctes ipsum siverunt quiescere. Ita enim secum reputabat, Si homo suis operibus salutem acquirere potest, quid opus fuit Christo Redemtore & Servatore? Igitur jam ea parte, qua meritum rejiciunt, Reformatis accedebat: qui tamen ipsi propter judicium Papale & vulgarem calumniam suspecti erant, ne forte, fide sola contenti & opera abdicantes, ii essent, qui opinionem quandam & persuasionem de salute certò obtinenda jactarent pro vera & salvifica fide, & debitum veræ pietatis atque obedientiæ prorsus negarent. Quod si facerent, non minùs graviter, quàm meritis fidentes, errare eos judicabat. Cernebat enim peccatoribus nullam restare salutem nisi in fideli creatore nostro Jesu Christo, qui illam ex sola gratia & misericordia ipsis largiretur: nihilominus bona opera facienda esse non ut iis tanquam justitia aut parte justitiæ niteremur, aut per ea vitam acquireremus & tanquam debitam mercedem à Deo emeremus, sed ut erga Redemtorem misericordem nos gratos exhiberemus. Hoc posito certissimo fundamento, in animum induxit, quærere deinceps, quænam Reformatorum tum in hoc capite primario, tum in reliquis, doctrina esset. Ita noster jam Reformatus erat, antequam sciret, quæ esset Reformatorum doctrina: & quod alii, in Academiis Reformatorum, quamvis sagaci & versatili ingenio essent, non sincerè tenuerunt; id, solo Deo doctore, in animi simplicitate, quum contraria doceretur à magistris suis, noster & vidit & tenuit, & ei tanquam firmissimo fundamento se superædificavit. Ut prorsus in hoc verbi divini, quod in perpetuum stat, potentiam; in aliis carnis atque ingenii humani, quantumvis magni & ad varia cogitanda velocis, impotentiam cerneres. Ita illis quidem cœlestis doctrina à doctissimis viris celeberrimisque inculcata fuit odor mortis; huic autem semen regenerationis ad vitam fuit una veritas hæc, Christum esse necessarium Salvatorem & peccatoris fiduciam in operibus suis ad justitiam & vitam impetrandam esse fœdam & abominabilem superbiam & proinde gratiæ abnegationem & idololatriam; eamque omni idololatria graviorem, nempe cùm adorationem sui ipsius & gloriationem in se ipso, tum fabricationem Dei alicujus, qui sit similis peccatori, quique laceros ac sordidos operum peccatoris pannos pro veste justitiæ splendida, pro auro & purpura purave sindone & acupictis æstimare possit, imò & pro sanctitate & justitia remunerari teneatur. Ita in hoc nostro divina χρηστότης & benignitas, qui tanquam ex Orco ereptus est potenti manu; in aliis spectata est ἀποτομία & severitas, qui quum alium saperent & simplici & ἀδόλῳ Scripturæ lacte non delectarentur, ad Scholasticorum senticeta delapsi per ratiocinationes suas viam sibi ad errores omnes & tenebras muniverunt. Ita portæ inferni oviculam Christi includere non potuerunt: imò hunc mortuum in vitam edidit Mors; illos mortuos, qui nomen viventium gerebant, radii Solis justitiæ undique coruscantes, quibus expositi erant, non excitarunt sed retexerunt, & nudos putridosque prostituerunt. Adeò non gloriandum est nobis in nostra opera: si sint egregii doctores in scholis, in Ecclesiis; si eis sit honesta constituta alimonia & omnis parata sit commoditas. Nisi Dominus & ædificet civitatem & custodiat, frustra laborabunt laborantes, frustra vigilabunt excubantes. Orandus is est perpetim, ne sibi det requiem, antequam posuerit Hierosolymam laudem & decus in terra. ut & illi, qui nostri juvenis Triglandii similes in spississimis forte adhuc hærent Papatus tenebris, aut in sectis, in mundo sparsi errant, retectis oculis, ablatis nebulis, videant lucem divinam in verbis & in conversatione atque ordine nostro & hilares ad Ecclesiam, à quisquiliis humanarum nugationum repurgatam, tanquam salutis portum & paradisum Dei accedant.

Non caruit fides Triglandii nostri suis exercitamentis. Quid enim? Non respiceret Papatum, tunc quidem oppugnatum, sed nondum collapsum? qui tum vel maximè lacertos commovebat, armato in Belgium potentissimo Monarcha? Cujus gladius ita strictus erat, ut, si Deus non adesset parvitati & debilitati suorum, non videretur in vaginam recondendus, nisi fideles devorasset, & abominabile stupendum in prisca sede & arce restituisset, totique Septentrioni adorandum propinasset? Sed cognoverat noster, Deum etiam per exiguos magnas res efficere, quum illustrissimi Principis Mauricii ductu A. MDC. in Flandria manipulum suum ex angustiis exemisset, & ei hostes fortiores & numerosiores in manum tradidisset. Non veniebant ei in mentem præmia, quæ Papa distribuit structoribus arcium Babylonicarum: Magister, Amitæ cura ipsius fuerunt. Et Magistro quidem, multis cum ad propositum promovendi Papatus firmiter retinendum hortanti, taciturnus valedixit: ab Amitis receptus non est. Parentes tamen non ita Romano more & superstitiose Romani & susceperunt & animarunt. &, quum Reformatis cuperet innotescere, quem primum eorum olim sibi conjunctissimum forte in via oblatum cum gaudio aspexerat, paratus in ejus sinum effundere omnem animum suum, Leoninus Leo eum pro ignoto aspernatus est: adeò ut se jam penè pro stercore projectum & proculcatum doleret. Necesse est profectò illis, qui ex Papatu ad nos accedunt profugi, deserti, nudi, ignoti, magnam objici difficultatem, quum neque idonei sint, quibus cura scholarum & Ecclesiarum committatur; neque opus facere didicerint, & imposturæ suspecti sint propter multos, qui indelebilem characterem ingenii illius versipellis ac sophistici, philautiæ, superbiæ, superstitionis, ambitionis, denique avaritiæ ac tyrannidis deponere nunquam quiverunt. Sed qui veritatem & non res magnas quærunt, quas nostra Ecclesia non promittit, eum fide munitum pectus habere oportet, ut etiam cum Christo & pro Christo & pro salute animæ suæ paupertatem verè possit pati, quam forte, quum in Antichristi regno hæreret, jactantiæ causa professus erat. Nostro Triglandio injecit Deus mentem hanc, ut se ad pueros docendos interim daret, quo & honestè vitam tolerare & in doctrinam Reformatæ Ecclesiæ accuratè posset inquirere. Innotuit ea voluntas Johanni de Leerdam, Urbis Ultrajectinæ primo secretario, sobrino ejus, qui, quum frustra Ultrajecti rem tentasset, (quod ὁ μακαρίτης felicitati & divinæ circa se curæ deputavit) Johanni Lontio scholæ Hieronymianæ apud Ultrajectinos moderatori negocium dedit, ut, assumto juvene, ei vacuam aliquam stationem quæreret. Placuit Viana, & commodè Petrus Mahieu, Flander, olim Graphiarius Ostendanus, postea Rector scholæ Vianensis anno 1603. decesserat. Ubi cùm inter Candidatos nomen professus esset nomen suum, nihil tamen impetrasset, nisi forte fortuna Ultrajecti sermo fuisset factus de ea Rectura cum Hermanno Rijmsdijckio, Triglandii adolescentis & adhuc errantis præceptore, isque, intellecto, inter cæteros Goudanum quendam eam petere, de eo inquisivisset, eumque signis cognitum laudasset, spopondissetque, quod probè nostri ingenuitatem perdidicisset, ejus vocationem & sine periculo & magno cum fructu ipsius Triglandii & scholæ fore; atque ejus sententia, ignaro nostro, renunciata Consules oppidi & Consiliarium absentis dynastæ impulisset ad Triglandium aliis præferendum. Qui tum agebat annum ætatis vicesimum. Quod Triglandius

sibi-

sibi tam recens, imò vix ex Papatus cloaca extracto, datum saepe admiratus est; profitens, se ab animo suo impetrare non posse, ut, si simile quid accidat, tam facilis futurus esset, ut tali Rectori innoxiam puerorum aetatem committeret. In hac functione, auditis diligenter concionibus, confirmatus est in eo, quod judicaverat de vera justitia & de falso merito; & Ecclesiam Reformatam pro vera Ecclesia Christi & domo Dei agnovit: & cum ea, edita priùs confessione sua coram D. Alberto Selcartio & senioribus oppidi, animo hilari communicavit: anno aetatis vicesimo primo. Quum pestilentia coetum scholasticum plerumque fugasset, ibi Selcartius auctor & hortator Triglandio fuit, ut se ad docendam Ecclesiam compararet. quod licet ipsi videretur arduum, quum nullam Reformatam Academiam salutasset, tamen non voluit in se admittere morsum animi imposterum se cruciaturi, quasi viri docti gravis & jam senescentis judicio & cohortatione admonitus & ad opus Domini faciendum instigatus experiri alacriter divinam benedictionem per socordiam & oscitantiam & nimiam trepidationem esset aspernatus. Igitur ad lectionem SS. literarum sese accinxit, & libris sibi donatis à Selcartio, Confessioni Bezae, Institutionibus Calvini & Decadibus Bullingeri strenuè incumbere coepit; & tandem coram Selcartio & senioribus dicendi periculum fecit, quatuor vicibus aut quinque. In quibus ita placuit, ut à viro illo egregio, qui eum Timotheum suum vocabat, quem in Christo genuisset, ad eam Classem, cui tunc Vianensis Ecclesia accensebatur, deductus fuerit, subjiciendus Examini praeparatorio: quod solet institui ne homines garruli & impudentes & falsarum sententiarum seminatores aut rudes sermonis justitiae obrepant Ecclesiis & simplicium mentes & pacem coetuum turbent: & ut sinceri cum testimonii boni & inhortationis bonorum commeatu ad munus doctoris animo tranquilliore procedant. Noster hac vice receptus non est propter multitudinem eorum, qui in procinctu ministerii stabant. At Goudana classis & Selcartii epistolam, qua Triglandii profectum in veritatis cognitione nunciabat, cum gaudio accepit, & Triglandium libens in numerum Candidatorum recepit. Cui & Selcartius suggestum suum interdum concredidit: anno hujus seculi sexto. Auditus ab Haestrechtanis est bis; & ab iisdem, quum vocatio non esset in integro, est Stolwicanis (pagus Stolwycum prope Goudam est) commendatus. qui ipsum auctore Selcartio elegerunt. Et annotavit senex noster quaedam à viro illo eximio cum honore ipsius dicta, quae ipsi viderentur arrogantiam sapere: de quibus eum submisse admonuerit. Caeterum, ne longi simus, à classe tentatus, denique examinatus & admissus est. Ei Ecclesiae incepit inservire anno hujus seculi septimo. Sequenti anno habita est Synodus ultima Hollandorum ordinaria: in qua nomen ejus ut Ecclesiae ministri receptum est. In hac functione & auditoribus suis utilis & iis, qui ipsum antea noverant, ut Leonino illi, cujus supra mentionem fecimus, miraculo fuit. Amsterodamum nec viderat, ex quo inter sacrificulos ibi vixerat, neque ulli Reformatae Ecclesiae membro notus erat, nullum noscebat. Stolwyco autem ludimagister Carolus Velle, uxoris obsecutus precibus, Lugdunum concedere parabat. Ejus voluntas innotuit cuidam viro probo & religioso nauticae jactatione assueto sed ejus pertaeso, cui arrisit conditio illa paedagogica, si modò mores & ingenium pastoris loci nosset. Eum cùm audivisset, testatus est, se & cupere cum illo vivere; & tamen certò scire, se non diu cum illo victurum. Nam si Amsterodamenses scirent, talem virum in pago isto reperiri, nihil antiquius eos habituros, quàm ut ejus nanciscendi causa omnia facerent. Hoc indice innotuit quibusdam Amsterodamensibus, qui eum identidem auditum veniebant, viris piis & simplicis pietatis amatoribus. interque eos cuidam, cujus uxor uxorem Triglandii aliquo consanguinitatis gradu attingebat. Rogatus ab eo etiam Amstelodamum venit, ut amicum inviseret. Ibi quum esset, & Petrus Plancius Ecclesiae Amstelodamensis pastor pedibus aeger esset, compellatus est ab iis, qui eum audiverant, Wilhelmus Sitterich Senior Ecclesiae: qui ipsi ostenderunt, se videri reperisse virum idoneum, qui Plancii vices eo tempore subiret. Plancius eximius orthodoxiae assertor, quamvis Goudanos suspectos haberet, tamen meliora de nostro edoctus, ei concessit, ut vicem suam in docendo obiret. Quod quidem fecit noster, quamvis non sine trepidatione & anxietate, ne forte ultra τὰ σκάμματα prosilire videretur & non in suam messem venire. Oratus est deinde à D. Plancio, ut & alteram haberet concionem. Quo facto, quum ei valediceret, atque is ad ulteriora specimina ipsum retentaret, humaniter actis gratiis, & testatus, sibi sufficere, quod sibi licuisset in eo loco, in quo clam Papismi erroribus fuisset imbutus, publicè veritatem profiteri, ad suos rediit. Interim Amstelodamenses seriò rem de ipsius vocatione agitare, ad omnes, quibus notus esse poterat, literas mississitare, judicia hominum & testimonia colligere; denique vocationem decernere; quum & id, ignaro Triglandio, effectum esset, ut Magistratui & innotesceret & probaretur. Vocatio igitur ipsi solenniter à Reverendo viro Jacobo Rolando & Petro Theodori Amplissimi viri D. Nicolai Tulpii, Medici celeberrimi, nunc Consulis Amstelodamensis, parente, oblata est. Amstelodamense autem ministerium inivit post medium Decembrem anni 1610. Prehendendi mihi hic estis, A. H. & excitandi: ne id pro levi ducatis, si audiatis nos recitantes, quomodo noster κωμαρχίτης è Rectore minister verbi factus, è pago in urbem vocatus sit. Fateor, contingere illa saepius. Non loquimur insolita; sed quae tamen quò sunt frequentiora, eò viciniora neglectui & contemtui sunt. quae tamen minimè contemnenda sunt. Per Amosum Deus Judaeis exprobravit beneficia sua. *Amorraeum*, inquit, *profligavi ante ipsos, qui erant celsi ut cedri, & amplius ipse erat ut quercus; & profligavi fructum ejus supernè & radices infernè. Et ego feci vos ascendere ex Aegypto, & feci vos ambulare in deserto quadraginta annis ad haereditandam terram Amorraei. Et suscitavi ex filiis vestris in Prophetas, & ex juvenibus vestris in Nasiraeos. An & hoc nihil est, filii Israel?* Qui Hispani fuerint, quàm callidi, quàm potentes, quàm numerosi, quàm sanguinarii, quos Deus coram nobis expulit, nemo ignorat. Quae fuerit tyrannis Papae, quod jugum, quae ignorantia sub illius imperio; compertum est. Quae terrarum vastitas, quae calamitates belli fuerint, constat. Constat, nos terram pacatam, frugiferam, incolis florentem, opibus affluentem, ut dominos αὐθιγενεῖς possidere. Beneficium hoc Dei fatemur, admiramur. Quorum studio, labore, virtute, consiliis, constantia, sanguine illa parta sunt, eos meritò suis praeconiis prosequimur. At Propheta verbis Dei loquens supra haec omnia aliud collocat in summo quasi fastigio dignationis. *Et excitavi ex filiis vestris prophetas! An & hoc nihil est?* Non profectò hoc nihil est. Nam Deus illis verbum suum committit, per illos homines captat & capit, (quae est [illegible]) per eos animas salvat, per eos scientia tanquam fons uberrimus effunditur, ut scientia abundet, quemadmodum mare aquis plenum est; per eos tanquam canes vigilantes gregis dominici custodes lupi & fures arcentur; per eos ut excubitores classico excitantur securi, ut veniens malum poenitentia, precibus, studio praevertant; per eos colligitur Ecclesia, cui Deus omnia reliqua beneficia promiscuè in indignos etiam redundantia impendit. Ex hoc genere proculdubio fuit Triglandius noster; cui quum Deus dedisset animum simplicem & integrum, pectus candidum, & optimarum cogitationum tenacem mentem; & in corde ipsius altè defixisset veram pietatis radicem, quae est in agnitione Domini & Servatoris nostri Christi; atque eum ex regno confusionis, ex tenebris Sodomae, ex labyrintho humanarum disceptationum liberasset; atque etiam tum juvenem memoria & dicendi facultate instruxisset; in celsissima Belgii imò Europae specula, nempe in amplissima amplissimae Urbis Ecclesia, consistere voluit organon futurum utile ad conservandam in ea Ecclesia veritatem, cujus possessione hodieque gaudet & ovat. Quum noster in eam Ecclesiam pedem intulisset, gliscebat conspiratio quorundam, quorum consilium fuit, plebem à divino, quod in Christo fecit, proposito, vero & unico salutis fonte & consolationis ac spei fulcro, ad propriae potestatis arbitrium & ad gloriandum in viribus suis abducere, ita tamen ut spem fidelium apertè caperent & gloriationem in spe gloriae Dei tollerent. Id ipsis visum est aptum vel ad excitandum studium operum bonorum, vel ad illiciendum illos, qui ab Ecclesia Reformata abhorrebant, vel ad nomen sibi parandum & catervam sequacium adjungendam. Iis ad suum consilium exequendum visum est opportunum efficere, ut fraternae correptiones, quae in Synodis fieri poterant, cessarent; ut summus magistratus intercederet eorum libertati, qui ipsis fortiùs contradicerent; ut eorum edicto mutua tolerantia & libertas prophetandi (ô pulchra nomina!) non tantùm commendaretur, sed etiam mandaretur districtè & imperaretur ejus observatio & permissio. Quinque articulos illi palam & communiter proferebant; quos sibi volebant licere defendere. Clam verò plures fovebant multi in sinu, & de iis interrogati non respondebant apertè. Revisionem Catecheseos & Confessionis Belgicae poscebant. Denique satis apparebat, plerosque in Socini deliciis se invitasse prolixiùs. Tempus, quo id fervebat maximè, illud fuit, quo induciae inter Hispaniae Regem & Foederati Belgii Ordines pactae erant. Quo tempore nihil hostes libertatis & salutis nostrae,

Amos. 2. 9. -- 11.

nostræ, Rex & Antichristus, lubentiori uterque oculo spectare potuit Belgii rupturis. Non potuit, si verum amamus, quisquam, qui Christi Ecclesiam, & regnum gratiæ, & fœdus, & Testamentum Dei, & salutem patriæ amaret, non esse in summo metu. Dedit misericors Deus illo tempore fortes aliquos athletas, variis & diversis ornatos dotibus (ut solet Deus in uno corpore mystico varia variis membris ad concinnationem corporis impertiri charismata) qui veritatem & causam Dei non desererent: sed, quid in ea docendi & agendi ratione suspectum, periculosum, imò damnosum & ad amissionem pulcherrimi depositi tendens lateret, clare & cordate explicarent. Quibus jure meritò Triglandium nostrum accenseri, imò inter strenuissimos non ultimum nominandum esse, neminem credo dubitare. Fuit illi præcipue magna causa meliores partes quanto posset fervore tuendi. Nam quum se ex Papatu, tanquam errorum & confusionis gurgite, potenter ereptum gauderet; quid magis horrere poterat, quàm abscisionem illius veritatis, per quam se salvatum, & cujus fide conscientiam suam tranquillari & in optimam solidissimamque spem erigi sentiebat; & confusionem & digladiationem perpetuam inter diversarum opinionum sectatores? Quid magis poterat abominari, quàm incendium patriæ? quàm revolutionem incolarum ejus in pristinam mortem? quàm blasphemationem Nominis Dei Salvatoris? Neque verò de nihilo fuisse illos metus, produnt Remonstrantica scripta, confessiones, apologiæ, consilia. Quid enim non labefactat in scriptis suis posthumis Episcopius? qui satis ostendit, se quanquam inducere in animum non posse, ut sit Photinianus, tamen ab Arianismo non abhorrere; denique in eodem cœtu omnes hæreticos ferre posse. Quò tendit consilium Bartholomæi Prævostii à Curcellæo publicatum; quod à μακαρίτῃ, quum viveret, deprehensum mihique indicatum libenter commemoro. Quod consilium si sequamur, omnia in cœtibus audienda sunt, quæ homines temerarios non pudeat, contortis Scripturis & eliso illorum nervo, asserere, & non desperent se fucis coloribusque carnalium ratiociniorum posse incrustare & in speciem veri ac boni effingere.

Quæ porrò in hoc certamine à Triglandio nostro, qui sciebat (ὅτι κρείσσων ἐπαινετὸς πόλεμος εἰρήνης χωριζούσης θεοῦ) quibus occasionibus, quibus de causis, quo scopo, quo eventu scripta atque edita sint, longum esset edisserere; quod & à Sene nostro accuratè est annotatum, & plerisque vestrum constat. In omnibus autem illis admiranda sunt, labor, constantia, memoria, judicium, zelus. qui multis etiam nimius visus est. sive revera ita est; quum hoc soleat evenire ingenuis, ut, quod seriò agunt, in eo sint etiam vehementiores, quàm necesse est, nec, quid vires animi ac corporis ferant, attendant: sive quia Deus in carnis nostræ fragilitate eum aliquando zelum vult apparere, qui sit robustus ut mors, difficilis ut Orcus, scintilla ignis, flamma Dei; qui medullas, carnem & ossa ipsa liquefaciat & depopuletur. Qui immoderatior aliquando videtur illis, qui vel nesciunt, quid sit zelus gloriæ Dei, vel in amore Dei animi sedati ac limpidi donum sortiti sunt. Quæ dona, utut diversa, si in collegis appareant, egregium temperamentum efficiunt; quod in Lutheri & Melanthonis conjunctione, qua promtitudo & lenitas, celsitas animi & submissio, fiducia & timor mirifice sociata fuere & contemperata, clarissimè perspicitur. Anno 1617. ætatis 35. quum Ecclesia Hagiensis templum claustrale obtinuisset, ejus Ecclesiæ precibus impetratum est, ut, post Henricum Swalmium & Rodolphum Petri, etiam Triglandius à mense Octobri usque ad Januarium sequentis anni partim cum Godefrido Udemanno, partim Antonio Walæo ei inserviret. Quæ sanè cum maximis viris societas & ipsi & tantis nominibus decora fuit. Mox cum Jacobo Rolando, viro doctissimo & gravissimo, qui tum præses erat Synodi Noord-Hollandicæ, ad Synodum Dordracenam delegatus est. Deinde, ad Canones, fidem & sensum Ecclesiæ Reformatæ, quem ex verbo Dei ad indicibilem consolationem didicit, perspicuè & sine tricis explicantes, cum Præside Synodi Johanne Bogermanno concipiendos, Georgio Carletono Landavensi episcopo, Abrahamo Schulteto, Johanne Deodato, exteris; domesticisque Johanni Polyandro, Antonio Walæo sextus Synodi suffragatione Collega adjunctus est. Denique ab eadem Synodo ipsi aliisque duobus Synodi membris, cumprimis Godefrido Udemanno, negocium datum est, ut, doctrinam, quæ ab ea explicata est, esse eam veritatem, quæ est secundùm pietatem, adstruerent & sedulò demonstrarent. ne scil. videretur Synodus pietatem vel in γνώσει & scientia quadam speculativa, vel in καθηγήσει alienæ ἀληθείας collocare; & ut os obturaretur adversariis clamantibus, doctrinam de Gratia electorum inimicam esse pietati & infrugiferam: denique ut homines per eam ad veram pietatem; ad studium, quod ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος βεβαίαν μέχρι τέλους inferendum monet Apostolus, ducerentur. Cui euræ ὁ μακαρίτης non mediocrem laborem impendit; non sine certamine & digladiatione adversariorum. Neque delassatus tot laboribus etiam manum admovit demonstrandæ ruinosæ constructioni & sine fundo fundationi Papatus.

Quum ita per annos 24. in ministerio Amsterodamensi se gessisset, ut Ecclesiæ & Collegis esset gratus, bonumque nomen & celebrem famam in Belgio obtineret, accidit, ut Rever. & Clariss. Andreas Rivetus, p. m. ex Academia hac ad curam & institutionem Illust. Principis Auriaci Wilhelmi in Aulam vocaretur. Ibi post Henricum Altingium ex Groningana Academia frustra petitum unanimibus Nobilissimorum atque Amplissimorum Academiæ Curatorum Urbisque hujus Consulum suffragiis in hunc nostrum itum est. Quæ vocatio quanquam eum initio vehementer consternasset, & in trepidationem conjecisset, quòd ad eam obeundam non se satis exercitatum instructumve putaret, expers Academicæ institutionis, quæ inter Reformatos obtinet, Latino sermoni dudum inassuetus, denique extemporalem promtitudinem non expertus aut periclitatus hactenus: nihilominus eam fretus divina gratia, quam semper ducem comitem & adjutricem senserat, magnis motus rationibus in timore Dei sequi decrevit. Idque amplissimo & consultissimo viro D. Johanni à Wevelichoven, hujus Urbis Syndico & Collegii D. D. Curatorum Secretario prudentissimo, respondit. Quod quamvis prima vice à Synedrio Amsterodamensi approbatum non fuerit, quod omnem lapidem movit, ut eum à sententia dimoveret, tamen, iterum per eundem Virum spectatissimum petitus, à dolentibus Collegis Ecclesiæ florentissimæ rectoribus, modò apud illos usque ad mensis Maji initium perseveraret, Academiæ concessus est. In eam igitur venit Anno 1634. mense Majo. Et quum ipsa experientia magistra didicisset, veritatis, imprimis cœlestis illius, quæ divinis continetur oraculis, simplicem orationem esse, qua simplicitate & gregem suum hactenus paverat & antagonistis restiterat, constituit professusque est, se ex S. Scriptura Theologiam simplicem & solidam, non verò verbis futilem, quæstionibus intricatam, spinis asperam, humanis adinventionibus deformem, in terminorum spuriorum & σεσοφισμένων μύθων spectris titubantem, vitilitigationis scabie prurientem, sed rebus utilem, doctrinis certam, analogia veræ sapientiæ expeditam, claritate nominis Dei & pietatis typo formosam, ad vitia erodenda non insulsam, verbis castam, bonæ conscientiæ fructu jucundam, quantum Deo adjuvante vires ipsius ferrent, traditurum. Nam quid ipsum movere poterat, ut ad limosa Ægypti fluenta, fermento turgentia, eluvione violenta, quæ adolescens fastidiverat, rediret senex, spretis relictisque aquis Siloæ limpidis & leniter fluentibus & cœlesti piscade, h. e. verbis illis Spiritus S. vivis, puris & putredinem nescientibus, quæ pluviæ moderata crebritate stillantia, roris forti lenitate penetrantia, ut piscas virescentes feminum projectus, ut imber in adolescentes herbas illiquatur, ita in corda siti arida, vitiis squalida, virtutum germinibus nuda illabuntur, eaque purgant, vivificant, molliunt, sanant, in lætam segetem virtutum fœcundant, & gaudio implent ad satietate.

Hoc tenore noster, A.H. Esaiæ suavissimi & profundissimi vatis magnam partem explicavit, de gratia Dei scripsit, adversariis os obturavit, Remonstrantium Apologiam examinavit, de capitibus Theologiæ in Auditorio Theologico omnibus vel discere cupientibus vel rationem fidei exigentibus graviter, cordatè, liberè, solidè accurateque respondit, & avidam eruditionis juventutem domi diligenter & perspicuè informavit: nullibi strigans aut obtorpescens; quanquam etiam insuper Ecclesia ipsi plebem docendi ac regendi munus grave imposuisset. Factum id anno 1635. quum pestilentia urbem populans etiam virum reverendum & optimum Johannem Pauli Hartenbergium abstulisset. Supra quæ omnia etiam alius labor inexpectatus ipsi exortus est. Johannis Wtenbogardi Remonstrantium primipili historia Ecclesiastica posthuma prodierat in publicum iniquis censuris & obtrectationibus Ecclesiæ Reformatæ referta. Poscebat ea vel strigilim vel amussim. Repertus est Triglandius noster, qui propter peritiam & memoriam rerum & integritatem posset, & cum sua sponte propter amorem gloriæ Dei, tum rogatu Ecclesiarum vellet historiæ face illius libri tenebras illustrare. Quod volumine satis magno præstitit. Quo scribendo de posteritate optime meritus est. In his laboribus ad constantiam & tolerantiam admodum se sensit adjutum ab uxore dilectissima, fœmina lectissima Christiana Theodori Stoof; quam Vianæ anno

næ anno ſeculi quarto dixerat κουριδίην ἄλοχον, vel, ut Scripturæ loquuntur, uxorem juventutis. Quæ ei cohabitavit fideliſſima & commodiſſima per annos triginta novem: nempe uſque ad id tempus, quò primùm Academiæ hujus Rectoram geſſit. In quo magiſtratu eum ſexagenarium ſexagenaria reliquit, beatum prole undena, ſuperſtite ſeptena: in qua conſpicui ſunt filii hîc præſentes ſupremo officio nobiſcum functi Rev. Vir Corn. Trigl. olim Wormeranæ, dein Hornanæ, nunc Haganæ Eccleſiæ miniſter; Vir Conſultisſimus Theodorus, Juriſconſultus, Advocatus coram Hollandiæ Curia; & Vir item reverendus Jacobus primò Monaſterienſis, deinde Alcmarianæ, nunc Harlemenſis Eccleſiæ præco, viri laudatisſimi & honorati. Quibus non indignæ ſunt ſuperſtites quatuor filiæ virgines caſtæ, pudicæ, piæ, quæ ſe poſt mortem matris optimæ egregias Parentis γηροκόμους præbuerunt, & ea pietate cæteriſque virtutibus claræ ſunt. Poſtquam verò illo tibicine viduatus eſſet ὁ μακαρίτης, in mœrorem & triſtitiam incidit non mediocrem. Quæ ita vires & alacritatem animi depaſta eſt paulatim, ut videret, ſe impoſterum non ſuffecturum ſimul Academicis & Eccleſiaſticis laboribus. quam etiam ob cauſam laboris Eccleſiaſtici veniam (necubi meritò fides ipſius deſiderari poſſet) à Synedrio petiit, &, quum ei in docendi provinciam Vir eruditisſimus & venerabilis D. Jacobus du Bois, ex Ripenſi Eccleſia evocatus, ſuccederet, impetravit. In primo rectoratu anno 43. ita ſe geſſit, ut Celſisſimus Princeps Auriacus Wilhelmus, oblata iterum occaſione anno 1650. ſenectutem ipſius ea dignitate coronare non dubitaverit. Quæ quidem noviſſima Auriaci electio fuit. Atque hæc de vita ipſius laborioſa pro temporis ratione breviter potuimus delibare. Reſtat cataſtrophe. Primum adveſperaſcentis ævi ſignum fuit ingraveſcens auditus. Quæ ipſi & cauſa fuit publicas diſputationes omittendi: quarum ultimam habuit 23. Decembris, anno 1651. de ſtatu humiliationis Chriſti. Succesſit malum admodum moleſtum Stranguria, cujus cauſſam calculoſa renum diſpoſitio ſæpe antehac obſtrepens valetudini ejus Medicorum ſuſpicioni ingeſſit. quam augebant purulenta, ramenta membranoſa, arenulæ varii coloris, & tandem ſanguinis grumus cum lotio excretus. Secutæ ſunt doloris induciæ. Subinde lotium, quod & exili menſura reddebatur & identidem ſtimulabat, Urethram mordaci acrimonia excoriavit. Ex quo cruciatus uni loco affixus manſit ad ultimum uſque vitæ terminum. Neque tamen his moleſtiis à laboribus ſuis abſterreri potuit: niſi quod poſt nuperas Caniculares ferias à publicis lectionibus abſtinere coactus fuit. Medicorum de ipſius malo dubitationes excretus calculus majuſculus & inæqualis, qui ſe fateretur eſſe majoris fragmentum, & ſigna alia convenientia abruperunt. Oblata ipſi interim eſt, non admodum renitentibus Medicis, potio porrata; qua plurimi à ſimili malo eſſe levati ferebantur. Inter cujus uſum viſus eſt per 3. ſeptimanas habere meliuſculè. Dolor enim, ut alias, non nihil reſedit. Sed mox evigilavit fatale telum ſævos irrogans cruciatus & nec dies nec noctes quietem ægro concedens. Nam & ſedens coactus eſt ſomnum captare, ut ad omnem titillationem erectus matulæ lotium redderet. Ex creberrimo denique continuus & involuntarius factus eſt hic urinæ fluxus, ſoluto muſculo Sphinctere. Hinc vires frangi, appetitus proſterni, & œſophagus officium ſuum deglutiendis cibis etiam liquidis negare, denique lingua ad loquelam ſtupere. Ibi (quo commodùm tempore ſibi ſuccenturiandum virum inſignem, magno ingenio & præclara indole & eximiis dotibus multiſque ſpeciminibus ornatiſſimum, D. Johannem Hoornbeeck, vidit & Academiæ gratulatus eſt) lectulo affixus, poſt dies non multos, inter preces crebras ac conſolationes filiorum, amicorum, verbi divini miniſtrorum, quas intentione animi, oculis, manibus in cœlum erectis, nutu, & quantumvis impedito ſermone proſecutus eſt, ipſe ſolatia ſua omni conatu exprimens, imprimis pleno illo fiduciæ dicto, *Etiamſi me occiderit, ſperabo in ipſo*, ſpei certitudinem uſque in finem firmam, imò expectationem ſuam & ἀποκαραδοκίαν ſignificans clariſſimè. donec, commendata liberis pace & concordia & ſcriptis ſuis (quæ, durante etiam ægritudine, vel perfecit vel exaſciavit vel continuavit) anima autem in manum Dei, cui à juventute adhæſerat, depoſita, ſatur vitæ & ſuorum pietate lætus, nupero die Sabbati inter ſeptimam & octavam veſpertinam expiravit. Poſt mortem ejus ex veſica extractum eſt letiferum illud telum, quod tamdiu ipſum excarnificavit & tandem ſuſtulit, tres inſignes calculi, quorum maximus ovum gallinæ mediocre æquat, reliqui duo ad eandem magnitudinem proximè paulatim accedunt: quos in manu Clariſſimi viri & feliciſſimi Anatomici D. Johannes ab Horne, Collegæ honorandi, cum horrore ſpectavi. Reperta fuit in veſica materiæ purulentæ copia. Ex quibus, quomodo reliqua ſe haberent, fuit divinare. Hæc plerunque ſunt ſtudiorum & ſedentarii laboris ἐπίχειρα ac præmia. Atque is finis eſt, A. H. hujus noſtri Collegæ, qui ſumma cum gravitate & modeſtia, & prudentia, candore, ingenuitate, non ſine honore & amore erga omnes, imprimis ejuſdem facultatis collegas (quod me quatuor hiſce fere annis, quibus cum eo vixi, ſæpe expertum eſſe & ſenſiſſe profiteor) in hoc Collegio viginti annos tranſegit. Cujus vitæ curſum qui conſideraverit, non poterit non confiteri quod initio dixi, cum divinæ gratiæ & potentiæ illius verbi, quod in perpetuum ſtat, inſigne ſpectaculum fuiſſe. à cujus verbi vigore gloriam filiorum Dei in iſto terreſtri tabernaculo jam confracto manifeſtandam, ſpiritu victor & conſummatus, expectat; nobis relicto argumento divinæ laudis & bonæ ſpei impoſterum, ſi Verbo Gratiæ, cujus ille teſtis & exemplar fuit, fideliter adhæreſcamus, eique animas noſtras committamus. *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus & Deus ac Pater noſter, qui dilexit nos & dedit conſolationem ſempiternam in Gratia, conſoletur corda noſtra & roboret conſtabiliatque nos in omni ſermone & opere bono.* Amen. *2. Theſſ. 2:16.17.*

DIXI.

ORATIO
IN V. C.
JOHANNIS ANTONIDÆ
VANDER LINDEN,
Medicinæ Practicæ Professoris primi,
FUNERE
Dicta 11. Martii A. M. DC. LXIV.

MAGNIFICE RECTOR, AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI, CONSULTISSIMI HUJUS URBIS PRÆTOR, CONSULES, SENATORES, QUIQUE IIS A CONSILIIS ET SECRETIS ESTIS; PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGÆ CONJUNCTISSIMI; AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI, REVERENDI, CONSULTISSIMI, DEFUNCTI COLLEGÆ COGNATI ET AMICI; ECCLESIÆ PASTORES VENERANDI, DOCTORES CLARISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI; VIRI, QUI ADESTIS, HONORATI; TUQUE NOBILISSIMA ORNATISSIMORUM JUVENUM CORONA.

NOs quidem vivimus. si id vivere est, laboribus fatigari, stomachum ruentem cibis fulcire, corpus gerere debile & omnibus injuriis obnoxium, somno viriculas colligere, somniis ludi, in momenta omnia dura atque aspera exspectare, ea experiri quotidie & spectare in sui similibus, à notis atque amicis divelli, mortuos sepelire, & supervivendo junioribus thesaurum dolorum, ægritudinum, lacrimarum, singultuum, suspiriorum lucrari. Sed tamen vivimus, si non cum mortuis sumus, ut mortui, & eos non sepelimus, ut mortui. Est enim & viventium quædam mors; gerere animum humi defixum, ad res inanes & frivolas projectum, præterpropter vitam vivere, nec ulli utilem esse, nec sibi, ignorare veras suavitates, & non gustare fluvios torrentes mellis & butyri, quorum fontes non sunt in terra. Est vicissim & moribundorum vita, quam non velint commutare cum robore juvenum, cum ulla delectatione oculorum, vel demulsione aurium, vel gulæ titillatione. Neque enim illa materiam vitæ habent, quæ in promtu sunt & patent in hujus mundi proscenio, claritatem Solis, Lunæ blandos vultus, micationem stellarum, virorem terræ germinum, varietatem florum, lucem tenebris, calorem frigore, serenitatem tempestatibus distinctam; panis, carnium, mellis, aromatumque sapores; odorem agri; minuritiones avium, sonos organorum, strepitum urbium; quæque tetram inferorum scrutantibus caliginem promuntur, & per mortes advehuntur, auri pallorem, argenti candorem, gemmarum nitorem; neque etiam manibus structarum splendorem domorum; vel preciositatem vestium, ullarumque formarum novitatem aut concinnitatem: nedum sermones hominum maledicos, stultitia ridiculos, impuritate abominabiles, fraude fallaces, calumnia veritatis & suasione mendacii atque injustitiæ pestilentes. Quemadmodum enim in se ipsi inveniunt animum illis rebus meliorem & ad pulchriora atque nobiliora suscipiendum ornamenta aptiorem, quàm ut pascatur & exatietur illis omnibus, quæ etiam diu, eis fruens, sustinere non potest, quin molesta fiant, etiamsi primo allapsu fuerint jucunda: ita sentiunt, esse aliquid nobilius atque præcellentius, cujus luce illuminari possint, qui sit suus cibus, quo frui sit sua vita: cum nempe, qui ut effector omnium, ita æternum & perfectissimum bonum est, Deum. Ita enim judicant, vivere suum esse jucundissimè agere. Quare, si ab animi actione absit quies, stabilitas & perpetuitas, ad sit autem vel dolor vel metus vel pœnitudo ac pudor & exulceratio, vel desiderium atque inquietudo: non potest animus, se vivere, vel se suis ornamentis decorum, sua luce illustrem, suis bonis divitem, cibique sui plenum ac saturum reputare: quinimò, etiamsi se referserit omnium eorum, quæ foris sunt sensusque lacessunt, cupiditate, vacuum tamen se, imò mortuum, deprehendit. Nihil enim in se, si se ipsum introspiciat, invenit dignum amore suo atque lætitia: invenit autem in se cupiditatis stultæ pruritum, ardoris in vanitatem maculas & stigmata, sui tædium & lucis fugam, indignitatem amoris ac laudis, odii dignitatem, denique, ut spiritale cadaver, se ipse fastidit, neque libenter contemplatur. Qui igitur cum tali ambulant animo, etiamsi vivere videantur, mortui sunt. Nam, qui motus in iis est, est ut cadaveris in vermes cum diro putore effervescentia. Hanc mortem sentiunt in se, qui vivere cœperunt. Quemadmodum enim in corpore, quæ membra vitam spiritumque perdiderunt, etiam sensu carent: ita animus emortuus ipse suam mortem ultro ignorat, imo in lapidem indurescit, imò mortem suam vitam esset sibi persuadere conatur, &, si quid in eo superest ab animi vita, Deo, aut, si ei nolenti radii lucis ingerantur, tanquam mortem abominatur & exstinguere laborat, conscientiam nimirum & bonum Dei verbum. Quod etiamsi aliquando cum gaudio audiverit, & non cognoverit esse morti suæ tollendæ, ubi gaudium illud cum gaudio propriæ mortis ac cupiditatis fervore conjungi amplius nequit, in acriorem tristitiam & odium efferatius vertitur. Ita bis emoritur. Sed, quibus

quibus cœlestis gratia & potens manus succurrit, ii, dum, incipiunt videre fontem omnium bonorum, eundemque perfectissimam charitatem, non minùs atque incontaminatissimam lucem h.e. amatorem veritatis, sanctitatis ac justitiæ, ejusque testem atque vindicem rigidum; simul incipiunt vivere, h.e. bonum suum cognoscere, & lucem illam, sive sanctitatem, quæ est charitas, amare; simul, se mortuos fuisse, sentiunt atque animadvertunt: atque ex eo non desinunt interficere, quæ erant mortis, & animi artus q. σφακελίζοντας per vitam novam excitare, & sanis motibus exercere; & putredinis suæ insidiosas nimium & in Spiritum Dei contumaces reliquias exhorrescere, & cum S. Paulo ad Deum opitulatorem identidem exclamare: *Me
Rom. 7:24. miserum, quis me eripiet ex corpore hoc mortis!* Ex quo efficitur, ut in corpore mortali habitent, non quidem ut clauso obseratoque & squalore ac tenebris horrente carcere (quippe quod corpus Spiritus Dei templum suum fecerit & menti sanctificatæ ad ministerium subjicere inceperit) sed tamen, ut ergastulo, aut carcere aperto, ex quo carnifex non penitus ejectus est, aut ut in domo vitium faciente, quæ, nisi destructa, corrigi non potest. ideoque gravati suspirent perpetuò; non quidem tanquam fastidientes opus Dei, quod sibi in inferioribus hisce impositum vident, ut nomen Salvatoris & Sanctificatoris sui celebrent, & virtutes ejus annuncient, & regnum ejus amplificent, & utiles sint iis, qui ipsorum amori à natura & à Deo benignissimo patre commendati sunt: nedum tanquam metuentes inde proficisci, ubi gratia & φιλανθρωπία Dei ipsis illuxit; quasi tum nudi essent futuri extorresque domus Dei, aut in carcerem ex carcere detrudendi: sed desiderantes intrare in penitissimum domus Dei; in cujus vestibulo collocati sunt; quam vident patentem & à Servatore suo & Domino pro se occupatam; unde pignus hæreditatis, Spiritum renovationis, acceperunt; ubi sciunt esse oculum pastoris sui, qui ipsos custodit; & manum, quæ eos attrahit; unde voces Dei sui & Patris sui & Domini sui & Fratris primogeniti, quas in cordibus scriptas habent, exaudiunt; ubi norunt esse omnes filios Dei, quos terra non amplius videt: Dei, inquam, cujus profunditates scrutari eum, qui in ipsis non loquentibus per suspiria eorum loquitur & interpellat, minimè ignorant: atque ita mortalitatem cum vita immortali & incontaminabili commutare gestientes. Suspirant igitur, quia vident ante se metam suam, & exporriguntur ad eam, & eam amplecti cupiunt: gravantur autem, quia sine timore esse non possunt, dum vetus leti imperator tentat & manus injicit, dum frangitur carcer suus, dum is negocium facessit & justam sui curam flagitat, dum turbatur ipsorum in lucem intentio, dum impeditur opus lucis, dum amori non satisfacit, quod faciunt, dum dolent aliorum jacturas, dum improbitatis conflictu exercentur ad patentiam & experientiam suæ fidei ac charitatis, dum pro suis necessitudinibus solliciti sunt, dum pavoribus improborum & judiciis intersunt, dum nomen Dei blasphematur, dum consortes regni non nisi tenui nota cognoscunt, dum in mundo ambulant personato & picta fictaque, non veras hominum facies, vident, mundumque illum occultum, nisi quatenus is se prodit verbis ac factis non cognoscunt. Unde fit, ut sæpe associentur sui dissimilibus, & imprudentes ab illis vel contagium aliquod accipiant, vel prodantur, vel peccati aliquo consortio coinquinentur. atque ita cogantur cum illo divinæ
Psal. 55: 7. 8. 9. mentis conscio Rege dicere: *Quis mihi det pennas instar columbæ: volem & procumbam. imo in longinquum extendam fugam, pernoctem in deserto: accelerem effugium mihi præ vento ferente, præ turbine.* Est enim profectò aliquis *ventus*, est procella, est vortex, quo rapiuntur, torquentur, auferuntur animæ Dei inanes; cujus potestatem habet Deus hujus mundi: qui etiam bonos afflat & concutit & tantùm non prosternit. Quibus omnibus perpensis, facile est judicare, quomodo ii, qui stant & contuentur dilectorum suorum fracta tuguriola, eaque telluri commendant, animati esse debeant; ne videantur mortui sepelire mortuos; neque etiam injuriam faciant iis, qui non mortui sunt, sed Deo suo vivunt. Nam, si ipsi mortem horremus, ut ademtionem vitæ, & non, ut ἀνάλυσιν ac discessum ex corpore mortis, & profectionem in patriam & εἴσοδον ac penetrationem tabernaculi, quod ex cœlo est, sive introitum in sanctum sanctorum, expetimus atque excipimus; mortui sumus. Quos autem nimium lugemus atque deploramus, eis, injuriam facimus, vel quasi indigni essent, qui credantur esse in vita; vel quia illos malumus nobiscum esse in discrimine; quàm apud Dominum suum esse in tuto. Agamus igitur & nos ita, A. qui viri egregii exuvias paulo ante terræ mandavimus. Ostendamus, nos vivere in spe, & viri optimi abitum à nobis ut triumphum prosequamur. Quanquam enim multa sint, quæ dolori esse possint multis, sive spectes familiam, & cognatos, sive amicos & collegas, sive studiosorum exspectationem & vota, sive Academiæ splendorem & celebritatem, sive multorum salutem, sive artis, quam diligentissimè tractavit & acerrimè scrutatus est, illustrationem & exornationem, sive utilitatem boni Civis, sive decus honesti inter pios exempli, & efficaciam vitæ integræ ad redarguendum mores dissolutos: ita ut multis nominibus immatura & acerba debeat videri, & non nisi tristis ac luctuosa haberi possit charissimi pignoris ablatio: neque ineptum sit multorum deplorare damna, & cum flentibus flere: tamen libenter animum ab ea cogitatione abduco; quem molliorem atque teneriorem gero, quàm ut de dolore meo & luctu bonorum, licet Christiana philosophia præmunitus, loquendi præbeat constantiam. Atque utinam mihi liceret hac hora tacito meum devorare dolorem, & non meam imbecillitatem ac tenuitatem publicare oratione conturbata & minimè pari meritis & dignitate viri excellentissimi. Sed enim non denegandum fuit laudationis officium ei, qui id ante paucos menses Collegæ quondam conjunctissimo Adolpho Vorstio prolixo affectu præstitisset: neque mihi committendum fuit, ut viderer deesse partibus & amici per quinque & viginti annos familiarissimi, & hominis grati. Sostrum enim ei debeo mei meorumque omnium (ne ancillis quidem exceptis) curatorum & feliciter recreatorum ex variis & gravibus morbis. Præterea toto tempore, quo una viximus, expertus sum eum mei amantissimum, & ad omnia commoda mea meorumque invigilantem. Habui eum testem & instigatorem studiorum meorum, scriptorum meorum & lectorem & censorem, denique, supra merita & usque ad ruborem meum, profusum laudatorem. Quum igitur ipse eum non minus multas ob causas diligerem, & à vivente ac valente intellexissem votum ejus, si contigisset eum priorem decedere; idque, quos reliquit superstites, sibi in mandatis datum à defungente ut à me peterent, seriò affirmarent, denique Senatus amplissimus mihi, ut id facerem, proclivi affectu auctor fuerit, nequaquam potui defugere hanc provinciam, quam me implere non posse sat sciebam. Neque enim facile est dicere de iis, quorum vita non est insignis notabilibus casibus aut rebus magnis gestis, quales sunt urbium expugnationes, prælia, populorum subjectiones & ἐξανδραποδισμοὶ, legum lationes, civitatum erectiones, aut si quæ alia sunt, quæ historiæ crepant. Natus est ὁ μακαρίτης in ea tempora & in eo loco, ubi ruinas regnorum & motus populorum audiret quidem, sed non videret. Ita placuit divinæ providentiæ avi proavique seculum à nepotis tempore distinguere: ut illi quidem ætatem suam per sua recenserent pericula, & calamitates: hic autem per longinqua; & positus in pace, quemadmodum Scriptura amat dicere, *butyrum & mel comederet*, & alios quidem ad dextram, alios ad sinistram cadere videret, malum verò ad tentorium ipsius non accederet (ut est in Psalmo) & non quidem immunis à communi sollicitudine & συμπαθείᾳ & consideratione judiciorum Dei & timore, quem meritò cuivis pio inurit observatio vulgaris ingratitudinis & proterviæ, quæ iram Dei provocat (de quibus rebus ei frequens sermo fuit) sed tamen immunis esset à periculo, calamitate & molestia. ita ut ipsius virtutes intra theatrum conscientiæ tum propriæ tum eorum, quibus per occasionem artis innotuit, & eorum animi, quibus ad sapientiam medici præluxit, propemodum constiterint. Quod genus vitæ nemo negaverit minus quidem esse ad famam, φρύαγμα atque jactantiam; sed longè majus ad lætitiam & beatitudinem: & habere quidem laudem innocentiæ & bonæ fidei apud Deum & probos, non verò admirationem in vulgo: nisi quatenus manifesta sunt dona Numinis, quibus fideliter dispensandis vitam suam & opportunitatem omnem collocant atque impendunt, quibus ita vivere clementia divina concessum est. Fuit aliquando tempus, quum in hisce terris aliter viveretur: quando amare verbum Dei, nomen Dei nominare, laudes ejus prædicare, à malo recedere & se castum servare ab idololatria & nequitia capitale fuit. Eo tempore vixit avus τοῦ μακαρίτου Henricus, Antonii filius, Henrici Regneri nepos Nerdenus. Est Nerda oppidum non inelegans, Goylandiæ metropolis, Geldriæ & Ultrajectinis propinqua, juxta lacum Flevi. Henricus Regnerus abavus Civis Hardervicenus fuerat: qui, opibus accisis, quum domus ipsius incendio Civitatis Hardervicenæ consumta esset, Nerdæ consedit. Proavus Antonius in ea Civitate omnibus gratissimus fuit, Cantor in Choro, & Ludimagister (collega Lamberti Hortensii viri eruditissimi, quem sibi superiorem adjungi à Consulibus impetraverat) & secretarii partibus fungens: sacris Papisticis diu immixtus; nisi quòd de Justitia Dei h.e. jure filiorum Dei, quod in Christo per fidem, per Spiritum ipsius unum corpus cum ipso facti,

obtinemus

obtinemus (qui religionis Christianæ apex est) integram semper habuerit sententiam. Uxor ei fuit Henrica Hermanni Losdrechtani filia, viri justitiæ amantissimi, qui nec pecuniam fœnore occupare sustinuerit, quia id illicitum putaret, & hæreditates satis opimas repudiaverit, quia non satis rectè partas judicaret. Ex his parentibus natus est Anno seculi superioris quadragesimo & sexto Henricus avus, vir æterna memoria dignus, qui ingenio ad res cognoscendas aptissimo, memoria admodum tenaci, & eloquio facili ac perspicuo, animi fortitudine ingenti præditus, & amans bonæ conscientiæ à pueritia, incredibili studio linguam Latinam, Græcam, Hebræam, se ferè magistro, initio quidem in Monasterio Aldenerdensi, in quo de vera religione institui cœpit, deinde verò (postquam statuisset nihil commune habere cum superstitione Romana & legibus hominum) inter ærumnas, ministeria, manuale opificium, fugas, exilia, penuriam & famem, cum omni eleganti scientia ac historia, & imprimis veritate divina, didicit; nulli odiosus, nisi iis, qui ipsum ad societatem nequitiæ & idololatriæ pertrahere non possent: dum juvenis esset, utilis Ecclesiæ oppressæ docendis eorum, qui ob veritatis amorem persecutionem patiebantur vel latebant, pueris, nonnunquam etiam coram multis disserendo. Quam tamen operam in Orientali Frisia Dijckhusæ & in ditione Dynastæ Godensis præcipuè exercuit: jam maritus; ducta uxore Ludovica Herberti Wijncoop oriunda ex non ignobili in Gelria familia dominorum Castri Wijncoop. Eam virginem primum in navi, cum eam recepisset in multitudine, ut solet, arctiùs sedere renuente, ob pietatem amavit & conjugem obtavit, ac deinde à parentibus impetravit. Cum ea multas est passus angustias & pericula. Ex ea suscepit filium primogenitum Antonium, τ̃ μακαρίτου parentem, in communes miserias. Quæ mirum in modum auctæ sunt, quum intellexerunt fortunam patriæ civitatis. in qua jam plurimi cognoverant veritatem; atque etiam parentes, gavisi jam filii sui studiis, quæ ipsos aliquando in eum irritaverant. Laniena Parisiensi nudato Regis Galliæ animo, terrore maximo completis Belgis, Zutphania capta, omnes trans Isalam & agri Trajectini urbes obviam Hispanis claves tulere. Sola Nerda portas clausit militum primis, donec integer exrcitus adventasset. Ita pacti de conditionibus Hispanos admittunt. Qui immemores fidei datæ cives ad curiam convocatos trucidant; curiam, urbem incendunt. In ea strage periere pater, socer, affines, cognati: anno præteriti seculi septuagesimo secundo. Hic sanguis, hæc flamma toti Reipublicæ saluti fuit. Nam, quos pactis non stare videbant, eos omnibus viribus propulsare non destiterunt obstinati omnes, donec eis Deus hæc pacis Halcyonia & libertatem non controversam concessit. Utinam verò illa tempora nunquam nobis ex memoria delerentur; semperque cogitaremus, quantum intersit, inter servitutem Dei & servitutem hominum: ne, dum servimus mundo, non Deo liberatori, libertatem tanto impendio partam, quod absit, amittamus. Cæterum ego hæc præterire non potui, quia hæc sunt imagines, quibus ὁ μακαρίτης condecoratus est, hæc exempla, ad quæ formatus est, hæc incitamenta ad amandam patriam & libertatem colendi Deum veritatemque ejus profitendi & conscientiam non offendendi. Avus post illa anno septuagesimo octavo Enchusæ ministerium sacrum obivit, summa cum omnium dilectione: unde tamen anno octogesimo quinto coactus est abire, vocatus Franekeram ad professionem Theologiæ primariam; quam Academiam ipse initiavit oratione prima, & lectione. Atque in ea functione diem suum obiit Anno hujus seculi quarto decimo: vir sine dubio cum non infimis sui seculi comparandus. Hujus plures filii fuere, viri omnes honorati & utiles Ecclesiæ, nominatim Herbertus pater Reverendi & optimi viri, D. Hermanni, quem hic inter consanguineos præsentem videtis, Ecclesiæ Hagiensis ministri fidelissimi. Deinde Clemens, cui postea Hermanni nomen propter memoriam fratris prædefuncti, admirabili ingenio pueri, inditum, Ecclesiæ Nerdanæ pastor, quondam collega & sororius Reverendi Viri, quem seniorem, ut nostræ facultatis in hac Academia, ita in Ecclesiæ hujus ministerio amamus & veneramur, D. Abrahami Heidani, cui adhuc plures annos & non gravem senectam bono Ecclesiæ precantur omnes boni. Cæterum pater τ̃ μακαρίτου Antonius, vir incomparabilis, ingenii supra communem sortem vividi, probè educatus à parentibus, Latinæ Græcæque linguæ, bonarum artium, poëseos, ita gnarus fuit, ut ab Enckhusanis ad regendum gymnasium vocatus sit, eique rei operam dederit cum laude. Hisce adjecit Musicam artem vel potius scientiam, & ὀργανοποιΐαν atque organi pulsandi peritiam. Neque secius excoluit Theologiam. Habeo domi totam Theologiam per tabulas ab eo minime ineptè nec sine accurato judicio dispositam, eleganter ipsius manu scriptam. Maximè se tamen impendit in artem Medicam. In qua facultate gradum magna cum laude & gaudio parentis obtinuit in Frisiorum Academia Anno hujus seculi octavo. Ex quo tempore Medicinam fecit primò Enckhusæ, deinde Amsterodami; magna non minùs cum felicitate, quàm prudentia & sagacitate. Quod non modò ex filio sæpe mihi auditum; sed etiam locupletissimis testibus. ex quibus memini me percepisse, ejus prædictiones imprimis non fuisse fallaces. Quæ res maximè ostendit artis peritiam. Conjux ei secunda fuit Sara Sweerts de Weert, fœmina prudens, pia, cordata, egregiè morata. Quam cognovisse & cujus memoriam animo retinere mihi non exiguæ voluptati est. Cujus etiam extrema de pietate deque regno Christi colloquia animo meo infixa sunt. Erat ea ex Patritia & perantiqua Bruxellis prosapia Sweerdiorum, sive Gladiferorum, octava proles Johannis de Weert (qui anno 1585. inter magistratus Antverpienses fuit) & Claræ Wonderer. Fratres habuit, ut & sorores, bene multos; per quos familia & cognatio valde est amplificata. Unde affines censebat defunctus eximios viros, & inter eos quosdam, quos mihi etiam licuit nosse. Inter avunculos fuit Rolandus de Weert Consiliarius & Fiscalis Brabantiæ. Ejus gener unus fuit Amplissimus vir Jasperus van Kinschot Curiæ Hollandicæ Senator, cujus filius primogenitus in Curia Brabantina Senatorem agit prudentissimum & integerrimum, cæteri ad honores amplissimos per paternarum virtutum vestigia grassantur, filia nupsit Johanni Halling Consuli Hagiensi; alter Imannus Cau Curiæ supremæ Graphiarius. Neque prætereundus mihi Vir Reverendus Jacobus Rolandi Ecclesiæ Amstelodamensis doctor, inter Novi Testamenti versores census; matertera maritus. Fuit inter avunculos τ̃ μακαρίτου Sebaldus de Weert celebris præfectura Classis, quæ sub auspiciis Reipublicæ Fretum Magellanicum scrutatum profecta est Anno superioris seculi penultimo. Quam scrutationem fidelissimè & accuratissimè peregit: & cum variis miseriis luctatus in patriam rediit; relicta sequentibus commodioris viæ inveniendæ felicitate. Postea in Taprobane insula, quæ nunc Ceylon dicitur, jussu suspicacis reguli, in cujus gratiam quatuor Lusitanas naves ceperat, inter amica colloquia cum multis trucidatus est a. 1609. Fuit & David de Weert Senator Sylvæducensis, vir magno rerum usu & prudentia ac gravitate singulari; cujus altera filia nupsit Petro Schuyl van Walhoren, Senatus Sylvæducensis præsidi, bonorum Ecclesiasticorum quæstori; altera Johanni van Beveren, Tribuno vicario Gertrudismontis Gubernatori, filio Nobilissimi D. Cornelii van Beveren viri multis dignitatibus illustris, & diu Academiæ hujus Curatoris splendidissimi. Ex proavi fratre affinem salutavit Amplissimum virum Justum de Hubert Secretarium Civitatis Zirizeæ, ad potentissimum Galliarum Regem nuper legatione nomine Reipublicæ cum dignitate functum. Sed cogor vela contrahere, ut tandem τ̃ μακαρίτου, de quo non libenter hoc loco verba facimus, vitam perstringamus. Is igitur anno hujus seculi nono ex parentibus optimis mensis Januarii die tertia decima in lucem editus est cum Hispaniæ Rege initio induciarum Enckhusæ, quæ prima Hollandiæ Civitas libertatem apprehendit. atque ibi libertatis amori innutritus est. Unica cura parentum fuit. Post rudimenta literarum in patria posita, decennis commendatus est institutioni patrui Hermanni apud Nerdenos verbi divini ministri. Apud quem biennio tantum profecit, ut domum reversus traditus sit erudiendus Scholæ Rectori Gulielmo à Niewenhuysen viro undiquaque doctissimo, qui inter Revisores versionis Novi Testamenti deinceps sedit. Ejus institutione triennium usus est, atque ita sub eo profecit, ut tum à Rectore, tum à Scholarchis judicaretur idoneus qui Academicis studiis admoveretur. Sed ex ludo literario dimissus in gravissimum incidit morbum, ex quo demum sequenti anno convaluit. Ita domestica & q. paterna institutio per morbum finita est. Noluit Deus deesse suis partibus: sed in adolescentiæ finibus per afflictionem corporis ei cœpit cogitationem firmam melioris vitæ infigere, & experientiam fidei, quam ab utroque parente hauserat, largiri, eumque ad veram philosophiam, imò vitam, quæ est μελέτη τ̃ θανάτου, *moriendi*, ut ita dicam, *usus & exercitium*, præparare. Et certè crebris ἀσθενείαις & revera infirmationibus corporis didicit, quàm parvi esset roboris, & ut longævitatem sibi non promitteret. Circa id tempus pater familiam Amstelodamum transtulit. Ergo Collega μακαρίτης mense Octobris a. 1625. sexto decimo ætatis anno Academiæ hujus civis factus est. In ea Philosophiæ præceptis imbutus est à Clarissimis viris Gilberto Jacchæo & Francone Burgersdicio. Qui cùm collegium publicum

publicum disputantium instituisset, sub eo bis respondit, de motu & anima vegetante. Cujus Collegii membrum & τοῦ μακαρίτου commilito, atque ex eo tempore amicus sincerus fuit Amplissimus vir D. Daniel Colonius hujus Academiæ Professor celeberrimus. Post deinde, etiam Mathematicis non neglectis, animum totum applicuit Medicinæ. Quæ sive ars sive scientia, ut in confesso est, divino munere est mortalibus data, ad insigne miserorum solatium & Reipublicæ inæstimabile bonum. Equidem sum in illa sententia, quando Apostolus inter dona Spiritus numerat ἰάματα *sanationes*, eum non tantùm miraculosas,
1. Cor. 12: 9. quales ad pellendum stuporem infidelium aliquando fiebant, sed etiam illas, quæ prudenti usu remediorum fiunt, intellexisse. Quemadmodum enim donum linguis loquendi est &, quod subitò accipitur, ut Apostoli id acceperunt, & quod studio paratur; & donum prophetiæ & sermo sapientiæ ac prudentiæ utroque modo datur per eundem Spiritum: ita sanatio corporis, quæ sine remediis fit, &, quæ per medicam manum, utraque & hujus scientia ac felix actus à Spiritu Dei est. Deus, ut hominem vivere facit non tantùm sine pane, sed & per panem: ita sanat & sine herbis & per eas. Quemadmodum autem apertum est, alios cibos aliis vel ætatibus vel temperamentis hominum esse paratos: ita negari non potest, alia sanis, alia ægris convenire, mirabilemque esse in eis, quæ in hominem ingrediuntur, ad movendum mutandumque ea, quæ in homine sunt, quæque ipsum ægrum ac languidum faciunt, efficaciam, præterquam, quòd & morbi suis quodammodo regulis & mensuris incedunt: & ipsa quæ apponuntur corpori & quæ exterius sunt, in sanum & in id, quod labefactum est, valent, vel ad recreationem vel ad noxam. De quibus rebus dicere supersedeo, ne videar ineptus, si velim id persuadere, quod omnibus est persuasissimum. Habuit ὁ μακαρίτης Medicinam pro vera arte. Id credidit Hippocrati, credidit patri, credidit rationi. Credidit tamen, esse artem profundam, variam, difficilem; sive spectes morborum naturam, & eorum cognitionem, sive remediorum proprietatem & commoditatem, sive utendi καιρὸν atque opportunitatem; sive sanitatis tuendæ prudentiam. Credidit, ejus & peritiam & prudentem usum esse donum Dei. Ideoque & animum ita erga Deum & erga proximum composuit, ut ad juvandum miseros à miserorum unica rupe & curatore scientiam, prudentiam & sagacitatem impetraret: & studio ingenti cùm mutos magistros tum etiam vivos & ingenio atque peritia prælucentes complexus est. Sectatus est igitur enixa industria viros Clarissimos & doctissimos, quibus tum Academia hæc luminibus gaudebat, Othonem Heurnium, Ewaldum Screvelium, Adrianum Falcoburgium, & Adolphum Vorstium. Anno nono & vigesimo, ætatis vigesimo, quum Patri videretur non inutiliter tempus in Academia hac trivisse, missus est ad Academiam Franekeranam; eam ob causam, quod & Pater in ea titulum Doctoris adeptus esset, & Avus eam suis dotibus exornasset. Ibi hospitem & præceptorem habuit virum clarissimum, doctissimum, peritissimum Menelaum Winsemium Medicinæ Professorem. Sub cujus præsidio de omnibus medicinæ partibus propositas à se meditationes decem disputationibus magna alacritate nec sine laude pertractavit. Deinde, quum se examini subjecisset, dignissimus judicatus est, qui titulo & honoribus Doctoris potiretur: & solenniter 19. Octobris Doctor renunciatus est. Hanc promotionem insecuta est febris quartana; exercendo novo Doctori comparata. Ea sub ver proximum remittente, Patris ductu incepit medicinam facere, usque ad annum hujus seculi trigesimum & tertium, ætatis quartum & vicesimum. Atque ego credo, ei id tempus ad cognitionem artis & prudentiam fuisse utilissimè impensum, longeque utilius, quàm si per maria & terras famæ celebrium hominum inhiasset. Quantumvis enim magnam habeant vim ad animum poliendum etiam peregrinæ virtutes & dotes: (quandoquidem Deus non uni regioni sua dona impertit, aut gratiam adstringit) tamen nihil tanti fuit, ut propterea prudentissimum, certè fidelissimum, præceptorem patrem desereret. Atque ipse erat ea pietate & prudentia, ut patri in omnibus satisfacere cuperet, & bonum (quod alii peregrè quærunt) ac sapientiæ thesaurum domesticum se habere, non ignoraret. Quum igitur Pater anno trigesimo tertio, ætatis sexagesimo tertio diem suum obiisset, solus in curam ægrorum incumbere perrexit. Duxit porrò anno proximo uxorem, lectissimam virginem, nunc mœstissimam viduam, Helenam Grondt, ex ornatissima & bonorum ferace & præcipuis affinitate innexa familia: cujus soror nupserat, in mea patria Brema, Laurentio Wouters, meo quondam ab adolescentia amico, viro, ut spectabili, ita optimo; ut & affinitate hac beatus esset. Anno 39. seculi hujus ab illustribus & potentibus Frisiæ ordinibus ad professionem Medicam vocatus est. Quam in eorum Academia per annos ferè duodecim solus sustinuit, enixè operam dans, ut Medicinæ studiosi quàm minimum desiderarent eorum, quæ ipsis utilia esse possent, se simul & auditores exercens, nec magis promtus ad docendum, quàm ad discendum, nec ad discendum magis, quàm ad docendum. Ideoque & lectionibus theoreticis ac practicis, & sectionibus anatomicis & demonstrationibus botanicis magna cura ipsis præluxit. Extant inter schedas ejus orationes & lectiones examussitatæ, dubium pietatem magis an eruditionem redolentes. Quanquam autem eum Academia sic satis occuparet, neutiquam tamen defuit officio inserviendi valetudini primariorum in Republica virorum: præcipuè in metropoli Frisiæ Leoverdia. Erat cùm omnibus præcipuis, tum imprimis Academiæ Curatoribus Nobilissimis Renico à Burmania, & ejus successori Joachimo André, Hobbio ab Aylua, Livio à Scheltinga, Johanni Nijs, viris sine controversia summis, charissimus & acceptissimus: neque ullus erat inter Collegas, quem non demereri studeret; quibus etiam se probavit, nisi, ubi conscientiæ amplius litandum putaret, quàm corrupti moris torrenti. Rectura Academiæ ei suffragiis unanimibus Collegarum delata est anno quadragesimo tertio; quam cùm frustra, etiam oblata ad ærarium summa auri non mediocri, deprecatus esset, gessit feliciter & cum laude, nec sine fortis animi experimento. Eo Rectore & favente mihi nec opinanti duplicatam Professionem recordor. Meruit quoque ipsius fidelitas & industria Bibliothecarii munus; quo tam diligenter functus est, ut bibliothecam publicam spoliatam restitueret & exhiberet locupletissimam, per magnatum, quos compellavit, benevolentiam & liberalitatem. Quorum favori & gratiæ erga ipsum debet illa Academia & hortum Academicum mirifice amplificatum & domum in eo splendidam. Igitur, quum ipsius virtus & eruditio in tam illustri theatro positæ essent, non latuere tum Proceres Trajectinos, tum Nobilissimos hujus Academiæ Curatores ac Civitatis hujus Consules. Quorum illi eum anno quadragesimo nono ad suam: hi feliciores anno quinquagesimo primo in hanc celeberrimam & splendidissimam scientiarum officinam atque ingenii palæstram vocarunt & viris excellentissimis ac doctissimis, Adolpho Vorstio præceptori (nuper à latere ipsius, nobis mœrentibus, avulso) & Alberto Kypero Collegam debere. In hoc loco quem se præstiterit, quid attinet dicere? Cui enim ignota est ipsius religiosa diligentia ad obeunda mandata munia? vel privati labores? vel lucubrationes indefessæ? vel studium iuvemendi laborantibus? vel honesta & inculpata vita? vel animus tenax propositi & memor jurisjurandi? vel, quam, si omnia, nemo in eo desideravit, integritas & mens seria, aperta, fuco carens atque fallacia? Industriam ejus & multam lectionem & judicium & peritiam suæ artis testabuntur monimenta, quæ posteritati consecravit. Medulla Medicinæ laudata à Vopisco Fortunato Plempio. Medicina Physiologica. Selecta Medica & Meletemata; laboriosa opera & plena nervorum. Consilium item de Hemicrania. De Scriptis medicis commentarius ter recusus & auctus. Edidit etiam aliena scripta; Spigelium, Cardanum de utilitate ex adversis capienda, Celsum magna cura emaculatum, quem Latinum Hippocratem solebat appellare. Ipsum denique Hippocratem antiquissimum & laudatissimum artis Medicæ magistrum ad multos & optimos Codices cùm editos tum manuscriptos emendatum non tantùm prælo paravit, sed & commisit, eoque adduxit, ut spes sit, eis paucas septimanas eum in publico appariturum non sine nitore atque elegantia, gratum studiosis & rei medicæ & Græcæ antiquitatis atque rotunditatis. Nisi quis putet, quod Venusinus de Grajis judicat, Coo seni defuisse. Scio, τὸν μακαρίτην multa de variis locis Medicorum principis esse meditatum, & magnam sibi supellectilem collegisse observationum ad hunc Auctorem illustrandum utilium. Quas non potuisse ab ipso edi, dolendum est. Recturam gessit in hac Academia semestrem, functus C. V. Alberto Kypero: ex illo tempore non optavit. Amicos (ut, quantum mihi innotuit, dicam) inter artis suæ Professores habuit & coluit Amplissim. D. Tulpium, Clarissimos viros, Bodæum, de Vick, Pisonem, Sladum, Amstelodamenses; Plempium, Lovaniensem; postremò Guidonem Patinum Professorem Regium. Liberos reliquit duos filios, Henricum ante hac domi accuratè doctum, nunc Patini ab ore pendentem, Medicinæ Candidatum, & Antonium, adolescentem bono ingenio præditum: filias item quatuor virgines optimè educatas, & parvulam unam; quæ modò parentum delicium,

nunc matris σπλάγχνα & miseratio est. Hæc, A. de vita τοῦ μακαρίτου, exoptatissimi Collegæ & conjunctissimi, dicta sufficiant, quæ satis puto esse dolori, honori non satis. Restat, ut ejus & piam catastrophen tangamus. Tertio & vicesimo superioris mensis ab amico rus prope Harlemum invitatus est, ut de valetudine Viri primarii cum eo consultaret. Ibi inter deambulandum frigore correptus est, & ex eo malè habere cœpit. Postridie, qui erat Dominicus, binas conciones attentè audivit; tertiam ne audiret, impeditus est. Die Lunæ officio faciendo vacavit, lectionem habuit, privatæ institutioni operam dedit, & ex Nosocomio, in quo Collegium auctoritate publica habere nuper admodum inceperat, reversus, cum studioso, qui eum domum deduxerat, diu ante fores collocutus est, sui negligens. Die Martis decubuit, & remedia, quæ sibi probata, adhibere cœpit. Accurri, quum accepissem de morbo ejus, die Veneris. Intellexi, febri synocho putrida laborare. Significabat, se ei morbo non fidere. Mecum, ut & postridie cum Rev. D. Heidano, de divina providentia, de vitæ hujus miseria, de hominis οὐδενία, de firmitate divinæ gratiæ, de spe Christianorum collocutus est. Interim nulli sudores ex voto, nulli somni, etiam remedio quæsiti. donec vis morbi ingravescere eumque in κάρον conjicere, ex quo tamen subinde excitabatur, interdum turbata mente, sed non diu. Ante extrema enim apud se fuit, & accedentes agnovit, prudenter ad interrogata respondit, &, quamdiu potuit loqui, spem vitæ beatæ & voluntatem discedendi ad Dominum omnibus signis ostendit, atque ita instillatæ à parentibus, exemplis domesticis auctæ, Ecclesiasticis allocutionibus educatæ, & verbi divini quotidiana lectione & frequenti repetitione neque segni meditatione & in mysterium Dei inquisitione roboratæ pietatis fructum in terris percepit, ut in certitudine spei se abnegans, & Deum sanctum justificans ac bonum glorificans, animam suam, ut patri fidelissimo, commendaret. Spirare desiit die 5. Martii post meridiem circa horam tertiam. Memorabile est, quod inter assidentes lecto erat fœmina ex boreali Hollandiæ parte veris cum deflens lacrimis. Quam septennio cum remediis conflictatam, ut ipsa prædicabat, hac hieme per gratiam Dei restituerat sanitati. Nostrum erit, A. quemadmodum initio dixi, hoc exemplo mortis in morte finitæ, animum habere eorum, qui per hunc tramitem ad beatam vitam, terminum vocationis supernæ, curriculi nostri metam, hæreditatis mansuræ summam, desiderii satietatem, charitatis, in fructu veri boni hìc in fide amati, suavitatem, & Dei animum impleturi susceptionem, in viva & forti spe, anhelant atque contendunt; eorumque, qui præcesserunt (condonata communi infirmitate; cujus irritatio sæpe imputantibus imputanda est) cum benedictione nominis eorum meminisse: & ad Christum prodromum atque ἀγωνοθέτην, ad dextram Patris sedentem, uno corde, defixis in eum oculis, magis magisque accedere. Vestrum autem, optimi juvenes, qui Medicæ vos arti dedistis, & præceptore vobis charissimo orbati estis, Deum imprimis timere, ab ejus Spiritu munus sanationis petere atque exspectare, per charitatem proximi ad artem discendam & exercendam anniti, denique animum integrum & sanctum, oculos puros, vitam honestam, sermones salubres, medicinam animarum, ut necessarium medicinæ feliciter faciendæ commeatum, parare. Deus autem, qui hæc nobis dedit intelligere, det nos ita hìc bene agere & ad se in bona conscientia accedere & in die suo magno irreprehensibiles, indutos Filio suo dilecto, in conspectu suo apparere. Amen.

D I X I.

ORA-

O R A T I O

Habita in funere

Nobilis, Reverendi & Clarissimi Viri,

JOHANNIS MACCOVII

SS. Theologiæ Doctoris & Professoris p. m.

Die 2. Julii A. C. 1644.

MAGNIFICE RECTOR, PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGÆ HONORANDI, CONSULES GRAVISSIMI, PASTORES VENERANDI, DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, VOSQUE NOBILISSIMI AC LECTISSIMI OMNIGENÆ SCIENTIÆ ET VIRTUTIS STUDIOSI CHARISSIMI.

PRænobile membrum Academiæ hujus & Collegii Professorum amisimus. Lugubre officium ex parte peregimus. Terrenum illud λείψανον, in quo melior substantia, Artificis sui imaginem & similitudinem gerens, dum à Domino peregrinabatur, sub *servitute vanitatis* hæsit *invita*, terræ, cui ob peccatum (Rom. 8: vs. 20.) debebatur, judici omnium, quando is è cœlo *cum celeusmate* (1. Thess. 4: 16.) vivos ad tribunal sistente, *cum voce Angelorum principis* & servos & hostes suos angelos ad judicium cogente, *cum tuba Dei* mundo huic dissolutionem indicente, pulveri bellum clarigante; sitosque in eo excitante veniet, redituræ, tristes commendavimus. Pars illa officii necessaria fuit, quam vespillonis propemodum totam administravit manus. Tegendæ sunt humani corporis parietinæ, cùm hospes animus domum ex hoc mundo recesserit, ne quid nisi integrum ac venustum in hoc splendidissimo divinorum operum theatro, in hoc vitæ proscenio dedicatæ sensuum imbecillitati objiciatur. Et verò, si rem putamus, ita supremum Numen hanc viventium regionem à regione mortis discrevit, ut, dum in hoc inferiore mundo ludit ipsius sapientia, aliam regionem lucis & gaudii, vitæque & incorruptionis in penetralibus suis, in supercœlestibus, exstare testificetur. Quem in locum primogenitus ex mortuis Christus, intuentibus discipulis, translatus est, ut fidem faceret nostræ quoque ad illius æternum consortium assumtioni. (1 Cor. 15.) Quod ut doceret, atque ita se Deum viventium & non mortuorum esse, mortuosque in Domino sibi vivere testaretur, etiam ante adventum Servatoris mortui cadaveris attactu aut societate pollutos & tanquam unius corporis membra putrefacti abscissione membri vulneratos perque tristitiam & luctum in mortis dicionem pertractos ablui, sacrisque cœtibus & festis pompis restitui voluit. Ita ostendit, Regnum Filii sui Regnum vitæ esse, in quod mors potestatem non habet, & per depositionem exuviarum corporis hujus ad vitam veram aditum, eidemque, post (Rom. 8.) exantlatum creaturæ vanitatis servitium, ad immortalem vitam reditum esse paratum. Nam, quæso, qui nobis fructus lætitiæ esse integer ac sincerus potest, qui ipsi in momenta leti spiculis expositi charissimorum quotidianis laceramur jacturis, quomodo possumus vel metum excutere vel carnis affectum exsurdare, nisi hinc ad meliores sedes discessio est, nisi corpusculo huic certa reparatio est? Atqui volebat Deus, quos vel momentanea tristitia tyrannidi mortis subjecisset, quàm primùm ablutos mœstitiam exuere, & ad spem, consolationem gaudiumque & Amœnitatum domus Dei, per quas Deus velut in speculo gloriam suam & vitam immarcescibilem, ad obsignandam beatæ visionis Dei spem, repræsentabat, spectaculum postliminio revocari.

Nos igitur altero quidem officio, quod lex carnis nostræ corruptibilis imposuit, functi sumus: Spolia mortis non tam destruenda quàm in spem regenerationis conservanda utero Matris nostræ credidimus. Restat alterum, ut ad hunc reversi locum, qui sacris commentationibus destina- (Job. 1: vs. 21.) tus est, ea, quæ vitæ sunt & salutis, quæque ad gratiam Dei in Collega hoc nostro μακαρίτη operosam, cujus & fructus & memoria perpetuabitur, tum quæ ad utilitatem nostram pertinent, consideremus. Brevibus agam & sine phaleris, obsequens veteri instituto non tantùm hujus Academiæ, sed ipsorum Atheniensium & Romanorum, quibus decorum & utile in Rempublicam visum est, post fata laudari sive bello sive pace egregios. Et Sacra pagina tum Davidis in Saulem atque Jonathanem functos affectuosum exhibet elogium: tum Jephtæ filiam post exsolutum patris votum anniversaria celebratione ab Israëlitarum virginibus memorat honoratam: & barbararum quoque gentium, inter quas olim Germania nostra, fuit, majores honestis studiis claros carminibus ad posteros vivacibus celebrare. Neque aliunde est πανηγύρια pleraque. Charos ob beneficia, quos vita immortali dignos judicabant, quorum spiritus vivere & beatitudine affluere credebant, ut juvare propensos & potestate quadam diviniore in meliori habitaculo pollentes adorabant. Quippe animis omnium erat insitum, ut mentes sapientia & virtute præditas non intermori, ita laudem benefactorum memoria conservandam & ab interitu vindicandam esse. Nihil enim majus maximis laboribus & beneficiis incomparabilibus rependi potest grata memoria. Quam mercedem non exsolvere præstantissimis viris brutalitatis est. Et verò pertinet ad ipsos quoque hæc merces. Licet enim ipsi non sentiant eas laudes, quas posteritas retribuit; tamen, dum vivunt, animi ad virtutem & laudem connitentes antecedentium honesta recordatione pascuntur & exstimulantur, & dum sua decora æstimationi aliorum & memoriæ commendant, honestissimam voluptatem ut ex præsumtione bonæ famæ ita ex præsensione gratæ memoriæ percipiunt. Quo præmio sublato, parum abest, quin actum sit de sapientiæ ac prudentiæ omniumque virtutum studio; proximumque ut dum vel laudari putamus ineptum, vel meritos ingrati laudare negligimus, rarus reperiatur, qui nulla mercede velit facere laudanda. Maximè tamen interest, ne quæ Deus in proximis antecessoribusque nostris benignè operatus est, oblivione sepeliantur. Qualia in hoc nostro μακαρίτη insignia non pauca exstiterunt.

Virum hunc præstantissimum Polonia edidit, gentis fortissimæ prudentissimæque nutrix, quæ jampridem Musulmanicæ sævitiæ opposita jugum à vicinorum cervicibus avertit. Ostendit eadem toti Ecclesiæ Evangelicæ, posse, salvo fundamento, fraternam pacem coli ab iis, qui stipulas quasdam opinionum ac phrasium ita fundamento inædificant, ut eas pro Idolo in Ecclesia non collocent; illisque non obstantibus fieri posse, ut eodem canone fratres incedant. Cujus rei consensus Sendomiriensis testis est, aliis Ecclesiis implacabile odium & rupturam fraternæ conglutinationis exprobrans. Largita est eadem præter alios excellentes viros Nobilissimum Virum Johannem à Lasco vicinæ Emdensis Ecclesiæ (unde & nostra hæc Frisia Ecclesia crevit) instauratorem ex præcipuis: quem falsi nominis clerus *carnificem suum* vocitabat. Ita placet sæpe Deo neglectos domi foris extollere, & veluti herbam sabuloso scruposoque tardiùs provenientem solo fœcundiori gremio insertam lætiori germinatione educare. Porrò & contemperanda sunt gentium ingenia, & inter populorum necessitudinem cognitione veritatis fermentanda, donec tandem uno humero à proximis remotissimisque unus colatur in Christo Deus. *Job. 8.*

Ortus est Lobzenica urbe majoris Poloniæ haud ignobili, non longè Posnaniâ, parentibus nobilibus SAMUELE MAKOWSKI & MARGARETA SEKLEWSKA Sororem habuit natu majorem Admodum Reverendo Viro MARTINO ORMINIO Ecclesiarum Confessioni Helveticæ addictarum per majorem Poloniam quondam superattendenti vigilantissimo nuptam: Fratres JACOBUM & SAMUELEM, hunc Medicum, felicis & celebratæ per urbes Borussiæ praxeos, multis primariis viris charissimum; illum urbis Thoruniensis Syndicum clarissimum. Magnum ad virtutem ut adjumentum ita calcar habent, quibus parentum nobilitas & exemplar exhibet & gradum ad majora struit. Utinam verò non plerisque Nobilitatis nomen occasio esset vanitatis studiorum atque affectuum, quæ ipsos humi prosternit, si non in barathrum præcipitat. Nostro certè, ut & aliis præcellentissimis Ecclesiæ Reformatæ luminibus, Junio, Polano, Sadeeli, aliisque tum mortuis tum vivis, quæ Dei singularis directio est, impedimento non fuit, quò minùs ad divina studia amplectenda totos se transferret. Non sanè multos nobiles & coram mundo excellentes ita vocat Deus, ut eos pauperibus præferat. Attamen nullus ordo est, quem Deus aspernatur: nullus, qui se Deo non debeat consecrare & ad emolumentum proximi atque Ecclesiæ ædificationem impendere. Et habent nobiles atque honorati talentum præcipuum ingens, quo saluti aliorum fenerato Deum glorificare possunt; ni faciant, gravem Deo reddituri rationem.

Natus, ut sæpiùs narravit, *ὁ μακαρίτης*, anno superioris seculi LXXXVIII. paulò seriùs ad studia accessit. Ita primæ & florentissimæ ætatis, quæ omnium scientiarum seminibus excipiendis, imprimis linguis, quæ *ἐπιστημῶν θύραι* non immeritò appellantur, perdiscendis molle præbet ingenium, jacturam passus est. Quod etiam mihi familiariter conquestum memini.

Quam tamen ille jacturam tum ingenii acumine tum diligentia, quantum ejus potuit fieri, pensavit. Nam à parentibus Dantiscum missus vix literaturæ initiatus parvo tempore & in Linguæ Latinæ studio & in Philosophiæ curriculo sub Bartholomæo Keckermanno clarissimo Philosopho, cujus opera ea studia plurimùm sunt illustrata, ita profecit, ut & inter æquales eruditione & imprimis disputandi solertia, quod & ab iis, qui eo tempore cum ipso in eadem versati sunt disciplina, accepisse memini, celebris fuerit, & in Poloniam reversus dignus habitus sit, qui Generosis Sieninsciis gubernandis præficeretur. Cum quibus Pragam profectus Jesuitas, qui inter suos admodum subtiles habentur, & verò callidissimi haberi merentur, in disputationis certamine adoriri non detrectavit. Rursus in Poloniam regressus, Lublini imprimis, sæpe cum Socinianis, hæresi veteri nova, qua nulla pestilentior reperiri potest, tum maximè pullulante & Socini scriptis recens publicatis innotescente, non infeliciter disceptavit: Factus ad hoc natura, ut, quod judicasset, firmiter amplecteretur, non ambiguè explicaret, acriter defenderet, & ab oppositionibus acutè & studiosè, subserviente Philosophiæ peritia & facili eloquio, vindicaret. Post illa Heidelbergam venit, & quum Jesuitæ Bartholomæum Coppenium ad colloquium provocassent, neque is à Principe veniam cundi impetraret, pro illo Spiram ad Jesuitas profectus est veritatis defendendæ causa. Marpurgi quoque Clarissimo Theologo & Philosopho Johanni Combachio sese applicuit. Lipsiensis, Wittenbergensis, Jenensis Academiarum lumina, imprimis Balthasarem Meisnerum & Jacobum Martini viros magnæ eruditionis & famæ cognovit. Qua in peregrinatione magnum cumulum eruditionis collegit, plurimisque exercitiis atque colloquiis animum acuit, doctrinamque solidavit longè aliter animatus atque illi *νέμονες αὐτοδίδακτοι*, quos Gregorius Nazianzenus *ἡμιφανεῖς καὶ φθονερούς, πηγὴν κεκρυμμένην, λύχνον σκοτίοις ἐν κόλποις*, hoc est, *Semilucidos, invidos, fontem absconditum, lucernam tenebricosam* appellat, qui sibi ipsis, malis magistris, sese in disciplinam tradunt, nullos audiunt, nullos interrogant, nihil magis verentes, quàm ne, quod nunquam didicere, videantur nescire. Denique noster anno hujus seculi decimo tertio d. 21. Octobris in hanc Academiam, portum studiorum & palæstram ingenii venit, adducens una secum Generosos Johannem Demetrium & Christinum à Gorai Goraiskios fratres, quorum studiis præfectus erat. Ibi cùm se probasset Clarissimis Professoribus post accuratum Examen & disputationem de Ecclesia publicè propositam Doctoris in Theologia titulum, promulgante Cl. V. Sibrando Luberto p. m. cum luculentissimo testimonio facilè impetravit, d. 8. Martii A. decimi quarti. Ita ingens præmium diligentiæ tulit, ut non multis annis ex tirone Doctor Theologiæ, & mox Professor ejusdem facultatis factus sit. Nam quum ipsius acumen & eruditio & industria Magnificis D. Curatoribus innotuissent, in spem ordinariæ professionis, extraordinarius S. Theologiæ Professor Anno 1615. 1. Febr. designatus, in ordinarii Professoris axiomate proximo anno 1616. tanquam Clariss. viri D. Henrici Antonidæ vander Linden, A. 1614. eoque tricesimo postquam hanc Academiam dedicaverat, piè denati successor, adjecta Professione Physica, confirmatus est.

Hoc nobile sedulitatis & diligentiæ felicis exemplum. Vobis propono imitandum, Optimi Juvenes. *Pauper erit, qui facit manu dolosa: sed manus industriorum ditat: Colligit æstate filius prudens: dormitat in messe filius degener.* Spectate, quid valeat diligentia paucorum annorum; quid ingenium, ubi intenditur, possit assequi; quid memoria exercitata comprehendere; quid consulendi, audiendique solertia adjiciat; quid legendi assiduitas conferat. Ego quidem certè scio, sciunt Collegæ mei honorandi, sciunt, qui ipsum tanto tempore audiverunt, & scripta demonstrant, cum omnis propemodum Philosophiæ peritum fuisse, maximam Auctorum varietatem cognovisse, historiam non segniter tractasse, in lingua Latina expeditum: in Græca ac Hebræa egregium; & quanquam, quod sæpe, ut dixi, deplorabat, eas linguas sanctas (sic eas appello, non quod ullam linguam alia sanctiorem existimem, sed quod in eis verbum Dei Ecclesiæ traditum est; neque eis hoc elogium extra Scripturæ usum tribuo. qui omninò linguam nullam propter se discendam arbitror. Turpissimum enim est rebus relictis consenescere in verbis) quanquam inquam, eas, quas supra plurimos assequebatur, ita, ut optabat, penitiùs nosse per ætatem non posset, eum tamen magna animi contentione in lectione Auctorum optimæ notæ animadvertisse, annotasse & retinuisse ea, quæ ad veram interpretationem Scripturæ pertinebant, ut multos in stuporem dederit. Sed quò ille se imperfectum hac in parte (quod eruditorum est, qui nunquam satis se putant didicisse, quæ tenenda & in omnem rem utilia sunt) agnosceret, eò discipulos ad majorem diligentiam hisce studiis impendendam acuebat & impellebat, dictitans, eos, qui solis interpretibus nituntur, in alieno cerebro habitare. *Prov. 10. 4. 5.*

In professione stetit annos viginti novem & menses fere quinque. Collegas ex duodecim professoribus Theologiæ habuit novem, duobus præmortuis videl. D. Martino Lydio A. C. 1601. D. Antonide A. C. 1614. duobus superstitibus, qui ut in hoc stadio cum bona conscientia ad coronam aspirare possint & ipsi Deum seriò orant & vestris votis ac precibus adjuvari contendunt.

Recturam gessit bis A. C. 1617. & 1633.

Inter Doctores, quos sex septem (quantum ex matricula constat) appellavit, primus est Nobilissimus & Clarissimus Vir D. Constantinus l'Empereur ab Oppyck creatus Anno 1617. 24. Martii, Professor Theologiæ primùm in Gymnasio Harderviceno, deinde Hebraicæ & Chaldaicæ Linguæ & Controversiarum Judaicarum in celeberrima Academia Lugdunensi, amicus summus & popularis meus, quem ultimo Doctorem ex voluntate Collegarum appellavit, quum pridie professionis suæ natalem transegisset. Uxores tres lectissimas in matrimonio habuit, primam Nobil. Viri D. Remberti Ulenburgii Senatoris, Alteram Cl. V. Raphaëlis Clingbylii in hac Ac. Medicinæ Professoris; Tertiam Viri Amplissimi Frederici à Bonnama Ex-Novemviri & ex-consulis Harlingani filiam, quæ maritum charissimum vidua luget. Cum uxoribus concorditer & amanter vixit, easque honestissimè habuit.

Toto

Toto cursu professionis ad extremam usque lineam diligentia institutionis publicè privatimque eminuit, humilis &, si conversationis rationem spectares, sui contemtor, comis, apertus & obvius studiosis, qui ipsi se applicabant, ideoque ipsis charissimus. In sententia explicanda candidus & minimè tergiversator fuit, in exponenda ac defendenda eloquens, promtus, acutus, acer.

Incidit ipsius cursus in tempus durum atque difficile, asperum non modo bellis ex causa politica inter paucos gestis, sed propemodum generali orbis Antichristiani contra Ecclesiam motu: calamitosum eversione regnorum, dissipatione Ecclesiarum, destructione Academiarum & Scholarum: abominabile morum improbitate, religionis penuria, charitatis frigore, odiorum implacabilitate, defectione plurimorum à cognita veritate, aliorum cum cœtu Impiorum in factis aut dogmatis fornicatione. Inventi sunt intra Ecclesiæ Reformatæ parietes, qui primùm occultè, deinde apertè Libertinismum parturirent, hoc est, Ecclesiam novam ex omni hominum genere Christum ore appellantium conflatam, subditam non capiti suo sed tyrannis, in qua præter veritatem gratiæ Dei omnia sentire, credere ac docere liceret, quæ quis ulla vel litera Scripturarum vel traditionis specie novaturienti ingenio approbare posset: liceret abnegare ac labefactare, quodcunque ulla ratiuncula vel cavillatione Scripturæ eludere sibi posse videretur. Quod institutum conciliationem & pacem Ecclesiæ vocitarunt; prætexentes suis inventis primò prophetandi libertatem, ad omnis doctrinæ admissionem; deinde libertatem arbitrii ad evertendam gratiæ liberationem. De quibus veravit Apo-
2. Petr. 2: stolus Petrus quasi digito illos designans: *Hi sunt fontes ca-*
17. 18. *rentes aqua, nubes procella agitatæ, quibus caligo tenebrarum*
19. *in seculum servatur. Nam prætumida vanitatis loquentes illiciunt in cupiditatibus carnis, in lascivüs, hos qui verè effugerant eos, qui in errore versantur: Libertatem illis pollicentes ipsi servi corruptionis.* Quid enim est, quæso, hominibus recens quidem ex regno seductionis, erroris ac impietatis & communione hominum seductione superstitionis & idololatriæ fascinatorum egressis, sed adhuc non satis ad Christianam pietatem reformatis non hoc inculcare, quod Mo-
Deut. 29: ses Israëlitis recens ex Ægypto eductis inculcavit; *Nondum*
vs. 4. *dedit vobis Dominus mentem ad cognoscendum & oculos ad videndum & aures ad audiendum usque in diem hunc:* ne scilicet quia errores aliquos agnovissent & miseros idololatras ac superstitiosos irridere cœpissent, ideò se planè liberos Satanæ nexibus putarent; si non cupiditatibus & lasciviis nuncium misissent, eamque Gratiam supra veritatis manifestatæ & agnitæ beneficium seriis precibus à Deo impetrassent: sed illis tantùm non pleno ore prædicare; Primò, Omnium expiatis peccatis, omnes liberatos esse, Habere illos vires resipiscendi & credendi, quandocunque velint, atque adeò liberos esse ad standum æquè ac cadendum; si assenserint veritati & cum gaudio & voluptate eam receperint (quod & horariis adstipulatoribus tribuit Scriptura) verè justos esse; Nihil esse fidem radicatam in Deo aliud, quàm quod & illi habent. Non quærendam esse fidem, quæ deficere non possit, quæque certum faciat hæreditatis; Sic modò permaneant, Quod quin futurum sit, si ipsi velint meliori vitæ assuescere, dubitandum non esse; Excutiendum esse jugum illud grave doctrinæ de Liberatione Gratiosa per Filium Dei & Spiritum sanctum, sine quo nihil possint facere; Ea doctrina homines in concupiscentiis viventes terreri & ad desperationem adigi, contra maximæ consolationis plenissimum verbum esse, quo sciant homines mihi sibi nociturum, nisi ipsi nolint salvi esse, ut omni momento confidant se posse ad Deum accedere & ex peccatis resurgere. Deinde, Liberas debere esse prophetias. Quasi nulla sanorum verborum hypothesis, non una fides, non certus canon, non certa forma doctrinæ secundùm pietatem esset: Quid, inquam, hoc, quæso, aliud est, quàm homines in suis cupiditatibus & lasciviis PROMISSIONE LIBERTATIS INESCARE? In tali igitur Ecclesiæ exagitatione Noster ὁ μακαρίτης minimè fuit canis, qui latrare nesciret, sed pro Gratiæ veritate strenuè pugnavit. Quemadmodum autem ex talibus contentionibus propter humanam infirmitatem malæ suspiciones, odia, diffidia oriri solent; ita nostrum quoque μακαρίτην propter infirmitatem carnis multas amaritudines expertum esse, minimè mirandum est. Habent hoc etiam acria ingenia, ut, quantumvis bonæ causæ patrocinentur, immoderatiùs tamen non nunquam agere videantur. A qua labe Reformatores primi ut Lutherus, Calvinus, Beza se immunes non fuisse serio deplorarunt. Quibus hoc sæpe accidit, quod generosis canibus solet (liceat enim hanc similitudinem ex Sacris literis eò usque extendere) qui, dum altorum domicilia custodiunt, nullos ignotos, licet amicissimi fuerint, non allatrant: Ita & hyperaspistæ veritatis (à qui- Esai. 56:
bus latratum exigit propheta Esaias, tanquam canibus gre- vs. 10.
gis custodibus) dum ab hostibus altercatione agitantur, dum in conflictu toti sunt, sæpe ad se ipsos non satis attendunt, & adversus innoxios quandoque in cassum asperitate atque acrimonia utuntur. Vel ut in æstuoso pelago, si navis in syrtes inciderit, dum in prora, in puppi, in omni parte contos, remos, vela, rudentes moliuntur navales socii, ubi plerumque salus navis ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, *in acie novaculæ*, quod dici solet, consistit, unus alteri inclamare, imperare, irasci, mutuò se increpare, non alio animo, quàm ut salvi omnes sint: ita dum Ecclesia periclitatur, socios ejus defendendæ, dum unus alteri non satisfacit, sibi invicem irasci planè mirandum non est. Qualia ut dissimulanda non sunt, ita condonanda infirmitatem suam agnoscentibus: quum sciamus neminem nostrum esse, quem non sua quoque infirmitas aliqua labe polluat.

Sic igitur τῷ μακαρίτῃ cursus in hac vanitatis orchestra exactus est; donec illum Imperator omnium Deus à statione hac sua revocavit domum, à labore ad quietem, ab amaritudine ad plenum gaudium & gloriam.

Ultimis annis ipsum primò podagra, deinde tussis & asthma vexavit. Hinc languor. Accessit his malis ab hepate indurato aqua intercus. Acuta febris decimo postquam invaserat, die, nimirum hora secunda post mediam noctem die Lunæ ante octiduum, telam vitæ abrupit.

Inter hæc beatam ἀνάλυσιν & quietem cœlestem meditatus est. Sentiebat enim, se ad bustum approximasse. Ipsa verba ejus reddo. Denique ad mortem, resignata hujus vitæ dulcedine, se composuit: sensibus animi plerumque utens integris, frequentes orationes expetens, suoque voto excipiens, placidus, absque omni impatientiæ signo, confessus amicis invisentibus infirmitates suas easque deplorans.

Sic finivit Collega noster μακαρίτης propè triginta annorum in Professione labores ac certamina, quinquaginta sex annorum miseriam, superstitibusque luctum simul ac mœrorem reliquit.

Omnibus quidem, ut maturè oremus Deum, qui nos sic erudiat, ut numerantes dies nostros timeamus ipsum, Ps. 90:12.
& cor sapiens afferamus. Meditari mortem, vera Philosophia est: Non ut illi, qui dicunt, *Comedamus, bibamus,* Esai. 22:
quia cras moriemur. Quod peccatum donec moriantur, hoc vs. 13.
est, nunquam expiatum iri asseverat Deus apud Prophetam; Neque ut illi, qui mœrent & cruciantur, tanquam spem non habentes: sed ut timeamus Deum, ut integro animo serviamus ipsi, ut deliciemur in ipso, ut succincti lumbos exspectemus ipsum, ut adventum ejus votis & desideriis cœlestis vitæ acceleremus: eoque fine ad preces sobrii simus: Interim opus Domini faciamus sine dolo & ignavia; nosque mutuò ad id faciendum animemus, adjuvemus; labores, molestias, tædia, offensas leviter feramus, mutuò condonemus. *Ah! quis est finis noster? quæ* Psal. 39:
mensura dierum nostrorum? quàm nihil sumus? Ecce palmares vs. 5. 6.
dedisti dies nostros, & luculentissimum ævum nostrum, ut nihil est coram te? Certè omnis vanitas est omnis homo stans! Qualis est vita nostra? Vapor, qui parvo tempore apparet, & Jac. 4:14.
statim disparet. Quid imus perditum tam breve tempus nostrum, quod divinæ gloriæ & saluti tum nostræ tum Ecclesiæ fenerandum est? S. Paulus non habebat, cur vivere mallet, quam mori, nisi Ecclesiæ utilitatem? Ah, quid poterit lucrari hypocrita, etiamsi totum mundum lucretur?
Quid spei habebit, quum Deus è lacunis corporis animam Job. 27:
mundanis concupiscentiis impuratam & vitiis juvenilibus vs. 8.
ad senectam permanentibus imbutam extrudet? Numquid poterit dicere cum psalte.

At me benignus de barathri cavo
Specu redemtum suscipiet Deus?

Si quid molestum sit carni nostræ, si quis injuriæ perculerit turbo vel obtrectationis susurrus strinxerit, quid recalcitramus, quid supera infera movemus, cur animus Oceano magis æstuat ac tumultuatur? Solvetur brevi hæc scena, mox liber eris à populi sanna, mox inter angelorum choros inter myriades beatorum spirituum sincero frueris gaudio. Videbunt enim regem in pulchritudine sua oculi tui: quem intra te habitantem mundus odit & subsannat. To- Job. 34:
tum hoc miseriæ theatrum quamdiu erit? Quoties quàm vs. 20.
parvo intervallo populus integer satiscit & transit! Specta istas Professorum sedes. Non integro octennio, quo Deus mihi hunc dedit peregrinationis meæ locum, octo Professores hinc ad meliores translati sunt. Ruit hora. Et me & te, quisquis pateris, brevi excipiet Deus, vel quem pateris expellet.

Vobis, optimi juvenes, imprimis qui vos sacris studiis consecrastis, præter exemplum diligentiæ, quod antea proposuimus, reliquit *ὁ μακαρίτης* monelam, uti considerantes hujus vitæ brevitatem vos studiosè excitetis præparetisque ad frugem agri Dominici verbo & vita augendam: divinum illud depositum voti Deo in Ecclesia ipsius ministrandi, quod vobis parentum voluntate procerumque judicio, præceptorum allaboratione, omnium exspectatione commendatum est, tueamini, foveatis, & cum Timotheo quasi in vivam & lucidam flammam eventiletis: cogitantes, fore aliquando tempus, quum Ecclesia pro optima discendi occasione & pro maximis adjumentis fructum à vobis reposcet; quum vobis in stationem eorum, quos vel labor quotidianus vel tædium ingratitudinis multorum fregerit, enervaverit atque eneccaverit, succedendum erit; ut possitis Spartam eam cum honore exornare, ne habeat mundus super vobis conqueri, quod est apud Prophetam: *Non parturivi, & non peperi, & non educavi juvenes, extuli virgines*, h. e. Ne mundus, imò Ecclesia se sterilem aliquando miretur, quæ nec juvenes fortes in Domino, neque virgines castitate spiritus ornatas extulerit. Præ omnibus autem vobis commendamus studium illius scientiæ quæ conscientiam ædificat, cujus non tam admiratio in hoc mundo est, quàm fructus & laus in cœlo perennat: cujus scientiæ fons unicus est *Os Dei*, thesaurus *timor Dei*. Licet enim in omni Ægyptiorum aut Babyloniorum sapientia excellueritis, quid hoc vos juvabit, quum paulò post Ægyptiacæ ac Babylonicæ sapientiæ nullus fructus erit, nulla admiratio, nulla recordatio? Brevibus enim spaciis humana includuntur, at *Verbum Domini Manet In Æternum.*

Es. 23: 4.

Prov. 2: 6.

Es. 33: 6.

Cùm his monelis vos dimitto, Præstantissimi Auditores, vobis ingeminans illud Apocalypseos: Et Spiritus & Sponsa dicunt: Veni: & qui audit, dicat, Veni. Dicit Dominus: Næ venio citò. Amen. Næ veni, Domino Jesu.

D I X I.

CONSI-

CONSILIA.

I.

QUum Illustrissimi Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ Professoribus Theologiæ in Academia Lugduno-Batava injunxerint ut, examinata versione metrica Psalmorum Davidis, quam nuper adornavit Amplissimus D. Johannes de Bruin, Zelandiæ Syndicus, aperiant quid ipsis tum de versione illa, tum de ejus Ecclesiastico usu publico Illustrium Ordinum auctoritate introducendo videatur: prædicti Professores partiti inter se Psalmos, diligenter pro virili quisque versionem illam novam perlegerunt, & habito super tota re colloquio, judicium suum Illustrissimis D.D. Ordinibus, ea qua par est reverentia, hunc in modum exponendum duxerunt.

Ante omnia se nihil observasse in ea versione quod analogiæ fidei contrarium sit, & cum veritate in Scripturis revelata pugnet, quodque periculum aliquod vel scandalum offerre cuiquam possit. Deinde summopere laudandum videri Amplissimum D. Syndicum auctorem versionis hujus metricæ, quod horas suas succisivas & curas verbo Dei illustrando consecret, & id familiare Belgis nostris facere studeat. Animadverti in eo opere singularem industriam, dexteritatem, judicium ac curationem. Imprimis quam difficile sit metri brevibus non sæpe lineis astrictæ interpretationis declinare. Quod & Augustinus declarat alicubi sic scribens: Neque enim ex Hebraica lingua potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius quam ratio sententiarum sinebat digredi cogeretur, quam sane difficultatem & fatetur Amplissimus D. Syndicus & res ipsa testatur. Coactus est enim alicubi verba contrahere, alicubi dilatare ut numeros impleret: nonnunquam etiam emphasi & proprietate vocum quæ sunt in textu originali postposita, aliquid simile vel affine substituere: accidit etiam ut phrasi Germanicæ vis aliqua fiat, unde insuavitas quædam elegantiæ studiosos offendere possit, & ut distinguenda conjungantur, conjungenda dividantur, quo versuum sive Stropharum servetur series. Et de his quidem speciatim suas considerationes proponere dicti Professores non putant necessarium; quum illa non dubitent Amplissimi interpretis diligentiam & animadversionem minime effugitura imposterum. Censent igitur dicti Professores hunc laborem non inutiliter manibus doctorum & eorum, qui judicio acriori præditi sunt, tractari posse; ut versionem quandam subalternam. Cæterum quod attinet quæstionem alteram, An videatur hæc versio in publicum & communem usum Ecclesiarum hujus Provinciæ introducenda, de ea re sic sentiunt dicti Professores, salvo meliori judicio.

Ecclesias nostras habere versionem Vernaculum liberam & nulla metri numerique necessitate coarctam; eique additas esse notas ad usum tum plebejorum, tum doctiorum. Nam ita comparatum esse cum sacris eloquiis, ut, qui non admodum exercitatos sensus in eis habent, & præsenti semper sunt animo, admonitione & excitatione perpetua ad ruminandum ænigmata illorum quæ ex collatione Prophetiarum & Novi imprimis Testamenti patescant, indigeant: ideoque, se valde dubitare, an ad plebis usum sufficiat, ipsi dare versionem quæ propter numeri necessitatem sit aliquanto minus quam versio, sine omnibus notis atque explicationibus. Vident Professores, Germanici sermonis indolem hoc propemodum postulare, ut in versibus peragendis magis rhythmo tinniat, quam pedum dimensio & syllabarum moduli decurrant, ita ab antiquo carmina Germanica scripta esse, nullo hactenus exemplo aliam in eo sermone poësin se ostendisse aut commendasse: nisi quod elegantiores hoc tempore præter rhythmon & modulos syllabarum affectant. Novitatem negligendi Rhythmi qui insignem suavitatem habet, & memoriam vehementer adjuvat, sine dubio multorum hominum palato ingratam fore. Tum cantum requirere spiritualem quandam lætitiam, quæ multum deteratur morositate sensuum in metra coactorum. Apostolum suadere ut canamus mente, h.e. intelligentia; ideoque merito apud prudentes id in considerationem venturum, an non præstet ad intelligentiam parvulorum cibum quasi præmansum ipsis ingerere in os, liberiori paraphrasi sensum pandendo, atque eo modo per cantum præcipua mysteria pietatis & regni Dei ipsis instillando, quam ipsa ænigmata versione molesta reddi difficiliora. Ad quam ipsam tamen introducendam existimant non tam cito esse veniendum. Nam in Psalmorum intellectu doctos quotidie proficere & tamen plura adhuc ad scrutandum sibi relicta videre. Plane non esse nostri temporis ut in tanta claritate Novi Testamenti, & post illustria ænigmatum Sacrorum & interpretamenta divina & implementa; rudiores in Ecclesia cogantur contenti esse ænigmatum & mysteriorum qualicunque adumbratione. Prodesse igitur sane quemvis suo talento posse, etiamsi non publica auctoritate Ecclesiis commendentur privatorum labores: quid enim si subinde Deus excitet ingenia quæ vel ad intelligentiam apertius vel ad suavitatem concinnius aliquid in quavis parte reperiant? An statim aliis rejectis, ea quoque introducentur? vel quæ auctoritatem obtinent, aliorum labores & studia excludent? Psalmos Dattheni in usum receptos esse, quia ab initio vix aliæ exstiterint versiones: in rudi simplicitate tamen præ se ferre gravitatem & sinceritatem Prophetici eloquii. Eos à senibus, mulieribus, pueris, ancillis, rudibus, literatis, ignavis, edisci. Quis eos privet sua voluptate cui assueverint, canendi utilia verba? Doctos facile in hac parte se vulgo accommodare: quod & accurationem non facile fert, & rudiora pro amœnioribus habet, quod etiam ex homiliarum & scriptorum æstimatione patet. Si docti sibi aliquid privum optent habere, Aldegondii laudatissimum opus, & nunc Amplissimi D. Syndici habere, rythmos Germanicos, Gallicos, Latinos. Posse sibi quemvis quæ canere velit, si poëta sit, componere ex verbo Dei. Metuendum etiam esse ne ea res ambitioni aperiat ostium. Nam quemvis optaturum ut sua potius valeant & ab omnibus celebrentur & usurpentur. Certe quidem ex illis, qui in eo genere jam laborarunt, neminem non suos labores æstimare. Quibus omnibus quum debeatur suus honos, non videri facile admittendum, ut, quum omnes isti labores sint hominum publico prodesse cupientium, industria suscipiatur disputatio pro hoc aut illo nomine, & odiosa obtrectatio ingenuæ operæ. Si plures sua promant ad aliorum ædificationem, ea re scientiam abundare: si unius labor in precio sit, marcere studia, denique & hostium veritatis sibilos & cavillationes sine causa excitari & iis, qui ansam dissidii quærunt offerri occasionem divisionis. An vero non & dissensio inter ministros Verbi Dei & Ecclesias vel hujus & cæterarum Provinciarum uniti Belgii, quum Ecclesiarum tam propinquarum & inter se coalitarum quotidiana communicatio conformitatem in cantu videatur flagitare, metuenda sit, Professores Prudentiæ Illust. Ordinum considerandum relinquunt.

Hæc est sententia Professorum Theologiæ in Illust. Ordinum Hollandiæ Academia, quam à se sincere & ingenuè propositam, æqui bonique consuli vehementer petunt; alioqui etiam parati aliorum prudentum præcipue Ecclesiæ Rectorum de eadem re (cujus non parvum esse momentum videtur) judicia (quæ minime sunt contemnenda) audire & in timore Dei expendere. Actum in curia Academica.

Anno Christi 1651. die 11. Novemb.

Jacobus Triglandius
Abrahamus Heydanus
Johannes Coccejus.

II.

Ad D. N. N. Ecclesiastem in W.

S. P. Reverende & Doctissime Vir, Frater in Christo plurimum colende.

QUod judicium nostrum super facto quodam, quod nuper in Ecclesia vestra se vobis obtulit, & quod novitate & insolentia quadam vos perculit, sciscitaris: illud denegare nec voluimus, nec potuimus. Recte vero rem totam ad duo capita revocas, dum quæris à nobis, 1. Utrum in urbe nostra, & reliquis Provinciæ nostræ Ecclesiis, Neogamis coram facie Ecclesiæ Deo inter copulandum supplicantibus pulvinaria substernantur?

nantur? & num id moris sit & fiat. 2. Deinde utrum satis decorum sit & pium, anne aliquam in Deum irreverentiam sapiat, & arrogantiam parere natum sit? Ac primum quidem tuum ζήτημα quod attinet; diffiteri non possumus, morem illum supponendi pulvinaria sponsis honoratioribus, multos retro annos in valuisse in hac nostra Ecclesia Leidensi; & majore etiam cum pompa & non sine πολλῇ φαντασίᾳ eundem ritum usurpari quandoque in Ecclesiis Amstelodamensi & Hagiensi (nam de aliis non ita nobis constat) idque sine ulla contradictione, aut cujusquam scandalo. Quin sæpe vidimus, Amstelodami præsertim, pictis etiam tapetibus exornatum locum, ubi honoratiores sponsi sedebant, atque ad eorum exitum è templo, pulsari etiam Organa. Atque apud nos quidem, quum animadverteremus ditioribus tantum pulvinaria subjici, pauperibus vero negari, Custodi nostro in mandatis dedimus, ut si plures adessent matrimonio jungendi, vel nulli, vel omnibus promiscue pulvinaria substerneret: quia iniquum nobis videbatur, Custodi id deferre, ut apud se distrimen illud faceret, & judex fieret iniquarum cogitationum. Neque vero ulli nostrum hactenus in mentem venit, de re illa litem movere, aut contentionis serram cum quoquam reciprocare. Quod in ea simus sententia, non esse super re adiaphora, qualis nobis hæc de qua consulimur, videtur, nimis satagendum, aut conscientiis injiciendum scrupulum; ut scil. omnem individuum actum existiment esse necessarium, h. e. vel necessario exercendum vel omittendum. Quod quid aliud esset, quam jugum imponere conscientiis Christianorum, quo perpetuæ trepidationi subjicerentur? Nam dum cogitant aliquid facere aut omittere, de quo nihil in S. Literis præceptum inveniunt, quonam se convertent conscientiæ, & ubi securitatem invenient, nisi intelligant libertatem sibi relictam esse circa talia, qua uti vel non ut iis possint, citra transgressionem generalium illarum regularum de ordine, pace, decoro, ædificatione? Quæ ubi nondum constitutæ sunt in aliqua Ecclesia, uti in vestra nullam talem constitutionem obtinere ex literis vestris colligimus, caute admodum est incedendum; ne rem in se non malam vitando, videamur sola nostra auctoritate rem adiaphoram velle collocare in numero rerum necessariarum. Hic vero magna prudentia & circumspectione opus esse judicamus, ne levi de causa leges de omnibus hisce ferantur, quæ Libertati Christianæ præjudicium aliquod creent. Cum multo satius sit quædam condonari populo Christiano, quam omnia velle ad certas & præscriptas regulas redigere. Ea enim est ingenii nostri perversitas, ut non raro, erepto sibi agendi arbitrio, in vetitum niti amet, atque ita turbas cieat non facile componendas. Atque hic placet judicium Apostoli, Rom. 14: 3. 6. quod mutatis mutandis (res enim est aut par, aut similis) valere hic censemus. Qui subjecto pulvinari Deum orat, non ita orantem ne pro nihilo ducat: & qui non subjecto pulvinari orat, ita orantem ne condemnet. Nam qui sic orat, Domino orat, gratias enim agit Deo: & qui sic non orat, Domino non orat, & gratias agit Deo. Cur enim nobis, quod Apostolus de Edente & non edente, de observante diem, & non observante, judicium protulit, non eadem ratione ad Orantem vel non orantem hoc vel illo modo, deflectere & accommodare liceat? Et quod idem 1. Corinth. 8: 8. de Esca pronuntiat, illam non commendare nos Deo: cur non eodem pacto ad casum nostrum detorquere nobis licitum sit? Neque enim, sive inter orandum pulvinari utamur, ideo περισσεύομεν sive non utamur, ideo ὑστερούμεθα: dummodo id modo caveatur ne potestas nostra infirmis sit offendiculo. Quod opti ne præcaveri potest, si de rerum istarum indifferentium usu recte instruatur, & moneatur populus. Alias si nimis rigide hæc urgeantur, caveri non potest, quin innumeri circa talia scrupuli quotidie enascantur, quibus infirmorum conscientiæ pulsentur, & ædificentur in ruinam. Occipient enim quærere, V. G. an etiam Magistratui, & viris & matronis honoratis, proprium in Templo sedile permitti debeat, in quo præ reliquis emineant, & in pulvinaribus sedeant? An Pastori fundenti preces ad lectum ægroti pulvinar substerni possit; & an cuiquam in privatis ædibus id facere liceat: & an preces in lecto, & in dorsum projecto concipere liceat? & quæ alia sunt hujus generis. Quibus omnibus ansa præciditur, si libertas circa hæc innoxia concedatur, neque nimium repugnando contradicendi studium irritetur. Cum si contra agas, repente omnia disputationibus & molestis litibus personare necesse sit, Ut, proh dolor! in Anglia & Scotia vicinis factum videmus, & ingemiscimus. Ac licet hæc & similia plausibiliter exornari possint apud imperitam plebem, ὡς λόγον ἔχοντα σοφίας, ἐν ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, καὶ οὐκ ἐν τιμῇ τινι: tamen si vera trutina expendantur, atque in eo cultus aut pars aliqua cultus constituatur, comperientur nihil aliud esse quam δόγματα, quibus ceu in mundo viventes constringimur, Non secundum Christum. Quibus omnibus ritè perpensis, multo tutius existimamus hæc prudenti quadam conniventia transmitti, & dissimulari, quam ut propterea necesse sit in non necessarias contentiones descendere, atque animum eorum qui ἐν ὑπεροχῇ sunt constituti, ob illas lites ab Ecclesia abalienare. Hæc est nostra simplex & candida super hac re sententia, & quam, salvo semper meliore judicio, tutissime in praxim deduci posse putamus, sine ullius justa offensione & scandalo. Deum veneramur, ut Ecclesiam suam servet ab omni malo, & nos omnes studiosos reddat unitatis Spiritus per vinculum pacis.

Lugduni Batavorum 26. Junii 1652.

Jacobus Triglandius
Abrahamus Heidanus
Johannes Coccejus.

III.

CUm Celsissimis & Potentissimis DD. Ordinibus Generalibus, Dominis nostris gratiosissimis, clementer nobis mandare visum sit, ut librum doctissimi & Clarissimi Theologi D. Samuelis Maresii, Doctoris ac Professoris in Academia Groningana Celeberrimi, qui Fœderatum Belgium inscribitur, quo de libri pretio certi aliquid statuere possent, examini subjiceremus, nos infra scripti Theologi, quibus in capessendis supremorum Dominorum mandatis sola obsequii gloria relicta est, non segni opera in id incubuimus, & quantum per ordinarias occupationes licuit, partitis operis & collatione inter nos habita, quam breviter fieri potuit, judicium de hoc scripto nostrum concepimus; quod Celsitudinibus vestris humiliter offerimus, communicamus. Judicamus itaque librum Clariss. D. Maresii, qui Fœderatum Belgium Orthodoxum illi dicitur, quo exegesin sive apologiam Confessionis Fidei Ecclesiarum Belgicarum instituit in præcipuis doctrinæ capitibus, Ecclesiarum Reformatarum fidem & sensum satis feliciter exponere, atque in universum esse insigni doctrina & variæ eruditionis & lectionis speciminibus & florido passim dicendi genere refertum, & cum fructu & voluptate legi posse. Quod vero Vir Clariss. mirari præ se fert, id hactenus à nullo Theologo Belga ante se fuisse attentatum; putamus gravissimas eis causas, cur minus id fecerint, viguisse; tum quod censerent huic scripto Ecclesiastico melius suam constituram dignitatem, quo minus Scholastico modo tractaretur, atque magis Theologicis controversiis eximeretur, atque ita nimiæ investigandi libidini & curiositati subduceretur: tum quod quæ in Catechesin nostram, quæ singulis Dominicis diebus pro concione populo explicatur, à D. Ursino & aliis Theologis, tam nostratibus, quam exteris, luculenta commentaria extant, abunde huic rei sufficere autumarent. Cum experimento constet, omnia terminorum & quæstionum multiplicatione, & nimis anxia methodi observatione, corrumpi paulatim & adulterari doctrinæ simplicitatem & integritatem: sicut itaque universum ejus modum agendi, & loquendi formas, quæ ipsi peculiares sunt, atque luxuriantem omnigenarum quæstionum sylvam, atque crebram illam citandi auctores profanos consuetudinem, & terminorum Scholasticorum & distinctionum frequentiam, ac præterea salsas ejus in Adversarios suos stricturas & dicteria, quibus hoc scriptum seu emblemate insignivit, non improbamus quidem in omnibus, neque in multis valde adeo probamus: ita dissensionem suam, à quibusdam Collegis, ac fratribus, & quidem in talibus controversiis, in quibus salva fidei compage, dissensum aliquem permitti posse, ipse judicat, paulo minore acrimonia significatam & expositam, aut potius plane omissam, desideraremus, idque nominatim in subtili & abstrusa illa quæstione quæ circa Prædestinationis objectum versatur, ut quam sibi veniam dari ab aliis æquum putat, ut quibus in rebus aliquid suum & proprium habet, & ab aliis dissentit, non judicetur temerè, sed cum grano salis accipiatur ejus mens, eandem aliis non invitis concedat. Cæterum, quia magis voti quam spei res est, de rebus omnibus, in quibus quotidianus omnium profectus attenditur, sic sentire & loqui ut oportet: non putavimus nimis morosè & ἀκριβῶς de singulis satagendum: ne videamur id velle exigere à viro Doctissimo & tam præclarè de Ecclesiis & Scholis merito, quod cuiquam nostrum non facilè sit eodem modo præstare. Atque hoc est de scripto hoc judicium nostrum, quod ut clementer & gratiosè suscipere & interpretari velitis, submissè & humiliter à Celss. vestris petimus, rogamus.

Deus V. Celsit. omni benedictionum genere cœlitus perfundat, & consiliis salutaribus instruat, quo diu rebus humanis interesse possitis justi, sapientes, fortes, felices.

Celsitudinem Vestrarum obsequio deditissimi S. Theologiæ Professores in Academia Lugdunensi.

Lugduni Batavorum, pridie Kalendas Septembris, Anno salutis reparatæ 1652.

Jacobus Triglandius
Abrahamus Heidanus
Johannes Coccejus.

IV. Aen

IV.

Aen de Hoog-Mogende Heeren, de Heeren Staten Generael der Vereenigde Nederlanden.

Hoog-Mogende Heeren,

U Hoog-Mogende Missive, gedateert den 28. Novemb. 1654. waer by de selve ons toesenden seeckere Requeste van N. N. ende A. W. ende daer op versoecken openinge van ons advijs; hebben wy met schuldige reverentie den 1. Marty deses Jaers 1655. ontfangen, ende de sake in der vreese Gods overwogen hebbende, goet gevonden, U Hoog-Mogende het navolgende voor ons advijs in antwoorde toe te senden. Eerstelick, dat wy niet en twijffelen, of N. N. ende W. W. zijn echte lieden geworden, ende in een waerachtig houwelijck getreden. *Ende hoewel het overtreden van U H. M. verbod in 't gebruyck des Pastoors van Nijselroy tot solemnisatie van hare trouwe mochte gestraffet worden met eenige civile straffe, soo kan nochtans niet geloochent worden, ofte Sy zijn met den echten band aen malkanderen verbonden geweest.* Daer na, dat wy verstaen, dat Levit. 18: 16. met dese woorden, *Ghy en sult de schaemte der huysvrouwe uwes broeders niet ontdecken; het is de schaemte uwes broeders;* te gelijcke verboden zy de vermenginge des mans met syner Vrouwen suster. Waerinne wy geerne volgen de uytleggingе ende redenen van Calvinus: *Si retegitur fratris turpitudo, ubi frater ejus viduam ducit, non minus retegitur turpitudo sororis, quum ejus marito nubit altera soror.* Wy weten wel, dat de Joden sulck een houwelijck toelaten nae het afsterven van de vrouwe; maer sulckx komt daer van daen, dat sy niet hebben verstaen, dat haer in den 18. ℣s. alle polygamie verboden was. Waeromme sy oock van den Propheet Malachia in 't 2. Capittel, ende van Christo Matth. 19: 4. 5. 6. 8. 9. bestraft worden. Nu wat dan den Requirant aengaet, daer van geseght wort, dat hy noch voor noch nae de trouwe met W. W. eenige vleeschelijcke conversatie gehadt hebbe, ende dat sommiger Doctoren seggen geallegeert wort, als ofte daer geene affiniteyt konde zijn, daer geene vermenginge van gebloete is, wy konnen ons oock op soodanige redenen niet genoegsaem versekeren, omme diergelijcken houwelijck te approberen, overmits de letter spreeckt van *Vrouwe;* ende kennelijck is, dat *consensus* ende niet *concubitus* een houwelijck maken, aengesien een man ende wijf een vleesch zijn, van dien tijt af dat God haer te samen voegt door het verbondt tusschen haer beyde, Matth. 19: 5. 6. Mal. 2: 14. Waerom oock die, die eene beloofde beslaept als een echt-breker gestraft wort, Deuter. 22: 24. ende de Maegd Maria Josephi vrouwe in 't Euangelium genaemt wort. Ja de reden, die van sommige (soo seyt P. Lombardus 4. dist. 27. *Quidam tamen asserunt, veré conjuges non esse antequam intercedat commixtio sexus*) bygebracht wort, is seer swack, namentlijck, dat een ondertroude sonder toestaen van den bruydegom soude konnen een belofte van Maegdschap op haer nemen, strijdende met de leere Pauli 1. Corinth. 7. Ende is openbaer, dat de eerbaerheyt eene grooten kreuck lijden soude, indien de kennisse, vriendschap, gemeynschap, liefde ende bystandt van swagers ende swagerinnen soude met suspicie van ontuchtige gedachten besmet moeten zijn. Het welcke eyndelijck volgen soude uyt approbatie van diergelijcke houwelijcken, gemerckt dat van exempelen gebruycken, van gebruycken wetten plegen te worden. Wy konnen wel gelooven, dat desen man in 't eerste met syner Vrouwen suster als syne swagerinne ominegaende, sich tot andere gedachten heeft laten bewegen door hoope van dispensatie van Roomen of elders te bekomen, het welcke hem eenigsins tot excusatie mocht strecken, maer daer uyt blijckt, dat sulcke dispensatien ten minsten nergens toe konnen dienen, als tot aenporringe omme diergelijcke dingen te attenteren tot schandaleuse fornicatien, ende dat de lieden na veranderinge van hare lusten of dispensatie of dissolutie gaen soecken. gelijck aen Henricus VIII. Coning van Engelandt is gesien. Konnen derhalven voor ons deel tot sulcke dispensatie niet raden. Des niet tegenstaende sullen wy U H. M. laten oordeelen of het eerlijck leven ende onnooselheyt van dese lieden meriteren dat hare kinderen het *jus legitimorum principali auctoritate* gegont ende gegeven worde.

Hebben dit ons geringe advijs U H. M. in ootmoedigheyt niet konnen verbergen. Dewelcke wy in de genadige protectie Godes hertelijck bevelen.

Leyden desen Marty 1655.

U. H. M.

Ootmoedige dienaren de Professores Theologicæ Facultatis aldaer

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

V.

Hoog-Mogende Heeren,

OP uwer Ho: Mo: Missive van den 23. July deses Jaers ende de ingeslotene Requeste ende *casus matrimonialis*, tusschen N. N. burger tot 's Hertogen Bosch, met M. M. nagelate weduwe van sijn halve susters soon, oordeelen wy, de grade van affiniteyt te nae te zijn, ende te strijden tegen 't Goddelijcke recht, dan dat daer in houwelick van ons soude kunnen voor goed gekeurt en toegestaen worden, soo dewijl halve suster in de Wet gereeckend wort voor suster Levit. 20: 17. Ende als een man syne suster de dochter synes vaders, ofte de dochter syner moeder sal genomen hebben, hy heeft de schaemte syner suster ontdeckt. Cap. 18: 9. de schaemte uwer suster, der dochter uwes vaders ofte der dochter uwer moeder, te huys geboren ofte buyten geboren, hare schaemte en sult ghy niet ontdecken. de schaemte van de dochter der huysvrouw uwes vaders, die uwen vader geboren is, sy is uwe suster, ende ℣s. 11. als oock dewijl man ende vrouw een zijnde, bekend is dat niemand trouwen mag met syne susters kinderen, ℣s. 10. Aen d'ander zijde, dese weduwe heeft met haren man een zijnde, oom moeten seggen tegen den voorsz. N. N. als moeders halven broeder: in welcken graad van affiniteyt houwelijck verboden is, Levit. 18: 12. 13. 14. Ghy en sult de schaemte van de suster uwes vaders niet ontdecken: sy is uwes Vaders na-bestaende. Ghy en sult de schaemte van de suster uwer moeder niet ontdecken, want sy is uwes moeders na-bestaende. Van gelijcken niet de schaemte van Vaders ofte Moeders broeder' dewyl het een graad is. Weder Levit. 20: 19. 20. Daer toe en sult ghy de schaemte der suster uwer Moeder, ende de Suster uwes Vaders niet ontdecken, dewyl hy syne na-bestaende ontbloot heeft, sullense hare ongerechtigheyt dragen: Als oock een man by syne moeye sal gelegen hebben, hy heeft de schaemte synes ooms ontdeckt, sy sullen hare sonden dragen, sonder kinderen sullense sterven. Het geene omtrent de moeye is ongeoorloft, is oock ongeoorloft omtrent den oom. Uyt welcke redenen wy niet en konnen oordeelen; dat yemand met de weduwe van syne halve susters soon soude mogen trouwen;

Leyden den 20. Sept. 1655.

Hier mede Hoogh-Mogende Heeren . . . .

Uwer Hoogh-Mogende Onderdanige Dienaren de Professoren der H. Theologie

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

VI.

Aen N. Jacobus Hovius Predikant tot Enchuysen.

Eerweerde Heer en Broeder,

OP. de Casus welcke U E. uyt naem uwer eerweerdige Consistorie ons voorstelt aengaende seeckere vrouwe, voor desen aen de tafel van Leninge geparticipeert hebbende, die versoeckt ten H. Avondmale toegelaten te worden, ten welcken eynde sy alreeds de voorsz. tafel verlaten ende directelijck nochte indirectelijck daer aen deel heeft, of soodanigen haer versoeck

mach ingewilligt worden, zijnde voorts onbesproken van leven, dan of van de selve noch yets meer te vorderen zy? Antwoorden wy te inhæreren dies aengaende de oude ende veelvuldige resolutien onser Synoden op dat stuck genomen, waer aen wy oock sien dat uwe Kercke sich houd, dewijl niet anders die vrouw in haer versoeck gehoort wort, dan resignerende de voorige tafel-handel: ende wat vorders van haer bysonderlijck gevordert soude mogen worden, is niet wel in specie te determineren, dewyl alle omstandigheden ons niet bekend zijn: 't berouw over haer vorigh doen, ende restitutie aen haer gemoed, ende uwe wyse directie bevelende. Ende gelijck met de moeder, alsoo is met de dochter te handelen, voor soo veel de selve kennisse en deel in de voorsz. tafel-houdinge gehad heeft.

Leyden den 1. April 1656. Nomine Facult. Theol.

Johannes Hoornbeeck.

VII.

QUum Amplissimus D. Johannes à Wevelichoven Syndicus Reipublicæ Leydensis Professoribus Theologicæ Facultatis communicasset scriptum D. N. Amyraldi, hoc titulo *Introduction à l'exposition de l'Apocalypse en septante six propositions*; & nomine Illustris Viri D. Wilhelmi Borelii ad Galliæ regem Legati petivisset id legi, & judicium ipsorum super eo sibi tradi, Professores Heidanus, Coccejus, Hoornbeeck id legerunt, & super eo d. 6. Junii 1657. sententias contulerunt: eorumque nomine sequens judicium D. Syndico exhibitum est.

Introductionem in Apocalypsin, comprehensam septuaginta sex propositionibus, adornatam à D. M. Amyraldo, Professores facultatis Theologicæ, quæ est Lugduni Batavorum, legerunt: eorumque de eo studio & libro hoc judicium est. Primò, studium explicandarum prophetiarum Veteris & Novi Testamenti necessarium esse: quippe quum in Prophetiis Christus & doctrina ejus, & regnum ejus, atque Ecclesia Novi Testamenti & omnes ejus exercitationes per varios hostes ac dolos Satanæ proponantur. Quæ, sine dubio, negligit, qui ad Propheticum sermonem non attendit. Deinde, secundum Prophetias judicandum esse de doctrina, quæ debuit audiri in Novo Testamento, & de falsitate contraria, deque veritatis cultoribus & sectatoribus falsitatis. atque adeo posse sibi Ecclesiam recte gratulari, si propter veritatem ab hostibus ejus, prout ab eis descriptum est, persecutionem patiatur, & in illis persecutionibus à Deo conservetur, & ex illis liberetur. Proinde tutum esse, ea, quæ in mundo dicuntur & fiunt, ad ea, quæ prædicta sunt, referre; & ex illis, ad quod genus quæ dicta & facta, ipsæque adeo afflictiones & liberationes, tanquam exempla; pertineant, demonstrare. Quamvis autem in Canone prophetiæ & ordine rerum prædictarum designando sit aliqua difficultas; & imprimis illa, quæ necdum constat esse impleta, quoad tempus, locum, modum, personas, non possint determinari, nisi Scriptura alicubi subveniat; atque in utroque, nempe in ordine ac serie rerum prænunciatarum, distinctioneque prophetiarum jam impletarum & adhuc implendarum, ac harum, quæ futuri temporis sunt, eventibus, diversorum diversæ possint esse sententiæ: tamen non inutile esse, ut & scrutatio diligens circa illa instituatur, & conjecturæ rationesque omnium modeste in medium proferantur. Nempe, ut ne quis suam interpretationem tanquam legem alteri proponat, sed vicissim alios libenter audiat, & nemini occasio præbeatur temere aliquid inceptandi sine vocatione & claro Dei mandato. Ita enim secundum ἀναλογίαν τῆς πίστεως prophetabimus, si nulla conjectura nostra movebimur ac aliquid faciendum non in fide. Quod vero attinet librum D. Amyraldi, eum multiplicem habere doctrinam, & in eo nihil contineri quod observaverint doctrinæ orthodoxæ contrarium; ipsaque exempla rerum gestarum non male suis generibus adaptata esse; & in eo extare propositiones, quæ indubie sint utiles ad res Propheticas digerendas; cæteras vero observationes esse consideratione dignas: nec inutile futurum, si publicentur & plurium examini subjiciantur.

Scriptum Lugduni Batavorum,
d. 9. Junii A. D. 1657.

Nomine Facultatis Theologicæ Professorum
Johannes Coccejus p. t. Decanus subscripsi.

VIII.

DE seer Eerwaerdigen en Hoogh-geleerde Theologische Faculteyt binnen Leyden werd by my ondergeschreve gants gedienstelick versocht en gebeden, haer Christelijck advijs en responsiven conform Gods heylige Woord op de navolgende vragen te stellen, ende my de selve, als daer aen tot mijn innerlijck hert seer ten hooghsten gelegen zijnde, te laten toekomen.

1. Of Gods Wet, beschreven Exod. 20. tot vs. 17. inclus, de eenige regel is van alle rechtmatigheyt, rechtvaerdigheyt, en eerlijckheyt?

2. Of kinderen, hare Ouderen niet gehoorsaem zijnde, tegen dese Wet sondigen?

3. Of oyt eenige creatuyre in Hemel ofte op Aerden is geweest, ofte komen sal, die den overtreder deser Wet van de straffe des eeuwigen doots kan bevrijden. Rom. 7:14?

4. Of een Dochter geoorloft is een huwelick aen te gaen, tegens wil en danck van hare Vader, die een eerlick, vroom, en daer-en-boven een lief-hebbende Vader van syne dochter is, die haer voor hare achtien jaren, noyt een hard woord en heeft gegeven?

5. Of het een Predikant geoorloft is, eene Dochter ten Huwelick te nemen, tegens wil en danck van haer Vader, die soodanigh een man is? welcke Vader den Predikant (syne Dochter maer achtien jaren en twee maenden out zijnde) den ingang van syn huys, en frequentatie van syne Dochter iterative seer strictelijck verboden heeft, met byvoeginge dat nimmermeer in 't huwelick en soude consenteren?

6. Of het de maegdelicke eerbaerheyd wel betaemt, haer selven een man te verkiesen?

7. Of den Apostel Paulus moet gehoord werden, als hy seght Rom. 1: vs. 28. 30. dat de kinderen die hare ouderen niet en gehoorsamen, doen dingen die niet en betamen, om dat God door sijn rechtvaerdigh oordeel haer heeft overgegeven in eenen verkeerden sin, ontbloot van alle oordeel?

8. Of de tijden waer in dat wy nu leven zijn de laetste, ende moeylicke tijden, in welcke den selven Apostel 2. Tim. 3: 1. 2. ende vervolgens segt, dat de kinderen hare ouderen ongehoorsaem sullen zijn? O overgroot schelmstuck! soo men den Apostel geloof geeft.

9. Offer in de gantsche Heylige Schriftuyre wel eenig tael of teycken gevonden word van eene maegt, die haer selven een man verkosen heeft ende met hem tegens des Vaders wil en danck getrouwt is?

10. Of de maegden of jonge weduwen wel doen, en haer selven wel beraden, als sy haer reguleren in 't aengaen van de trouw, naer de exempelen van Rebecca, Rachel, en Ruth. Ruth cap. 3: 5. 6?

11. Of hy, die een dochter vrijt tegens haer vaders wil en danck, en niet achterwegen noch onbesocht laet, om haer te trouwen, selfs in weerwil van de Vader, of hy waerdigh is aen de Tafel des Heeren te verschijnen?

12. Of de Wet Godes geduyrig en perpetueel is? soo dat noch den competenten ouderdom, noch eenigen trap van digniteyt, iemand kan ontslaen, van de gehoorsaemheyt, die wy den ouderen schuldig zijn?

13. Waerom in de Wet Gods niet bevoolen worden de plichten der Ouderen tegen de kinderen?

14. Offer eenig onderscheyt is tusschen het Goddelijcke recht en menschelijcke rechten? tusschen de immuniteyten die daer zijn in burgerlijcke vierschaer, en in de vierschaer der conscientie? tusschen de immuniteyt van de straffe voor de menschen, ende tusschen de schuld voor God?

15. Of gelijck men den Keyser moet geven dat des Keysers is, alsoo oock Gode dat Godes is? en of men God niet meer moet gehoorsamen als de menschen?

16. Of het sevende Artijckel van de Belijdenisse des Geloofs der Gereformeerde Kercken in Nederland noch in vigeur is of niet?

Ter oirconde hebbe dese onderteeckent den 19. December 1657.

N. N.

WY ondergeschrevene, Professores der Theologische Faculteyt in de Universiteyt tot Leyden, rypelijck overwogen hebbende de bovenstaende Vragen, siende op de Vaderlijcke macht omtrent het trouwen van eene Dochter, hebben goet gevonden, sonder in particulariteyten ende feyten, de welcke ons niet voorgestelt zijn, te treden, distinctelijck na Godts H. Woort

Woort te antwoorden. Dat gewisselijck tot de eere, de welcke eene dochter haren vader schuldigh is, oock gehoort, dat sy sich sijner macht onderwerpe, ende sonder sijnen raed, consent ende wille niet doe, wat sy met goeder conscientie wel laten mach: bysonder in soo gewichtigen saeck, als daer is het houwelijck. Ende hier in wedersprecken wy, in conformité van alle Gereformeerde Theologanten, het Concilium van Trente, het welcke seght, dat een houwelijck ingegaen van kinders, noch in harer Ouderen huys ende gewelt zijnde, bestandigh zy; met verdoeminge van die het tegendeel segt. *Concil. Tridens. sess. 24. decret. de reform. matrim. cap. 1.* Oock de Joden, de welcke seggen, dat een honbare dochter sonder consent van haren vader trouwen mach. Wy gebruycken hier sonderlijck die reden, dat beyde in 't Oude ende in 't Nieuwe Testament van de vaders wert gesegt, datse hare dochters uytgeven. Gelijck als kortelijck te sien is Exod. 34: 16. Deut. 7: 3. Judic. 14: vs. 2. 3. 5. 10. Jer. 29: 6. 1 Cor. 7: 36. 37. 38. Item dat de Wet expresselijck heeft gewilt Exod. 22: 16. 17. dat, soo eene maegd ofte ongetroude dochter sich hadde laten bereden, omme by eenen man te slapen, het nochtans by den vader soude staen, of de man haer tot een vrouwe behouden soude ofte niet. Oock dat Godt Num. 30: 3. 4. 5. heeft den wille der dochter in 't volltrecken van hare beloften aen den wille ende authoriteyt des vaders onderworpen. Dit dient dan op de 4. 6. 9. ende 10. vrage. Konnen oock niet sien, ofte eene dochter anders doende, doet tegen het vijfde Gebod. Het welcke sonder twijfel in groote achtinge te houden is, dewyle het selve niet alleen het eerste gebod is met belofte; maer oock de overtredinge van dien door Christum in den Joden scherpelijck is bestraft. Matth. 15. Achten daeromme, dat geene Wet, van menschen gegeven kan goet zijn, de welcke de eere, welcke kinders aen ouders schuldigh zijn, soude kreucken. Ende houden dit genoeghsaem ter antwoorde op de 1. 2. 3. 7. 8. 12. 14. 15. ende 16. vrage. Soo wie dan, het zy Predikant of yemant anders, tegen wille, raet en danck van Vader ende Moeder, ende veel meer vermaent zijnde van 't selve achter wegen te laten, sochte eene maegt te vryen, te bereden, ende tot belofte van trouwen aen te porren, ende ten houwelijck te nemen, dat so een aen de dochter oorsake van sich tegen het gebod Godts swaerlijck te versondigen, ende aen Godts gemeente ergernisse soude geven. Het welcke dient tot antwoorde op de 5. ende 11. vrage. Wat dan aengaet de 13. vrage, kan daer op geseyt worden, dat het Woord Godts in veele plaetsen handelt van de plichten der ouderen nessens de kinderen, ende dat God in het korte begrip der Tien Geboden de summa aller plichten heeft willen voorstellen aen de conscientie, ende noch daer-en-boven oock specialijck van veele der plichten in sijnen woorde leeren. Maer hier komt oock toe, dat daer konnen tijden en gelegentheden zijn, in de welcke een kindt niet kan reden van sijne ouders eyschen; als alleen met vader ende moeder te doen hebbende. In welcken gevalle gewisselijck een kindt sijnes vaders willen plaetse geven moet; soo 't immers in goeder conscientie ende sonder sonde geschieden magh. Na het bevel des Apostels Col. 3: 20. *Ghy kinderen zijt uwe ouderen gehoorsaem in alles. want dat is den Heere welbehagelijck.* Daer uyt blijckt, wat de eere der ouderen in sich vervattet. Ende worden in de Schrifituyre de Vorsten, onder de welcke de kinderen Israëls gestaen hebben, *Vaders* genoemt, de welcke sy in allen hebben moeten, soo veel als mogelijck was, obedieeren. Oock werden onder de *Vaders* de Magistraten ende Heeren verstaen, den welcken de ondersaten ende knechten alle gehoorsaemheyt schuldigh zijn. Ende, hoewel daer konnen gelegentheden voorkomen, dat een Vader oock aen de voorstanders van de Republijcke schuldigh is rekenschap te geven van sijn doen, omme sijn vaderlijcke macht niet te misbruycken, soo moeste het doch eene groote ende onverdragelijcke injurie zijn van een vader sijn kind aengedaen, daer over het mochte voor de door 't volck gekosene Vaders sijnen natuyrlijcken vader aenklagen ende voor hare Vierschare treecken. Godt heeft genoeghsaem te verstaen gegeven, dat hem liever is de gehoorsaemheyt tegens de onderen, als yets, datter schijnt eene gifte aen hem te zijn; dat hy verklaert heeft, te willen vergeven, so eene dochter in hare belofte niet te volharden door haren vader beweeght ware. Num. 30: 5. Concluderen derhalven, dat eene maegd wyslijck doet, de welcke oordeelt, dat het Godt believt haer als in andere dingen, alsoo oock in 't houwelijck, door der ouderen handt te regeeren.

Gedaen in Leyden den 29. Decemb. 1657.

Abrahamus Heydanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

Tweede Casus Positie.

TOt naeder elucidatie van het gegeven advijs der seer Eerwaerdige en Hoog-geleerde Theologische Faculteyt tot Leyden verleent op de vragen van my ondergeschrevene; mitsgaders tot verder onderrechtinge van mijn bekommert en bedroeft gemoed, werd by my mits desen van de selve Faculteyt seer ernstelick en gedienstelick versocht Hare Christelicke antwoorde conform Godes Heylige Woord op de navolgende vragen.

1. Tot elucidatie van 't antwoord op de twaelfde vrage, werd nader gevraegd, of den ouderdom van twintig jaren een dochter soo verre emancipeert, dat sy sonder te sondigen tegen Godts morale Wet vermach houwelick aen te gaen, met een seecker persoon na haer eygen sinnelickheyt, tegen wil en verbod van haer ouders, de welcke overbodigh zijn haer, buyten de voorschrevene persoon, Christelick en eerlick uyt te houwelicken. Mitsgaders oock tegen een hooge belofte, en dierbaren eed aen Godt Almachtigh by de Vader gedaen, en *ten bywesen van twee Predikanten als getuygen, namaels gerenoveert.*

2. Tot elucidatie van de conclusie van 't voorschrevene gegeven advijs der H. H. Professoren wert gevraegt, of de wijsheyt daer van in de selvige conclusie gesproocken wert, niet en is van sodanige nootsakeliekheyt, dat sonder de selvige te betrachten, een Christen Maegt sondight tegen 't vijfde Gebodt van Godts morale Wet.

3. Ten derden. Of het een Christen dochter schoon twintigh jaren oud zijnde, en meynende van haer vader verongelijckt te werden, door het niet consenteren in het trouwen met seecker by haer verkooren persoon, wel mogeliek is, sonder haer te besondigen tegen de Goddelicke morale Wet, haer vader directelick dienthalven in rechte te betrecken, en proces aen te doen.

WY ondergeschrevene, Professoren der H. Theologie binnen Leyden, overwogen hebbende de bovenstaende Vragen, hebben goedt gevonden daer op alsoo te antwoorden.

Op de I. Dat de Schrifture geen onderscheydt maeckt onder een Dochter, die noch niet twintich Jaren heeft, ende die daer boven oudt is, maer alleene in de saecke van de macht des Vaders over 't Houwelijck van de Dochter noemt eene *Maagd*, dat is, die noch geenen man gekent heeft; Exod. 22: 16. ende in saecken van beloften, eene Dochter die noch in haer Vaders huys is, in harer jonckheyt. Num. 30: 3. Kan derhalven eene sulcke, die noch niet uytgegeven is, sich opponerende tegens den wille harer Ouderen, ende daer tegen pogende te doen, (te meer soo daer uyt volght eene altoos duyrende quellagie van haer Vader, die sich met eede verbonden heeft, sulck een houwelijck niet te approberen, ende gelijck wel genegen is haer op de beste maniere uyt te houwelijcken) niet onschuldich zijn van overtredinge des gebods Godts.

Op het 2. Wy verstaen sulcke *wijsheyt*, daer door eene Dochter wel oordeelt ende van haere plicht, ende van de bestieringe Godts; namentlijck beides dat haer niet geoorlooft is tegen den wille der Ouderen eenen Man te verkiesen, ende dat Godt sulck eenen Man haer niet in zegen toevoegt.

De antwoordt op het 3 hangt aen de antwoordt van het eerste ende tweede: namentlijck, dat dat sonder overtredinge niet geschieden mach.

Gedaen in Leyden den 26 Januarii 1658.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

Derde casus Positie.

1. OF niet de Polityke Ordonnantie by de Groot Mog. Heeren Staten van Hollandt, als Vaders des Vaderlandts gearresteert op den 1. April An. 1580. voor soo veel de selve applicabel is op onredelijcke en tyrannige Ouders, mitsgaders op wederspannige en ongehoorsame Kinderen respective, in 't aengaen van houwelijck boven hunne twintich jaren, met groote reden kan werden geseyt te zijn van soodanige natuyre als de polityke ordonnantie eertijdts by den grooten Regent van Godts volck, namentlijck Mose, gemaeckt Deut. 24: 1. op de materie gevallen van lichtvaerdige ende irreligieuse houliex scheydinge;

Als zijnde de voornoemde Hollandtsche Politijke ordonnantie van de Staten gegeven tot inbindinge van de menschelijcke verdorvenheyt, ende tot voorkomen van onheylen in soodanige tijden. Ende onder anderen als soodanige sondige persoonen, daer van geprophetéert is 2. Timoth. 3: 1. 2. 3. 4. & seqq. tot vs. 9. incluis, even gelijck de voorschreven Joodsche ordonnantie van Moses gegeven is aen een seer hertneckich volck, Exod. 32: 9. Deut. 9: 6. en dat om harer herten hardicheyt wille, Matth. 19: 8. sonder dat den voorschreven Regent Mose, ofte oock de voorschreve Heeren Staten in haer voorschreve ordonnantie konnen werden gesegt te willen verkorten, ofte veranderen, het recht van Godes morale Wet, in den beginne, ofte in de scheppinge voor den val den mensche ingedruckt, en naderhandt in Godts Woordt beschreven, en ons nagelaten?

2. Of de voorschreven Heeren Staten, in de voorsz. Hollandtsche Politijke ordonnantie, niet gebiedende, maer alleen toelatende, sommige persoonen in seeckeren gevallen houwelijcken aen te gaen, tegen wille en verbodt van hunne discrete ende liefhebbende Ouders, de selve persoonen door de voorschreve toelatinge bevryden, van met sulck aenvangh des houwelijcks te sondigen tegen het vijfde gebodt van Godes Morale Wet, sulcks het selve in Godts Woordt verklaert werdt generalijck Coloss. 3: 20. vergelijckt met Num. 12: 14. & 30: 3. 4. 5. en 1. Petr. 2: 18. en specialijck noopende dese materien van houwelijcken. Exod. 22: 16. 17. Jerem. 29: 6. en 1. Cor. 7: 36. 38. Te meer, alsoo de Gereformeerde Christelijcke Nationale Synoden Anno 1586. (art. 63.) en van Anno 1619. (art. 70.) in hunne Kerckelijcke ordonnantie: geen contentement schijnen te nemen met de voorschreve Hollandtsche Politijcke ordonnantie van Anno 1580. Misschien om niet te schijnen na te volgen het exempel van de Phariseen Matth. 15: 3. — 6. In 't krencken van 't vijfde gebodt der Morale Wet, door menschelijcke, of Kerckelijcke insettinge, niet tegenstaende de Kerckelicke ordonnantie van Anno 1591. (art. 24.) de selve Politijke ordonnantie approbeert?

3. Of het een Christen Dochter, meynende van haer Vader verongelijckt te werden, door 't niet consenteren in hare houwelijcksche genegentheyt tot seecker haer ongelijck persoon, na de Godtlijcke morale Wet, geoorloft is haer Vader directelijck daer over in rechte te betrecken, en hem proces aen te doen. Hoewel sy verscheyde eerlijcke personen haer gelijckende in Religie, geslacht, jaren, en middelen, absolutelijck heeft afgeslagen in hunne vryagien, en dat buyten weten van de selve haer Vader. En indien neen, of dan oock tegen sodanige Dochter (als sy haer niet en bekeerde) en insonderheyt tegen de persoon die haer daer toe beweecht, niet soude konnen opstaen ten jongsten dage in het algemeen oordeel, tot hunner eeuwiger schade en schande een Heydenschen Pittarus, daer van den seer eerwaerdigen J. Taffin gewaecht, of meldet in sijn tractaet van de Boetvaerdicheyt, in 't capittel van de Plichten der Kinderen, Sect. 5. Even gelijck de Niniviten en de Coninginne van 't Zuyden of van Zeba in 't selve oordeel opstaen sullen tegen de ongeloovige ende ongehoorsame Joden volgens Christi waerschouwinge Matth. 12: 41. 42. Ja of sodanige Dochter (indien sy haer niet en bekeert) door sulck een rechtpleginge, daer inne sy haer seer liefhebbende Vader beschuldicht van hardigheyt ende tyrannie, niet en schijnt stoutelijck te willen treden in de voetstappen Cham, die de naecktheyt ende schande van sijnen vader Noach aen sijne Broederen openbaerde, ende de selve niet en wilde bedecken. Genes. 9?

4. Of het ymandt geoorloft is te breecken een dierbaren Eed, daer mede hy voordachtelijck na rijp beraedt, en om bysondere redenen aen Godt de Heere belooft heeft, en *in presentie van twee Predikanten als getuygen daer toe specialijck versocht* gerenoveert, sijne seer jonge Dochter niet te sullen geven in houwelick aen seecker bedaecht weduwenaer, hebbende alrede houbare kinderen, en of sulcken belovende eed niet met so grooten ernst moet werden nagekomen, als den eed eertijdts by de Israëliten gedaen aen de Gibeoniten, welcke door louter bedroch afgevordert, ende tegens Godes uytgedruckte Politijke Wet geswooren wesende, echter moest werden nagekomen, om 't derde gebodt van de morale Wet te gehoorsamen. Jos. 9. en 2. Sam. 21?

5. Of de voorschrevene jonge Dochter niet soo wel schuldich is hare voorbedachte be-eedichde Vader hier in gehoorsaem te zijn (die haer niet weygert verkiesinge van verscheyde andere eerlicke jongmans haer gelijckende) als eertijdts aen hare onvoorsichtige be-eedichde Vader gehoorsaemheyt schuldich was, de Dochter van den grooten Jephtach, welcke Dochter aen den selven haren Vader veel grooter gehoorsaemheyt in materie van houwelick heeft bewesen, als van dese Dochter werdt geeyscht of geverght. Richt. 11: 34. — 40?

6. Of een bejaert, geleert en welsprecckend Predikant met een jonge maecht alleen achtien jaren oudt zijnde, ende woonende buyten sijn bevolen quartier, na de Goddelicke morale Wet, geoorloft is huys catechisatie te oeffenen, ofte anders haer Vaders huys heymelick te frequenteren, tegens expres verbodt van de selve Vader, die aen de selvige alle geestelicke middelen rijckelick is bestellende, ende vergunnende. En of op sodanich een Predicant niet applicabel is den text 2. Tim. 3: 5. 6. 7. niet tegenstaende hy tot sijne defensie, en tot offensie van de voornoemde Ouders in sijnen Kerckenraedt derft allegeren den H. Text Matth. 10: 14. 15. en of hy over sodanige allegatie niet censurabel is?

7. Of sodanich een Predicant, (behoudens de eere van sijn ampt) door sodanige proceduren als in de laest voorgaende vrage is geseght, niet met immers soo groote reden kan geseght werden de sinnen, of het harte van de voornoemde jonge dochter gestolen te hebben, als in de H. Schriftuyr geseght werdt, dat den oproerigen en archlistigen Absolom door sijne geveynsde beleeftheyt gestolen heeft het harte der mannen Israëls. 2. Sam. cap. 15: 1. — 6. Ende of hy daer over ten minsten niet behoort Kerckelick gecensureert te worden?

8. Of de voorschreven Vader, weygerende gehoor te geven aen twee Predicanten zijnde gedeputeerde van de Kerckenraedt alleen om hem te informeren, ende te onderwijsen hoe veel of weynich hy aen sijnen voorschrevenen Eed is verbonden, over die weygeringe kan werden beschuldicht, van geen gehoor te geven aen Christi gemeynte, en dienvolgens aen Christus selfs, en daer over censurabel te wesen?

9. Of niet een Predicant, ja een yder Christen na het exempel Christi, en des Apostels Pauli, om genomen ergernisse te voorkomen, nu en dan moet nalaten, het geen hem anders na Politijke, ja na Goddelijke Wetten geoorloft is te doen? midtsgaders somtijdts moet doen, 't geene anders na Burgerlicke ja Goddelicke wetten geoorloft is na te laten? Te meer als de selve ergernisse by na soo algemeen, en immers soo krachtich schijnt te sullen wesen tot stijvinge van ongehoorsame kinderen, als eertijdts Memuchan (een van de seven wijsen des Konings Ahasueros) seyde dat geweest soude hebben de ergernisse die veroorsaeckt soude geworden hebben door het ongehoorsaem exempel der Koninginne Vasthi tot stijvinge van alle ongehoorsame echte vrouwen in het rijcke van Persen en Meden, indien de selve Koninginne over de selvige hare ongehoorsaemheyt niet en wierde gestraft. Esth. 1: 16. 17. 18.

10. Indien ja, of dan niet de voorschrevene weduwenaer Predicant, volgens Godts H. Woordt verbonden is door veelvoudige gegeven of genomen ergernissen, de voornoemde jonge dochter met de daedt, effective en krachtdadelick soo veel hem mogelick is van hem te doen desisteren, ende haren Vader te doen obedieren, door sijne weduwenaers houwelicksche genegentheyt van haer absolutelick en baerblijckelick af te trecken?

Wy ondergeschrevene, Professoren der H. Theologie binnen Leyden, overwogen hebbende de bovenstaende Vragen, antwoorden daer op, als volgt.

Op het 1. Wy achten, dat (gelijck Moses of veel meer Godt door Mosem de gerechten der Israëliten ordinerende door het niet verhinderen van Echtscheydinge die niet heeft geapprobeert) de Intentie van de Groot Mog. Heeren Staten, gevende de Politijcke ordonnantie, niet is geweest te verkorten de eere en gehoorsaemheyt der Kinderen tegens hare Ouders, noch het gesach der Ouders over de selven. ende souden eene menschelijcke ordonnantie daer tegen strijdende niet konnen approberen.

Op het 2. Wy onderwinden ons niet de Politijcke ordonnantie van de H. H. Staten te interpreteren: doch, soo veel ons aengaet, konnen niet bevinden, dat daer yets in begrepen is tot favour van Dochters, dewelcke twintich jaren oudt zijnde tegens wil ende danck van discrete ende liefhebbende Ouders pogen te trouwen; maer in 't tegendeel bevinden, dat, ingevalle sulcks een casus voor quam, de Magistraten ende Kerckendienaers belast wordt inductie te gebruycken by de contradicerende Ouders; het welck sonder goede en welgefondeerde reden niet kan noch van Voorstanders der Republijcke noch van Kerckendienaers geschieden: en nochtans werdt de Dochter niet toegelaten hare persisterende Ouders in recht te trecken, maer den Magistraten en Kerckendienaers haer te trouwen verboden, en het Collegium van de Magistraet de opper insicht behouden, om met kennisse van saken het trouwen te ordonneren.

Op het 3. Dat een Dochter sulcx niet vermagh te doen, ende dat sulcke ende diergelijcke argumenten in 't dissuaderen van haer doen wel konnen gebruyckt worden; hoewel men daeromme niet en meent de selvige te verdoemen.

Op het 4. Dat het ons te swaer is van eens anderen eed ende beloften, die alleen best sijn herte ende insicht weten kan, te oordeelen. Hebben alleen te seggen, dat soo ymandt Godt belooft yets niet te doen, het selve doen moet uyt liefde van yets goets, ende moet de saecke, daer van de belofte geschiedt of son-

of sonde zijn, of tot sonde aenleyden, of vry zijn, doch alsoo, dat de selvige niet altoos moet vry blijven, ende de liefde des naesten niet t'eenigen tijde kan vereysschen de selve te doen. Ten exempel. Den Apostel Paulus oordeelt dat het goedt is, sijne Dochter niet uyt te houwelijcken. doch hy wil, dat, soo ymandt dat selve wilde doen, ten eersten na alle gelegenheyt van saecken soude vryheyt hebben te doen, wat hy voorgenomen heeft; ende ten anderen, dat hy in sulck een voornemen sonder nootsakelickheyt sal zijn en blijven, dat is, dat noch hy noch de Dochter sich daer toe verplichten sullen. Want de vryheyt te houwelijcken moet altoos blijven. 1. Corinth. 7: 37. Uyt de historie des eedts aen de Gibeoniten gedaen kan soo veel blijcken, dat een eedt, de welcke niet strydt met Gods morale Wet, moet gehouden worden.

Op het 5. Wat de plicht der gehoorsaemheyt eener Dochter tegens haren liefhebbenden Vader aengaet, is te vooren gesegt: ende achten niet noodich te definieren wat de beloste Jephtach geweest sy, of hoe rechtmatich dat de selve gedaen of geexecuteert is. Altoos siet men in de Dochter Jephtach een pryselijcke onderwerpinge.

Op het 6. Dat een Prædicant qualijck doet wanneer hy de prædicatie des H. Woordts doet tot een bedeckinge der schande, Phil. 1: 18. ofte op berispelijcke ende verdachte maniere, 2. Cor. 8: 20. ende dat de plaetse Matth. 10: 14. 15. t' onrechte ende niet sonder misbruyck gepast wordt op die, die het woordt aennemende, eene persone het ampt van Prædicant dragende, omme verdachtheyds wille verbiedt sijn huys sonder syne kennisse te frequenteren.

Op het 7. Hoewel het gebeuren kan, dat een Prædicant door syn gaven, manieren, vroomigheyt, mochte komen wel te gevallen aen een jonge dochter sonder syn weten, soo soude doch sulck eenen niet wel aenstaen, dese affectie te misbruycken, om de Dochter tegens hare Ouders wederspannich te maecken, ende soude, onses bedunckens, dien selven niet syn Ampt doen, indien hy de Dochter liet tegens haere Ouders sich opposeren, ende de selvige quellinge aendoen, maer moeste (sulcx wetende) de Dochter daer van doen afstaen, met haer versoeck te weygeren.

Op het 8. Wy gelooven niet, dat Prædicanten, die uyt eenige reden, voor eenen tyt niet toegelaten worden gehoort te werden, en nochtans bequame middelen hebben hare vermaninge, soo sy eenige vermeenen te hebben, op andere manieren en andere tijden te doen weten, sich daer over soo seer sullen belgen, dat sy dien, die haer in persoon weigert te hooren, sullen oordeelen ongehoorsaem te zijn aen de Gemeente Godts. Het 9. is buyten dispuyt. want niet alles, wat geoorlooft is, is oock oorbaerlijck. ende men is schuldich de eene den anderen in liefde te dienen; ende alsoo wel geene gronden te leggen tot revolte van Kinderen tegens de Ouders, als de Vrouwen tegens haere Mans.

Wat op het 10. te antwoorden is, kan uyt de voorgaende antwoorden klaer genoech geconcludeert werden.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

Casus Positie van de andere Partie.

1. Of een Dochter, die tot haer jaren is, beswaert zijnde in haer gemoet, bysonderlick *in casu matrimoniali*, na dat alle middelen van accommodatie by haer E. Vader door vrienden ende bekenden, Kerckelicke ende Politike persoonen, ja selfs van de Kercken-raedt aengewendt, te vergeefs en desperaet waren, niet vermach, ja gehouden zy, haer toevlucht te nemen, na de Kerckelicke en Burgerlicke Wetten, tot de Christelicke Magistraet, om door der selve inductie ofte consent, tot de solemnizatie van een gewenscht en eerlick houwelick te geraken?

2. Of de selve, sulcx doende in alle modestie, vermach gesegt worden het vijfde Gebodt te overtreden, ende der Heylige Communie onwaerdig, ja godloos te zijn?

3. Of de selve, door noot, geopenbaert hebbende eenige gevreesde onheylen, over harde ende schrickelicke bedreygingen, wenschingen ende ongelegentheden, daerom magh geseyt werden verdient te hebben de vervloeckinge Chams?

4. Of een Predikant gevrijt hebbende een eerlicke religieuse dochter, welcke hy, vermits de exorbitante hevigheden haers Vaders, meermael heeft getracht te diverteren in affectie, en sulcx onmogelick bevonden hebbende, niet tegenstaende hy door het geheele Land schandelick berucht en beschuldigt wert over sijn eerlike vryagie, wyders gepresenteert noch een jaer of twee met de voltreckinge des houwelicks te supersederen, om te sien wat de tijdt soude willen geven, op haer iterative aenklachten van beswaringe, en dit of geen gevreesde onheyl, mitsgaders ernstig versoeck van de aldersspoedigste expeditie in desen; daer en boven oock selfs, beneven de bovengemelde swarigheden, genootsaeckt alle schandelicke geruchtspraeck te stuyten, en sijn conscientie te voldoen, niet en vermag, nu het anders niet wesen kan, sich van Kerckelicke ende Politike ordinantien te dienen, om op het spoedigste sijn houwelick voltrocken te sien?

5. Of een Predikant, predikende, dat de quade eeden de conscientie der menschen niet constringeren tot het geene onbetamelick is; veel min tot grouwelicke moorderyen &c. mach geseyt worden godloosselick gepredickt te hebben?

6. Of een Predikant, schriftelick versoeckende van een godtsalige ende religieuse Dochter, consent om hare Ouders te mogen begroeten, ten eynde hy met hun kennisse ende believen haer geselschap nu en dan mocht frequenteren, om te sien of uyt die conversatie een gewenst houwelick mocht werden gecontraheert; sonder oyt meer van vryagie met haer gesproken te hebben: en daer op des Dochters affectie, sonder eenige nader aensprake, soo verre bekomt, dat de selve hebbende van kinds-been aen tot modestie en stilheyt, en van 't begin der jaren van discretie tot soo een stijl van leven geinclineert, niet hem, maer haer Ouders sijn versoeck ofte brief ende haer stercke affectie openbaert, biddende dat het versochte, al waert oock het houwelick selve, mocht werden toegestaen. Die daer en boven met betuyginge tot Godt, den eenigen herten-kender, verklaert, datse haer affectie noch door eygen aengeleyde devoiren, om de selve tot contentement van haer ouders te versetten, noch door alle andere dissuasive redenen *hinc inde* haer toegebracht, ja selfs van haer geliefde, niet heeft konnen veranderen, maer bevonden dat de selve meer ende meer aenwies, en daer in heeft gecontinueert jaren en dagen langh, in het consent harer Ouderen te versoecken, mach geseyt worden de Dochter betovert te hebben; en niet veel eer dat des Heeren t'samenbindinge daer klaerlijck in blijckt?

7. Of de trouw na den raet der Kerckelicke ende Wet der Politike ordinantien, gelijck, of een in valeur met de Scheyd-brief der Joden is?

8. Of een Vader, menigerley dissuasiven hebbende gebruyckt omtrent sijn godtsalige en altijdt gehoorsame Dochter, echter bevindende dat hare affectie onsterflick is, en het gemoet steeds blijft inclineren tot de persoon ende stijl van leven, als haer aengeboden is: siende dat langer uytstel ende weygeringe van consent haer bedroeft, kranck maeckt, ende in een geduyrige quellinge houdt, ende dat tegen het versoeck, bidden ende smeecken van haer ende haer Groot-Moeder niet en behoordt, ja in conscientie gehouden is, sich te laten verbidden, ende het houwelick te consenteren, conform het exempel der Ouderen Simsons?

9. Of oock selfs het vijfde Gebodt in de Wet den Ouderen niet en gebiedt, *in casu prædicto*, aen godtsalige Kinderen, die niet anders dan een stille ende godtsalige stijl van leven beoogen, haere medelydende gratificatie te besteden?

10. Of de ongemackelijckheyt der Ouderen in desen niet geschat moet werden na de reden en de daeglixse ervarentheit een oorsaecke te zijn van veele onheylen?

11. Of de goede Wetten, voor en van de goede, wettelick gebruyckt, den quaedtaerdigen ende ongehoorsame kinderen een voet ende kracht mogen geseyt worden te geven, om tegens haere Ouderen op te staen?

12. Ende of niet de Politike ordinantie, soo alse in dese *casus* leyt, patrocineert de authoriteyt der vroome ende geseggelicke Ouderen, ten eynde de respective Magistraet haer de hand biede, om de quade desseynen ende lichtvaerdige handelinge der kinderen tegen te staen, ende over sulcx den landen seer dienstich is?

13. Of de gehoorsaemheit der kinderen aen haere Ouderen na Godts Woordt t'eenemael onbepaelt is, sonder dat de goede reden hier eenige exceptie maeckt: als alleenlijck daer notoirlijck de conscientie last lijt: oock in cas van tyrannie, dreygementen van verkoopinge der Kinderen, saecken die dood ofte leven aengaen, moetwillige dilapidatie van opgestorven goederen, wrevelige ontervingen van godtsalige Kinderen. Bysonder in de saecke des houwelijcx: soo dat wil en danck der naester vaderen, 't zy met recht ofte onrecht, altijdt en alleen is de opperwet van alle houwelijcken der Kinderen; streckende sich soo verre uyt, dat een Vader syn Kindt mach constringeren tot sulck een singulier persoon, hoewel gehaet; ofte tegen reden weygeren consent tot de redelijcke trou, met een die grootelijcx bemint is. Soo dat het noyt, in eenich geval van overlast der onbescheydene Ouderen die haer vaderlijcke liefde

plichten omtrent hare kinderen vergeten hebben, nae goede menschelijcke wetten soo Politijck als Kerckelijck een beledicht Kint vry staet sijn toevlucht te nemen tot de burgerlijcke Rechter als een algemeen Vader des Vaderlandts: ten sy dat het de sonden van Cham begae, en syn vloeck verdiene: en by gevolch de Vader is een absoluyt Souverain in syn gesin; sonder oock in des selfs saecken nae Goddelijcke rechten, te staen onder de algemeyne Overheyt?

OP de Vragen hier voorgestelt hebben wy ondergeschreven Professores der Theologische Faculteyt tot Leyden (voorbyg aende andere saecken, de welcke of buyten propoost zijn, of eenige particulariteyten en feiten, daer over de andere zijde niet is van ons verstaen, of eenige woorden en manieren van expressien, de welcke niet konnen geoordeelt worden als met kennisse van de gelegenheyt der propoosten) goet gevonden het essentieel, 't welcke in den eersten articul begrepen is, alsoo te beantwoorden. Dat eene Dochter, alhoewel haere jaren hebbende, dient den raedt ende 't goetvinden haret Ouders noopens haer trouwen af te wachten, ende van ymandt gevrijt zijnde van eene persone, de welcke haer wel gevalt, ende Ouderen hebbende, niet strax behoort te meynen, dat haer raedt de beste is, maer voor allen te oordeelen, dat, voornamelijck in soo gewichtige saecke, als daer is het houwelijck, ende daer aen niet alleene haer, maer oock de Ouders ende Vrienden gelegen is, Godt gelieft haer door harer Ouderen handt te regeren. Ende soude dese gedachte het remedium zijn om de beswaringe des gemoets best wech te nemen. Doch, dewyle het gebeuren kan, dat Ouders konnen de Kinderen in 't goede werstaen ende tot het quade aendryven; Soo achten de gesеyde Professores, dat, wanneer sulcx blyckelijck gebeurde, als dan door modeste versoeckinge (sonderlijck soo daer aensienlijcke Vrienden oft Bekenden quamen mede by te staen) de Christelijcke Magistraet kan ordre stellen ende tot behoudinge van de Dochter, ende tot beste van de familie. Doch moste het een groote injurie zijn, van een Vader syn Kindt aengedaen, daer over het mochte voor de door 't volck gekosene vaders synen natuyrlijcken Vader aenklagen, ende voor haere Vierschare te trecken.

Gedaen in Leyden desen 29. Decemb. 1657.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

X.

WY ondergeschrevene, Professores der H. Theologie in de Universiteyt tot Leyden, gesien hebbende de overgesondene Casus positie, geteyckent by den Decano der selver faculteyt, ende præsupponerende de waerheyt van dien, hebben, na rijpen rade, op de voorgestelde Vragen, in goeder conscientie goedt gevonden, alsoo te antwoorden.

Op het 1. Dat de Deputati Classis, nalatende, wat na Kercken ordre ende solennele gebruyck, expresselijck van de Gemeente versocht en aen de selve geaccordeert was, namelijck, dat op een geprefigeerden Bededagh de Candidaten haere gaven souden laten hooren, ende de Deputati Classis haer een text injungeren, niet wel ende nae goede ordre gedaen, maer oorsaecke ende gelegenheyt gegeven hebben, eenige der gemeente te doen gaen buyten ordre ende behoorlijcke maniere van verkiesinge van een Predicant. Konnen oock niet sien, dat in de Rescriptie, ons getoont sub lit. B. met den naem van N.N. gedateert Colderv. 1657. den 24. Novemb. eenige reden begrepen zy, het selve te excuseren. Want, indien het versoeck, gelijck daer in gemelt wort, niet ongesundeert was, wat beswaringe konde dat by de Deputati Classis maecken, omme niet te doen, wat haer aenvertrout, ende met de Kerckelijcke ordre overeen komende was; dat die van Fledder en Doldersum 't versoeck contradiceerden, ende aen een mede geerfde gestelt hadden, ende die selve (soo veel Wy uyt de niet wel coherende woorden verstaan konnen) goet gevonden, dat ymandt, sonder te hooren, soude beroepen worden? en wat was 't van nooden, te verwachten, tot dat de personen, die in Classe den Bededagh hadden versocht, wederom quamen de executie van 't geconsenteerde te versoecken, aengesien der selver last, den Bededagh verkregen hebbende, (den welcken te versoecken Sy van wegen de Gemeente tot Fledder en Doldersum gesonden waren) quamen te cesseren, en haer niet wederkomen tot versoekinge van de executie die selve niet konde beletten.

Op het 2. Dat sulck een verkrygen van stemmen onbehoorlijck, argerlijck ende schandelijck is, gevende oorsaecke aen die, die buyten ende binnen de Gereformeerde Gemeente zijn, te gedencken, dat sulck een Candidatus, noch sulcke verkiesers het ooghmerck hebben, het welcke men behoort in desen te hebben, naementlijck, dat een persoon van Godt met bequame wetenschap, godtsaligheyt, verstandt, onberispelijcke zeden ende met liefde begaeft, tot leeringe ende leydinge, beteringe ende vertroostinge der gemeente Christi, tot uytbreydinge van de waerheyt, mach gevonden, ende met danckbaerheyt erkent worden, ende de toehoorders sich met die selve mochten verbinden, Godt met malkanderen, de een met leeren ende vermanen, de andere met willigh hooren ende navolgen, na het Woort Godts, te dienen. Waer toe dan behoort de approbatie van die, die tot de gemeente gehooren, ende de ondersoeckinge van sulcke gaven in den Candidaet. Ende konnen noch de Candidaet noch de Verkiesers hier in eene goede conscientie hebben, ende Godes zegen verwachten, die sonder ondersoeck, met menichte, alwaert oock eenparigheyt van stemmen, (te meer, soo die door aensien van menschen, ende voedinge van ongebondenheyt gebedelt ende verkregen zijn) den naem van Bedienaer des Goddelijcken Woorts geven en nemen.

Op het 3. Dat, de wyle sulck een Proponent aldus doende, hier mede hemselven heeft getoont het rechte wit niet voor te hebben, ende niet ongenegen te zijn tot debauche met syne toehoorders te plegen, ende stoutelijck goede ordre buyten te gaen; ja oock den lasteraer den mont geopent heeft de gemeente te lasteren, en den toehoorders, de welcke vermaninge te doen hebben, stoffe van verwytinge en smaetheyt gegeven heeft, ende hem selven in den strick des Duyvels heeft verknocht, om te moeten swygen, de verwytinge te ontgaen: 1. Tim. 3: 7. niet kan recommendabel zijn tot sulck een waerdig ampt; het zy dan, dat hy sich merckelijck ende oogenschijnlijck betere, ende sich gantsch onberispelijck in 't toekomende mochte betoonen. Het welcke wy van herten wenschen, op dat door hem niet veele bedorven, ende het Koningrijck Christi voor veele, die buyten zijn, door quaet doen niet mach toegesloten worden.

Op het 4. Dat wy de protestatie van die van Nieuwenslijck, overgelegt *sub lit. D.* voor wettelijck houden; gelijck oock de *Deputatus Classis* N. N. haerlieden versoeck streckende tot den selven fine voor niet ongesundeert heeft geoordeelt. Ende alhoewel misschien die van Nienwenslijck mochten weyniger in getalle zijn als de stemmen tot Fledder vergadert, soo kan haer dat niet præjudiceren, 1. dewyle de stemminge buyten ordre geschiet is. 2. dewyle oock de meesten van de gemeente, bestraft zijnde door Gods Woort ende met goede reden van hare overtredinge, behooren oock de minste te hooren, ende in den Name Godes plaets te geven. Vertrouwen derhalven dat de Eerwaerdige Classis of soo wie daer in te seggen heeft, sal sorge dragen, dat de Gemeente, het quade vernietight zijnde, in eenen sin ende broederlijcke eenigheyt moge behouden werden.

Aldus gedaen Leyden den 17. Januarij 1658.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XI.

Casus, facultati propositus ab Amplissimo D. Prætore ....

EEn burgers soon binnen de Stadt .... van geringe conditie, zijnde omtrent tiegen of tien jaren geleden, van Amsterdam afgevaren na Spanjen ofte Italien, ende alsdoen genomen van de Turcken van Algiers, alwaer hy hem korts daer naer heeft laten besnijden, het Christen Geloove versaeckt, ende het Mahometaensche aengenomen heeft: oudt zijnde doen omtrent negentien jaren, alsdoen beneden wesende, heeft hy een instrument geweest by de Turcken omme de Christenheyt te beswaren, varende met de Turcken in verscheyden qualiteyten, ende syne mede-burgers van .... tot verscheyde reysen beklappende, wat sy lieden voor vrienden hadden, om haer rantsoen te hooger te houden.

De selve persoon, zijnde nu renegaed, soo men desulcke noemt, is met de armade van de Turcken tegens de Venetiaensche armade

armade slaeghs geweest in de Archipelago. alwaer hy genomen zijnde van Hollandts schipper is versteken, ende alsoo by syne ouders wederom t'huys gekomen binnen .... voorschreven. De vrage is, of de Magistraet van .... behoort te gedoogen ende toe te staen dat gemelde persoon met een Christen dochter sal mogen trouwen, nademael hy dagelijcks te Kercke gaet, ende de mijnen toont om als een Christen voortaen te leven?

Responsum.

GEsien hebbende de vorige Casus, antwoorden daer op, dewyl die trouwt, moet trouwen in den Heere, ende in Christelicke houwelicken niet min gesien moet worden op de Religie, ende stichtinge, als op tijdelicke interesten, dat de gemelde persoon als schandelick vervallen zijnde van des Christendoms Professie en liefde, niet mach toegestaen werden te trouwen met een Christen ende Gereformeerde dochter, voor en al eer hy met openbare schuld-bekenninge voor de Gemeynte, genoegsame en sekere preuve sal gegeven hebben synes berouws, ende dat hy voorts is van Christelicken Geloof en leven.

Aldus gedaen binnen Leyden den 24. Decemb. 1658.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeek.

XII.

Casus Positie.

IN seecker Dorp van .... genaemt de ...... is een Dienaer des Goddelicken Woords van hooge jaren; welck overwegende by haer de E. Kercken-raedt der selver plaetse, heeft een beroeping uytgebracht op des selfs Sone, om hem in den dienst *ad tempus vitæ* dien last te helpen dragen, ende naer overlijden des E. Vaders als Predikant in die selve plaetse te verblyven; welcke beroepinge van twee Broederen onses Classis, als Predikanten onder de Classen resorterende, ende niet als deputaten Classis, *nomine Classis* geapprobeert hebben, oock van sijn Hoogh Edel gestreng Heere Landtdrost, representerende de Hoge Overigheyt, onder reserve is ondertekend en geratificeert. Verscheyden en veele ledematen der Gemeynte hebbende verstaen het uytbrengen deser beroepinge, hebben daer tegen geprotesteert, voorgevende het selve buyten kennisse, wille, en believen der ledematen van die Gemeynte, en alsoo tegen ordre der Kercke, en tot prejudicie van haer en hare nakomelingen was uytgebracht, gelijck te sien is uyt bygaende Protest hier annex.

Quæritur.

Of dese Beroepinge soude konnen of mogen effect forteren of niet?

Antwoord.

WY ondergeschrevene Professoren Theologie in de Academie tot Leyden, gesien hebbende de bovenstaende Casus, en de stucken daer toe dienende, oordeelen, dat wy wel niet en berispen, dat een oudt en *onmachtigh* Dienaer hem van den dienst ontlae, ofte verlichtinge voor hem versocht werde; daer by dat een *Soon* synen Vader door behoorlicke beroepinge werde toegevoeght, ende den Vader succedere. Maer sagen gaerne, dat in dese sake, ende van de onbequaemheyt des Vaders behoorlicke kennis ende *oordeel* ware voor heen gegaen, by die vergaderinge daer sulcks aen stond.

Ende daer na opentlick met kennisse en toestemminge van *Gemeente* ende *Kerck*, die, naer gebruyck van die plaets, daer in te seggen hebben, de Beroepinge van een Tweede ware geschiet.

Ten laetsten oock in de beroepene *persoon* meerder vergenoegen wierde gevonden, dan sy te kennen geven.

Van welcke alle saken, dewyl de Eerw. Classis beter kennisse kan ende sal hebben, dan wy, is het, dat wy aen hare wysheyt de sake bevelen, om se, soo mogeliek, te rectificeren, ende verbeteren.

Actum in onse Vergaderinge, den 19. Maert 1659.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XIII.

Anno 1659. *d.* 30. *Aprilis.*

IN Conventu Facultatis D D. N. N. & V. V. delegati à Classe Bredana, ejus jussu & nomine quæsiverunt, an studiosus Theol. qui adfuerat vespertino alicui congressui, quo alius fuerat interemtus, & à Magistratu condemnatus mulcta ducentorum florenorum, commodè & absque scandalo posset promoveri ad Examen, & porro ad Ministerium? Censuit facultas prudentius supersederi, & dictum Juvenem ad aliud vitæ genus sectandum commoneri.

XIV.

Anno 1659. *den* 29. *Octob.*

OVer een seecker Casus voorgevallen tot .... tusschen N.N. en G.G. van welcke de Man sich verlopen hebbende in Overspel met sijn Dienstmaeght F. F. ende de sake tusschen hem en sijn Vrouw afgemaeckt: is daer na tusschen beyde groote onlust gevallen, soo over huys-twist, als dat van beyder-zijds groote occasie gegeven is van vermoeden, dat de Man in Overspel continueerde met de Dienstmaeght voornoemt, en de Vrouw met haer Knecht W. W. haer verliep. Waer over de saeck eyndelick tot sulck een verloop is gekomen, dat, niet tegenstaende alle devoiren tot reconciliatie aengewent, sy beyde van malckanderen zijn gescheyden; ende de Vrouw nu versoeckt een totale Echtscheydinge van haer Man. Waer op de Man door publijcke citatie ingedaeght zijnde; en niet comparerende en daer over gecontumaceert, dit versoek van de Vrouw dies te ernstelicker wert vervolgt.

Quæritur.

I. Of tusschen dese E. luyden een meerder scheydinge soude konnen plaets grijpen, als nu is, zijnde gescheyden van Tafel en Bedde? dan of een totale scheydinge haer sou toegelaten moeten worden?

II. Soo een totale scheydinge geconsenteert soude moeten werden, of dan dese Vrouw vryheyt soude moeten hebben, gelijck sy daerom aenhoudt, om te mogen trouwen met haren knecht W. W. waer uyt eerst dit misnoegen is gesproten?

GEsien 't Verhael ende de twee Casus positien aengaende de ongenoechten voorgevallen tusschen de twee persoonen hier boven genaemt, en alles rijpelick overwogen:

Hebben de Professores Theologiæ in de Universiteyt tot Leyden, des van den E. Kercken-raet tot .... versocht zijnde, geoordeelt als volgt: Dat voorbygaende den eersten mis-

val van N. N. voornoemt (die hier niet en kan in consideratie komen, om dat de beledigde persoon, die haren man heeft ten besten gehouden en vergeven) het ons toeschijnt, als of na de versoeninge van partyen, beyde Man en Vrouw haer in den Echt hadden verlopen. Want of men schoon haer van begaen Overspel niet en soude konnen evidentelick overtuygen; dat nochtans die ergerlicke en verboden conversatie van de Vrouw met haer Knecht W. W. en het schryven van den Man aen syne gewesene Dienstmaegt F. F. in 't welcke hy haer onder anderen noemt syne toekomende Huysvrouw, meer dan al te groote suspicie geeft van onder haer gepleegde oneer.

Derhalven wy voor 't beste aensien, datmen noch eens trachte die gescheydene partyen, soo 't mogelick is, te versoenen, en by malkanderen te brengen: of soo dat niet en soude willen succederen, en het enckelick op een totale echtscheydinge beyder zijds soude aengesien zijn, dat in dien gevalle de E. Kercken-raet wel sal doen, en sich daer buyten houden, ende de Overigheyt daer mede laten begaen, om geen gemeynschap te hebben met sulck een vuyle daet. En of 't gebeurde, dat op 't aenhouden van de Vrouwe, en in aensien van de contumacie van den Man, die verscheydenmael ingeroepen zijnde, weygerigh blijft te compareren, de Overigheyt het houwelick quam te dissolveren: Dat in dien gevalle nochtans geene van beyde partyen mach toegelaten worden sich met die verdachte personen in echt te begeven: sulcx dat noch den Man met syne gewesene Dienstmaegt, nochte de Vrouw met haren knecht, sal geoorlost wesen te trouwen. En dat van wegen de sware suspicien van Overspel, staende houwelick, beyder zijds met degesuspecteerde personen gepleegt. Te meer, dewyle het schijnt, als of beyde Personen sich soo onversoenlick aenstellen, om, van malkanderen gescheyden zijnde, elck met de syne te mogen een nieuw houwelick aengaen. 't Welck om 't quaet exempel en 't groot scandael, 't welck hier door soude gegeven worden, door alle mogelicke middelen dient voorgekomen en belet te worden.

Aldus gedaen binnen Leyden 29. Octob. 1659.

Abrahamus Heidanus
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck

XV.

Medium Irenicum, quod Serenissimæ ac Celsissimæ Dominæ Principis *Annæ Coligniæ*, Serenissimi & Celsissimi Principis *Georgii* Ducis Wittembergii & Teccii, Comitis Montisbelligardensis &c. Conjugis dilectissimæ nomine, à *Johanne Mellet* Celsitudini suæ à concionibus Sacris, simulque Ecclesiæ Reformatæ *Santmarianæ Alsaticæ* Pastore primario; *Euangelicis Reformatis* præsertim proponitur.

SI colloquii desiderati incertum eventum & [illegible] ex actis præsumant omnes pie Docti Theologi, non male factum putamus si alia quæpiam eaque commoda tentetur via, quod enim uno modo & medio difficile, illud ipsum alio modo aut medio facile aut saltem minus difficile esse poterit. Admodum mala & periculosa esse hæc tempora nemo non videt. Quo autem pejora & periculosiora, eo magis ad [illegible] sive potius [illegible], h. e. necessitate obsessa ac arctata consilia confugiendum, inter hæc sanè eminere videtur *mutua eaque mansueta ac prudens inter Euangelicos communicatio Controversiarum, Sententiarum, status, momentorum per scripta, eaque vero non privata, quæ semper fere aliquid vel labis vel apud cæteros non probati secum vehunt, sed publica, h. e. ab omnibus, quarum interest, Ecclesiis (aut eorum deputatis) profecta, visa, ac probata, quorum nihil quidquam, antequam utraque pars consenserit, typis exprimendum, mittendumve in publicum &c. possent autem in utraque Euangelicorum parte, auctoritate supremorum Magistratuum, piorum ac Eruditorum congruis suffragiis, in quolibet loco docti iique pacifici ac idonei Theologi eligi, ac solemni juramento certis & arctis conditionibus necessariis ordinatissimè constitui, qui tali communicationi incumberent, & penes quos secundum Dei Verbum, & Confessiones Ecclesiarum probatissimas de omnibus articulis controversis pie & fideliter decidendi plena potestas esset &c. Sic tamen quælibet Regio haberet suos delectos & constitutos Theologos Irenicos, ut omnes interim cujuscunque loci unam harmonicam propositionem, confirmationem & responsionem via aliqua idonea ac ordine certo constituerent ac componerent; eamque Celsissimæ Dominæ nostræ Principis Irenicæ (aut electis ad hoc juratisque Theologis, ac Politicis quibusdam, qui functum Notarios & Referendarios agerent) alteri Euangelicorum parti communicandam tradere tenerentur &c.* At, inquiat quis, via hæc dispendiosa! Imo vero compendiosissima. 1. Proponeret enim quivis ac responderet (a) in Musæo inter MSS. sua, libros necessarios & scrinia sibi ad manus habens (b) absque affectu (c) prævio rei exactissimo examine, imo & adhibita cum aliis, non electis, continua (si opus) consultatione. (d) & sic congrua ac debita cum accuratione diceretur, quod diceretur, semel, citra Sophismata, extra omnem quam vocant retractationem, litera namque scripta manet, imo obsignari singuli paragraphi possent &c. 2. Non solum certitudini consuleretur ac evidentiæ, sed & tempori parceretur ac sumptibus. 3. Occurreretur liticulis quam plurimis, pavoribus, metui circa titulos, locum, prærogativam, aliaque hujus generis. 4. Serenissimi ac Celsissimi Domini Electoris Palatini, ardens hoc in negocio studium, auctoritas, sumptus (qui tamen ubi ita procederemus, respectu alias requisitorum per quam essent exigui) mirum quantum & quidem ultrò nos ex parte juvarent. 5. Hoc pacto omnes in universum Theologi & cordati viri, ut ut à se invicem maximis locorum intervallis dissiti, manus ad hoc sanctum opus, facili negotio, optimè conjungerent. Et tandem si actio & communicatio hæc interrumperetur, foret absque summuum dispendio nec tanto scandalo, quanto in Synodo & Colloquio, postetque post aliquod temporis spatium ac intervallum resumi & pergi inde ubi desitum esset &c. Hanc viam priori (colloquio) longè certiorem, personarum, rerum, temporum & locorum statui accommodatissimam, adeoque valde [illegible] approbat Celsissima Princeps, quin & vicinis quibusdam, magni nominis, Lutheranis Theologis & Politicis non postremis, qui eam ex ejus dignitate, non ex incipientis & proponentis personæ tenuitate pensarunt, gratissimam esse scio, quod & ipsum, literis mihi transmissis & variis collocutionibus cum fructu habitis, comprobatum habeo. Et sanè inter absentes, scripto nonnunquam facilius (ubi intermedius idoneus dari nequit) quam inter præsentes, alloquio & colloquio, reconciliatio fieri potest; si rectè attendamus, hominum ingenia ita comparata sunt, ut plurimum ex præconceptis sumant, multa ex inveterato per dissidium odio, unde verba ubi coram agitur sæpissimè verbis pensantur quidquid de momentis fiat, invitat viva vox, & musti instar, ob frontis comparationem, oculorum torsionem, inflationem uniculæ buccellæ fervet, qui motus gestusve in Johanne pomeridiano sæpè conspiciuntur, cum ab antemeridiano abessent quam longissimè, hæret postmodum ejusmodi offensio & Paulo & Barnabæ ac manet alta mente reposta. hinc jurgia, murmura, σχίσματα, id quod tentamenta à multis retro annis, proh dolor! satis luculente demonstrant; Tali vero Scriptorum communicatione longè secus res se haberet. Interim hæc omnia Spiritui sancto aliorumque pio, dextro ac subacto judicio examinanda subjiciuntur, quapropter animitus desiderat Celsitudo Sua ut ea omnibus Academiis, Ecclesiis & Scholis nostris præcipuis communicentur, simulque salutare consilium ab ipsis expetatur, *An nimirum ad unionem hanc Euangelicam congruè curandam & procurandam, talis communicatio per scripta, idonea foret? Et si sit idonea, quomodo ea rectè constituenda? Quid in prædicto modo desiderandum, mutandumve sit? aut quæ* [illegible] *præmittenda, adhibenda, & quæ similia?* Rogantur itaque, per Sanctam fidelium communionem, nostramque in Christum congregationem, omnes & singuli fratres in Domino honorandi, Symmistæ in Euangelio fidelissimi, cæterique docti ac cordati viri, veritatis Euangelicæ Doctores ac Professores, ad quos hæc pervenient, Ipsius præfatæ Illustrissimæ Heroïnæ Principis nomine, ut consiliis suis sanctis & Irenicis fraternè nobis adesse, mentemque suam in hæc omnia nobis aperire non graventur, ut quid velit Deus pacis ad suam gloriam, suæque tantopere afflictæ ac laceræ Ecclesiæ bonum à nobis fieri eo melius scire possimus. Quod si hanc viam amplecterentur Ecclesiæ nostræ, Wittembergicis, cæteris dein Lutheranis, eam offerret Celsitudo sua. Sed manum de tabula, Deum T. O. M. supplicibus votis veneramur ut tandem aliquando utrinque nos ad mutuam, in toto veræ Religionis negotio, concordiam Spiritu suo sancto efficaciter impellat atque adunet, quo exterminatis omnibus schismatis, contentionibus, odiis, pravisque affectibus, pariter credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios, sicut nobis præcipit, &, cum Apostolo, det nobis Deus tolerantiæ & consolationis ut itidem alii in alios affecti simus secundum Christum ut concorditer uno ore glorificemus Deum ac patrem Domini nostri Jesu Christi, Amen.

Curabitur maxime in tanto negotio

ne quid { præcipitetur,
negligatur.

Reverendo

Reverendo & Doctissimo Viro D. Johanni Mellet, *Serenissimæ & Celsissimæ Principi Annæ Colligniæ, Serenissimi & Celsissimi Principis D. Georgii Ducis Wirtembergensis &c. Conjugi à sacris Concionibus, & Ecclesiæ Reformatæ Santmarianæ Alsaticæ Pastori, domino honorando.*

Vir Reverende & Doctissime,

CUm cura expendimus medium & modum conciliandæ pacis inter Euangelicos à T. R. propositum. Et nobis quidem jucundum esset, si tandem eo pervenire possemus, ut idem in Domino omnes sentiamus & loquamur, quocunque id medio fiat. Sed in eo modo, qui propositus nobis est, videmur animadvertisse, quædam pro utilibus poni, quæ quomodo fieri possint, non perspicimus. Quomodo enim & à quibus deputabuntur in omnibus locis Theologi? Et quis dabit deputatis αὐτοκρατείαν & potestatem præscribendi aliis legem sentiendi & loquendi? Deinde nobis videtur supervacuum, ut ex parte nostra conveniant aut inter se communicent Theologi, qui aliquid Lutheranis offerant, quod ipsis sit ad gustum. Nam 1. Confessiones nostræ sunt in propatulo. 2. nostræ partis homines Irenica scripta multa & Admonitiones emiserunt; quibus quid melius facere niti fortasse fuerit arrogantis. 3. nostræ Ecclesiæ jam declararunt, se putare Lutheranos tantum veritatis in Confessionibus profiteri, ut, si ab eo non recedant, idque seriò teneant, eos pro fratribus libenter sint agnituræ, paratæ etiam ipsis condonare defectus & sermones offendentes; dum se rectè explicent, & nos non cogant similia dicere. atque optimi quivis inter nos modestè de illis loquuntur, neque imputant illis errores, quos ipsi à se removent. etiamsi inter argumentandum urgeant consequentias hallucinationum. 4. Quin etiam in Civitatibus Hollandiæ conceditur Lutheranis suus cœtus, ac cum Cives inter se agunt pacificè, tum ipsi Doctores (nisi qui turbulenti sint) se invicem honorant. Atqui in Lutheranorum parte est id, quod amovendum est, ut simus invicem propiores. Illorum plurimi negant, se nos pro fratribus agnoscere posse, ideoque nec cœtus nostros congregari apud se patiuntur. Illos erat æquum vel clementius agere; vel nos docere, quid tandem desiderent, aut saltem ostendere, se ad pacem inclinare, magis quam hactenus. Quod si putant illi, se jam satis ostendisse, quare nos pro fratribus habere non possint, & in eo judicio perseverant, & principes iis permittunt inclementer nos nostrosque tractare: videat R. T. quid ex nostra parte possit fieri, quo nos non oderint illi, quorum interest, ut merito nos odisse videantur. nisi ut in veritate explicanda & defendenda & modestè monendis deviantibus persistamus, in singulis autem locis, prout dabitur modestorum, Deum timentium & pacis cupidorum virorum copia, ita τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν faciamus manifestum & pacem cum ipsis colere studeamus. Nobis autem videtur, negocium hoc commodiorem ἀφορμὴν habiturum non esse, quam si Principes Lutheranæ partis efficiant, ut nostræ partis Principes & Magistratus possint de bono eventu spem aliquam concipere, & imprimis, injungant, ut ab immodestis debacchationibus desistant. Hæc sunt, quæ, omnibus diu expensis, nobis in mentem venerunt super hoc negocio. qui interim parati sumus, pro omni occasione, quam Deus dederit, ad pacem serio incumbere, ita tamen ut nec magistros alios admittamus, præter Christum in Scriptura loquentem; nec veritatem, quam ex ea didicimus, in hominum gratiam missam faciamus, & in fratribus, quod deest, supplere, quod à norma abhorret, corrigere semper studeamus. Neque enim oportet accipere faciem in doctrina. Porro T. R. & conatus tuos sanctos divinæ gratiæ commendamus.

Lugduni d. --- Januar. 1661.

T. R. Studiosissimi

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XVI.

Aen de Edele en Mogende Heeren, de Heeren Gecommitteerde Raden van Hollandt ende West-Vrieslandt.

Edele ende Mogende Heeren,

WY hebben niet nagelaten, soo haest als mogelick geweest is, achtervolgende het versoeck van U E. M. te examineren de Nieuwe Hooghduytsche Oversettinge van het Nieuwe Testament, ende de ingredienten van dien, in de daerby gevoegde Memorie aengemerckt. Wy hebben uyt de Prefatie bevonden, dat den Autheur gaet op het fondament van de Socinianen, datter in Religions saken niets noodich is, als dat met onwedersprokene Texten kan bewesen worden. Daer uyt volgt, dat, soo yemandt sich verstouten darf, de Schrifture te verdraeyen (gelijck Petrus seght, datter van ongeleerde ende onvaste menschen geschiet, 2. Pet. 3:16.) als dan niet noodich zy, sich daerom te bekommeren, ende een yeder vry moet staen daer van te seggen ende te leeren, wat hem goet dunckt. ende mercken de arme luyden niet, dat op sulck een wijse de Joden niet konnen door het Oude Testament tot de kennisse Christi bekeert werden, want het ontbreeckt de selve niet aen verdraeyingen, sophisticatien en contradictien. Op sulck eene wijse was het onnoodich sich te wachten voor den Geest des Antichrists ofte voor schadelicke dwalingen; daer voor wy doch soo getrouwelick gewaerschouwt worden; ja op die maniere souden alle, die het Nieuwe Testament niet verwerpen, konnen geseyt worden eens te zijn ende eenderley te spreken, alhoewel sy van Christo ende sijne gerechtigheyt gantsch contrarie dingen spreken ende leeren, ende oock sulcke dingen, die noch met de eere Godts noch met het ware salichmakende geloove ende de liefde Godts overeen komen. Wy gaen verby dat hy p. 13. alle vermijdinge ende niet opneminge der gener, die een andere leere voeren ende voortsetten, noemt *gewissens Zwang*, dwinginge der Conscientie. Wat de oversettinge aengaet, wy bevinden, dat die ten grooten deele genomen is uyt eene andere Hooghduytsche Oversettinge, de welcke A. 1630. is gedruckt met de welbekende Letter van Paulus Sternatski, Racawschen Drucker. alleene heeft desen nieuwen Oversetter altemets yets verandert, de woorden op den margine gestelt, in den Text gebracht, oock meer passagien op den randt gestelt. alles tot faveur van de Sociniaensche opinien, omme den Text de selve te doen uytspreken. Ende sulcks blijckt genoech uyt de plaetsen, de welcke in de overgesonden Memorie aengemerckt werden. als Joh. 1:1. *und die Rede war ein Gott.* daer hy doch hadde moeten den Text laten in sijne volkomene beduydenisse, ende setten, *Und Gott war die Rede*, ofte, *das Wort.* Dat hy daer by brengt Marc. 1:1. is openbaer uyt Socini kraem genomen, ende een openbare valsche uytlegginge. Also ꝟs 3. *Alle dinge geschahen durch si*, is een verkrachtinge van de woorden, de welcke een brederen en grooteren verstand hebben, ende behoorden alsoo getranslateert te werden: *Alle ding sind durch dasselbe (Wort) entstanden oder geworden.* Want daer moeten alle dingen, die een begin gehadt hebben, ende door de Almachtige kracht Godts ten voorschijn gebracht zijn, mede verstaen werden. Joh. 3:13. kan ὁ ὢν niet overgeset werden anders, als, *der im himmel ist.* Actor. 20:28. toont hy ende de andere Versie sich verlegen met het woort *ἰδίῳ αἵματι, proprio sanguine*, het welcke op Duyts niet anders kan luyden, als, *sijn eygen bloet.* Rom. 1:4. is qualick overgeset. *Verordenet ist.* Het woort ὁρισθέντος beduyt eene klare ende bepaelde tooninge ende aenwijsinge, dat hy, Jesus, is eygentlick, alleene, de Sone Godts. Alsoo wert dit selve woort verduystert Actor. 17:31. De plaetse Rom. 9:5. heeft die Racawsche Versio soo stoutelick niet dorven bederven. de welcke aldus leest. *Welcher sind die Vater, und ausz welchen ist Christus, was das fleisch belanget, welcher ist uber alle ein Gott gelobet in ewigkeit.* Sy doet by het woort *Gott* het *ein*: dat heeft desen niet derven onderstaen. Dat 1. Joh. 5:7. andere letteren geset zijn, daer van geeft de Racawsche Voorreden bescheyt. De eigentlicke reden is, dewijle sy den Text soecken verdachtigh te maken, daerin sich stellende in de plaetse van die, de welcke in ouden tijden hebben gesocht dien selvigen uyt te schrappen ende wech te nemen. Doch dat de Memorie t'onvreden is over het woort *eins*, komt voort uyt de wankonde van de Hooghduytsche tale. *ist ein* luyt in 't Hooghduytsch, *sind eins.* Soo leest het oock Lutheri Versio tot Herborn gedruckt, ende Piscatoris, *sind eins.* 1. Johann. 5:20. is wel aengemerckt, dat daer voordachtelick ingeslopt is *Warhafftige.* daer door de sin verduystert ende de reden belagchelick gemaeckt wert. De Racawsche oversettinge

is hier noch getrouwer. *Diß ist der Warhafftige Gott.* Doch dewyle den Auteur het woort *Warhafftige* met andere letteren heeft laten setten, kan de Leser hier in niet bedrogen, maer wel irre gemaeckt werden. Wy hebben hier ende daer in dese oversettinge gesien, dat het wit ende ooghmerck daer van is, Christi Godtheyt ende voldoeninge ende den salichmakenden gelove te verduysteren, ende desen in menschen wijsheyt te veranderen. Joh. 8: 58. settet hy, *Ehr dan Abraham wird, ich bin*, in plaetse van, *Ehr dan Abraham war, bin ich.* daer doch geene nootsakelickheyt is γενέσθαι te vertalen *wird*; ende de woorden de andere uytlegginge stracx te kennen geven 1. Tim. 3: 16. heeft hy liever willen volgen de verminckte editie ende de Latijnsche versie, *Welches* settende voor *Gott.* Hy brengt by de Annotatie van Curcellæus, dat in een oud boeck soude gelesen werden ὃ. het welcke tot noch toe niemant getuyght heeft, onses wetens. Hugo Grotius heeft niet geweten, datter eenich Griecx exemplaer soude hebben, ὃ voor ὅς. maer hy maeckt gissinge, dat 't soo moet gewesen zijn: daer 't doch wel zijn kan, dat het woort ὅς uytgeschrapt zijnde, het woort μυστήριον van den Latino is gebracht tot *mysterium*, van de Syrische ende Arabische versie tot *Deus* staende in het voorgaende. gelijck als de sake selfs vereyscht. Doch alleen de oversettinge van 't Begin des Euangelii Johannis betuyght, dat de Man hem heeft voorgenomen gehadt de Godtheyt Christi te verlochenen. Niemant kan dien Text alsoo te niete maken, als die dit in 't sin heeft. Sulcke verdraeyinge heeft Lælius Socinus na soo veele eeuwen eerst bedacht. Die parallelen of getuygenissen op den rand geset, konnen niet onverdachtich zijn, daer men sulck een voornemen merckt. Doch men bevint hier eene groote listigheyt. Den Autheur spreeckt van de Gereformeerden in sijne Voor-rede als t'onrechte bedrang lijdende: Het werck is tot Amsterdam gedruckt, ende voert den name des Druckers aen 't voorhooft. Dit alles, om de luyden te doen geloven, dat dit eene van de Gereformeerde geapprobeerde Oversettinge ende Uytlegginge zy. Wy hebben en wegens de kortheyt des tijts niet konnen, ende oock niet noodich geacht het werck nader te ondersoecken. En vertrouwen, dat U E. M. als Godts eere ende Kercke beminnende ende gantsch niet genegen ofgewent de saligheyt der Ondersaten te verwaarloosen, niet sullen gedogen, dat men tot blame van dit Landt ende Kercken, alsoo vryelick moge de Heylige Schriftuyre vervalschen ende bederven: ende bidden den Almachtigen, dat hy met sijn Koningrijcke genadig wille by ons blijven, ende U Ed. Mog. in allen dingen voorspoedig maken ende segenen.

Leyden den 22. Febr. 1661.

U Ed. Mog.

Onderdanige Dienaers

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XVII.

Casus Positie.

A. Ambachts Heer van C. hebbende aengegaen seecker Contract met B. Ambachts Heer van K. welcke gelegenheyt hadde om te beletten dat by de Heeren Staten van Hollandt en West-Vrieslandt, aen A. niet en soude werden geconsenteert het *stipendium* voor een Predikant, in syne Heerlickheyt, en het timmeren van een Kerck of Predickhuys aldaer, geconsidereert onder anderen, dat d' ingesetenen van C. onder de Heerlickheyt van K. van oudts altijt hadden geparochieert; heeft om het voorschreven te obtineren, goet gevonden met B. aen te gaen seecker Contract, in 't welck A. specialick intervenierende, ende hem sterck makende voor aenstaende Kerckenraet van C. op een groote pene jegens B. te verbeuren, onder anderen convenieert en accident, dat, soo wanneer by Hooggemelte Heeren Staten aen A. soude werden toegestaen het voorgeseyde *Stipendium* voor een Predikant in syne Heerlickheyt, en het timmeren van een Kerck of Predickhuys aldaer, precys alle ses Maenden aen een van de Diaconen van de Heerlickheyt K. ofte yemandt anders by B. daer toe te committeren, soude werden ter handt gestelt, de helft van de Collecte die in de Kercke van C. soude werden ontfangen, en dat B. voorts een Persoon uyt de Heerlickheyt K. die het hem goet dunckt soude vermogen te committeren en authoriseren, om jaerlijx te staen over het opnemen van de rekeningh, van de Collecte in de Kercke van C. Wert gevraegt, of het oock in eenigen deelen met Godts Woordt strijdig is, en niet veel eerder met de redelickheyt overeen komt; dat A. (hebbende sonder eenige belastinge van syne ingesetenen een Predick en Predikants huys doen timmeren, en sonder der selver koste, ofte moeyte; oock het consent tot al 't gunt voorschreven is, en tot het beroepen van een Predikant van de Heeren Staten van Hollandt ende West-Vrieslandt, hebbende verkregen) van het gemelte accoort met B. aengegaen by de Kercken-raet, en Gemeynte C. werde ontheft, in dier voegen, dat de helft van de aelmoessen welcke in de Kercke of Predickhuys tot C. werden gecollecteert aen een Diacon van K. ofte aen yemant anders by B. daer toe te committeren effectivelick alle half jaren werden behandigt, en dat A. nochte de sijne om de voldoeninge van de voornoemde Collecte nu, ofte ten eeuwigen dagen, oyt en werden gemaent, ofte gemoeyt.

WY ondergeschreven Professores Theologiæ, in de Academie tot Leyden, hebbende gesien de bovengeschreven Casus Positie, en daer op gedane Vrage, achten, nochte met Gods Woordt te strijden, nochte onredelick te zijn, maer met reden en billickheyt wel overeen te komen, dat A. van het opgemelde Accoort met B. aengegaen, by de Kercken-raet en Gemeynte tot C. worde onthest. Dewyl ten besten van Kerck en Gemeynte tot C. sulck accoord by A. is aengegaen: en het onredelick is, dat die het genot treckt van een sake, oock de belastinge, sonder welcke die niet wesen soude, drage.

Ende, dat wel meer geschiet; niet alleen dat de armen van een plaets, die van een andere te hulp komen; maer oock by accoorde daer toe wel verplicht worden, bysonderlick in het eerste scheyden van Kerck en Plaetse.

Daer by komt, dat andersints K. sich mocht beklagen van het missen der aelmoessen, die sy van hare oude Parochianen, nu tot C. te Kercke gaende, plachten te trecken, soo wel als dese schijnen misnoegen te hebben, dat een gedeelte van hare aelmoessen gaet tot K. en alsoo K. geene vergoedinge siende van hare schade, hadde kunnen het gantsche werck van Kerck en alle gevolg van dien achterwegen hebben gebleven, welck nu vermiddels dese erkentenisse is verkregen, is het vry een meerder goet 't genieten met sulcke belastinge, dan sonder die, het een en het ander te moeten derven.

Het is in Godts Woort gegront, in sake van aelmoessen gelijckheyt te behouden, *niet op dat anderen soude verlichting wesen, u verdruckinge; maer uyt gelijckheyt, uwe overvloet in desen tijdt, om haer gebreck: op dat oock en hare overvloet ware om u gebreck, op datter ware gelijckheyt.* 2. Cor. 8: 13. 14. Soo gelijck K. nu uyt haer overvloet vervult heeft het gebreck van C. tot een Kerck, dat wederom C. niet en soecke met hare volheyt de schade en verminderinge van K. in de aelmoessen, maer de een in 't een, de ander in 't ander des anderen gelegentheyt te gemoet kome, op datter gelijckheyt zy.

Ende wederzijds, dit zijnde Kerckelicke affairen, is niet onbetamelick, dat by de Kercke het werck gedaen en gedragen worde.

Om nu voorby te gaen de goede devoiren van A. tot verkrijginge van Kerck en Predikant, met het gene daer toe behoort, buyten kosten en moeyten van sijne ingesetenen tot C. die, gelijck hy soo goet vertrouwen heeft gehadt op de goede wille en redelickheyt van sijne ingesetenen, om dat accoort t'haren besten ingegaen, t'sijner tijdt te voldoen en te onthessen, niet wel dient by haer in sijne goede meninge, en soo heylsame saeck, gefrustreert ofte geabuseert te werden. Konnende de ingesetenen C. haer altijdt genoeg verantwoorden voor hare Armen, en aen de nakomelingen, met de nootsakelickheyt, die'er geweest is van sulck een Contract in te gaen, en de groote vruchten van de Kerck, die daer op voor armen, voor nakomelingen, voor yder een zijn gevolgt.

Ten ware op eenigh ander middel, ofte nader accoort met B. de saeck beter gevonden, en met meerder contentement mocht afgedaen werden.

Aldus gedaen in onse Vergaderinge binnen Leyden den 19. Januarij 1662.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XVIII. Die

XVIII.

DJe Professores der Heiligen Schrifft in der Academie zu Leyden / voor ab vast stellende / daß der Casus in warheit sich alsoo verhalte / wie obig genarriert ist / können dergleichen thun und verfahren an Predigern gantz und gar nicht billichen / dan es gezimmt sich nicht / daß ein Prediger die Vorsteher der Gemeine / oder die Magistraten offentlich beschäme / überhole / schmehe / verdächtich und verhasset mache / sonderlich die mit nahmen nennend / im gleichen daß die Prediger in Consistorio herschen / oder ihren dienst ohne noht versaumen / vielweniger daß ihnen von der Gemeyne zu ihrer wohnung und gebrauch anvertrawet ist / schmeleren und davon etwas alieniren / oder auff ihr eigenes gut wegführen. Demnach / weilen denen Kirchen / die mitten unter dem feinden der Göttlichen warheit wohnen / zum höchsten nötig ist / daß sie in eintracht leben / und der eine dem anderen mit aller freundligheit begegne / auch unterweilen etwas zu gut halte / und sich vergnüge / damit / daß der / welcher sich vergriffen / seine schuld bekenne / und sein thun verbessere / So können die gedachte Professores nicht umbgehen zu rahten / daß der beschuldigte Prediger nicht zwar also bald von seinem dienst gesuspendiert werde / sondern vorerst beide / darüber man sich beschwäret / von ansehnlichen leuten / sonderlich à Classe / vermahnet werden / von dem unbillichen und ärgerlichen thun abzustehen / und ihren fehler zu erkennen / Verhoffens / daß sie solcher Christlichen vermahnung werden statt geben / Sonsten sehen die Professores nicht wie die Gemeyne könne erbawet werden / oder bestehen / wan man halstarrich in dergleichen thun fortgehet / und Magistraten / und Vorsteher der Gemeine und Prediger wieder einander sein / es wehre in solchen fall zu wünschen / daß solche Prediger viel lieber selbst solchen ort / da ihrenthalben unruhe ist / verliessen. Die Professores bitten Gott / daß er den beruhrten Gemeinden gebe einen sin / liebe / gedult und langmühtigkeit / damit ein jeder nicht suche / was sein ist / und seine eigene hochheit / sondern / daß zu gemeiner erbawung und zu der gemühter verknüpfung mach gedeyen.

Geben Leyden den 12. Januarij 1664.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

Viri Reverendi, fratres in Christo dilecti.

QUid à nobis petant quidam vestri loci, ex adjecto exemplo vobis in promtu erit cognoscere. Nos, quum non possemus non respondere ad petitionem hanc, moniti à fide dignis rem non pati moram, judicavimus necessarium esse eadem opera ad vos dare literas, quibus testaremur, quantopere nobis doleat, tales querelas de Ecclesiæ Doctoribus audire. Sive autem veri quid habeant eæ querelæ, sive falsæ sint, planum est, Ecclesiam vestram inquietari & non bono loco esse. Si tamen veræ sint eæ querimoniæ, oramus vos, per Jesum Christum Dominum, fratres dilecti, ut cogitetis, quam parum vos deceant ea, quæ de vobis narrantur. An enim licet Doctori Ecclesiæ Seniores contemnere; iis inconsultis quicquam agere, negare custodiam commentariorum & sigilli, in iis dominari & omnia pro libitu facere, collectas instituere ante fores Templi inconsulto Synedrio, à S. Cœna arcere quempiam pro arbitrio, omittere ministerium docendi sine sontica causa, rixari cum Senioribus, eis publicè convicium dicere, res publici juris sibi concreditas diminuere, Consules nominatim coram plebe proscindere & in invidiam atque odium adducere, in periculum conjicere, & omnino in eo loco, ubi nihil nisi verbum Dei audiri debet, effreni & impotenti loquacitati indulgere? Quid possent facere hostes, si personam fratrum suscepissent, aptius ad Ecclesiam turbandam & dissipandam? Quod jucundius spectaculum Papistis, Jesuitis nominatim, exhiberi potest? Quomodo hæc cum charitate Christiana, amore gregis concrediti, modestia, timore Dei, reverentia, quæ debetur consenioribus, honore, qui debetur magistratibus, gravitate denique & decore Doctoris Ecclesiæ conveniunt? Quod cum manifestum sit, monitos vos volumus & rogatos, si quid veri subest, ut, quemadmodum decet sinceros Christi discipulos, id quantocyus emendetis; si vero res aliter se habet, cum omni lenitate & modestia palam faciatis, vos innocentes esse; & tum Classi, tum Magistratui, tum Senioribus plenissime satisfaciatis. Id nos impetraturos à vobis propter pulcherrimum illud nomen Domini Jesu Christi, quod una invocamus, confidimus; ceterum, ut vos moneremus, charitas fraterna à nobis exigebat. quod vestrum erit in eam partem accipere. Deum autem rogamus, ut Satanam, qui Ecclesias vestras studet lacerare, compescat, & vobis det ea sentire quæ & Christus sensit, qui non venit, ut dominaretur, & ut sibi serviretur, sed ut animam suam poneret pro ovibus. Valete, fratres in Christo dilecti.
Lugd. a. d. 12. Januarij 1664.

RR. VV.
Studiosissimi

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XIX.

Quæsitum.

OF een Persoon by een Dienaer des Goddelicken Woorts geexamineert ende gevraegt zijnde, ende Professie ende Belijdenisse van de ware Christelicke Gereformeerde Religie gedaen hebbende, van dien tijdt af behoort voor een lidtmaet der Kercke Christi gehouden ende erkent te werden, ofte niet?

DE ondergeschrevene Professores der H. Theologie in de Academie tot Leyden antwoorden op de voorgestelde Vrage, dat sulck een persoon met broederlicke liefde van alle Lidtmaten, van sulcke Belijdenisse kennisse krijgende, als Lidtmaet moet en behoort aengenomen, ende tot het H. Avontmael toegelaten, oock met onderlinge vermaninge gebouwt en gebetert te werden.
Actum Leyden den 8. Febr. 1664.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XX.

Plurimum Reverendo & Clarissimo Viro D. Johanni Jacobo Huldrico *Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti Dignissimo, Domino & Amico observando.*

Plurimum Reverende & Clarissime Vir, Domine honorande.

NOn sumus ii, qui nos rebus immisceamus alienis: maximè iis, quæ à magistratibus geruntur: quibus sui facti ratio debet constare. Tamen nec alienas putamus à nobis, quæ pertinent ad nomen & bonum Ecclesiæ reformatæ, aut etiam eorum, quos spes est aliquando ei adjunctum iri. Vivunt apud nos multi Mennonis discipuli, qui habentur boni cives, & gratiam Christi agnoscentes ac tuentes Socinianis; qui se ipsis admiscent, fortiter resistunt: ex quibus etiam identidem quidam ad nos transeunt; alii propter quædam, in quibus ipsis non videmur satisfacere, adhuc non accedunt, qui id etiam infirmioribus se debere putant. Ex iis aliqui jam pridem aliquibus significarunt, in Helvetia suæ fidei socios gravius haberi, petentes ut pro iis intercederemus: & Celsissimorum Ordinum intercessioni nostram adjungeremus. Nos vero id facere hactenus non ausi sumus vel propterea, quod Celsissimorum Ordinum scriptum sufficere putabamus: vel quia existimabamus, esse causas idoneas, propter quas id fieret, nobis incognitas. Nunc vero iidem nobis narrant, apud Illustrissimos Bernates intercessionem D D. Ordinum & privatam alicujus ex nobis valuisse: attamen in Illustrissima Civitate Tigurina necdum rem eundem habuisse exitum: sed designatos esse, qui de bonis, quibus ad tempus privati fuerunt Mennonis discipuli, suæ fidei consortes, dispiciant, &, an ea reddenda iis videantur, deliberent, deque ea re ad Illustrissimum Senatum Tigurinum referant. Qui id narrant, etiam nos orant, ut apud R. T. velimus interponere intercessionem nostram, & significemus,

 nobis

nobis videri interesse nominis & existimationis Reformatorum, ne à calumniatoribus eorum ulla specie probabilitatis proferri possit, quod redoleat coactionem ad suscipiendam fidem & professionem nostram; & cœtus nostros frequentandum. Nos quidem non ignoramus, quantopere optandum sit, ut in Civitate tantum una, & ea quidem vera, religio audiatur, & omnes λυμεῶνες procul arceri possint; neque suaserimus ulli Magistratui, ut eum, qui advenit, si afferat aliam doctrinam, sciens volensque recipiat; neque auctores fuimus Magistratibus nostris, ut cœtus, in quibus idololatria exercetur, impunè haberi permittant: attamen nec possumus improbare, quod in his locis nemini vim fieri videmus, ut ad nos accedat & eadem nobiscum loquatur, vel etiam bona eripi dissentientibus: sed videmus eos tolerari, qui longo tempore hic fuerunt & aliqua libertate usi sunt; ut Mennonis discipulos. Neque persuaderi possumus, utiliter suasisse quendam Ecclesiæ Doctorem, ut Donatistæ molestia afficerentur, ut experirentur, an sua sententia & inductio animi tanti ipsis esset, ut pro ea aliquid pati vellent. Quæ opinio quid effecerit in mundo, & quantam profusionem sanguinis & venationem fidelium pepererit, quis potest verbis explicare? Ii ipsi, qui errant, quando quid patiuntur, putant se martyres esse: qui vero cedunt ἀναγκασμῷ, quis præstabit eos esse fideles? Utinam, ait Apostolus, ἀποκόψονται & se abscindant, qui turbant vos! Tantum abest, ut optandum sit, eos ad nos accedere, qui nihil nisi turbas afferre possunt cum errore & hypocrisi. Nos admiramur Christi providentiam, qui, ut in Euangelio dixit, zizania tritico permixta colligit in fasces. Videmus enim, ex quo mysterium impietatis revelatum est, varios passim fasces colligi. Nec mirum est, eos, qui discedunt à Regno Antichristi, non statim per omnia idem sentire. Cæterum speramus aliquando & claudicantes congregatum iri. Mich. 4:6.7. Zoph. 3:19. Porro quod bona eorum, qui illicitis collegiis usi fuerint, attinet, moniti sumus à Jurisperitis, Marciani sententia, sodalibus licere pecunias communes partiri; quando ea collegia dissolvuntur. *ff. de Collegiis & Corporibus*, *l.* 2. quanto magis ipsis sua bona privata sarta tecta erunt? Sed nos confidimus, R. T. non iniquè laturam nostram hac de re interpellationem, &, pro sua prudentia & celebratissima nominis Reformati charitate, pro virili consulturam Reipublicæ moderatoribus, ut, etiamsi fortè justa sit bonis suis multandi hos homines, id tamen potius fiat, quod Reformatos ab omni suspicione absolvat; (ne videatur eorum consilium esse, cogere homines dicere, quod non sentiunt) quam illud, quod parum habebit virium ad lucrifaciendum errantes: saltem, si eos, qui, post ejuratum Papatum, & agnitam Christi gratiam, nondum propter singulares sententias accedunt ad se, ferre nolint, appareat, eorum doctrinam tantum vitari, alioqui communis charitatis lege amari. R. T. divinæ clementiæ ex animo commendamus.

Lugduni Batavorum a. d. 5. Aprilis 1664.

R. T. Studiosissimi

S. Theologiæ Professores

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XXI.

Of ymandt met de Weduwe van sijn stief-Vader mach trouwen?

OP de Vrage ons voorgestelt, of ymant met de Weduwe van sijn stiefvader mach trouwen? hebben wy ondergeschreven goedt gevonden te antwoorden, Dat sulck een huwelijck niet soude overeen komen met de eerbaerheyt: overmits twee in huwelijck een vleesch werden, ende daerom de selve eere moeten genieten van dien, die eere aen de eene van haer beyde schuldigh is. Nu is een stiefsoon schuldigh sijn stiefvader te eeren gelijck als sijne moeder, niet alleen by het leven van sijne moeder, maer oock daer na. Ende het is blijckelijck, dat een stiefsoon by sijn stiefvader behoort te leven als by sijne eygen Ouders, en de selve vrientschap van hem en sijne vrouwe te genieten, en de selve vryheyt van conversatie by hem te hebben. Daerom soude ongerijmt zijn, dat de vryheyt soude aenleydinge geven tot gedachten van huwelijck, ende de eere by leven des stiefvaders de Vrouwe aengedaen, soude na sijn doot komen te veranderen in subjectie; tot ontdeckinge der naecktheit toe. Ende hoewel dese Casus in Godts Woort niet uytgedruckt is, soo zijn nochtans de fundamenten daer toe geleyt. In de Wet Mosis is oock soo klaer niet tegengesproocken de Verlatinge van de eene Vrouw ende het trouwen met een andere, item de Bywooninge by meer Vrouwen. Nochtans heeft niet alleen Christus ons geleert, dat beyde niet over een quam met dat, dat Godt heeft ingestelt, maer oock de Propheet Malachias heeft dese dingen bestraft, als onrecht ende verbreeckinge van den bondt Godts tusschen den man ende sijne eerste vrouw. Moeten derhalven de reden ende eerbaerheyt plaetse geven, omme niet daer tegen te doen. In sulck gevoelen zijn selfs de Heydenen geweest. Gelijck Papinianus l. 15. D. *de ritu Nuptiarum* segt: *De Vrouwe van den overleden stiefsoon magh niet trouwen met den stiefvader: noch oock ten huwelijck genomen werden de stiefmoeder van der overledenen stiefdochters man.* Even alsoo moet oock geacht werden het trouwen met de Weduwe van den stiefVader. Beza voegt hier by het advys van Hotomannus: ende desen regel: *Met wien ick niet trouwen magh, met diens vrouwe magh ick niet trouwen.* Ende ofte men wilde seggen, dat hier geen swagerschap of affiniteyt is, soo segt Beza; dat het wel schijnt dat daer geen affiniteyt is: maer dat gelijckewel de eerbaerheyt sulck een huwelijck verbiedt. p. 82. tract. Theolog. vol. 2. Wat de wetten van den Lande aengaet, overmits de selve de onderdanen oock wysen na het gemeene recht, soo mogen wy niet seggen, dat dese Casus daer in soude vry gestelt zijn. Ende soude beswaerlijck zijn, sulcke exempelen toe te laten, de welcke navolgers vindende, souden tot wetten ende gewoonheden konnen worden. Ende wenschten daeromme, dat oock dese en diergelijcke Casus door de wetten van de Nederlanden duytlijcker getermineert wierden, tot betere onderhoudinge van de eerbaerheyt.

Aldus gedaen desen 26. Junii 1666.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XXII.

Aen de Ed. Groot Mog. Heeren, de Staten van Hollandt ende West-Vrieslandt.

ALsoo, nevens de Vryheyt, die door Godts segen onder het wys beleydt van Uwe Ed. Groot Mog. en met het goedt en bloedt der getrouwe onderdanen geluckelijck verkregen, en tot noch toe beschermt is, boven al de ware Christelijcke Gereformeerde Religie van oudts is vast gestelt, en met recht gehouden is geweest te zijn het steunsel des Landts, de vastigheyt onser tijden, ende stercke van onse behoudenissen, sulcx onder anderen uytwysende dat opschrift van een gedenck-penning Anno 1590. HAC (Religione) NITIMUR. En dat dies niet tegenstaende door listigheyt en boosheyt des Satans (die, siende dat hy noch maer een korten tijdt heeft, met een groote verbolgenheyt tot ons is afgekomen) niet alleenlijck de gesonde Leere door verscheyden menschen van verdorven sinnen werdt vervalst, ne maer oock het leer-ampt, en de macht van Christo aen de Leeraers der Kercken tot stichtinge en behoudenisse der menschen gegeven, geenerveert en ondermynt werdt, om door hare syde de ware Leere selfs den doodtsteeck te geven, door publike Schriften en Boecken, die daer toe hier te Lande worden uytgegeven ende verkoft. Waer op dan volgen moet dat de Kerckelijcke macht, en tucht weghgenomen zijnde, de onderdanen woest ende ongebonden moeten werden, als Belials mannen, noch Godt vresende noch menschen ontsiende, en dienvolgens de gehoorsaemheyt beyde van hare Overheden en hare Voorgangers haer onttrecken, tot een algemeyn verderf van den Staet; Soo hebben de Christelijcke Synoden van Zuyd- en Noord-Hollandt al van over lange hoognoodich geacht door hare Gedeputeerden aen U Ed. Gr. Mog. hulpe te versoecken tegen het licentieus drucken en verkoopen van dusdanige schandelijcke boecken, die van tijdt tot tijdt, tot groote droeffenisse der Kercke, werden vernomen. Hoedanige laetst hier voorgekomen zijn, met namen dese drie volgende: *Lucii Antistii Constantis de jure Ecclesiasticorum liber singularis*, met versierde namen van Aucteur en Drucker, Anno 1665. uytgegeven.

geven. *Philosophia S. Scripturæ Interpres*, sonder namen van Aucteur ende Drucker in 't licht gebracht, Anno 1666. *Het Predickampt en het recht der Kercke, bepaelt nae de regulen van Godts Woorde en de gronden van onse Reformatie, &c.* gedruckt tot Amsterdam by *Claes Hansz*, Anno 1660. In het eerste van welcke den Aucteur niet alleenlijck de Leeraers der Gereformeerde Kercken in 't gemeyn met seer injurieuse scheldt-woorden overvloedich doorgaens aggresseert ende bekladt, maer ook segt fol. 62. een bysonder Boeck te willen uytgeven, om daer in *Arcana Ecclesiasticorum* aen den dagh te brengen; jae ontneemt haer alle macht om de conscientien der menschen te bewercken, tegen de Leere Christi en des Apostels Johann. 20:21. 2. Cor. 10: 4. 5. 6. En segt (fol. 3. en 4.) dat de Geleerden hare predicatien en vermaningen hooren, maer de ongeleerden en de gemeyne man die oock gelooven sullen. Erkendt oock gansch geenen Geestelijcken of Ecclesiastiken staet, maer alleen eenen natuyrlijcken en Borgerlijcken. Oock wort in het gemelde Schrift de natuyrlijcke Reden (die immers in boven natuyrlijcke dingen een dwael licht is, jae duysternisse selfs) soo hooch verheven, datse gestelt wordt voor den eenigen *regel des levens*, en in plaetse van Godt, en als een saecke die de menschen voor haer selven tot Goden maeckt, gelijck dese en andere expressien gevonden worden fol. 22. 82. 83. 94. en elders meer.

Het welck oock doorgaens is de sustinue des Aucteurs van het tweede Schrift, de welcke genoechsaem spot met [a] *het boven natuyrlijcke licht*, het selve voor een figmentum houdende, dat nergens te vinden is; en die oock de Leere van de heylige en aenbiddelijcke Drie-Eenheyt genoechsaem houdt voor geen [b] *verborgenheyt*. Lochent mede de scheppinge uyt niet, en de opstandinge van de selve lichamen die gestorven waren. En boven dit alles wil hy beweeren, [c] *dat de Philosophie de onbedriechlijcke regelmaet van de uytlegginge der heilige Schrifture is;* beschuldigende de selve van sodanich een duysterheyt, [d] *dat'er niets in gevonden werdt of het is twijffelachtigh en dobbelsinnich.*

Het derde Schrift is doorgaens van den selven inhout met het eerste, stellende mede, *Dat den Opsienders en Leeraers geene macht om te gebieden en regeren toekomt; maer, dat sy maer konnen vermanen en leeren, niemant gehouden, jae geoorloft zijnde haer verder te gehoorsamen, als sy hem komen diets maken. Soo dat de termen van gebieden en gehoorsamen behooren aen de lichamelijcke Regeringh.* En schynt, dat den Aucteur van het eerste Schrift of ymandt anders van syn gevoelen zijnde, dit mede al voorens in de Nederlandtsche tale heeft willen dissemineren, op dat het selve fenyn te verder voortkruypen en onder het gemeyne volck verspreyt soude werden, tot losmaeckinge van Religie en gehoorsaemheyt, die dan eerst krachtigst en best is, wanneer de onderdanen uyt Godts Woordt geleert worden, datse om der conscientie wille, en om dat het Godt soo in syn Woordt gebiedt, haer Overheden moeten gehoorsamen.

Hoedanige en diergelijcke uytsteeckende ergerlijcke saecken, en openbare lasteringen tegens Godts dierbaer Woordt, als strydich tegens Godts eere en het welvaren van de Kercke en Politie, in alle eerlijcke en Godtvruchtige herten een groot afgrysen verwecken moeten; en roepen om Uwer Ed. Gr. Mog. goede voorsorge en hulpe, tot weeringe van sodanich een quaedt. Te meer alsoo oock de Hooge Overheden onses Landts seer verdacht werden gemaeckt, wanneer diergelijcke dingen getolereert werden te mogen drucken, en besonderlijck het geene den Aucteur van 't eerste Boeck leert, te weten, [e] *Dat de Overheden aen hare Onderdanen geen geloove behoeven te houden, of nae te komen het geene sy aen de selve solemnelijck belooft, of met de selve gecontracteert hebben.* Tot dien eynde oock haer accorderende en toestemmende de mentale reservatien, van de Jesuyten ingevoert, blijckende sulcx fol. 146.

Ende alhoewel de Leeraren der Gereformeerde Kercken hier te Lande met den Apostel wel geleert hebben, te wandelen door goedt en door quaedt geruchte, (met namen oock, wanneer hy haer verdacht maeckt van Enthusiasterie en Quaeckerie) en dien volgende de aspersien en calumnien, waer mede sy alle in 't gemeyn werden bekladt, wel souden konnen verachten; Soo vertrouwen sy, dies niet tegenstaende, dat sy oock haer selven in hare Bedieninge, hier in ons Vaderlandt, aen Uwer Ed. Groot Mog. conscientien sulcx hebben bekendt gemaeckt, en dat Uwe Ed. Groot Mog. sodanige heylsame vruchten, door den genadigen segen des Heeren, veele jaren daer van hebben gesien, tot vreuchde van de vrienden en nydigheyt van de vyanden deser Vereenichde Nederlandtsche Provincien, dat de selve verstaen *datse niet verworpelick en zijn*, en daerom oock niet en sullen konnen noch willen lyden, dat het Leer-ampt te samen met de Leeraers, tot vreuchde van de Vyanden der waerheyt, met sodanige Schriften, als met fameuse Libellen, soo schandelijck en opentlijck souden getraduceert en gelastert werden. En dat derhalven Uwe Ed. Groot Mog. soo tegen het eene als tegen het andere na hare hooge wysheyt, sodanigen voorsieninge doen sullen, als meest strecken mach tot verbreydinge van Godts eere, en tot beste beyde van Kercke en van Politie. Welcke doende, &c.

De Gedeputeerden van de Zuyd- en Noord-Hollantsche Synoden. Ende uyt aller name

Jacobus Lydius, Deputatus Synodi Zuyd-Hollandicæ.
Georgius Goethals, Deputatus Synodi Noord-Holl.

DE Staten van Hollandt en West-Vrieslandt vinden goet dat dese Requeste gestelt sal werden in handen van Professoren der Theologische Faculteyt in de Universiteyt tot Leyden, om de selve en de Boecken daer in geroert te examineren, en haer te dienen van hare Consideratien en Advijs, Actum 14. Decemb. 1666.

Ter Ordonnantie van de Staten
Herbt. van Beaumont. 1666.

Aen de Edele Groot-Mogende Heeren, de Heeren Staten van Hollandt en West-Vrieslandt.

ALsoo Uwe Ed. Groot-Mog. in sekere Apostille van den 14. Decemb. des Jaers 1666. gegeven op een Requeſt van de Gedeputeerden der Synoden van Zuyd- en Noord-Hollandt tegens drie gedrukte Schriften, rakende de Leere, Discipline en ordre der Gereformeerde Kercken hier te Lande; goet-gevonden hebben, dat de selve werde gestelt in handen van de Professoren der Theologische Faculteyt in Uwe Universiteyt tot Leyden, omme de selve ende de Boecken daer inne geroert, te examineren, ende te dienen van hare Consideratien en Advijs: Soo is 't dat wy ondergeschreven, niet meer ter herten nemende, als volgens onsen onderdanigen plicht, U Ed. Groot-Mog bevelen te gehoorsamen en na te komen, soo haest als over weynige dagen ons U Ed. Groot-Mog. wille in desen is bekent gemaeckt, onse Consideratien over dese Schriften neer te stellen, en U Ed. Groot-Mog. hoog oordeel onderdanigst voor te leggen.

Wat dan voor eerst aengaet het Boeck, welck den titul draegt, *Philosophia S. Scripturæ Interpres: Exercitatio Paradoxa*, sonder naem des Aucteurs, ende Druckers uytgegeven: in 't welcke den Aucteur wil beweeren, dat de Philosophie den eenen onfeylbaren regel is om van den waren sin der H. Schrift te konnen oordeelen, ende alle verschillende uytleggingen van Godts Woort te vergelijcken, en tot een te brengen, en alsoo een bequaem middel om de Secten te verminderen: Dunckt ons, onder reserve van beter oordeel, dat en dit Opschrift, en de nieuwe maniere van dese materie te verhandelen, groote oorsake gegeven hebben van achterdocht, en om alle verstanden op te wecken en gaende te maken, even als oft hier mede eenen nieuwen geestelicken oorlog wierde uytgeroepen. En dewyle dan ons van hooger hand is opgeleyt, onse Consideratien over dit Schrift bekent te maken, sullen wy oock 't voornaemste dat ons der Censure weerdig dunckt, en waer uyt wat van de reste te houden zy, lichtelijck sal konnen werden afgenomen, alhier in 't korte neer stellen.

I. Eerstelick dan, dewyle desen Aucteur de ware Philosophie, gelijck hy segt, verkiest tot den eenigen onfeylbaren Toetsteen van de Uytlegginge van Godts Woort, en daer voor houdt seker vermaert Aucteurs seer bekende Philosophie, soo is wel verwonderens waerdig, dat hy sijn Meesters oordeel en modestie in dese sake niet en heeft nagevolgt. Die expresselick met klare woorden wil, datmen boven al, dit voor den hooghsten en veyligsten regel sijne memorie moet indrucken: datmen die dingen, die ons van Godt geopenbaert zijn, als de alderseekerste moet geloven. En hoewel misschien het natuyrlicke licht der reden, oock als het op 't alderklaerste, en in sijn meeste kracht lichtet, ons wat anders schijnt te seggen, soo moetmen nochtans liever de Godlicke auctoriteyt alleen, als ons eygen oordeel geloven. Die oock van oordeel geweest is; Dat, als Godt ons yet, of van hem selve, of van andere dingen openbaert, dat de natuyrlicke krachten onses verstants te boven gaet, als daer zijn de verborgenheden der Menschwerdinge, en Dryeenheyt, wy niet en moeten weygerigh zijn die te geloven, al is 't schoon dat wy die niet klaer en vatten en begrijpen. Dat wy ons oock niet en moeten verwonderen: datter vele dingen zijn soo in de oneyndelicke natuyre Godts, als in sijne geschapene wercken, die ons eyndelick begrijp te boven gaen. Die oock selve die twee gronden, die desen

[a] *Fol.* 43. *en* 93. [b] *Fol.* 47. [c] *Fol.* 59. *en* 60. [d] *Fol.* 74. *Siet oock Fol.* 32. 40. 103. *en* 105. [e] *Fol.* 51. 145. *en* 150.

Auctеur van hem overneemt (als te weten, Datmen alle vooroordeelen moet afleggen: en geene saken toestemmen, als die men klaerlick en duydelick begrepen heeft.) hoe wel in 't breede genomen seer nodigh en dienstigh acht tot ondersoeck van alles, niet en oordeelt in die naukeurigheyt en rigeur bequaem voor alle verstanden, nochte tot alle materien op die wyse applicabel. Alsoo bevonden wert, dat veele al te schielijck zijn van oordeel, en te seer met het selve haesten: andere onvast in 't selve, meer bequaem zijn om andere te volgen, als van selve yet te bedencken en uyt te wercken; en dienvolgens geene van beyde bequaem om hare oordeelen te versaken, en yet distinctelick te begrijpen. Maer desen Auctеur de zedicheyt van sijn Meester daer latende, ende de methode in 't ondersoecken der Natuyre willende overbrengen tot de H. Schrift, om door de selve den rechten sin van Godts Woort uyt te vinden: werd bevonden tot eenen Regel van de Interpretatie der H. Schrift te stellen, die alleen van de grootste Philosophen, en die door de Philosophie haer verstant tot den hooghsten trap van wetenschap gebracht hebben, kan gebruyckt worden, en voor alle andere secten van Philosophen, ja, voor menschen geen Philosophie geleert hebbende, t'eenemael onnut en onbruyckelick, en die een onwederborene, en natuyrlick mensche, sonder Geest, alsoo wel als een wederborene, geloovige en Geestelick mensche toekomt, en van die kan gepleegt werden. Min noch meer, als of de H. Schrift alleen voor den Philosophen, wysen en verstandigen deser werelt geschreven ware, en die alleen de nuttigheyt daer van konden trecken, en allen anderen, de H. Schrifture, of als een gesloten boeck, of als die niet lesen en konnen, ware voorgeleyt. Daer nochtans *Christus sijnen Hemelschen Vader danckt, dat hy dese dingen voor den wysen en verstandigen verborgen heeft, ende de selve den kinderkens geopenbaert.* Matth. 11:25. Die nu ten tijde des Nieuwen Testaments (zijnde het onderscheyt der natien wechgenomen) *wil dat alle menschen saligh worden, en tot kennisse der waerheyt komen;* en dat door 't lesen en ondersoecken der H.Schrifture. Tot welcken eynde hy oock in de laetste tijden *sijnen Geest heeft uytgestort over alle vleesch*, op dat sy hem alle souden kennen van den kleynen tot den grooten. Actor. 2. Hebr. 8:11.

II. Ten tweeden schrijft desen Auctеur de Schrifture in haer selve sulcken duytterheyt toe, als of sonder middel van de Philosophie den rechten sin der selve niet te bekomen ware. Even eens of Godt sijne Kercke alleen door duystere raedsels, daer niemant door sien en soude konnen, als op een bysondere wyse met de Philosophie gewapent, hadde willen leeren, en sijne wijsheyt voordragen. Daer nochtans Godt selve sijn Woort by een *lanteerne* en *keersse*, en een *licht schijnende in duystere plaetsen* vergelijckt, en een *kracht Godts noemt ter saligheyt een yeder die gelooft.* Rom. 1:16. en sulcke werckinge des lichts toeschrijft, als dat sy *den slechten wijsheyt geeft.* Psalm. 19:8. dat diergelijcke van soo een duyster woort niet konnen voortkomen. Wat kander voller geseyt worden als 't gene Paulus daer van getuyght 2 Tim. 3:15.16. *Dat de H. Schrift ons kan wijs maken ter saligheyt* &c. Welcke wijsheyt immers onder de schorsse der woorden der H. Schrift begrepen is, en den sin is, die de H. Geest met die woorden heeft willen te verstaen geven, en die door aendachtigh ondersoeck van die, die *door de gewoonheyt geoeffende sinnen hebben in Godts Woort tot onderscheydinge van 't goede en 't quade*, Hebr. 5:14. uyt de woorden kan gehaelt worden, en genoegsaem uyt de woorden selve, als sy klaer zijn, gevat worden; ofte uyt andere plaetsen, als eenen hogeren sin onder de selve verborgen is, die de woorden ten eersten aensien niet en vertoonen, door klaerder manieren van spreken moet uytgelegt en verklaert worden. Soo heeft *Christus den twee Discipelen* gaende na Emaus, *in alle de Schriften uytgeleyt* (en geinterpreteert) *'t welck van hem geschreven was, en alsoo de Schrifture geopent.* Luc. 24:27.32. Ende de *Sadduceen* uyt Exod. 3:6. de Opstandinge der dooden bewesen, en alsoo *den mont gestopt.* Ende daer na de *Phariseen* uyt Psalm. 110:1. soo overtuyght van sijne Godtheyt, dat niemant hem konde een woordt antwoorden. Math. 22. Soo heeft oock Philippus den *Moorman*, die lesende het 53. cap. Esaiæ, *niet en wist of den Propheet van hem selven sprack, of van een ander;* uyt het selve overtuygt, dat al het gene daer geseyt wierde, van Jesu Christo te verstaen was. Act. 8. Tonende alsoo de practijcke van dien gulden regel, die ons den Engel leert, Apoc. 19:10. *Dat het getuygenisse Jesu, is den Geest der Prophetie.* Welcke is dien *sleutel der kennisse*, gelijck hem Christus noemt, Luc. 11:52. *die de Wetgeleerden hadden* weg-genomen, en haer selven en den volcke onbruyckbaer gemaeckt, *soo dat sy selve niet en waren ingegaen* (daer haer den sleutel, welcke was het getuygenisse Jesu, toe leyde) *en die ingingen hadden verhindert.* Gelijck dan noch hedensdaegs, wanneer *het Oude Testament en Moses gelesen wort, dit decksel lijt op haer herten, sonder ontdeckt te worden: het welcke door Christum te niete gedaen wort, en niet eer en sal weg-genomen worden, tot dat sy tot den Heere sullen bekeert zijn.* gelijck Paulus ons leert. 2 Cor. 3:14.15.16. Soo betuygt *Paulus* Actor. 26:22. dat hy *van Christo niet en heeft geseyt buyten 't gene de Propheten en Moses gesproken hebben dat geschieden soude.* Soo is dan wel het Euangelium in de Propheten en Mose vervat, en *heeft Moses van Christo geschreven*, Johann. 5:46. soo nochtans dat het door *een verstandig Schriftgeleerde in 't Rycke der Hemelen uyt den schat sijns herte moet voortgebracht worden*, en anderen, noch soo verre in kennisse niet gevoordert, verklaert. En indien niet sulck eene kracht en klaerheyt en ware in Godts Woort, hoe souden de Apostelen *haer selve door openbaringe der waerheyt soo aengenaem konnen gemaeckt hebben by alle conscientien der menschen?* 2 Cor. 4:2. ende Paulus den Koning *Agrippam gedwongen om by na een Christen te worden?* Act. 26:28. of soude dit wel het eenige werck geweest zijn van de Philosophie? 't Welck alles nogh nader sal blijeken, soo wy maer acht willen nemen op die dingen, die ons in de H. Schrift werden voorgedragen. Want wat aengaet het bestier onser zeden, gelijck ons die in de Tien Geboden des Wets wert voorgehouden, die zijn alle soo klaer en duydelick neergestelt, dat sy oock van den aldereenvoudighsten Christen, sonder behulp van de Logica, wel kan begrepen worden, ende 't gene uyt ieder Gebodt moet getrocken worden, door het lichaem van de gantsche Schrift verspreyt gevonden wert. Wat de Articulen des Geloofs belangt, die en zijn niet soo seer het object van ons verstant, als wel van 't Gelove, ten zy oock voor soo vele sy gelooft zijnde geweten werden, en moeten enckelick op Gods seggen en de auctoriteyt van sijn Woort werden aengenomen, als voornamelick zijn de mysterien van de H. Drie-eenheyt, Menschwerdige, Verrijsenisse des Lichaems &c. Wat de Besluyten Godts aengaet, en sijne wonderlicke œconomie in 't dispenseren van 't Verbont der genade, dewijl die alle hangen aen sijn bloote wil, en daer geen andere reden van kan gegeven werden, daer sal wel de Philosophie weynig wercks vinden. Soo is 't mede gelegen met de Historie. Alleen sal 't dan aenkomen op die dingen, die de nature aengaen, daer van allerweynighst in de H. Schrift gehandelt wort, en daer van op een ander plaetse moet gehandelt werden.

III. Ten derden komt ons seer vreemt voor, dat desen Philosooph, al 't gene in de H. Schrift geseght wort van den Geest, noodigh tot verstant der Schrifture, en die voorbereydingen tot het selve vereyscht, alleenlick van de gesonde Reden en Philosophie wil verstaen hebben, even of die een geestelick mensche konde maken en volmaken, en alsoo de Theologie niet anders en ware als de Philosophie geappliceert tot Godts Woort en geestelicke saken. 't welck seer ongerijmt is. Want dewijl het wel kan gebeuren, dat yemant den sin uyt de woorden wel verstae, diese nochtans niet toestemt, veel min gelooft, veel min bemint, of sich wil toe-eygenen: gelijck sulcx in vele *wyse Schriftgeleerde, en ondersoeckers deser eeuwe, die in de wijsheyt Godts Gode niet en hebben gekent door de wijsheyt*, als oock in de Duyvelen selve baerblijckelick is: Soo is daer meer toe van noden om den sin Christi te weten, als een simpel verstandt der woorden, of een Philosophisch begrijp van saken: maer is daer en boven daer toe vereyscht een verlichtinge des verstandts door den Geest Godts. Want dewijl in Godts Woort gesproken wert van een *wijsheyt Godts in verborgenheyt, die bedeckt is, die geen ooge gesien, geen oore gehoort heeft, en in 't herte des mensche niet en is opgeklommen:* ('t welck nochtans de bekende wegen zijn, om natuyrlicker wijse tot kennisse te geraken) is 't nodig *dat ons Godt die openbare door sijn Geest, die niet en is een Geest deser werelt, maer een Geest die uyt Godt is. Maer de natuurlicke mensche* (soo is al die sonder Geest is, en noch niet wedergeboren) *en neemt niet aen* (in tegendeel versoeyt en verwerpt) *de dingen die des Geest Godts zijn: want sy zijn hem een dwaesheyt: en hy en kanse niet verstaen* (noch daer van oordeelen) *om datse geestelick onderscheyden werden:* wat dan? dit is het eygen werck van de *geestelicke mensche, die wel van alle dingen oordeelt, maer selve van niemant geoordeelt wert:* en dat daerom, om dat hy *heeft den sin Christi.* gelijck Paulus van die saken spreeckt. 1. Corinth. 2. Daerom bidt Paulus de *Godt onses Heeren Jesu Christi, den Vader der Heerlickheyt, dat hy den Ephesiers geve den Geest der wijsheyt, en der openbaringe in sijne kennisse, namel. verlichtede oogen hares verstandts* &c. Ephes. 1:17. en David, dat *Godt sijne oogen ontdecke, op dat hy aenschouwe de wonderen sijner Wet.* Psalm. 119:18. beyde wel verstaende, dat dese wijsheyt en kennisse niet en is een vrucht van de solitaire reden, of geholpen door de Philosophie, maer *een goede gave, ende een volmaeckte gifte van boven van den Vader der lichten afkomende.* Jacob. 1:17. die daerom oock wil aengebeden zijn. vs. 5. En daerom 't en is niet de Philosophie, maer *de Geest*, die de Apostelen, en alle Gelovigen, *alles leert, ende leydt in alle waerheyt.* Johann. 14:26. ende 16:13. Ende dit is *die Salvinge, die wy van Christo* (niet van eenigh Philosooph) *ontfangen hebben, die waerachtig is, en geen leugen, die ons van alle dingen leert, soo dat wy niet van noode en hebben, dat iemant ons leere.* 1. Joh. 2: vs 27. Waerom oock dese waerheyt niet alleen door menschelicke vlijt, gauwigheyt ende opmerckinge, gelijck andere wetenschappen,

tenschappen, verkregen wort, maer met bidden, Godt te vreesen en sijnen wille te doen, en sich selve te versaken, en sijne eygene wijsheyt af te staen, sijne vooroordeelen af te leggen, en niet aen te nemen, als datmen na een neerstig ondersoeck en beproevinge bevint waerachtig te zijn. 't welck dan geschiet, als men soo veel mogelick alles wat tot verkrijginge der waerheyt dienstig is, considereert, niets voorby slaet, en van de gemeynste en bekentste dingen een aenvang maeckt. Waer toe van noden is, dat Christus vereyscht van een die wil ingaen in 't Koningrijcke der Hemelen *dat hy moet verandert werden, en werden als de kinderen.* Matth. 18: 3. en dat is *van nieuws* ofte *voor de tweedemael geboren worden.* Joh. 3: 3. 't welck inder daet niet anders is als sich selve, sijne wegen, sijne gedachten, in aenmerckinge en tegenstellinge van Godt, sijne wegen en gedachten, die soo veel hooger zijn als d'onse, als de Hemelen hooger zijn dan d'aerde, versaken en als niet achten. Esa. 55: vs 9. en daerom en kan niemant den Vader kennen dan die hem Christus wil openbaren. Matth. 11: 27. Ofte om dat Godt meerder is dan de mensche, en met geen ding kan vergeleken werden, ofte om dat de sondige mensch geen vermaeck schept in Gods te kennen, ofte dat hy hem schijnt als een rechter, ofte dat hy een slave is sijner begeerlickheden, vol van eygen wijsheyt, trots en hovaerdig., wijs in sijn eygen oogen, en dien de wijsheyt Godts voorkomt als een dwaesheyt. Soo lang dan als wy vol zijn van onsen eygenen wille, en onbequaem om ons den wille Godts te onderwerpen, konnen wy oock niet van de Goddelicke wijsheyt vatten. Daerom seyde Christus Joh. 7: 17. *Soo yemant wil des selfs wille doen, die sal van dese leere bekennen, of sy uyt God is, dan of ick van my selven spreke.* conform 't gene David leert Psalm 25: 14. *De verborgenheyt des Heeren is voor de gene die hem vreesen: en sijn verbont, om hen die bekent te maken.* Salomon seght Prov. 28: 5. *die den Heere soecken, verstaen alles.* Waerom oock *de vreese des Heeren* met recht gesegt wert te zijn *het beginsel der wijsheyt.* Prov. 1: 7.

En is dese Geest, geen soodanige geest, die sonder Woort, of buyten Woort, veel min tegen het Woort, dese geestelicke werkingen in ons te wege brengt, gelijck de Enthusiasten en Engelsche Quaeckers, en alle Geestdryvers sulck een Geest versieren en dryven, met welcke desen Aucteur, ons oock seer onverstandelick paert, en gelijck stelt. Want dese werckinge des Geestes is anders niet dan de *Wet Godes* selve, soo als se van den Geest *in ons verstands gegeven, en in onse herten ingeschreven wert:* ende die *kennisse des Heeren, die wy niet van menschen geleert hebben, maer van Gods selve.* Hebr. 8: 10. 11. 't Welck dan geschiet wanneer *Godt in ons werckt het willen ende het volbrengen na sijn welbehagen.* Phil. 2: 13. en wy *verandert werden door de vernieuwinge onses Gemoets, om te beproeven, welcke de goede en de welbehagende en volmaeckte wille Godes is.* Rom. 12: 2. Ten welcken opsicht, alle die *van den Vader getrocken* zijnde, tot *Christum komen*, en geloven, geseght werden *van Godt geleert te zijn.* Joh. 6: 44. 45. uyt Esai. 54: 13. en dit is *die liefde Godts, in onse herten uytgestort door den H. Geest, die ons gegeven is.* Rom. cap. 5: 5. veel beter leermeester als de *kennisse* sonder Liefde, die wel *opblaest, maer niet en sticht.* 1. Cor. 8: 1. Dewyle het wat anders is, yet blootelick te weten, wat anders oock te beminnen datmen weet, en te doen dat men bemint. 1. Thess. cap. 4: 9. *Wy weten*, segt Johannes, *dat de Sone Godts gekomen is, en heeft ons het verstandt gegeven, dat wy den Waerachtigen kennen.* 1. Joh. 5: 20. en verders cap. 4: 6. *Die Godt kent, hoort ons: die uyt Godt niet en is, en hoort ons niet. Hier uyt kennen wy den Geest der waerheyt, en den Geest der dwalinge.* Soo moet dan alle Geest getoetst worden aen 't Woort, dewyle al *die uyt Godt is, Godts Woort hoort* Johann. 8: 47. En dit is desen Geest die beloost is, en oock uytgestort is over alle vleesch. Joël. 2: 28. en dit is Godts verbont met sijne Kercke, Esai. 59: 21. *Mijn Geest die op u is, ende mijne woorden die ick in uwen mont geleyt hebbe, die en sullen van uwen monde niet wijcken, noch van den monde uwes zaeds, noch uwes zaeds zaeds, van nu aen tot in eeuwigheyt.*

IV. Ten vierden berispen wy de verkeerde en præpostere Methode in dit Schrift voorgestelt, dat wy daerom yet moeten aen nemen en geloven, om dat het getoetst zijnde aen de Reden en Philosophie, bevonden wert met de selve te accorderen: en daerom verworpen en niet geloost, om dat het met de Reden niet over een en komt. En dat uyt dien gront, om dat geene waerheyt strijdig is met haer selve, en niet en kan waer bevonden werden in de Philosophie, en valsch zijn in de Theologie, of dat in de Theologie waer is valsch zijn in de Philosophie. Waer in desen Scribent voor soo vele bevonden wert de selve voetstappen in te treden, die hem Socinus en andere schoon voorgewandelt hebben. Die even, als dese doet, daerom de mysterien des Geloofs, de Drie-eenheyt, Menschwerdinge, Verrysenisse des selven vleesch &c. ontkennen ende wegnemen, om dat syse met hare Reden en Philosophische Maximen, ten meerendeel in hare hersenen gesmeedt, niet en konnen over een brengen. Waer door nootsakelick gebeurt is, dat van hare gantsche Theologie soo na de Reden toegestelt, en van alle Mysterie ontbloot, by na niet anders en is overgebleven als een bloote Ethica. En daerom is 't seer sorgelick van Goddelicke saken, en die alleen door openbaringe bekent zijn, na de Philosophie te oordeelen. Te meer dewyle 't niet aller werck is, *Alles te beproeven*, en noch weyniger, uyt alles het *beste te kiesen.* Hier moet het Gelove de Kennisse voorlichten en leyden; dewyle wy dese dingen eerst geloven, eer wyse weten. Soo segt de Apostel Hebr. 11: 3. *Door het gelove verstaen wy dat de werelt door 't Woort Godts is toebereyt.* En wy weten datter in de Godtheyt meer personen zijn, dat het Woort is vleesch geworden &c. om dat wy geloven; gelijck wy in de Artijckelen des Geloofs dese stucken belijden te geloven, niet te weten. Want oock 't gene men uyt Godts Woort geloost en verstaet, eer dat de Reden daer van geoordeelt heeft, wert genoegsaem uyt het selve begrepen, gelijck het ons tot onse stichtinge ter saligheyt noodig is: en dan moet men het oock eenvoudelick, *niet als een menschen woort, maer gelijck het waerlick is, als Godts Woort, 't welck oock werckt in die geloven, aen nemen.* 1. Thess. 2: 13. Gelijck alsoo die van *Bereen* deden, *die edeler van gemoet als die van Thessalonica, het woort, dat Paulus haer predickte, ontfingen met alle toegenegentheyt, ondersoeckende dagelijcx de Schriften, of dese dingen alsoo waren.* Actor. 17: 11. Of indien men sijne toestemminge soo lang moet opschorten en uytstellen, tot dat de Reden daer oock van geoordeelt hebbe; wat dan? Indien de Reden anders quame te oordeelen, moetmen dan sijn voorgaende oordeel uyt de Schrifture retracteren ende te niete doen? ofte de Reden buygen na de Schrifture, of met de selve conformeren? of by aldien de Reden 't selve oordeelt, dat wy volgende de Schrifture daer van geoordeelt hadden, moetmen het in dien gevalle aennemen om dat het de Reden soo aenstaet, of om dat men verstaet, dat sulcx de meyninge is van Godts Woort? gelijck sulcx de practijcke is van alle eenvoudige Christenen, wien de auctoriteyt van Godts Woordt meerder is als de gauwicheyt van eygen begrijp.

Een van twee, of men moet seggen dat de Schrifture in haer selven soo duyster en bedeckt is, datmen uyt de selve sonder de Reden, versterckt door de Philosophie, geenen verstandelicken sin vatten kan: en dat is Godt seer verdacht maken, als of hy, ons sijn Woort gevende, voor hadde ons door enckele raetsels te verstricken, en sijn verborgenheden alleen den wysen en verstandigen mede te deylen: ofte soo de Reden en Philosophie ons den onfeilbaren sin van Godts Woort moet openen, kan niet ontgaen worden, dat niet de Philosophie de voortogt gewinne boven 't Woort, en 't selve meestere, en met haer licht het licht des Woordts verdoove. En wat raedt dan met de gene, die een verkeerde Philosophie verkoren hebben, ofte de rechte niet wel en hebben gevat, nochte recht weten te gebruycken? van welcke soorte nochtans het merendeel der Philosophen bevonden worden te zijn. 't Sal dan daer op aenkomen, dat dese Methode seer weynigen sal te stade komen, en veel licht oock dien niet, die desen sleutel meynen in erfpacht te besitten. Immers de eenvoudige gelovige sullen voortaen het verstant van de Schrifture op 't credit van de Philosophen moeten ontfangen, en haer selven alsoo *als eenen roof laten vervoeren door de Philosophie:* daer ons den Apostel soo ernstelijck tegen waerschout. Col. 2: 8.

En hoewel alle waerheyt, als hebbende de selve Godt tot een Aucteur, over al waerse bevonden wert, en geensints de eene tegen de andere strijdig, 't zy datse door 't natuyrlicke licht der Reden, of door openbaringe van Godt selve bekent wort: nochtans dewyle ons verstant en begrijp eyndigh is en seer bepaelt, en Godt daer en tegen en sijne gedachten oneyndigh, ons begrijp verre te boven gaende: soo is 't oock niet te verwonderen, datter veele dingen bevonden werden Godts oneyndige natuyre, wetenschap, macht en providentie aengaende, die hoewel niet tegen de gesonde Reden, nochtans boven desselfs capaciteyt zijn. Soo dat die bevonden wert in vele dingen te kort te schieten, die na sijn verstant van alles, dat van Godt, sijne macht en wille in de Schrifture wert voorgestelt, het vonnis wijsen wil. Te meer, dewijle wel yemant kan een groot Philosooph zijn, begaeft met een treffelick licht der Natuyre, die nochtans daerom niet en is wedergeboren, begaeft met den Geest en het overnatuyrlick licht der Genade (met het welck dese Man genoegsaem spot, en als een figmentum verwerpt) en dienvolgens, na dat hy de een of de andere Secte is toegedaen en door de passie van liefde of haet gedreven, en eygensinnig of stijfsinnig om 't gene hy eens voorgenomen heeft te verdedigen, oock daerom onderhavig dickwils in sijn oordeel te feylen, ja mis te tasten. 't Welck de schult van de Reden en Philosophie niet en is, maer des genen, die de Reden of Philosophie te verre uytstreckt, of niet wel weet te gebruycken. Gelijck wy daer van een evidente proeve sien in desen Philosooph, die quansuys om de redenen die D. Keckermannus

nus gebruyckt, om uyt de Nature der H. Drie-eenheyt te bewijsen, sich gelaten toont omme desen Geloofs artijckel aen te nemen: daer nochtans die maniere om sulcx te bewijsen van anderen seer periculeus, en van kleyn belangh werdt geoordeelt. In tegendeel, de Scheppinge aller dingen uyt niet, en de Opstandinge des selven lichaems, verwerpt, om dat die dingen, na sijn concept tegen de Reden strijden. Daer nochtans, wanneer men van die saken na de *Schrift en macht Godts*, gelijck Christus wil Matth. 22:29. sal oordeelen, men die veel beter met de Reden kan over een brengen als de voorgaende.

En of wel en die dingen, die hoewelse tot het Geloove behooren, nochtans oock door natuyrlicke Reden konnen nagespoort en ondervonden werden (als daer zijn de Existentie Godts en veler sijner Eygenschappen, het Onderscheyt tusschen ziele en lichaem, en der ziele Onsterffelickheyt &c.) dit welgeluckt en met vermaeck vernomen werdt, hoe dat men door sulcke twee differente wegen tot notitie van eene ende de selve waerheyt geraecken kan: soo is't nochtans, dat selfs de saecken van die nature, veel eerder, lichter en veyliger uyt Godts Woordt selfs konnen verstaen en begrepen worden, als door en uyt de natuyrlijcke Reden. Gelijck veele Geloovige Idioten, onkundich van Philosophie en talen, veele Martelaers, dit met haer exempel overvloedich bewijsen, dien hare onnoosele eenvoudigheyt veel seeckerder en vaster steldt in't Geloove, als anderen hare Philosophie en overgroote wetenschap. Doch dit laetste hebben U. Ed. Groot Mog. in seeckere ordre die sy Anno 1656. den 30. September gestelt hebben tegen de vermenginge van de Philosophie met de Theologie, ende het misbruyck van de wijsheyt in't philosopheren tot nadeel van de Schrifture, soo treffelijck bepaelt en gereguleert, dat het te wenschen ware dat het daer by gelaten wierde, ende altijdt blijven mochte.

Altoos, onses oordeels, en is dit de rechte methode niet, die ons dese Philosooph aenwijst, om tot het rechte en onfeylbare verstandt van de Schrifture te geraecken: Dienvolgens oock het rechte middel niet, om alle verschillende partijen en opinien van menschen te vereenigen in eenen sin en meyninge: als die op geen vaste gronden gebout is, den weg om den sin der Schrifture te ondersoecken veel difficiler en swaerder maeckt als voorhenen, en impracticabel voor die in de Philosophie geen geoeffende sinnen hebben, en dierhalven beter daer gelaten als gevolght.

Wat nu vorders belanght de twee andere Schriften, 't eene in't Latijn, *Lucii Antistii Constantis, de Jure Ecclesiasticorum*: 't andere in't Neerlandts, *Het Predickampt, en't Recht der Kercke*, beyde sonder naem des Aucteurs door den druck gemeen gemaeckt. Daer over konnen wy niet nalaten U. Ed. Gr. Mog. te betuygen, hoe dat ons niet sonder verwonderinge zijn voorgekomen die vreemde en aenstootelijcke maximen en gronden, by desen vermomden *Lucius Antistius* neergestelt, en van eenige andere voorhenen, soo binnen als buytens landts in ons Vaderlandt gedebatteert. Inde welcke voor te stellen, sy haer soo dragen als of sy sich geprangt vonden, haer van selve en ongeroepen te stellen tot Advocaten en Beweerders van U. Ed. Gr. Mog. gesach en jurisdictie over de Kercke, Kerckelijcke saecken en Persoonen, en Religie. Even als of hare liberaelheyt in alles over te geven aen d'eene, en hare schaersheyt tegen de andere, in haer alles te benemen, den regel en richtsnoer moeste zijn, waer na alles in Politie en Kercke moeste gerichtet worden: ofte dat het recht den Overigheden in desen competerende, U. Ed. Gr. Mog. hier te lande van de Kerckelijcken wierde bedisputeert ende geweygert. Nergens anders toe dienende, als om de Kercke by U. Ed. Gr. Mog. te misgunstigen, en een quade impressie en jalousie tegen de Kerckelijcke in te geesten en te voeden, even of sy niet te vreden zijnde met hare gebruyckelijcke ordre en Kerckelicke regeringe, die sy tot noch toe onder het opsicht van U. Ed. Gr. Mog. vreedsamelijck zijn genietende, yet empieteerden over haer recht en jurisdictie, en alsoo een recht wilden usurpeeren, daer sy geen titul toe en hebben. Welcke beschuldiginge, indien sy eenig fondament heeft, sonde moeten sien, of op de ordre die de Kercken hier te lande gebruyeken, als of de stille oeffeninge der selve met de politijcke Regeringh in-compatibel ware: of dat eenige onrustige uyt het midden van haer, niet te vreden met die ordre, haer wat meer arrogeerden en aennamen in præjudicie van de hooge Macht. Daer nochtans over het eerste, hares wetens, geen verschil oyt is gevallen, ofte 't heeft door tusschenkomen van beyder zijdts vreedtsame en rust lievende persoonen konnen gemiddelt, of door provisionele beraemde ordre konnen wechgeleydt worden: En over het tweede sulcke voorsieninge by U. Ed. Groot Mog. kan geschieden, gelijck dan oock by verscheyde occasien geschied is, dat oock ten dien reguarde geene rechtvaerdige klachte vallen en kan. Doch op dat U. Ed. Gr. Mog. eens recht mogen oordeelen van dese gansche saecke, sal niet ondienstich zijn, dat wy eens den oorsprongh, noodtsaeckelijckheyt en nuttigheyt van de Kercken ordre hier te Lande gebruycklijck met een woordt aenwijsen, op dat sy te beter van de onrechtvaerdigheyt deser aenklagers, en van de onnooselheyt der Kercken, mochten geinformeert zijn, om haer door de vleyende pennen van dese soorte van Scribenten niet te laten verrucken tot eenigen ondienst van de Kercke.

't Is dan alsoo, dat t'sedert de tijden der eerste Reformatie, de Kercken van Nederlant, niet tegenstaende de bloedige vervolgingen en onmenschelijcke tyrannie, daer sy mede gedruckt wierden, tegen alle menschelijcke verwachtinge, der maten zijn aengegroeyt, en in alle gewesten vermenichvuldicht in getale van belijders, en versterckt in geloove, kennisse, Godtsalicheyt en yver: dat sy haer benoodtsaeckt hebben bevonden, om de suyverheyt van haren Godtsdienst voor al de wereldt te rechtveerdigen, ende onder haer de vrede en eenigheyt te conserveren, hare Geloofs belijdenisse in't licht te geven, en daer na oock haer selfs te voorsien met het instellen van een goede ordre en Kerckelijcke discipline. Sulcke namentlijck, die sy best oordeelen over een te komen met Godts Woordt, en de practijcke van de Apostolische en volgende Christelijcke Kercke, wel gematicht na den aerdt en gelegentheyt van de Natie, daer inne meest beoogende dien regel des Apostels 1. Corinth. 14: vs 40. dat alle dingen eerlijck en met orden moeten geschieden. Want alsoo sy in die tijdt geene handtbiedinge en hadden van de Overigheyt, die haer in alles tegen was, en door alle bedenckelijcke middelen haren opgangh socht te beletten: waren sy genoechsaem als gedwongen dit werck op haer selve aen te gaen, soo om hare separatie van de Roomsche Kercke dies te vaster te stellen, als om haer volck in goede eenigheyt te behouden, en alle inkruypende dwalingen, afvalligheden, scheuringen en ergernissen, soo veel doenlijck voor te komen ende te weeren. Waer van sy oock door Godts genade, die vrucht hebben genooten, dat soo lange sy onverhindert die ordre onder haer mogen houden, sy bevonden hebben, dat die discipline haer is geweest als eenen tuyn en stercken muyr, voor welcken alle de listen en machinatien des Satans, en der vyandische menschen zijn buyten gehouden, verdwaest en krachteloos gemaeckt, en de Kercken in goede eenigheyt bewaerdt. En als daer na door Godes zegen de saecken des Vaderlandts in beter standt zijn geraeckt, ende de Overigheden de macht, die sy verstonden haer van Godt gegeven te zijn: begonden in't werck te stellen, ende nessens de vryheyt des lichaems oock wilden gunnen de vryheyt van Conscientie en Religie aen hare Onderdanen: soo is't oock gebeurt, dat, die de gesuyverden en Gereformeerden Godtsdienst toegedaen, als zijnde de getrouste aen haere Overigheyt en meest yverende voor de Religie en Vryheyt, en daer sy in tijdt van noodt haer meest op konden verlaten, de handbiedinge en protectie van haere Overigheyt meest hebben genooten, waer toe grootelijcx hielp, dat de Overigheyt door de Leere en Tyrannie des Pausdoms onderdruckt, en door de Geestelijckheyt van hare principale macht beroofft, en tot blinde Executeurs van 's Paus decreten, en onderhoorige Clerus gemaeckt: nu door de Leere des Euangeliums beter onderricht waren geworden van haere macht en gesach: en't volck door de Dienaers des Woordts vermaent, om alle menschelijcke ordeninge onderdanich te zijn om des Heeren wille. 1. Petr. 2:13. en dat niet alleen om de straffe, maer oock om der conscientie wil, Tit. 3:1. als Dienaers Godts. Rom. 13:5.

't Welck dan in den beginne een seer lieffelijcke en vreedsame Harmonie en onderlingh verstandt tusschen de Overigheyt ende Kercke heeft te wege gebracht: een yder, sonder dispute van recht, het sijne besorgende, en alles contribuerende wat tot den welstandt van Politie en Kercke noodich en dienstich was. Maer als nu de Hooge Overigheyt de Gereformeerde Religie ende Kercken, als connex met den Staet, voor alle anderen de publijcke oeffeninge hares Godtsdienst hadde vergunt, en als het tweede fondament van haren Staet, nessens de vryheyt aengenomen te mainteneren: Soo is het oock gebeurt, dat aen de eene sijde de Kerckelijcke siende den opgangh en aenwas der Kercke, die nessens de suyverheyt der Leere haere goede ordre haer toebracht, de selve seer hebben geestimeert, en door alle wegen getracht te conserveren: en veel licht eenige onder haer met al te grooten ophef en rumoer: aen de andere zijde de Magistraten, dien noch in versche geheugenisse was, wat indracht sy onder 't Pausdom in hare macht en auctoriteyt geleden hadden, en willende voorkomen, dat niet diergelijcke haer soude overkomen en geweert worden, desen yver der Kerckelijcke om't hare te bewaren, hebben beginnen voor suspect en verdacht te houden. Gelijck dan wel gebeurt daer men sijne suspicie en vreese toegeest; men alles, oock daer geen oorsaecke van bedenckinge over behoorde te zijn, voor verdacht houdt. En dewijle sy voornamentlijck de Kercken ordre, als sonder haer toedoen ingestelt, (gelijck sulcx in die sware vervolgingen onmogelijck was) en noch niet geapprobeert en geauthoriseert,

geauthoriseert, als yet dat hare auctoriteyt ende gesach in tijdt en wylen konde nadeelich zijn, apprehendeerden: soo en heeft niet wel konnen vermydet worden, dat oock niet de minste occasie voorvallende, terstondt eenich misnoegen tusschen beyde sich quame te openbaren. Maer voornamentlijck hebben daer veel toe geholpen die ongeluckige tijden van de Lycestersche Factie, in welcke dien Heerr, de loffelijcke Regeringe van U. Ed. Groot Mog. trachtende te ondermynen, en uwe auctoriteyt te swacken, om tot syn oochmerck te geraecken, voornamelijck sich van de Kerckelijcke heeft soecken te dienen, de eenvoudigheyt van eenige, en de wreveligheyt van andere daer toe misbruyckende, haer by nae alles wat sy begeerden toegevende. Dit heeft quaedt bloedt tusschen beyden geset, en is een twistappel geworden voor de volgende tijden, veele dissensien veroorsaeckende tusschen de Overigheyt en Kerckelijcke: geene wel haer even de selfde macht over het Kerckelijcke als over 't Politijcke aenmatigende; dese in tegendeel beweerende dat het Geestelijcke recht der Kercke, als van Jesu Christo het hooft der Kercke, wiens Koninghrijcke niet en is van de wereldt, roerende en afvloeyende, en dienvolgens distinct en onderscheyden van de Politijcke macht, niet en moeste op die wijse onder de selve gestelt ende gesubalterneert worden. Hier onder hebben sich altijdt eenige onrustige geesten gemenght, die dese occasie meesterlijck hebben weten te gebruycken, om de Kercken daer door hatelijck te maecken by de Overigheyt, als haer bedisputerende hare macht en jurisdictie, en alsoo andere Secten meer vryheyts te procureren, en de Gereformeerde Kercke meer afbreucks te doen. En is dit wel een van de subtijlste vonden des Satans te achten, die het Woordt moetende laten staen, door dese zijde de Kercke haer voornaemste steunsel heeft getracht te ontrecken, hare grootste vrienden haer tot vyanden maeckende, op dat sy alsoo misgunstich en ontbloodt van vrienden, te lichter tot een proye mochte werden van haere vyanden. Gelijck dat in sulcke tijdt oogenschynlijck gebleecken is, wanneer de Remonstranten, om haer stuck te boven te komen ('t welck sy by den Kercken van wegen haere ordre niet en konden obtineren) de Hooge Overigheyt omtrent het Kerckelijcke alle macht en gesach hebben overgegeven, den Kerckelijcken by nae niets overlatende, en dat noch seer gelimiteert, als den arbeydt van 't predicken, ende visitatie van de Gemeynte en krancken.

Maer gelooft sy de Heere, die U. Ed. Gr. Mog. tot noch toe eenen anderen sin gegeven heeft, om in billijckheyt tusschen beyde te gaen, nochte te sterck dese koorde treckende tegen de Kercke, nochte aen de andere zijde te slap latende hangen: houdende alsoo wyslijck den middelwegh tusschen een onmatige usurpatie van recht, en een onbetamelijck afstandt van 't selve. Als die nae hare groote wijsheyt wel konnen oordeelen, dat dese al te liberale overdracht van d'eene, meer is voortkomende uyt eenen ingenomen haet tegen de Kercke, als eene ware sucht en liefde tot uwe Hoogheyt: ende de scrupuleusheyt van de andere uyt eene sorchvuldige vreese en respect tot U. Ed. Gr. Mog. op dat sy haer met te veele tot sich te trecken niet en besondigen, mits *het verslinden van 't Heylige, 't welck den mensche eenen strick* werdt, Proverb. 20: 25. als oock om dat de Kercken, door verval van ordre en discipline (die Godt als een Godt van ordre en niet van confusie boven alle dingen sijne Kercke recommandeert) niet onmachtich gemaeckt en werden, om haer selven in sware tijden, ende de waerheyt te conserveren.

Soo is oock, onses oordeels, dese gewichtige saecke met sulcke maniere van schrijven en weerschrijven niet te vereffenen: Alsoo in desen, soo de saecken nu staen, geene decisie, als van partyen selve kan verwacht worden: ende een datelijcke decisie niet als by die de macht in handt heeft, geschieden kan. Waer van het Eerste soude wesen sonder vrucht, een yder van dese saecke oordeelende gelijck hy gesindt is, en d'eene of d'andere partye toegedaen, en in haere interesten ingewickelt: 't Andere, als het tot nadeel van de Kercke soude uytvallen, alsoo 't niet wel sonder een groot exces soude in 't werck konnen gestelt worden, soude niet anders konnen strecken als tot groote droefheyt van het grootste deel van uwe aldergetrouwste Dienaren, en een onverwinnelijck schandael van de Gereformeerde Kercken hier te Lande, die sich tot noch toe soo wel by hare ordre, onder de wijse Regeeringe van U. Ed. Mog. bevonden hebben.

Sulcx dat wy in allen desen, geen beter middel van uytkomste konnen beseffen, als dat de Kercken onder U. Ed. Groot Mog. vleugelen schuylende een van dese twee mocht geworden: ofte dat den Gereformeerden Kercken mochte gegunt worden eene by U. Ed. Groot Mog. geapprobeerde en geauthoriseerde Kercken-ordeninge, het sy soo als die in den Synodo Nationali tot Dordrecht Anno 1618. en 1619. is beraemt; 't sy soo als sy door onderlinge goetvinden en met gemeyn accoordt, soude konnen gerevideert en toe gestelt werden. 't Welck altijdt is geweest 't ootmoedich versoeck der Kercken. Of by aldien sulcx voor dese tijdt ondoenlijck geoordeeldt wort, dat dan de Kercken by provisie in de geruste possessie van haere gewoonlijcke ordre en gebruycken, gelijck als voorheenen en tot noch toe, alsoo voor 't toekomende mogen onverhindert persevereren en gelaten worden: tot dat in betere en vreedsame tijden daer in anders moge werden voorsien en gedisponeert. En ondertusschen tegen al dit ergerlijck en aenstootelijck schrijven, sulck een voorsieninge van U. Ed. Gr. Mog. werde gedaen, waer door de Kercken mogen werden gestelt buyten klachte en vreese: wanneer de vyanden van haeren welstandt en ordre sullen vernemen, dat dese maniere van doen U. Ed. Groot Mog. ten hoochsten onaengenaem is, en dat de Kercke in beteren reuck is by hare Overigheyt, als dese lieden haer selve en andere wel soecken diets te maecken en te persuaderen 't Welck doende, &c.

Uwer Hooch Mogende Onderdanige Dienaren de Professoren der H. Theologie.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.

XXIII.

Of ymand sijn Moeders Broeders Vrouw mach trouwen?

Eerwaerdige, Godtvruchtige, seer voorsienige Heere;

WY hebben met ontstelteniss gesien den Casum, van U E. voor gestelt: dat een Man sijn Moeders Broeders Vrouwe op toelatinge van Politijcken heeft getrout. Wat nu ons aengaet, wy konnen geene redenen sien, de welcke ymandt vryheyt in conscientie geven sulck een houwelijck aen te vaerden, ofte oock met sodanige vrouwe vleeschelijcke gemeenschap te gebruycken. Want sy is sijne Moeye. De Wet heeft klaer genoech getoont Levit. 18: 7. dat de eere van Moeder ende Vader gelijck moet in 't niet ontdecken van haere naecktheyt betracht werden. Ja ☩s 13. werdt expresse gesegt, *Ghy sult de naecktheyt der suster uwer moeder niet ontdecken, want sy is het vleesch uwer moeder.* Moet dan niet even soo wel de naecktheyt van des Moeders Broeder in sijne Vrouwe bedeckt blijven, als de naecktheyt van des Vaders Broeder in sijne Vrouwe? ☩s 14. Want de naecktheyt der Vrouwe ontbloten is so veel als des Mans naecktheyt ontbloten: als uyt den 14. ☩s te sien is. Ende is des Moeders Broeder niet haer vleesch? alsoo dat de generale regel hier plaetse heeft. *Niemant sal tot eenige naebestaende sijnes vleesches* (eygentlijck *het vleesch sijnes vleesches*) *naderen, de naecktheyt te ontbloten.* ☩s 6. Oock toont de natuyre, dat dit feyt niet alleen is tegen de eere, die men Ouders schuldich is, maer oock tegen alle eerbaerheyt. Want moet niet de gemeynschap ende bywoning in 't huys van eene Moeye onberispelijck ende sonder verdacht van onkuysche gedachten gehouden werden? So men dan Moeyen trout, hoe kan sulcke gemeynschap sonder verdacht te zijn wesen? Wy hebben oock uyt de Wet klaerlijck te leeren, wat dat te seggen is, *ghy sult de naecktheyt niet ontbloten.* Siet Levit. 18: 14. 20: 17, 18. Daeromme dan alle het gebruyck van vleeschelijcke conjunctie in sulcke personen verboden is, en niet kan geapprobeert werden. So is dan, onses bedunckens, van die luyden te veele gedaen, ende behoort dese casus tot het seggen des Apostels Eph. 5: 3. *Hoererie* &c. *laet onder u niet genaemt werden.* Want wy konnen 't anders geen name geven: nademael het oock seer naekomt aen de hoererie die den Apostel bestraft 1. Cor. 5: 1. Doch wat aengaet het remedie vinden wy ons seer bekommert. Gelijckewel dunckt ons het lijdelijckste, dat dese lieden by malkanderen wonen, als Moeye ende Neef, ende hare kinderen (de welcke politijckelijck gelegitimeert zijn) met malkanderen opvoeden, ende ondertusschen sich de eene des anderen onthouden; gedenckende, dat sy sich self met haer onbedacht houwelijcken onbequaem tot dit (soo langh sy beyde leven) ende tot andere houwelijcken gemaeckt hebben. Ende hier van wel onderrecht ende vermaendt zijnde, oock, nae overtuyginge, schuldt bekentenisse

teniſſe gedaen hebbende, konden op het getuygeniſſe van hare conſcientie verder tot des Heeren Avondtmael toegelaten werden. Doch was noodich, dat ſulcke vermaninge in aller ſtilligheyt, ende met verſchoninge der luyden geſchiede. Wy hebben na de weynich kenniſſe van ſaecken ende omſtandigheden niet anders konnen oordeelen. Ende bevelen U E. die wy tot aller vriendtſchap genegen zijn, midtsgaders de Kercke van die plaets in de bewaringe des Almachtigen.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hoornbeeck.

XXIV.

Reverendis, Doctiſſimis, Spectatiſſimis, piiſſimis D. Paſtoribus, Senioribus & Diaconis Eccleſiæ Leovardenſis, *Dominis honorandis.*

Reverendi, Doctisſimi, Spectatisſimi, Prudentisſimi, Piisſimi Viri, Domini honorandi.

Epiſtola, qua judicium noſtrum ſuper quibuſdam quæſtionibus flagitatis, quanquam nos contriſtavit nuncio diſſidii, quod inter vos eſt, tamen etiam exhilaravit, quum ex ea perſpeximus poſtulationem veſtram directam eſſe, non ad diſſidium alendum & exacerbandum ſed ad id tollendum & ſanandum. Nam illa nobis inſinuat, id eſſe ſimile diſſidii inter Paulum & Barnabam, & veſtrum votum eſſe, ut diſſidentes utrinque ſe noſtro aliorumve non ſuſpectorum conſilio permittere velint. Quod animadverſum nobis hanc cogitationem ſuggeſſit, eum, qui ſe dimitti petiit, id fortaſſe non feciſſe puerili ſtultitia & levitate, ſed ex quadam ægritudine animi, ut, quum id peteret, tum maxime non dimitti vellet: (præſumimus enim fidelem animarum paſtorem amare ſuum gregem, qui ſe ipſi commiſit, & non quærere ab eo abire, niſi occaſio detur majoris ædificationis & talenti locupletius exercendi) imprimis, quum videamus, Venerandam Claſſem etiamnum de eo retinendo laborare; & vos ſerio ipſum retinere cupiviſſe credamus; & eum à ſuo cœtu, cui inſervivit, diligi viciſſim, ut oportet, ſtatuamus. Et, quod cæteras quæſtiones attinet, ſimiliter cogitavimus, forte aliquid nos latere, quod ſi ſciremus, excuſatius judicaremus id, quod prima fronte ſatis grave apparet. Iccirco putavimus noſtri officii potius eſſe hoc quidem tempore non reſpondere tanquam de jure, ſed RR. VV. indicare, nihil & decentius futurum, & magis ex voto omnium piorum, quam ſi cogitent de concordia, & meminerint, Eccleſiam non eſſe ſocietatem eorum, qui rigide jus ſuum exigant, ſed, qui ſibi invicem gratificari & condonare parati ſint. De cætero ſi nobis erit aliquid impoſterum reſpondendum, mallemus ab utraque parte conſuli, & de omnibus, circumſtantiis informari. Deum pacis oramus, ut omne offendiculum ex medio populi ſui clementer tollat. Cui RR. VV. ex animo commendamus.

Lugduni Batavorum a. d. 9. Maji, 1667.

RR. VV. addictiſſimi &c.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.

XXV.

Qu. *An puellæ liceat nubere Eunucho? & an talis concubitus honeſtus ſit?*

Ampliſſimo & Conſultisſimo Viro D. Mauricio Junghans *J. V. D. Cauſarum patrono eximio &c. Domino noſtro plurimum honorando. Dreſdam.*

Ad quæſtionem, ſuper qua Ampl. Tuæ placuit collegium noſtrum conſulere, ita judicavimus reſpondendum: quod reſponſum Tm. Amplm. æqui bonique conſulturum confidimus.

Matrimonium à Deo inſtitutum eſſe, ut propagetur genus humanum, in confeſſo eſt. Neque obſcurum eſt, niſi libido in homine dominaretur, non uſurum fuiſſe corpore mulieris, niſi ad quærendam prolem. Paulus, quum juſſiſſet permitti matrimonium & non vetari ulli viro aut mulieri propter *ſcortationes* h. e. ne ſcortationes invaleſcant, conjugibus etiam præcipit ne ſe invicem privent, ne à Satana tententur. Id tamen cavet ſe dicere *per ignoſcentiam.* Igitur bonum eſt etiam matrimonium propter intemperantiam. David in ſenectute puellam duxit, ut calefieret. At non cognovit eam. Tamen ſenes etiam poſſunt generare. Non fuit igitur illa cohabitatio inhoneſta. Senibus viduis nemo ſuccenſet conjugium contrahentibus; quos & præſumtio eſt & velle liberos, ſi poſſent, generare, & alioqui ita victuros, ut ſenes ſolent. Viros juvenes vetulas nubentes nemo non vituperat, ſaltem apud animum ſuum. Si in conjugio fœcundo *συγγνώμη* eſt, in his jam plus quam *συγγνώμη* eſt. Si inde progredi velimus ad omnem permittendam conjunctionem, in qua ſimilitudo quædam eſt, quo non progrediemur? Eunuchus infelix eſt, qui fruſtra irritatur. At puella volens Eunucho nubere & alii non volens nubere, quid vult, niſi nec virgo eſſe nec mater? & pati, quod ad generationem inſtitutum eſt, at non parere? quis jam ignoſcet huic? certe quis probabit? Neque enim quæ ignoſcuntur, etiam laudanda ſunt. Docti merito exiſtimant Deut. 23: 1. quum Eunuchi excluduntur à cœtu Iſraëlis, etiam vetari ne Hebrææ etiam Eunuchis nubant. Habent conſolationem Eunuchi in Novo Teſtamento Eſai. 56: 3. 4. ſed non, ut non ſit turpis eorum laſcivia. Ideo & Legumlatores talem conjunctionem vetuerunt, & Sereniſſimus Saxoniæ Elector mulctam impoſuit ita conjunctis, & noluit rem in exemplum trahi. Non poſſumus igitur à nobis impetrare, ut eas nuptias dicamus. Nam quare mulctantur, quare non omnibus permittitur ſi hoc matrimonium eſt? quod ne quidem ſecundum inſtitutum Dei conciliatum eſt, quum, qui interpres fuit conſenſus ad tale contubernium, non auſus fuit commemorare verba Dei, quibus matrimonium ſancitum eſt: quippe intelligens non eſſe hanc copulam ſecundum inſtitutionem Dei. Quod igitur illicite factum eſt, quomodo reprehenſionem poſſit effugere, &, tanquam recte factum, permanere debeat, nos non videmus. Qui quidem vehementer inclinamur ad *συγγνώμην*, attamen honeſtatis legi non poſſumus, non audemus adverſari. Honoratæ nuptiæ: ne igitur nuptiæ dicatur conjunctio corporum, quæ honore caret; ſed potius ad alteram claſſem redigatur, quæ eſt abuſus corporis & ſui & alieni. Certum eſt, honeſtius facturos, qui ſe implicuerunt, cupiditate & ratiocinationibus decepti, ſi impoſterum abſtineant. Non videtur enim ipſis dictum, *nolite vos privare invicem.* 1. Corinth. 7: 5. quod conjugibus dictum eſt. Quid? ſi puella Eunucho juncta, quum aliquando reſipuerit, &, quod ſexus & natura ſuadet, cupiat non amplius maculari, ſed mater fieri, an conſenſu in hanc cohabitationem impedietur, ne ſit, ad quod eam Deus creavit? Et Eunuchus, ut ardori ſuo ſatisfaciat, ſubjugabit corpus frugiferum, & coget eſſe lignum aridum, ut ipſe eſt? Hanc honeſtiorem & tutiorem cenſemus eſſe doctorum virorum ſententiam; à qua diſcedere nobis religio eſt: donec firmioribus argumentis non eſſe inhoneſtum, nec multandum, nec prohibendum talem concubitum, nobis demonſtretur.

Scriptum Lugduni a. d. 28. Sept. 1668.

Ampl. Tuæ Studioſiſſimi Theologiæ Profeſſores.

Johannes Coccejus p. t. Academiæ Rector & Facultat. Decanus.
Abrahamus Heidanus S. Theologiæ Profeſſor Senior.
Johannes Valckenier S. S. Th. D. & Profeſſor.

Quum Reſponſum à D. Voetio & D. Mareſio, quorum hic Groningæ, ille Ultrajecti habitat, ad nos pervenerit, id veſtigio mittetur.

XXIV. Reve-

XXVI.

Admodum Reverendi & Clarissimi SS. Theologiæ Doctores, ejusdemque Facultatis in Illustri Lugduno-Batava Academia Professores Celeberrimi.

QUam primum D. Maresium inter & D. Altingium Theologiæ Doctores & Professores nostræ Academiæ celeberrimos, non solum quasdam simultates; sed etiam super diversis Theologiæ capitibus contentiones esse exortas, nobis nunciatum fuit, nostri officii, ne hæ in publicum erumperent dissidium, esse duximus, prædictas simultates dirimere, viamque concordiæ inter præfatos Theologos tentare. In hunc igitur finem inter utrumque in domo Provinciali instituimus colloquium, in quo ad nostram petitionem eorum alter causam & summa capita controversiarum, & alter super motas quæstiones mentem suam nobis exposuit. Quo oretenus ab utroque præstito, à nobis ob causæ pondus & momentum decretum fuit, ut D. Maresius quæstiones in præsentia nostra propositas scripto comprehenderet, & D. Altingius ad eas opinionem & sententiam suam candide declararet. Interea ad concordiæ & orthodoxiæ studium illos adhortati sumus, ne se invicem mordendo consumerent, neve defectu charitatis unitas Ecclesiæ & Academiæ violaretur. Verum illorum publicis Disputationibus & Concionibus nobis occasio intra parietes componendæ contentionis erepta fuit. Ne tamen ex hoc litigio Ecclesia, neve Academia nostra ulterius aliquod detrimentum caperet, consultum nobis visum fuit, vestrum potius requirere judicium, tanquam à partium studio alienum, quam nimio præfidenti animo in rebus Theologicis sine prævio Orthodoxorum Theolog. consilio aliquid decernere. Ob hanc ergo causam D. Maresii Theses cum D. Altingii. ad eas responsionibus ad vos admodum Reverendos & Celeberrimos viros transmittimus, rogantes, ut, utriusque scripto bene perpenso, nobis vestrum judicium & consilium, tam de rebus controversis, quam de componendi dissidii modo impertire dignemini; & præcipue an opiniones D. Altingii hæresin sapiant, ac formulis communis consensus adverſentur. Nostis quam multum Ecclesiæ Christi reformatæ ac nostræ Academiæ, imo & Reipubl. intersit, ut ob rei magnitudinem & consequentiam hæ simultates atque lites inter duos hujus Provinciæ præstantissimos Theologos in principio sopiantur: ideoque iterum atque iterum rogatos vos volumus, ut quam primum nobis responsionem vestram cum Thesibus D. Maresii & Apologia D. Altingii remittere non gravemini. Quod superest Deum Opt. Max. ex animo precamur, ut vobis magis ac magis in profitenda veritate Theologica Spiritu suo sancto benedicat, ac vos ad Ecclesiæ Orthodoxæ perficiendum ædificium diu conservet sospites. Valete.

Groningæ 28. Decemb. 1668. St. Jul.

VV. RR.

dediti Curatores Academiæ Groningo-Omlandicæ.

Nobilissimis & Amplissimis D. D. Curatoribus Academiæ Groninganæ, Dominis summopere honorandis, observandis.

Nobilissimi & Amplissimi Viri.

COntroversiæ, quæ in Academia Vestra inter Collegas exortæ sunt, nos non parum contristaverunt. De quibus quum N. & A. D. VV. nostrum judicium expetant, & nominatim, an in articulis oblatis à D. Maresio hæresis contineatur, itemque consilium, quid in hac re agendum sit: tum auctoritas vestra, tum charitas nobis injunxit, ut demonstraremus, nos nullius rei magis esse cupidos, quam imprimis quidem ædificationis in veritate, deinde & pacis, & honoris utriusque dissidentium Collegarum.

Quod igitur judicium nostrum attinet, observamus, D. Maresium accusatoris partibus fungi; in scripto quidem nobis oblato. Neque enim videre possumus, quomodo possit haberi pro defensore. Nam quod ipse putat, se pro defensore haberi posse, quia, quæ D. Altingius docuisse videtur, discedunt ab ipsius traditiva: nemini, ut remur, potest satisfacere. Potest quis, quæ vera novit, declarare, & tamen de fratre silere, ejus verba, si opus, benigne interpretari, saltem in eum non scribere Philippicas. Sed, si quis ad docendum vocatus, quum quid scripserit, putet sibi statim scribendum contra omnes, qui non plane idem loquuntur, & aliter de quibusdam rebus sentiunt, quasi ad ipsum solum Veritas pervenisset, quis erit rixarum & contentionum finis? Quod si etiam in Collegiis, lectionibus, concionibus, disputationibus & familiaribus colloquiis cum proceribus & membris Ecclesiæ ista accusatio frequentata est; quis id laudare potest? Sed de initiis hujus dissidii, &, quomodo id actum sit, melius VV. DD. judicabunt. Prudentia certe imperabat ut non inureretur stigma Collegæ, Viro docto, & à quo Ecclesia sibi plurimum boni potest promittere: qui saltem profitetur se velle retinere sermonem Dei & fundamentum, quod in eo traditum est; quemque constat Scripturas meditari die & nocte, ut ex illis proficiat: de quo non accepimus, eum publice aliquem unquam sugillasse & violasse. Fuerat habenda ratio Academiæ, & Ecclesiæ imprimis, quum jam proximis annis satis litigatum videamus, non magno cum fructu. Ad hæreseos vero accusationem procedere sine maxima causa, & Collegam ejus suspectum, atque ita inutilem facere velle, non est ejus lenitatis, quam Apostolus commendat etiam erga eos exercendam, qui se Christianæ fidei opponunt. 2. Timoth. 2: 24. Charitatis profecto erat, prius in sensum Collegæ diligenter inquirere, verba in bonam partem interpretari, & per Verbum Dei erudire aberrantem vel à sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, vel à doctrina quæ secundum pietatem est. Ut loquitur Paulus 1. Timoth. 8: 3. Imprimis non urgere præjudiciis humanis eum, qui se profitetur nihil extra Scripturam debere vel credere vel docere: cum omnibus Reformatis. Denique non debuit ad publicam ventilationem & disputationem deduci, quod facilius inter ipsos privatim potuisset componi. In qua re scimus & occasionibus & tempore opus esse & mansuetudine: idque imprimis, ut is, qui videtur errare, credere possit, non quæri ex se triumphum, sed communionem fidei, & profectus in ambobus. Tam enim oportet amantem veritatis paratum esse ad discendum, quam ad docendum. Et huc revera pertinet regula, quam Apostolus tradit 1. Corinth. 14: 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt.* Notat enim, Spiritus Prophetarum non omnia illis, qui priores prophetant, revelasse, sed etiam per posteriores quædam ipsos docere: ideoque hoc efficere in prophetantibus, ut, si sedenti aliquid reveletur, priores sileant & auscultent. vs. 30. Et hoc quidem ita dicimus, ut magis velimus accipi, ut consilium, quam, ut judicium. Nam, si illorum, qui collegæ sunt, animi exasperati & exulcerati sunt, quomodo apti sint ad se invicem monendum & corrigendum, non videmus.

Quod ad articulos XXXI. attinet, miramur affectationem numeri. quasi non potuissent illæ res in pauciores contrahi. Et nos quidem illos omnes diligenter & penficulate examinavimus, &, quæ utrinque dicuntur, contulimus. Observavimus autem, de quibusdam doctos non idem sentire; & salva compage fidei fieri posse, ut de eis alii aliud videatur, quales sunt quinque priores de mille annis Apocalypticis. Potest quis putare, eos needum venisse, & tamen esse orthodoxus. imprimis si de regno Christi & ejus adventu nihil contra Scripturam statuat. quemadmodum mentem suam declarat D. Altingius. Sunt conjecturæ incertæ, in quibus nihil definiendum est, & utrumlibet dicatur, parum refert; ut art. 6. Quidam videntur aliorsum detorti, atque Auctor voluit. veluti 7. 8. 9. 10. Est, ubi de vocabulo dubitatur, re salva. ut art. 11. & 12. & 13. Est, ubi quæritur, an dicta Scripturæ plus dicant, quam Auctor in eis vidit. ut 14. 15. 18. in quo etiam Calvinus infra vim verborum Prophetiæ subsistit. Quidam, de quibus conqueritur Auctor, non totam sententiam suam explicari. ut 16. 17. Quidam sunt ambigui. ut 19. ubi verba, *qua noster Sponsor*, faciunt ambiguitatem. Quidam sunt potius consequentiæ ex verbis Auctoris, quam sententiam Auctoris indicant, ut 20. 21. 22. 23. 24. 25. Est, ubi hariolatio Auctoris accusatur. quam ipse declarat se non magni facere. ut 26. ubi thesis aliud dicit, aliud Auctor. In artic. 19. & sequentibus septem videmur subodorari, inter D. Opponentem & Defendentem hoc interesse, quod quum hic dixerit, *Non tam hoc est satisfactio, quam illud:* id ille acceperit, quasi dictum esset, *Non hoc, sed illud est satisfactio.* Nam, ut D. Defendens se explicat, Omnia παθήματα secundum Scripturas Christo irrogata sunt satisfactoria, in cumulo: licet aliæ passiones aliis sint graviores. Non dubitamus,

bitamus, quin D. Defendens paratus sit, Pelagianismo, Remonstrantismo & Socinismo ex animo anathema dicere. Si per consequentiam talis error aut hæresis ei impingitur, videndum est, an ille admittat, tales consequentias recte deduci, & eas approbet. Aut enim non videt id sequi, & tum convincendus est, antequam crimen tale ei imponatur: aut, si videt ex suis positis id sequi, & tamen pergit defendere, erit αὐθαιρετικώτερος. Interim improbamus, ut qui maxime, illum agendi modum, ut, statim atque aliquis non recte nobis in aliquo sentire videtur, mox illum hæreseos insimulemus, ad invidiam illi creandam. Sunt & articuli, qui prima fronte videntur incommodum importare, & inter hos, qui tam incommode possunt accipi ex parte Opponentis atque ex parte D. Defendentis; quod tamen incommodum sana expositione tollitur & corrigitur. ut art. 16. 27. 28. 29. 30. 31.

Optassemus porro D. Altingium cogitata quædam sua diutius examinasse, & de eis prius contulisse cum amicis suis. atque etiam senectam & acre ingenium Collegæ sui reveritum esse, eique omnem occasionem ademisse dicendi, per ipsum stetisse, quo minus res privatim aut coram testibus componeretur. Optassemus etiam, ut animo sereniori fuisset coram Deputatis Synodi. Speramus autem, eum sua etiam atque etiam emendaturum.

De iis, quæ D. Maresius tanquam per Præteritionem adjicit, & quæ ad alios spectant: nihil dicimus.

Consilium nostrum hoc est. 1. ut D. Maresius apologia sui Collegæ declaret sibi satisfactum esse, eumque ab hæreseos suspicione absolvat; & deinceps de eo non nisi cum honore loquatur, idque recipiat se facturum: & vicissim D. Altingius recipiat, se monita Collegæ non spernere, eumque ob ætatem & merita honoret, ejusque ingenio se accommodet, atque ut amico utatur:- atque ita redeant in gratiam, sibimet invicem condonantes.

2. Ut D. Maresius moneatur, ut, quæ à Collega vel ab aliis dicuntur, non putet statim sibi esse insectanda, & ex iis faciat controversas quæstiones; neque sibi ita placeat, ut putet, se non posse emendari, aut habere sensum Christi tanquam suum peculium, aut nihil ex S. literis discere amplius posse, quam didicit; sed, quia Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, audiat, si quid sedenti revelatum est: non abutatur acri ingenio, abstineat ab exaggerationibus & sermone aculeato, ne verba ipsius sint, ut confossiones gladii, Prov. 12: 18. & eos, qui simplici corde in vinea Domini laborant, contristet aut in auditorum suorum derisionem aut contemtum adducere pro ludo habeat. Quo fine commendamus, quod scriptum est Matth. 7: 1. Ne judicate, ne judicemini. Item Jacob. 3: 17. Ephes. 4: 2. 3.

Hæc vos N N. & A A. Domini boni consulturos confidimus; quod & enixe rogamus. Deum vero veneramur, ut Vos & Academiam Vestram omni gratia & benedictione cumulet.

Lugd. a. d. 17. Jan. 1669.

N. & A. DD. VV.
Observantissimi

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Valckenier.

FINIS.

EPISTO-

EPISTOLÆ
ET EX
EPISTOLIS
EXCERPTA.

EPISTOLA I.

MATTHIÆ MARTINIO JOH. COCCEJUS.

Bremam.

Magne Vir, Domine Observande.

DE phrasi ista Aristotelica, τὸ τί ἦν εἶναι, sæpius cogitavi & qua ratione ita diceretur, & quid diceret. Putavi esse idem, quod τί ἐστι, eo quod viderem unum pro altero sæpe substitui. a. 2. Phys. cap. 7. c. 1. Met. 6. & 7. At comparantur inter se, tanquam diversa 6. Met. 4. verum ea obscura. Videbatur q. εἶναι esse παρέλκον, ut fit. ἑκὼν εἶναι & similib. ἦν autem pro ἐστὶ positum esse, dubium non erat. Exempla suppetunt multa sic sæpe apud Aristotelem, quum de re agit vel paulo ante vel aliquando tacta vel tractata. 2. Phys. cap. 7. ἢ ὅτι τοῦτο ἦν τὸ τί ἦν εἶναι.

1. post. c. 3. τοῦτο γὰρ ἦν κύκλῳ. & 1. post. 20. εἰ γὰρ ἦν ἐξ ἄλλου γένους εἰς ἄλλο γένος διαβαίνειν τὰ δεικνύμενα. 6. Met. 17. τοῦτο δ' ἦν τὸ ἓν εἶναι. Atque id voluit Antisthenes forte in Diogene. si legamus ἦν ἢ ἐστι. At nec notam Casauboni rejicio. Aristoteles autem ipse, neque id dissimulat, nunc strictius, nunc latius loquitur & confusius. Nam v. g. 2. Phys. 3. τὸν λόγον τοῦ τί ἦν εἶναι inter causas reponit. ita & 4. Met. 2. iisdem verbis. Sic λόγον τῆς οὐσίας & οὐσίαν alicubi pro eodem videtur ponere. at 4. Met. 8. τὸ τί ἦν εἶναι, οὗ ὁ λόγος ἐστὶν ὁρισμός. ita. 7. Metaph. 1. &c. Ne multa. Aristot. profitetur declarationem rei τοῦ Met. 3. 4. 5. 6. 17. Ex iis observo obiter hæc. (1.) ex c. 4. ὅτι ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου, ὃ λέγεται καθ' αὑτό. Jam 1. post. cap. 4. καθ' αὑτὰ δ' ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστι. & seq. At hic ea, quamvis obscurius inter se comparat, quasi distincta. (2.) has phrases: cap. 5. ἐπιστήμη γὰρ ἑκάστου αὕτη, τὸ τί ἦν ἐκείνῳ εἶναι. & ibid. τὸ τί ἦν εἶναι ἵππῳ, ἐνὶ, λευκῷ, ἀγαθῷ, Σωκράτει & sim. (3.) locum hunc c. 17. ἐπεὶ δὲ δεῖ ἔχειν τε καὶ ὑπάρχειν τὸ εἶναι, δῆλον δὴ ὅτι τὴν ὕλην ζητεῖ διὰ τί ἐστιν. οἷον, οἰκία ταδί. διὰ τί; ὅτι ταδὶ ὑπάρχει, ὃ ἦν οἰκίᾳ εἶναι. καὶ ἄνθρωπος ὁδὶ, ἢ τὸ σῶμα τοῦτο τοδὶ ἔχον. ὥστε τὸ αἴτιον ζητεῖται τῆς ὕλης. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ εἶδος, ᾧ τί ἐστι. τοῦτο δὲ, ἡ οὐσία. Adjungo ex 2. Phys. 3. τούτων δὲ τὰ μὲν ὡς τὸ ὑποκείμενον, οἷον τὰ μέρη· τὰ δὲ ὡς τὸ τί ἦν εἶναι, τό, τε ὅλον καὶ ἡ σύνθεσις, ἢ τὸ εἶδος. quæ & τοῦ Met. 2. (4.) ex cap. 4. hanc phrasin, quæ videtur & plenior & clarior. τί ἐστι τὸ ἱματίῳ εἶναι; ut sit hæc sententia phraseos. τὸ τί ἦν εἶναι id quod respondetur ad quæstionem, quid sit esse rei, quatenus talis est? quid det rei esse tale. ut hominem, equum. Ergo non est tota quidditas rei simpliciter, sed secundum eam partem, quæ rem constituit. nec λόγος ejus ὁ ὁρισμὸς simpliciter, sed quatenus ὁρίζει, & distinguit. Nam alioqui & materia, & substratum materiale, quod vocant, & genera æque essent τοῦ τί ἦν εἶναι. Nec inter causas esse posset, & quidem subjecto contradistincta. Nam v. g. speciei, ut hominis, essentia, sui sibi causa non est.

Hæc, quæso, ἀσύφηλα καὶ ἀκατάσκευα, R. T. boni consulat, quibus adjecissem aliquid, nisi tempore excluderer, & morbus vel memoriam vel libros evolvere prohiberet.

Addo disputationem Dn. Pasoris de voce πεπεισμένοι. Chrysostomum allegat, qui explic. ἀφωρισμένοι. Inde concludit, ergo de decreto id capiendum. Inspiciendum curavi locum. additum est: ὅρα τὸ τάχος τῆς βουλῆς. Ea verba videntur alium sensum gignere.

Sed Vale, Reverende Vir, & me amare perge,
Hamburgi . . . . Anni 1625.

EPISTOLA II.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

S. P. Dilectissime D. Tobia.

NIsi mihi in recenti memoria hæreret, ardentissima illa & summi desiderii index obtestatio tua, qua mihi curam literarii officii coram nuper commendabas; meaque promissio, non illa quidem fide sed fortuna destituta: nisique jam olim in hac parte à me peccatum esset, cujus meæ culpæ non alia quam tua tam benevola mente repostum vulnus non manere non potest; excusatione apud te uterer cum occupatiuncularum mearum, (si mavis, torporem nomines licet) tum non repertæ hactenus occasionis, qua literas recte mitterem. Quare ego ad deprecationem, solum animi amici deleniendi instrumentum, confugio: te orans vehementer etiam atque etiam, uti ne hanc noxam amico tuo CUNCTATORI imputare velis. Agnosco crimen, agnosco, naturæ an consuetudinis? vitium. non excuso, sed deprecor. certo persuasus, me hac ratione non modo succensendi, sed & expostulandi locum omnem sustulisse. Quare, si me amas, seu potius quia me amas, (nefas enim mihi dubitare per illud inviolabile Sacramentum quod apud FIDEI aram mutuo dedimus) libera me, quam primum potest, solicitudine mea, id est, fac sciam, quem locum apud te repererit deprecatio mea. En, sum liberalis; subministro scribendi materiam. Scribe hoc, Impetrasti, amice, ne tibi irascerer: aut, si mavis, Fidem facis, te imposterum officium facturum. Adde & hoc, quonam in statu res tuæ sint, & quæ Academiæ conditio. Utrumque tam scire aveo, quam quod maxime. Addes his, quod tuum dives ingenium ad nos oblectandos tibi suggeret. Hoc scias velim, quo longiores erunt literæ tuæ, eo magis me intellecturum deletam ex animo tuo omnem sinistræ de me suspicionis maculam. Jubet me finire chartæ modus. Igitur verbo desiderium meum tibi exponam. Nihil magis desidero, mi Tobia, quam intelligere & prosperum statum tuum & me à te amari. Quod quam serio cupio, tam de affectu erga te meo dubium tibi esse ullum, aversor atque abominor. Salutabis, quoscunque notos & benevolos istic habemus, nominatim D. Kirchosium, eumque ad scribendi voluntatem tuis delinimentis adduces. Nostin' quendam Davidem Wieck Rigensem? Eum quoque meis verbis salvere jubeas velim. Vale.

Dabam 5. Januarij. Anno 1629. quem tibi & multos sequuturos faustum & prosperum precor.

EPISTOLA III.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

S. P. Amicorum optime.

Literas vestras dulcissimas, elegantissimas recte accepi. Ita merear à vobis amari, uti vos de illis amo. Sitim meam non restinxistis, sed auxistis: sitim & desiderium tum plurimarum talium, quæ mihi auro contra caræ, literarum, tum jucundissimæ vestræ præsentiæ atque eruditi commercii. Tu vero, mi Tobia, plane vaticinabare, quum scriberes. Argumento sunt Versus testes sincerissimi affectus, sed, patere ut dicam verum, corrupti judicii. Errasti in persona: τὸ πρέπον neutiquam tenuisti. Aliis istæ laudes melius sederent. De me memineris, μηδὲν ἄγαν. Sed nos quidem meliore occasione pluribus fabulabimur. quæ si tibi prius obtinget, quam mihi, quod & D. Kirkhofium τὸν φίλτατον rogatum volo, eam ne omittatis mirum in modum vos obtestor atque obsecro. Τὸ δ' οὖν ἔχον, ἴσθι, ὦ φιλτάτη κεφαλή, ἐμὲ συγχαίροντα μὲν ἐξαισίως τῇ σῇ εὐθυμίᾳ· μακαρίζοντα δὲ τῆς ἀρετῆς καὶ καλοκαγαθίας, καὶ τὸ πολλὰς ὠφελεῖν προσδοκῶντα· οἷα καὶ τοῖς ἐγγόνοις αὐτοῦ τὸ κάλλιστον πλοῦτον τὴν δι' ἀρετὴν εὔνοιαν παρὰ τοῖς ἐσθλοῖς θησαυρίζοντα· ὁμοίως δὲ ἐξοπλίζοντα τὰς κτηνώδεις ὁπόσας ψυχὰς τάς τα χρήματα καὶ τὸ γαστρὸς ἀπόλαυσιν τὰ πρῶτα καὶ ἄκρα πάσης εὐδαιμονίας ἡγείσας, οἷα καὶ ἑαυτοὺς διὰ τὴν φιλοχρηματίαν πάντων καλῶν στερίσκοντας, καὶ τοῖς παισὶν οὐδὲν σπουδῆς ἄξιον καταλείποντας· σοῦ τοίνυν δὲ τὴν σὴν φιλοτιμίαν τὸ κάλλιστον ἐπαινοῦντα προαιρέσεως, τὸ μὴ ἀνάξιον τὸ περὶ τοὺς προγόνους τιμῆς καὶ εὐνοίας κληρονόμον ἀγαπᾶν γενόμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν διὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ταύτην κτώμενον φαίνεσθαι βούλεσθαι καὶ φιλοτιμεῖσθαι. εὐτύχει, ὦ φίλε, καὶ ἡμῖν, δὴ ἐπιεικείας, οὐχ ἵνα τὸ σοῦ προπατέρων ἀλλ' ἐμοῦ παῖδας ἐν σοὶ λείπειν. Non putabam me tantum Græci sermonis retinuisse inter assiduam stercoris Rabbinici volutationem: sed affectus meus, quicquid uspiam reliquum, ex abstrusissimis memoriæ penetralibus erutum in voti formulam effudit. Literas inclusas, quoniam rectius non poterat fieri, ad te destinavi, fretus tua amicitia. Peto majorem in modum, eas Davidi Wiekio reddas: illique meis verbis summam salutem dicas: moneasque ut rescribens, certiores nos faciat, ubi à literis Franequerensibus quæri & reperiri debeat. Sed vale; & me alloquio tuo sæpius bea: Salveant omnes noti & benevoli. Raptim 4. Februarii. Anno 1629.

EISTOLA IV.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine honorande.

ET Parentis tui, laudatissimæ memoriæ, & Tuum, jam aliquoties de egregio publico bene merentis nomen dudum mihi desiderium amicitiæ tuæ injecit. Accedebat amor eorundem studiorum, quæ & operâ Parentis tui optimi mirum quantum processerunt, & Tua, adjuvante Deo, ut initia eximia persuadent, porro ad apicem lucis & facilitatis deducentur. Atque ego quoque sic existimabam, quandoquidem ex scriptis Parentis tui maximum fructum, maximumque ad eam partem doctrinæ, quæ mihi divinitus concessa est, adjumentum accepissem, id non tantum publice testari, sed & privatim officio omni pensare jus ac fas esse. Præterea est apud nos grata memoria Buxtorfiani nominis; quo qui fuit apud nos Syndicus meritissimus, in legatione pro Patria mea Deo suo Spiritum reddidit. Isti autem desiderio meo hactenus verecundia mea & locorum intervallum obstitit; quo minus Tibi affectus meus atque animus innotesceret. Quamobrem non possum mihi non summopere gratulari de ea occasione, quæ mihi per Tuam humanitatem data est, voluntatem meam significandi. Nuperis enim nundinis Francofurtensibus per Virum Reverendum, D. Petrum Varenholdium, quem ego permagni facio, amica ac benevola salutatione ad amicitiam me invitasti. Quod ego mihi valde honorificum duco, & in magni beneficii loco pono. Non debui igitur, nec sivit affectus meus, tam opportunum tempus prætermittere, quin Tibi voluntatem & amorem meum exponerem. Quare ita velim statuas, Vir Reverende, me & optime sentire de laboribus tuis in commune bonum sumtis, & Deo optimo maximo gratias agere, quod in decrepita hac mundi ætate non subtrahat Ecclesiæ dona Spiritus sui, sed ea etiam ita liberaliter effundat, ut his veluti clarissimis testimoniis intelligamus, non ita ipsum adversus nos animatum esse, ut non in ira sua etiam meminerit misericordiæ. Nam quid majus nobis potest obtingere, quam extare apud nos Verbum DEI, ita, ut à sanctis Viris divino jussu & instinctu prolatum & consignatum est; atque esse etiam, qui ejus sensa fideliter & simpliciter aperire & possint & velint? Mihi certe ita persuasum est, si speranda sit in orbe Christiano & non-necessariarum litium compositio & morum emendatio, tum eorem, divino adjutorio subveniente, per ducendam esse; ut studiosi sciant ac statuant, sibi ad scientiam rerum divinarum, nihil magis necessarium esse, quam tabulas utriusque Fœderis legere ac meditari, ut & ipsi intelligant, & de iis alios dextre ac solide cum πληροφορίᾳ erudire possint, non ita, ut in publico bene ac ornate, vel saltem tolerabiliter, dixisse videantur, sed ita ut in conscientiis hominum & lumen & incendium excitent, tanquam illi, qui non frustula divini sermonis commendicata & suis verbis sententiisque interpolata famelicæ Ecclesiæ venundent, sed qui potentes in Scripturis & ad omne bonum opus instructi verbis Dei & Spiritus ejus pascere & satiare animos studeant. Quod tum fieri maxime & plenissimo fructu poterit, quando nobis Verbum Dei desierit esse barbarum. Ad quam rem nobis à Parente tuo & Te ipso ingens nuper allatum est adjumentum. Novam Concordantiarum editionem indigito. Cujus cæteras utilitates taceo. Quod vero hoc instrumento naturam & genium proprietatemque divini sermonis cognoscere possumus, id tantum est, ut dici satis non possit. Ego quotidie experior, quantum sit hoc labore allatum sacris studiis facilitatis. quod opus, dum semper in oculis manibusque est, non sinit animum Vestri memoriam intermittere. Tu vero, Vir optime, ita pergas, & ocium ac laborem tuum Ecclesiæ ac honori Dei nostri consecres: certus, non defuturam labori mercedem, quæ eo major erit apud Deum, eum solum spectantibus, quanto minor in hoc ingrato seculo dignis contingit. Vidi etiam Versionem tuam Latinam operis Maimoniani oppido felicem, qui Rabbi nobis in variis viam aperit de multis ad solidam cognitionem Verbi Dei pertinentibus cogitandi. Nunc expectamus, ut absolutissimum Lexicon Rabbinico-Talmudicum Parentis tui nobis communices, quod permultum faciet ad sanctam linguam illustrandam & Talmudis notitiam publicandam. De cujus utilitate quid sentiam alibi declaravi. Mihi certe videtur prope abesse illud tempus, quo Deus scindat illud velum omnibus terris injectum, quod superest adhuc, & multis, qui Christum ejusque regnum non agnoscunt, interque eos Judæis, oculos aperiat, ut ad Deum suum & regem suum convertantur. Quis igitur dubitet, utile esse atque opportunum, ut illi nobis, nos illis fiamus paulo notiores ac familiariores? Quo certe imprimis ille labor spectat. Sed Deus nobis orandus est, ut omnes cogitationes, consilia, dicta, facta nostra ad nominis sui gloriam & manifestationem regni sui clementer dirigere dignetur. Quo voto claudo, ne epistolæ modum excedam. Ego, Vir Reverende, Te & tua studia Deo optimo maximo, meque vicissim tuo amori commendo.

Scribebam

Anno 1633. a. d. 26. Augusti. Bremæ.

EPISTOLA V.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Sal. & Off.

Vir Clarissime atque Excellentissime, Domine ac amice summopere amplectende.

QUum desiderium præsentiæ tuæ illiusque jucundissimæ consuetudinis nondum argumento necessitatis compescuissem, tum minime id conquiescere passus est vultus ac sermo optimi fratris tui. Ita enim similis indoles, candor, virtus, eruditio ac facundia, ut unum videre atque audire non possem, quin de altero cogitarem. Accedit summa in me amando conspiratio. quem amorem nullo meo merito sed Numinis favore consecutus ex animo gaudeo atque exulto. Utinam vero propiores esse invicem, officiaque nostra ac studia sociare possemus. Τὰ δ' οὐκ ἐπ' ἀνθρώποισι κεῖται· χρὴ δὲ σοὶ θεῷ οὐκ ἐρίζειν. Labores tuos, quibus excusas scriptionis tarditatem, agnosco. quando & ii non uni sunt, & tu tibi non parcis. Tibi vero qui non ignoscerem, cui nihil agenti solidus sæpe perit dies? Juste typothetam stupratorem tui carminis accusas. Sed quid facias? Cum istiusmodi hominibus, qui libentius cantharum quam capsam literariam

literariam inspiciunt, quid mandamus, ab initio nos male habitum iri sperandum est. Ipse idem non semel expertus sum. D. Buxtorfio p. m. carmine parentaveram. Id Basileæ ita excusum est, ut quædam, quæ induxeram, scriberentur, alia, quæ rescripseram, omitterentur; itaque nec sensus nec metrum constaret. Legens primum dolui, deinde risi. Hoc & tu facies. Hoc tempore eidem nostræ officinæ Ecclesiasten meum harmonice dispositum & succincte expositum commisi. Quid scio, quomodo accipiar? Verum vel sapientes culpam alienam agnoscent & non imputabunt, vel sapientes stultorum ut encomia ita & vituperationes contemnemus; neque gaudentes nostro εὐθυμήματι neque dolentes nimium lapsu humano. Non audeo tibi de epigrammate negocium facessere, quando & alias mihi vigilasti, & fortean animus hanc officinam horret. Veruntamen si quid tua sponte voles adjicere, scias, mihi & acceptissimum id fore, & curaturum summa diligentia, ne quid labis accipiat. Non memini, me tibi promisisse librorum indicem. quod si feci, τὸ ὑπὲρ δύναμιν promisi. Nam quos ego nominare libros possim, quos tu ignores? Deinde si maxime potuissem, affirmo tibi, me animum ab ista cura nunc ita penitus abducere, ut nolim scire, quod sciam: quandoquidem mihimet comparare hoc rerum statu bibliothecam, ἓν ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Hic ego ad me ipsum soleo μὴ φίλα ψυχὰ βίον ἀθάνατον σπεῦδε. τὰν δ' ἔμπρακτον ἄντλει μαχανάν. Probo interim tuum institutum, Deumque oro, ut in omnibus tecum sit sua gratia, faciatque omnia studia tua redire ad nominis sui gloriam. Vale charissimum caput, & meis verbis per occasionem D. Gomaro, Altingio, Pasori, Uchtemanno plurimam officiosamque salutem denunciato: quumque licebit per labores tuos, me identidem literis tuis suavissimis affare.

Scribebam Bremæ, 3. Martij Anno 1636.

Ode in Obitum
D. JOHANNIS BUXTORFII
SENIORIS.

Stroph.

Μακρὸς ἴσθ' ὁ δυσσεβέων βραχὺς αἰών.
Ὁ χρονιώτατος δὲ μικρὸς εὐσεβέων.
τῶν γὰρ εὐδόξοις ἀθανάτοισι μεμηλό-
των βίος ἀκοπίτης
ἀστραπὴ ὡς φαίνεται ἠδ' ἀπολήγει,
ἄκρα δὲ λείπει ἀχλὺν ὀφθαλμοῖσιν ἀνθρώπων διαφεροῦ,
σφαῦμα τ' ἐν ταῖς φρεσὶ πικρόν.

Antistroph.

Τοῖος ὑμῶν ἥλιος ἐξεφαάνθη,
μέγα δὲ φέγγος ἧψε παντευχοῦ σοφίας,
καὶ σκότος θείων ἀδύτων ἀπέδωσε
μαρμαρυγαῖσι νόος.
νῦν δ' ὡς κεῖται κεκαλυμμένος ἐν γῇ
πρὸς ἄχος ἡμῖν τεῦξε θνήσκων
καὶ γόον ἀριμόν τε πόθον
πρὸς κραδίαις ἐχθροῖσι χάρμαν.

Epod.

Τὰν γραφῶν ἐπώνυμος ἡ βασιλεία
γλώσσας θρέπτειρα πάσας, τὸ παθεῖν,
ὅπως αὐδῆς θεσπεσίης μέλιτι
ῥαίνεσθαι ἐν τῷ λαίνεσθαι ἐπὶ
ἱμέρῳ κῆρ σφίγγεται. τίνα δ' ἡσυχίαν
ἀπολαύσ' εἰμάρσεται ἐν θρεμμάτων,
ἡ φρενῶν πόνοιο τε γλυκεῖα τροφὸς,
σωφροσύνης θυγάτηρ,
μοίραις κεχρημένη
βαθμίδ' ἀργαῖς
εἴσοις ἃ τέκνα.

Stroph.

Ἔστι μὲν βέλη θανάτου ἀπαλύξαι
ἀδύνατον φύντ' ἐφημέριον βροτοῖς,
μοῖρα δ' ἐς εἰς γᾶν ἰέναι, ὅπερ οὐκ γῆς.
ἀθάνατος δὲ νόος
εἰς ὅσον χρυσὸς πυρίδηται ἀνάγκαις
βραχὺ ἀποστίλβει φάος σοφ-
θὲν, λυθεὶς δ' ἂν καθαρῷ
μίγνυται πηγαῖσι φωτός.

Antistroph.

Ἐλπίδος γὰρ εὐσεβέων τέλος ἔρρει
ἅμα μόρῳ χαμαιπετὲς, λόγοι ἄλογοι,
κρεισσόνων δ' ὃς κ' ἐλπίδ' ἔχῃ ἀπαλλαγὴν.
ζεῖ ἀγαθῶν κορυφὰς
ψαυδίαν, καὶ τὸ εὐφιλὲς βιοτεῖν.
ἐθέλει γνώμας ἡμερώσας
ὑπέρχεται γνῶσαί τε θεὸν
καὶ σέβειν θνητοὺς θεοῦ δέ.

Epod.

Ἀπέπτα δὲ ταύτῃ πατρὸς οὐ ἐπὶ κόλπον
ἦλθε ψυχὴ φίλη Βυξτορφίου,
ζῶσα δ' ἐμφανέων ἀφάτων αἰεὶ
φαεὸς ἀλκάν τε βλέπει
ἀτρεκέως. εἰκὼν δὲ πατρὸς τῶν ἀρετῶν
ὁ γόνος οὐ ζώει πατρὶ τῇ δε νεοχμῷ.
ζῇ δὲ ἐν βίβλοισι καὶ ἐν στεφάνοισι
ἀμετέροισι· θανὼν δ'
ἀγαπητῶν μὲν θεῷ
ὠφέλιμος δὲ βροτοῖς
ὄλβος μέγιστος.

EPISTOLA VI.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

S. & O. Amice Charissime.

Salus mihi nuper dicta non modo tuis, sed etiam Domini Gomari & D. Altingii verbis à D. fratre tuo & quodam studioso gratissima mihi fuit. Intellexi ex fratre tuo, expectari à te literas meas: quod scribendi meæ vices sint. Si ita est, hoc tempore ea vice fungar: non quidem habens, quod tibi scribam valde ad te pertinens, sed quia commoda occasio est. Hunc tabellarium mitto Leoverdiam ad Curatores Academiæ Franequeranæ, à quibus vocatus sum ad Professionem. Diu perplexus fui, & Senatus noster beneficio retinet. tamen videtur mihi res non aspernanda, quantum ego nunc video. Tu si quid habes, quo mihi in hac re possit esse hermæ loco, ut sciam, quo mihi eundem, benigne & amice facies, si impertias, idque non per hunc tabellarium, sed quam primum. Vale optime. D. Gomarum, D. Altingium, cæteros D D. Collegas officiose ex mea saluta.

Raptim Bremæ a. D. 27. Julii 1636.

EPISTOLA VII.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Sal. & Officia.

Vir Clarissime, Amice Honorande.

Gratas fuisse tibi literas meas festinatissime scriptas de statu meo, gaudeo. Fecisti officium, meque insigniter obligasti, cum tam aperte & candide, quod in rem meam esse tibi videretur, explicasti: neque dubito, ardentissimis te votis me isto abeuntem velut comitari. Affers u sane rationes non ineptas, quibus me ad amplexandam conditionem impellas: &, ut verum dicam, eo usque processit negocium, ut, nisi magnum impedimentum interveniat, videam mihi necessarium obsecundare. Nam quæ ego propensius ad D. Curatores scripseram, ita ii interpretantur, quasi jam addixissem; & dum cunctor ego, ipso silentio meo hæc opinio illorum corroboratur auctoritatem accipit. Retinet tamen me, retinet, non abnuo, amor meorum & patriæ, amorque jucundi officii; terret peregrinitas & non minimum sæviens lues. quæ quidem ita grassari in istis partibus dicitur, ut vel in medium ignem vel saltem per ignem veluti eo mihi videatur esse penetrandum. Quod si id malum non fuerit mitigatum, ut me non commoveam, verius ac rectius esse puto. Nam quid & agam, ubi ob luem juventus non conveniet? uti apud vos nondum eam ob causam lectiones instauratas esse, inaudivi.. accedit terrori nostro, quod uxoris meæ soror Monasterii subito ea lue extincta nos solos & præsumto in peregrinitate solatio orbos destituit.

destituit. Denique adhuc conjux mea ex nupero puerperio non satis recreata est. Dum id expecto, Deus voluntatem suam mihi aperiet. De cæteris rebus, si Deus voluerit, alio tempore, aut coram. Nunc, quod nuper præ festinatione omiseram, gratias tibi summas ago de carmine, quo ornare Ecclesiasten meum voluisti. Vehementer doleo, id non citius ad me perlatum esse, quam typographi moram indignantis murmure & pœne convitio meus liber extrusus esset è typographeo. Sed factum est mea culpa, qui non pro merito sacrum auctorem tractaverim, sed nimis obiter atque κατ' ἀφοσίωσιν. quare citius absoluta est ea opera. Ego interim in parvo & brevi partu, quam in grandi, infelicem esse, minus infelix judico. Nescio annon de eo epigrammate loquaris in epistola tua, quum infelicem partitudinem tuam quereris. Nam una vox est, quam ita docte pingis, ut nullo modo eam legere possim. Scis autem, Doctorum esse male pingere literas. Ignosces joco. Scio enim te à me in hac parte nihilo melius tractari. Deus te sospitet; vota autem tua & consilia nostra in salutarem finem dirigat. Vale quam optime & me ama. Amicos plurimum ex me saluta. Scribe, quantum potes, quam bene valeas, & quæ sit justis in oris istis potestas. Nam ad istum nuncium mihi res meæ comparandæ sunt. Vale iterum.

Raptim 1. Septembris 1636.

EPISTOLA VIII.

GERHARDO COCCEJO JOH. COCCEJUS.

Bremam.

S. P. Frater Charissime.

HEri in prandio fida aure excepi, quomodo in animo haberes tuo antagonistæ &, ut ita dicam, Satanæ (nam hoc adversarium & ad malum tentantem significat) respondere. Qandoquidem vero fundamentum tuæ responsionis cum mea sententia convenit, judicavi & meum esse & tibi non ingratum fore, ut à me in illa sententia aliquo modo confirmeris. Sumsi hanc audaciam, quia alias animadverti, Te bona consilia non aversari. Probe & recte respondebis, Te nolle cum ipso in conviciandi certamen descendere. Nam id Christianis prorsus indignum est. Quanquam Tu hoe non ignoras, velim tamen mea causa perlegas 1 Pet. 3. à vs. 9. usque ad 16. ut, si forte id in mentem jam non venit, quod tamen valde opportunum est in tali negotio cogitari, scias, te ita respondendo non modo omittere, quod malum est, sed & tibi optime consulere, & facere hoc, quod Deo impense placet. Incipit is locus ita: *non reddentes malum pro malo, aut convicium pro convicio: contra vero, benedicentes, scientes quod ad illud vocati sitis, ut bened. &c.* Quod si igitur Christo hic pares, Christianus es, & si quid propterea patiendum, ut Christianus pateris. At hæc nostra gloriatio est. Convicium autem est non tantum, quod falso alicui impingitur, sed & quod vere impingi potest, si fiat non ad emendationem sed ad infamationem alterius. Distinguenda tamen est à convicio fraterna correptio & doctrina: quæ etiam non nunquam requirit, ut vitium fratris suo nomine appelletur. Exempli gratia, si dicas, adversarium tibi conviciari, hoc non erit convicium, credo; etiamsi conviciari non sit honestum sed valde pudendum, & ita, cui hoc objiciam, rem pudendam objiciam. Ita si dicam, mihi injuriam fieri, non convicior; licet injuriam facere malum & pudendum sit. Quando igitur ex his fiet convicium? Opinor, si dicam, Conviciator, Injuste, Male; idque per iracundiam & cum intentione pungendi & dolorem afferendi. neque enim, opinor, id ex charitate & studio emendandi proficisci potest, quod certo scio magis irritaturum quam emendaturum, cui dicam. Utar adhuc alio exemplo. Si homicidæ dicam; tu ex ebrietate hominem occidisti; cave tibi imposterum ab ebrietate; non erit convicium, sed admonitio. Si dicam, Homicida, Latro, etiamsi vere dicatur, jam convicium est. nam etiam verum est convicium, nisi me animus fallit. Sumamus exemplum ab ore Christi: si quis dicat fratri suo, Stulte. non dicit, si quis dixerit, stulte agis; aut si omnino quis stultum vocet in correptione, cui emendatio proposita est: sed si quis per convicium dixerit. Minimum nominavit, ut colligatur, quid de majoribus sit sentiendum. Ubi manet igitur illud, Scapham, scapham? Nos nobis, proh dolor! imponimus. Si igitur eum, quem pudoris rationem non putem habere, dicam Impudentem & de industria impudentem, quid est? Estne convicium, an non? Considerari id velim. Neque enim

- - - tibi dicendi
veniet tam læva cupido,

ut posthabito timore Domini, & quod non possis in nomine ipsius facere, velis dicere. Fer me adhuc paulum, mi frater. Nolim nos ironia uti, quum dicimus: Nolo tibi conviciari. Vel si aliter est, nolim nos illud dicere. Deus intelligit ironias & solet eas proprie explicare. Nihil vitupero. Tantum expendatur etiam atque etiam. Justus semper timet. Prov. 14: 15. 16. Nemo tam innocens est, ut non aliquid ei cum specie possit objici. Ne Deus quidem calumnia vacat. Quid enim nos, qui tam segnitur ejus suasus approbamus? Quisquis igitur Satanam suum ullo dicto in se irritat, gladium ei porrigit. Non deest Diabolo fraus ad mendacium fingendum; non deest hominibus audacia ad proferendum. Et quid putas; taciturum adversarium, si pungas? At quid si non tacebit? Tunc tacebis? At nunc tacet. Retaliabis? Quod igitur negas te facturum, tum facies, & incendio isto iræ & doloris conflagrabis, saltem æstuabis. Nec tantum Tu. Mi frater, non sumus nos tam perfecti, ut non moveamur ad iram, ut non turbemur. Novi ego fluctus maris nostri, & quoties cogito, cohorresco. At honor? inquit caro. Hæc est esca tentationis: si deglutis, hamus tenet. Quis est qui vos vituperabit, ait Petrus, si eritis imitatores boni? Vel si quis reprehendet, non ne hæc gloria nostra est? Nonne Deo judice contenti sumus? Ne in nos competat illud Servatoris: Vos honorem ab hominibus quæritis, apud Deum non quæritis. Nihil igitur dicendum? Non jubeo. Sed tale quid dici velim, quo & te culpæ eximas & adversario non possis videri dolorem voluisse reponere. Subit mihi formula non illepida, qua M. Lutherus usus est aliquando, cum rem haberet cum quodam duce. Video inquit, te esse in tentatione (**anfechtung**) illius vel illius vitii. Quid si igitur sic: Nolle Te cum N. N. convicиis certare. videre, aut vereri te, ipsum tentari ad conviciandum. nolle ei esse offendiculo, ut capiatur à Diabolo. Magnum enim periculum esse, ne regredi non possit. Ibi, si lubet, adderes: nam qui semel verecundiæ limites transsiluerit, eum oportet esse gnaviter impudentem. si tamen neque sic destiturus sit, monitum velle, ut adeat Psalm. 52. aut similem, caveatque ne in idem incidat judicium. Ut ut autem futurum sit, te statuisse ei non respondere, sed rem Deo committere. Forte hæc tibi non displicebunt. Quid autem ille? Nescio. Ridebit? Tumultuabitur? Nescio. Nisi hoc mihi videtur, Conjurasse Satanam cum suis angelis adversus nos hoc ipso tempore; ut nisi Deo serio & cum lacrimis & ardentissimis gemitibus invocato, uti nos in tentatione conservet, vix sine noxa evasuri videamur. Tu vero, cum dilecta, & dilectis fillolis, vale, mi frater, & Diabolum fortiter vince. Amen.

Bremæ. Anno 1637.

EPISTOLA IX.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

S. C. O. Vir Clarissime, Amice Optime.

AMo te, quod non irasceris mihi negligenti, & irasceris negligentiæ. Illo enim affectum tuum demonstras; hoc mihi stimulum subdis & argumentum præbes. Neque tamen fortassis, hæc mea est inertia, statim rescripsissem, nisi adjecisses aliquid, ad quod mihi statim rescribendum putassem, & commodùm D. Hermannus Mercator popularis meus officio asportationis se obtulisset. Commendas mihi Reverendi & Cl. Viri D. Altingii filium. Utinam de illo possem bene mereri! Certe hac D. Altingii opinione de me & fiducia nihil mihi puto posse fieri honestius. Ingenium juvenis non ita pridem commendatum est mihi à bono & erudito juvene Keidtwerdio Vesaliensi. Vidi etiam, unde conjecturam de studio & profectu ipsius in literis Græcis & Orientalibus capere possum. De me autem: hoc tempore non sum plane in mea potestate. Nosti, superiori æstate obiisse diem suum sororem optimam uxoris meæ. Ejus hæreditas Monasterii est: & propter ejus obitum non modo tota hæreditas & patrimonium conjugis meæ omni administratione caret, sed etiam ejus fructu prohibemur à magistratu, qui nobis negocium facessit de portione hæreditatis. Sunt alia complura, quæ nostram præsentiam exigunt. Statuimus igitur, si id omnino fieri possit, sub ferias Caniculares eo excurrere. Sed Deus scit, an non id nobis eventurum sit, quod vulgo dicitur, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Alioqui sane per ferias istas meliorem διατριβὴν non nossem, quam cum tali ingenio & tanti viri sobole conversari. Sed dabit nobis Deus, ut spero, ut deinceps aliquando fruamur nobis. Quod quum sine ipsius incommodo fieri poterit, ego pro mea parte operam dabo, ut quam commodissime & honestissime pro voto ipsius fieri possit, apud nos sit. Hæc raptim tibi volui rescribere, ut aliquo modo propositum meum perciperes: de quo Deus ita dispiciat, ut nobis salutare est. Rev. Virum D. Altingium ex me officiose salutatum cupio.

Fran. a. d. 26. April. 1637.

EPISTOLA X.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Clarissime Vir, Amice Honorande.

PEropportune operam tuam obtulisti. Ago gratias, & utor fidenter, amicorum jure. Pæne ivissem comes ipse. Sed attineor multis compedibus. Comitem igitur do ingentem literarum fascem: quem non puto certiori patrono committi, ut in tempore adsit, ubi eum esse oportet. Inest epistola carmine tui scripta ad sobrinum meum Consulis Wachmanni filium nuptias celebraturum d. 24. Julii. Ibi vides, ut est in vulgari illo, in tempore venire omnium rerum primum esse. Deus te ducat: salveant ex me tui & amici omnes. Vale, ama, & vicissim utere me.

Franeceræ d. 13. Julij 1638.

EPISTOLA XI.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

S. P. Clarissime Vir, Amice intime.

PRidem non scripsi ad te. Id torpore factum. Eum attulit mihi febris quartana, cum qua luctor tota hieme. Quod ea temporis concedit, majori ex parte privatis Institutionibus, ex minori retractationibus veterum meditationum datur. Nunc quod scribo amor facit bajuli epistolæ hujus. Is pie, modesteque apud me vixit per tempus, probavitque se ingenuum & solertem. Quando is ad vos transit, te oro, ut & ipse eum amplectaris, & gratiam DD. Gomari & Altingii (quibus officiosam salutem verbis meis dici cupio) ei concilies. Facies hac re, quod mihi gratissimum, & quod juvenis videtur mereri. Nos similibus causis habebitis paratos. Torpori meo & sero temporis do, ut ne plura. Vale optime.

Scribeb. d. 22. Martij 1639.

EPISTOLA XII.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Vir Clarissime, Amice Honorande.

DIversas tuas literas una cum libro D. Gronovii recte accepi, neque, quin ad eas responderem, obstitit quicquam, quam brevitas temporis, si quando occasio mittendi fuit, vel, ne quid dissimulem, torpor meus, quem febris diutina attulit; quæ needum cum omni exercitu suo migravit. Volui autem Christophoro Szykovio hasce dare, tum ut semel officio fungerer, tum ut significarem mihi gratissimas fuisse tuas, imprimis eas, quibus mihi Jacobi Altingi egregii & maximæ spei juvenis amicitiam propinasti. quem Deus omni gratia cumulet! Cæterum vivit apud vos Gallus Petrus Gerhardi, qui non ita pridem Palatino principi militavit. Is mihi commendatus est à Senatore Urbis patriæ Conrado Eden, ut vir bonus & industrius, geometriæ, muniendi artis ac linguæ Latinæ peritus cum vernacula Gallica; quod & literæ ejus ad me scriptæ testantur. Putabat autem D. Eden me Groningæ Professorem agere, ideoque orabat, ut ei adjutor esse vellem, ut peritiam suam utilitati studiosorum honesto auctoramento locare posset. Qua in re cum eum juvare nisi per amicos non possim, te oro, ut quod in exterum utilem juventuti studiosæ favoris conferri potest, id, si talem se probet, (quanquam dicti D. Senatoris, qui ejus in erudiendo filio solertiam & dexteritatem vehementer laudat, testimonium eum talem esse potest aliqua ratione adstruere) te adjutore consequatur. Hoc à te peregrinorum jus flagitat. Vale optime amicorum & mei memor esse ne desinas. Plurimam à me D. Gomaro, D. Altingio & D. Pastori Viris Clarissimis dici velim salutem.

Scribebam raptim d. 27. Junij A. 1639.

EPISTOLA XIII.

JOH. COCCEJO CUNRADUS BERGIUS.

Franequeram.

S. P. Reverende & Clarissime Vir, Domine & Amice ac Frater in Christo integerrime.

PEtiit à me Christophorus Raselius pastor Suarnensis, tibi opinor notus, ut filium suum tibi commendarem: quem vivendi aliquam conditionem apud vos tolerabilem, si posset, invenire, & tua in linguis institutione frui velit. Quod in eam rem consulere aut juvare poteris, scio pro tua humanitate ac pietate, etiam me non petente, diligenter ac libenter esse facturum: & ego tamen, quicquid factum fuerit, beneficium etiam in me collatum interpretaturus sum. Mitto eadem occasione exemplar tractatus mei, de quo, cum ante annos aliquam multos tibi legendum communicarem, judicium perbenignum fuisse memini: qua re uti ad recognoscendum, augendum, & edendum occasio & causa cum aliis exstitisti; ita in emendando aut orando etiam porro ubi opus erit adjutorem, & fructus, si quem Dei benignitas ad Ecclesiæ ædificationem concesserit, participem fere confido. De heterodoxia nostra apud vos quoque audio nescio quæ sinistra judicia aut rumores esse. Apologia, opinor, apud te opus non est, qui vias nostras abunde nosti; in quibus quales tuo tempore fuerunt, etiam nunc perstitimus; utinam modo non nimium, etiam vitæ quam urgeri indesinenter oportebat novitatem negligentes! Nam in doctrina quidem, nullæ magis quam veteres Bremensis Ecclesiæ formulæ & scripta symbolica, ad quæ in apologiis jam pridem publicis, & in nuperis adeo etiam cum Archiepiscopo tractatibus provocatum fuit, nobis satisfaciunt. Per calumniam hactenus nostratibus imputari credidi, quod statuant non plus gratiæ per Christum maximæ parti hominum à Deo tributum esse, quam ipsis diabolis; imo etiam minus: quando nec Christum pro illis mori voluerit, nec alia intentione offerri aut annunciari, quam ut damnatio illorum gravior reddatur; gratiæ autem eum gradum, ut eam rejiciendo sua proprie culpa pereant qui damnantur, nulli dari. Nunquam certe existimare potui quenquam in nostra Ecclesia ita unquam sensisse. At nunc quidam nostri Censores, non ingenue & fraterne super ea re nobiscum conferentes, sed occulte varie traducentes, hoc ultro agere videntur, ut adversarios Ecclesiæ Reformatæ ab hac calumnia absolvant: quod si pergunt facere, quam denique grati Calvini discipuli, & quam utiles Ecclesiæ Reformatæ patroni futuri sint, ipsi viderint. Equidem nimis me degenerem & ingratum Ecclesiæ Reformatæ filium existimem, si communem hanc ejus sententiam fuisse unquam cuiquam concessero. Quandoquidem multi contrarium diserte docuerunt, & duriora aliorum dicta, in commodum & analogum reliquæ doctrinæ sensum trahendo, excusari possunt. Qui apud vos sunt Theologi, quid concedant, vehementer scire cupio. De tuo in hac re nobiscum consensu non dubito; in aliis si quid est quod correctione aut expositione ampliore aut planiore opus habere videbitur, judicium tuum, quod pro veteri nostra fiducia atque amicitia ex animo peto, & spero, apud me & alios plurimum valiturum est. De statu nostro, in Politicis, Ecclesiasticis, Scholasticis, diligenter sine dubio & sæpius scribit frater tuus, ut ego hoc labore merito supersedere debeam. Ego, quod superest, Te & familiam omnem, ac labores tuos divinæ benedictioni ex animo commendo, & quam diutissime ac felicissime vos omnes superstites & incolumes esse opto.

Dab. Bremæ 20. Octobr. Anno 1639.

Salutem officiosam asscribit M. P. Provisius tuisque omnibus laboribus benedictionem divinam comprecatur ex animo: simulque vellicari memoriam jubet; an de utraque Masora quod aliquando optavit & petiit cogitaveris: in quo desiderio, voto, spe etiam nunc perstat.

CUNRADO BERGIO JOH. COCCEJUS.

Bremam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine ac Amice Honorande.

QUo magis delector scriptione tua, eo magis contristor, nos quotidianæ collocutionis commoditate privatos esse. Cujus mihi usus semper jucundissimus fuit. præcipue quia ad consilium in dubiis, solatium in adversis, confirmationem in rectis, correctionem in pravis, lucem in obscuris pertinebat.

Quo tanto bono ut potirer alibi desideravi quidem; sed non omnino impetravi. In vestro autem quos relinquebam Collegio pacem & conspirationem in recto & vero manere ex animo vovi. Nunc perfertur ad nos, & vos tentari. Ex qua quidem re quid efficiatur video, nimir. ut minimum, ὑπόνοιαι κακαὶ, apud nostrates & diversarum sententiarum sectatores, magnum ædificationis impedimentum. Quod rei hic principium, & quis ordo, nondum quivi satis intelligere. Nam & frater meus alias ad scribendum tardior est, & à talibus scribendis, ut video, abhorret. Ego igitur hactenus non judico. qui & cæteroquin scio esse valde grave de omni facto, multo magis de Viris, quos pios credo utrinque fuisse, tamdiu super aliquo capite disputantibus judicare. Velim sane meos æquales paulo mitiores esse, & hoc cogitare, non se tantos esse, ut persuadeant omnibus secum loqui. Multa enim sunt in multis, imo omnibus, quæ modeste discamus potius, quam ut præmaturos διδασκάλους nos constituamus. Quod mihi lucubrationum tuarum de Catholica fide exemplum misisti, fuit exoptatissimum, & ut alias eas legi non sine assensu & fructu, ita nunc quoque cum magno emolumento me lecturum confido. Nam quum mihi persuasum sit, te amussi Verbi Dei mordicus adhærescere, inque eo meditando diligentissimum exercitatissimumque esse, in doctrina novationes fugere, paci & concordiæ operam dare, aliena dicta ex fidei analogia benigne interpretari, tua non pro idolo obtrudere; causam non video, quare non magnum ex tuis studiis fructum mihi & aliis sperem. Tantum Deum rogo, ut nullo nos stratagemate Satanæ circumveniri patiatur. Certe quidem (quanquam te non aliter animatum esse scio) te vehementer oro, ut, quam soles, circumspectionem & moderationem porro perseveres in iis, quæ nunc vos tenent, & omnium oculos in vos converterunt, disputationibus adhibere: ne si eæ non in tempore componantur Ecclesia Reformata aliqua saltem ex parte aut infametur aut scindatur. De ipsa controversia, nisi & rogasses, & scirem, me tibi scribere, nihil scriberem: & quæ scribo, ideo scribo, ut à te erudiar, an satis, in quo nodus sit, vidisse videar. Non possum aliter statuere, quam esse Dei æternum consilium, in Christo servandi electos per fidem. quod misericordia, gratia & amor Dei vocetur. atque eos certissime salvari per media, quæ Deus ei fini destinavit. non sane puto inter naturam nostram animalem & ipsam cœlestem vocationem esse *congruentiam* (N B.) nisi ut medicina morbo convenit; sed existimo eos, qui credunt, ideo credere, quia à Deo ita illuminantur, flectuntur, & à vanitatibus ad cœlestia trahuntur, ut timorem Dei, odium peccati, amorem & sitim justitiæ concipiant, denique vocationi cœlesti assentiant & *congruant*; inque iis tentationes pro viribus, vires pro tentationum gravitate esse, cum perpetua Dei conservatione, ut perseverent ad finem. Scio ex altera parte fidem non esse omnium. Esse item de aliis hominibus Dei consilium non quidem salvandi cum electis aut sine causa damnandi, sed, non obstante, quod sub maledictione & ira sint, tamen multis beneficiis afficiendi ad Deum quærendum & pœnitentiam & fidem solicitandi & vocandi, atque simul justitiam & vitam sub conditione fidei offerendi; adeo ut cum non faciant, quod oportet, & non credant, sint inexcusabiles; damnante illos sua conscientia, quod Deo gratias non egerint, neque eum glorificaverint. quæ beneficia aliquando non minora sunt illis, per quæ electi virtute Spiritus sancti convertuntur. Atque hoc consilium si amorem aut misericordiam, aut gratiam, aut gradum gratiæ, aut voluntatem salvandi, aut desiderium appellemus, video distinctione, διορισμῷ & enucleatione opus esse. imprimis quia hostes veritatis solent terminos captare & iis ludere. Certe quidem hinc fieri conjicio, ut qui isto sensu dicunt, Deum velle omnes salvari, & esse gratiam universalem, aut gradum gratiæ, sive intentionem Dei esse, ut per ea salventur; aut omnino sic loquuntur de ipsorum salute, quemadmodum Scriptura de constitutione solii Saulis, *Constituerat Dominus solium tuum in seculum* 1. Sam. 13: 13. quamvis sciret hoc non futurum: & quomodo dicit, quod *gratiam suam averterit ab illo.* 2. Sam. 7: 15. Apud alios in eam suspicionem veniant, quasi negent gratiam electorum, aut mutabilitatem & voluntatem inefficacem & ab hominum voluntate pendentem, Deo affingant. Contra, ut, qui illud consilium & beneficentiam generali providentiæ adscribunt, *gratiam* vero peculiarem electis esse, & Deum non velle alios, quam electos, salvari, illos autem perire &, prout fit, tanta bona ipsis in noxam cedere velle ajunt, quemadmodum Scriptura dicit, quod *Deus Esavum oderit*, licet ipsi multa beneficia, quæ amori solent imputari, tribuerit: suspecti sint & accusentur, quod Deum tyrannum, simulatoremque faciant: vocationemque Euangelii tollant. Quare sic censeo, si sententiæ ipsæ (de illis loquor, qui intelligunt ipsi, quid dicant) ponderentur, facile conventurum: in modis autem loquendi prudentiæ & charitati obsequendum esse, ut eos maxime eligamus, qui Verbo Dei sunt consentanei; contra eos fugiamus, qui calumniæ obvii sunt, & propter adversariorum communium fraudem suspecti. Nam quid opus est Ecclesiam scindi propter vocabula? De his, si una essemus, plura ex te audirem, & tu ex me fortassis. Nam & plures hujus generis quæstiones sunt, in quibus fieri potest, ut qui non idem dicunt, idem tamen sentiant & se sentire nesciant, & in quibus quomodo loquamur, multum refert. De nostris Theologis nihil habeo admodum, quod impræsentiarum scribam. Nondum enim plene de hisce loquendi data est occasio. D. Maccovius eruditionem in Bremensibus laudat, quædam scripta non fert. quæ autem potissimum, melius forte alias potero referre. D. Vedelius, nuper nobis adjunctus, dolet, Ecclesiam illam vexari, optaretque illam concordem esse, neque per imprudentiam occasionem dari, ut quemadmodum Remonstrantes à Synodalibus scissi sunt; ita hi inter sese dissentiant, & sese mutuo damnent. Sed & cum illo alias dabitur uberius loquendi opportunitas. Rafelio commode hîc prospici posse pervellem. Loci autem hujus ratio hæc est. Nobiles vix domi apud suos habent pædagogos. in Academia hoc tempore nullus. Cives honorati, qui hîc habitant, non adhibent. Neque video, si is, qui commendandus, præsens non sit, quid effici possit. Alioqui hîc satis commode vivitur, si quis frugalis sit.

EPISTOLA XIV.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Magnifice Vir, Domine & Amice Observande.

MOre tuo facis, ut & beneficio amicum beares, & ipsum donum cum festivitate commendares. Ego vero infelix, cui in media turba (Arbitri enim tum apud me erant, qui domum conductam mihi vel addicerent vel abjudicarent) exhibitæ literæ sunt & donum. Et ex dono quidem subito inspectis non paucis versibus gustum statim percepi, & noti Leonis unguem (licet tibi cothurnos illos, ut placet, extollere: Ego amo, quod nostri & modestorum hominum, credo, captus est) agnovi: literas deposui cum dono, cogitans, me ociosum post paullo & illas lecturum & toto dono fruiturum. Interim D. Steinbergius nunciat abitum suum, cujus adhuc, mea an turbarum culpa? ignorabam adventum. Tu igitur solita benignitate & ipse me excusabis, quod non plenius aliquid scribo, & oratorem apud D. Steinbergium ages, quod non citius &, ut talem virum decebat, compellavi atque excepi. Academiæ vestræ de D. Schookio ad professionem introducto, ut & ipsi, gratulor. Dono tuo non redhostimentum, sed nescio quam recognitionem paro, Brevem nobilium locorum de Antichristo, imprimis quos Auctor nuperus (dicitur esse Grotius) commentario illustravit, repetitionem. in qua quidem nihil erit quod admireris, sed id unum, quod te approbaturum scio, odium Antichristi & dogmatum ejus. Ea sub prælo est, neque typographi properationem nimiam accusat. A Februario mense septem philyræ excusæ sunt. Erit foliorum 16. præter propter. Sed de eo alias. Te tuosque Collegas Deus conservet. Salutem plurimam D. Altingio, D. Pasori Collegis tuis. Vale. d. 17. April. 1641. Raptissime.

EPISTOLA XV.

LUDOVICO CROCIO JOH. COCCEJUS.

Bremam.

Vir Reverende & Clarissime, Domine Honorande.

EXosculor affectum in me tuum & de meâ tenuitate judicium ac spem supra, vereor, merita viresque meas. Amplissimos Viros D. Coss. Dozenium & Rhedenium opinionem habere honestam & consilium de me in patria revocando, ex animo gaudeo. Ut ut autem mihi non conscius sim magnæ eruditionis, quam antehac in Schola patria probaverim, eique fortasse parum utilis fuerim, de qua re sæpe apud me, ut modestum hominem decet, cogitavi; tamen literæ tuæ me edocent, hoc, quod volui semper omnibus probare, nim. fidelitatem in labore & studio meas partes ad plurium utilitatem peragendi, respectum collegarum, verecundiam & cultum pacis ac concordiæ me utcunque probasse. Quando me interrogas, Vir colende, an patria mea apud me perdiderit pollentiam, ulcus meum tangis. Nam quid putas mihi animi fuisse, quum dulce illud solum patriæ, cui non nuper majores meos bene cupivisse noram, & in qua tot meos videbam, præter spem meam meorumque subito relinquendam haberem, itaque relinquendam, ut non sperarem reditum, nisi tum quando is affectus primores nostros incesseret,

inceffiret, ut potius ita quemadmodum cum exteris folent paciscenda conditione mecum agere, quam meæ exiguitatis ope illa carere mallent. Quod tarde futurum femper putavi. Interim, fateor, in ea re me non mediocriter ufque huc folata eft hominum ejus Provinciæ, in qua nunc dego, erga me non afpernandus affectus. à quo & in futurum mihi majora, fi humanis eft fides, exfpectanda habeo. Certe per hos ipfos dies infignem humanitatem primarii Curatoris cum maxima pollucibilitate & feftivitate per fex dies cum Collega & conjugibus utriufque inter nobiles fummique ordinis viros fœminas, juvenes, virgines in noftram gratiam vocatos adductofque expertus fum. Quo tamen tempore nunquam mihi literarum excidit tuarum meditatio. Ad quas quid tandem refpondeam nondum plane invenio, dum conditionem Scholæ noftræ patriæ intueor. Nam illa mihi quidem videtur nulla jam defiderare fupplementa. Tres Theologi, numerus Academiæ noftræ jam per annos tres negatus; Philofophiæ fummus Mufagetes D. Combachius; cujus fub cura & Pædagogeum non orphanum aut tutoris egenum. Cujus an confilium fit vel Brema difcedere, vel manus à cura pædagogæi retrahere, nondum intellexi. Concordiam fartam effe accipere mihi gratulanti & cupienti eft. Verumtamen multum vereor, an ea manfura fit, fi quis novus quafi cuneus hunc vel illum ex loco fuo videatur excuffiffe. Ego alioqui qua propenfione in patriam fim, fatis videor ante dictis declaraffe. Novi hic nihil, nifi quod literis cujusdam magni viri (quis ille fit, ignoro; dicitur, quod D. Combachius is non fit) huc nunciatum eft Collegarum meorum primo, cum in dulci Phabirano ex fuggeftu Ecclefiaftico à Collega quondam meo & Præceptore obfervando monftrofum Theologum vocatum effe. Quod quum audirem, negavi, me credere: & quo magis negavi, eo fortaffe magis vifus fum idem fentire. Sed hoc quidem eft hujus feculi. Cujus ftatus boni confulendus eft. Porro agitatur hic controverfia duplex inter Minifterium & Academiam. 1. an examina Academica debeant valere pro peremtoriis? 2. An liceat ei, qui fe judicio Ecclefiaftico gravatum putat, ad Magiftratum fupremum provocare vel apud eum conqueri. Res agitur apud magnates, figillatim, in Curia, in Synodo. Deus avertat, ne exinde oriatur quid mali. Mihi fuperioris anni fine natus eft domi nefcio quis fœtus, meditatio non nullorum dictorum S. Scripturæ de Antichrifto. Caufas habui edendi varias: quarum partem publice profiteor. Eum libellum in finum Tuum delatum cupio, ut eum benigne excipias, patienter legas, folicite examines, meque de tuo judicio cum in cumulo, tum fi quid figillatim difplicet certiorem facias. Erit mihi ἕρμαιον, fi tibi ftudium fententiamque meam fi non in omnibus faltem in potioribus approbavero. Vale optime, meque amare perge. Salutat te D. Vedelius Rector nofter, qui te maximi facit & in fenfu Ecclefiæ noftræ perfiftere cupit. Salveant Collegæ honorandi. Salveant officiofiffime D. Dozenii & D. Rhedenius Coff. ampliffimi. Salveat ex me meaque corculum tuum.

Scripfi d. . . . Julij 1641.

EPISTOLA XVI.

GEORGIO ERASTO, Ecclefiarum ex Moravia & Bohemia difperfarum Superattendenti,
JOH. COCCEJUS.

Vir Celeberrime.

PLus tibi debeo, quod me literis tuis manu tua fcriptis dignatus es, quam fi per amanuenfem nitidius, ut ais, fcriptæ fuiffent. Nec meas ego nitore quam affectu æftimari epiftolas malim. Candidæ mihi quam politæ magis placent. Si ita eft, ut fcribis, Illuftrem Virum Hugonem Grotium effe Auctorem Commentarii locorum de Antichrifto, ifque ita fentit, ut is Commentarius præ fe ferre videtur, fane ipfius vicem doleo; & hoc mihi reftat dicere, quod folent Rabbini non abfurde יְשַׁר לֵיהּ מָרֵיהּ Ego vero de Auctore ita fcripferam, non quod omnino ambigerem, quis is effet, aut quafi ignorarem magnos etiam viros labi poffe, & eorum plerumque magnos lapfus effe, fed quod vel illum ipfum Virum Illuftrem hoc fcripfiffe, vel illa faltem mente, quæ omnis Ecclefiæ Reformatæ fententiam uno ictu tolleret, fcripfiffe nollem, illoque viro indignum, eumque fcopum, quem indigitabat epiftola, longe minus abfurdum judicabam. Mihi vero dolet (ita æftimo eruditionem tanti viri) accidiffe, ut, in qua re laudatorem ipfum me habiturum effe confidebam, fi quid conatus effem, in ea haberem adverfarium. Nam fi quis putet, ea me caufa delatum effe ad hanc fcriptionem, ut me componerem magno Viro, is me ignorat planiffime. Utinam voluiffet ingenium fuum veritati accommodare! Quam exacte, quam erudite, quam ornate, quam copiofe & perfpicue idem argumentum, contractis undiquaque clariffimis Scripturarum teftimoniis, prophetiarum comparatis inter fe vaticiniis, phrafibus enucleatis, ænigmatibus folutis, addita luce hiftoriarum, gravi & folido de fingulis rebus judicio interpofito potuiffet illuftrare! Quam geftirem in illis confertiffima doctrina commentariis habitare, quæ imaginor, ab ipfo proditura fuiffe, fi Verum quæreret! Nunc rei indignitas miferis nobis & pueris, qui alioqui tantos vix contra contueri audemus, vocem extorquet. Quod fi videt multa fuperftitiofe & tyrannice in Papatu fieri (quæ certe talia, tot & tanta funt, ut animus pius ifta intuens non poffit non cohorrefcere) fuadebitne nobis, ut redeamus ad illud regnum fuperftitionis & tyrannidis? & annon videt fuperftitionem & tyrannidem capitales Antichrifti notas effe? Si quid vero etiam in aliis Ecclefiis non probat (nec miror. funt enim variæ Ecclefiæ quædam plus, quædam minus de Antichrifti doctrina & moribus trahentes) hæccine illas fanandi commoda ratio erat, ut perfuaderet nobis Papatum ut Antichriftianum non damnari facris Literis, in quo tamen multa fuperftitiofe & tyrannice fiunt, ut fcil. ad illum tanquam exemplar finceritatis redigantur & reformentur? Metitur omnia Doctoribus antiquis. Potes nos (Vir Excellentiffime) omnium optime erudire, quantum deferendum fit Doctoribus vel antiquiffimis extra Scripturam loquentibus, & an hodiernus Papatus cum antiquis illis vere Doctoribus non feductoribus confentiat: hoc tamen quod de Antichrifto nos docet, fcio, quod nec Veterum Doctorum fit fententia, nec Pontificiorum. Sed quo dilabor? Neque enim tecum mihi agendum eft, tanquam cum ipfius advocato, qui tibi, ut rerum harum graviffimo & locupleti arbitro conatum & ftudium meum, ut aliis piis & doctis Viris, vehementer cupio probari, qui alias non perfunctorius laborum meorum fat tenuium laudator es. Qua fiducia audeo à te contendere, ut & confilium meum (qui non tam in H. Grotio adverfarium legi, quam occafionem datam de iifdem rebus, de quibus ille dixit, & pro confcientia & pro officio dicendi non omifi) benigne interpreteris, lapfus meos & defectus humaniter feras & indices. Quod porro me ad fimilia veteribus elaboranda extimulas, legem accipio: & in eo fum, prout cura mihi demandata efflagitat, quantumque quotidiani labores permittunt, totus. Fateri tamen audeo tibi, Vir eximie, non mediocriter ftudium aliquando noftrum hebetari temporum an hominum iniquitate. Quo enim multum laboraffe, torfiffe fe noctes & dies, collegiffe, fcripfiffe, defcripfiffe, fi perfecta cum blattis tineifque certare debent? Nihil ego magis cum officio meo atque fcopo ftudiorum conjunctum invenio, quam fedula meditatione Scripturæ fententiam ex genio linguæ illuftrare. In iftiufmodi genere aliquid non nunquam nafcitur apud me, quo ut mihi ipfe profeciffe, ita me rudioribus prodeffe poffe videor. Inter ifta eft Jobus meus. Sed experior hîc tantam editorum, qui refpuunt quicquid non ftatim fortem cum centefima redditurum eft, morofitatem, dum à typographis (funt autem qui dimidium impenfarum in fe fufcipere vellent) rogantur; ut mihi videar à Midis iftis ftultis & ingratis operam meam ut indignam luce & oculis hominum ignominia notatam domum referre. quod indignum & intolerabile eft. Si fic pergitur, pereunt ftudia & tandem nihil nifi fabulæ & cantilenæ legentur. Vide, quo me abducat humanitas tua? Ita enim te abutor, ut mihi jam videar ἀπειρόκαλος. Quod aliquando vix effugimus, quum libenter fcribimus & tempus, ut mihi nunc, conceditur. Amicus enim meus Generofus Polonus, qui his literis aditum ad comitatem tuam quærere voluit, in tempore me de itinere fuo admonuit. Sed hîc abrumpo, Vir eximie, teque divinæ curæ commendo. Vale & me ama.

Scribebam die 18. Octob. 1641.

EPISTOLA XVII.

JACOBO TRIGLANDIO JOH. COCCEJUS.

Lugdunum Batavorum.

Vir Reverende & Clariffime.

QUum antehac certis indiciis comperiffem & me innotuiffe R.T. & non male eam erga meam mediocritatem affectam effe, volui miffo libello meo de Antichrifto oftendere, quanti facerem favorem atque benevolentiam Tuam. Id gratum fuiffe, vehementer gaudeo. Quod vero me & ἀντιδώρῳ & literis tuis dignatus es, de eo gratias ago maximas. Vellem equidem caufam non effe, cur talia in noftris Ecclefiis difputentur: fed quando ea eft humani ingenii imbecillitas, ut non unus omnia videat, nefcio, quid obfit, fi odium abfit, à diverfis ea proponi, quæ in fervando optimo regimine utrinque probe confideranda funt; ne in hanc vel illam partem exorbitetur. Ego, qui hanc quæftionem nondum perreptavi, quique

in ordine Ecclesiarum Belgicarum nihil incusandum aut convellendum video, quum ocium nactus fuero, diligenter librum à R. T. ut vidi, placide & amanter scriptum, evolvam, nullus dubitans, quin plurimum, quod ad regendæ Ecclesiæ prudentiam faciat, inde sim hausturus. Occupor jam in edenda dispositione & expositione, maximam partem philologica Jobi: qui labor me sibi totum vendicat. Interim jam R. T. cum hisce accipiet Exercitationem meam [illegible] super principio Epistolæ ad Ephesios. Res exigit, officii ratio imperat, boni animant, ut aliquando aliquid pro veritate audeamus. Scio nobis nihil nisi ludibria, fortasse etiam adolescentium, (sic enim seculum est) pro mercede parata esse. Sed quicquid de eo sit, conscientiæ bonæ & gloriæ divinæ litandum est. Secundum quam conscientiam ego maximi facio à bonis doctisque confirmari. Deus enim non uni dat soli sapere, sed in communione Sanctorum per mutuas preces & admonitiones atque approbationes fraternas vult esse efficax. Quare si studia mea & R.T. & aliis bonis placere intellexero, erit, quod mihi gratuler. Deum oro, ut R.T. Collegasque Rev. Clariss. Doctiss. sospitet eorumque laboribus benedicat. Vale.

Scribebam d. . . . Jan. 1643.

EPISTOLA XVIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Coloniam.

S. P. Præstantissime D. Daleni, Amice Charissime.

DUas à te epistolas & accepisse me & acceptissimas fuisse mihi, ne dubites. Quod tam diligenter excusas iis raritatem scriptionis tuæ, minime necesse erat. Quemadmodum enim ipse nolim propter istam culpam amicitiæ violatæ reus haberi; ita nec amicis imputo, si quid simile in ipsis reperiam: quos ego nec alios erga me absentes esse præsumo, quam qui præsentes fuere, &, ubicunque sint, Deo clementi Servatori commendo: non tam parvi temporis divulsione dolens, quam æterna in posterum communione me oblectans. Porro quod de me inaudiveras, ex iis potuisti intelligere, me vivere, &, ut pandis, bono hominum judicio gavisus fuisti. Item ego, & Bremæ quum essem, atque de statu tuo sciscitatus eum intellexissem, (de quo tu tamen in literis tuis parce) gavisus sum. Cæterum quis D. Vedelii successor futurus sit, adhuc incertum est. quidque hujus certi habuerint, qui ad te & alios perscripserunt, equidem ignoro. Ego me contineo intra κέλυφος meum, patiorque homines de me hîc & alibi loqui. Inter quos sermones plus secundi esse quam lævi, gaudeo. quod me extimulat, ut me ipse introspiciens, coner hoc esse, quod me boni esse aut putant aut cupiunt. Nimis magnum est tantum locum ultro sibi deposcere: ad quem, si compellaris, etiam reluctantem venire, certe trementem, oportebat. D. D. Curatorum rescivi aliquam in hunc hominem propensionem. Sed nihil, quod sciam, adhuc terminatum est. De studiis. Vidisti forte Exercitationem in principium Epist. ad Ephes. post Repetitionem locorum de Antichristo. Non inveni hactenus, qui sequius de utroque judicaverit. Quod divinæ misericordiæ attribuo. Is custodiat nos in veritate sua? Jobum, si is volet, post Cal. Jan. circiter in lucem dabo. In studiis Propheticis & meditationis assiduitas, & rerum, quæ geruntur, evidentia me confirmat. Hugo Grotius promisit, se in Notis ad Vet. Test. mihi responsurum. Quod si faciat, videbo an facere debeam, ad quod à te & aliis doctissimis Viris impellor. Nunc versor adhuc in Psalmis. quos ad 115. ordine explicavi. Memini in primis literis aliquid motum fuisse ex Ezechiele. Sed brevitas paginæ hujus non capiet responsum. Tamen statim ista capita perlegi, & quædam, quæ in genere dici poterant, observavi. Sed malim hoc maturiori considerationi reservare. Hæc, ne putares tabellarium tuas non reddidisse, aut meo te animo excidisse, & ad scribendum pigrior fieres. Cum his te divinæ gratiæ commendo.

Scribebam die 3. Dec. 1643.

EPISTOLA XIX.

JOHANNI HENRICO HOTTINGERO JOH. COCCEJUS.

Tigurum.

Vir Clarissime & Doctissime.

PEr multum debeo popularibus meis, qui te ad nos Groningæ adduxerunt, quum mihi conciliarunt amicum tum eruditum tum benignum, (Nam quod quæ ad tuas quæstiones subito prolata sunt, tanta cum dignatione excepisti, tuæ benignitatis est) cujus animum etiam longius semoti possiderem & copiosioris amicitiæ auctorem haberem ac proxenetam. Quod quidem & ipse tua sponte facis, & ego à te peto. Tua sponte, dum Ornatissimum Juvenem Johannem Huldricum, jam quartum mensem nostrum, cogis tandem mihi innotescere & mihi de ipso præbes bene merendi occasionem. Quod, si tanta erit in me facultas ut ipsi utilis esse possim, non committam, ut non voluisse deprehendar. Alterum, quod peto abs te, hoc est, ut & imposterum mihi plures tales concilies, & Reverendo ac Clarissimo Viro D. Johanni Buxtorfio, cujus post paternos laboribus plurimum debemus omnes, quotquot sacras Literas amamus, me commendes. Scripta ipsius quæ in parato habet, cum propitio numine, lucem videre optaverim. Præcedentia enim de his jubent nos sperare egregia omnia. Te in patria stationem commodam & Ecclesiæ utilem nactum esse, ex animo gratulor, Deumque veneror, ut & Ecclesiæ vestræ ista Alcyonia diu conservet & dotes tuas ad uberrimam segetem fœcundet. Nos quod attinet in veteribus adhuc sumus studiis: quantum per novos labores professionis Theologicæ nuper adjectæ ad Hebræam ab iis, qui me ociosum forte putabant, licet. Edidi biennio dissertationem de Antichristo, & de principio Epistolæ ad Ephesios, utramque oppositam H. Grotio; quas si vidisti, judicium tuum & D. Buxtorfii vehementer desiderem cognoscere, ut & de editione Jobi, quæ præcedente mense per Dei gratiam est procurata. Cum his finio, Deumque oro, ut dona sua Ecclesiæ locupletet, teque ad ejus ædificationem conservet. Porro literæ tuæ mihi erunt exoptatissimæ, quas ut promittis, ita efflagito. Vale.

Raptim Franekeræ d. 19. Mart. 1644.

EPISTOLA XX.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Sal. & Officia.

Clarissime & Excellentissime Vir, Amice Charissime.

JAmpridem animo meo gratulatus tibi sum felix matrimonium; quod ut Deus imposterum omni benedictione tuo pluriumque bono ornet, ex animo opto. Lentus fungor hoc officio, quia & tu abfuisti, & ego occasione destitutus, distuli.

Rusticus expectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur & labetur in omne volubilis ævum.

Tandem expergiscor vel potius caput attollo ex cumulo circumstantium negociorum. Nam quod tu mihi faventissime gratularis, id est onus & lucta. Confido tamen piorum precibus effectum iri, ut huic labori nostro benedicat Deus. Qua in parte te adjutorem porro & expeto & expecto. Magnos habeo pro directis ad me fasciculis gratias. Debeo tibi officia, quæ imposueris. Luctum Academiæ vestræ Ecclesiæque ex animo defleo. Amisistis viros egregios. Deus jacturam vestram resarciat sine nostræ damno Academiæ. Adventum tuum ad nos, ut promissum, deberi puta & expectari. D. Gronovium nostrum, quia video tibi ab illo frequentiores esse literas, meis, quæso, verbis saluta, & significa illi, me irarum ipsius effectum sentire, quod ad me non scribit. Atqui non erat causa, quare mihi non scribenti succenseret. Novit enim, quam sim natura piger. Quod vitium meum illum, ut amicum, ægre ferre æquum non erat. Sed, puto, corriget se & ego me. Equidem spero, & sic voveo, me ipsum aliquando habiturum conjunctiorem. In aurem hoc tibi. Non desentur omnes qui abeunt; nec jucundi sunt quotquot vivunt. Sed finem nugis. Vale & perenna. Uxori præstantissimæ (adhuc ignotæ, quoad [illegible]) & D. Pasori à me meaque (jam ex febri gravi respirante) salutem.

Dedi d. 20. Sept. 1644.

EPISTOLA

EPISTOLA XXI.

JOHANNI FREDERICO GRONOVIO JOH. COCCEJUS.

Daventriam.

S. Pl. & Off.

Clarissime, Consultissimeque Vir, Amice Honorande.

NOn mediocriter lætor mihi per Optimum ut Clarissimum Virum D. Tobiam Andreæ oblatam esse occasionem significandi tibi, me nec tui oblitum esse, neque literarum tuarum nulla aviditate affici. Quam sane opinionem si apud te excitasset ἡ ἀπολογία μου, nulla me affecisses injuria; licet perfecte falsus fuisses. At mihi amici officium diligentius præstandum erat. Qua sane in parte me nimis segnem non profiteri non possum. At tua humanitas aliud judicium tibi dictavit. Enimvero scire id te velim, me jam à multis annis nominis tui emersione & incrementis serio fuisse lætatum, tuaque scripta (quorum unum ad me misisti) avide legisse & in precio habuisse etiam te Professioni Historiarum & Eloquentiæ, si hac in Academia aliquando vacaret te διδάσκειν optasse. Quod hoc tempore omnes, quibus innotuisti, Collegæ mei mecum faciunt. Utinam modo scire possemus, quid tibi animi sit, si obtineri vocatio possit. auderemus paulo fidentius rem agere. quæ, ut nosti, in hisce Provinciis varias & aliquando difficiles λαβὰς habet. Tuum erit mihi in aurem (quod dici solet) nudare animum tuum. Fideliter ero tuus, neque est quod hac in parte honori tuo metuas. Hæc nunc habeo raptim ad te scribenda, faciendo initio crebrioris commercii. De Sestertiis quod mihi destinasti gratissimum est. Spero collegam tuum recte curasse & tandem ad me perventurum. Solent enim aliquando, quæ per amicos mittuntur, cum illis σύμβολα. Vehementer te rogo; ut Rev. & Clar. D. Diestium à me officiose salutes eique pro Theologia Biblica, erudite & utiliter concinnata, plurimas meis verbis agas gratias. cui quum quid paratum erit ἀντίδωρον me debere meminero. Salveat etiam, ni grave, D. Johannes Henricus Goeddæus,. cui inclusas Monasterium ad Affinem suum mittere grave ne sit, tuo rogatu efficies: quanquam id officii mihi ipse promisit. Interest mea ut responsum accipiam, quod certius fiet, si D. Goeddæus suis ad Affinem dirigendis hisce includat, & se offerat ad responsi ad me mittendi mediationem. Magni erit apud me hoc officium. Vale.

d. 28. Decemb. 1644.

D. Goeddæo meis verbis excuses angustiam temporis, quæ me exclusit à literis ad ipsum scribendis. Ego enim ante lucem non scribo literas; ut vos.

EPISTOLA XXII.

JOHANNI FREDERICO GRONOVIO JOH. COCCEJUS.

Daventriam.

Vir Clarissime, Domine & Amice Honorande.

TAbellarium hunc Academicum sine meis ad vos abire nolui. quanquam nihil admodum est, quod mereatur scribi. Veruntamen licet diuturnum ut meum silentium vel nunc sero aliquando compensem etiam inani alloquio. Res professoria hic est adhuc inter μετέωρα. Sunt tamen egregii viri Collegæ mei, qui idem cupiunt, quod ego. Si fata annuant votis, dabitur occasio quam nos, qui te (imo familiaritatem tuam, bonum Academiæ) amamus, non amittemus. Interim quod nunc imaginaris feliciter prodeat, ubi prodierit tolutim (sic puto Plautum alicubi sermocinari) ad nos eat. De Sestertiis tuum opus Andreas Petri se negat accepisse. Male sit isti interversori, imo potius melius, ne unquam simile faxit, per quem stetit, ne fructibus tuis delitiaremur. Ausus sum his diebus Stenofurtum ad affinem meum D. Casparum Kerstering Consiliarium Comitis Benthemici scribere, ut si quid haberet pecuniæ, quod vellit esse in manu mea, id ad te Daventriam transmittat. Id si factum fuerit, haud dubie nautæ nostro recte dabis. Id mihi pergratum erit officium. Nihil addo, Vale cum charitatibus tuis pancratice. D. Diestio salutem, cæterisque Collegis tuis.

Dabam die 11. Maij 1645.

EPISTOLA XXIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Coloniam.

S. Pl. & Off.

Vir Reverende & Doctissime, Amice dilectissime.

EX quo una fuimus, nihil intellexi de statu tuo. Ego cum Uxore nupera æstate per 15. hebdomadas in Westfalia hæsi, satis exercitatus & exagitatus. Interim Deo sit gratia, qui nos salvos reduxit, nosque ex aliquot difficultatibus, licet non sine jactura, expedivit. Studia nostra lente procedunt. Impedimenta tot sunt, ut numerari non possint. Nihil in manus sumere licet, quod elimemus ac posteritati commendemus. Interim publice epistolam ad Hebræos nunc explico. Cujus profunditas & inexhausta ubertas me admodum delectat. Disputationes de Fœdere necdum absolvi. Decrevi his diebus illis annectere analysin quandam temporum Novi Testamenti: atque ita gustum præbere studiosis ejus meditationis, quæ ad sensum prophetiæ facit. Deus secundet! Tu vero si quid in lectione antecedentium observasti, quod pleniori explicatione indigeat, facies me certiorem; ut, si forte, per occasionem aut per spicilegium possit suppleri. Nihil nunc habeo amplius, nisi ut te moneam, mihi nihil esse posse gratius communicatione literarum nostrarum ad mutuam consolationem. Vale optime & nos amare perge. Uxor mea te diligenter etiam atque etiam salutat. Literas inclusas ad D. Lahrenum ocyus mitti velim: quem spero incunctanter responsurum. Vale iterum & εὐδοκηθῇ ἐν σοὶ ὁ Χριστός.

Franekeræ d. 7. Jan. 1647. quem annum ut multos tibi pacificos voveo.

EPISTOLA XXIV.

TOBIÆ ANDREÆ JOHANNES COCCEJUS.

Groningam.

Vir Celeberrime, Amice Honorande.

PErcharum mihi fuit, quod intellexi te tanti facere amicitiam meam, eamque fiduciam de me concepisse, quod tuis optime consultum velim. Cum D. Wissembachio V. C. diligenter locutus sum de causa Amitini tui. Nihil nobis antiquius potest fieri, aut videri, quam ut tibi gratificemur. D. Wissembachius is est, qui dudum, sine domo & familia. Hæsitat, utrum ex hospitio, in quo nunc est, migrare sibi sit consultius; an in eo manere. Nunc quidem domus illa alium inquilinum non admittit. & videtur solitudinem quærere. Cujus rei ipsum habere magnas rationes non dubito. Interim, quum venerit Amitinus vester, quantum in nobis erit, operam dabimus, ut ad optimos, qui tunc habebunt commoda cubicula & vacua, deducatur. Id enim non potest sciri in antecessum. De seductione magnum est periculum in iis, qui seduci cupiunt. qui, si maxime habeantur astricte, custodiri tamen vix possunt. Expertus hoc novi. Contra illis, qui se & studia amant, nullum hic est periculum, sed tutissima omnia. Consilium nostrum & Admonitiones, si tempestive fieri poterit, ipsi non deerunt. Meretur hoc memoria Avi & tua amicitia, ut ipsi optime velimus. Hæc impræsentiarum rescribere de illo negocio potui, per D. Hipstetum nostrum, quem propterea in schola nostra Rectorem videre gestivi, si forte Deus largiretur meliorem adolescentiæ formationem huic oppido, & ipsi vel transitum in Academiam nostram vel saltem communionem cum ea. De qua re non desperant mecum Collegæ conjunctiores quidam, & incipit jam D. D. Curatoribus nostris esse commendatus. Quod tamen apud nos secretum est. Cæterum Cl. T. cum dulcissima Conjuge & prole, adscripta salute etiam Uxoris meæ, Deo optimo maximo commendo.

Raptim Franek. d. 2. Febr. 1647.

EPISTOLA XXV.

GUILIELMO FREY JOHANNES COCCEJUS.

Groningam.

Mi Chariſſime D. Freigi.

QUod ſacra ſtudia ita tractas, ut tibi media compares ad Verbum Dei ſolide explicandum & enucleate, neque ita facis ut multi, qui videntur nauſeare ad ſcrutationem Scripturarum; id mihi pergratum eſt, ut &, quod memoriam mei tibi jucundam eſſe video. Utinam facere quid poſſim, quo tuos conatus adjuvem, vel te alacriter pergendum incitem. Non poſſum facere, ut non aliquid ad tuas quæſtiones reſpondeam. Quanquam ipſe velim me habere aliquid certius. Targum eſt aliquod legis, quod Onkeloſo proſelyto attribuitur. Ad Adriani tempora is Auctor refertur. Aſtrictus eſt is Auctor & non licentioſus, ſed Judæus purus putus, quales ſunt, qui Chriſtum in D. Jeſu non agnoverunt. Jonathan Vzzielis filius habetur Auctor paraphraſeos Prophetarum; Is, ut ajunt, fuit diſcipulus Hillelis, qui Pollio apud Joſephum nominatur ὁμόχρονος Sameæ. Floruerunt hi initio regni Herodis magni. De hoc plura in Abbreviaturis Buxtorfii in "ח״י/ Dicitur etiam fuiſſe R. Joſeph Cæcus סַגִּי נְהוֹר per εὐφημισμὸν dictus (ita enim *cæcos* appellitant *illuminatos*) qui non quidem ſcripſit Targum, ſed Scripturas Chaldaice pronunciabat. De quo in Sanhedrin meo pag. 326. & 327. Cætera Targumin ſive integrorum librorum ſive particularum ſunt ἀδέσποτα, & pleraque genium Talmudicum præ ſe ferunt. Utilia ſunt ad linguæ cognitionem, ad probandam veritatem Scripturæ, ad revincendam populi cæcitatem in myſterio ſalutis, & quod, ſicut Servator ait, ſuſtulerint clavim ſcientiæ. Dogmata Judæorum in eis reperiuntur. Manent etiam laciniæ quædam veritatis, quæ contra Judæos teſtantur. Cæteras utilitates uſus monſtrat. Syra N. Teſtam. tranſlatio ex Græco eſt, ἀδέσποτος, ſatis antiqua. Neque enim poteſt ſub barbarie Saracenica eſſe nata. Caſta eſt: probat veritatem lectionis N. Teſtam. Multum inde auctoritatis Verſionibus Orthodoxis. Non tamen eſt ab Apoſtolis: ut quidam putarunt. Quod Rom. 1: 26. legitur מכן legendum putem כְּכֵן. Nam כְּנֵא antecedit; quod eſt φύσις. וְלָא כְּכֵן τὸ παρὰ φύσιν, *quod non* eſt *ex natura*. Hoc voluit Tremellius vertens *ex natura*. Quid ſi כֵּן כְּנֵא aut ſimile in כְּכֵן coaluerit? quid ſi ſit pro מִתְּכֵן ut Buxtorfius annotat מִרֵּשׁ pro מִתְּרֵשׁ? Senſus in aperto eſt, quicquid ſit de forma. Boni Grammatici eſt, quædam ignorare. Non ſemper populus ad regulam loquitur. Pſalm. 10: 8. חֶלְכָא habeo pro gloſſa Arabica. Raphelengius חלך *pulcrum honeſtum fuit*. Id eſſet חָלֵךְ. In prima forma תָּאוֹלֵךְ *honeſtus*. Accuſ. תָּאלְכָא. Inde חֶלְכָא & plur. חֶלְכָאִים. Conſtat Antichriſto omnes honeſtioris vitæ ſuſpectos, odio, foſque fuiſſe. quotquot voluerunt pie vivere perſecutionem paſſi ſunt. 2. Timoth. 3: 12. Non poſſum adduci ut cum Ravio putem eſſe pro חוֹכָה. Inſolens forma (licet ſit דגש à זלעפה) & ſola *præſtolatio* non poteſt eſſe הוֹאֵר ad deſcriptionem & diſtinctionem certi generis hominum. Quid eſt cur non dixerit, הַמְחַכִּים לְיוֹחוֹ? Convenit res & radix Arabica. Quæ cum ſatis ſimplicia ſint, in eis acquieſcimus. Quod Analyſi Scripturarum incumbis, ſcito id eſſe Analyſin quærentis, quærere ut ſingula intelligat, ut diſtincte ac ordine explicare poſſit quid & cur quoque in loco dicatur; & cum id intellexerit, commode & in compendio explicare, rerumque coagmentationem ob oculos ponere poſſit, ad ſenſus illuſtrationem, memoriæ adjumentum, veræque interpretationis ſolidam confirmationem. Qua in re D. Martinium tibi ducem & doctorem gratulor. Cui ut ſalutem plurimam dicas, meque de ſilentio hoc tempore excuſes (nimis enim diſtringor) te vehementer oro. D. Altingium Rect. Magnif. item D. Theologos officioſe velim ſalutes. Scripſi ἐν τάχει. d. 7. Mart. 1647.

D. Lavatero ſalutem plurimam adſcribo.

EPISTOLA XXVI.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Coloniam.

Reverende Vir, Amice Chariſſime.

ACceptis literis tuis ſtatim cogitavi, quomodo tibi ſatisfacerem. Ibi viſum mihi, optimum factu eſſe, ut, quæ meditatus eram in prophetiam Michææ, integra tecum communicarem. Neque enim aliter poteram tibi indicare, quid de his noſtris temporibus ſentirem: & ocium non erat, plenius de re, quam mecum communicas, meditandi, in primis quum me diſtineret, præter epiſtolam ad Hebræos, Propheta Zacharias, quem jam prælego. Ad quem quum accingerer putabam mihi ſubſidium in penu eſſe; quod, ubi ad rem ventum eſt, nuſpiam fuit repertum. Ergo oportet de novo meditari. Quod fit, eo modo quo & Michæam retextum vides. Nam per Studioſos curavi deſcribi, quantocyus fieri potuit. Sed ii fuere tardiores. Scio tibi hoc gratum fore. Deum vero precor, ut utrique & omnibus aperiat oculos, quo videamus tempus viſitationis noſtræ. Quid Independentes novent, non ſatis intelligere poſſum: de quibus certius & exploratius aliquid quum habuero, accuratius, Deo dante, cogitabo. Vix quicquam ad nos de illis perfertur, niſi quod in novellis eſt. Si quid habes certi, velim ut impertias. Quæ de Azorio ſcribis, meque illum jubes exſpectare, bene eſt. Sed D. Hinricus à Lahr quum prima vice hinc diſcederet, me urſit, ut ſignificarem, ſi quem librum mihi utilem Coloniæ emere & mihi tranſmittere poſſet. Tergiverſatus ſum, &, dicta conditione, ut meo ære id fieret, nominavi Azorium de Caſibus conſcientiæ. Poſtea vero intellexi titulum eſſe Inſtitutiones morales. Nominavi autem illum librum paratus omnino ſolvere. quanquam neſcirem quanti væniret. Puduit autem me non nominare aliquem, ne viderer ipſius animo erga me diffidere. Igitur ſi is veniet, tuum erit mihi aſcribere, quo pacto precium tibi numerari velis. Vale optime, ſalutatus à me & mea.

Scribebam die 23. Nov. 1647.

EPISTOLA XXVII.

TOBIÆ ANDREÆ JOH. COCCEJUS.

Groningam

Vir Clariſſime.

MAnus obligata parum officium facit. Iccirco cogor breviter in luculentam epiſtolam tuam reſpondere. Principio gratulor de ſtrena, quam tibi Deus largitus eſt & conjugi tuæ ornatiſſimæ. Deum rogo, ut prolem tibi conſervet & concedat educare ad nominis ſui gloriam. Pro vetuſto in me amore facis, quod vocationi meæ gratularis. Ego quidem commoditates meas cum nonnullis incommodis mutavi. Deus faxit, ut in celebriori loco amplius poſſim prodeſſe. Quod ad innoxiam Philoſophiam attinet, vellem me tecum poſſe colloqui, & ex te ſolide intelligere, quid apportet Philoſophia illa ἀνηλεγμένη novi. Nam quum ipſe necdum potuerim indagare, nomen quidem Carteſii audio, dogmata & inventa nova non audio. quæ tamen audivi hactenus, apud me fere idem effecere, quod apud te. Riſi enim. Niſi quod indignatus ſum ſtudioſos ſibi permittere, ſub nomine hujus Philoſophiæ, de omnibus dubitare. Quod quam δύσφημον ſit, non ignoras. Hoc tamen probo, debere hominem non opinari, ſed ſcire vel credere. Iccirco opus eſſe ſcrutatione veritatis. In Philoſophia ego requiro cognitionem rerum & cauſarum, tum ſapientiam loquendi. Nunc in Philoſophia regnat barbaries & abuſus terminorum. inprimis quando Theologiam attingit, terminos Scripturæ vel corrumpit vel mutat. Quæ res quam ſit noxia, dici non poteſt. Apoſtolum video monitos nos voluiſſe, ut caveremus Philoſophiam. Scio, non abjici τὴν σοφίαν τοῦ λόγου & φυσικὴν ἐμπειρίαν; ſed Auctorum & Sectarum diſcrimina, multa implicare falſa innuit. Quod etiam hoc tempore contingere poſſe puto, quo minus cauſæ eſt, Sectam faciendi & τοῦ φυσιοῦσθαι τὸν ἕνα κατὰ τοῦ ἑνὸς ὑπὲρ τοῦ ἑτέρου. Studioſi, dum id fit, vel nihil diſcunt, vel ἀέρα δέρουσιν. Ego velim nos eſſe ἐκλεκτικούς, & διακριτικούς, & ſtudioſos non ignorare, quid Plato, Ariſtoteles, Ramus, Carteſius ſenſerint, ſed eſſe veritatis ſobriæ & modeſtæ profeſſores, & Philoſophiam Verbo Dei ancillam imo & diſcipulam præſtare: imprimis de quavis re diſcere loqui σαφῶς. Ego tuas meditationes avide expectabo; neque dubito, quin precioſum à vili ſis diligenter diſtincturus & factiones, quæ ad nihil proſunt, non ſis adjuturus. Obtineat veritas, cujuſcunque ſit, iiſque vocabulis enuncietur, quæ ſignificantiſſima fuerint. Ego puto, nec Carteſium voluiſſe πατέρα αἱρέσεως fieri. Certè quod me attinet, etiamſi in multis cogerer loqui aliter ac priores, mallem tamen videri cum prioribus facere in præcipuis & ad illorum inventa adjicere mea, quam καινοδίδασκαλος novæ methodi in Theologia & ſic Sectæ auctor & caput haberi. Sed manus ulcere in valida, hîc libenter abrumpit. Jucundiſſimum erit, ſæpe tuis literis frui. Salveat Conjux lectiſſima. Salveant Collegæ, D. Mareſius, Widmarius, Paſor.

Lugd. d. 24. Febr. 1651.

EPISTOLA XXVIII.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

PErjucundum est mihi, quod me iterum tuis literis dignatus es, quibus tum de affectu tuo, tum de literis communibus mecum sermocinaris. Et illum quidem quod attinet, censeo eum esse supra mea merita. Et quanquam in illustrem hunc locum pertractus sæpe trepidem, fateor tamen me non nihil tuis aliorumque bonorum gratulationibus in bonam spem confirmari, quorum etiam precibus votisque Deum annuiturum spero, qualia vicissim sunt pro tua cæterorumque Ecclesiæ luminum salute vota. Quod ad labores meos attinet, spero R. T. vidisse ultima mea Franekerana. h. e. Considerationes ad ultima Mosis, quod genus meditationum si tibi quoque placere intellexero, addetur mihi animus ad alia edendum, quæ in quasdam S. Scripturæ partes meditatus sum. Suscepere hoc tempore Elzevirii excudendas Commentationes meas in duodecim Prophetas minores; in quibus conatus sum proprios sensus & parallelian illorum & cæterorum Prophetarum clare explicare & luce historiæ illustrare. Quod si ex animi sententia successerit, non nihil ad excitandum sacrarum Literarum studium & amorem momenti allaturum confido. Videtur à me flagitare Nobiliss. D. D. Curatorum hujus Academiæ voluntas, qui me ad scribendum contra Judæos obligarunt, ut ista potissimum edam, quibus patescat, doctrinam Novi Testamenti ubique in Veteri inculcari, ejusque scopum unicum esse, Christi personam, adventum, dicta, facta, passiones, δόξας, regnum, Ecclesiam redemtam, ejusque varios status describere. Quod si præstare possimus per divinam gratiam, nescio an ullum efficacius medium ad convertendos Judæos esse possit. Non possum dissimulare, mihi pergratum fore, si meum institutum aliquo epigrammate ornare digneris, & deinceps, quid potissimum agendum censeas, ut voluntati D. D. Curatorum nostratium satisfiat, aperire. Pugionem fidei avide expecto, in quo non dubito multa egregia contineri, qualia & in Galatino reperiuntur; qui tamen sæpe Veteres non videtur ex mente ipsorum citasse, alicubi etiam verba sua posuit, quasi ex Vetustis desumta, & in multis cogimur desiderare inspectionem librorum, quos citat. De controversia quam habes cum Capello vehementer doleo, non quod ægre feram sententias publice proponi & examinandas trutinandasque lectori commendari, sed quod videam acerbius rem geri, quam vel decet pios & doctos viros, vel ad veritatem inveniendam accommodatum est. Ante mortem suam R. D. Rivetus scripserat ad me, & meum judicium de Critica Capelli exquisiverat, quam & propterea mihi comparavi, ut aliquid respondere possem. Respondi, breviter quidem & moderate; & D. Rivetus ad me rescripsit, se plane in eadem esse sententia. Nuper vero accepi literas à D. Capello bene longas, ex quibus cognovi, D. Rivetum ad ipsum misisse judicium meum. Et is quidem in quibusdam mihi assentitur, quædam sua emollit, de aliis conqueritur non bene se intelligi, alibi etiam me obscurius scripsisse, & brevius queritur: petitque se moneri amice, & se paratum ostendit, sine iracundia vel demonstrationibus cedere vel dubitationibus satisfacere. Ostendit etiam sibi dolere gravem syrraxin inter se & Cl. T. ac velle jam non quidem Criticæ adversus Cl. T. defensionem peremtam, sed stili acerbitatem demtam & agendi rationem inflexam. Causatur interim se contemtu, probris, dicteriis, sannis provocatum, & atrocibus calumniis impetitum ad famam & existimationem eripiendam. Quod quum ita scriptum sit ab ipso, putavi mei officii esse, T. Claritatem non celare. Neque dubito, quin T. C. in responsione sua operam datura sit, ut nullo verbo molesto se læsum dicere possit, quod tamen fiat absque ipsius causæ detrimento, quam diligenter enucleari reipublicæ interest, ut qui ita operam ei rei dare non possunt collatis utrinque productis argumentis certi quid habeant, in quo possint consistere. Ut ex silicum collisione ignis, ita ex rationum comparatione veritas elucet. Puto, Cl. T. deinceps posse absque ægritudine animi id negocium tractare, quando & ille profitetur sibi displicere modum agendi, & T. C. ipso facto probare potest, non ipsius famam impeti, sed veritatem quæri. Cæterum ut & illa recte præstare, de alia tui ingenii ac studii monumenta, & Clarissimi Parentis tui beatæ memoriæ opera cedro digna (cujus laboribus omnes sacrarum Literarum amatores plurimum debent) edere possis, sospitatem & valetudinem propitiam ex animo tibi exopto.

Dabam properanter Lugduni d. 4. Julij. 1651.

Lator harum D. Tobias Stollius Dantiscanus Med. Studiosus tuæ benevolentiæ per me insinuari cupit, quam pro humanitate tua ei impertieris, sat scio, ut bono & ex bonis, mihique amicissimis conjuncto.

EPISTOLA XXIX.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

QUi has R. T. offeret, popularis meus est Nicolaus Warendorpius Theologiæ Studiosus, probi & modesti ingenii juvenis, amator sacrarum Literarum & Philologiæ Theologiæ inservientis: qui hinc ad vos properat ad uberiorem ingenii culturam & absolvendum curriculum studiorum suorum. Eum cupio tibi curæ cordique esse, &, ut timidiusculum etiam erigi & excitari, quod facies & humanitatis tuæ causa & mei. Cui sane illa nuper opportunitate stationis hujus meæ contracta amicitia & inchoata communicatio perjucunda est. Memini ultimis tuis literis mihi salivam motam inspiciendi Pugionem Raimundi, quod opus, quantum licuit degustare, dignum fuit conservatione & editione: quippe quod peritiam Auctoris luculenter testetur & fidem. Permagnæ gratiæ debentur editoribus, qui utinam in suis non admiscerent interpolationem Judaismi per Papismum, & cæcos homines non ab unis traditionibus & superstitionibus ad alias traducerent, sed potius ad sanam intelligentiam sacrarum Literarum & Christianæ religionis sinceritatem. Nunc tanta regnat in mundo ἀνομία, ut quid de Judæis sperandum sit, non facile appareat. Optandum saltem ut videamus ex nostra Ecclesia exemta scandala, quæ illos possunt abarcere, & ut Deus vulnera ejus consolidet, quæ ita hiant, ut de valetudine ejus videatur conclamatum. Sed Deus non sinet interire gregem suum, & omnis ista Ecclesiæ concussio & ventilatio regnum Christi, ut Scriptura promittit, admovebit & manifestabit. A D. Capello alteras accepi literas, quibus à me flagitat responsum. Mihi decretum est insistere sententiæ, quam ad Rev. D. Rivetum p. m. olim perscripseram: cujus apographum, me inscio, ad D. Capelli manus pervenit. Spero te luculenter omnem historiam conservatæ usque ad nos ἀναγνώσεως sacrarum Literarum V. T. nobis explicaturum. Ego credere non possum, à paucis & seri temporis hominibus invehi potuisse in dissipatione artificiosam illam & accuratam punctandi rationem. Ab iis vero & in genio linguæ aliquid novatum, absurdissimum judico. Ego in Prophetarum expositionibus lectioni receptæ hæreo: neque hactenus multa potui reperire, in quibus vel Chaldæus vel Græci aliter potius legisse, quam per inscitiam legendum putavisse dicendi sint. In Hos. 12: vs. 5. vidi mutatum à D. Cappello [illegible] in [illegible], quod & Grotius laudavit. Non dissimulavi in meo Commentario, quantopere displiceat. Video eo rem rediisse, ut in singulis locis, qui solicitantur, quantum intersit usitatam lectionem retineri, rationum ponderibus astruatur, ita tamen, ut manifestis indiciis melioris lectionis, quæ vel Chaldæis vel Græcis versionibus comprobetur, non difficulter cedamus. Nam varietas lectionis commissa in eodem populo in locis minoris momenti divinæ providentiæ conservatrici Verbi divini non solum non repugnat, sed etiam attestatur.

Libros, quos mihi nominas, contra Judæos compositos, mei temporis infelicitas mihi negavit; & dubito an hic in ullius bibliotheca reperiantur. Ago tibi gratias, quod eos mihi notos esse volueris. Operæ typographicæ in excudendo Commentario meo ad duodecim Prophetas impigre pergunt. Non despero, Te ad nundinas autumnales eum visurum. Deus te, Vir Reverende & Observande, cum Reverendis Collegis bono Ecclesiæ diu incolumem servet.

Scripsi properanter & manu non nihil detrectante Lugd. Batav. die 3. Aprilis 1652.

EPISTOLA XXX.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Francofurtum ad Manum.

Vir Reverende, mihique Charissime.

EXistimo, Dominum Franciscum Köne nostrum luculenter tibi ex ore meo respondisse de Collegio Gallo-Belgico, nempe percepi ex D. Regente, duabus crumenis sustentari studiosos, una Ecclesiæ Gallo-Belgicæ; altera Executorum Testamenti alicujus. Et hos quidem non supplere defectum studiosorum ob nescio quam rationum conturbationem. In universum autem

autem multis prensationibus admitti, qui dudum innotuerint. Dicebam, Quid si juvenis huc veniat, seque probet Mæcenatibus? Responsum tuli: Noli eum falsa spe lactare. Si quid Reverendus parens apud Gallicam Synodum posset, eam viam optimam judicarem. Interim opto mihi dari opportunitatem bene merendi de illis, qui me benevolentia prosequuntur. quæ necessaria est ad communicationis coagulum, ut nosti. Operæ typographicæ strenue pergunt in excudendo meo Commentario in 12. Prophetas. Sæpe 6. folia septimana excuduntur. Michæam attigimus. Ea res mihi multum eripit temporis, quod facile æstimes. Brevis is commentarius erit, index ordinis & harmoniæ rerum. quo obtento, cuivis patet ad meditandum via. Dedi D. Köne exemplar Disputationum mearum de principio Euangelii Johannis. Velim tibi gratum id esse, & probari laborem meum. Utinam possim aliquando recognoscere & in libelli formam redigere. Putem aliquid allatum esse, ad quod Sociniani non facile possint respondere: nisi id me fallit, quod hac meditatione ipse vehementer confirmatus sum. quod nobis in lectione sacrarum Literarum quotidie evenit. Orsus sum disputare de Potentia Scripturæ contra Papistas, præsertim novellos Valerianum & Walenburgios. Constitui demonstrare potentiam Scripturæ ad demonstrandam divinitatem suam, ad exhibendam formulam pietatis, ad decidendum controversias, (ubi occasio erit quasdam specialius tractandi) ad distinguendum fratrem à non fratre, ad bonam conscientiam in Deo largiendam. Metuo ne longior sit opera. Nam video me in abyssum scriptorum Antiquorum & Novorum facile delabi posse. Deus modo ne patiatur turbari pacem nostram. Mea te uxor diligenter salutat.

Properanter Lugduni d. 3. April. 1652.

EPISTOLA XXXI.

JOHANNI FREDERICO GRONOVIO JOH. COCCEJUS.

Daventriam.

Vir Clarissime.

DElector non tantum benevolentia tua, sed & laboribus, quorum me subinde participem facis. Est in iis aliqua nostri laboris similitudo; qui noctes atque dies omnes Scripturarum apices trutinamus, ut divinorum dictorum mentem intelligamus. Ut vero & pandamus nostro sermone sæpenumero vestris de sermone docto Observationibus adjuvamur. quamquam velim mihi non tam sæpe, ac sentio, aquam hærere. Quid facies? nihil est ab omni parte beatum. Diebus hisce absolvi vindicias principii Euangelii Johannis. Quivis unus dixerit laborem esse philologicum. Et ego mihi ita persuadeo, ad ejus mentem patefaciendam philologiæ qualecunque studium nobis præluxisse: idque aliis ita videri cupio. Neminem habeo à quo laborem meum recenseri malim, nisi te. Mitto, quicquid id est, tibi & Reverendo Diestio exemplar. Huic salutem & pro dono ad me misso gratias à me dici pervelim. Sudant sub prælo Commentarii mei in 12. Prophetas philologohistorici. ita enim quis dixerit Elzevirii nitide satis edunt. Pro eo atque liberales erunt, ero in amicos. Vale, & quum Leidam veneris, noli fugere veteres amicos, qui si minus te honorare possunt, norunt tamen nullo minus amare.

Lugduni die 25. Junii 1652.

EISTOLA XXXII.

JOH. HIPSTEDIO JOH. COCCEJUS.

Auricam Frisiorum.

Vir Clarissime.

PRidem rescripsi ad tuas literas. Quid de rebus tuis statueris, nescio. Hoc ipso momento D. Franciscus Köne, Senatoris Bremensis filius, mihi prælegit literas Johannis à Dalen, quem nosti. Agit is in oppido Keisers Lauteren apud Principem Palatinum, Fratrem Regis Bohemiæ. Is desiderat Ephorum filiis suis. Ephori qualitates sunt notitia scientiarum Politicarum, Theologiæ, Linguæ Gallicæ, gravitas & suavitas morum. Utinam id Tuæ ætatis esset! Certe mihi ita videtur, Te hac vel in Ecclesiam vel in Academiam Heidelbergensem penetrare posse. Considera diligenter. Ideo misi ipsas literas quas remittes quantocius cum responso. Si tibi non erit commodum hac occasione uti, ostende mihi Virum quem commendem. Si tuæ rationes accommodatæ sunt huic vocationi, celeriter rem agi necesse erit. Prius tamen rem apud Palatinos confectam esse oportebit, aut saltem de conditionibus transactum, quam statum præsentem, ea certe de causa, mutes. D. Cloppenburgius ante 14. dies fato functus est. Paulo ante D. Walswerius. Domino Te commendo.

Raptim die 1/11. Augusti 1652. Leidæ.

EPISTOLA XXXIII.

JOHANNI à DALEN JOHANNES COCCEJUS.

Vir Reverende, Amice integerrime.

EX literis tuis ad D. Franciscum Koene, quas is ante discessum suum mihi ostendit, cognovi te memorem mei & studiorum meorum. Quod mihi perjucundum est. Fructus is noster est, si quid veri communicetur aliis. Cæterum XII. Prophetæ cum commentatio jam prostant. Expecto, quam liberales sint futuri Typographi. De Potentia Scripturæ disputare aggressus sum, detegendis Walenburgiorum & Valeriani strophis. De principio Euangelii Johannis accepisse te puto. In eadem epistola inquirebas de Ephoro principum Simmeriensium. Occurrebat animo noster Johannes Hipstetus. qui suam ætatem hactenus impendit studiis primo Schonæorum, deinde nobilis Freitagii, per Galliam & Italiam, per tempus scholæ Franekeranæ, (in qua functione summam laudem meruit) rursus nobilis Ehrntreuteri, cujus iter Gallico-Italicum quum spe citius interruptum esset occasio ipsi oblata fuit Aulici Secretariatus capessendi apud Comitem Oostfrisiæ. Non placuit ipsi functio aulica, & recogitato veteri studio & voto, visis mutationibus in Academia Franekerana, dolere cœpit se longius à fine suo amotum, viditque experiundo, animum à fastidiis aulicis aversum. Quæ res eum non nihil turbavit. Ideoque impatientius retinacula rupit, seque, retentante licet Comite & Cancellario, abdicavit eo munere, ratus in posterum, si Deus vellet, literario officio & Theologiæ studio se impendere. Artes politicis dignas ob causam Ephoratus sui non defunctorie tractavit. Lingua Italica, Gallica ipsi familiaris. De studiis Hebraïcis, Græcisque nosti. Ingenium ut tibi commendem opus non est. Vellem hunc ipsum utilem ministrum principum Simmeriensium fieri. Siqua tua facultas erit, habebis ejus rationem. Nobile id ingenium nollem nobis inutile esse. Vale & me amare perge. quod te intelligam facere, si crebras à te videro.

Leydæ d. 9. Sept. 1652.

EPISTOLA XXXIV.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine Honorande.

LIteras, quas dederas Johanni Hollenio affini fratris mei, ille Brema ad me misit. Intelligo, illum tibi curæ fuisse, & tua tuorumque benevolentia fruitum. Quod ut infirmitati ipsius fuit necessarium, ita frater meus atque etiam ego in beneficii loco repono, paratus ad omnia officia, quæ à me proficisci poterunt. Cæterum nolim te ignorare, nullum studiosum mihi hactenus obtulisse literas tuas, neque mercatores nostros librum. Credo non satis officio suo functos, quibus id negotium dedisti. Ἀνδιγραφόν meum me præsente editor Johannes Elzevirius famulo suo injunxit, tibi ut curaret. Isque redux ante nuperam hiemen affirmavit, id à se curatum esse. Confido, eum id præstitisse. Has nunc literas exaro propter Johannem Rhala Juris Candidatum; qui in Academia vestra agit & gradum ibi ambit. Ejus Mater scripsit ad me ex Frisia, indigere eum testimonio de natalibus, quod noverat optime per me reddi posse. Diu enim non tantum in eodem oppido sed in vicinia habitavimus; & amicitia ac familiaritate non vulgari usi sumus. Pater ipsius est Hinricus Rhala, qui in Franekerana Academia Juris Professor satis diu fuit, collega & amicus meus, olim Basileæ Doctoris elogio ornatus. Mater ejus, nunc vidua, est Anna Duercopia Emdana gente, egregiis parentibus nata. Honestissimi & honoratissimi in Frisia hi conjuges habentur. Ex eo matrimonio tres nati sunt Filii non pœnitenda indole. Maximus natu apud nos titulum Doctoris impetravit. Secundus Johannes paterni honoris originem adamavit, Academiam Basileensem. Ex qua spero ipsum, ut non sine accessione eruditionis & virtutis, ita non sine honesto testimonio & gradu bonis ingeniis & industriis studiosis debito matri & cognatis ac amicis reducem se stiturum. Recte te valere & bono Ecclesiæ perennare cupio.

Lugduni d. 1. Julii 1653.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXV.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine Honorande.

JAcobus Gotten, quanquam tardius, tamen officio suo functus est, & librum tuum, quem mihi dono misisti, tradidit. Quem statim atque accepissem avide incepi legere. Observavi diligentiam summam in Capelli dictis examinandis & evertilandis. Capellum audivi diem extremum obivisse. Quod an verum sit, nescio. Si vivit, non minus ipse quam alii omnes cognoscent, vindiciis tuis factum esse, ut non tam de facili textum Hebraicum corruptionis arguere audeant. Quod ne credamus, sola in nobis efficere potest divina promissio, quæ Judæos designat oraculorum Dei depositarios, eosque etiam ultimo tempore in ore suo gesturos contra se testem Canticum illud, quod Moses ipsis dictavit. Quod quomodo sine conservatione Scripturæ omnis, cujus illud pars est, quæque Canticum illud explicat, & ejus veluti Commentarius est, & linguæ, & eorum instrumentorum, quibus Scriptura ad posteros conservanda fuit, intelligi non potest. Cujus promissionis vis vel ex ipso Dei opere noscitur. Usque enim in hunc diem causa nulla reddita est, quare homo prudens & non temerarius, certe fidelis, velit in iis, quæ concernunt fœdus Dei & testimonium voluntatis ejus, quippiam mutatum. Quod à te perspicue & fortiter demonstratum est. Et hoc mihi argumentum cumprimis validum est visum semper. Si enim in locis doctrinam tractantibus, atque ita in lege, in prophetiis Christum & justitiam & regnum ejus promulgantibus maxima ex vero intellectu eorum, quæ jam leguntur (legi autem puto, quæ etiam in diversis codicibus inter varia se pro optimis commendant. utinam vero te proxenetâ uberibus indicibus istiusmodi variarum lectionum pro copia tua uteremur. Salivam movisti memorans auctores Judæos earum recensores. Apud nos illi ignorantur) oriatur sapientia, necesse est divinam providentiam & promissionis veritatem in toto Codice agnosci, nempe sic illa legi à Judæis, quæ hoc fine scripta sunt, ut sint in testimonium ultimis temporibus contra ipsos, de Christo, de ipsorum abjectione justa, de regno Christi & Antichristi; quemadmodum ea legi oportet. Quod si in genealogiis, dum variant codices, demus excidisse veram alicubi lectionem, etiamsi in Versione aliqua antiqua aliquid reperiremus, quod nobis arrideat, temerarium tamen esset, id in textum recipere vel ei attexere, quum, quæ leguntur, varie componi possint, & non possimus affirmare veram lectionem excidisse, quum multa Deus nos non voluerit determinate scire in genealogiis & circumstantiis historiarum, atque etiam illas varietates tam antiquas reperiamus, ut eædem fuerint populo maxime florente, & χρημάτων affluente. Sed hæc à te docte & nervose explicata sunt; eoque me paro & extendo ad reliquorum, quæ perlegere necdum potui, evolutionem. Quod restat, Deus tibi largiatur porro scriptis eruditis feliciter adjuvare rem literariam & Ecclesiam. Meum laborem & studium apud te benignum judicium meruisse est mihi eo majori solatio, quo molestius fero, quod sunt, qui videntur succensere mihi, quod mea Versio sæpius à Belgica versione videatur discrepare, quod interpretantur censuram illius Versionis, quam ego, in quantum illam cognovi multis aliis meliorem, ita ut facerem normam meditationum mearum, nunquam à me potui impetrare. Atque etiam in scripto tuo libenter lego, versiones plures, non ineptas, Ecclesiæ ad profectum plurimum prodesse. Quod tuum judicium pluris facio illorum præpostero metu, qui putant noxium esse hominibus, scire, sibi superesse quippiam discendum.

Vale in Domino Lugduni d. 27. Aug. st. n. 1653.

EPISTOLA XXXVI.

ANTONIO PERIZONIO JOH. COCCEJUS.

Dammoniam in Omlandia.

Clarissime Vir.

ADmodum gratum est, quod mihi voluisti communicare eruditionis tuæ specimina; quæ in Academia Groningana tibi gradum & titulum Doctoris merito impetravit. Cujus Academiæ Professores quum ostenderent, se paratos esse tuis virtutibus debitos honores impertiri, testati sunt non tantum quid tibi cuperent, sed qualem te nossent. Id fuit bonorum virorum officium, & tui meriti. De eo igitur & illis gratulandum est, quod habuerint, quem honorare cuperent; & tibi, quod à tui non ignaris honorari meruisti. Neque segnior noster favor fuit. Quare neque nunc possumus nisi bona verba tuis honoribus adjungere. Igitur si quis est, qui melius meminerit, quid de tuo consilio olim inter amicos dixerim, quam ego (nam ego vix commemini) res loquitur, id non in aliam partem, quam comitas & urbanitas permittit, accipiendum esse. nisi me quis velit putare loquutum esse, ut ἄφρονα. quod certe non fuerat existimandum. Cæterum de proposito tuo tecum facio. nempe ut te hoc titulo putes obligari ad sacræ Scripturæ scrutationem indefessam & solidam explicationem. Cujus recta tractatio omnium malorum Ecclesiæ unicum remedium est. Neque dubito, quin Deus te aliquando sit adhibiturus in ea ministerii parte, qua id solum agas. Nunc interim habes occasionem adolescentibus ingenuis veram pietatem & fontes divinæ sapientiæ instillandi: sive id agas, sive obiter vim ἐνδείξεως, phraseos efficaciam, ordinis sapientiam, rhetoricam elegantiam & πάθη sacrarum Literarum exemplis commonstres. Meum porro erit tuis favere studiis & conatibus, & processionem tuam in opere bono ejusque opportunitate Deo optimo maximo serio commendare.

Lugd. 18. Octobris 1653.

EPISTOLA XXXVII.

HERMANNO COCCEJO GER. FIL. JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Mi Fili Charissime.

GRatum facis, quod diligenter ad me scribis. Et proderit, si perseveres. De iis imprimis respondeo, quæ quæris. Primo dubia moves circa quæstionem cum Lutheranis, *An Christus prior sit concipiendus in decreto electionis an Ecclesia?* Nosti, decretum Dei unum esse, quo omnia ordinata sunt secundum sapientiam Dei. Vix licet in eo separare Christi & nostri prædinationem. *In ipso enim electi sumus*, quod, ut scis, optime hoc significare potest, simul ipsum caput & nos membra prædinata esse. At conceptus noster & vocabula nostra non sufficiunt, ad explicandum semel totam rationem sapientiæ Dei, quæ est in hoc decreto. Videmus enim & ad gloriam Filii pertinere electionem nostri, & ordinationem Filii mediatoris ad salutem nostram. Igitur utrumque verum est; *Pater amat Filium, ideo omnia dedit in manum ejus*, &, *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Nempe nec possumus concipere ordinationem Filii in redemtorem nostrum, nisi prius conceperimus amorem Patris, quo quærit gloriam Filii; neque vicissim possumus concipere Filii glorificationem per gratiam, nisi sint, quos dilexerit, ut Filius in ipsis gloriosus & admirabilis fiat. Nosti locos, quos alludo.

Secunda quæstio est, *Ut Deus dicatur vere vocare serio, quos vocat, cum tamen multos reprobarit?* Dico; Deum vocare serio omnes, quos vocat, idque constabit facile, si verissimum reperiatur quod Deus narrat & testatur de Filio suo; quale testimonium est 1. Joh. 5: 10. 11. 12. 13. in quo testimonio non tantum inest exhibitio mediatoris, & sufficientia ejus, ut omnis credens in eum certo sit justus & salvus; sed & propositum, quo dedit eum illis, qui dono Dei credunt: unde credentes certi esse possunt, sibi eum datum esse, & omnia cum ipso sibi data esse. Item, nulli homini possibile esse, vel suis viribus vel sua justitia habere communionem cum Deo. Omnia enim illa credenda sunt. Tum, si utilissimum sit consilium, quod Deus dat, nempe ut abnegantes nostras vires & justitiam in Christum credamus: Item, si voluntas Dei illa certissima sit, quæ describitur Johann. 6: 39. 40. Contra voluntas justificandi & redimendi sub hypothesi, si homines credant, (ut scil. Deus exspectet hominis bonam voluntatem) serium propositum & vera redemtio dici non potest. quod perspicuum est. Porro, cum de vocatione seria quærimus, non debemus tantum cogitare de sono Euangelii, qui aures verberat, & animum malum non sanat, (Joh. 3: 19. 20. 32.) sed præcipue alloquium Dei ad cor hominis: quo efficitur, ut hoc nobis de Deo dicat cor nostrum, quod Deus de se in verbo suo loquitur.

Venio ad scrupulos tuos super dictis Ezech. cap. 18: 23. & 33: 11. Clarum ea sensum habent. Si scopum spectes Prophetæ, pater, hoc Deum dicere, Se non velle sibi attribui eam severitatem, quæ omnem misericordiam excludat, & resipiscentiam non admittat. Certum autem est, quod Deus non neget, se esse אֵל קַנָּא, Deum zelotem, aut hominis peccatum non commeruisse mortem, aut eos, qui ad resipiscentiam per præconium

conium Euangelii non vocantur, aut ipsos etiam Judæos, à quibus Deus abscondit faciem suam, non esse mortem & judicium hoc commeritos: aut etiam Deum non delectari demonstratione justitiæ, quæ est in punitione peccati, qualiscunque ea sit. nam hoc expresse dicitur 1. Sam. 2:25. Præter hunc autem sensum, quem dixi, etiam sensus absolutus locum habet: nempe quemadmodum Deus non delectatur, quando homo justus est Job. 22:3. ita etiam non delectatur, quando moritur injustus. Nam nec illo beatior est, neque hoc. Itaque ut ipse felix sit, hominis morte non indiget. Neque quicquam hominis, quantumvis improbi, mors, ad Dei felicitatem adjicere potest, ut propterea mors ipsius videatur esse quæsita aut destinata. Cogitandum interim Deum loqui de morte רשע improbi & κατάκριμα. Quemadmodum peccator non potest non καταδικάζεσθαι, ita etiam non nisi justè potest in illa καταδίκη relinqui, neque etiam aliter, quam per misericordiam, eamque nullis in homine causis subnixam, ex eo judicio eripi. Videtur præterea non incommode hîc posse fieri distinctio inter voluptatem quam Deus capit ex actu suo, quæ est demonstratio justitiæ (quam significat locus Samuelis) & ex statu creaturæ miseræ, quam notat hic locus. Illa affirmatur, hæc negatur. Atque ideo, quando Deus punit, dicitur alienum opus facere Esai. 28:21. quanquam & illud rectius de populo Dei quam universim accipi videatur. Est enim Dei quasi proprium, quos miseratur, miserari; & quasi alienum & peregrinum iis irasci, sive illis se ostendere contrarium.

Quarta quæstio est, *an impii etiam teneantur credere Christum pro se esse mortuum?* Ubi citas quæ legisti & observasti, & tibi non omnino satisfaciunt. Non vacat in Bergio requirere, quæ ex Censura citas, quia locum non notasti & Censura non est ad manus. Est quædam sine dubio & magna gratia, quæ electis & cæteris communiter aliquando & alicubi administratur: per quam electi, Dei ope, convertuntur; cæteri indurantur suapte malitia, eaque eo magis inexcusabili, quo etiam reproborum consilium ab omni sapientia alienius. Quod attinet verba D. Bergii im Schulstritt: Extra dubium est, Christum proponi non tantum electis: & Deum voluisse etiam quibusdam innotescere, non usuris ea gratia: & voluntatem Dei & Christi esse, ut mors Christi possit proponi omnibus, omnesque, quibus proponitur, obliget ad pœnitentiam. Non debet hac de re esse controversia. Nec esset, nisi propter methodum quorundam & consequentias ejus dicta scripturæ perverterentur & suspiciones seminarentur, & lites augescerent sine cogitatione de reconciliatione. Ita solet fieri, neutra pars in altera potest videre quicquam boni, & volumus vincere. Si *credere Christum pro se mortuum* significat, credere, Christum pro se mortuum ut pro aliis universis hominibus, non ut pro ipsis se victimam sisteret, atque ipsis Spiritum, justitiam, vitam impetraret, sed ut novo quodam pacto de alia justitiæ & vitæ conditione faceret locum, nescio, ubi hoc scriptum sit, id ad fidem integram pertinere. Rursus, si id significet, consolationem Euangelicam sibi applicare, nescio, ubi scriptum sit, impio incumbere, ut id credat, non eo ordine, quo id credendum est. Confugientium est spes. Hebr. cap. 6:18. Ita Rom. 6:8. credere, quod cum Christo victuri simus, competit iis, qui cum Christo mortui sunt, hoc est, in quibus mors Christi efficax fuit ad moriendum peccato. Rom. 5:4. ἡ δὲ δοκιμὴ κατεργάζεται ἐλπίδα. Atque illa ἐλπὶς est πίστις τις, ut liquet ex Heb. cap. 11:1. & Rom. 6:8. πιστεύομεν ὅτι συζήσομεν. Neque possunt Gratiæ universalis assertores effugere, quin respondere ad idem cogantur. Nempe credimus nos electos esse (Nam gratias Deo agimus) & Christum esse mortuum pro nobis efficaciter. Sic enim loquuntur. Sed hoc profecto non est primum unde fides nostra incipit, scil. ut affirmemus nos esse electos. quanquam simul esse possit & debeat, credere Ecclesiam esse redemtum & Christo datam, & se pertinere ad eam Ecclesiam; quia scil. Christus nos Verbo alloquitur & vocat, & Spiritu trahit, ut non tantum in ipso esse desideremus, sed etiam eum ut nostrum Servatorem amemus; sive quia Deus amorem suum in cordibus nostris effundit per Spir. sanctum. Rom. 5:5. Sed hoc facile patet, nostrum esse simul ad Christum confugere & ei sic confidere ut nostro Servatori. Neque vero timendum est, ne quis erret, aut peccet, qui Christum diligit ut suum redemtorem, cum certissimum sit electionis indicium, ita Christum diligere. quippe id est à Spiritu sancto. Operatur Spiritus sanctus fidem & in fame & in satietate, & in confugiendi fiducia, ut possis tibi applicare Christi beneficium, & in acquiescendi suavitate. Negandum est, eum non vere credere, qui confugiendo quærit consolationem. non minus atque illum male credere, qui Deo ut Servatori suo incumbit ad illi serviendum & gratias agendum: vel, illum vere credere, qui censet Christum pro se esse mortuum, ut sibi patefaciat aditum ad vitam per novam conditionem, quæ justitiæ causa sit; aut per proprias vires; vel illum non male credere, qui credit Christum pro se mortuum esse; ut non timeat peccatum. Cæterum omnes mei vos omnes ex corde salutant. Pluribus epistolis scribendis distentus non potui Fratri meo scribere. Deus nos per clementiam suam incolumes servet. Vale.

Lugd. d. 17. Oct. 1655.

EPISTOLA XXXVIII.

ANDREAS SYLVANUS TARPAI JOH. COCCEJO.

Gratiam & pacem Dei cum communicatione Spiritus sancti.

DEberem equidem imo & hactenus non semel debuissem, nulla etiam urgente necessitate Vir Clarissime apud te per literas (cùm secus per loci distantiam non liceat) meum in te propensum animum identidem testari tum ob multa, & ea quidem præclara in gentem meam, & peregrinos apud vos populares, tum quod maxime è re est in me indignum, & non ita diu è discipulis tuis forte minimum, miro affectu frequenter præstita merita. utpote quem non vulgariter ut multos, sed præcipue & singulariter fueris amplexus. quemque non solum consiliis, sed etiam institutione publica & privata summo conatu promoveris. Et sane cui ex mortalibus referam acceptum quod amor singularis linguæ sanctæ imo Scripturæ sacræ mihi impressus fuerit, si non tibi? in hoc enim & exemplo & consiliis pie vir mihi nunquam defuisti. Sed me miserum! quam diu multumque silui, dum omnia fuerunt tranquilla, oblitus vestri videbar, & alto somno sopitus, licet re ipsa semper nomen tuum, honos, laudesque, imo & celebris Academiæ vestræ apud me manebant. Nunc igitur pro re nata debui sumere calamum & animum, tibique mihi sincero & candido Præceptori instar Patris venerando animi gemitus exponere. Miser sane & deplorandus Ecclesiarum nostrarum ut & fidelium Christi servorum status: In Ecclesiis nostris nulla pax, nulla unitas, charitas nulla. utinam bellum esset nobis cum Pontificiis, Socinianis, Lutheranis & bene nobiscum ageretur, sed bone Deus! conversus est gladius viri in virum, fratris in fratrem, bellum est intestinum. sed breviter summam rei sic habe: Obortæ fuerunt ante annos circiter decem Controversiæ de quibusdam capitibus non religionis directe, sed circa religionem, quæ nimirum doctis & piis quibusdam Jesu Christi servis videbantur (& bene) ex reliquiis Pontificiorum remansisse, ut est superstitiosa & ad religionem usque Festorum Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, &c. observatio. Item, Episcopatus, Administratio Baptismi in templo vacuo, non in cœtu, deinde alii ritus, in Cœnæ administratione observari soliti, ex quibus est prior elevatio panis & vini dum verba institutionis recitantur &c. quæ cum magni Christi servi sublata vellent, ex altera parte, qui Christum forte minus sincere prædicant, omnem movent lapidem, ut tum sanctum conatum retardent, tum mala quæque, bona molientibus, creent. Nulla fere datur Synodus, ubi anathema non pronuncietur. Hinc falsis delationibus & informatione sinistra apud Celsissimum Principem lacessunt, inde apud vulgus omnis maledicentiæ auctores sunt. Puritani, Presbyteriani, Innovatores, Independentes imo Hæresiarchæ, audimus, convicia, calumniæ, contemptus, minæ, quæ, metuendum ne in cruorem vertantur, eo quod Antichristiani dogmatis labes & maculæ non possint tolerari. Interea dum hæc aguntur, convocantur Synodi Nationales, Provinciales &c. & nihil non tentatur, modo hic officio privatur, modo ille Minister, &, quod pejus, multi indicta causa damnantur, quod etiam non ita diu multis piis & zelosis Jesu Christi servis evenit. His igitur bene pensitatis, per amorem Dei, per miserationes Jesu Christi obtestor & rogo, ne otiosis hæc intueamini oculis. verum communicatis consiliis cum Veneranda Facultate Theologica, nobis succurrite, tamque perniciosum vulnus quam fieri potest citius sanate. Certe vobis incumbit, qui nos sanum Dei sermonem docetis, omni studio curare, ut idem exerceatur inter nos, & conformes vobis simus. Insistite obsecro vestigiis Magnorum Theologorum Th. Bezæ & Parei, qui in simili casu Patriotis nostris succurrerunt. Exemplar unum contra *priorem Elevationem* superstitiosam per tabellarium misi, de quo plura tabellarius. Præterea Concionem quandam de Synodis legitimis & divinis Patachini coram Illustrissimo Principe habitam tabellario dedi; quam, postquam vobis tradiderit, dignetur oro Veneranda Facultas Theologica, si dignum videbitur approbare. Tu quoque Vir Clarissime fac, ne Typographus typis mandare recuset.

Vale Clariss. Vir diu Ecclesiæ Academiæ & nobis.
Datum Varadini A. 1655. die 26. Julij stylo novo.

Tuus in Domino Frater & Conservus
ANDREAS SYLVANUS TARPAI,
p. t. Scholæ Celeb. Varadini Rector
& Theolog P.

ANDREÆ

ANDREÆ SYLVANO TARPAI JOH. COCCEJUS.

Reverende & Doctissime Vir.

FRequenter mihi jucunda occurrit cogitatio consuetudinis Academicæ, qua mihi cumprimis tecum in studiis communicare concessum fuit. Quamobrem mihi accidit longe gratissimum, quando etiam vos mei memores esse intelligo. Doleo autem vehementer, Ecclesias vestras turbari: quod ex literis tuis intelligo. Satanas hoc agit semper, ut scandalum apponatur illis, qui salvandi sunt, & vel per lites nostras absterreat homines à nostris Ecclesiis. Quod profecto magnum est ex nostris controversiis damnum. Taceo, quod, dum de rebus parvis, v. c. de ritibus quibusdam, contentio agitatur, ædificatio negligitur, & plebs scinditur & Docti unus adversus alterum animantur. In confesso est, à Papatu plurimum provenisse mali: & fermentum Papisticum vix posse ex animis hominum expelli, ne putent, in ritibus esse cultum Dei & nescio quam sanctitatem. quum tamen Christus nos plane voluerit esse liberos à servitute elementorum mundi h. e. rerum terrestrium tractatione servili & molesta: nempe ut in Spiritu & veritate Deum adoraremus. De quibus autem scripsisti ad me, visum fuit D. Heidano & mihi, ut in antecessum ad te scriberem, quo exactius disceremus, quid rei sit, de qua inter vos quæritur. Jussi sumus panem edere & vinum bibere in memoriam mortis Dominicæ, hoc est, cœnam Dominicam edere. Necesse igitur est, ad hoc nos convenire. Unde σύναξις dicitur. Opus est, ut sit, qui præsetur, ad quam actionem Ecclesia convenerit. Quibus verbis id fiat, præscriptum non invenio. Moribus igitur hic standum est. Nam quæ ab Ecclesia fieri debent aliquo modo, & possunt fieri non uno modo, in iis consensus & mos Ecclesiæ obtinere debet. Bonum vero est diversas Ecclesias diverso modo idem præceptum exequi: ne quis putet, in modo esse peculiarem sanctitatem aut necessitatem aut prærogativam. Εὐλογίας facit mentionem Paulus 1 Cor. 10: 16. sed cum poculo. Certum autem est, symbolum panis & vini eo ipso consecrari, & incipere esse κοινωνίαν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, quando Ecclesia hoc agit in memoriam mortis Christi, quod Cœnam Domini comedentes agere necesse est. Futile enim est Papisticum commentum, panem & vinum certis verbis consecrari & mutari. Christus panem fregit. Ecclesia item fecit 1. Cor. 10: ℣ſ. 16. Actor. 2: 42. 46. Et fractio est commemoratio fractionis corporis Christi. h. e. mortificationis ejus. Sumi igitur panem, ut frangatur, necesse est. Christus sumsit, & benedixit. Licitum est & nobis sumere in manus & benedicere. Neque tamen minus erit benedictio, si, pane & vino in mensa jacentibus, minister benedictionem peragat. Quæ verbo Dei & gratiarum actione & oratione, ut par est, constat. Quum sumserit & benedixerit, utrum statim particulam alicui det, & reliquis particulas de mensa sumtas porrigat, sive silentio, sive repetens verba benedictionis: an deponat, & proponat omnibus particulas ex patina sumendas (quod in Belgio multis locis fit) nihil omnino interesse putem. neque adeo qui alterutrum fecerit, culpandum esse; modo ne quis id, quod ipse non solus sed cum aliis facere debet, velit more suo & arbitrio agi. Id vero fuerit φιλονεικίας & κυριεύσεως. πάντα μοι ἔξεστιν. ἀλλ᾽ οὐ πάντα συμφέρει. πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ ἐγὼ οὐκ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος. 1. Cor. 6: ℣ſ. 12. De sumtione autem in manus ita censemus, debere esse dissimillimam elevationis Pontificiæ; quæ ad adorandum instituta est. Nihil mihi venit in mentem, quod de hac re amplius dicere possim, antequam à vobis de quæstione plenius informemur.

De Episcopis etiam scribis. Si essent Episcopi, qui vocantur Episcopi, fortasse minus in mundo esset de Episcopis contentionis. Fastigium enim jam est, & nomen humanum, dominatus, potestas leges ferendi atque jurisdictio. Atqui Dominus curas injunxit & labores & ministeria, & demonstrationem veritatis ad conscientiam. Qui maximus esse vult, sit ut omnium servus. Provocamur ad illam ambitionem, ut plurimus noster labor & sudor & fidelitas uberior conspiciatur. Sed malus zelus est ἀλλοτριοεπισκοπεῖν & κατακυριεύειν τῶν κλήρων. Alioqui esse præsidem fratrum presbyterorum perpetuum, dummodo agat ut συμπρεσβύτερος, non debet quemquam offendere. Sed humanum ingenium non facile continetur intra limites serviendi. Quin &, ubi paritas omnimoda est, quisque fere annititur esse primus nomine & auctoritate, aut, si id esse non possit, cum primo & antesignano habere in alios imperium. Ubi igitur Episcopi h. e. præsides perpetui sunt, sciant, se esse συμπρεσβυτέρους & suscepisse διακονίαν enixiorem. qualem possunt quivis ex fratribus gerere. Nam omnibus dictum est, ἐπισκοποῦντες, μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. Hebr. 12: 15. Si aberrent ipsi, norint se teneri vel puerum audire. Mala autem est in Ecclesia seditio. Si quid in ordine melius fieri posse videatur; modeste suadeatur, non tumultu, factione, seditione paretur. Episcopus scilicet non fertur, quia seditiosus est aut imperiosus: An ideo nos erimus seditiosi & faciemus sectam & nomen, ut sectam & nomen extinguamus? Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Alioqui certum est, ad unitatem Ecclesiæ conservandam sufficere, quos Christus dedit, Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Doctores, Pastores sive Presbyteros, qui sunt Episcopi: Ephes. 4: ℣ſ. 3. 11. 12. quorum alii munere suo semel defuncti sunt, ut Apostoli, alii perpetuo sunt, Doctores & Pastores. Neque solum sufficere illos, constare potest ex Ephes. 4. sed & periculosum esse, alium ordinem addere. Nam si quis ordo additur, ei potestas major necesse est detur, supra eam, quam Christus dedit hominibus, & ab eis exerceri voluit. Quod jam non ad unitatem sed ad schisma, &, in obedientibus, ad defectionem à Capite tendit. Quod eventus in Ecclesia Romana comprobavit.

De festis diebus breviter. Omni tempore licet Ecclesiæ convenire ad celebranda Dei beneficia, & ad ædificationem. Sed non putem tamen quempiam nobis auctorem fore, ut sub hoc prætextu festa Judaica & numenias & Sabbata observemus. Jam vero festa hodierna habent aliquid inquinationis à Papatu. similitudo enim quædam est eorum, qui putant, in ocio diei vel temporis ullius esse cultum: & id præceptum, *Non facies ullum opus*, pertinere ad Christianos. In qua ipsa opinione cum sit superstitio & laqueus per eam injiciatur conscientiis, fit, ut homines, qui non didicerunt, quid sit Sabbatum sanctificare Christianis, juxta prophetiam Esai. 56: 2. 4. 6. & 58: 13. putantque, sibi licere per integram septimanam alia omnia, neglecto studio regni cœlorum, facere, & ad dies illos, quibus Christiani conveniunt, sanctificandos sint inepti, ad omnem profanitatem prolabantur. qui melius calceos fuerent, quam, qualia faciunt, facerent. Utinam igitur homines discant, se ociando non sanctificare Deum aut diem, aut, quod Sabbatum nostrum, tempus illud gratiæ, quo quiescimus ab accusatione legis & duro illo servitio, quo premebantur Veteres Israëlitæ, dum erant absque Christi sacrificio, non possit sanctificari vel ocio vel faciendo id, quod nobis gratum est, & via nostra, Esai. 58: 13. utinam discant sanctificare eum qui sanctificavit nos. tunc forte non esset necesse de Festis & aliis diebus disputare. sed conveniremus crebro partim solennibus diebus plures, imprimis die Dominico, partim aliis diebus numero breviori, ad ædificationem faciendam & accipiendam: & de reliquo unus alterum neque in ocio neque in opere, honesto utroque, judicaremus. &c.

14. April. 1656.

EPISTOLA XXXIX.

HERMANNO COCCEJO GER. FIL. JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Mi Fili Charissime.

QUod de *Incestu* rogas, sententia mea hæc est, conjunctionem maris cum fœmina fieri turpem, per diversas causas 1. per libidinem, sive potius, quando ii, qui congrediuntur, non volunt esse una caro, sed canino more quærunt liberos non honeste educandos. Hæc est scortatio. 2. per adulterium: quando qui est una caro cum alia persona, alienæ carni, aut non suæ se miscet. 3. per incestum. Peculiaris ea turpitudo est, pugnans cum honestate naturali. Sed incestus non est unius generis. Est enim qui pugnat cum honestate simpliciter: ut conjunctio filii cum matre. nam id contrarium est reverentiæ, quam liberi parentibus debent. Alius cum honestate pugnat, non simpliciter, sed ex hypothesi; si scilicet nulla causa sit quæ impediat familiaritatem & cohabitationem, quam suadet sanguinis conjunctio. Natura postulat, ut fratres & sorores (de similibus simile judicium est) quantum fieri potest una sint & familiaritatem exerceant & cohabitent etiam pro re nata. Hæc συμβίωσις debet esse honesta; Ergo sine suspicione libidinis. Ergo sine nuptiarum vel cogitatione. Atqui inter Adami filios & filias debuit hoc cessare propter bonum majus; quod est propagatio generis humani ex uno sanguine. Quando igitur locus est συμβιώσεως (puta post aliquam multiplicationem hominum & familiarum) conjunctio inter eos, quos dixi, incesta est, alioqui non. Vide Ambrosii epistolam ad Paternum.

Memini, te in alia epistola de *Festis* scribere. De eis sic. Convenire ad Dei beneficia celebranda omnibus diebus licet. distinguere dies nunquam licet: nempe ut putemus ocium esse sanctificationem ullius temporis. Nam hoc præceptum, *non facies ullum opus*, est Veteris Testamenti. Aut ostendatur, id præceptum esse Christianis, & definiatur quid liceat facere, quid non? Sabbatum nostrum est tempus quietis, quam Christus attulit, à maledictione, accusatione legis & servitutis. Id sanctificandum est abstinendo à desideriis & viis nostris, Esai. 58: 13.

 quærendo

quærendo regnum Dei & justitiam ejus, ædificationem urgendo in cœtibus frequentibus plurium, omnium, pauciorum. De actu vel ocio honesto ejus, qui non reliquit ἐπισυναγωγὴν, judicandum non est. De iis etiam, qui extra Ecclesiam sunt, non judicat Ecclesia. quorum σαββατισμὸς quid erit nisi ocium? Quando populus errat circa Festa, Ecclesiastico consensu, præeuntibus senioribus, vel etiam magistratu, occurri potest. Et melius putem, quibusdam diebus laborem imperare, quam ocium, quo Christianum nomen profanatur. Mitto nunc 4. exemplaria Libri de Potentia Scripturæ, pridem destinata D. Winkelio, Affini, D. Martino, D. Hatzfeldio & tibi. Vale & Salve amanter cum charissimis parentibus, fratribus & sororibus.

24. April. 1656.

EPISTOLA XL.

Johanni Coccejo David Szentgyorgy.

Venerande & Celeberrime Vir.

NUllatenus me ipsum continere potui, quin paucis Te convenirem; & utinam coram possem cogitationes meas, quæ indies novæ suboriuntur eloqui! Nunc quia secus convenire, quam literis non licet, vel sic debeo esse contentus. Impulit autem me ad scribendum, Tuus quo erga me usus es favor, dum isthic morarer: quod ad me autem, conscientiæ stimulus, me nunquam certe quiescere finens. Etenim, ex quo Reverendi Viri sententiam audivi de Sabbatho, ex eo profecto non semel magnas diebus istis sensi in me mutationes: antea enim strictissime (quantum quidem licet propter carnis infirmitatem) diem illum observabam; adeo ut sacrilegium esset vel unicæ vacare cogitationi de rebus externis, sed totus essem in meditatione Verbi, precibus, gratiarum actionibus & psalmodiis. Sed jam vacillo & in diversa trahor; non quasi sententiam Viri Cl. putarem esse viam ad profanitatem: absit! absit! Cæteris etiam diebus scio profanitatem fugiendam, ut ut non sanctis: sed caro semper arrepta occasione quasi videtur laxari. Itaque rogo obnixe Clarissimum Virum, dignetur solidissimis rationibus, Scripturariis, una atque altera, meam convincere & constringere conscientiam, & ostendere non ab Apostolis vel Christo, sed à sola Ecclesia, libere diem istum, qui dicitur Domini, fuisse cultui publico designatum. Nam quia istius diei in Sacris fit mentio, ut in Apocalypsi, & alibi; id non videtur factum absque ratione, quæ aliunde non, nisi ab institutione Domini Christi desumta esse potest: cur enim unus esset magis dies Domini quam alius? Et cum origo ejus in scriptoribus Ecclesiasticis non inveniatur, gratis dici videretur, dicere esse humanæ auctoritatis. Accedit quod cum videatur esse dubium cujus sit auctoritatis, divinæ an humanæ; eo quod nullum præceptum uspiam habeamus: omnino in eam partem inclinandum est, quæ est tutior & probabilior; adque pietatem accendendam & conservandam magis facit. At vero probabilior est quod sit auctoritatis divinæ, cum hujus auctoritatis saltem umbra & vestigium appareat in Sacris: dicitur enim dies Domini; quod vero sit auctoritatis humanæ nuspiam apparet. Quod in Epistolis Paulinis Sabbata abrogantur id sano sensu intelligi potest de Sabbatis Veteris Testamenti. Clarissimus D. Bisterfeldius p. m. dicebat, non solum esse juris positivi divini; sed esse juris naturalis, esseque in natura fundatam diei septimi sanctificationem; non secus atque reliquam præceptorum moralium observantiam: idque quia septimo die creationis, revera motus totius mundi machinæ, quo ea varie formata est desierit, statuebat enim ex aqua primi genia Gen. 1: 2. omnia per intervalla sex dierum, per variam expansionem & condensationem esse creata & facta: & hoc series creationis à Mose descripta videtur admittere. Dixi, Ergo non potuit abrogari dies Judaicus: quia fuit naturalis. Respondebat totam naturam ita esse jam mutatam, ut unus dies naturalis totus è medio sublatus sit. Et probabat ex Esai. 38: 8. ubi sol recessit gradibus decem in solario Achaz: & ex Josua, ubi diem civilem, quasi integrum stetit; & ex Matth. 27. ubi lumen suum & lucem amisit. Ex computatione horarum prædictorum temporum videmus unum diem è natura esse sublatum, cujus initium factum Esai. 38. sed consummatio demum Matth. 27. adeoque videtur sic diem Sabbati Judaicum naturaliter translatum esse in primum hebdomadis; quem Dominus sua resurrectione ex mortuis designavit & actu sanctificavit. Et videtur ratiocinatio non inepta; si modo ipsius mentem abysso similem possem referre. Nam non potest negari, quin sol motu & luce sua efficiat diem. Ergo cessantibus istis cessabit dies. quemadmodum cessante influxu causæ in effectum cessabit effectum. Hæc tantum de Sabbato.

De regimine Ecclesiastico quid videatur Cl. Viro valde optarem scire: scilicet, de Senioribus, Episcopisque prout obtinet in quibusdam Ecclesiis Reformatis. An tolerandi cum bona conscientia? an non insurgendum in illos cum sint ordinationis humanæ. Nec putet Clarissimus Vir me divulgaturum: sic enim immiscerem Clarissimum Virum causæ nostræ imperite; sed in conscientia volo tantum informari. O quam bonum est habere bonam conscientiam! Et quid miserabilius, quam torqueri mala conscientia? Idem de elevatione saltem verbo suam mentem assignet. Ad hæc si mihi satisfecerit, rem fecerit piam, utilem, & mihi gratissimam. quo nomine nec ego cessabo æternum Celeberrimo Viro gratias agere. Transmissio responsi commode fieri poterit per Dominum Petrum Lessen. ille scit meum hospitium.

Vale Vir Incomparabilis Deo & Ecclesiæ.

Tuus omni cultu & observantia

Ultraject. 1656.
23. Jul. styl. vet.

David Szentgyorgy
Transylvanus.

Davidi Szentgyorgy Joh. Coccejus.

Ultrajectum.

Præstantissime & Doctissime D. Szentgyorgy, Amice Charissime.

MUltum refert, ut, quod facimus, & quod aliis imperamus, faciamus in bona conscientia, & πληροφορουμένους τῷ νοΐ, sanctis cogitationibus vacare non tantum uno die, sed etiam multis, & in id incumbere, non est res mala. Potest id fieri in bona conscientia. Utinam id semper agere possimus! sed putare, id, quod impurum non est, non licere tibi alio certo die facere, non aliam ob causam, quam quia Deus id vetuerit fieri, magna res est; & quæ hominem plurimis scrupulis possit implicare, & inter fratres contentiones excitare apta nata sit. Certum est, quæ Christiani in fide etiam libertatis, quam habent à Christo donatam, faciunt, sancte facere. Quod autem sancte possunt facere (si alia causa non obstet, quominus faciant) eo nullum tempus inquinari. Contra si quis onus imponat alicui in præjudicium libertatis, quam Christus nobis dedit, ut sanctificator noster, eo quietem ab accusatione, quæ à Christo parata est, pollui. Actor. 15: 28. dicitur, *visum est Spiritui sancto, nullum vobis aliud imponere onus.* Si Sabbata Vet. Testam. ablata sunt, quod concedi scribis, procul dubio ablata sunt ut onus. Si autem onus *cessationis* in alium diem collatum est: quare non Apostoli de eo monent? Certe debebant expressissime monuisse. Si non positivum, sed naturale est, die septimo cessare, quare cessatio diei septimæ sublata est? atqui, inquis, non sublata est; quia dies è numero periit. Ita audio ab eadem parte dici duo contraria, & ablatam esse & non ablatam esse: sed correctum esse, ni fallor, Calendarium. Ergo cur hoc demum post tot secula factum est: & quare nec Propheta ullus nec Christus toto tempore παρουσίας eam correctionem instituit, sed una cum cæteris Sabbatum observavit? Imo nec periit dies sed potius tempore Josuæ & Achazi diei additum est. ergo forte in diem Veneris Sabbatum transferendum fuisset. diei & noctis vicissitudo septies facta hebdomadam absolvit. Mirum est, imaginem Dei ad numerum horarum & distinctionem temporis referre. *dies Dominica* est dies resurrectionis Dominicæ. Bonum erat memoriam resurrectionis illo nomine usque ad ultimum judicium conservari. Bonum igitur etiam erat, Christianos eo die in libertate convenire. Id fecisse Apostolos, liquet. Cessationem imperasse, non liquet. Imo liquet, non imperasse, quia suaserunt pecuniam assumi in congregationem, & quia tale mandatum nullibi exstat, & mandatum exstat, non imponendi onus, & libertatem servandi, & Sabbata abrogata dicuntur sine exceptione, imo vetitum est *in parte Sabbati judicari* Col. 2: 16. E veteribus Scriptoribus nihil probatur, nisi Christianos eo die lætatos esse & σύναξιν egisse. Omnes Judaicam cessationem & lætitiam aspernantur. Gregorius I. Papa lib. 21. epistol. c. 3. agit de die Dominico, ut ego puto, solide. is Antichristo deputat, præcipere, ut ea dies ab opere custodiatur. Terrenum opus omitti vult, quia solent homines reliqua septimana illi nimis vacare. Vult, tempus sumi ad discendum, meditandum, orandum. Atqui aliud est, prohibere opus simpliciter propter rationem diei, ut nunc faciunt Papistæ; aliud intermittere opus propter congregationem & utilitatem congregationis & exercitia pietatis. in quibus non possumus satis esse abundantes. Ita vides, me observationem Dominicæ referre ad occasionem resurrectionis Dominicæ, ad providentiam Christi, & praxin à Christo & Apostolis initiatam: sed præceptum cessandi propter rationem diei referre ad homines.

De regimine Ecclesiæ, si intelligamus naturam ministerii, facile est respondere. in Ecclesia non habet locum dominatio

vel

vel unius vel multorum. dominatio igitur in eam introducenda non est. Presbyterium dedit Christus ut sufficiens ad καταρτισμὸν Eph. 4: 11. 12. in Presbyterio sunt officia docendi & gubernandi: in omnibus diversa dona. Major omnibus est, qui plurimum ministraverit. Ordinem esse inter seniores, natura docet. Esse perpetuum præsidem, nuspiam vetatur. Si alicui è senioribus, principis indultu, liceat facere id, quod principi licet in protegenda Ecclesia & ejus ordine; hoc opus peccatum non est: sed periculose potestas principalis ministerio in eadem persona miscetur. Hæc, mi charissime, breviter ad quæstiones tuas. Deus te faciat abundantem fructibus Spiritus & pacis.

Lugduni die 4. Aug. 1656.

P. S.

Propemodum oblitus eram respondere de Elevatione. Christus instituit S. Cœnam. Mandavit, ut panem & vinum ederemus & biberemus ad commemorationem mortis ipsius. Jam quando Ecclesia congregatur ad hoc faciendum, bonum est, institutionem Christi commemorari; ut is actus à Cœna vulgari discernatur. Quando minister illam recitat, utrum symbola teneat manu, vel non, nihil interesse puto. Christus sumsit panem vinumque de mensa, ut frangeret, & ut daret. Ita Ecclesia fregit. 1. Cor. 10: 16. Etiam hoc recte fieri potest ut detur à ministro. Nam est & hoc de more Cœnæ, ex alicujus manu particulam & poculum accipere. Neque tamen id fieri necesse est. Nam & qui ex patina fractum panem sumunt, & poculum de mensa vel ex convivantis manu accipiunt, faciunt, quod Dominus instituit. Igitur in talibus non puto quenquam esse judicandum: neque debere hunc dicere alteri: Quare id facis: neque vicissim illum huic, Quare id non facis? Elevatio autem, quæ est ostentatio ad adorandum, omnino vitanda est. Est enim mala. Papisticus sacrificulus dicit: *Hoc est enim Corpus meum.* Atqui hoc non est, nisi Christi, dicere. Quam esset optandum, ne homines alii alios suis alligent formulis!

EPISTOLA XLI.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam

Reverende & Clarissime Vir, Domine Honorande.

AD literas tuas, quas D. Zwingero dederas, non respondi nupero mercatu verno, quia id, quod tum sub manu erat, quodque tibi destinabam, mature ad umbilicum perduci non poterat. Id erat examen Apologiæ cujusdam ἀδήλου Equitis Poloni, ut quidam, qui id se ex Remonstrantibus didicisse ajunt, putant, Jonæ Schlichtingii à Bukouiec. Ea Apologia in tenebris ambulavit Latina & Belgica, donec ad me missa est: cui videbatur hoc munus impositum esse, ut ad eam responderem; quia etiam scripseram judicium Theologicæ Facultatis, quod D. D. Ordinibus exhibitum est. Quod quia in manus Socinianorum venit, & Apologia serpere potuit, necesse fuit eam totam repræsentari & examini subjici. Quam feliciter id factum sit, tuum & aliorum piorum judicium erit, aut effectus divinæ benedictionis ostendet: certe ita me puto egisse, ut quivis judicare possit, me mihi assumere posse illud, *Credidi, ideo loquutus sum.* Non potest fieri, quin varia judicia sim experturus: sed videor jam videre, quæ hominum genera quomodo pro se quodque sit judicaturum. Paulo ante responderam Germanice Masenio Jesuitæ Dusseldorpiensi, & ante hunc Walenburgiis & Valeriano opposueram librum de Potentia Scripturæ. Sub manu est commentatio de Epistolæ ad Hebræos sensu & veritate. Quem laborem & docti quidam mihi injunxerunt, & ad Controversiam cum Judæis, Socinianis, Papistis permultum habere momenti existimo. Quum Elzevirio nostro vacabit, quæ olim in Psalmos meditatus sum, excudenda dabo. Habes, Reverende Vir, ἀπολογισμὸν meorum studiorum: uti jusseras. Quod promittis opus Criticum variarum lectionum Veteris Testamenti nescis, quanto cum gaudio exceperim. Est sane res laboris ingentis, & attentionis exactissimæ, deinde necesse est, præsto esse exemplaria optimæ notæ. Quotusquisque id præstare potest, & tamen vel apex in commentando quam sæpe nos juvat? Etiam cum viderit, nesciet Orbis, quid tibi debeat. Non libenter intellexi, quæ de valetudine & senio tuo interspergis. Certe tacitis senescimus annis, & ego ipse nuper juvenis, quum sequentes aut eos, inter quos ago, aspicio, video me jam inter senes incipere numerari: tamen & ipsa senectus suos potest ferre fructus, si valetudo non sit improspera, quam inprimis desiderant studia nostra. Ideoque eam tibi omnino firmam & secundam ex animo opto. Nescio, an aliquando significaverim stultitiam meam. Elzevirius mihi obtrusit legendum Josephum: quem meditatus de novo edere, legeram quædam folia, videram Genevensem editionem à Basileensi non differre, nisi acervo errorum, quos de suo contulit, distinctionem autem pleramque nullo judicio factam esse. Annotaveram quædam, libros quosdam recensueram: ecce oblatum est manuscriptum à D. Isaaco Vossio, sed non integrum. Incipit enim à morte Alexandri. Scriptum quidem id est pessime, sine distinctione, juxta pravum morem pronunciandi, quo jam utuntur Græci. In plurimis tamen juvat. Ita factus sum Criticus. Quum ociari volo, istos Codices confero. Aveo autem scire, an vestra Basilea aliquid habeat, ad hanc curam. Nam lectu dignum esse illum Auctorem, nemo dubitat, intelligi autem, si male legatur, qui poterit?

Bellum Helveticum nuperum, me habuit valde solicitum, neque minus Suecicum, quod jam geritur. Mihi videtur Deus id agere, ut brachium nostrum comminuat. Quid potest boni ex illo bello provenire? Imo quid non mali? Nostræ naves apud Dantiscum sunt. Nisi adversa belli fortuna cogat Suecum pacem facere, & nos forte cum eo habebimus bellum. Angli ab Hispanis ita vexantur, ut nos nuper ab ipsis. Sed nimis longum hoc argumentum est timoris nostri. Intrandum forte nobis erit in cubiculum nostrum, dum prætereat indignatio. Capellum spero taciturum. Binas ab illo habeo literas, ad quas nihil respondi. Nam sententiam meam perscripseram ad D. Rivetum p. m. qui literas meas cum ipso communicaverat. D. Duræus quid effecturus sit nescio. Si hoc agit, ut adoptemus sententias & loquelam Lutheranorum, nihil agit. Si vero sperat Lutheranos vel eas vel iniquum de nobis judicium deposituros, & sic forte nihil agit. Meum judicium est, Lutheranos & alios ἐπιεικείᾳ, πραότητι, λόγῳ ἀκαταγνώστῳ, & ἐνδείξει esse adducendos, primum ut non male de nobis sentiant, deinde ut nobis adjungantur, quod an sperandum sit de integris Ecclesiis, ignoro. Magnum id est. Sed Deo nihil est impossibile. Nobis laborandum est. Nimis diu te detineo. Deum oro, ut tibi vires & vitam & omnem vitæ jucunditatem longam det, quo etiam atque etiam publico prodesse possis. Amantem tui redama. Vale.

Lugduni die 10. Augusti 1656.

EPISTOLA XLII.

JOHANNI à DALEN JOHANNES COCCEJUS.

Reverende & Doctissime Vir, Amice Honorande.

POst abitum tuum nullas accepi à te literas. Confido tamen & prosperam esse valetudinem & navigationem secundam fuisse. Quum Elzevirius noster iret Francofurtum, non potui facere, quin has ad te darem: nuncias valetudinis nostræ, per Dei gratiam, bonæ. Jussi eum ad te mittere exemplum Apologiæ Equitis Poloni examinatæ Latinum, itemque unum Belgicum. quod non est à me manu. D. Althusius versionem confecit, D. Derramoutius diligentissime correxit. Prorsus mihi satisfecerunt boni Viri. Nescio, an in superiori Germania Belgicus sermo eandem habeat gratiam. Quia tamen & hæc Germanica sunt, Germanis non erunt barbara. Tuum erit existimare, an possit sine rubore adire oculos ejus, quæ de meo profectu ab A ad B bonam spem conceperat. Dei incolumitate tua itemque de Grammaticis notulis, an satis juverint, nuncium cum nostris bibliopolis expecto. Uxor mea & filia te conjugemque, quantumvis hactenus non visam, officiose salutant. Ego submissum cultum Illustrissimæ Principi, si quis sermo de me, cum voto omnis felicitatis offerri meis verbis velim.

Lugduni d. 10. Augusti postridie natalis mei quinquagesimi quarti, A. 1656.

EPISTOLA XLIII.

JOH. HIPSTEDIO JOH. COCCEJUS.

Bremam.

Clarissime Vir, mihique admodum dilecte.

LIteræ tuæ, datæ ultimo Augusti, mihi sunt acceptissimæ. Neque facies imposterum inepte, si, qui Professor Historiarum es, mihi non invideas patriæ meæ historiam, h. e. indicium earum rerum, quæ apud vos geruntur. Neque enim potest non errare, qui me Patriæ & meorum oblitum putat. Nescio qua natale solum &c. De Bibliotheca

tibi credita, gratulor. imprimis, quod ita es in patria, ut ibi invenias τὸ εὖ. Cæterum hæ literæ tibi erunt pro tormento, quo animus tuus ille quietus concutiatur & vehementer exagitetur. Cui rei me ministrum voluisse esse, forte miraberis. Franckeræ diem supremum obiit Dominicus Acronius, Eloquentiæ & Historiarum Professor, successor P. Winsemii. In ejus locum vocatus est Gronovius, frustra: Holtermannus Steinfurtensis, frustra, quanquam visus esset addixisse. Sunt amici, qui Te in illum locum collocatum cupiunt, imprimis D. Fullenius. Ei te nominanti respondetur, Te non venturum, etiamsi voceris. Ea ratione Mæcenatum animi transversi aguntur, ut de Te non audeant cogitare. nam, ut verisimile est, non vellent tertia vice frustra esse. Ideo, nisi tibi animus est, à patria non discedere, scribe audacter ad D. Fullenium (& maturato opus est) Te illam vocationem, si conditiones sint honestæ (ita ego scribo, quia de illis mihi non constat) imo quia non dubitas conditiones honestas & idoneas esse, non repudiaturum. Id postulavit à me D. Fullenius ut ad Te perscriberem, per D. Lindanum. qui te prolixe salutat. Interim & hoc scias velim, D. Fullenium non posse præstare ut voceris (nosti enim ingenium regionis) quod nec D.D. Curatores præstare possent: sed cupere amotum impedimentum tuæ vocationis. quod est sermo quorundam, dicentium, te non venturum. Certe hoc rebus tuis nocere posset, si talis hypothesis te faciat invocabilem. Nec est quod metuas. Dic; veniam, si vocer. Nihil peribit Tuo honori (dummodo tibi sedeat, venire vocatum) imo ostendes animum benevolum & demereberis. Quicquid statuas, scribe quantocius ad D. Fullenium & mei non oblivisce-re. Vale cum dilecta conjuge, & nos amare perge.

Lugd. d. 6. Octob. 1656.

EPISTOLA XLIV.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Vir Reverende, Domine & Amice Honorande.

Literas tuas scriptas $\frac{16}{26}$ Augusti accepi die $\frac{14}{4}$ Octob. Fuisse tibi negocium, quo impedireris, quo minus remitteres Grammaticales meas notulas, facile credo; & te in tempore vel curasse vel curaturum, certum habeo. Vel Elzevirii homines, qui sunt Francofurti, aut alius Lugdunensis Librivendæ acceperunt, aut D. Hundius socer tuus Clivià curabit. De Lexico Hebræo Germanico intelligere videor Serenissimæ Principis mentem. Et ego quidem, ut periculum facerem, quid in ea re præstari posset, à me saltem, incepi cum Studioso, vetusta meditamenta retractare, & quædam brevius, forte & meliora, dictare. Est enim res curæ & temporis, ut nosti, non parvi. imprimis si non tantum voces Hebrææ per indiculum reddi, sed aliqua etiam phraseologiæ & idiomatum atque elegantiarum linguæ explicatio, & nobilium sententiarum illustratio fieri debeat. Et ego quidem, si id utile videri possit, nihil malim facere; imprimis ut Serenitati Suæ, cujus favorem non puto me mereri, studeam satisfacere. Sunt tamen quædam, quæ me hîc retardabunt. I. ea, quæ præ manu habeo. nempe præter ordinarias Lectiones Epistola ad Hebræos, & relectio Libelli de Fœdere, cui tuus Affinis & meus D. Hundius postulavit ut adjungerem locum de Deo & Scriptura. quod occepi meditari. In cujus etiam gratiam nunc dicto in Apocalypsin observationes novas, non quidem quoad plerosque sensus, tamen quoad modum explicandi. Cupio enim tollere omnem occasionem querendi de obscuritate. II. editio Psalterii. quam Elzevirius, nimium occupatum habens Typographeum, differt in proximum ver. & secundum hoc Libelli de Fœdere. III. Josephus. IV. quod Elzevirius difficulter adducetur, ut librum Germanicum majoris molis imprimendum suscipiat: & quidem ejus generis studii, quod paucis sit cordi. Ego quidem inter infelicitates seculi nostri deputo, quod ad linguam Italicam, Hispanicam, Gallicam, & quam non? discendam pro Germanis extant subsidiales libri; pro sola Hebraica & Græca non extant. Sed infelicius puto, quod, etiamsi extent, tamen non sit verisimile futuros, qui eis uti velint; quum videamus etiam studiosorum in hoc studio paucos exerceri. Verumtamen, si mihi non desit impressor, putabo me obligari, ut quavis ratione, qua possim, Serenitati suæ me studium meum approbare voluisse ostendam. Jussi Elzevirium, quum iret Francofurtum, ad te mittere literas meas, quas ad te scripseram, cum Apologia Equitis Poloni examinata, Latinè & Belgicè. Confido te accepisse. Hæc impræsentiarum habeo ad literas tuas. Latine autem scripsi, quia ad te. Neque enim audeo sic scribere, tanquam qui me putem esse suæ Serenitati familiarem. Tuæ prudentiæ erit meam causam sic agere, ut possim subsistere sine pudore. Uxor mea & liberi Te tuamque conjugem (hactenus ignotam, & tamen propter dilectos maritum & fratrem dilectissimam) mecum ex animo salutant. Propere a.d. $\frac{13}{23}$ Octob. 1656.

EPISTOLA XLV.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Reverende Vir, Amice Charissime.

Ego quidem Annotationes Grammaticas spero me acceptu-rum, quum Elzevirii res fuerint advectæ. Non opus est, ut excuses de tempore: dummodo satisfecerint tuo desiderio. Literas à Serenissima Principe auro contra non caras ego quidem gratanter accepi: & fui paratus ad respondendum quantocyus: sed nescio quî factum sit, ut hucusque distulerim. Non possum dicere, quid maxime fuerit mihi impedimento, numerus Collegiorum, commissio quædam Academica molesta & multi temporis, disputationes scribendæ, libellus de Principio Fidei componendus (cujus tibi exemplum mitto) quæ dictanda fuerunt in Apocalypsin (quorum apographum ad D. Hundium misi) & in libros Novi Testamenti reliquos; quos ut absolverem duo studiosi me vehementer urserunt, quotidie in hoc se præsto sistentes, & sæpe ad tres horas continuas desidentes; qui sua diligentia me eo usque protruserunt, ut nunc non nisi *undecim* capita nobis restent; lectiones; amici, qui mecum fuerunt; febricula: an quod etiam de Lexico cuidam, ad πάρεργον, dictavi: an ipsa deliberatio, quomodo respondere Serenissimæ votis possim & debeam. Cui ego sane jam respondeo: nempe me occepturum opus, & de bono fine confidere. Quis enim possit resistere tam [illegible] petitioni? quæ me plane in ruborem dat. Elzevirius hîc imprimit Lexicon Novi Testamenti Græco Germanicum. Studiosus aliquis id adornavit. Voces singulæ singulis vocibus respondent. Ego vero puto Serenissimam à me postulare etiam locorum nobilium ex phraseologia explicationem, & præcipue terminorum, quibus utitur Scriptura in mysterio fidei collationem & enucleationem. Nos enim linguam propter res discimus. Et hæc quidem, ut Deus dabit. Cæterum non puto intra annum posse dari prelo. tum quia nisi absolutum opus inchoari non poterit (quid enim, si quid humanitus mihi accideret?) tum quia Psalmorum editionem quotidie urgeo, & præter promissionem nihil impetro. Nec possum irasci. Tempora sunt admodum studiis & librariæ rei gravia. Gallicus motus plurimum incommodat. Inde charta: ibi vendenda exemplaria. De Germania non satis prospera exspectamus. Et videtur mundus parturire novos motus. De qua re non possum scribere, quod Serenissima vellet. Nosti enim, de eis, quæ praeterierunt, dici posse. In exemplis enim & historia patent. Sed de futuris vix quicquam. Nam quum ea generalibus plerumque verbis concepta sunt, & aliæ in aliis pericopis rerum gerendarum partes suggerantur, neque clarum sit, quis ordo sit illarum partium, aut quis mundi angulus eas sit visurus, definire de iis non facile est. Et fortasse jam est semihorium silentii. Apoc. 8: 1. Sæpe mihi venit in mentem, An id, quod dicitur Daniel. 12: 7. *manum populi sancti confractum iri:* vel Deut. 32: 36. *abiisse manum:* satis videatur impletum, item illud, quod est Esai. 23: 17. *omnia regna mundi cum Tyro denuo scortatura.* Exempla sunt sane tristia præ oculis: tot principes Germaniæ & aliorum regnorum defectores, Christina, Gallia persecutrix, Episcopi Anglicani reunionem machinantes, quorum consilium in nervum erupit. & quis scit, quod in sinu lateat apud multos. Etiam in doctrinæ adulterio est scortatio. Quid dicam de illis, qui Scripturas negligunt? Igitur nostrum est capita extollere, non fidere hominibus, orare pro fracturis populi Dei, etiam pro hostibus. qui plerique nesciunt, quid faciant. Hoc certum est, thronum Antichristi convelli non posse sine magno motu. qui potius tribulationis & angustiæ quam lætitiæ esse solet causa. Quid Polonicus motus portendat, dicere non possum. Video, in eo regno aquam Euphratis etiam diminui. Soleo apud me quærere, quæ sit illa civitas, quæ collapsura est in tres partes. Apocal. 16: 19. quod Spiritus sanctus videtur signum fecisse instantis ruinæ Babylonis. An ea Germania sit, non est facile dictu. Saltem vocatur *ἡ πόλις ἡ μεγάλη.* quasi dicat, *Magnum illud imperium.* Ejus divisionem in duas partes vidimus, Zach. 14: 4. Sunt omnia comparata ad ulteriorem ejus lacerationem: sed, ut dixi, non est temere de talibus aliquid asserendum. Satis est, si non fidamus rebus nostris, & nido nostro non simus nimis affixi. Ego de hisce, quia monueras. Nam alioqui libentius abstinuissem. Quod de liberalitate principis Serenissimæ scribis, illa ut dignum est, me gravat. Interim meus animus sic est & erit, ut nihil

cupiam,

cupiam, nisi ipsi & illis, qui non aspernantur mecum discere, satisfacere. Scripseras de tabulis synopticis. puto esse de Apocalypsi. Eas nescio an inter chartas meas reperire possim. Sed D. Hundius te faciet participem posteriorum mearum meditationum. quæ in multis sunt breviores, in multis pleniores. Studiosi ipsi, qui exceperunt, coegerunt me quandoque animum intendere. Quia non habebam Amanuensem alium, quam qui occupatus erat Apocalypsi describenda, & is ea scriptione fatigatus erat, non potui apographum cogitationum de Psalm. 110. mittere. Et, quia diu est, puto te patienter moram laturum, dum Psalterium videas: vel etiam præoccupaturum cogitationes meas. Nam Psalmus facilis est. Quæso te, apud Serenissimam excusa & moram meam & cætera mea omnia. Nec velim te ignorare, me jam duas Radices in chartam retulisse. Non possum à me impetrare, ut vetera non recoquam & ad incudem revocem; imo quasi de novo excudam. Sed Deus adjuvabit, spero. Ei te & labores tuos cum familia commendo. Uxor mea te amanter salutat. Lugduni d. 30. May 1657.

Clausi has literas 11. Junii. traditurus Vesaliensi nautæ. qui exspectatur hodie.

Antequam possem dare, nata est mihi disputatio, in qua Psalm. 110. pars magna explicatur. Eam adjunxi hisce. Die 15. Junii.

EPISTOLA XLVI.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principis

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ,

Principis Palatinæ ad Rhenum, Ducis Bavariæ, &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ

Epistola ad

JOHANNEM COCCEJUM.

Ehrwürdiger hochgelährter und besonders viel geliebter Herr Professor / weiln Herr Wahl mir ein Buch gegen die Socinianische Lehr gegeben so von dem selben / her kommet / als habe ich nicht unterlassen können / dem selben sehr zu bedancken / wolte wünschen dasz ich so glücklich were dasz ich es gegen demselben bezeigen könte wie lieb solches mir gewesen, dan ich allezeit von so vielen herlichen sachen / so Er hat auszgehen lassen / höre / die gäntzlich und allein nach dem styl des Heiligen Geistes sein / und woll wünsche so glücklich zu sein sie zu verstehen und mir zu nutze zu machen: wie ich dan durch die gnade von Gott einen Prediger habe, so bey dem selben gestudieret hat / der recht vom sauberer und reiner lehre / guttem leben / wandel, erbawlich und gar eyfferich ist / welchen Gott der Herr mir woll sonderlich hatt zu geschicket in meinem schweren kreutz / dem ich woll hertzlich da für dancke und von hertzen bitte Ihn mir zu erhalten so lang ich lebe; dan dasz mein einzige freude ist / so ich in dieser Welt nächst Gottes heiligem Wort habe. Verhoffe der selbe wird mir mein freyheit vergeben; so ich gebrauche / weilin Herr Wahl mir all so viel guttes von dem selben gesaget hatt / als habe ich nicht länger warten können ein anfang mit dem selben zu machen und mich auch zu gleich zu bedancken für den zu entbottenem grusz und der vertröstung wegen eines buches so dem selben gefälle zu machen / dasz woll hübsch und dienlich wird sein der gantzen Christenheit / sonderlich bey diesen betrübten zeiten, da die kirche so verfolget wird und am ende der Prophetischen vorzeigungen gehet. der Allmächtige wolle uns stärken und überwinden helffen / in dessem gnädigen schutz ich denselben auch befehle und Mich und die Meinigen in desselben andächtiges gebet / Verbleibe.

Desz Ehrwürdigen hochgelährten Herrn / woll geaffectionierte Freundin

MARIA ELEONORA

Paltz Gräfin Wittwe und Vormünderin.

Lautern den 30. alters Novemb. 1656.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principi Palatinæ ad Rhenum, Duci Bavariæ, &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandenburgica &c. Viduæ.

Lutreiam.

Durchleuchtige Fürstin / gnädigste Frauw.

WIe woll Ich mich von hertzen erfrewe / das der gütige Gott meine geringfügige arbeit also gesegnet / das E. Durchl. davon ein gut gezeugnusz bekommen / und derhalben sich hat lassen gefallen Ihre besondere Gnädigste affection mich wissen zu lassen / und von mir ein nützliches werck zu begehren; so bin Ich gleichwoll nicht wenig dadurch in forcht gestellet; weil Ich bey mir wie in allen andern / nicht viel mehr befinde alsz einen guten willen dergleichen werck / nach dessen würdigkeit / zuverfertigen. Welches auch biszhero die ursache gewesen / dasz / nach dem Ich für vielen jahren mich unterfangen etwas zu erleuterung der Hebreischen sprach die in der Schrifft gefunden wirt / wörter / artigkeiten / eigenschafft und nachdruck auffs papier zubringen / den noch lieber mich auffgehalten habe in betrachtung der texten der Heiligen Schrifft / alsz das Ich mich erkühnte / davon eine gantze verfassung zu machen. Sintemahl dazu eine grosse gedächtnusz / ein scharffes urtheil / und in vergleichung der geistlichen sachen sehr geübte und fertige sinnen / nebenst kennung der eigenschafft auch der Griechischen und Lateinischen / und anderer / insonderheit da es auff Teutsch erkläret werden musz / der Teutschen sprache gehöret. Befinde aber unterdessen / das mir E. D. gnedigstes begehren eine grosse auffmunterung gibt / das werck im nahmen Gottes zu beginnen / und seinen segen darüber zu erwarten / sonderlich dieweil Ich mich schuldig kenne / der herlichen wirckung seiner barmhertzigkeit in E. D. welche Er zu solcher brünstigen liebe seines Worts beweget / meinen geringen dienst nicht zu entziehen. Nicht zweiffelend / derselbe / welcher mich durch E. D. zu diesem werck beruffet / werde mir auch leben / gelegenheit und krafft verleihen es also zuverrichten / das daraus noch einig frucht und nutzen kommen / und zu mehrer liebe des Worts bey vielen anlasz gegeben werden moge. Sinthemahl wir wissen / dasz das Wort / welches uns Gott in den mundt gelegt / nicht von uns genommen / sondern durch dasselbe einmahl viele zur erkandtnusz der warheit gebracht sollen werden. Und / wiewoll wir sehen / das viele an demselben ein ekel haben / und darumb auch viele Lande und Reiche zerruttet und umbgekehret werden / so haben wir das feste vertrauwen / das wir durch das Wort erhalten und bewahret werden sollen. Gebühret uns derhalben gegen das selbe nicht schläfferig und nachlässig zu sein. Inzwischen bitte unterthenig / E. D. wolle mir gnedigst zu gut halten / dasz Ich durch ungelegenheit / davon Ich an H. von Dahlen geschrieben / mir habe zugelassen die andwort auff E. D. Gnädigst schreiben biszhero hin ausz zu stellen.

Gott der Allmächtige wolle E. D. mit allen gaben und segen / dem gemeinen besten zu gut überschütten / und uns geben seinem Heiligen Nahmen in diesem leben nach eusserste vermögen zu dienen / und mir verleihen / die Gnädigste affection E. D. gegen meine wenigkeit / zuverdienen. Dero Ich mich unterthenigklich anbefehle.

Ew. Durchleucht. gehorsamer und demütigter. Diener

JOH. COCCEJUS.

Leiden den 11 Junii 1657.

EPISTOLA XLVII.

JOHANNI FREDERICO GRONOVIO JOH. COCCEJUS.

Daventriam.

Clarissime Vir, Domine & Amice Honorande.

QUod antehac in dolore tuo, post terrorem nostrum, non accesserim consolator, id fecit tua absentia, &, verum dicam, quod me nimietas quædam, quæ videbatur esse, plagæ expavescit. Nunc non consolator advenio, sed deprecator; ne mihi pavorem meum imputes. Nam tute quidem in Deo terrorem vicisti, & cum Jacobo didicisti Deum tenere, etiam quum se ostendit colluctatorem. Uxor mea, quæ te tuamque quondam dilectam τὴν μακαρῖτιν plurimi facit, sæpius mihi ad scribendum instigatrix fuit. cui certe hactenus non potui satisfacere. Et nisi hic studiosus nominatim à me flagitavisset literas meas, fortassis etiamnum desiderares officium meum. Interim hoc pro certo habere potes, neminem esse, qui magis cupiat nos esse in uno loco. quanquam sunt eodem animo omnes hic, qui me amant. Sed hæc in Dei manu sunt. Uxor mea & filiæ te officiose salutant.

Raptim Lugd. d. 29. Junij 1657.

EPISTOLA XLVIII.

JOHANNI COCCEJO CASPARUS STRESO.

S. P.

NOli, quæso, Vir Clarissime & amicissime, in sinistram partem rapere, quod tam diu vos non invisi. Ea enim res non nisi solam valetudinem impedimentum habet. Affectus meus in te integer est, & quacunque occasione utilem aliquam operam tibi tuisque præstare potero, id ostendam alacriter. Sic enim requirit non tantum pristina nostra amicitia, sed præcipue continuata tua industria in promovendis filii mei studiis, quam ut imposterum quoque ipsi non deneges etiam atque etiam rogo. Hærebit apud vos usque ad medium Decembrem, quo tempore usque ad medium fere Februarium vel exactum Januarium valetudo mea adeo periculose solet vacillare, ut præsentiam ejus desiderem, daboque operam, si bene habeo, ut & illud tempus non transigat otiosus. Hoc autem te præcipue oro, ut dum apud vos hæret, mihi non reticeas, si quid committit quod correctione opus habet. Multa audiveram de tuo commentario in quartum caput ad Hebræos, quasi de Sabbato ita loquereris, ut totam diem Dominicam velles exauctoratam & profanatam contra omnem Christianorum consuetudinem. Verum postquam ipse, quæ scripsisti legi, non possum judicare te hoc velle, sed tamen ne ex ipsius Dei natura quædam eudantur

tur superstitiosæ extremitates, quibus non tantum orthodoxorum Judæorum pium rigorem, sed etiam superstitiosorum supervacanea & extravagantia imitemur, quæ & mens Calvini est. Velim data occasione inspicias quæ scripsi in Actor. 20: 7. & si quid sit quod aliter dictum velis, aliquando significes. Viam mediam quæro inter profanationem & superstitionem, sed ita, ut locis ubi degimus judicem, non minus convenire remedia contra prius quam contra posterius. Hoc apud me certum, solennem & sacram festivitatem diei Dominicæ esse rem Apostolicæ praxeos & Catholicæ consuetudinis, & hanc praxin imo commendationem Apostolicam & in se obligare Christianorum conscientias, & tanto plus obligare, quia aliquo saltem modo in morali lege Decalogi fundata est, & quia fundata est in resurrectione Christi ex mortuis, quæ Judaici Sabbati complementum & obsignatio est. In his non videor mihi discrepare à tua sententia, sed quæ ego scripsi contra profanationem diei Dominicæ videntur satis convenire cum iis, quæ tu scripsisti contra superstitiones circa illam. Vis nos eam celebrare in libertate. Libertatem autem credo, intelligis non quæ sit optio faciendi vel non faciendi, sed quæ sit lubentia faciendi quod justum & æquum, quod in tanta auctoritate & tam prægnante ratione fundatum est. Apostolica enim γνώμη, Catholica consuetudo, & utraque fundata in æquitate morali & in discrimine N. Test. à Vetere, obligationem, ni fallor, imponit conscientiis, tollitque optionem faciendi vel omittendi, etiamsi non inducit necessitatem Judaisandi secundum rigorem legis cerimonialis. An Apostolica mutatio Sabbati translatio appellanda sit an substitutio, non videtur esse tanti, sed sufficere quod sit mutatio non tantum diei sed etiam rei, seu naturæ diei. Politicum vis esse novum Sabbatum, quatenus Dominicam diem concernit, (nam & ipse fateor omnium dierum esse) sed non Politicum Ecclesiastico & Apostolico contradistinctum, verum ad regimen Ecclesiæ Novi Test. Apostolico consilio & exemplo traditum medium; qua certe auctoritate cætera Festa destituuntur, cæterique septimanæ dies, vel conventus Ecclesiæ istis diebus agitati. Cætera pensitabo exactius. Non pono hanc festivitatem in otio aut in simplici religione laborandi, sed partim in cultu solemni & publico, & in cessatione ab operibus quæ hunc impediunt, partim etiam in tali cessatione ab operibus manuum, per quam operibus caritatis peculiariter possimus vacare, & testari nos etiam agnoscere indulgentiam benigni patris, qua etiam corporis quietem concessit & commendavit non tantum jumentis, sed & homini ad laborem propter peccatu condemnato. Audio aliquando prudentiores & Ecclesiæ orthodoxæ addictiores Politicos auriculam nobis vellentes, ut quæ hodie de hac materia satis violenter alicubi vel docentur vel agitantur, prudentem sortiantur medicinam, & pietas detrimentum non patiatur, & simul præveniatur, ne res ad turbas & schisma divertat, quod certe consilium ita mihi placet, ut exultaverim cum legerem ipse quæ de hac materia scripsisti. Ego etiamnum lego tua vestigia in explicanda ad Hebræos Epistola, tuoque labore non raro fruor. Deus nobis adsit sua gratia & gratum habeat quod pro ipsius honore conamur. Vale, Vir Clarissime, Deo cum tuis ex animo commendatus!

Hagæ 23. Nov. 1657.

Clar. addictiss. Amicus

CASPARUS STRESO.

CASPARO STRESONI JOHANNES COCCEJUS.

Vir Reverende & Clarissime.

JAm dudum ego fui instar Gehazi, quum mitteretur à Propheta. neminem saluto, neminem resaluto. Ita me tenuit Epistola ad Hebræos, ut omne tempus, quod mihi à Collegiis & laboribus ordinariis vacuum fuit, ei dederim. Nunc postquam ei commentationi hoc ipso momento, audita septima vespertina, ultimam manum imposui, statim putavi mihi respondendum ad gratissimam tuam epistolam. Ex qua, quantum judicare possum, apparet, nobis de Sabbato eandem mentem esse. Ego jam antea de Sabbato & Festis disputaveram Franekeræ: & in libello de Fœdere de Sabbato meam sententiam dixeram: item in Hos. cap. 2. & in libro de Potentia Scripturæ de Dominica egeram. itemque quum explicarem epistolam ad Colossenses. [illegible] runt à me studiosi theses de Sabbato. quibus id negavi: causatus, me non libenter in controversiam cum quoquam descendere; sed tamen in cap. 4. ad Hebræos mihi de eo argumento esse necessario agendum. Id feci; & studui non egredi illa σκάμματα. Ideoque & de Dominica non plus dixi, quam quod necesse erat. Ego autem puto magis hîc spectandum, quid Apostoli scripserint, & quid ex scripturis demonstrari possit, quam quid prudentia suadeat. Judæis hîc ante omnes consulendum fuit: qui edocendi erant de fine Sabbati, ut etiam intelligere possent abrogatum esse Sabbatum; & Sabbatum Domini non servari ab iis, qui eandem adhuc volunt tolerare servitutem. In præcepto illo non primo consulitur quieti (quam suadet præceptum aliquod secundæ tabulæ) sed vetatur opus, ut impurum scilicet & non sanctum. Quod onus Judæorum est: ut *cessando* faterentur, se suis factis non posse esse justos & Deum sanctificare. Quies autem in hoc præcepto præcipitur, ut typica. Judæi videbantur præceptum violasse, si opus fecissent: non videbantur violasse, si Synagogam non adiissent. Nam & in itinere & in desertis observabant Sabbatum & in navibus, cessando; & ultra certum modum non ambulando. Hoc igitur explicandum fuit, qua de causa ipsis impositum sit: & quare hoc Christiani non servent. Occurrendum etiam illis, qui ἀργεῖν, ut loquitur Athanasius, putant esse sanctificationem alicujus diei; & imperant aliis, quod nullo præcepto Dei possunt probare sibi imperandum esse. Quibus si assentimur, neglectum est ab Apostolis maximum opus, quod nobis non dixerunt, quæ sint opera, quæ non licet facere, quæque item licet. Quod in Vet. Testam. commissum fuit patribus carnis & Synedrio: cujus jam cessat jurisdictio. Neque potest eorum doctrina non esse scandalo Judæis. Sunt multi, fateor, prophani. Sed illos non faciemus meliores, si putent se defunctos esse sanctificatione Sabbati Christiani cessando. quales ego vereor ne sint nimis multi inter Christianos. qui cum nihil egerint, & inepti ad auditionem & meditationem Verbi accesserint ad cœtum, putant se Deo, quod suum est, dedisse: multi etiam consuetudinis causa cessant & nihil boni agunt, mundum scandalis implentes; &, quum commodum est, etiam in Dominica opus faciunt, non in fide, sed δι᾽ ἐθελοθρησκείαν. Quæ quid ad pietatem faciant, ego non intelligo. Sint aliqui jam ista opinione imbuti, nihil licere sibi agere in Dominica, sed omnino sacra tractanda esse: comperiemus tamen illos plerosque esse iniquos judices aliorum, qui ipsis deteriores non sunt, & tum prophanis non consulere, sed eos profaniores facere, & scrupulum injicere piis. Denique saltem litibus occasionem dant. *Dominicam* appellari à resurrectione, agnoscere: & appellandam esse à Christianis, nisi velint non extare maximum hoc testimonium resurrectionis ipsius, scisco. Multum & frequenter nos debere operam dare tum ἀναγνώσει & meditationi & [illegible], dico: & dico, nos debere per totam vitam quam minimum suscipere negocii, ut ei rei vacare possimus. ita tamen ut non judicem illos, qui in eo genere studii vitam transigunt, quo proximum juvare possunt. A praxi Apostolica venire, ut Christiani conveniant Dominico, in propatulo est. Quæ ipsa consuetudo facit, ut id immutabile sit. Statim enim, atque ad Ecclesiam accedimus, in eam consuetudinem consentimus; & aliter facere non possumus. Quod autem facimus, serio faciendum esse, & studiose, clarum est. Si qui sibi non necessarias occupationes faciant, ut minus in hoc seduli sint, illis suadendum est, ut velint memores esse γνησιότητος fidei, & charitatis, & ut ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν *coemant tempus*, quo possunt proficere & alios ædificare. Huc etiam spectant, quæ tu in Actis cap. 20. D. Amesius, quum putavit, Athanasium dixisse, otium Sabbati transpositum esse in diem Dominicam periodice usurpandam, manifesto erravit: & ille modus loquendi ansam dat illis, qui præcepta nova invehunt de cessatione, qua sanctificetur dies. Qui similes sunt Pontificiis multa Festa præcipientibus, in quibus nihil urgent, nisi feriationem (teste Bellarmino) & observationem mandati Ecclesiastici. Nobis autem tutum non est mandata Ecclesiastica suscipere. Quæ res generali præcepto continentur, & vario modo fieri possunt, de iis, si ad singulorum officium eæ spectent, non licet homini speciale præceptum dare: suadere autem, quod optimum utilissimumque est, licet omnino. Quæ autem ad omnium observantiam pertinent, in iis, si non uno modo fieri possint, communi consensu, vel eorum judicio rationabili, quibus ea cura imposita est, modus & ordo est determinandus. Nunc ad conventus Dominico celebrandos novo consensu opus non est; ut dixi. Hæc scripsi die Sabbati vespere. Nunc, octava audita, die Martis, post collegia mea demum potui ea resumere in manus. neque invenio, quid magnopere addam ad ea, quæ scripta sunt: nisi hoc fortasse breviter repetam. 1. Judæis finem Sabbati esse ostendendum. 2. Christianis commendandam esse sanctificationem Sabbati illius, quod nacti sumus per mortem Christi & abrogationem legis cerimonialis. quod per totam vitam durat. Id autem temerari, si nostras voluptates faciamus, si mittamus digitum, si pugno feriamus, Esai. 58. si præcepta hominum, si pristinam servitutem admittamus. 3. Cessationem ab opere non esse sanctificationem ullius temporis. 4. Neque in Nov. Testam. esse discrimen dierum. 5. Sed Dominicam appellare id esse aliquam confessionem resurrectionis Domini. 6. Providentia Dei consuetudinem conveniendi toto cœtu die Dominico introductam & confirmatam esse: neque tamen ea consuetudine introduci dierum discrimen. 7. Per nullum opus licitum contaminari illum diem. atque adeo pecuniam afferre in cœtum & eam colligere vel etiam distribuere peccatum non esse.

1. Cor.

1. Cor. 16: 2. Sed desertionem conventus esse desertionem Ecclesiæ, & charitatis, & quodammodo abnegationem nominis Christi: & multa alia secum trahere mala. 8. Quietem dandam subditis & servis à ministeriis nostris charitatis causa. 9. Patres familias habere potestatem adducendi suos ad cœtum, & imperandi cessationem, & exigendi lectionem & repetitionem auditorum aut lectorum. 10. Idem posse facere, qui parem potestatem habent. 11. Illis, qui extra Ecclesiam sunt, imperare ocium privatum, & illos non impedire à luxu & lascivia, neque adducere ad cœtum, ut ibi ædificentur, non esse ipsis bene consulere. 12. Neque illud etiam sapere admodum præceptum Christi, quod est Matth. 6: 33. *Quærite ante omnia* &c. si doceamus tempora inter Deum & nostra negocia aut oblectamenta partiri. 13. Politicum quidem esse, quod tempus per septimanas metimur: sed divina providentia id factum, ut in ea periodo à nobis dies resurrectionis Domini nominari posset. Hæc puto me posse tibi approbare: imo & tuas esse sententias: & ita primam Ecclesiam & primos Reformatores sensisse: atque etiam Catechesin nostram: &, nisi fallor, quædam Notæ marginales Biblicæ idem dicunt. Existimo etiam, ea profanitati & superstitioni simul occurrere. Quod attinet eos, qui de me male loquuntur, credo multos eorum nec legisse mea, nec rem intelligere, sed partes tantum legere: & mihi non dolet in hac causa nomen id ferre, quod tulit & Christus; qui etiam violator Sabbati audiit; ab iis, qui virtutem Sabbati & finem & verum Sabbatum ignorabant. Videant illi, cum quibus se socient. Ego loquor ea, quæ palam extant in Scripturis, & loquor ita, ut demonstrem in eis analogiam fidei: illi loquuntur nomina hominum eorumque consilia. Quæ non possunt non incommodare Ecclesiæ. De valetudine tua meliora, quam tibi polliceris, & opto & spero. Ludovicus noster mihi nulla in re ingratus est. Utinam ipsi inservire possim cum maximo ipsius fructu. Quæ studia sub me habeat, ipse referet. In iis diligentem reperio, ut & in publicis lectionibus. Hîc finio & Te cum dilectissima conjuge & filia divinæ clementiæ commendo. Vale. Die 11. Decemb. 1657.

JOHANNI COCCEJO CASPARUS STRESO.

Clarissime & Doctissime D. Cocceje, Amice plurimum Honorande.

INvitus admodum vidi Collegam vestrum D. Hoornbeeckium me vestris involvere dissidiis, & quæ in Actor. 20: 7. de Sabbato ante aliquam multos annos scripseram vobis opponere, quæ tamen ego nulli orthodoxo Theologo volui esse opposita. Nihil de Sabbato scripsi, quod superstitionibus gignendis idoneum sit, aut illis tuendis applicari possit, nec profanationibus fovendis operam dedi, nec diversis Orthodoxorum Theologorum sententiis de Sabbato intercedere volui. Est mea, fateor, sententia, hebdomadariam convocationem & congregationem Ecclesiæ ad cultum publicum esse generale, & hominibus immutabile mandatum quarti præcepti Decalogi, & specialem hujus mandati adstrictionem ad diem primum hebdomadis esse originis Apostolicæ, & impium vocavi illud dogma, quod sine ulla limitatione asserit, Christianam Dominicam nihil habere Sabbaticum. quodque eo fine prolatum sciebam, ut procurarentur diplomata & programmata politica, quibus ad minimum, pomeridiana profanatio diei Dominicæ hominibus permitteretur, imo injungeretur. Ne dicam me respexisse ad Socinianorum frigidum & frivolum sensum de Christiana Dominica, quem exprimunt in Catechesi Racoviana, ubi & quartum præceptum totaliter abrogatum atque expunctum statuitur, ac si pars legis non fuisset, sed tantum imperfectæ legis indicium. & diei Dominicæ celebratio, tanquam nullo modo necessaria, libertati Christianorum penitus permittitur. Verum cur hac de causa contra vos in aciem producor, qui non profanationibus Dominicæ fovendis, sed superstitionibus coërcendis operam vos dare profitemini? Non enim judico vel Christianum aut orthodoxum Theologum esse non posse, vel decalogum Mosaicum integro præcepto truncare, atque ex decalogo ennealogum facere, vel denique conscientiosam Christianæ Dominicæ celebrationem tueri non posse, qui speciale mandatum hebdomadariæ festivitatis, quod Ecclesiam Nov. Test. obliget, in decalogo Mosaico inveniri negat. Sufficit enim ad Christianorum conscientias fundandas, quartum decalogi præceptum tam generaliter sancire necessitatem cultus publici, quemadmodum illius sanctio verbis Catechismi exprimitur, & huic generali sanctioni legis accedere Ecclesiasticam determinationem diei Dominicæ hebdomadariæ, quæ vel Apostolici exempli auctoritate, vel saltem vi Apostolicorum præceptorum de ordine in Ecclesiasticis rebus servando conscientias nostras obligat. Quod attinet ad disceptationes de mensura quietis, & sacræ occupationis, quam Christiana Dominica, vel Sabbatum Christianum exigit, item de moralitate ipsius quietis, & de Sabbati Judaici vel etiam Christiani sacramentalibus significationibus, illæ nunquam finem invenient per publicas & acres orthodoxorum inter se velitationes, sed per mansuetum usum Christianæ libertatis & in sentiendo, & in faciendo. Mensuram publici cultus Dominicalis publica auctoritate & prudentia constitui, scopo diei consentaneam, eamque extra casum necessitatis, ab omnibus observari æquum est, & ad bonam conscientiam necessarium. Saltem ideo ne incurramus in regulas Apostolicas de ordinate ambulando & mediis ædificationis non deserendis. Privatæ devotiones regendæ sunt adhortationibus ministrorum, ne frigescant, sed non cogendæ sunt per importunas amputationes Christianæ libertatis, & scrupulosas conscientiarum vexationes, donec ad superstitionem usque sint rigidæ & in discrimine liciti vel illiciti determinando cuminum secent. Atque in hoc cardine jam tota moles vestræ disceptationis vertitur, utrum scil. omni ope incumbendum sit omnibus Theologis & Ecclesiarum ministris, ut privatæ devotiones diei Dominicæ quam rigidissime inculcentur (de publicis enim profanationibus coërcendis nulla inter vos quæstio) an vero potius necessarium sit, ut quorundam rigor & austeritas non nihil temperetur, ne in Pharisaicam superstitionem erumpat. Certe si quis sentit à superstitione hoc tempore nihil nobis periculi esse, me consentientem non habet. Non enim vel propriis auribus, vel tot prudentum & piorum assertionibus ita possum diffidere, ut vigilantibus curis nullis opus esse judicare queam. Publicis tamen disceptationibus, & scriptis super hac materia nollem implicari, adeoque te obnixe rogo, & per te Clariss. D. Heidanum, ne quod ex meo scripto Clariss. D. Hoornbeeck vobis opposuit responsione aliqua dignemini, quippe qui vestras sententias, etiamsi meæ fortassis non conformes, neutiquam oppugno, nec causas video cur publice oppugnari necesse sit. Patent enim nobis Ecclesiasticis aliæ viæ servandæ necessariæ concordiæ, quam dissentiuncularum nostrarum ventilationes publicæ. Vale, Vir Clariss. & pro more nostræ amicitiæ haud gravatè mihi concede, quod abs te petii.

Hagæ-Comit. 27. August. 1659.
Cl. T.
in Domino Studiosissimus
CASPARUS STRESO.

EPISTOLA XLIX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Abnegare propriam justitiam est juris naturæ, sed quod præsupponit peccatum. Sed, etiamsi non extet peccatum, jus naturæ est, ut judices, ad propriam justitiam requiri absentiam peccati, & eam cum peccato consistere non posse. Ita etiam Angeli judicant. Cæterum memini me sæpius monere, Decalogum esse legem resipiscentiæ; quæ præsupponit peccatum. Quod autem Ezechiel c. 20: 11. dicit, *Dedi illis leges meas, quas qui facit, vivit in eis;* significat, resipiscentiæ nullam aliam indolem esse, quam ut homo ea præcepta, à quibus descivit, diligere rursus incipiat. Cæterum eam dilectionem niti dono justitiæ & sanctificationis, indicat, quum addit, כִּי אֲנִי מְקַדִּשְׁכֶם. At inquis, quare solum Sabbatum in Decalogo est? Respondeo in Epistola ad Hebræos, Cumulus cerimoniarum impositarum populo, præter libera sacrificia, ut onus gravius reluctantibus & refractariis & fœdus violantibus impositus est. De ea re, puto, ago ad Hebr. 8: 9. Et Ezechiel id docet ỳ. 25. cap. 20. Recte judicas, quare primi Sabbati mentio fiat in Decalogo. quod in Deuteronomio ratio Sabbati repetitur à servitute Ægyptiaca sublata, nonne id clare docet, Deum præcepisse Sabbatum ut esset in signum quietis ab opere servitutis legalis? Si jam in terra omnes quietem adepti essent, non daretur distinctio quietis & actionis servilis in ipsa terra, nec servorum & liberorum. Certe ut ipsa eductio ex Ægypto est symbolum & pignus veræ libertatis, ita & Sabbatum. Hæc ratio tacetur in Exodo, sed ex re ipsa intelligitur. Moses in Deuteronomio explicat. Lugd. Bat. . . . 1658.

EPISTOLA L.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quod de Sabbato moves, de eo breviter. Est in Decalogo Lex naturæ, sed subordinata Testamento & Promissioni. Non enim dicit Decalogus, *Qui fecerit*

rit illa, vivet in eis: Sed, *ego sum Jehovah Deus tuus.* Attamen non alia sunt præcepta, quæ qui facit vivit in illis. Nam [illegible] non est nisi restaurata obedientia amandi Deum & proximum. Sed accedit præceptum fidei, & abnegandæ justitiæ propriæ, propter peccatum. Accedit etiam *Signum.* Quæris, quare igitur non aliæ cerimoniæ, quarum omnium idem scopus est, Decalogo includuntur? Ezechiel id docet. Post inobedientiam Israelitarum compertam demum jugum omnium umbrarum addidit Deus, & dedit præcepta non bona. h. e. non tantum voluntaria sacrificia approbavit, sed & pro reatu certas satisfactiones exegit.

d. 20. Martij. 1658.

EPISTOLA LI.

JOHANNI FREDERICO GRONOVIO JOH. COCCEJUS.

Amplissime Vir, Amicorum optime.

Tandem natus est dies, qui vota nostra pareret: nempe ut possemus propiores & conjunctiores vivere. Heri extra ordinem D. D. Curatores hujus Academiæ cum D. D. Consulibus congregati fuere: absente tamen D. Schaepio Cortenhouviæ Domino. Actum ibi de novis Professoribus vocandis. Constitutum est te vocare restauratorem studii Græcanici & eloquentiæ illius nativæ. Quod quum intellexissem ex Nobilissimo D. de Beveren Strevelshouckiæ Domino, atque ipsum interrogassem, liceretne mihi id tibi significare? Respondit, id non tantum mihi licere, sed etiam sibi gratum fore, si faciam; atque ita faciam, ut ipsum indicem tibi nominem; qui te amet atque omnia tua & honoris tui causa velit. Significavit idem, decretum esse, post octiduum denuo convenire. Tum etiam D. Schaepium adfuturum. Ibi actum iri de vocationis modo, & ampliori quodam titulo vocationis. Ex quibus signis conjicio, sic animatos esse Dominos, ut cupiant omnino studia illa oppido necessaria excitari, & te omni possibili ratione non invitum ad nos pertrahere. Cui rei nos nihil addere possumus, nisi [illegible]! Plane autem certus sum, te sic affectum esse erga rempublicam & Ecclesiam, ut literas hasce necessarias eruditioni & jam torpentes illustri loco cum fructu amplissimo docere & illustrare, Deo id ostium aperiente, paratissimus sis. Equidem jam ad te amplexandum anhelo. Deum rogo, ut te incolumem conservet. Reverendo D. Dieltio salutem plurimam, cui propediem scribam, quum de ipsius negotio, quod mihi commendavit, quod ago, certum quid habebo; & simul ad manum erit, quod ei de meis lucubrationibus mittam. Vale.

Lugd. d. 3. April. 1658.

EPISTOLA LII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quarto de Sabbato ex superioribus tuis literis illud supererat: quare dicatur Deus septimum diem sanctificasse & non sextum, quum homo sit factus die sexto: si in eo est sanctificatio temporis, quod se sanctificavit in homine? Respondeo: Cessationem Dei, quæ est diei septimi, esse obsignationem, quod omnia propter hominem, homo tantum propter Deum factus sit, atque ita sit δόξα Θεοῦ. 1. Cor. 11:7.

d. 3. Aprilis 1658.

EPISTOLA LIII.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Amice Dilectissime.

Piaculum ratus sum, D. Ubbenium sine meis ad te literis dimittere: quanquam nihil fere haberem, quod scriberem. Nisi quod te scio cupidum esse cognoscendi valetudinem nostram. Qua, per Dei gratiam, hactenus commoda satis utimur. Gravedines aliquando molestæ sunt. Et putabam me iis defunctum esse: quum hoc matutinum mihi asperitate aëris novam attulit. quæ & tussim excitavit. Et tamen cogimur post horam prodire, ut de parentatione in honorem D. Mæstertii, qui hac nocte circa duodecimam, obiit, deliberaremus. Ejus obitu, sine dubio, Academia non parum perdidit. Nescimus, an obsequentem habituri simus D. Dauberum D. Ludovici Crocii p. m. affinem, qui Bredæ ea professione functus est, & nunc in aula Principis Cassellani vivit, si vivit. Nam eum quidam mortuum ferunt. quod non opinor. Eum vocarunt D. D. Curatores nostri ad primariam Juris professionem. Item ad professionem Linguæ & historiæ Græcæ D. Gronovium: qui Daventriam hactenus ornavit. Ad Medicam vero D. Sylvium Amsterdamensem. Sed de adventu horum omnium adhuc incerti sumus. Deus faxit, ut bonæ literæ & amor veritatis non refrigescant in hac ætate mala. in qua sciolorum affatim, scientium magna raritas est. Ego per hanc hyemem, occasione scripti cujusdam Germanici ad me nescio unde & à quo, sed tamen, ut indicia ostendunt, ex Aula quadam Hassiaca, missi, quo defenditur, Romanam Ecclesiam esse verum Israëlem & extra eam non dari salutem; neque vocandam esse Babylonem: scripsi aliquid de Ecclesia & Babylone. Septem folia excusa sunt. tria vel quatuor adhuc in partu hærent. Doleo, quod non hac occasione possim mittere. Interim Deum rogo, ut te tuosque salvos & sanos velit: & laboribus tuis aspiret. D. Thrommium generum tuum confido convaluisse. Ei salutem plurimam cum omni gratulatione à me dici peto. Vale.

Lugduni d. 25. Aprilis 1658.

EPISTOLA LIV.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Amice Charissime & Honorande.

Qui ita vivunt, ut inter crebras infirmitates manu divina sustententur, & nunquam permittantur effrenes ferri, & quotidie compellantur orare, & quotidie exaudiantur, illos ego non puto misere vivere. Quare habemus, cur Deo gratias agamus, & jam cum nostra corpuscula infirmantur, & cum lubentia eorum dissolutionem exspectemus. Spero interim, Deum tibi largiturum pro juventute infirma senectutem viridiorem. Solet enim id contingere. Et nunc tibi & charissimæ conjugi tuæ melius esse, confido. nisi me fallunt Hermanni nepotis mei literæ. De quo tibi gratias debeo plurimas, quod illum digneris aliquando tibi vicarium facere. Fratri meo is unus superest, ex quo voluptatem & oblectationem ac fructum educationis in studiis sperare possit. Solicitus de ipso sum eo magis, quia meæ domi institutus est. Sine dubio illi multa desunt. Si amicos habeat, qui illa partim corrigant, partim suppleant, partim excusent, ut in ingenuo & veritatis ac ædificationis studioso juvene, felix est. Redeo in viam. Nam debebam te certiorem facere de valetudine nostra. quam adhuc, per Dei gratiam, inter multorum & morbos & funera, satis propitiam habemus. Mitto nunc Libellum de Ecclesia & Babylone. In Psalterio non magnos fecimus progressus toto triennio. Nunc tamen res videtur esse processura. Videtur enim jam serio hoc agere Typographus. De cap. 53. Esaiæ non habeo meditationes scriptas, nisi brevem delineationem ante multos annos factam. Igitur æqui bonique consules, quæ statim in chartam conjeci de cap. 52. & 53. Nam illa cohærent & à se invicem separari non possunt. Diligenter animadvertendum est, quibus personis loquentibus verba quæque attribuenda sint, & quis scopus loquentis sit, propter quem, quæ dicuntur, in una oratione conjunguntur. Nam si verba, quæ sunt in prima parte cap. 53. simpliciter ut narratio sive prophetia accipiantur, non patebit, quare, post exaltationem Christi rursus de humiliatione sermo fiat. Sed ego hæc tuo judicio permitto. Et nunc finio, Deum precatus, ut Tibi tuisque, quos amanter salutamus ego & mei, diu sospitatem & benedictionem suam omnem largiatur.

Raptim Lugduni d. 31. Maij 1658.

EPISTOLA XLV.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principis

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ,

Principis Palatinæ ad Rhenum, Ducis Bavariæ, &c.
Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatricis

Epistola ad

JOHANNEM COCCEJUM.

Ehrwürdiger Vielgeliebter Herr Professor
Deßselben sehr wehrtes brieffelein habe ich vor vierzehen tagen wohl empfangen /

empfangen / erfrewet mich dasz Er mir mein grosse freyheit nicht übel auffgenommen hat / und Mir zur vertröstung nicht allein wegen der Heyligen Göttlichen Hebreeischen sprache / sondern auch dasz gantze werck und krafft derselben wolle übersetzen / mir und allen so da begiehrich sein den willen Gottes / sein heilige offenbahrungen und Prophezeyungen zu lernen: in dem selbigen bekenn ich und musz gestehen / dasz Ich in der welt kein frewde suche und finden kan als einzig und allein Gottes Heiliges Wort und Prophezeyungen zu lernen und die krafft des Heyligen Geistes je länger je mehr zu empfinden. Der Allmechtige wölle deszelben wunsch erfullen und mich reichlich mit der gabe des Heiligen Geistes überschatten / auff dasz all mein thun und leben zu seiner Ehren gereichen mag / und Ihm allein dienen nach seinem wollgefallen. Bitte dem Allmächtigen dasz Er denselben lange zeit seiner Kirchen und mir zum besten starcken auch in gutter gesundtheit erhalten möge. Furchte aber den selben zu lange auff zu halten / befehle Ihn also in Gottes gnadigen obacht / und Mich und die Meinigen in Dein andächtiges gebet / Verbleibe

Desz Ehrwurdigen Herrn Professor woll affectionierte Freundin

MARIA ELEONORA

Phaltz Gräfin Wittwe und Vormunderin.

Lautern den 4. Julij 1657.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principi Palatinæ ad Rhenum, Duci Bavariæ, &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatrici.

Lutream.

Durchleuchtige Fürstin / gnädigste Frauw.

ICh habe mir die freyheit genommen / E. D. auff Ihr gnädiges schreiben etwas langsamer zu andtwortten / dieweil Ich von der einen woche zu der andern gehoffet / etwas überzusenden / darausz E. D. hätte berichtet werden / worzu Ich diese winterszeit / in den überschiessenden stunden zugebracht / da Ich die andere arbeit nohtwendig habe mussen ausz der hand legen. Ich möchte wunschen / dasz E. D. meine geringe gedancken / welche Ich von der kirchen und Babylon zu Papier gebracht / Ich hätte mögen auff Teutsch vortragen. Zweiffele aber mit nichten / Herr Dalenius wirt hier in mir zu hülffe kommen / Damit E. D. urtheilen möge / wie ferne mir die gnade gegeben den hassern der Warheit den unterscheide des königreichs Christi und des Antichrists / des glaubens und des gehorsams unter den menschen satzungen zu zeigen. Beneben wolle E. D. sich versicheren / das Ich mir gäntzlich furgenommen / das angefangene Lexicon nach möglichkeit zu continuiren / und mich zubefleissigen / das E. D. nebenst anderen frommen leuten meinen guten willen am werck mögen erkennen. Unter dessen bitte unterthänig / E. D. wolle die verzögerung nicht meiner nachlässigkeit zuschreiben / sondern dem werck selbst / welches viel nachdencken und nachsuchen erfordert: und meiner obliegenden profession / welche mir wenig übrige zeit / ausser den ferias, überlässet. Ich habe so grosse begierte das werck zu absolviren / dasz / wan man seines lebens rechnung machen könte / und der Drucker nicht an der zeit interessiert wehre / Ich mich dazu möchte lassen bewegen / algemach bey blätern das werck zu verfertigen und ausz zu geben. Aber das ist bey ansehen mein Alter alzu sorglich. Zweiffele aber nicht / Gott der Allmächtige / welcher E. D. hertz geruhret / die arbeit mir gnädig auffzulegen / werde mir verleihen / dasz ich mein Talent möge in freuwden zu Gottes ehren herfurbringen. Dessen Vätterlichen sorge E. D. person Furstliche Kinder und regierung / Ich von hertzen empfehle.

Leyden den 8. Junij 1658.

Ewrer Durchleucht.

Unterthänigster Diner

JOHANNES COCCEJUS.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ,

Principis Palatinæ ad Rhenum, Ducis Bavariæ, &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ.

Epistola responsoria ad

JOHANNEM COCCEJUM.

Ehrwürdiger / Hochgelehrter Herr Doctor.

ICh bin so glücklich gewesen / dasz mit desselben brieflein erfrewet bin worden / darin derselbe sich entschuldiget / dasz Er nicht ehrer geantwortet hat / da Er doch keine ursach hat sich dessen zu entschuldigen; dan mir nicht unbekant seine grosse mühe und fleisz so derselbe zur aufferbauung der Kirchen nimbt; darumb mehr ursach habe mich zu entschuldigen. Aber die begierte so ich habe das königreich Christi / und des Antichrists / des glaubens / und des gehorsams unter den menschen satzungen zu wissen hat mir diese freyheit gebracht und solche ursach gegeben. Habe mich derentwegen viel mehr zu bedancken wegen des buchs so Er geschicket / welches auch Herr Dahlen gleich hat genommen / aber durch seine reihse in Gulcherland und andere geschäffte so er hier gefunden haben ihn bisz dahero noch verhindert. Bedancke mich auch gar sehr dasz derselbe das Lexicon will continuiren, wordurch derselbe die kirche Gottes und mich als das nidrigste und schwachste gliedmasz zum höchsten verobligiret. Den Allmächtigen bitte / dasz Er denselben seiner Gemeynde lange zeit stärcken und erhalten / und all sein werck so er thut je mehr und mehr segnen / und mir die genade geben wolle alles wohl zu fassen und zu practiciren / damit es zu meiner und meines nächsten aufferbauung gereichen mag / in dessen genädigen schutz ich denselben befehle und mich in sein andächtiges gebet / Verbleibe

Desselben

Getrewe Wollgeaffectionierte Freündin

MARIA ELEONORA

Phaltz Gräfin Wittwe.

EPISTOLA LVI.

JOHANNI À DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende & Amicissime Vir.

AD literas tuas tarde missas, tarde ad me perlatas, tarde respondeo. Causa tarditatis est, quod, quantumvis festinaverim, Celsitudini suæ satisfacere de tarditate operis mei, quod mihi injunxit, non prius potui. Facio id, te oratore & interprete. Ut totus vacare possem Lexico, ante omnia necessarium fuit Commentarium in Epistolam ad Hebræos absolvere. Is diutius me occupavit, quam crediderim. Jam hiems erat, quum ultimam manum ei imposui. Nullam horam vacuam amisi, quin id agerem. Potes notare, me jam fieri tardiorem. Sed interim te velim scire, mihi per id tempus singulis fere diebus per quinque & amplius horas collegia habenda fuisse. Quum Commentarium illum absolvissem, statim occepi Lexicon nostrum conscribere. Ibi, quum necesse esset singulis momentis multos libros inspicere, vidi, si quid dignum me & opera recenti, & exspectatione Celsissimæ principis percudendum sit, supplicandum mihi esse, ut pluculum mihi indulgeatur temporis. Exemplo ut me purgem, scire te velim, propter unam Vocem me coactum fuisse magnam partem ultimorum capitum Ezechielis vertere, & in ea, quod certum mihi post multorum inspectos commentarios videbatur, annotare. Talia incidunt in plurimis. Nam mihi cum primis propositum est, ut omni occasione illustres locos Vet. Testam. explicem. quod scio etiam Celsf. S. desiderare. Paululum processeram, quum incidit hiems aspera, quæ me vetuit per Museum circumcursitare ad inspiciendos libros. Simul accepi libellum Germanicum, ut credo, ex aula quadam Hassiaca, cum Epistola qua tantum non provocabar ad respondendum. Ex Hassia venire argumento est, quod calamo ascriptum est ei libello, si quis auctorem cupiat cognoscere, eum adire posse Celsiss. Principem Hermannum Landgravium (qui jam interim obiit) vel Secretarium fratrum Landgraviorum. Visum est operæ precium aliquid de Ecclesia & Babylone consignare. Quod feci, ut paulatim quasi aliud agens ostenderem, qua via ad sensum prophetiæ procedendum sit. Latine eum scripsi, quia non nisi difficulter Germanica hîc excuduntur & venduntur. Timebam, ne Elzevirius editionem abnueret: qui in Scripturaria Probatione nondum expertus erat satis faventem sortem. Deinde Germanico scripto non profuissem aut satis fecissem iis hominibus, inter quos medios vivo. Si tibi videbitur, in eo libello contineri summam eorum, qui ex propheticis didicimus, & demonstrationes non pessime procedere: tuum erit Celsissimæ Principi eam Germanice interpretari. ne putes, te otiosum debere esse, dum nos conficimus Lexica. Et, ne nescias, optem tibi libellum illum tam bene factum videri, ut eum non tantum avide transferas, sed etiam Francofurti excusum des. Quod si fiet, & superfit, de quo scribi oportere putes, aut aliquid in eodem hoc libello amplius declarari, non patiar tibi deesse operam meam. Hoc non possum non profiteri, me in eo libello conficiendo fuisse quodammodo impulsum & actum Celsissimæ Principis desideriis cognoscendi prophetias, & eo spectasse, ut ei satisfieret: interveniente tua opera & lingua. Cæterum, ut redeam ad Lexicon nostrum, non possum deprecari, ut non immisceam ei terminos propheticos & phrases & ænigmata prophetica. Attamen, ut Lexicon propheticum promittam, majus quippiam est. Ante omnia enim necesse foret, totam prophetiam ἀποδεικτικῶς explanasse. Deinde omnia prophetica verba & phrases colligi. In quibus etiam nomina propria continentur. Quæ non solent sibi locum in Lexico linguæ vendicare. Neque ego id necessarium puto, si prophetia jam tota ἀποδεικτικῶς demonstrata & exposita sit. Qui laborem illum vellet occipere, sine dubio incideret in operam Flacii Illyrici & Ravanelli, aut Indicis Piscatoriani, aut similes labores. Prophetia enim etiam dogmata complectitur, & propter ea maxime cognoscitur. Mihi igitur satis erit, quasi obiter & aliud agendo phrases ac terminos insigniores cum locis nobilibus illustrasse. Si tibi

placet in hoc laborare, melius putarem synonymias colligere, quam Lexicon facere. h. e. ostendere, quam variis & tamen vel æquivalentibus vel finitimis terminis quævis res prophetici mysterii dicatur. Ordo autem hujus operis ex re ipsa potius, quam ex serie Alphabeti foret sumendus. Hoc si sequimur, parallelia efficietur omnium prophetiarum. Sed nos quidem possumus tales Ideas consummati corporis prophetici concipere; dubito autem, an nos tale quid simus visuri, imprimis cum cogamur parce, trepide & quasi aliud agentes ac quodammodo compulsi, dum respondemus adversariis, ut Judæis, Pontificiis; talia attingere. Ita mihi explicatio locorum de Antichristo nata est, occasionem dante Grotio: alia libro de Potentia Scripturæ inserui. Nunc libello de Ecclesia & Babylone demonstrationes propheticas quasi coactus adjeci. Nam profiteri interpretationem prophetiæ etiam inter nostros est fere ridiculum. Cujus rei, ni fallor, hæc causa est, quia & Veteres & Recentiores hoc egerunt hariolationibus suis, ut videatur nihil certi de iis rebus dici posse. Mitto nunc Commentarium in Psalm. 110. Descripsit eum quidam Germanus Moguntinus, qui prope Viennam sacerdos fuit; & offensus damnatione Jansenii ad nos venit, & nunc apud nos studiosi partes non segniter implet: quadragenarius fere: vir bonus, filius Jurisconsulti, sed propediem, consumto patrimonio, nihil habiturus reliqui. Mitto duo folia, quæ de Commentario in Psalmos ante hiemem impressa sunt. Sed consilium est, majorem chartam assumere. Editionem illam non possum jam suspendere, nisi vadimonium velim turpiter deserere; & ostentator videri; & laborem illum sepelire. Nam Elzevirius tandem se paratum ostendit. quod per triennium non accidit. Elzevirius à me contendit, ut sibi Nov. Testam. brevibus Notis annotatum dem, tum optimorum interpretum meis: ut eæ textui statim adjungi possint. Utinam id queam præstare. Sed & hîc tempore & cura opus erit. Imprimis, si interpretes consulendi sint. Tales Notas colligere & Lexicon condere est arenas ad montem extruendum comportare. Hæc habui, quæ tecum hoc tempore confabularer, non paucorum dierum intercapedine interstincto scribendi protelo. Unde & maculatior charta in manus tuas venit. Quod æqui bonique consules. Vale. Uxor mea te tuamque dilectam ex animo salutat.

Lugduni 8. Junij 1658.

Gratulor & D. Roomswinckel & Tibi affinitatem, Deumque propitium opto.

Absolveram hæc, quum literas tuas in manus sumsi, ut viderem, an ad omnia respondissem. Visum est mihi hæc addere. Quod S. Cels. desiderat explicationem terminorum propriorum propheticorum, ut Edom, Moab &c. ad id neque Lexico linguæ, neque Lexico nominum Hebraicorum opus est. Sufficiet paucas hujusmodi nomenclaturas explicari. Verbi causa. quod Ægyptus Esai. 19. dicatur Imperium Romanum & Gentile & Antichristianum. Quod Moab Esai. 16. significet Judæos. Quod Edom Malach. 1. significet Judæos Idumæis mixtos sub Idumæis regibus. Quod autem hæc ipsa significent, ex ipsa prophetia est demonstrandum. In libello meo, quam operose de *Babylone* quærendum fuerit, videbis. Exemplum rogasti. Id sufficiet. Ego jam quibusdam studiosis diligentibus dicto Esaiam. Perveni ad c. 27. Lectiones publicas perduxeram ad c. 23. Scripsi ad c. 25. Quæ autem dicto, nescio an possim ipse habere descripta. Urgent illi me, ut omnia explicem. Sæpe per bihorium de die & amplius in eo sumus. In Apocalypsin de novo dictavi. Id jam habet tuus Affinis. Etiam in Canticum, ut quædam essent pleniora & planiora. Et quis mirabitur, Lexicon tardius procedere? In quo nihil omitti potest: etiam illa, quæ Vir doctus sine detrimento ignorare potest. Quod attinet locum Esai. 25: 2. 3. quemadmodum in Apocalypsi Babylon *Civitas* est, & Bestia habet *Civitatem*, ita & hîc alia atque alia *Civitas* sive πολίχνια intelligitur. Dixi aliquid de eo loco in Epilogo ad διδασκαστόφιλον. De Esa. 26: 5. 6. quæ dictavi, mitto. Quid sit πόλις, dico de Eccl. & Babyl. §. 61. 62. Sed Apoc. 16: 19. πόλις quædam μεγάλη à Babylone distingui debet, saltem ut Civitas Bestiæ à Babylone distinguitur.

EPISTOLA LVII.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Doctissime Vir, Domine & Amice perdilecte.

. . . . Nuncius de fratris morbo non nihil nos turbavit. Quia tamen deinceps nihil cognovimus, nisi quod Hermannus de morbi initiis scripsit; speramus, eum jam ἀπηλλάχθαι. Utinam nos Deus semper faciat memores mortalitatis nostræ, & illius horæ, quum coram facie ejus sistemur! Meus libellus de Sabbato procedit ad finem, sed is exspectat comitem Versionem Belgicam: quam conficit D. Wyngaerden paulo tardius. Psalterium meum grandire gradum incipit. Psalmi XII. commentarius jam exeuditur. 16. folia mox erunt absoluta, in forma satis angusta, literis non magnis. Fuit hîc Ernestus Landgravius Hassiæ & per horam domi meæ locutus est mecum. Sed noluit tunc agnosci. Ex itinere vero scripsit ad me, promisitque, me circa Pascha habiturum responsum ad libellum meum de Ecclesia & Babylone. Non potest dici, quam sit difficile agere cum illis, qui nolunt Scripturæ obedire, & eam non intelligunt. Sed spero, juvabit nos Deus. Quid facies horum temporum portendat, non difficile est hariolari. Frangitur brachium. Triumphabit Roma. Sed frustra. Nostrum erit orare & caput erigere. Cæterum miserum est, quod vix possumus orare pro illis, qui nostri esse debebant. Oremus saltem, ut resipiscant, & peccare prohibeantur. Ego te tuosque dilectos, ut & mei cupimus valere & in Christo lætari. Vale.

Lugd. d. 4. Novemb. 1658.

EPISTOLA LVIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Dilectissime Gener.

. . . . An D. Hoornbeeck scripserit tractatum de Sabbato, nescio. Spero eum prius nostra lecturum. Si sapit, dicet, sibi non aliud videri, quam nobis; propter congregationem vacandum aliquando esse, & studio pietatis non minus impendendum esse temporis, quam quo Judæi sunt jussi vacare. De quo non potest esse controversia. Et Conciliator est. Puto, me solum non habebit pro irreconciliabili. Nodum de Satisfactione sic expedio. Lex non requirit à Sponsore, qui est Filius Dei, ut ferat omnem pœnam peccati. Nam & servitus peccati inter pœnas peccati est. Sed requirit ab eo *obedientiam*, quæ sit meritum, & *sanctificationem Dei sancti* per passiones magnas & insignes (citra peccatum) ut justificantis impium sine injustitia; atque ita sine abrogatione & relaxatione legis. Nam, si lex relaxatur, non est justificatio. Et lex nos addicit Domino. Et in Christo demum moritur nobis lex, quæ erat nobis lex peccati & mortis. Debuit in omnibus tentari, ut frater, ut disceret esse misericors &c. & ut sciremus, illa, quæ nos (post gratiam nobis factam) patimur, etiam à Christo esse gustata; & nobis non esse pœnam, sed exercitia, & cohibitionem vetusti hominis, & παιδείαν, & μαρτυρίαν. Dicis, Non infligendo æternas pœnas legi non satisfit. Resp. Verum. Si de peccatore loquaris. Sed tamen, dum Filius Dei βραχύ τι fit minor Angelis, Deus *sanctificatur*: quia ex passionibus Christi cognoscitur, quod peccatori æterna mors debeatur. Ita à Sponsore, in quo ostenditur judicii Dei veritas & gravitas, est satisfactio legis. Si absque Filio Sacerdote non potest peccator accedere ad Deum, utique necesse fuit peccatorem in æternum esse relegatum à facie Dei. Si Christus tanta passus est, quanta sunt illa, quæ condonantur? Quanta est pœna, à qua liberamur?

d. 15. Januar. 1659.

EPISTOLA LIX.

Celsissimo Principi ac Domino,

D. ERNESTO HASSIÆ LANDGRAVIÆ &c.

Domino meo Clementissimo.

Celsissime Princeps, Domine Clementissime.

QUod T. C. non tantum cogitationes suas de statu Ecclesiæ mecum communicare, sed etiam mihi faciei suæ & sermonis copiam facere, denique per literas mihi innotescere dignata est, ea re me obligari puto, ut omnia studeam facere, quæ T. C. à me jure charitatis, quam debemus omnibus hominibus, exegerit, quæque illustri tuæ dignitati debentur. Imprimis putavi meum esse, quam primum possem, libellum

meum perlegere, &, si quid in eo reperirem mendarum, tollere, ne T. C. alicubi in lectione ejus cæspitaret aut hæsitaret. Exemplar igitur correctum cum his mitto. Doleo equidem, T. Cels. necdum patere, quod ea, quæ scripsi, eo animo scripserim, ut non putaverim mihi quicquam scribendum, quod non in Sacris legitur literis: spero tamen, imposterum T. Cels. id cognituram. Cui etiam alias meas meditationes libenter judicandas commiserim. neque enim, si T. Cels. mihi respondeat, aliud expecto, quam sermonem Principe dignum, plenum candoris & clementiæ. Nam haud spero, T. Cels. me alicui illorum, qui se nostros hostes profitentur, laniandum tradituram. quorum scripta talia experior, ut, quoties ea saluto, statim animus refugiat & abhorreat. Sed, quicquid erit. satis est, quod mihi testatur mea conscientia, quod Deo parere, & eum, qui Jesum Christum diligit atque ea, quæ de eo Deus testatur, non abnegat, fraterno amore prosequi, & illorum causa, qui in errore versantur, ut ex eo liberentur, laborare, iisque omne studium & charitatem demonstrare, per gratiam Dei, paratus sum. Divinæ gratiæ C. T. ex animo commendo.

Lugd. Batav. d. 28. Januarij 1659.
Celsitudinis Tuæ
Humillimus cultor
JOH. COCCEJUS.

EPISTOLA LX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quod attinet quæstionem nostram, credo, te jam videre, in quo offendas. Nempe satisfactionem pro peccato non eodem modo se habere, ut satisfactionem pro ære alieno. Nam satisfactio æris alieni non potest fieri, nisi in numerata pecunia. nempe ut qui centum nummos aureos dedit mutuos, totidem recipiat. Non venit hic in considerationem persona solvens, vel debiti manifestatio: At in satisfactione pro peccato non quæritur hoc, ut Deus aliquid habeat vel recipiat in corporibus (sic solent loqui pragmatici) sed ut ipse *sanctificetur* vel in peccante vel in Sponsore. nempe per παράδειγμα. quod ut nosti, dicitur מוסר Esai. 53: 5. Quum igitur intelligas, per *justitiam* Christi *Deum Sanctum sanctificatum esse*, necesse est, per eam legi satisfactum esse. Idem id, quod Christus fecit & passus est, est precium, quo nos emit sibi. Hinc dicitur *solvisse, quod non rapuit*, Psal. 69: 5. quia id ipsum tulit, quo Deo sua gloria restituitur. Non mirum autem est, inde consequi, ut, qui ad æternos carceres damnatus erat, dimittatur: quia lex, ut est lex peccati, sic plane interficitur. Rom. 8: 3. ordo hic est. ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν σαρκὶ, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου. Appositio. Τὸ κατακρῖναι τὴν ἁμαρτίαν ἐν σαρκὶ ἐστὶ τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, sive ἐπὶ τοῦτο, ὃ οὐκ ἐδύνατο ὁ νόμος, ἐν ᾧ ἠσθένει &c. Ergo τὸ γὰρ ἀδύνατον valet, ὃ γὰρ ἦν ἀδύνατον τῷ νόμῳ. vel ὅλως ἦν ἡ ἀδυναμία καὶ ἡ ἀσθένεια τοῦ νόμου. Latine. *Quæ erat impotentia legis.*

d. 6. Febr. 1659.

EPISTOLA LXI.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Clarissime Vir.

. . . . Libellum meum de Sabbato hisce adjunxi. Extat etiam versio Belgica satis ex sententia mea. Velim legas accurate, & mihi judicium tuum perscribas. Meus Collega, qui hactenus se pro Conciliatore gessit, mihi dixit, Responsionem meam tibi vicissim donabo. Oportet me eam exspectare. Jam de ea materia publice legit. Ego quidem nihil video, quod opponere possit. Si vidissem, præoccupassem. Sed dies veritatem aperiet. Indagando & quærendo, spero, secundum promissionem perveniemus ad id, quod quærimus. Hæc ego scribebam in senaculo Academico, interim dum recensebantur Studiosi. Neque enim te volo nescire, hoc Anno rediisse mihi honorem, qui anno superiori præteriit. Quod utrum gratia factum sit, an necessitate, nescio. De indagatione naturæ Sabbati libenter rescirem etiam sententiam D. Maresii & D. Widmarii. sed non abundo exemplaribus. Hic finio Deoque optimo maximo te tuosque ex animo commendo, qui vobis hunc annum & sequentes multos prosperos decurrere velit.

Lugd. d. 11. Febr. 1659.

EPISTOLA LXII.

JOHANNI MARTINO JOHANNES COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Clarissime Vir, Amice Honorande.

. . . . Quod ad nos attinet, per Dei gratiam valemus & sospites sumus. neque tamen satis quiete vivimus. Nosti, commotam apud nos quæstionem de Sabbato per D. Hoornbeeck & D. Essenium. & quid egerimus D. Heidanus & Ego. Post illa prodiit gravamen Dordracenum, in quo, nescio, quæ, scripta vocantur licentiosa, scandalosa, perniciosa: & suadetur Synodo, dandam esse operam, ut Professores Theologiæ sint sub censura Synodi. Nunc agitur Synodus Goudæ. Ex ea exspectamus Commissarios ad facultatem missos. Ego non metuo veritati. Sed hoc metuo, ne nobis conentur leges dare silendi & loquendi. Video plerosque destitutos idonea scientia hoc agere ut populum contineant in quiete, per ignorantiam & socordiam, & eo fine hierarchiam & legumlationem affectare. Quæ res est in Ecclesia Christiana intolerabilis. Non audebunt illi homines aliquid dicere male dictum, sed hoc agent, ut bona non liceat dicere. quasi ea re effecissent, ne dicerentur mala. Fuit in Synodo Correspondens, qui novam Theologiam vocavit eam, quam à præceptoribus accepimus. nimirum, quicquid non secundum Anglos est, novum ipsi est. Eo prolabimur. Ego jam tibi mitto Typum Concordiæ, quem scripsi occasione libri Hoornbekiani. Ostendi, ipsum revera, etiamsi alio tendat, nihil aliud dicere aut dicere posse ex suis principiis, quam quod nos dicimus. Sed tu ipse judicabis. Hermannus fratris mei filius jam hæret apud nos, & incipit concionari. Deus ipsum adjuvet. Adrianus Pauli non est assecutus D. Maresium. Is jam, ut intelligo, non illibenter nobiscum vivit. Deum precor, ut te tuosque omni gratia cumulet. Mea & Hermannus noster te cum dilectis cordicitus salutant.

Lugduni d. 4. Julij 1659.

EPISTOLA LXIII.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Domine & Amice colende.

. . . . Quid de Sabbato actum sit in Synodo Goudana, cognovisti ex iis, quæ dedi D. Pauli describenda & transmittenda. Ordines dicuntur Hornanæ Synodo per Commissarium mandasse, ne procederent extra illa, quæ in Nationali constituta sunt. Audivi etiam publicatum esse Edictum, quo vetent de ea re scribere. Nondum id vidi. Forte vetant adversarias scriptiones. In Heidanum & me prodiit liber magnus Nathanaëlis Johnsoni plenus ignorationum elenchi & hallucinationum & detorsionum. Hoc agit, ut nos Socinianos faciat; etiam ubi Socinianis contradicimus. Non existimaveram, tantam ignorantiam sensuum Scripturæ esse in Theologiæ Scholasticæ studiosis, quantam deprehendo. Quod mea approbas, vehementer gaudeo. Utinam tibi adessem, & explicare possem, quæ te capere negas. Vel per epistolam libenter facerem. Quidam studiosi mihi dixerunt, se secunda lectione facile intellexisse, quæ prima non intellexerunt. Cæterum in Synodo Goudana narrantur Correspondentes valde regnasse. Utinam id in omnibus effici posset, ut diligerent Verbum Dei: tum nulla contentione de tempore opus esset. Et vero, qui id non diligunt, quid eos juvabit contentio de tempore? Retinendum vero est fortiter, Sabbatum fuisse umbram futuri, ut Apostolus dicit. Et de Decalogo non est aliter censendum, quam in eo esse præceptum fidei, &, ut in Vet. Testam. spei sanctificationis, quam Christus erat præstiturus. Id negare est 1. Judaismus. Nam tum sequetur aperte, Deum cum Israële fecisse fœdus super operibus. 2. Socinianismus. Nam Sociniani negant, Sabbatum esse cerimoniam significantem, & fidem Christi in fœdere fuisse comprehensam. Quod in Decalogo non est, non est in fœdere. Nam Decalogus est fœdus. & ita à Deo appellatur. Sed satis. Nos valemus & te cum tuis valere speramus & cupimus. Vale.

Lugd. 16. Aug. 1659.

EPISTOLA LXIV.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Amice colende.

QUum alia non esset literas dandi occasio, hac, quæ erat, uti volui. Gaudeo, quod non numeres nos inter Socinianos propter sententiam de Sabbato. Cuperem tibi satisfacere de Decalogo, si scirem dubitationes tuas. Vidisti librum Nathanaëlis Johnsoni. Quid eo libro protervius fieri potest. Video in hominibus, quod & tu dicis, sacrarum Literarum neglectum. Ideo palpant velut in tenebris. Miror equidem, quales conceptus hi habeant in religione, & quid cogitent, quum Verbum Dei audiunt. Non potui negligere famam nostram & Academiæ nostræ. Feci paucis diebus *Indignationem*. ea jam exceditur. Dedit occasionem multas difficultates enodandi, vel potius illustrandi ea, quæ quibusdam sunt obscura, quia non assueverunt sacris Literis. Et personatus ille secure potest castigari, & in illo calumniæ cæterorum. Intererat, ne videremur non satis animi habere ad illum nugatorem corripiendum. Putant enim, se esse aliquid & dicere, quando calumniantur & σοφιτεύουσι. Ego in scripto meo duo ago. indignor, ut Rector, doceo, ut alumnum Academiæ. Nemo me accusabit ut oblitum mansuetudinis & modestiæ. Deputati Synodi apud me fuerunt. audiverant, me aliquid scribere. Fassus sum: ostendi. Apprecati sunt adjutorium Dei. Hermannus noster, ut intelexi, Bremam concessit. Non reluctor admodum. Erit jucundum, si maneat aliquid nostri in patria. Interim dolendum est, bonos juvenes ita jactari in incerto, & Ecclesiam repleri ineptis Concionatoribus per ambitum. Quanta reddenda erit ratio iis, qui habent suffragium, & per id produnt Ecclesiam. Nam quis ab imperitis exspectabitur fructus, nisi ἀγωνία ψυχῶν? . . . . Nihil nunc præterea venit in mentem. Deus te tuosque sospitet. Vale. Mei te salutant amantissime.

Lugd. d. 25. Sept. 1659.

EISTOLA LXV.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Gener Dilectissime.

. . . . Meus Collega ad Typum Concordiæ reposuit Libellum Sophisticum. Vide instar. Dixeram, Otiari in libertate Christiana & ex præcepto contraria sunt. Ille, libertatem Christianam non pugnare præceptis Dei. quasi libertatem Christianam vellem oppositam omnibus præceptis; aut, quasi illi, qui dicunt, Christianos Dominica vacare in libertate Christiana, non dicerent, libertatem Christianam se extendere ad præceptum, Non operaberis. Nescio, quid acturus sim. Posset, prout dignum est, responderi.

d. 28. Decemb. 1659.

EPISTOLA LXVI.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Gener Dilectissime.

. . . . Hoornbeeckii animus omnibus rebus manifestus fit. Ego ipsi respondere non possum, neque D. Heydanus. Ordines illas scriptiones adversarias vetuerunt. Sciebat ille, id instantibus Synodalibus decretum: & nos promiseramus: igitur maluit Sophista videri quam non respondere. Dolendum, quod & audeat præfari, quasi consultore Deo sic agat. De natura Decalogi multa scripsi addenda ad libellum de Fœdere. Difficultas, quam moves, nullius momenti est. Sabbatum est umbra, h. e. cessatio imperata. Hactenus abrogatum est. Alio fine in libertate Christiana cessamus. Sed Quartum præceptum non hoc tantum habet. Dicit enim: *Diem Sabbati sanctificabis.* Habent Christiani diem Sabbati sive σαββατισμόν. is sanctificandus est. Hoc præceptum est morale, sed ex hypothesi Gratiæ: non ex fœdere Operum. Duo enim sunt, ut nosti, moralium genera. Sic præceptum de Circumcisione est cerimoniale. Sed præceptum, *Circumcidite corda vestra*, est morale. Compara hæc duo præcepta: per terminum à figura sumtum significatur utrobique, quod moralissimum est. Deinde sanctificatio σαββατισμοῦ nostri importat retentionem libertatis & omissionem, quæ quieti contraria sunt: ut sunt scrupuli de cessatione accurata & figura faciens exspectationem.

29. Januarij 1660.

EPISTOLA LXVII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Conabor tibi summam disputationis, quam petis, exhibere. Tres esse unum manifestum est. Tres hi habent ordinem. Filius est à Patre, Spiritus à Patre & Filio. Ut sunt, ita nominari & glorificari possunt, Alioqui enim nec revelari potuissent. Qui tres unum sunt, eorum voluntas & opus unum est. Sed, ut Filius est à Patre, ita vult à Patre. Quod eleganter explicatur Joh. 5: 19. quemadmodum autem Filius à Patre nominari potuit & glorificari, ita potuit in carne manifestari: non ut abiret à Patre, sed ut Pater maneret in ipso, & Spiritus Dei super eo esset. Esai. 61: 1. Itaque potuit & mitti & donari in Sacerdotem & Caput. Similiter & Spiritus vult & agit à Patre & Filio. Glorificatur Spiritus, & νομίζεται: quia & nominatur. Itaque & mittitur. Patri attribuitur Creatio, non sine Filio quidem, Joh. 1: 3. tamen, quando creationis fit mentio, non necesse est ad ipsam creationem cogitare nisi voluntatem imperiosam & omnia sistentem. quæ primo est in Patre. neque igitur propter fidem creationis, ut creationis, necesse est cogitare personam Filii aut Spiritus. Sed, si cogitemus finem creationis sive consilium creantis, jam non sine Filii & Spiritus cognitione possumus sapientiam creantis percipere. Filio attribuitur Redemtio. Ejus est enim corpus, pro nobis oblatum. Spiritui adscribitur tum Sanctificatio tum Prophetia. At nihil proprium est Spiritui in utroque opere, inquis. Est. quod est ea persona, quæ loquitur & agit à Filio. Debebamus scire, Deum in nobis habitare & perpetuo mansurum. Ideo docemur, esse sanctificationem nostri ejus personæ, quæ non agit nisi à Filio: & ubi agit, eo missa est. & ibi est ut donum, arrha, paracletus. Rursus Spiritui attribuitur Prophetia eandem ob causam: ut intelligeremus sermonem esse ex iis sumtum, quæ sunt Filii. Joh. 16: 13. 14.

Adamus si stetisset, imaginem Dei transmisisset ad Filios, sed cum eadem lege. Ideo justitiam ipse invenisset in factis, sed eam justitiam non transmisisset ad Filios. At in Christo fratre justitia nostra est. Obtulit enim se pro nobis secundum Legem, sub eam ultro factus.

d. 19. Febr. 1660.

EPISTOLA LXVIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quod attinet analysin c. 8. ad Rom. vs. 14. 15. 16. non multum abiisti à sensu meo. Attamen cogita, an non Apostolus veritatem justificationis ex fide non tam ex conjunctione glorificationis cum fide probet, quam ex certitudine adoptionis ad hæreditatem gloriæ. Hoc modo. In quo sumus filii, id vere & solide justificat. quia in eo sumus hæredes. In fide sumus filii. Ergo fides vere & solide justificat. Minor probatur. Quod habemus à Spiritu adoptionis, in eo sumus filii. Fidem (Euangelii) habemus à Spiritu adoptionis. E. in ea sumus filii. Minor probatur. Per quod clamamus, Abba, Pater: id habemus à Spiritu adoptionis. Id fide Euangelii clamamus, Abba, Pater. E. eam habemus à Spiritu adoptionis. Rursus. Quod non habemus à Spiritu servitutis, qui est ad metum, vel (NB.) dabatur olim ad metum (ita occurro scrupulo tuo per σύνταξιν. οὐκ ἐλάβετε, πνεῦμα δουλείας, εἰς φόβον) id habemus à Spiritu adoptionis. & in eo non metuimus, neque servi sumus, nedum ut requiramus, quod opus nobis faciendum sit, ut justi simus; sed clamamus, Abba, Pater. à contrariis argumentum. Rursus. Per quod spiritus noster testatur, quod simus filii Dei: id justificat. Atqui per fidem spiritus noster, id est, anima nostra, testatur, quod simus filii Dei. quippe clamat, Abba, Pater. Neque hoc testimonium vanum est. 1. quia nemo frustra potest Deum diligere ut Patrem. 2. quia Spiritus attestatur spiritui nostro. Nam verbum Spiritus, quod est Promissionis & Euangelii, jubet nos clamare, Abba, Pater. &c. Unde patet, quæ sit vera justificationis natura. Diligi à Deo, ut Filium; & amare Deum, ut Patrem, & à Deo appellari

appellari Filium; hoc & non aliud est justificari peccatorem. Legi cerimoniali pœna fuit addita. Hebr. 2: 2. Meministin' de כרת? quæ pœna immundis dicta fuerit, si res sacras contrectassent? quæ pœna edentibus de animalibus impuris? Item violatoribus Sabbati? Item, qui pro peccato non obtulissent, iis nec peccata remitti? Item, alius, qui accessserit, interficitur? & sim. Indifferentia à Deo vocantur: & bona sunt, non mala. Indifferentia dicuntur non Deo, sed homini, respectu moralis bonitatis. Est Physica bonitas, quæ ostendit perfectionem Dei, esse, vivere &c. Miraris, cur Adamus non æque servare potuerit posteros ac perdere? Præsupponis, si Adamus perstitisset, quod imago Dei pervenisset ad filios, id meriti futurum fuisse. In eo laberis. Hoc enim provenisset ab eadem causa, propter quam ipse Adamus non nisi rectus creari potuit. Quod de serioribus parentibus quæris, an perdituri fuissent suos filios? equidem aliter statuere non possum. Et lex peccata *patrum* imputat.

d. 11. Martij 1660.

EPISTOLA LXIX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . De loco tamen Hebr. 2: ℣. 10. aliquid dicam. Consummatio Principis salutis refertur ad Deum, δι' ὃν καὶ δι' οὗ τὰ πάντα. Non puto hæc ociosa. Bene animadvertis, non potuisse salutem sine passionibus & merito confici propter gloriam Dei, h.e. sine manifestatione virtutum Dei, sanctitatis & justitiæ. Quæris, quare addatur ἐξ οὗ (hoc enim in δι' ὃν comprehensum est)? Respond. Quia non nisi à gratia Dei potuit datio salutis provenire: ideo commemoratur, quod ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα. Sed convenit, ut ἐξ οὗ τὰ πάντα, ad eum etiam sint. Hæc plana. Sed quare additur, δι' οὗ, ad significandam causam immediate operantem? Equidem de eo dixi §. 57. fortasse brevius justo. Certe, quum dicuntur omnia esse διὰ τοῦ θεοῦ, intelligitur etiam, omnia quæ sunt, aut moventur, aut vivunt, in ipso esse, moveri, vivere. Dices, quid hoc ad rem? Nam sic, si Princeps salutis esset aliud à Deo & יה, nihilominus *per ipsum* esset salus. Respondeo. Ex quo & per quem sunt omnia, ex eo & per eum ita sunt omnia, ut per omnia possit glorificari. Jam vero si salus sic esset ex Deo, ut non ipse Jehovah fieret justitia, non esset ita *per Deum*, ut posset glorificari. Nam gloriam suam daret non-Deo. Quum igitur ex Dei gratia sit salus, & per Deum ita sit, ut solus glorificari possit, & sit Princeps salutis talis, qui huic gloriæ inserviat, decuit ipsum, ut eum ipsum consummaret per passiones, non obstante, quod esset filius. ut est c. 5: 9. καίπερ ὢν υἱός.

d. 19. April. 1660.

EPISTOLA LXX.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Clarissime, Vir Amice Honorande.

SÆpe non datur nobis occasio: sæpe ocium non est: sæpe aliud agimus. Nunc D. Pauli mihi occasionem optatam præbet. Is de valetudine mea & meorum testabitur. Per tres hebdomadas in Zeelandia fuimus apud filiam nostram. De qua & marito ejus nihil nunciare possum, nisi eos valere. Non puto me hoc anno avum fore. Ita tarda sunt mea & meorum omnia. Iter nobis commodum fuit & ventus ultro citroque secundus ac blandus. Domum reversi incidimus in Regis Angliæ pompas. Eum omnis populus avidissime abeuntem spectavit. Nostra Academia jam est quieta. Quod opto, ut diu duret. Postquam ego Nathanaëli Johnsono respondi, D. Hoornbeeck scripsit contra Typum Concordiæ. Sed nihil ad me misit. In eo libro bis respondet ad meum argumentum, quo usus eram. Dixeram, nostros Theologos dicere, quod Dominica cessemus in libertate Christiana. Is respondet, Libertatem Christianam non tollere præcepta. Quasi dixissem eos, qui in libertate Christiana quid faciunt, nullum habere præceptum. Quod ἀπροσδιόνυσον. Et quasi non apertum sit, quod in libertate facimus, de eo nos præceptum non habere. Ita respondere, videtur mihi tantundem esse, atque causam tradere. Tum lectum nobis est decretum Ordinum, quo vetamur contra nos invicem scribere. Quod jam Augusto præcedente erat factum. Ex eo tempore Essenius contra Heidanum & me scripsit. Mihi necdum vacavit perlegere. Synodis quoque injunxerunt Ordines, ut maneant intra terminos à Synodo Nationali constitutos. Ego tertia vice edidi Summam de Fœdere meam. In eam quædam de Decalogo & de παρέσει, quæ fuit sub Vet. Testam. insulsi. Exemplar tibi mitto inclusum fasci, quem ante octiduum ad fratrem destinaveram. In Psalmis 128. imprimitur. Deum rogo, ut te tuosque incolumes velit.

Lugduni d. 14. Junij 1660.

EPISTOLA LXXI.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS

Groningam.

Vir Reverende & Clarissime, Domine & Amice Honorande.

DUdum, fateor, ad te non scripsi: & conjectasti causam. Non libenter onero nostrum Tabellarium literis ad te: & amicus, per quem quid mitterem, defuit. Absolvi per Dei gratiam Psalterium meum. In quo volui esse clarus. an id obtinuerim, nescio. Ego hic habeo adversarios ὑψηλούς; qui omnia, quæ ago, obtrectant: & studiosos à me audiendo dehortantur. qui tamen illis non parent. In Præfatione mea illos in animo habui, sed stilum direxi in Hieronymum Mulmannum, quem mihi Landgravius Ernestus censorem dedit. Nostri homines mihi videntur Scripturam habere eo loco, quo Pontificii. Sunt orthodoxi *à la mode*. ipsi non inquirunt in Scripturæ sensus, & alios non patiuntur eos explicare. Me consolatur illud Davidis, Credidi, quod locutus sum. In bona conscientia doceo & scribo, ut possum: neminem impedio, quin suum talentum occupet; nemini obtrecto: mea confirmo. Non putaveram, me quoque debere experiri in nostris, Christum esse σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Sed de his satis. Tibi gratulor de Esaia absoluto & Orphanotrophio. & multo magis, quod gener familiam tuam auxit. Opto nepti tuæ valetudinem & divinam benedictionem. Mea filia jam annum nupta nihil adhuc promittit. Serius scribar inter avos ut inter patres. De Psalmis meis quos nunc mitto per tabellarium, tu judicabis; & ut scio benigne judicabis. Occupor nunc tractatione Judaicarum Controversiarum, & editione Locorum Communium: ad quod me Studiosi compulerunt. Mei omnes te tuosque ex animo salutant.

Lugd. d. 11. Decemb. 1660.

EPISTOLA LXXII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Gener Charissime.

. . . . Quod scribis de punctis Hebræorum, memini me alias tecum locutum. Constat, libros sine punctis vocalibus haberi & legi in Synagogis. Unde hoc? An id arguit, etiam in templo non fuisse punctatos? Minime gentium. Sed, quum Codices sacri in templo usitati periissent, non ausi sunt nisi non punctatos in Synagoga exhibere; ut nihil nisi indubie authenticum adhiberent. Lectionem tamen punctis conservare studuerunt. Id concedi potest diligentius factum post excidium Templi ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ. Sed non sequitur, nullos punctatos Codices fuisse ante hac. Nam, ut ceteræ Orientales habent puncta ita & Hebræa Scriptura. Et ea ad suscipienda puncta facta est. Quis neget diligentiores, ubi opus esset, puncta memoriæ causa addidisse. Nam in exilio demum puncta inveniri & in universum tradi quomodo potuerint, non video.

a. d. 13. Decemb. 1660.

EPISTOLA LXXIII.

Celsissimo Principi ac Domino,

D. ERNESTO HASSIÆ

LANDGRAVIO &c.

Domino meo Clementissimo.

Celsissime Princeps, Domine Clementissime.

QUanquam Censura Mulmanni ad nullam partem veritatis vel me vel alium ullum hominem docendam sit utilis, tamen, quia eam ex manu Celsitudinis T. accepi, grata mihi fuit; neque putavi mihi ægre ferendum, quod ita proterve mihi insultavit homo, quem ego ignorabam, & cum quo mihi

mihi nihil negocii fuit. Nam & librum de Ecclesia & Babylone non alia de causa scripsi, quam ut satisfacerem Cels. T. à cujus manu me accepisse suspicabar libellum de Israële & Babylone longe elegantiorem & doctiorem Jesuitæ illius logis. Et eum quidem hominem neglexissem, nisi, eo neglecto, visus fuissem etiam Celsit. T. contemnere. Ideoque judicavi non abs re esse quædam illius Censuræ monstra per modestam apologiam ostendere in præfatione ad Commentarium meum in Psalmos. Quem una cum hisce mitto, persuasissimum habens, Tuæ Celsitudini gratum esse, quod sine amarulentia simpliciter & ingenue dixi, & quod ex animo sentio: quodque me ex Verbo Dei didicisse certo scio. Deum rogo, ut Celsitud. T. oculis gratiæ suæ respiciat, nosque in veritate conservet.

Lugduni Batavorum a. d. 19. Martij 1661.

Tuæ Celsitudinis
deditissimus cliens
JOH. COCCEJUS.

EPISTOLA LXXIV.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principis

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principis Palatinæ ad Rhenum, Ducis Bavariæ &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatricis

Epistola ad

JOHANNEM COCCEJUM.

Ehrwürdiger Hochgelehrter

Ich habe nicht unterlassen können denselbigen durch dieses kleine brieffle in zu bemühen / und zu bitten doch das Lexicon Hebraicum nicht in vergessenheit zu stellen / hoffe derselbe wird mir meine freyheit nicht ubel auffnehmen / den das verlangen nach demselbigen so grosz ist / dasz es mich machet diese importunitet zu begehen ihn in seinen vielen geschafften noch mehr zu bemühen. Fürchte demselbigen ferner belästig zu fallen / schliesse derhalben: und befehle ihn in Gottes schutz und mich in sein andächtiges gebet. Verbleibe des

Ehrwürdigen Hochgelehrten
Woll affectionierte Freundin

Crossen den 17. Julij 1660.

MARIA ELEONORA
Phaltz Gräfin Wittwe und Vormunderin.

P. S.

Bitte seine liebste von meinentwegen sehr zu grüssen.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principi Palatinæ ad Rhenum, Duci Bavariæ &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatrici.

Lutream.

Durchleuchtige Hochgeborne Fürstin / Gnadige Fraw.

Es gehet kein tag vorbei / dasz ich nicht gedencke an das werck / welches ich angenommen / auff E. Durchl. begehren / und an die ehre / welche E. Durchl. mir anthut / in dem sie mich ihres Fürstlichen schreibens würdigt. So bitte ich nur unterthänig E. D. wolle versichert sein dasz ich das werck lieb habe / und nicht mehr wündsche / als dasselbe zum ende zu bringen durch Gottes hülffe / und in E. D. nahmen zu ediren / Weill ich aber daran nicht kommen kan / es sey dan / dasz ich etliche tage nacheinander darzu nehme / und alles ander ausz der hand lege / und mir biszhero viel wercks in handen gewesen / So wird E. D. verhoffentlich sich nicht verwunderen / dasz noch der gröste theil des wercks ungethan ist. Insonderheit / weil ich nicht fürüber kan / viel nachsuchens zu thun / und die nachtrücklliche wörter und manieren zu sprechen zu erleuteren / und darausz unterschiedliche örter der Schrifft zu erkleren in Latein und Teutsch / darüber das werck schon ziemlich grosz geworden ist. Ich habe ausz Herrn Valens schreiben verstanden dasz E. D. durch eine falsche zeitung von meinem absterben bewegt geworden. Ich dancke Gott / dasz er mir gegönnet / bei E. D. solche gnädige affection zu finden; Und habe desto mehr ursache Dessen Allmacht anzuruffen / das ich bei meinem leben das Talent / welches er mir mitgetheilet mit nutzen möge anwenden. Will nun E. D. nicht langer mit meinem schreiben bemühen / allein bitte unterthänig / E. D. mir vergebe / das ich nicht eher geschrieben. Es ist nur allein darumb hinterblieben / das ich in Herrn Valenium etwas / dasz unterdessen verfertigt / habe wollen mit übersenden / darmit er E. D. konte rechenschafft meiner zeitanwendung geben. Bitte endlich den Allmächtigen das Er E. D. in ihrem alter mit allem segen des Geistes und des Leibs überschütte / mich aber und meine geringfügige dienste E. D. zueignend und in Ihre gnädige affection recommendirend / Verbleibe

E. D.
Unterthäniger Diener

Leyden den 19. Martij 1661.

JOHANNES COCCEJUS.

EPISTOLA LXXV.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

QUod ante annum non rescripsi ad literas tuas mihi gratissimas, neque pro eximio dono, quod ad me collegasque meos mittebas, gratias egi, eo factum est, quod sperabam me posse ἀντίδωρον mittere circa nundinas autumnales. At spes me fefellit. Interim etiam alterum donum accepi, librum Cozri & versionem ejus, magno labore à Te adornatam eorum in usum, qui non ignorare avent, quid sapuerint Judæorum sapientes, de veritatis, pietatis, justitiæ, omninoque boni radicibus. Quod egregium studium est; & necessarium ad discernendam justitiam ab injustitia, sapientiam ab insipientia, religionem à superstitione ac idololatria. Quare non possum non tibi summas agere gratias nomine cum omnium tum meo, quod istis in rebus laborem nobis minuis. Interim tandem Psalterium meum ex Typographeo prodiit: cujus jam exemplar mitto. Vellem ut iis qui id, ut non semel monuisti, in Tubingensi Academia desiderarunt videre, satisfaciat meus conatus. Conatus enim est. Et per multiplices distractiones non licuit mihi ubique eandem adhibere diligentiam. Sæpe etiam labori non respondit opus. Sed ita nostra sunt: quantum Deus dat. Neque tamen illibenter vel confitemur veritatem, quam didicimus, vel sacras Scripturas illustramus, vel ab aliis judicamur ac corrigimur. Spero, Deum imposterum quoque daturum Ecclesiæ profectum. Longe enim absum ab illorum mente, qui putant, à præcedentibus omnia sequentibus præripi. Ex literis tuis memini me spem concepisse novæ editionis Bibliorum Hebraicorum cum variis lectionibus. Vehementer cupio id recte procedere. Deumque rogo, ut tibi senectam viridem & vegetam in Ecclesiæ commodum concedat. Ego, quo magis ad sexagesimum ætatis annum accedo, (ago enim quinquagesimum octavum) eo magis ad pertinacem & perseverantem laborem sentio me fieri idoneum. Tamen multa flagitas. Sed omnis spes mea in Deum revoluta est, quem oro, ut, dum hîc sum, aliquid mihi utile agere indulgeat. Quid de facie temporum horum judices, aveo cognoscere, & omnino Te valere & εὖ πράττειν. Mei Collegæ te amanter salutant. Vale.

Lugduni Batavorum a. d. 19. Martii 1661.

Compellamur hîc frequenter ab Anabaptistis nostris, qui apud Ordines questi sunt, fratres suos à Bernatibus & Tigurinis inclementer haberi suæ opinionis causa. Nos pavemus nos rebus alienis immiscere. Tamen non puto nostrum esse dissentientes spoliare. Nihil pronuncio de eo, quod actum est. Nam apud nos non meretur fidem, qui solus loquitur, absente altera parte.

EPISTOLA LXXVI.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Dilectissime Gener.

. . . . Quod attinet locum Gal. 3: 19. & Act. 7: 53. fieri non potest ut non plus sit εἰς διαταγὰς ἀγγέλων quam δι' ἀγγέλων. Hoc enim non caret sensu, si intelligantur Angeli testes: illud notat potestatem & ministerium circa populum. Qui dicit, Angelorum ministerium in legislatione fuisse, Mosi tradere tabulas in manum, dicit, quæ nuspiam scribuntur, & quæ dicere non possumus nisi ex nobis ipsis. Deinde perperam restringit ad traditionem tabularum, quod de tota legislatione & allocutione populi debet intelligi, ut patet ex Hebr. 2: 2. & Deut. 33: 2. Ad hæc tollit τὸ εἰς διαταγὰς & παρ' ἀγγέλων. Nam quid illa tum significabunt? Sed requiris à me, in quo consistat munus Angelorum circa legem, & in quibus locis id iis assignetur? Hinc incipiam. Dum *Dii* dicuntur, quibus & Christus fuit minor ad tempus, assignatur ipsis hoc officium. Et præterea ex re ipsa patet, hoc eos accepisse. Nam Angeli sunt λειτουργικὰ πνεύματα &c. Hebr. 1: 14. Pono hanc hypothesin. Angeli astipulantur divinæ ordinationi & eam omni sua potentia procurant. Quando igitur ea est divina ordinatio, ut populus subjiciatur elementis mundi, & propter eam servitutem subjiciatur senioribus, curatoribus, actoribus; tunc Angelorum munus est curare ut

re ut populus iis subditus sit, & ut ipse ordo pastorum, curatorumque non dissolvatur. Et quemadmodum ex hoc officio homines populo præfecti vocantur *dii*, ita etiam Angeli qui ad idem incumbunt. Et, quemadmodum seniores habuerunt potestatem δογμάτων faciendarum παιδείας ἕνεκα: ita Angeli habuerunt potestatem suggerendi principibus utiles δόγματα & ad illarum observationem populum adigendi. Qua re, ut puto, nihil simplicius est & facilius intellectu.

19. Jul. 1661.

EPISTOLA LXXVII.

GUILIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi dilectissime Gener.

. . . . In quæstione de eo quod πρέπει Θεῷ diligenter distinguenda sunt ea, quæ aliter habere non possunt, ab eis, quæ facere est amplioris bonitatis. Punire peccatum est τῷ μὴ ἄλλως ἐχόντων, posito peccato. Sed misereri peccatoris est χρηστότητος. Angeli cum laude Dei ex fœdere Operum & obedientia sunt: nos cum laude gloriæ gratiæ Dei justificamur in Christo: alii cum gloria sanctitatis Dei pereunt. Vide, an non possimus dicere, magis decere Deum ποικιλίαν istam. Nam & in ipsa Ecclesiæ οἰκονομίᾳ varietas apparet. Sed, quod ais, decere Deum, ut omnem gloriæ suæ materiam paret, si id valeat, etiam statim mundus in consummatione gloriæ fuisset faciendus; & multo plura facienda erant, quam fecit. Sed quievit Deus, quum ista fecisset. Neque tamen, quum quievit, abnegavit se. Liquidum enim est nobis, Deo non esse mirabile ullum verbum.

Quod Rom. 6: 14. dicimur *non esse sub Lege*, non potest dici synecdochice. Nam, si pars Legis intelligenda est, erit vel Lex Cerimonialis, vel Moralis. Ita intelligimur esse sub Lege Morali, h. e. teneri ad illud verbum, *qui fecerit ea, vivet in eis*. Quod quid sit, plane vides. Nam si sub eo jure sumus, adhuc sumus sub maledictione: & vel aliquando liberabimur: & restituenda erit lex cerimonialis & abrogandum Euangelium. vel nunquam liberabimur.

a. d. 4. August. 1661.

EPISTOLA LXXVIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Vir Reverende, Amice Honorande.

S. V. B. E. Ego meique, per Dei gratiam, mediocriter saltem, valemus. Spero, te accepisse à D. Freishemio Amsterodamensi Commentarium meum in Psalmos & Epistolam, quam scripseram ad Serenissimam. Tum plane constitueram, per ferias nihil agere, sed vacare Lexico. At præter spem meam evenit, ut adhuc nihil in hisce feriis temporis ei impertiri potuerim. Duo enim illa, contra Judæos & Loci Communes me totum tenent. nisi quod hac septimana me puto structuram templi Ezechielis absolvisse. Sed, ne multus sim, occasionem hæc scribendi præbet Moguntinus, qui quum hactenus apud nos vixerit partim suis sumtibus, partim Classium adminiculis, partim didactro, quod à studiosis accepit, quum videret, se tandem gravem videri, & ætatem suam accusaret, ne, ut adolescentes solent, in suggestum conscenderet & de rebus non satis bene intellectis memoriter diceret, atque ideo vereretur, ne pro inutili hisce Ecclesiis ali videretur, repente consilium cepit, gratias agendi Synodis & promotoribus suis & mihi valedicendi, & in Germania locum quærendi. Maximam autem in tuo consilio & ope spem collocavit. Quare non possum facere, quin eum tibi commendem, ut virum bonum, simplicem, & veritatis amantem, neque imperitum mysteriorum Scripturæ. Qui si haberet fiduciam loquendi, sine dubio multis præcelleret. Cæterum mihi videor minus raras à te accipere Epistolas. Quod velim emendes. De Lexico autem perpetua cogitatio valde me torquet. Ad quod accedit mors Elzevirii qui editioni inhiabat. Si Deus mihi vitam largietur, spero me aliquando ad finem perventurum. Tamen & senesco, ut scis. & quantum mihi superest, ut adhuc aliquid in sacris Literis præstem? Verum Deus quotidie mihi dabit pensum. Cui rem totam committo. Serenissimæ, si non inverecundum id judicabis, humillima mea obsequia commendabis. Vale.

Lugduni a. d. 13. Aug. 1661.

EPISTOLA LXXIX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quod de phrasi, *esse sub lege*, interrogas, id ad eam quæstionem referendum est, Quid proprie significet νόμος? Si quæris de תורה, meministi, id notare demonstrationem viæ. Via autem justitiæ duplex est, per opera, per fidem. Quando תורה dicitur respectu peccatoris, significat id verbum, quo peccatori monstratur via justitiæ. Ea est lex fidei. Paulus autem *legem* fere Euangelio opponit, ut & τῇ ἐπαγγελίᾳ. In tam restricto significatu apparet latior & arctior acceptio. Arctior cum *legi fidei* opponitur. Latior quum significat verbum, quod per Mosen superadditum est Promissioni. de quo ad Gal. 3: 19. qui sermo propterea *Lex* appellatur, non quod sit vocatio ad fœdus Operum, sed quod aliquis effectus legis Operum sit tum commemoratio reatus superstitis, tum mandatum faciendi aliquid tanquam ad expiandum reatum. Quum igitur dicimur *non esse sub lege*, significatur, nos non esse sub fœdere Operum (sic enim servi peccati essemus) neque esse sub lege mandante, confessionem reatus necdum expiati, sive editionem chirographi. Ei opponitur, *sub gratia esse:* non tantum ut illi, qui habuerunt Promissionem, sed ita ut à reatu simus liberati & à confessione ejus, utque habeamus καύχησιν, & εὐχαριστία ac ὁμολογία sola nobis agenda sit. An tuus συζητητὴς phrasin illam *non sumus sub lege*, hoc modo dixerit esse συνεκδοχικῶς quod vox νόμος latius pateat, nescio. Id certe negari non potest. Tamen proprie vox תורה non significat tantum regulam aut indicem bonorum operum; sed notat demonstrationem viæ ad justitiam. Si notat descriptionem virtutum & bonorum operum, ea ipsa est synecdoche.

a. d. 26. Augusti 1661.

EPISTOLA LXXX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quæris an Vet. & Nov. Test. totum id exhauriant, quod fœdere Gratiæ nobis offertur? Nosti, per Vetus Testamentum proprie intelligi consilium Dei de gubernatione priore populi Israëlitici. Voluit autem sine dubio Deus illis notificare Promissionem, quam & Patres audiverant; ut Abraham, & per fidem ejus capere eum fructum justitiæ, quem post mortem tulit Abraham; Ergo cum Vetus T. eam voluntatem includat, vides, Voluntatem dandi vitam æternam ex fide Promissionis, rectissime *Testamentum* vocari. Ex tali Testamento Abrahamus & cæteri patres filii fuerunt. Sed ex Testamento utroque, quod fecit de Israële & Gentibus, filios nacti sunt. Imprimitur jam Disputatio de duobus filiis Abrahami. Ea, spero, omnem nebulam tibi discutiet. Ergo, cujus Testamenti filius fuit Abraham, id quodammodo distinctum est *à duobus Testamentis* Israëlis, & tamen re ipsa sive in totum non est distinctum. Distinctum est, quia Abrahamum voluit per fidem justificari sine lege, Israëlitas sub lege, cum illis denique Gentes per prædicationem Euangelii & libertatis. Hæc tria distincta sunt. In omnibus tamen est voluntas justificandi per fidem.

14. Sept. 1661.

EPISTOLA LXXXI.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Gener Charissime.

. . . . Distinguendum esse Primum præceptum à Secundo, patet: Et clara est distinctio. Abnegare Deos alios: Deum non colere sub imagine, vel, quod eum Primo coincidit, ullius Dei imaginem, aut ullam imaginem: Tertium denique est, non vel sermone vel animo Jehovam Deum suum dicere, aut nomen ejus præferre, nisi in veritate. Et hoc præceptum, ut, apparet, est revera affirmativum. In præceptis possumus à specie ad genus prodire. Sed genus Secundi præcepti non est, Colere Deum ex ipsius instituto: Sed,

non tribuere ei indigna. Et id quidem pendet etiam ex Tertio: vel etiam ex illo verbo: Ego sum Deus tuus: sed non propterea unum præceptum est. Omnia præcepta inter se connexa sunt. & id non impedit, quo minus distincta præcepta proponantur. Tria præcepta sunt consequentia illius verbi: Ego sum Jehovah Deus tuus. Duo sunt negativa: Tertium est affirmativum potestate. Nam *non temere ferre* est *in veritate nominare*. Et hinc subordinatur Quartum, quatenus exigit confessionem divinæ sanctificationis.

d. 31. Octob. 1661.

EPISTOLA LXXXII.

Magnam partem inserta præfationi quæstionum Judaicarum.

PETRO VANDER HAGEN JOHANNES COCCEJUS.

Lutetiam.

Reverende Vir.

QUod ex itinere aliquoties ad me scripsisti, gratissimum fuit. Jucundum mihi fuit intelligere imprimis, quam bene tecum ageretur, deinde & affectum erga me tuum. Scio, te hactenus non ægre tulisse, quod non respondi, sed salutationibus defunctus sum. Nunc facere non possum, ut de ea re, de qua petivisti ut tibi explicarem sententiam meam, non respondeam. Libro quidem opus esset, si ad omnia esset aliquid dicendum. Sed nosti morem meum. Breviter malo certa fundamenta ponere, quam multis verbis in utramque partem dicta ventilare. quod ad animum fluctuantem componendum parum facit. Sunt in eo libro, super quo me interrogas, multa docta, multa solerter excogitata, multa, quæ utut vera non sint, tamen in ea quæstione, quæ tractatur, merentur considerari. Quæstionem facit Vir doctus, Utrum Rabbinica versio sit præferenda Græcæ LXX. interpretum? Vult enim, punctationem, quæ est in Codicibus Hebræis, haberi pro versione. Videtur interim concedere, Judæos sive Hebræos literas retinuisse. Vide Præfat. pag. 6. lin. 14. *Litera remansit Judæis incredulis*. Utinam vero & literam relinqueret, & non passim quoque literas mutandas contenderet! Putat autem Judæos & Hebræum textum & Græcum corrupisse. Sed longum esset omnia commemorare, quæ dicit. Nobis aliter agendum est. Fidei enim interest, statuere, quod statuendum est: neque sola conjectura niti possumus. Quod si autem fidei interest, divina auctoritas intercedat, oportet. Id enim credimus, quod Deum dixisse novimus. Debet igitur aliquid extare in mundo, quod certum sit, Deum dixisse; sive id homines recte intelligant, sive non. Et, ne hæc quæstio eo usque progrediatur, ut homines parum attenti aut non satis bene affecti erga divinam veritatem putent se occasionem habere abjiciendi Verbum Dei, quasi nullæ Sacræ literæ extarent; in primis cavendum est. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis, quod attenditis, dicit S. Petrus 2. ep. c. 1: 19. S. Paulus ἱερὰ γράμματα solet appellare. Et sane, quum de γραφῇ loquitur, solet dicere, nunc Mosen, nunc Davidem, nunc Prophetas sic scripsisse. Recitat quidem ille verba Græca. Sed nemo, opinor, credit, Apostolum putasse, quod Moses, David, Prophetæ Græce scripserint. Quid igitur? Indicat, Sacras literas extare, & in illis contineri eos sensus, quos Græcis verbis exhibet, sive suis, sive etiam Græcorum interpretum, quos jam legimus. Minime autem sequitur, Apostolum, dum Græcorum interpretum verba recitat, eam interpretationem omnem pro sacra, divinaque approbasse: quemadmodum Vir doctus & amicus noster loquitur. Hoc tantum sequitur, Apostolos judicasse, ista verba tuto ex ea Versione recitari potuisse in usum eorum, ad quos Græco sermone scribebant, & eos, si, quod decet εὐγενεῖς (loquor cum Apostolo Actor. 17: 11.) scrutarentur vere *Sacras literas*, h. e. Hebræas, in iis hosce sensus esse reperturos. Facile etiam concesserim, Apostolos ita sensisse de ea Versione, quod ea ad probandam Euangelii veritatem sufficiat iis, qui needum Hebraicis literis uti possent. Non tamen concedo, Apostolos ulli auctores fuisse, vel Ecclesiæ, ut in ea vel alia Versione acquiescerent. potius constat, præceptum scrutandi Scripturas injungere non tantum Judæis sed & gentibus maximam, quantum quisque adhibere potest, diligentiam ad scrutandum eas Sacras literas, quas constat viros Dei scripsisse & locutos esse actos à Spiritu sancto. 2 Petr. 1: 20. 21. Quam γραφὴν θεόπνευστον appellat Paulus 2 Tim. 3: 15. 16. Cæterum, dubitari non potest, extare in mundo id verbum, quod Deus aliquando ad populum loquutus est & per Mosen scribi jussit, quodque David & Prophetæ scripserunt; saltem quoad præcipua dicta, quibus Testamentum Dei & fœdus continetur, & per quæ veritas Euangelii confirmatur: extare autem, si non iisdem vocibus (Hebræis nimirum) saltem æquivalentibus. Nam promissio & Decalogus & præcepta Dei, quæ ad justitiam & salutem spectant, & Messiæ descriptio ubique eadem sunt in Codicibus Hebræis & Græcis & aliis, itemque in libris Novi Testamenti. Ex quo liquet, eas voces, quibus Deus per prophetas voluit eas res pandi, non interiisse. siquidem etiam Hebræi codices habent voces, quæ idem enunciant, quod Græci aut Chaldæi codices. Constat autem, hos ab illis, non illos ab hisce esse factos. Hosce autem, qui à Prophetis prodierunt, ea saltem parte integros esse; qua cum illis consentiunt editiones aliæ, & Euangelium. Quanquam etiam in illis ipsis dictis inest ea sapientia & veritas, ut ea dicta, in quibus ea sapientia continetur, non possint nisi à Deo prodiisse. Nam certe à Diabolo non sunt, per quæ Deus glorificatur & homo ad amorem Dei convertitur. qualia sunt ea, quæ Deum nobis ostendunt amabilem; quibus attestatur ipsius longanimitas, quam exercet in mundo; & ita quidem amabilem, ut homo, nisi amet Deum, etiam cum needum cognovisse deprehendatur. Quemadmodum autem hæc talia, quæ extant, à Deo profecta esse, dubitari non potest; propter veritatem, quæ in iis vocibus continetur; quam conscientia agnoscit: ita etiam eas voces, quibus descripta est conditio futuri temporis, quarum veritati attestatur prædicatio Euangelii & historia temporum, quæ secuta sunt eos sermones dictos & scriptos. Constat autem, magnam partem sacri Codicis facere prophetias de sequenti tempore, & maxime de tempore Novi Testamenti.

Utræ autem voces sint accommodatiores ad eam historiam explicandam Hebrææne, quas legimus, & uti eas legimus; an vero aliæ, sive eæ reperiantur in LXX. interpretum Versione sive alibi: nemo potest rectius judicare, quam qui in ea non parum temporis triverit, quique possit de *sermonis Hebraici, non tantum Græci, proprietate* recte judicare. Quod an amicus sibi arroget, equidem ignoro. Ego, ut nosti Dodecapropheton edidi & Psalmos; & conatus sum demonstrare, eas voces, quæ leguntur in iis libris, aptissimas esse iis rebus significandis, de quibus loquuntur. Oporteret, aliquem similiter historiam conficere ex Versione ea, quam dicunt LXX. interpretum. Nam quare discedam à lectione Hebraici Codicis, quæ mihi omnia, quæ hactenus fieri debuerunt, aptissime demonstrat, ad alium, de quo nescio, unde sit, & à qualibus sit; & in quo voces Spiritus sancti non tam certo comperio, & cujus voces tam bene rebus congruere needum habeo exploratum? In quo argumento dum versor, non possum præterire, quin observem, quod ea testimonia, quæ D. Jesus & Apostoli recitarunt ex Mose, Psalmis & Prophetis de rebus gerendis in Christi ἐπιφανείας, reperiantur in suis locis, & majorem etiam lucem habeant pleráque in Hebræa lectione recepta, quam in Versione Græca: licet Græca Versio ab Apostolis judicaretur sufficere ad fidem faciendam, non sola, sed propter ἀρχαίων: ut ante dixi. Quæ res ostendit, non esse accusandos Judæos, quasi de industria suos codices depravaverint. Quod si ullibi factum esse videri deberet, in Psalmo 22: vs. 17. videri deberet factum: ubi est כארי pro כארו. At ipsi Judæi annotant, se ita in correctis exemplaribus reperisse; & Masora testatur, id esse כְּתִיב *scriptum*. Et quare Zachar. 12: 10. non mutarunt דקרו in דקרי, ut esset ἐξωρχήσαντο? Sed omittamus ista. Nunc enim tantum hoc urgeo, prophetias, ut leguntur in Codice Hebraico, aptiores esse historiæ omnis temporis sequentis, quam ullam Versionem. Nam de LXX. virorum interpretatione nondum fecit periculum Amicus, an tam bene rebus & eventibus respondeat & eos exhibeat. Nos autem interim nihil requirimus, quod melius, aptius & significantius dictum sit, qui, si hoc dicere licet, pleramque vitam nostram in ea consideratione transegimus. Rursus habet hic fides nostra sufficiens fulcrum. Quod ita ante dictum scriptumque legitur de rebus, quas nulla creaturæ sapientia poterat indagare, & in quibus totus mundus caespitavit ac deceptus est, quæque factæ sunt Deo gloriosæ, ita, inquam, dictum scriptumque, ut eas res gestas describi apertius ac divinius nemo jure postulare possit; id curante & dictante Deo certissime dictum scriptumque est. Cappellus contendit, ubi Versio LXX. virorum meliorem sensum fundit, ibi eam lectionem potius sequendam esse, quam illi videantur esse secuti, præ ea, quam puncta Hebraici Codicis exhibent. Sed ego nondum reperi exemplum, ubi malim, prophetas aliter pronunciasse, quam nunc lego in meo Codice. Et, si hominum judicium hic requirendum est (nam ad hoc rediret res) puto, non minus meum judicium debere attendi, ac cujusquam: idque absque ullius injuria. Sed perspicuum est, quam lubricum sit, eos, qui cupiunt legere prophetas, ad judicium humanum revocare. Sin ita statuat, cuivis licere apud se statuere, annon literæ meliorem sensum fundant aliis punctis vestitæ; ego quidem non pugno, quin quisque perpendat, an aliquid, iisdem literis servatis, mutata vocalium modulatione, commodius videatur intelligi posse: sed evidens est, hoc, ut cui quid commodius videatur, inde posse contingere, quod nondum

nondum perceperit, de qua re Propheticus Spiritus loquatur, aut eam rem, de qua loquitur, non recte intellexerit. Quare necesse est, eum, qui Deum timet, & ab eo discere cupit, hîc sibi non fidere. Quam bene vero se gesserit Cappellus in suis hariolationibus commodioris sensus, pro specimine sit locus Hos. 12:5. quod notavi in Dodecapropheto. Sed pergo. Exstant etiam historiæ rerum gestarum in sacro Codice; imprimis historia traditæ legis per Mosen, & historia nativitatis, dictorumque & factorum Christi, & passiones ejus, & prædicatæ resurrectionis ejus, missionisque Apostolorum, nominatim Pauli, eorumque quæ ii dixerunt & fecerunt. Et eæ historiæ in dubium vocari non possunt. Summo consensu narrantur omnia: quæ scilicet Hebræus codex habet. Ea vero imprimis retinenda sunt. Nam, quæ ita scripta sunt, ut totus populus, imo omnes homines, quotquot rem nosse ad se pertinere putarunt, esset conscius eorum, quæ dicta & facta & scripta sunt, & eorum fiat testis, ea ficta esse non possunt. Atqui ea, quæ per Mosen vel interpretem vel mediatorem dicta, & per eum ac circa eum acta sunt, itemque in Ægyptiis, & in populo, eorum testis factus est totus populus; & adhuc testis fit: quia, dum ex filiorum manibus accipimus illos libros, in quibus ea perscripta sunt, & ita scripta sunt, ut toti populo prælegerentur, & populus juberetur ea narrare ac tradere filiis suis, agnoscimus, eos libros in manibus filiorum nullo modo futuros fuisse, nisi patres ita vidissent & audivissent, & libros ac narrata in illis sic accepissent, & jussi essent suis filiis & nepotibus narrare. Quod factum esse, ex historiæ illius incorrupta & invariata recitatione in tot linguis constat. Porro in iis quoque legimus, Deum promisisse Israëli Deuteron. 30. quod post experimentum bonorum & malorum eos recollecturus sit in terram suam & circumcisurus eorum corda, & imposterum facturi sint, convertentes se ad Dominum, legem scriptam in illo libro. ℣. 10. Quo (ni fallor. nam quid aliud significari potest?) significatur, librum legis etiam ultimo tempore extiturum. Nam ea promissio se extendit ad Novum Testamentum. Nam Circumcisio illa cordis notatur, quæ facta est per Christum, & describitur suis partibus Coloss. 2:11.12.13.14.15. Unde conficimus, voces legis & libri legis non perituras ex mundo. Nam ipsa autographa conservari non poterant, neque, si conservarentur, ab omnibus haberi, aut ab apographis discerni. Hoc solet dici ῥῆμα θεοῦ. Neque tantum hoc promissum est, sed de Israëlitis prædictum est, Carmen, quod Mosi datum est, ut id doceret Israëlitas, non oblivioni datum iri, ut abeat ab ore ipsorum, & fore testem contra ipsos, quum defecissent à Deo. quo fine etiam id scribi jussit. Deut. 31:19.21. Ex quo conficimus, & literam in manu & pronunciationem illius Carminis in ore Judæorum rebellium mansuram esse ad ultimum usque tempus. Cum quibus sine dubio Liber legis conservandus intelligitur. quia sine eo Carmen hoc non posset esse testis contra ipsos. Nam ex libro legis Carminis ejus ænigmata patent, & ex eo demonstratio sumi debet ejus peccati, quod eos commissuros in rupem salutis & filios ejus dicit Canticum. Conveniebat igitur, ut non tantum in aliis linguis quomodocunque extarent voces æquivalentes vocibus hujus Carminis, quod scriptum erat eo fine; sed etiam, ut ipsæ hæ voces scriptæ manerent, & pronunciarentur ab aliqua parte populi: ut ita & certi esse possent, eas voces à Deo esse dictatas, & de sensu earum, quo damnantur, suo tempore possent convinci. Psalmo 102:19. extat: *Scribatur hoc in ætatem ultimam, & populus, qui creatus fuerit, celebrabit Jah.* Ex eo loco manifestum est, Deum ordinasse Scripturam in testimonium non tantum posteriori sed & postremæ generationi. Quo etiam referendum, quod est Esaiæ 30:8. *Nunc veni, scribe id in tabula, & in libro exara, & erit in diem novissimum, in perpetuum, in seculum.* Et Esai. 34:16. *Quærite in libro Domini.* Loquitur autem ea prophetia de destructione Edomi mystici. h. e. Judæorum populi. Omnino, si quid Deus voluit scribi, & Spiritus Dei quid scribendum dictavit, putamusne id scriptum esse, ut ad id non respiceret, idque sineret interire, interpolari, mutari & fieri ἄδηλον atque ut ἄδηλον φωνὴν διδῶσιν σάλπιγξ? 1 Cor. 14: ℣. 8. præsertim quum Verbum Dei magis sit necessarium mundo, quam Sol & Luna? quæ tamen sidera, ut & totus siderum chorus tam diligenter & accurate suo loco & tempore hominum oculis integer sistitur. Apostolus 2. Tim. 3:15.16. quum de ἱεροῖς γράμμασι *sacris Literis* agit, docet, Scripturam divinitus inspiratam etiam esse utilem ad doctrinam &c. & ad hoc comparatam, ut homo Dei sit ἄρτιος, ad omne bonum opus instructus: significans, eo ipso, quod θεόπνευστος sit γραφή, demonstrari, quod sit talis & ad eum finem non tantum accommodata, sed etiam ordinata. Siquidem is, qui finem vult, id quoque vult esse, quod ad eum finem paravit.

Quæ quum ita sint, etiamsi hoc Apostolus non diceret, nos ipsi facile concludere possemus, Judæis concredita esse oracula Dei, Rom. 3:2.3.4. Quod significat, ita tradita esse oracula Dei genti Judaicæ, ut per eam scribendo & legendo conservarentur usque ad ultimum diem. Vir doctus, dum vult effugere vim hujus testimonii, vim ipse sibi facit, atque id dicit, quod ipsius animus probare non potest. De Mose, Prophetis ac cæteris, qui digni habiti sunt, ut legem Dei acciperent, hoc intelligendum esse. Stulte ac nequiter facere, qui de futuris Judæorum Librariis & Masorethis verba Pauli accipienda esse contendunt. Si rationem habuisset, abstinuisset à sævis dictis. Iratus fuit Paulo, quod hoc apud eum cogeretur legere. Qui manifeste loquitur de prærogativa Circumcisionis & Judæi. Olim totus populus non vocabantur Judæi. Deinde agit de illis, quorum quidam non crediderunt. Præterea de iis ipsis, qui non crediderunt; quorum infidelitas Dei fidem non potuerit facere irritam. nempe ut non præstaret, quod dixerat, & quod tradendo oracula sua illi populo intenderat; & ita in ore ipsorum, etiam infidelium, non conservarentur. Si de Mose, Prophetis & primis, qui legem Dei acceperunt, intelligimus, an eo satisfit divinæ intentioni, quam significat, dum dicit, credita ipsis esse oracula Dei? Nonne enim hoc valet, Deum ipsos fecisse fiduciarios possessores verborum suorum, ut ea ab ipsis tanquam fidei commissariis hæredibus acciperent ii, quibus eorum hæreditas Testamento data est? Quæ stultitia est, quæ nequitia, in eo, quod fecerunt Scribæ (γραμματεῖς insigne nomen est in Sacris, & in Esra est præstantius nomine sacerdotis) fecerunt & Masorethæ h. e. traditæ Scripturæ conservatores, agnoscere diligentiam populi & fidelitatem Dei? Factum est enim hoc juxta præceptum. ut scriberent, ut meditarentur die & nocte, ut ab ore illorum non recederet, ut etiam solennis cœtus ageretur per septennium, in quo lex publice prælegeretur. Et putamus, vulgo timentes Deum non attulisse suos Codices & eos inspexisse, quum lex legeretur? aut in memoria non habuisse, quum recitaretur ejus verba? Testantur Apostoli Actor. 15:21. Mosen à generationibus priscis oppidatim habere prædicantes eum, & omnibus Sabbatis in Synagogis legi. Amicus noster dicit, Præfat. p. 5. forsan nec tria exemplaria Hebræa superfuisse post excidium Hierosolymorum. Judæos per orbem Romanum dispersos ubique non Hebræis sed Græcis Codicibus fuisse usos. Quid dicam de illo *forsan:* quod fundamentum est totius causæ? An toto illo anno, quo cessavit bellum, à morte Neronis, nemo pius, aut Christianus, egressus est Hierosolymis secundum monitum Christi? An nullæ fuerunt Synagogæ in Judæa, nisi Hierosolymis? An nullæ in Syria? Nullæ in Asia? Nullæ in Ægypto? Quis dixit ipsi, in Imperio Romano solos Codices Græcos fuisse tractatos? Quando incepit ille mos, ut in Synagogis inter gentes legerentur Codices Hebræi, ut nunc obtinet? An illi, qui superfuerunt ab Hierosolymorum excidio usque ad bellum sub Adriano, quorum mentio frequens in Talmud, nulla habuerunt exemplaria? Ergone Deus propterea voluit exscindi Hierosolyma, ut cum altari & templo etiam Verbum suum tolleret ab hominum oculis & ore? Qui autem potuerunt, quum vix tria exemplaria superessent, exoriri subito viri magna audacia præditi, Masorethæ, qui sub σοφῶν maximæ diligentiæ ac fidei, tribus illis exemplaribus potiti, ediderint pro eo Novum Codicem incrustatum suis punctulis & à se corruptum ac depravatum; quorum apud omnes esset tanta auctoritas, ut, omissa sancta editione LXX. virorum, illorum hominum & notas, incognitas sibi antea, & lectionem, & corruptelas, & linguam didicerint in dispersione ac probaverint? Quare hi homines male feriati non saltem sustulerunt Prophetiam Danielis c. 9. Sed quare nec Christus nec Apostoli nos monuerunt de tanta impostura, verum potius τὰς γραφὰς, τὰ ἱερὰ γράμματα, τὰ γεγραμμένα βιβλία, τὸ ἀναγινωσκόμενον nobis commendare non cessarunt? Concedit fortasse Amicus, Verba Testamenti, Promissionis, Fœderis, Legis, Prophetiæ, etiam historiæ, quæ exponit traditionem illius Verbi, quod narrandum fuit imposterum, integra esse, & super iis vigilasse divinam providentiam. Quod refero, quod alicubi dicit, in omnibus Codicibus satis esse ad pietatem. p. 29. Sed oportebat, antequam de alia re diceret, id præmunire & figere & diligenter inculcare ac confirmare: ne aliovorsum raperetur ejus studium & contemtum sacrarum Literarum atque ἀγνωσίαν θεοῦ videretur præ se ferre. Ita allegantibus divinam providentiam non simpliciter opponendæ erant variæ lectiones Veteris & Novi Testamenti: ut facit Præf. p. 5. 6. quasi vellet negare divinam providentiam circa Verbum suum: sed ostendendum erat & explicandum, eas varietates non tantum non obscurare divinam providentiam, sed etiam eam illustrare. Quid enim? Annon divinæ providentiæ insigne argumentum est, quod inter tot hostes veritatis & sacrorum Codicum voces Spiritus sancti integræ tanta sui parte permanserunt? Quod variantes lectiones sensum aut plane non aut vix mutant? Quod apparet, eas variationes esse titubationes hominum omnem operam navantium, ut integra retineantur oracula Dei? Sed sane, ita lectiones variare, ut tantum una possit retineri. Tum sane, quæ retinenda sit, ex analogia fidei eorum, quæ certa & intemerata sunt, apparebit. Si vero ex analogia fidei id decerni non possit, manifestum est, id fieri in tali re, ubi aliquid veri ignorare periculo vacat. Quemadmodum aliquid ignorare circa annos & genealo-

gias & numeros hominum, v. c. cæsorum in stragibus illustribus, caret omni periculo. Neque ego non admiror, quod Deus non noluit Verbum suum iis maculis carere: quemadmodum & Solem & Lunam, pulcherrima sidera, absque maculis esse noluit. Quod enim regnum Dei attinet, in omnem partem verum est; Beatus, qui non scandalizatur. Deus est Deus, qui se occultat. Regnum Dei non venit μετὰ παρατηρήσεως. Spinæ istæ his rosis addi debuerunt, ut esset, quo compungerentur ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, & non deesset Diabolo sanna: quam vinceret fides. Qualis sanna est, Theologiam conversam esse in Rabbinologiam. Fuit igitur Avus Amici nostri eximius non Theologus sed Rabbinologus. Cujus sane vestigia nos in meditatione sacrarum Literarum terere profitemur. non quod sequamur hominum judicia, sed quod convincamur, nos ex ore Judæorum audire id, quod Deo dignum est, quod Euangelium confirmat, quod historia eventuum ostendit, quod Deus pronunciatum iri à Judæis prænunciavit. Neque enim verum est, notulas, quam *meruſtaturam Maſorethicam* appellat Vir doctus, tantum considerandam esse, ut expositionem quandam. Sunt eæ nobis vicariæ τῆς ἀναγνώσεως, quæ à priscis ætatibus facta est in Synagogis; de qua Apostoli testantur Actor. 15. Manibus, oculis, linguis, auribus, animis incumbere debuit ea gens ad conservationem oraculorum Dei. Ita factum est. Et, in quibus discreparent apicibus, qui hanc operam navarunt, cum cura annotatum est. Quæ discrepantiæ sunt parvi ponderis. Ut liceat Deo pro illa providentia & erga nos, qui in fines seculorum incidimus, gratia, quantas corde concipere possumus, agere gratias: quum nihil in mundo sit accommodatius ad Judæorum infidelitatem redarguendam, ad veritatem Euangelii demonstrandam, ad Antichristum denudandum, ad veritatem eorum, quæ prædicta sunt, ostendendam. quod nisi à Deo esse non potest. Neque enim id à Rabbinis confictum atque excogitatum est. Sed nunc ad alterum accedamus: quo nempe loco nobis Versio LXX. virorum, sive Græca, quæ illorum nomen præfert, sit habenda. Aristeas, Eupolemus, Philo & Josephus dicunt LXX. viros fuisse missos ad Ptolemæum, qui ipsi legem interpretarentur. Sit hoc ita. Fueruntne illi prophetæ, ut illorum Versio *sacra* & *divina* habeatur? Quis hoc dicit? An Aristeas, Eupolemus, Philo ac Josephus hoc dixerunt? Quid si dixerint, an propterea id credendum est? An Apostoli id dixerunt? Constat, quo apparatu Verbum Dei traditum sit. An hîc aliquid simile? Hæc nimis levi brachio tractantur ab Amico. Quid, si & Hieronymus & Augustinus ita existimarunt, an prophetæ propterea erunt? Quare non vel Hieronymi vel Augustini verba recitantur? Cap. 5. bene ostendit, τὸ διεφάνη Exod. 24. significare τὸ *exanimari*. An propterea ea Versio non potuit occasionem dare fabellæ? Legem eos transtulisse, dicit Josephus. Noster cap. 7. dicit, *Verum est, nisi fallor*, eosdem & Prophetas transtulisse. Ergo verum est, scilicet. Quæ Amicus à cap. 8. dicit, ut vel excuset vel defendat Græcam Versionem, accusatam erroris & imperitiæ, illa parum ponderis habent, ad adstruendam ei Versioni divinam inspirationem, ut habeatur pro fidei principio. Nihil nisi humana versio est; etiamsi omnes eos locos bene vertissent, qui verterunt. Quam bene se habeat textus Hebraicus & τὸ ἀναγινωσκόμενον in Synagogis Gen. 49: 10. evidens est. Græca vix relinquunt, quod intelligi possit. Quid enim est, ᾧ ἀπόκειται? Id autem esse ex שֶׁלוֹ, *cujus est*, patet. Obscurum hoc & superficiale. Neque inde, quod illi sic verterunt, conficitur, in illorum Codice non fuisse שִׁילֹה, sed, id non intellexisse. Cap. 11. dicit, naturæ contrarium esse, ut aliquid ex nihilo fiat. Atqui maxime naturæ conveniens est, ut omnia ex nihilo extiterint, & *principium* habuerint. Materiam æternam statuere, est plures deos statuere; aut æternum statuere, quod non sit Deus. Materiam esse dicere est aliquid esse dicere; & eam puram materiam dicere, est dicere aliquid esse, quod non sit aliquid. Denique hoc est initium negare. Cap. 11. תהו non significat ἀόρατον, sed ἄμορφον. בהו autem est τὸ ἀκατασκεύαστον. Gen. 2: 2. nullum vitium est in Hebræo. Septimo die erat opus perfectum. Græci mendum suspicati sunt. Rabbini nugantur. Gen. 3: 15. ut defendat Græcos, de suo substituit τηρήσεις. Hoc non notat τὸ שוף. Græci Psalm. 139: 11. vertunt καταπατήσει. æque feliciter ubique. Gen. 4: 7. ante ipsum alii ostenderunt, Græcam versionem natam esse ex Hebræis literis male intellectis, aut non intellectis. Non viderunt נתח. neque id est διαιρεῖν. Neque id notat τὸ חטא, sed *celare* vel *solvere*. Sensus nullus, imo falsus. *Si bene obtuleris non bene diviseris, peccasti.* Qui bene offert, non peccat. Neque in dividendo peccavit Kain, sed, quod non in fide obtulit, ut Abel. Gen. 11: 28. χώρα est *regio*. *Ur* autem nomen proprium. Gen. cap. 22: 13. vertere φυτῷ Σαβὲκ nonne est ejus, qui putat סבך esse nomen plantæ? Gen. 37: 28. non putaram, tam facile 20. argenteos in 20. aureos posse converti. Non opus est jam Lapide Philosophico ad faciendum aurum ex argento. Potest id facere philologus. Omitto alia. Miseror laborem inanem, quem sumit Amicus. Quod autem cap. 21. Psalmum secundum alienat à Christo, quis ferat? Ubi est apud ipsum Apostolorum auctoritas; qui hoc audet? Ubi ratio, ubi mens, qui ex בַּר facit παιδίον? Psal. 8. & 40. Apostoli recitant Græca, quia rem dicunt, non, quia bona est Versio. Hebræa confirmant hoc, quod volunt Apostoli. Non ergo Rabbini textum corruperunt. Cap. 24. quum videt, Apostolos aliter recitasse, atque est in Græco, Apostolis attribuit, quod sensum reddiderint, Græcis, quod verba recte interpretati sint: & non meminit, quoties Græcæ Versionis verba Apostoli recitant, eodem jure dici posse, eos sensu contentos esse. Ne multus sim, fucum nobis facit Vir doctus, paucos locos erroris insimulatos excusans, multosque item accusatos omittens. Qui non videt, sibi necessarium esse, ut eos defendat, integros libros retractare & Versionem Græcam omnibus aliis meliorem docere, cum quibus illi vix ullis in versibus convenit. Quod ne cogatur facere cap. 25. satis habet, omnes Versiones uno verbo rejecisse. Qui mira audacia pronunciat de Versionibus, quum constet eum nec per ætatem, nec per studia, quæ tractavit, potuisse serio cogitare de sensu sacrarum Literarum, & ad tantum opus sibi vel parum commeatus parare. Quod illibenter dico: quia eum amo. neque id ægre fero, quod totum meum studium, in quo tot annos publice privatimque posui, una litura tollit: sed doleo, eum tam parum sollicitum de cognoscendo Verbo Dei & ad id tam tenuiter instructum, solo amore suæ Chronologiæ, omnes Reformatæ Ecclesiæ labores pedibus calcare, sine ratione, sine argumentis, sine colore. Ego quoties ad LXX. interpretes deferor, videor mihi venire in senticetum; & lubenti animo referor ad ἱερὰ γράμματα, ἃ ἔμαθον ἐκ παιδὸς, in quibus invenio, quod me delectet & exsatiet. neque id dico vane. nam vel nunc, quum hoc scribo, id experior librum illum sumens in manus in primo loco, qui se oculis subjicit. Neque potest illa Græci Codicis prælatio præ Codice Hebraico aliunde provenire, quam à vafricie Satanæ invidentis Ecclesiæ suavissimos fructus sanorum & à Deo profectorum verborum. qui hoc agit, ut à necessario studio eos, qui se comparant ad Ecclesiam docendam, etiam alieniores faciat, à quo propter difficultatem aliquam plus satis abhorrent. Noster tandem, quum cap. 30. novitatem punctorum vocalium asseruisset, ac, periisse linguæ Hebraicæ sonum & pronunciationem, affirmasset, idque nominum propriorum formatione Græca se probasse putaret, concludit, *Si quis veros S. literarum sensus cognoscere aveat, huic præcipue negligenda esse puncta vocalia. aut, si illa ex parte retinere velimus, utique reformanda esse ad mentem tralationis LXX. interpretum.* Eam *solam sinceram esse & ἀναμάρτητον*. nisi, ubi librarii peccarunt. Ludovicus Cappellus tantum hoc petebat, ut à Græcis commodiores sensus peteremus. Noster jubet nos plane abdicare lectionem; quam novimus Judæos possidere: vel saltem ubique ad mentem Græcorum reformare. Atqui, ut hoc faciam, necesse est me prius edoceri, unde nata sit hæc ἀνάγνωσις, quæ in Synagogis obtinet? quando cœperit? quo dolo, qua auctoritate introducta sit? Docendus sum, impossibile esse, ut notæ vocales fuerint in usu ante templum crematum: licet ipsæ literæ ad ea suscipienda factæ videantur, & Syri Arabesque suis item utantur, & Æthiopes pro sono vocalis corpora literarum mutent: neque credibile videatur, quod qui consonarum notas invenerint aut acceperint, quum se easdem consonas varie pronunciare animadverterent, non cogitaverint unquam de notis vocalium vel ad pueros docendos, vel ad memoriam differentis pronunciationis, ad vitandum errorem, conservandam; atque omnem fidem superet, sero demum exortos esse, qui illa felicissime excogitarent & toti genti in omnem mundi partem dispersæ approbarent. Demonstrandum est, causam, cur pleraque exemplaria non punctata reperiantur, quæ antiquissima, aut Patres etiam talibus usi sint, non posse esse, quod rara essent punctata, & domi continerentur; studentibus Judæis Christianos ita docere legere, ut ipsi legunt. In Synagogis enim absque punctis legunt. Sed multo magis docendus sum, quomodo fieri potuerit, ut à prisco recepta lectio per novam ex Synagogis expelleretur. An nemo fuit, qui attenderet, qui recte pronunciaret? & vitiosam atque inutilem lectionem atque incommodos sensus fundentem redargueret? Docendus etiam sum, voces Hebræas habere aliam significationem & proprietatem, quam ego, collatis Scripturis, me puto didicisse; & eos melius intellexisse & proprietatem earum percepisse, qui pleraque inconstanter vertunt. quod Kircheri Concordantiæ vel inspectæ satis ostendunt. Item, hosce sensus, quos ego, secutus lectionem Judæorum, animo concepi, in quibus videor plana omnia & congrua & qualia vellem dici deprehendisse, esse sensus incommodos; neque Deo dignos, neque pios, neque rebus, de quibus loquitur Scriptura, aptos: aut, si & hi pii ac rebus apti sunt, præter mentem Spiritus sancti talem lectionem literis Hebraicis quadrare & commodos sensus efficere. Item docendus sum, quid intellexerint Græci, quos video nec Patres intellexisse, quosque ipse ego intelligere non possum, & quos cognosco id non vidisse, quod sub literis Hebraicis

braicis commode intelligi potest. De difficultatibus Chronologicis, puto, non postulas ut ad te scribam: qui scis, me ab Apostolo didicisse, non intrare γενεαλογίας ἀπεράντους. Hoc tantum dico, mihi nondum persuasum esse ullo argumento, veriores esse calculos Græcorum Codicum, quam Hebræorum: licet amicus me cum aliis fungum aut stipitem vel decies inclamet. Quod attinet historias cæteras rerum gestarum, ut sub judicibus, regibus &c. credo, te mecum satis habere, si certum habeamus, à Samuele & sequentibus sanctissimis Viris eam historiam descriptam esse & continuatam in publica rerum, ut cum vulgo loquar, notorietate, bona fide, & ab Ecclesia susceptam ut à teste: jussu autem Spiritus sancti ita, ut scripta erat fideliter & studiose ac cum judicio, editam esse. In qua historia si qua circumstantia aut modus rei atque ordo vitio describentium sit vitiatus (quod tamen probare arduum est) nihil inde decedet auctoritati Scripturæ illius; quum substantia sit salva. Neque etiam necesse est dicere, Spiritum sanctum omnia verba historiam scribentibus dictavisse. Sed, ut tandem claudam, tota res huc redit, an LXX. virorum Versionem debeamus habere non tantum pro instrumento, per quod Spiritus sanctus plurimos gentium voluerit convertere ad Deum & fidem Christi (quod extra controversiam est) sed etiam pro expositione (omnis enim Versio est expositio) authentica & prophetica. Ego quidem video, eos aliquando id dixisse, quod à Spiritu prophetico est (ut Psal. 40: 7. σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. quod quanquam dicat, quod in sensu Hebræi est, tamen non tantundem dicit. Nam significat quidem ὑπήκοον; sed non ut δῆλον ἐξουσίαν ἔχοντος τοῦ θεῖναι τὴν ψυχὴν τὴν ἑαυτοῦ) quod fortassis à prophetis acceperunt, aut quod est explicationis & fidei, quæ tum adhuc fuit in populo Judaico: sed non possum dicere, eam Versionem totam à Spiritu prophetico dictatam esse. Quid enim ipsis opus esset exemplari & ὑφηγητῇ, quod sequerentur. quemadmodum Versor facit: qui, quanta potest, industria prototypum exprimit? Et, si prophetæ illi fuerunt, omni tempore prophetiæ agnosci possunt & probari. Moses semper obtinebit nomen, quod ei dedit Deus: Servus fidelis in tota domo Dei. Num. 12: 7. Hebr. 3: 5. Samuel semper audiet à nobis propheta: qui prophetavit Eli, & Sauli, & Davidi. David vir secundum cor Dei semper recognoscetur propheta, & eo magis, quo magis fines seculorum appropinquabunt. Prophetæ reliqui singuli nunc etiam accipiuntur à nobis, ut prophetæ non tam, quia suo tempore aut deinceps prophetæ habiti sunt, sed, quia locuti sunt, quæ non potuit homo, nisi per Spiritum Dei, loqui; sive spectes revelationem mysteriorum salutis, sive prædictionem futurorum. Christus à nobis vel propterea agnoscitur propheta ille magnus, quia Verba Dei locutus est, & opera Salvatoris fecit, & ea passus est, quæ Salvator pati debebat; & gloriæ filii Dei de ipso prædicantur, & quia regnat & judicat in Judæis & gentibus. Apostoli, quia nihil extra Mosen & Prophetas locuti sunt de Christo, & testati sunt, quæ viderunt & audiverunt, quæ ab ipsis fingi non poterant, & facti sunt ipsi quoque signa & portenta operibus gloriosis, donis supra omnes prophetas magnis & excellentibus, virtute ac fide fortissima, patientia eximia, efficacia doctrinæ incomprehensibili à nobis agnoscuntur. Quid igitur est in LXX. Interpretibus quo nunc etiam possimus ipsos recognoscere non tantum bonos & pios Viros, atque etiam doctos, sed etiam interpretando prophetantes? Non sufficit, dicere, etiam potuisse prophetas esse sub templo secundo: probandum est, hosce prophetasse: & ejus rei clarissima argumenta proferenda sunt; ut fides nostra obstringatur: ne dicamus, Qui id contendunt, similiter facere, atque faciunt illi Pontificii, qui Latinam Versionem faciunt authenticam: atque ad nomen humanum nos adstringere, non ad sanos sermones Verbi Dei puri. Qualia argumenta ego hactenus non audivi.

Porro ex animo tibi gratulor, quam nactus es, Spartam: Deumque rogo, ut ministerio tuo benedicat, ut ἡ προκοπή σου ἐν πᾶσι φανερὰ ᾖ). Ego, per Dei gratiam, mediocriter valeo. Per occupationes facere non potui, ut vel diligentius ad te scriberem vel scripta describerem. Studiosi apographo ipse ero contentus. Hoc, quod vides, an possit cuiquam ostendi vel legi, nescio. Properatum est. Si hæc cum quoquam communicabis, prudenter vide ut facias. Nondum enim scio, an hæc velim publicari, & palam in Amicum scribere. Si communices, quid judicii mereantur hæc, cupio rescíscere. Aveo etiam scire, an in Gallia prostent exemplaria Commentarii in Psalmos mei. Vale.

Lugd. d. 10. Decemb. 1661.

EPISTOLA LXXXIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili.

. . . . Quod rogas de Dei efficacitate circa peccatum, facis illorum more, qui cupiunt plus intelligere, quam homini datum est. Omnibus hic scrupulus occurrit: quomodo, si omnia sint à Deo, peccatum possit esse in mundo? Meminisse potes, me solere dicere, quemadmodum impossibile est cognoscere, quomodo ex nihilo fiat aliquid, aut libera voluntas fiat à Deo, aut Deus præsciat cogitationes hominis, Psalm. 139: 6. ita etiam supra captum nostrum esse, cognoscere, quomodo libera voluntas à Deo regatur, & libere per gratiam Dei obediat, libere item (à sua rectitudine) deflectat ad malum, non sine operatione causæ primæ, in qua omnia moventur & vivunt. τὸ ὅτι certum est, τὸ πῶς ignoramus, ut in aliis, ita in hoc.

d. 4. Jan. 1662.

EPISTOLA LXXXIV.

FREDERICO SPANHEMIO JOHANNES COCCEJUS.

Reverende & Clarissime Vir, Amice honorande.

NOn est meum, amicis imputare, quod non diligentissime ad me scribant. Neque enim ipse in ea parte sum diligens satis. Et fateor mihi exemplum R. Patris tui esse monelæ, ne me nimis scribendis epistolis fatigem. Et nosti mea tempora. Quod surripere possum, commentandis iis quæ urgent, impendo. Quum satis esse videtur, quiesco. Vidit Issaschar, quietem esse bonam. Id & mihi usu venit. Tamen nescio quomodo inter absentes epistolicum commercium excitat amorem & confirmat. πολλὰς γὰρ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. Ego semper animum induxi meum, te optimo erga me affectu esse: & vicissim ita erga te animatus fui: neque dubito, Deum ita laboribus tuis benedicturum, ut per eos plurimi ad amandum Verbum Dei adducantur. Quo pertinere auguror tuas Vindicias Biblicas. Opto, ut feliciter procedant & multis stimulo sint ad eorum librorum scrutationem, quibus salus continetur. Qui libri si in mundo non essent, nihil nisi impietas & injustitia in eo regnaret. Potiusque est sine sole vivere, quam sine illis. Mei in Psalmos Commentarii hoc fato usi sunt, ut Typographus idemque sumptuum erogator Elzevirius prius quidem valedixerit negociationi, deinde & mundo. Inde factum, ut Francofurtum non nisi pauca exemplaria delata sint. Credo, viduam exspectare, ut, qui desiderant, à Davide Lopez (ei enim hanc curam mandavit) eos accipiant precio non iniquo. Ego, si mandatum de ea re accipiam, libenter adjuvabo. Loci Communes mei in quartum Alphabetum jam excreverunt præter spem meam. Est aliquid, quod me facit proliziorem. Ego, qui antea intelligebar, ante paucos annos per quorundam hominum sermones lucratus sum famam & opinionem obscuritatis. Nempe brevius aliquando scribebam: quia putabam, me attentis scribere. Visus sum obscurus illis, qui nolebant legere, aut me intelligi, vel etiam intelligi posse videri. Dum id emendare gestio, fio multiloquus. Salivam mihi moves commendatione scriptorum Venatoris. Lucem vos deseruisse, quod aliunde intellexi, gratulor. Quæ vis major moverit D. Hottingerum ut Nicrum desereret, suspicari non possum. Deus ipsi benedicat, ubicunque est. Vigere inter Cl. T. & fratris mei filium amicitiam, est mihi jucundissimum. Quod apud vos vini fuit proventus felicior, Hollandos aliquando recreabit. Annona etiam hic gravior est propter Polonicos tumultus. Apud nos omnia antiquum obtinent. Vale & me tui amantissimum redamare perge.

Lugduni B. d. 8. Januarij 1662.

EPISTOLA LXXXV.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Clarissime.

. . . . Quod rogas de Concursu, an sit efficacia voluntatis propter quam creatura vult & facit hoc malum? Secundum ea, quæ ante scripsi, respondeo. Est incomprehensibilis

omnibus Theologis licuisse suas cogitationes suis verbis explicare, & de Scripturæ sensu judicare. Neque puto unum esse, qui cum alio per omnia consentiat. Ne D. Maresium quidem puto nihil de suo in libris suis posuisse, aut secutum esse vel unum per omnia. Quum rem considero, videmur eo reduci, ut dispiciamus, an non sit αὐθάδης, qui sperat, se aliquid discere posse ex S. Literis, &, se aliquid ex iis didicisse, non dubitat, & in bona conscientia in loquitur, & de cætero timet extra eas sentire & loqui? ille autem sit modestus, qui dicit, tales, qui se didicisse aliquid existimant, *videre dracones in cælo sereno*, & sibi confidit, ut eligat aliquem, cum quo loqui velit. nempe *quia spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt*, h. e. quia recentior Professor Theologiæ debet se subjicere sensibus antecedentium. Ego, qui non sum satis *facundus*, etiam sum tardior, quam ut illa intelligam. Tamen talibus fascinatur juventus & studium sacrarum Literarum ab Ecclesia tollitur. Ego invitissimus adducor ad scribendas animadversiones. Fuit tamen necessarium, ut hasce, quas edidi, ederem. Exemplum dedi Nepoti tuo. qui id tradet. Ego jam versor in componendo Lexico Hebræo Germanico, quod Vidua Princeps Palatina Ducis Simmeriensis Maria Eleonora ante aliquod annos à me petiit. Hæc turba multum mihi temporis ademit, quod alioqui ei impendissem. Consolari nos debet, τὸν αὐτὸν ἀγῶνα nobis esse transmissum ab Apostolis, quem ipsi experti sunt. Philip. 1: vs. 30. 15. 16. 17. Si ego qua in re aberro, monendus eram (quod non fit) non vero studii mei ratio publice deridenda, quam per totam vitam tenui, quamque hactenus putavi tenere omnes, qui S. Scripturam meditantur. quæ mea simplicitas est. Hoc certe fit in Ecclesia Reformata novo exemplo. Et ita judicant Viri boni & docti. Ego T. R. cum omnibus tuis charissimis ex corde saluto. Idem mei jusserunt. Deus te sospitem esse velit.

Lugd. a. d. 7. Maij 1663.

EPISTOLA XCIV.

CHRISTOPHORO WITTICHIO JOH. COCCEJUS.

Neomagum.

Reverende & Clarissime Vir, Domine Honorande

ANte paucos dies natus est domi nostræ hic Libellus. Non debui committere, ut non tibi exemplar impertirer. Tum, quia tibi majorum debitor sum, tum quia judicium tuum magni facio. Quæ ego simpliciter ex Scripturis demonstravi in scriptis meis, quid Apostolus nominet Vetus Testamentum? quomodo lex Fidei data sit? quæ fuerit auctoritas vetustæ Traditionis? quæ probabilis sacrificiorum dedicatio? quomodo ea differant, quibus Veteres usi, ab iis, quæ Israëlitis imposita sunt? quod Consilium Conditorum Babylonis? Quæ intentio propria Decalogi, ut nominatur fœdus Dei? Quid Lex Mosis? An unquam jussi sint Israëlitæ quærere justitiam ex operibus? & similia, quæ, si rem spectes, non putabam esse dubia in nostra Ecclesia, jam ut παράδοξα, ut absurda, ut nova, ut Sociniana (quum sint comparata ad Socinianismum uno ictu evertendum) diffamantur. Ego non video, unde hoc proveniat, nisi ita est, quod cruda studia in ministerium propelluntur, & Scriptura non nisi defunctorie legitur, & pro Vera Theologia quæstiunculæ quædam introducuntur, aut, quia alii aliis obloqui & obtrectare amant. Quicquid sit, ego plane obstupesco. Tempus est, ut, qui possunt, conjungant se ad urgendum studium Scripturæ & Christianæ simplicitatis. Sed, ut dixi, tuum judicium de hac re exspectabo. Puto enim, te sincerius, qui extra turbam es, judicaturum. Vale. Deus te incolumem servet.

Lugduni a. d. 23. Maij 1663.

EPISTOLA XCV.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principis

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principis Palatinæ ad Rhenum, Ducis Bavariæ &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatricis

Epistola ad

JOHANNEM COCCEJUM.

Ehrwürdiger / Hochgelehrter Herr Professor.

DEsselben vor langer zeit an mich gethanes und mir sehr angenehmes schreiben habe ich spät bekommen / und thue es noch später beantworten / die ursach wird mein Hofprediger dem Herrn zu wissen gethan haben. Ich vernehme auß demselbigen gar gerne daß desselben außlegung über die Epistel an die Römer gedruckt wird / und noch lieber daß eine gantz neue übersetzung der Heyligen Bibel mit kleinen anmerckungen von demselbigen bereits auch angefangen worden; Gott gebe ihm die genade / daß er solches werck auch mit gutter gesundheit und leibes krafften vollenden möge / dan es ohne zweiffel der Kirchen grossen nutzen wird bringen. Möchte wünschen daß auch in Teutsch ein solche ubersetzung hätten / und der Herr anleitung geben wolte wie darzu zu gelangen were: dan gewißlich! wie ich vermercke / so wohl auß dem wenigen was in dieser sprach gelernet / alß auch von meinen Predigern in außlegung der texten höre / so ist es umb Luthers übersetzung weit nicht bewant wie es sein solte: man hat dieselbige zwar / umb / anfangs kein trennung zu verursachen / auch also unter den Reformierten in Teutschland behalten / aber / wie sich es nun befindet / zu grossen nachtheil der erkantnuß der Warheit / also daß wir wohl eine rechte übersetzung nach dem original in Teutsch bedürftig weren / wan man nur darzu gelangen könte. Sonsten bekenne ich daß nach dem Lexico groß verlangen trage / und gleichwoll sein übrige Schrifften dem gemeinen besten mit guten gewissen nicht mißgönnen kan. Gott wolle demselbigen noch ein langes leben verleihen / damit derselbige zu Gottes ehren und seiner Kirchen besten noch viel früchte schaffen / und das Heyl Israels / welches er schon lang im Geist gesehen / auch mit leiblichen augen sehen / und mit mir und allen außerwehlten / sich darüber erfreuen möge. Die 1335. tage Danielis scheinen daß fast zu ende gelauffen / Gott gebe daß wir im glauben / und gedult solches ende erwarten / in dessen schutz und Regierung ich denselbigen / und mich in sein andächtig gebet befehle. Verbleibe.

Des Herrn Professors

Woll affectionierte Freundin

MARIA ELEONORA

Phaltz Gräfin Wittwe und

Vormunderin.

Lautern den 9. Januarij altes Kalenders 1663.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principi

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principi Palatinæ ad Rhenum, Duci Bavariæ, &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatrici.

Lutream.

Durchleuchtige Hochgeborne Fürstin / Gnädige Frauw.

ALs ich E. D. schreiben empfieng / hatte Ich mich wieder an das vorhabende Lexicon gemachet / und begann das werck was besser fortzugehen. Habe damals bey mir beschlossen Ich müste alßdan antworten / wan Ich bezeugen könte / daß ein zimlich stuck davon fertig were. Gleich wie der Allmächtige mir gegönnet einen nicht geringen fortgang zu thun / wie H. Valentius E. D. wird berichten / wie auch durch was vor verhinderungen der fortgang noch nicht grösser ist. Daß E. D. von meinen andren studiis vernommen / da ich mit etzlichen Studenten ein buch der H. Schrifft nach dem andern verhandele / und ihnen zum bessern verstand mit Lateinischen worten den sinn (nach der gabe des Allerhöchsten) mittheile / ist mir eine auffmunterung desto mehr darin zu arbeiten / und Gott zubefehlen / was etwan gutes davon kommen möchte. Was aber eine Teutsche übersetzung angehet / were man schuldig / wan Hohe Personen daran gedächten / und solche arbeit erforderten / sein bestes zu thun / und sein talent der Kirchen mitzutheilen. Es muß doch in außlegung der Schrifft fortgegangen werden / und wird nimmer eine Ubersetzung so viel gelten alß Gottes Wort selbst. Ich vermercke auß E. D. schreiben / daß Sie mit mir verlanget und wartet nach dem ende der tagen / davon beim Daniele stehet im 12 Cap. daß der selig sey / der die abwartet. Es sind gewißlich die zeichen der zeiten klahrlich vorhanden / sonderlich daß der wahre glaube mit der waren bekantnus / das warhafftige tägliche opfer / vor langst weggethan / und der Abfall fast auffs högste gekommen ist. So ist es dan gewißlich die zeit / da man auff der mauren stehen mag zu schauwen / wan Gott mit seinem lieblichen reich zu uns kommen / die brüche Israels heilen und die verderber verderben werde / Alle dinge gelassen sich also / alß wan Gott für der thüre were / und es sind Länder / da er hat begonnen seine macht sehen zu lassen. Unter dessen nun biß daß wir sagen können / Gott sey lob / wir habens gesehen / mussen wir uns halten an die worte des Propheten / Selig / der da wartet. Wer weiß / ob das warten uns nicht noch wird schmertzen bringen wie in einer geburth. Darumb mussen wir uns zum leiden schicken. Es wird doch das Selige nicht uber die zeit außbleiben; ob wir schon möchten in unserm zehlen geirret haben. Ich bitte den gütigen Gott / daß Er E. D. als einem sonderlichen exempel seiner furcht / wolle mit langen und friedlichen tagen gesegnen / und den hohen in dieser Welt die augen auffthun / daß sie mögen Gottes reich erkennen und zu dessen außbreitung ihre macht anwenden. Amen.

Leyden den 12. Junij 1663.

E. D.

Unterthäniger Diener

JOHANNES COCCEJUS.

EPISTOLA XCVI.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Dilectissime Gener.

Recordor quæstionis tuæ. Ne nihil scribam, sic habe. Qui mœchatur in corde

corde suo, dupliciter peccat. Templum Dei, quod ipse est, violat. Templum Dei, quod proxima est aut proximi uxor, violare intendit. Primo modo peccat contra primam tabulam: altero contra secundam. Nec obstat, quod in Catechesi aliquando in explicatione præceptorum secundæ tabulæ mentio etiam fit nostri. Ex eo, quomodo proximum diligere debemus ad honorem Dei, discimus etiam, quomodo nos ipsos ad Dei honorem ordinare debeamus.

d. 18. Junij 1663.

EPISTOLA XCVII.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

QUod tibi dolet, me ita in illa Amica Epistola tractatum esse, agnosco benevolentiam; quodque non vis, ut Vester & Ego in publicam Certamen veniamus. Ego illum impedire nec volo nec possum, quo minus Ecclesiam doceat de eis rebus, de quibus & ego doceo, si possit, melius quam ego. Sed si ego vellem aliena scripta recensere, de eis publice disputare, ita ut inde fama emanet, me contra hunc vel illum disputasse, & ego id non metuam, ne id fiat, & quidem ita disputem, ut pateat, me non satis attendisse ad rem, & Andabatam agere, & Amicas epistolas scribam, in quibus eum, qui se profiteatur velle cum Scriptura & loqui & sentire, suspectum faciam, quasi aut rejiciat voces Ecclesiæ, quibus veritatem confitetur, aut alios doctores contemnat, aut ἀνθάδης sit, aut singularis, aut novaturiens, aut non satis facundus, aut φαιδρολογῶν, aut Theologiam habeat foliis abundantem sine fructibus, maledictæ ficus instar, & ei tamen nullum errorem demonstrem: nonne possem videri esse ἀλλοτριοεπίσκοπος, & auctor obtrectationum & factionum, & persecutor ac irrisor fratris. Ego, fateor, vehementer commotus fui illa epistola, & scepticum illud ingenium conspui. Postea tamen ira mea cecidit infra pedes meos. Sed, dum hæc scribo, sentio ardorem. quare potius hoc omitto. Nunquam putavi me dignum esse, ut ad futilem illam Epistolam responderem & irrisionem irrisione penderem. Quia, postquam dixissem ei, *Servemus concordiam:* non puto id mihi licere. Quicquid tamen ille fecerit vel non fecerit, non facile adducar, ut credam, in eo esse, quod in amico & benevolo esse debet. Taceo alia. Hoc unum miror, neminem esse, qui tales possit compescere. Me, quod attinet, quamdiu vivam, Deo dante, non desistam clamare, & obtestari omnes, ut redeant ad eam viam, quam & Apostoli & primi Reformatores commendarunt, nempe lectionem & meditationem Scripturæ. quam viam à multis relinqui, post illam Epistolam, certius cognovi, quam unquam credidissem. Quod me de Lexico mones, fateor, & mihi laborem esse valde tædiosum, & lentum ac multi temporis, & vix videri necessarium, si quis velit uti eis, quæ extant, & deinde ipse incumbere in scrutationem sacrarum Literarum. Sed est in Palatinatu Maria Eleonora Vidua Palatina, ex domo Electorali Brandeburgica, à qua sæpe accipio literas, quæ mihi hoc negocium dedit, ut Germanica Latinis adjungerem. Non ausus sum negare. Et, dum in opere sum, addo & Belgica. &, ubi videtur operæ precium, proprietatem ostendo, collatis & obiter explicatis Scripturæ locis. Ita autem ago, ut resecem illa, quæ incerta sunt & usui non sunt. Ita versor in זרח. Vides, quantum restet. Dum Psalterium & Locos Communes edidi, nihil in hoc opere profeci. Quod si Deus gratiam det, ut absolvam, nisi ἀνθάδης sum, speraverim, laborem meum non omnino inutilem fore. Sunt, qui me urgent, & quibus illa, quæ inspiciunt, non displicent. Possem majori cum utilitate, aut offensione eorum, qui communem Traditivam nobis inculcant, aliud agere. Sed video, ita evenisse, ut hoc os mihi objectum sit. Id rodendum est. Promisi; faciendum est. Hic propediem agetur Synodus Hagæ. Nulla erunt contra me gravamina. Hoc tamen effecerunt Animadversiones meæ. Quam durum est, illis, qui in bona conscientia officium faciunt, communi susurro gravamina synodalia minitari eos, qui, quod carpant, non intelligunt, neque intelligere volunt, & eum, quem carpunt, nunquam alloquuntur! Et ejus rei auctores esse Collegas & Ismaëles quosdam, quorum manus est contra omnes. Sed quid ego conqueror? quasi nihil debeam pati. Attamen hoc modo fit, ut multi impellantur in ea studia, ex quibus parum utilitatis pervenit ad Ecclesiam. Quod quo tandem processurum sit, horret animus cogitare. Commentarius meus in Epistolam ad Romanos in Capite octavo hæret. Qui impensas facit, non admodum pecuniosus est. Ideo sæpe hæremus in vado. Hæc scripseram non diu postquam tuam epistolam acceperam. Non mihi autem hæc hactenus, quia non videbantur mihi mittenda, nisi per D. Reinoldum Pauli. qui hac vespera me convenit, & de abitu suo admonuit. Quanquam igitur argumentum eorum, quæ in superioribus sunt, non sit mihi admodum gratum, tamen volui hæc mittere. Ex Collega tuo D. Hatzfeldio sine dubio cognovisti nihil in Synodo de me actum esse. Hactenus bene. Sed Et scio, qui inceperunt in famam meam grassari, non esse quieturos, sed clandestinis susurris & obtrectationibus eo magis id acturos, ut me denigrent. Est hic, qui vix Collegium habet, in quo me non irrideat. Et de Vestro hodie accepi nuncium, eum super Animadversionibus meis instituisse Collegium dictatorium. Nescio, annon optabilius sit, publicam accusationem audire, & habere occasionem publice respondendi, quam ita ex tenebris oppugnari ab eis, quos non videas neque audias. Quæsitor ad me miserat epistolam apologeticam, scilicet. Ea venit ad me Delfis, quum D. Maresius ibi esset. Ipsa nec nomen habuit nec locum. Silui. Quia silui, Quæsitor sibi justum putavit, eam epistolam etiam edere. In ea epistola hoc agit, ut me & Respondentem meum suspectum faciat; quasi desereremus Confessiones nostras. Nam talem regulam nobis facit, non licere nobis loqui extra Confessiones & celebrium Virorum commentarios. Illud profecto dicere est impudentiæ. nam quis nostrum negat, Confessiones, quas approbavimus, non posse à nobis deseri & haberi earundem Confessionum consortes? Hoc autem, manendum esse intra dicta aliorum, quantæ, quæso, est imprudentiæ? Ita putat fore, ut τὸ ἓν φρονῶμεν. Homo miser nescit, quid sit τὸ ἓν φρονεῖν. Et talem ignorantiam reperio in multis in capitalibus rebus. Ego non puto, eos τὸ ἓν φρονεῖν, quorum unus hoc dicit, quod Deus dicit, & intelligit & credit, alter vero dicit, quia ille dicit. Hæc est πληροφορία [illegible]. Deindo non puto nos vel idem posse dicere, si velimus ex commentariis discere, quæ dicenda sunt. Nam omnes ante me commentatores usi sunt ea libertate, ut non putarent se obligatos ad sequendum alios. Ideoque etiam inter eos maxima est differentia sententiarum. At, inquies, nos Belgæ tenemur in Versionem & Annotationes. Quomodo igitur agetur cum iis, qui Belgæ non sunt, & discunt Scripturas? An eum eis non habebimus ἓν φρόνημα? Hoc, propter quod me calumniantur, tangit usum principii, quod contra Pontificios tenemus. Sed impono his finem. Deus te & familiam omnem mihi charissimam omni prosperitate felicitet. Uxor & liberi, gener nimirum & filia mea, qui apud nos sunt eodem in statu, in quo statim à nuptiis, vos amanter salutant. Vale.

Lugduni a. d. 17. Julij 1663.

EPISTOLA XCVIII.

JOHANNI COCCEJO JOHANNES SYLVIUS.

Lugdunum Batavorum.

Admodum Reverende, Celeberrime, Doctissimeque Domine.

QUod ego nec facie nec nomine tibi cognitus, has ad te exarare literas, tuamque Rev. meis inquietare non erubescam, miraberis merito, mirarer & ego, & quid dico mirarer, Claritatis Tuæ umbra à scribendo detineret, in causa scriptionis justa, illiusque argumentum, excusationem audaciæ, admirationisque remotionem polliceretur. Cum enim justum & æquum gravioribus in rebus ascendere ad illos, quos elegit Jehovah, illorumque expetere judicium; quis hoc in me, quod in rebus mihi gravioribus & dubiis consilium & judicium, à Rev. Tua, cui clavis scientiæ ex alto commissa, petere ausus fuerim, taxabit juste. Res dubia ita habet. Primò Parens certus stante matrimonio secundo cognovit ancillam sibi cohabitantem. Uxor ejus legitima, hoc facto cognito, sponte divortium instituit, seque separavit, & jam congressum imo cohabitationem cum marito plane recusat. Nihilominus & Uxor & Maritus accessum ad sacram cœnam flagitant.

Uxor ex hoc fundamento, quod justam habeat divortii sui causam, & hinc à communione Ecclesiæ separari nequeat.

Maritus ex illo, quod ipse quidem ad cohabitationem, si Uxor illam ferre recuset, sit inhabilis ob præcedens peccatum commissum cum ancilla, sed interim post legitimam & Christianam resipiscentiam ad Ecclesiæ communionem possit admitti, allegans ad hoc exemplum Davidis.

Secundo Filius illius Mariti prædicti ex primo matrimonio, factum parentis nesciens, cognovit in ædibus parentis eandem ancillam primo à parente stupratam. Ex hoc concubitu ancilla fit gravida, filius, dehortantibus illis quibus intererat, nihilominus illam duxit coram sacrificulo Romano. Et hic nunc resipiscentiam offert aditumque ad cœnam petit, & Seniores pec-

catum parentis occultum nescientes, judicant illi hoc non denegandum, idque eo minus, cum alias ejus apostasia ab Ecclesia timenda.

Hinc jam quæritur primo: An uxor Parentis sive prædicti mariti justam instituerit separationem & ad cœnam possit admitti? Si hoc, qua ratione Ecclesiæ optime possit satisfieri, quæ non aliter novit ac separationem illam à Marito esse illegitimam; & cui peccatum occultum non sine maxima difficultate potest manifestari?

Secundo. An Maritus sive Parens talem possit offerre resipiscentiam, ut, stante divortio, possit admitti ad communionem?

Tertio an Filius, qui duxit ancillam, stante matrimonio cum ancilla, & durante, possit admitti, & an non potius incestus dicendus?

Ad hasce quæstiones Doctissimam resolutionem expecto, quam ut, in bonum Ecclesiæ sub cruce viventi, ferre Rev. tua non recuset obnixe rogo. Objiciet forsan Rev. T. cur non ab aliis propioribus hoc flagitaverim, dicam quod res est. peccatum occultum, quod non sine summo præjudicio multorum posset manifestari, requirebat, ut à diffidentibus illud expeterem; secundo respectu personarum illud petentium requirebatur auctoritas; tertio ex lectione nunquam satis laudati operis de Fœdere, pollicitus sum mihi à Rev. tua decisionem ex corde Scripturæ, & ita ad convictionem conscientiarum fortiorem, quam communicare ne dedigneris, iterum rogo, qui post recommendationem & salutationem debitam, sum

Reverentiæ Tuæ
Cultor humillimus & paratissimus
JOHANNES SYLVIUS.

Dab. 1663. 13. Julij stylo novo.

JOHANNI SYLVIO JOH. COCCEJUS.

Sittardiam.

Vir Reverende, Domine Honorande.

CAsus, quem mihi proponis, sane tristissimus est. Neque diffitebor, parum mihi in expedito esse, quid super eo respondeam. Dabo tamen operam, ut intelligas, me serio intendisse animum ad consilium in bona conscientia dandum. Quod igitur ad *primam* quæstionem attinet, An Uxor ejus, qui, stante matrimonio, cum ancilla rem habuit, recte & jure faciat, quod se ab eo abstinet; & possit ad S. Synaxin admitti? Resp. Quandoquidem sunt Theologi, qui censent, non esse par jus uxoris ad accusandum maritum adulterum vel ad abstinendum ab eo, atque viri est, ad dimittendam adulteram: imo etiam ii, qui, quantumvis cum illis in hoc non consentiant, sed putent, uxorem posse jure abstinere à viro adultero, tamen judicent, nihilominus posse uxorem læsam viro cohabitare & ei injuriam condonare: tutius facturam uxorem, si viro reconcilietur, dummodo is de cætero sobrie & temperanter se gerat. Nam, si sic agat, ut ejus scortationem uxor videatur patiendo approbare, si in ea volutetur, neutiquam id suadendum est. Abrahamus Dei jussu ex Sara prolem quæsivit, postquam illegitime Hagarem cognovisset. Neque est objicere, non esse parem rationem, quod Sara id à viro petivit. Nam, si viro non licuit, quum dimisisset uxorem, & ea alterius facta esset, eam, posteriore viro mortuo, domum reducere, quia ipse auctor fuerat hujus pollutionis (ut D. Bezæ videtur) similiter hoc, quod Saræ consilio Abrahamus cum Hagar rem habuit, videri debebit efficere, ut eo minus cum Sara debuerit postea maritale negocium habere. Deinde me non nihil movet, quod Deus in lege toleravit polygamos & viros pellicem habentes vel concubinam, eisque pœnam capitis non irrogavit, neque jussit ab eis uxores recedere: at uxoribus adulteris pœnam capitis proposuit. Si uxor his & similibus rationibus non poterit adduci, ut ad virum redeat: non video, quomodo fieri possit, ut non desertrix esse videatur, si non doceat Ecclesiam, quam legitime agat, dum se separat à viro suo. Quamdiu autem pro desertrice jure haberi potest, tamdiu ad S. Synaxin admitti non potest.

Quod attinet *secundam* quæstione[illegible] An Maritu[illegible] durante secessione uxoris, possit admitti ad commu[illegible]onem, [illegible] quam resipiscentiam offerre possit, ut ad ca[illegible] admittatur? Resp. Quandoquidem vix fieri potest, ut, dum à se invicem se[illegible] conjuges, non videatur saltem rixa esse & odium; [illegible] merito de culpa uterque suspectus sit: vel hanc ob causam melius est, ut maritus se humiliet, & summam quidem diligentiam in omni exercitio pietatis & imprimis vita honesta, temperanti ac sobria ostendat; ut fidem faciat suæ resipiscentiæ; interim autem allaboret, ut uxorem merito offensam reconciliet; certe non adeo festinet, & ea re suspicionem præbeat, vel quasi non sentiat se Spiritum contristasse, vel quasi nullam rationem habeat scandali, quod adhuc latet & facile in apertum venire potest, aut Ecclesiæ ac gloriæ Dei; vel quasi putet, opere operato sumti panis Dominici culpam extingui.

Quod *tertium* attinet, An Filius ejusdem hominis, qui eandem ancillam cognovit & uxorem duxit, non sit dicendus incestus? Resp. Oportet pessimam esse ancillam, quæ cum patre uxorem habente, & filio, cui nubere non poterat, simul se commiscuit & utrique se prostituit. quam, ut turpe scortum, abominandam esse, patet. Non potest ullo colore dici, filium, licet inscium, non revelasse nuditatem patris sui. quod est inter peccata Hierosolymæ, quæ Deus voluit vindicare. Ezech. 22: ℣. 10. Jam vero, postquam rem cognovit, quomodo potest in eo flagitio perseverare? At rursus, si petat se liberum ab ea pronunciari, diffamabit patrem suum. Quid igitur? Putem, fœminam illam debere sponte discedere & quidem in remotissimum locum, & ex duobus malis minimum eligere, ut habeatur potius desertrix, quam scortum & quidem incestum, & in carnificis manum tradatur.

Hæc mihi in mentem venerunt, Reverende Vir. Deus faxit, ut non opus sit alias de talibus respondere. Cæterum, quibus rebus Rev. Tuæ possum esse utilis ac commodus, eas tibi à me paratas esse, noli dubitare. Cupio enim me omnibus bonis studiosum ipsorum probare. Vale.

Lugd. a. d. 20. Julij 1663.

EPISTOLA XCIX.

CHRISTOPHORO WITTICHIO JOH. COCCEJUS.

Neomagum.

Vir Clarissime.

EO gratior mihi est approbatio tua, alioqui meram benevolentiam spirans, quod dubia quædam voluisti movere. De quibus conabor tibi satisfacere. Primum est, an satis firmum sit, quod p. 110. urgeo contra Socinianos: *Si vita non perennis, sed longa intelligitur, potuerit homo bonum exspectans, ut mercedem obedientiæ, desiderare abolitionem, tanquam melius vita* &c. Videtur posse excipi, hominem primum pro obedientia exspectasse longam vitam, non aliud; & ea acquiescere debuisse. „ neque enim plura tenebatur Deus homini rependere, quam „ vellet; cum respectu Dei considerata mera creatura nihil quic„ quam proprie mereri possit. Nullum agnosco meritum ex condigno, aut judicium, quo Deus vitam æternam cælestem dans testetur, quanti sit officium & factum hominis. Veritas, quam ego urgeo, in imagine Dei & rectitudine continetur. Imago autem Dei nititur eo, quod Deus est. Nulla creatura ex merito est: nedum imago Dei est. Sed tamen, quæ creatura imago Dei est, non potest non esse imago Dei, h. e. habere rectitudinem in judicio & voluntate. Jam vero rectitudo creaturæ est cognoscere Creatorem suum, &, inter cætera, eum cognoscere bonum illud, quod se exsatiare possit, certe meliorem rebus omnibus, quas fecit: & eundem æternum: &, gloriam Dei esse in æternum amari amore perfecto. Non potest recte & sine stultitia putare homo, nihil esse melius aut optabilius cibis & potibus, & hanc gloriam Dei esse, cognosci eum, qui det terrestria hæc, & hunc summum & verum amorem Dei esse, velle ea accipere ab ipso ad tempus, nedum putare, gloriam Dei esse, non dare vitam æternam. Hæc autem necesse est nos putare aut cogitare de Deo, si Socino damus, hominem non esse factum ad vitam interminabilem. Et porro necesse erit statuere, injustum posse esse, velle Deum in æternum amare & glorificare expletum ab ipso ipsius suavitate & claritate: & posse esse rectum hominis appetitum, cupere esse in eo statu, ubi Deum non norit, nec amet, nec celebret, neque communionem cum ipso habeat; quasi illa bona non sint, aut honestum ac decorum Deo non sit, id desiderari à creatura, quam ad imaginem suam fecerit, aut ei dari à se. Scio equidem, non tantum Socinianos hæc non animadvertere. Amyraldi sententiam in libello de Fœdre proposui. Sunt & alii, qui censent, Deum ex absoluta potestate posse velle hominem in perpetuum esse miserum. Cupio hæc examinari à R. T. Confido, nos confirmatum iri in eo, quod statuo, imaginem Dei esse fundamentum cum præcepti, amandi Deum & proximum; tum [illegible]tionis vitæ æternæ: & illius sententiæ, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, ut intelligamus vitam cælestem, perfectam, æternam. Apostolus Rom. 5: 2. docet, id, quod speramus esse gloriam Dei. Ergo non potest esse gloria Dei, quod contrarium est ei; quod speramus, aut eo minus. Nostrum bonum, quod recte desiderare possumus, est, ut Deus glorificetur & admirabilis fiat in nobis.

Quod ad diem septimum attinet, quo Deus desiit aliquid condere, satis est, ut dicamus, eam cessationem esse sanctificationem & benedictionem ejus diei, quia Deus nihil condidit præstantius

præstantius homine, atque ita finiendo creationem Universi ostendit, se hominem fecisse, ut imaginem & gloriam suam (sic loquitur Apostolus 1 Cor. 11:7.) atque adeo occasionem dedit homini cogitandi, quandoquidem nihil melius inter res aspectabiles & corporeas se reperiret (qui commode ultimo loco factus est, ut in instructissimam domum introduceretur) suum igitur esse, uti quidem rebus omnibus, Deum vero solum amare & quærere, & ei servire. Et hanc observationem, quam res ipsa insinuat, non possumus in Genesi negligere, quia etiam in Decalogo revocamur ad quietem illam Dei, tanquam rationem sanctificandi omne Sabbatum. Primum Sabbatum est non modo is dies, quo Deus nihil novi adjecit ad creata, sed omne tempus, quod inde fluit. quod sanctificare sive in quo Deum, ut suum verum & exatians bonum quærere & omnibus modis glorificare imago Dei & lex conscientiæ jubet. Non puto, R.T. aliter sentire, sed mihi voluisse occasionem dare vel illa amplius explicandi vel omnino literarium officium amice faciendi. quod benevolentiæ tuæ imputo. quam certe ego permagni facio; neque committam, ut non paria facere comperiar. Deum oro, ut R.T. omnibus bonis cumulet & pro bono Ecclesiæ diu laborantem sustentet adjuvetque.

Lugduni a. d. 8. Augusti 1663.

EPISTOLA C.

JOHANNI BUXTORFIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

S. D.

DOlui, quod nundinis Paschalibus nihil ad te literarum dederim. Dum putabam, me sat tempori scripturum, factum est, ut non opinanti occasio fuerit elapsa. Itaque ad benevolas & amicissimas literas tuas responsum in hoc tempus distuli. Erant autem ultimæ tuæ scriptæ Cal. Sept. Ex iis cognovi, idem tibi cordi esse, quod & mihi, nempe, ut Studiosi auditores nostri ad sacras Literas ducantur & spe etiam magni fructus alliciantur. Verissimum est, studium hoc habere plusculum laboris, nempe in initiis. At quid conscientiæ possit satisfacere præter diligentem meditationem Verborum θεοπνεύστων, non video. Ea verba vocat Scriptura λόγους ὑγιαίνοντας. Et nos jubet *ad eos accedere*, & non discedere, scilicet ab eis, quod & vocat ἑτεροδιδασκαλεῖν. In eis studiis educatus sum, & ad aliquem in eis profectum plurimum mihi profuerunt & prosunt labores adeo digni R. D. Parentis tui & Tui. Experior, quantam jucunditatem ipse percipiam ex hac cura & ratione meditandi. Sed rursus etiam hoc experior, esse genus hominum, quod nostro labore tantum non velit uti, sed etiam offendatur. Novatores, singulares, αὐθάδεις nos vocant. nempe quia putamus nos aliquid discere, quod tamen ad confirmandam & illustrandam doctrinam veritatis, quam Ecclesia nostra feliciter accepit, facit, idque ingenue cum auditoribus nostris & iis, qui nostra legere volunt, communicamus. Quanquam, Deo gratia, sunt, quibus non ingrati sumus. Inter quos dilectissimus noster D. Lucas Blaspeil, de quo nuper scribebas. Eum, si adhuc vobiscum est, velim amanter meis verbis salutes. Cæterum me non esse sine certamine ψευδωνύμων & σοφιστῶν, & eorum factiosorum, ex libello, quem his adjeci, cognosces. Cujus exemplar alterum Reverendo D. Gernlero destino, quem mihi amicum conciliare gestio. Me porro quod attinet, versor in labore lento, mihi tamen grato, & τῆς ὑπὲρ θεολόγους despicabili, quem mihi Serenissima Vidua Palatina imposuit ante annos sex. Lexico Hebraico Germanica & Belgica adjicio, &, si quid videor observasse, appono, ut male merear de illis, qui nolunt nobis verba Dei esse suavia. Ego vehementer confirmor tuo judicio & amore exhilaror. Deum autem rogo, ut te in senecta tua non sterili velit esse sanum & vegetum: & me jam senescentem non deserat. Vale cum Clarissimis & Reverendis D.D. Collegis.

Lugduni a. d. 19. Aug. 1663.

EISTOLA CI.

JOHANNI HENRICO HEIDEGGERO JOH. COCCEJUS.

Steinfurtum.

Vir Reverende & Clarissime.

POteram moveri multorum, qui mihi obtrectant, vocibus, nisi vel paucorum me solaretur judicium. Inter quos quod mihi præter te etiam R. V. D. Gernlerum numerare liceat, tibi debeo. Ego me sæpius excutio atque interrogo, quid me facere oporteat; ut eos placem. Sed, quum omnia considero, nihil invenio magis necessarium, quam ut Scripturam faciamus nobis & aliis familiarem, qua ratione satisfaciemus omnibus conscientiis. nam, quid nostris verisimilitudinibus (ita voco disputationes Philosophicas) effecerimus, satis apparet. Commentationes tuas gratanter accepi. Agit etiam de eis gratias D. Heidanus, qui de studiis tuis egregie judicat. Quod putas ad te pertinere, ut cognoscas ea, quæ de Johanne incepi annotare & publice proponere, id mihi valde acceptum est. Eadem opera fieri potest, ut, sicubi deliquisse aut minus, quam oportet, fecisse videar, admoneri à te possim; ut, si forte hæc absolvere detur, in loco, quod utile videbitur, addere possim. Mitto igitur, quæ præ manu sunt. Lente procedit hic labor: quia plerumque studiosi se Disputationibus subducunt. Deinde ego in lento opere, Lexico, versor. Ego Deum oro, ut te & tui similes conservet & adjuvet, & plures alios excitet, per quos Scriptura in simplici suo sensu & puritate proponatur ad omnem conscientiam, qua re Ecclesia nihil magis habet optandum. Epistola ad Romanos tarde procedit propter editoris parvas vires, procedit tamen, in capite IX. versamur. Hic finio. R.D. Heidanus te plurima salute impertit. Saluta meis verbis D. Goddæum. Vale, & nos amare perge.

Lugduni Batavorum a. d. 15. Octobris 1663.

EPISTOLA CII.

JOHANNI HENRICO HEIDEGGERO JOH. COCCEJUS.

Steinfurtum.

Reverende & Clarissime Vir.

MIhi vero jucundissima est communicatio cum iis, qui idem, quod ego, studium habent: cumprimis tecum, quem video ad hoc recto animo & talo ferri. Animadversiones cum his accipies. D. Maresius epistolam in speciem amicam edidit, re ipsa comparatam ad me deridendum, tum ut αὐθάδη, tum ut non satis facundum, tum ut eum, qui putem me videre in Scripturis, quod in eis non est. Mihi videtur ita egisse, ut omnes absterreat à meditatione sacrarum Literarum & ut nos adstringat ad nescio quos interpretes ac Commentarios, & communem Traditivam. sic enim loquitur. Sed & nos debemus habere partem in ἐθελοπερισσείᾳ θεῶ. Quod ad *Ecclesiam repræsentativam* attinet, id vocabulum merito videor fugere 1. quia non usurpatur aut fundatur in Scriptura. Nusquam *Ecclesia* significat Seniores. Objicies: *Dic Ecclesiæ.* Matth. 18:17. Atqui id nihil aliud est, quam, fac ut cognoscat fraternitas. Hoc autem ut ordine fiat, oportet Synedrium intervenire. 2. quia pravissimo sensu usurpatur à Pontificiis, quorum phrases si imitemur, videbimur & sensum sequi. 3. quia nulla necessitas est. Nam Senioribus constabit suus honor & ministerium, etiamsi non vocentur *Ecclesia* vel *Ecclesia repræsentativa*. Et revera, etiamsi Seniores legantur ab Ecclesia, tamen non repræsentant Ecclesiam quatenus Seniores, ποιμένες & ἐπίσκοποι & διδάσκαλοι sunt. Omne hoc ministerium non exercent nisi in nomine Christi, sive ad Ecclesiam loquantur, sive pro ea vigilent, sive moneant, sive causam ejus suscipiant, sive bonum ejus procurent. Sed potest etiam Ecclesia paucis aliquid committere dicendum faciendumve, quod ab omnibus commode fieri non potest. Neque tamen propterea eos vocare licet *Ecclesiam repræsentativam*. Alias Onesimus esset Philemon repræsentativus, quia Apostolo ministrabat loco hujus, Philem. vs. 13. Quod attinet ἔλεγχον & ἐπιτιμίαν, ea potest fieri & ab uno & à paucis, & eodem jure à collegio Seniorum. Sed in eo, quod faciunt Seniores, non terminatur κρίσις τῆς ἐκκλησίας. Ejus terminus est: *Sit TIBI velut Ethnicus* &c. Non debet κρίσις & ψῆφος ab Ecclesia auferri. Quod attinet *claves*, eæ, sive sit annunciatio Euangelii, aut narratio verborum Christi, sive ἔλεγχος, sunt omnium fidelium, sive Ecclesiæ. Non certis personis sunt eæ datæ aut certo ordini. Quorum sit *ligare*, apparet, quando dicitur, *Sit TIBI.* Qui quem habet pro [illegible] & propter eum luget, & eum non consolatur, is eum ligat: [illegible] facit tota fraternitas. Quæ, quæso, [illegible] si Sessores judicium exerceant, fratres autem communicent eis, qui à Senioribus judicati fuerint? Sed dicet [illegible] quos Seniores judicaverint, eos oportet Ecclesiam pro Ethnicis habere. Quare igitur à Romanis dissentimus, qui nos hæreticos propterea nominant? An non hoc modo in Ecclesiam introducitur nomen hominum & eorum ἀρχή, loco ἐλέγχου, qui debet fieri per Verbum Dei. Johann. 20:23. sane ad Apostolos loquitur. Sed, ut non solum Apostolorum est, Euangelium annuntiare, nec certi ordinis: ita & remittere, vel tenere. Matth. 18:19.20. duobus vel tribus datur potestas conveniendi in nomine Christi. Ergo & se invicem monendi & ligandi. Unus, qui monet, tamdiu ligat fratrem, donec obediat. Si obediat,

 solvit.

solvit. Sed, dum ligat, non hoc facit, ut teneatur Ecclesia habere eum pro Ethnico, nisi quando nec Ecclesiam audire vult, hoc est, ἐλέγχῳ ab omnibus facto obedire renuerit. Ἀλλ' οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον. Hæc tamen non intelligere, est, ni fallor, causa multorum malorum in Ecclesia. Vale.

Lugduni Batavorum. Calend. Novembr. 1663.

EPISTOLA CIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Argumentamur à vocabulo *panis* in Cœna, non quasi nunquam res mutata prius nomen post mutationem habere possit; sed, quod de re mutata non potest plane idem dici, quod ante mutationem. Exod. cap. 7: 12. dicitur: *deglutivit baculus Aharonis ipsorum baculos.* Ibi vocabulum *deglutivit* notat mutationem. Sed Apostolus omnia eadem dicit, de *pane* ante & post consecrationem. imo distinguit 1. Cor. 11:16. à *Corpore* Christi. & ẏs. 17. μετέχειν τοῦ ἄρτου & esse ἓν σῶμα. Jam res clamat, non omnes, qui sumerent de pane Cœnæ, esse unum corpus. Sed, qui per unum Spiritum baptizati sunt, esse sic unum corpus, sive sic habere Christum in se manentem, quemadmodum multi de uno pane participant. Non hæc μετοχὴ demum facit unum corpus.

Quod de vocibus Θεοπνεύστως interrogas, ad id fortasse respondebit Hulsius in iis, quæ scripsit ad Vossium, p. 5. ubi distinguit inter θεοπνευστίαν & θεοδιδαξίαν. Sic enim loquitur. Inter alia dicit: *Johannes scribens Apocalypsin, erat θεόπνευστος, scribens Euangelium, in plerisque Θεοδίδακτος, quatenus ea scripsit, quæ oculis suis usurpaverat.* Ego sic dicerem. Omnia scripta sacra sunt θεόπνευστα. Scripserunt enim viri Dei ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι. Sed distincto modo. Quædam enim dictavit Spiritus. ut Canticum Mosis, & Prophetias &c. Quædam scripserunt κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτοῖς σοφίαν. 2. Petr. 3: 15. διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου λόγοις, πνευματικὰ πνευματικοῖς συγκρίνοντες. 1. Cor. 2: 13. in quibus dedit Spiritus ipsius esse fidelibus. Quædam etiam scripserunt ὡς παρηκολουθηκότες πᾶσιν ἄνωθεν (Luc. 1: 3.) verbis, quæ ad intelligendum aptissima sunt & ipsi delegerunt. In his scripserunt & πνεύματι & νοῒ suo. 1. Cor. 14: 15. Quemadmodum nos eorum quædam intelligimus, quæ Prophetæ ipsi non intellexerunt, & intellectus noster non efficit, ut verba non sint θεόπνευστα; ita, quod ipsi intellexerunt & scripserunt & sciverunt se in spirituali sapientia scribere (vide Ephes. 3: 3. 4.) non facit, ut putemus, ea vera non esse divinitus inspirata. Nisi putemus, non dari divinam inspirationem, ubi est sapientia, & σύνεσις. Imo nos propterea sumus certi, eos in Spiritu sancto esse locutos, quia videmus, eos tam sapienter locutos esse. Nobis autem non licet verba eorum mutare: tum, quia illi ministri Dei & αὐτόπται fuerunt, & Spiritum habuerunt adsistentem, qui per eos voluit docere gentes; nos autem non: tum quia proficiendo experimur, eos, ubi intelligimus, sapientissime locutos esse; & nihil extra Mosen & Prophetas locutos esse Apostolos. Quæ nobis ratio est credendi, quod in Spiritu sancto locuti sint. Act. 2: ẏs. 4. dicitur, *prout Spiritus eis dabat eloqui.* Deinde surgit Petrus & disserit cum sapientia. Ipse ita cogitavit. Ita Spiritus fecit eum loqui. Quod perinde est, ac si verba dictavisset. Nos, quando discimus, ex Spiritu sancto discimus. Ipse enim διδάσκει. Quod verum dicimus, & didicimus ex Scripturis, in bona conscientia, cum amore veritatis, in Spiritu sancto dicimus; sed id non habet auctoritatem divini testimonii, quia nos non habemus testimonium, quod simus servi Dei fideles, ut Moses, in tota domo Dei; neque adhuc compertum est, Deum per nos loqui: neque missi sumus, ut Apostoli. Uno verbo, quæ ratio est, urgendi verba eorum, non obstante, quod cogitaverint ipsi, & judicaverint, se sic debere loqui. Christus dedit Apostolos & Euangelistas &c. vide Ephes. 4: 11. 12.

d. 24. Decem. 1663.

EPISTOLA CIV.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Amice & Frater dilectissime.

ALerdinum nostrum ad vos revertentem nolui sine meis dimittere. Quod ad me attinet, per Dei gratiam, more solito valeo, & in studiis sum totus. Nescio quomodo magis magisque accumulantur labores nostri. Et tamen, quasi non esset satis, quod agerem, nuper factus sum Senior. Mea familia, quæ hic est & in Zeelandia, etiam commoda utitur valetudine. nisi quod uxoris meæ malum in eodem statu est. Ereptus est nobis Medicus noster D. Vander Linden. Ei parentavi. maluerat enim à me, quum ab alio laudari. Utinam in ejus locum possimus nancisci vestrum D. Deusingium. Certe de eo cogitamus. Isaaco Vossio ridenti & (ut D. Uchtmannus dicit) gannienti & Hebræas literas Sacras laneinanti respondi 8. foliis. Non putavi mihi committendum, ut nescirent homines, quam bonam & lætam conscientiam habeamus in tractatione earum Literarum, quibus à puero operam dedimus. Scio, me ipsi non fecisse rem gratam. Si sapuisset, & Præfationem meam paullo attentius legisset, reliqueram ei ostium, per quod evaderet cum sua Chronologia: Ego cogor hic epistolam claudere. Vocor enim ad Collegium. Vale cum dilecta familia & amicos verbis meis saluta.

Lugduni a. d. 27. Martij 1664.

Exemplum Orationis & Defensionis à D. Alerdino accipies.

EPISTOLA CV.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Reverende & Amicissime Vir.

LIteras tuas amicissimas & tabulam & pecuniam, quam misisti, recte accepi. Quod Lexicon attinet, nuncio tibi, id perductum esse ad literam ר / Miraberis, non ulterius me processisse. at ego miror, me eo usque processisse. Fuit apud nos D. van Lahr & vidit, quomodo dies mei discerpantur, & quanta opus sit pertinacia ad absolvendam vel unam radicem. Et ego vero non fio junior. Bonus aliquando dormitat Homerus. Interim, quod eo usque processi, hoc mihi & spem & studium auget. Et molestum est ad alia avocari. Ita hoc ipsum, quod jam scribo, mihi molestum est; licet alioqui libentissime ad te scribam. Quando mihi hora & bihorium de die adimitur, perit dies huic operi. Spero tamen & Serenissimam visuram editionem Lexici: quia & ego spero me visurum. nisi me ætate superat: quod non reor. Venio ad tabulam. nesciebam, te tam accuratum pictorem & scriptorem esse. Ingenue fecisti, quod eam ultro ad me misisti. D. Hoornbeeck declarat, eam sibi periisse. Communicatam cum D. L'Empereur, & postea non repertam. Pro magno mihi est, quod eam vidi. Vehementer enim confirmat me typus Judaicus. Multa sunt in eo reprehendenda. Admiscuit quædam ex templo Solomonis, quædam ex templo vel Sorobabelis vel Herodis, vel ex structuris templi ultimi. Id facere non debuit. Nihil debuit ponere in tabula, quod non esset in textu. Omisit ædificium totum 90. cubitorum longitudinis & 70. latitudinis. quod est Ezech. 41: 12. In portis notabilis error est. Propheta eis tribuit longitudinem 50. cubitorum, tria limina, viam juxta תָּאִים & תָּאִים juxta viam portæ. Ille duo תָּאִים à porta amovet. Idem facit Hassenreferus. Quid igitur tria תָּאִים ad portam? Causa est, quod non viderunt, centum cubitos quadratos ante templum intercipi inter portarum extrema limina: sed portas in illud spacium voluerunt ingerere. Peccat etiam in gradibus. Nam ad idem atrium alicubi facit ascensum 12. graduum, ab alio latere septem. Propheta collocat atria in plano, cum paribus gradibus. Vitium etiam est in לשכות-הקדש, quas vocat. Eas facit 36. quum debeant esse 30. Et in eodem spacio facit versus Occidentem 8. versus Orientem 10. Adhæc tortuosas vias multos recessus facit ad ostia conclavium. Nemo ita ædificat. Absurdum vero est eas ponere ad angulos atrii interioris, & ita objicere oculis versantium in atrio exteriori. Erant ea conclavia ponenda ad peribolum atrii exterioris. Omisit lucidissimum ædificium, quod Ezechiel vocat אַתִּיקִים. quod positum in atrio exteriori ad latus templi Septentrionale pertinet ad atrium interius, cum culinis sacerdotum. Inepte ponit 12. gradus ad templum. Templum pertinet ad atrium interius. Pauci ad id gradus debent statui. Omittit מְקוֹם קָנֶה / circa templum. Omittit & columnas aut earum bases ante templum. In vestibulo templi nihil ex propheta. Debebat porro templi lateribus adjungere unam appendicem τριώροφον: ille, ni fallor, quinque fecit. Quo auctore? Et quomodo in illis lux? Ex solo templi facit descensum per angustum unius cubiti. num. כג / quid absurdius? & quidem sine gradibus: quum ad templi solum juxta ipsum sit ascensus graduum 20. nempe 12. ad templum, 8. ad interius atrium. Inter portam templi Septentrionalem & altare ponit num. לב & לג & לד domicilium ad detergendum holocaustum. Annon in toto atrio debebat spectari altare? Quod in atrio interiore distinguit septo & gradibus locum stationis Israelitarum & Sacerdotum,

tum, non facit auctore Propheta. Omitto examinare reliqua. In notis Hebræis, quas, opinor, diligenter expressisti, mendæ quædam sunt. ut ad א / ואורכה ש״ר אמה / Infra num. יב dicit ש״ב / debet eadem esse longitudo muri Orientalis & Occidentalis. Nos ei damus 400. cubitos. Id aliter fieri non potest. Porta Meridionalis atrii exterioris 50. Ad portam atrii interioris 50. Porta atrii interioris 50. Area 100. cubitos lata. Rursus duæ portæ 100. & à porta ad portam 50. Summa 400. Similiter de longitudine dubitari non potest. Porta Orientalis utriusque atrii 50. Sunt 100. A porta ad portam 50. Area ante templum 100. Area templi 100. Area postremi ædificii 100. Summa 450. At ille facit 317. Quibus rationibus? Si minus erit, erunt 400. Sed tum aut porta quævis non erit longa 50. cubitos, aut porta portam tanget. Ergo area altaris habet vacua 100. cubita quadrata.

Num. ב leg. שַׁעַר הָאִיתוֹן Num. ג leg. וכו קָוו וּקְוו הֲלָה Lin. 7. ab initio pro למלל leg. לחלל / Quomodo num. ה. ex bis 1 ½ cubitis faciat 13. nescio. Forte voluit 3. dicere: ג non י״ג / N. 3. החוטי scrib. & שש N. יא leg. כמדו / Item ומעלות שבע עלו בו vel ומתחתן ומעלות שבע מעלותיו N. יג lin. 3. in princ. l. לארץ & in fine חלל lin. 5. in princ. l. מזרחית in fine הנדבים / Num. לא l. שער & אליהן & קדשים in fine. Possunt abbreviate scribi אליה׳, קדש׳ / שע׳, Ego ad hunc numerum miror, quomodo 4. mensas constituerit in porta tam arcta. Observo etiam, gradus esse juxta תאים / ita ut ostia eorum pateant in gradus. Quod fieri non potest. N. לג leg. שלחנות & לעולה / lin. 2. pro ארג lego ארח / deinde תולי׳ N. לו leg. אמה pro אמת N. לז leg. ובמזרח N. כב in fin. l. אמי׳ / N. מג lege הארץ מהיסוד l. 2. ברוחב N. מו l. היו שם Num. כח Video columnas collocari supra gradus. Quis credet? N. ג puto leg. של חנות N. נא pro ואכבה puto legendum וארכה N. נג in medio leg. סגור / lin. 2. pro ותהת להיכל ὁ [illegible]. Vult dicere, intrat in templum. Quid si: ומשם *& inde in templum*, subintellecto verbo נכנס, quod præcedit. N. נח pro הקדם leg. הקדש N. נט leg. מרבע N. סא l. רוחב הקיר / N. סג Cogor divinare. Fortasse hoc vult: עוביה

אשר לו חלל בתוך כיסה לאמות תול הארץ ה׳ מסין כ״ר ולהלן עד סימן ע׳ מיוסדים על פי פירוש הרמב״ם במשנת מדות אמנם לדברי רש״י אינם & שבצפון. N. סד l. כן תיירתים בחיבורי צורת הבית שם חמצאם. והפתחים N. סו leg. מקום מנח פני׳ / N. סה leg. ab init. עם החלל / N. סו l. 2. ab init. leg. הארץ sic & N. סט in med. לסקום מנח N. ע. in medio הגלש׳ N. ע l. 3. post. שם adde אוכלים / Excidit etiam mensura latitudinis. N. עא l. מאה lin. 3. הכהני׳ / N. עג in fine forte אל המזבח והדוך; N. עד. forte leg. הכפרת Post עד in epilogo aliquid conturbatum est. Pro מחוגם lego כחוגה. Cætera non emendo.

Quod attinet Cantici editionem, à Francofurtensi tale responsum exspectabam. Sunt hic duo, qui id petunt. Sed ego differo, donec liberior sim. Epistola ad Romanos tandem ut spero, intra duos menses aut paulo amplius finem sortietur. D. à Lahr mihi spem fecit, nos te hic visuros. Id valde cupio. Videres enim apud me, quid in Lexico egerim, & mentem tuam explicares super ea opera, an satis putes esse ex voto Serenissimæ. De Methodo Concionandi non memini me multa unquam dixisse aut nova. Ex operibus meis cognosci potest, quid probem. Nempe habitet in nobis sermo Christi copiose. Ita igitur dicatur, ut habitet in nobis, h. e. ut, qui dicit, confidere possit auditorem attentum se dicente id judicaturum de textu, quod commeminisse possit se judicasse, quum eum explicari audiret, ut non tam doceatur per voces docentis, quam per ipsum textum. Huc pertinet scopi indicatio, œconomiæ summaria indicatio, axiomatum depromtio ex textu, verborum emphaticorum ex Scripturis & ex ipso textu explicatio, ut res per ea significata animo videatur obversari. Usus omnis institutionis fides, amor & timor Dei, & fructus eorum officia exhibenda proximo, pax, patientia, justitia, temperantia ac fuga peccati ac communionis peccati. Ita per sapientiam ædificabitur prudentia. Bonum autem ex suo fonte, fide & amore, proveniet. Excursiones quis potest amare? quorum auditor non potest meminisse? quum interim multæ partes Scripturæ negligantur? Ita auditor discit tantum vellicare Scripturam & non τὸ ὕφος intelligere: & cogitur desperare de lectione utili: quia videt, se illa non posse cogitare, quæ Panegyrista magnifice dicit undique corrasa. Qui videtur admirationem potius quærere, quam ædificationem. Quod ad disputationes meas attinet, in duplici materia jam versor. nempe Johanne & Epistola ad Galatas. Servabitur tibi exemplar. Disputationis Mommianæ duo habeo exempla. Interim mitto cum Tabula, pro cujus usu multas gratias ago, Defensionem alteram lectionis Hebrææ contra Vossium. quæ ipsa aliquot hebdomadas exclusit Lexicon. Sed eam non poteram omittere. Tabulam ita armavi, ut à Te venit. Spero incolumem reddituram domum. Hæc habui hac vice, ut vides, satis prolixa. Uxor mea & liberi cupiunt mecum, te & liberos tuos recte valere, & te luctus tui oblivisci. Serenissimæ salutatio mihi gratissima. Eam omnibus diebus cogito. Velim ei mea humilia obsequia commendes. Si ita Deo visum, cupio eam videre laborem meum. Deus ipsam & patriam conservet. Vale.

Lugduni a. d. 13. Maij 1664.

EPISTOLA CVI.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende & Amicissime Vir:

Non dubito, quia jam receperis ichnographiam Templi Ezechielis à Judæo delineatam cum literis meis. Superiori enim septimana ad Abr. Friessemium remisi. Nunc nihil est novi, de quo scribam: nisi quod D. Seibelium nolui sine meis discedere: Is me etiam nomine & verbis Serenissimæ salutavit, ex cujus mandato ad me intellexi, ejus Serenitatem serio à me expectare Versionem Biblicam. Utinam vero in eo genere aliquid præstare possem! Extant quædam edita Latine, alia dictata, maturiorem curam desiderantia: quæ fortasse Latina ferrentur; sed si Germanica prodirent, quantum excitarent clamorem & hîc & in Germania! Non video, quomodo inducere animum possim, ut id faciam, nisi majori auctoritate & mandato munitus. Quod non puto futurum. Nam principes vel non cogitant de talibus, vel non sinuntur de talibus cogitare. Porro ego in Lexico, si unquam, serio pergo. Literam ל propemodum absolvi. Quod tempus Deus concesserit, id libenter Ecclesiæ impendam, & Deum, ut me adjuvet, oro. Nihil addo, nisi salutem amicissimam ab omnibus meis. Serenissimæ humilia mea officia velim parata testeris. Vale.

d. $\frac{14}{24}$ Maij 1664.

EPISTOLA CVII.

ABRAHAMO BIERMANNO JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Vir Reverende & Doctissime, Domine & Amice Honorande.

Quemadmodum existimo, Deum à me exigere, ut, sive parvo sive magno, talento meo plurimos juvem: ita mihi singulari voluptati est & ingens ad aliquid faciendum calcar, si intelligam, hic illic esse, quibus placeat meum institutum: quod unice illud est, ut & diligenter audiamus, quid dictet Deus, & id intelligere studeamus, & eloquamur verbis, quæ ipse docuit. Quæ si via pacis non est, nescio, quænam via pacis inveniri possit. Nam certe non conjecturas nostras debemus loqui, neque res divinæ melius, quam à Deo ipso, à quoquam possunt explicari. Hujus studii mei scopus est, ut omnis homo veritatem intelligat, ut sapientiam, & ei credat propter Deum revelantem. Nam non possum animum inducere, ut, si eligamus dicere, quod hic vel ille Vir doctus dicit, habendi simus pro iis, qui Deo obediunt; aut illi credunt. Lex Dei, quæ est lex fidei in Christum, divina gratia pervenit ad omnes; neque potest dubitari de ejus divina revelatione, si intueamur, quomodo ea lex à Mose, Prophetis, Christo & Apostolis tradita sit. Bene hactenus. Quare non eam legem, ut veritatem fundamentalem, accipimus, & cum ea connectimus omnia, quæ recipimus, & ita sapientes & prudentes in Domino simus: quum sciamus, mendacium ex veritate non esse, sed ex vero tanquam prodire verum? atque ita, quicquid recipimus & probamus, accipimus & probamus in bona conscientia? Et, quandoquidem se Deus, loquens ad nos in Scripturis, demisit ad captum nostrum, neque nobis loquutus est per parabolas, ænigmata, & parcos sermones, sed per multiplicem institutionem, & demonstrationem, & inculcationem, non damus operam, ut à doctore illo optimo quam plurimum discamus, & ejus verbis alii alios doceamus, & abstinemus à nostris conjecturis: ut ita, quod loquimur, habeat & demonstrationem sapientiæ [illegible], & insuper divini eloquii auctoritatem? Hæc mea ratio est: quam utinam tenere possim integre & perfecte! Dum in ea sum, neque suspicor, esse, quibus illa, quæ ex Scriptura probantur, & quidem ipsa illa, quæ profitemur, non placeat proponi & confirmari, factum est, ut quidam aliis insusurraverint, me singularem esse & nova quærere. Inopinatum hoc mihi quidem. Sed, si Deus me non vult esse

inutilem in tempore peregrinationis meæ, & is, quod doceo, me docuit; mirum esset, nullam alicunde oriri calumniam, qua totum hoc institutum meum, si fieri possit, elidatur & irritum fiat. Novi ego, nullum profectum Ecclesiæ sine certamine & probatione provenire posse. Et, quod me attinet, quum illa ita fiant, video mihi injungi laborem & perseverantiam ad ulteriorem profectum quotidie demonstrandum. Neque enim cedendo & silendo tales placare & propitios facere possum. Deo autem sit gratia, quod & in juvenibus & in viris invenio commotum esse desiderium noscendi Verbum Dei, & multis exemtum esse ejus contemtum & neglectum. Profecto alterutrum, aut Verbo Dei gnaviter est opera danda, aut id erit nobis cadaver jacens in foro civitatis magnæ, ad ostentum, non ad utilitatem. Gaudeo porro, me alteris R.T. literis per doctissimum Dominum Seibelium oblatis excitatum esse, ut hisce profitear, quantopere me putem T.R. approbatione & amore devinctum, ut ipsi, dum hic sum, omnia mea studia probem. Nam si vel unus sit talis ἰσόψυχος, ei omnium debitores sumus. Quare sciat R.T. nihil mihi gratius fieri posse, quam identidem ad officium faciendum fodicari ab ea & excitari. Vale, Vir Reverende, & mecum sacra elogia amare perge cum ingenti fructu Ecclesiæ.

Lugduni a.d. $\frac{14}{24}$ Maij 1664.

EPISTOLA CVIII.

BERNARDO SOMERO JOH. COCCEJUS.

Vlissingam.

Vir Reverende.

. . . . Quæ me rogas ad ea sic respondeo. *Electio* non omnis est ad vitam æternam. Saul electus fuit ad regnum, Judas ad audiendum verba Christi & videndum opera ejus, & prædicandum ante faciem ejus. Angeli electi sunt ad sanctificationem & vivificationem perpetuam: ad quam Diabolus & Angeli ejus electi non sunt. Nos electi sumus ad sanctificationem post lapsum & reatum. Objectum prædestinationis est possibile. Potuit homo creari & labi & lapsus erigi ac vivificari. Id voluit Deus.

Spiritus nos efficit membra Christi, quia non tantum operatur in nobis, sed in nobis est. quia nos vivificandos accipit, ut spiritus (melior nostri pars) accipit regenda membra nostra; & nos accipimus eum ut arrhabonem & paracletum.

Genes. 9. datur potestas homini in animalia. atqui jam Gen. 1. homini recto & necdum lapso ea data erat. Repetitur ea donatio post diluvium ut effectus gratiæ. Adjicitur restrictio de sanguine. רֶמֶשׂ significat omne, quod se movet. Cibo est, quod edi, aut alioqui utile corpori esse potest. Venena sunt pharmaca. Insecta quædam sunt cibus animalium, quibus nos vescimur.

Genes. 24. ℣s. 55. per יָמִים potius intelligo mensem, Mensem ἢ δεκάδα. A majori descendit ad minus. Vale.

Lugduni.

EPISTOLA CIX.

BERNARDO SOMERO JOH. COCCEJUS.

Vlissingam.

Vir Reverende.

. . . . Matth. 27: 46. ἠλὶ ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανὶ, respondet illis, אֵלִי אֵלִי לָמָא שְׁבַקְתַּנִי / Tzere respondet τῷ η, hoc autem e Latino magno, ut in *Amen.* אָמֵן, ἀμήν. ut Demosthenes τῷ Δημοσθένει. Si η esset α legendum erat ἀλὶ. Vossius in me scripsit, sed nihil ab eo accepi. Extorsit mihi Defensionem alteram: quam mitto.

De loco Actor. 7: 16. Nescio an scripserim. Eum locum sic soleo interpretari. Stephanum loqui de re nota, & auditores potuisse vel uno verbo commonefacere. Respicere autem ad diversa exempla, eaque conjungere, καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ (ut Joseph Jos. 24: 32.) καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ, ut Jacob, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ. ut Jacob. Genes. 33: 19. Notandum autem est, Genes. 50: 5. dici Jacobum sibi emisse, quod Abrahamus emerat. Eodem modo potuit dici, Abrahamum emisse, quod Jacobus emit. Nam parentum & liberorum eadem bona sunt. Ita Genes. 48: 22. dicit Jacobus: בְּחַרְבִּי / וּבְקַשְׁתִּי Quis nescit, omnes actiones Israëlitarum Jacobo tribui? Si nihil aliud diceremus, satis esset, Abrahamum (cujus meminisse debebat, quia promissionem terræ acceperat) etiam in Jacobo emisse. Itaque & Jacobum, qui ex terra discessit in ea fuisse גֵּר. Confer ℣s. 5. 6. Hoc modo de uno Josepho erit sermo, & intelligetur Abrahamum etiam in Jacobo fuisse ὠνητήν.

D. Schrevelius quærit Turnebum in Quintilianum: quam putat te bis habere. eum ut peterem abs te, me rogavit. Editionem enim novam parat. Vale.

Lugduni a. d. 16. Junij 1664.

EPISTOLA CX.

BERNARDO SOMERO JOH. COCCEJUS.

Vir Reverende.

D. HOornbeeck me convenit mihique literas & librum tuum exhibuit. quod mihi fuit gratissimum. Per eundem destinaveram rescribere. Sed is me inscio discessit. Post illa accepi alteras tuas, datas Cal. Julij. Impedivit me iter meum Biselinganum, ne citius responderem. Hinc igitur & remitto librum cum epistola D. Schrevelii & respondeo.

I. Legem fuisse additam propter transgressiones, certum debet esse ex Apostolo. Sed παραβάσεις Israëlitarum, de quibus μέμψις, in Ægypto cœperunt. Vide Ezech. 20: 7. 8. Sed non utar hac responsione. Pono, tabernaculi erectionem & Sacerdotium Aharonicum per se, quatenus tabernaculo inserviturum erat, non operari iram, sed pertinere ad sacramenta gratiæ. Ita & festa: & sacrificium, sive holocaustum juge. Excipio tamen diem Kippurim. Ita holocausta & schelamim & votiva & spontanea fidei exercitium erant, & tantum spectabant gratiam. Sed distinctio purorum & impurorum, & leges de puritate vasorum, & de purificationibus & de sacrificiis pro peccato proprie sunt id, per quod commemoratio peccati fiebat, & peccatum imputabatur, saltem ὀργὴ & קֶצֶף exercebatur. Nam & distingui possunt 1. ὁμολογία peccati manentis (quæ est totius temporis prioris) per sermonem. 2. Exactio ὁμολογίας per opus aliquod faciendæ. quæ fit ἐκκόμισις τῆς ἁμαρτίας, & ἀνάμνησις. 3. Necessitas faciendi eam confessionem sub pœna maledictionis & mortis per observationes molestissimas: & quidem à singulis. Hæc jam meretur ὀργὴ & κατάκρισις appellari, & opus sic factum δουλεία, & facientium animi habitus φόβος & δειλία. Paulatim crevit ἀθέτησις & παράβασις: paulatim ὀργή. Conferenda hic sunt ea, quæ ante μοσχοποιΐαν sunt instituta, & quæ post, in quibus בְּרִית. quanquam Jeremias dicit: quum apprehenderem manum eorum, ut educerem ex Ægypto. Ergo & in Ægypto הֵפֵרוּ בְּרִית. Fateor, Aharonem jussum esse, quum initiaretur, & *sanctificaretur* ad accedendum ad Deum, vel *sacerdotio fungendum*, Exod. 29. ℣s. 1. offerre חַטָּאת / Vide ℣s. 14. & 36. Fateor etiam Israëlitas jussos esse dare ½ sicli כֹּפֶר *pro animabus suis* cap. 30: 15. Ea expiatio erat quidem aliqua commemoratio peccati & actualis confessio peccati manentis (quod omnes fideles animo & verbo confitebantur semper) sed minime gravis & quasi perfunctoria in comparatione ejus, quæ postea est imposita.

II. Certum est Judicia capitalia à Judæis fuisse ablata. Sed, quod actum est à Judæis, id plerumque seditiose actum est. Ita Josephus lib. 20: 8. narrat, Ananiam Pontificem per absentiam Albini Jacobum interfecisse. Deinde Cæsares aliquando indulserunt Judæis. ut Claudius. Id autem de Tiberio dici non potest, sub quo hæc acta sunt. Videntur igitur illa acta in στάσει illa, quam Judæi contra Pilatum commoverunt, paulo ante Vitellii in Syriam adventum. ut & Usserius in Annalibus statuit.

III. Genes. 49: 1. אַחֲרִית הַיָּמִים notat *posteriores dies* sive dies futuros. Et ita explicari potest locus Esai. 2: 2. *aliquando imposterum futurum est.* Ex eo autem sequitur dierum priorum distinctio. quia, quod futurum erat, alius erat, quam quod tunc fiebat, & abolitionem priorum importabat. Ita, re & argumento sic flagitante, ad plenam expositionem dicendum est, *in fine dierum horum.* Et Jacobus quoque Genes. 49. de novo tempore prophetavit. vide ℣s. 10. Ergo plenus significatus est, *in fine dierum horum*, ut veniant dies novi.

IV. Θεοὶ λεγόμενοι intelligendi sunt, à quibus & apud quos agi poterat, quod lex dicit per deos & apud deos agendum esse. Atqui talia non sunt tantum summo Synedrio commissa. Ad eos omnes verbum Dei factum est, qui non tantum constituti sunt catechetæ populi, & acceperunt λόγια ζῶντα, sed etiam mandatum acceperunt exigendi à populo nomine Dei observationem dogmatum. Fuit autem etiam συνέδριον τοῦ λαοῦ, etiamsi Herodes plerosque interfecisset. Eligi enim poterant novi, & electi sunt. Fuit Pontifex & is habuit collegas in regundo populo.

V. *Pro posteris debuit Adamus obedientiam* non ad ipsorum justitiam, sed ad hæreditatem imaginis Dei & ad hoc, ut non morerentur in eo. Amplius dicere, temerarium puto.

Quod

Quod de Lexico meo rogas, ego in eo usque eo ἐξαλειπόμενον, ut attigerim radicem נחה / Dum hic sum, scripsi à כרה & porro. Atque ea caussa est, cur decreverim hîc subsistere & non venire in Valachriam. Quum inspicio lentum id opus, & Leidæ quotidie offensans atque cæspitans, quod vix tot annis ultra dimidium perduxi, animus me jubet ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρόν . . . . . Vale.

Biselingæ d. 4. August. 1664.

EPISTOLA CXI.

Gulielmo Anslario Johannes Coccejus.

Mi dilectissime Gener.

. . . . Nunc venio ad quæstiones tuas. 1. *Non imputare peccatum*, in Scripturis significat amplius, quam *justificare*. Aliquando enim notat non velle punire. in quo continetur velle justificare. 2. Cor. 5: 19. Aliquando significat, ne accusare quidem aut *commemorare peccatum*. Et ita Psalm. 32: 2. & Rom. 4: 8. confer Rom. 5: 13. Quod si igitur præcessit *commemoratio peccati per legem*, *non imputare peccatum*, notat ipsam ἄφεσιν, ut fit in Nov. Testam. 2. Christum non possumus considerare, ut debitorem, nisi simul consideremus, ut Sponsorem. Non opus habebat, ut fieret homo, &, si vellet in corpore apparere, non erat simpliciter futurus sub legem: quæ dicit, *qui fecerit ea*, *vivet in eis*. Nam habebat vitam in se & gloriam expositam, Hebr. 12: 2. & dives erat. 2. Cor. cap. 8: 9. & non censebat raptum esse instar Dei, Phil. 2: 6. Jure Filii poterat corpus suum habere in gloria & beatitudine: neque id pendebat à præcedente obedientia. Erravit in hoc Piscator. Redemtor debuit γενέσθαι ὑπὸ νόμον non εἶναι ὑπὸ νόμον. quod quid importet, facile vides.

11. Octob. 1664.

EPISTOLA CXII.

Bernardo Somero Johannes Coccejus.

Vlissingam.

Vir Reverende.

De Vocatione tua intellexeram ex literis Generi, deinde ex D. Bodanio, qui mihi hic affuit. Nunc etiam gratissimum est, quod per te ipsum id cognoverim. Non potes dubitare, quin mihi ex voto sit tua Vocatio. Ego Deum rogo, ut clementer tibi adsit, & oculos tuos illuminet, ut videas mysteria verbi ejus etiam porro, eaque possis docere & pueros. Neque aliud habeo, de quo te admoneam. Omnia apud te affatim sunt. Si docebis, quæ didiceris, & vere *docebis*, per φανερώσει τῆς ἀληθείας αὐτὸς πάσῃ συνειδήσει, etiam mulierum & puerorum, prout opus habebunt, ut cognoscant & ament Christum, satisfeceris conscientiæ tuæ. Cogitabis, Deum non velle, ut, qui pueri sunt, semper sint pueri, neque, ut, qui docent, tantum sint pædagogi in Christo. Jucundum mihi erit sæpe tecum conferre per literas, si quid tibi utile in me situm esse putabis. Adjunxi his specimen mei Lexici, quod Serenissima desiderat. Vale.

Lugduni a. d. 11. Novemb. 1664.

EPISTOLA CXIII.

D. N. N. Johannes Coccejus.

Præstantissime Vir, Amice Charissime.

Qui amant sacras Literas, diligenter Vetus & Novum Testamentum inter se comparant; præcipue vero Promissionem & Prophetiam cum Euangelio & iis, quæ Deus in regno suo fecit. Qui autem libros Veteris Testamenti & Prophetias in veneratione habent, operam dant, ut, quantum fieri potest, mentem Spiritus sancti in omnibus percipiant. Eo fine etiam Commentarios Hebræorum, quos Rabbinos nominamus, non incuriose scrutantur. Non, quod mens Spiritus sancti percipi absque illis non possit; aut quasi Rabbini verorum sensuum habeant notitiam παντογνωσίαν, aut illi, de quibus Salvator dicit, quod non habeant sermonem Dei manentem in se, & quod eorum præceptores clavim cognitionis absconderint, feliciter sacras Literas & Promissionem ac Prophetias interpretari possint: sed partim, quod; quum Hebræi hoc unum à pueritia agant, ut verba & phrasin sacri Codicis considerent, suspicio est, aliquid non inutile etiam per illos sibi posse suggeri; partim, quia utile est videre, eos, æque ac nos, cogi olim patribus eorum vernaculam linguam, ut alienam, discere; & juvat animadvertere, quomodo ipsi à se invicem dissideant, &, quomodo se torqueant, ut lucem Promissionis & Prophetiæ extinguant, ne cognoscant Christum & in eum credant; denique omni spe potius se privent, quam veritati dent manus. Quod qui animadvertit, videt, quam vere Deus promiserit, se ad gentes versurum labium purum & eximium, Soph. 3: 9. & ad illum populum recalcitrantem locuturum sannis labiis & lingua alia. ut dicit Esaias cap. 28: 11. Inter cæteros vero Rabbinorum Commentarios statuo non postremum esse, qui Studiosis sacræ φιλολογίας commendari possit, Commentarium Isaaci Abarbenelis Hispani, sive Abrabaneelis malis, in Prophetas cumprimis. qui ante annos viginti septem Amstelodami editus est. Primo, quia facilis est ejus phrasis. Deinde, quia copiosus est, & Veterum recentiorumque opiniones liberaliter recitat. inter quæ sunt quædam priscæ Catecheseos. quanquam ipse ad ea non attendit. Tum, quia libere ab aliis dissentit, & fortiter aliquando suos populares confutat. Præterea, quia operam in eo sumit, ut Christianos expositores refellat. Scire autem oportet, quid in nostrorum interpretationibus desiderent Judæi, ubi hæreant, in quo cæspitent; ut scandala de via removeri possint & veritas eo clarius & cum majori φανερώσει demonstretur. Accedit, quod sæpe ea dicit, quæ nobis possunt esse usui. Atque ego quidem memini, me in Commentario ad Sophoniam, in initio Capitis tertii, hujus Rabbini auctoritate usum, ut demonstrarem, eam pericopam loqui de tempore, quo Dominus Jesus in carne versatus est. ita ut secundum illam prophetiam, adstipulante ipso, de Jesu ipsiusque discipulis & ipsius adversariis Pontificibus Scribisque ac Pharisæis judicandum sit: utque adeo perspicuum sit, hunc Rabbinum, si voluisset, potuisse Christum ex ea cognoscere; sed maluisse eum contra conscientiam blasphemare. De cætero ex hujus Rabbini magis, quam ex ullius Commentariis, patet, Judæos & veritate & sapientia & cognitione mysterii Dei & fide & demonstratione spei suæ esse destitutos. Quod non ignorare oportet eos, quos eorum miseret, & Christianam charitatem habent, ut cupiant impleri promissiones Dei, quæ etiam ipsos spondent reversuros ad fratres suos & Christo regi atque Ecclesiæ restitutum iri. Quare Studiosos sacrarum Literarum hortor, ut non negligant Judæos eorumque dicta; sed cum omnia, quæ ad illustrationem sacrarum Literarum & Prophetiæ utilia sunt, assumant, frumentum à paleis discernentes, & clarissima luce veritatis cæcorum oculos illustrare serio connitantur. Vale.

EPISTOLA CXIV.

Serenissimæ ac Celsissimæ Principis

Dnæ. MARIÆ ELEONORÆ

Principis Palatinæ ad Rhenum, Ducis Bavariæ &c. Natæ ex Electorali stirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatricis

Epistola ad

JOHANNEM COCCEJUM.

Ehrwürdiger / Hochgelehrter Herr Professor.

Auff desselben schreiben hätte ich längst geantwortet / wan nicht anfänglich meine kranckheit (bey deren ich gäntzlich gehofft gehabt dasz meine erlösung wird vorhanden gewesen sein) darnach auch andere geschäfften mich daran verhindert hätten. Ich bekenne dasz mich wohl in dieser welt nichts höher erfreuen könte dan eine andere übersetzung der Heiligen Schrifft in unserer Teutschen sprach zu sehen / dan Lutheri Version an unsäglichen vielen örtern mangelhafft ist / und mit dem original gar nicht übereinkombt / wie ich selber / nach der wenigen erkantnus welche ich von der Hebraischen sprach habe / verspüre / viel mehr aber andere Gelehrte / und zweiffels ohne mit grossem unwillen finden. Wir Reformirte haben Lutheri Version also behalten wollen / und weilen wir gesambter hand aus Babel ausgegangen waren, zu keiner trennung ursach zu geben / haben aber unsern zweck gar nicht darbey erhalten / sondern die Lutheraner viel halsstarriger und hochmütiger dardurch gemacht / warumb wolten wir dan länger bedencken tragen / oder uns scheuen zur Ehre Gottes und zu besserer erkantnus seines Worts und Willens eine eigene und bessere übersetzung zu haben: Ich will an meinem ort gerne das beste bey meinen Herrn Vettern / dem Churfürsten zu Brandenburg / wie auch bey Pfaltz Zweybrücken und sonsten zur beförderung dieses so guten und sehr nützlichen wercks thun. Bitte aber den Herrn Professor dasz derselbe immittelst des Lexicons nicht wolle vergessen / auch mir nicht vor übel auffnehmen / dasz ich denselbigen so offt damit bemühe / den ich will hertzlich darnach verlange / und Gott bitte dasz derselbige dem Herrn Professorem zu beyder verfertigung beständige gesundheit und langes leben verleyhen wolle / damit die kirche Gottes seiner sehr nütz-

lichen

lichen arbeit in dem Herren noch lang genieſſen und gebeſſert werden möge. Befehle denſelbigen und die liebe ſeinigen in Gottes ſchutz / und mich in ſein andächtig gebet / und werde allezeit ſein und verbleiben

Deß Herren Profeſſors

Wollgeaffectionierte Freundin

MARIA ELEONORA

Phaltz Gräfin Witwe.

Lautern den 12. May 1664.

Serenisſimæ ac Celſisſimæ Principi

DNÆ. MARIÆ ELEONORÆ

Principi Palatinæ ad Rhenum, Duci Bavariæ, &c. Natæ ex Electorali ſtirpe Brandeburgica &c.

Viduæ Curatrici.

Lutream.

Durchleuchtige Hochgeborne Fürſtin / Gnädige Frauw.

ICh dancke Gott dem Allmächtigen / daſz Er E. D. gnädiglich auſz ihrer kranckheit errettet / und uns / ihrem Volck und der kirchen noch gönnet E. D. beywohnung / welche ohngezweifelt dient zu vieler beſtem / zu beförderung alles guts und ſonderlich deß Heiligen Evangelij / daran aller ſeligkeit gelegen iſt. Was mich angehet / dancke ſeiner Allmacht / daſz er mich und die meinige dieſe zeit in der gemeinen heimſuchung der peſtilentz bewaret. Ich habe ſollen eher auff E. D. Gnädiges ſchreiben antworten / aber weil allezeit / da ich mich ledig befunden / die gelegenheit und luſt beſſer geweſen in dem mir anvertrauten werck fortzufahren / als E. D. mit worten auffzuhalten / So iſt es biß hierzu verblieben / Ich habe unter deſſen auff der Druckerey ein ſtücklein davon laſſen ſetzen / welches Ich E. D. zu einem muſter überſende / Ich wünſche zu wiſſen / wie na Ich E. D. meinung erreichet habe. Was die überſetzung der H. Schrifft angehet / iſt mein hertz wol gut und willig / weiß aber nicht / was mir Gott wird aufflegen / das weiß ich / daſz viele leute ſein / die nicht gerne von verbeſſerung hören / und nicht wol können leiden / daß man ſeine gedancken ans liecht bringe / vermeinend ſie haben genug / ob ſie ſchon daſſelbe / was gethan iſt / nicht wiſſen / unter deſſen laſſen die frembden nicht nach die Schrifft mit fleiß zuvertreiben. Welchen nicht beſſer kan begegent werden als mit richtiger / einfältiger / eigentlicher außlegung deß grundtexts. Mir iſt ſehr lieb / daſz E. D. davon kan urtheilen / möchte wündſchen / daß viel Hohe Häupter mehr werck davon machten. Ein David hat zu ſeiner zeit viel guts gethan. Ich will den Allerhöchſten bitten / daß Er E. D. noch lange bey leben und allem wollſtand erhalte der kirchen zum beſten / und hier mit mache ich mich wieder ans Lexicon. Meine Fraw grüſſet E. D. unterthänig.

Leyden den 18. Nov. 1664.

Ewer Durchleucht

Unterthäniger Diener

JOHANNES COCCEJUS.

EPISTOLA CXV.

LUCÆ GERNLERO JOH. COCCEJUS.

Baſileam.

Reverende & Clarisſime Vir,

INter ea, quæ lugenda habemus, ſine dubio eſt etiam ἄφιξις egregiorum Virorum, qui labore ſuo & exemplo, ad veritatem & pietatem duces extiterunt, dum viverent. Non enim multi, aut pares in locum eorum ſuccedunt. Ita profecto cenſeo magnam jacturam feciſſe Eccleſiam, obitu Celeberrimi D. Buxtorfii. Nos præcipue qui eum amabamus, & benevolentia ipſius ſuſtentabamur, non parum perdidimus. Sed quid non diligentiæ ipſius debituri fuiſſemus, ſi ætas longior, & in ætate valetudo proſpera eum fuiſſet proſecuta? Gaudeo tamen ex animo hæredem pietatis, ingenii, ſtudii, & ut apparet, eruditionis relictum eſſe filium eximium juvenem. Cui apprecor divinam benedictionem. Mea iſta ſententia eſt, & certa ſpes, ut certamen ingens pro veritate, ita magnam meſſem paratam eſſe illis, quibus dabitur ſupereſſe, & in agro Domini laborare. Neque ſcio quid utilius poſſimus facere, quam ut incalcemus Verba Dei. Quod cum ſciam Tuæ Rev. eſſe cordi, ideo gaudeo, effectum eſſe proxeneta τῷ μακαρίτῃ Buxtorfio ut inceperimus, tanquam amici, inter nos per literas colloqui. Quod etiam imposterum ut fiat, equidem pro virili operam dabo. Valde doleo, mihi jam non eſſe in promptu, quod ad T. R. tranſmittam. Epiſtolam ad Romanos ſperaveram me miſſurum. Quartus jam annus eſt, quod ad prelum data eſt. Sed parum, quod deeſt ad συντέλειαν, cogit me in officio deeſſe. Interim proficiſcentibus hinc Francofurtum ad nundinas, nolui non dare has literas, imprimis, quia ſuperiore æſtate nihil ſcripſi. Ruſticabar tum in Selandia apud Generum meum paulò diutius; quia peſtilentia jubebat. Quæ nunc per Dei miſericordiam extincta eſt. Interim tympana hîc ſonant conſcribendo militi, ad depellendam vim fratrum. Hoc, ni fallor, agitur, ut manus populi ſancti ſe ipſa conterat. Miſerere noſtri ô Deus! Reverentiam Tuam valere, & patriam atque Eccleſiam florere, ex animo cupio. Reverendos D. D. Collegas tuos ſalvere jubeo. Vale.

Lugduni Batavorum a. d. 9. Martii 1665.

EPISTOLA CXVI.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Clarisſime Vir, Domine & Frater Honorande.

ACceptiſſimas literas tuas ſuperiori anno cum munere gratiſſimo accepi in Sclandia. Quum mei non permitterentur à Parentibus ad nos venire, coactus ſum ad illos ire. Ibi cum illis jucunde fui per octo hebdomadas. Quum huc reverſus eſſem, & lues in ſummo eſſet rigore, fere domi me continui. idque vel maxime, ut inſtarem operi, & in Lexico meo paululum progrederer. Abſolvi igitur literam ס & materiam incepi colligere ad literam ע, Interim ſperabam, fore ut abſolveretur Epiſtola ad Romanos, quam tibi cupiebam mittere. Nihil ſupererat, niſi Præfatio & Index. Supervenit gelu. Clauſa interim itinera. Sperabam, me ſtatim, atque gelu ſolutum eſſet, poſſe mittere. Falſus ſum. Vix ante paucas ſeptimanas abſoluta eſt impreſſio. Interim urgebat Hippocrates: cujus curam mihi reliquerat D. Lindanus p. m. & Heſychius, quem Schrevelius p. m. inceperat edere. Nunc etiam acceſſit novus labor. Ei, qui edebat Epiſtolam ad Romanos, promiſeram etiam Canticum, quum illam abſolviſſet. Venit alius, qui id peteret, & promitteret; ſe velocem ejus editionem curaturum. Obtuli loco ejus Apocalypſin. Accepit: ſed & inſtitit de Cantico. Putavi, non eſſe negligendam occaſionem. Sciebam enim, utrumque commentarium jam eſſe in hominum manibus: & Canticum quidem ſibi deſcribi curaſſe Eliſabetam Palatinam. Volui, dum viverem, operam dare, ut limatioribus cogitationibus illuſtrarem. Itaque factum eſt, ut uterque liber excudatur à diverſis Typographis. Cogor in ſeptimanam materiam utrique ad duo minimum folia porrigere. Hinc facile poteris exiſtimare, quid me à literarum ſcriptione impediverit. Præcipuum tamen fuit, quod ad te volui mittere Epiſtolam ad Romanos. Et dolet, quod ne nunc quidem poſſum mittere. Editor voluit effigiem meam addi. Ea ſculpitur. Sculptor indies promittit, & tantum non abſolvit, nec tamen manum de tabula abducit. Cogor igitur hunc nauclerum cum his ſolis mittere. Niſi quod ſpecimen mei Lexici incluſi. De quo velim, & mihi reſcribas, quid tibi videatur. Quod velim fieri per nauclerum aliquem, ut ei tum Epiſt. ad Romanos tradere poſſim. Nam per tabellarium nolo mittere. Nolim etiam te neſcire, nos omnes per Dei gratiam mediocriter valere. Selandi noſtri in primo adhuc ſuo ſtatu ſunt. Nondum vocor avus. Alioqui vivunt, ut volumus. Ex literis tuis video, te nonnunquam conflictari cum hominum perverſitate. Ego, ut noſti, paſſus ſum etiam meos manes. Sed incipio omnia commodius ferre. In hoc ſolo ſum, ut quid boni agam. Cætera permitto Deo. Quod juſſus es Catecheticas interrogationes excerpere, gratulor tibi. Ego jam aliquoties Catecheſin pertractavi in Collegiis. Et, quo magis id facio, eo magis delectat. Aliquando coegerunt me de tota Catecheſi aliquid dictare. Spero tuum laborem utilem fore Eccleſiæ. Neque enim tuum eſt hariolationes docere, aut à Scripturis abducere. Deus tibi det ſano & valenti opus id abſolvere. Hæc nunc habebam. Quia & aliò ſunt ſcribendæ literæ, hîc finiam. Dilectos tuos à me meiſque ſalvere cupio. Vale.

Lugd. a. d. 29. Martij 1665.

EPISTOLA CXVII.

JOHANNI MARTINO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Vir Reverende & Clarisſime, Domine & Amice Honorande.

QUum ſtudioſus hîc patrem ſuum Emdam comitaretur, volui eum onerare exemplari Epiſtolæ ad Romanos, quæ vix tandem è Typographeo eluctata eſt. Catechiſationem tuam, quam nomine Miniſterii veſtri adornas, opto feliciter procedere. Ego poſt nuper ad te datas literas cum febri tertiana conflictatus ſum. Senſi, quam imbecillis eſſem. Nunc vix redeo

deo ad me & necdum aëri me exponere audeo. Novi hîc nihil, nisi quæ jam totum Belgium commovent. Ego, nescio quomodo, metuo, ne hoc bellum non abeat fine magna calamitate utriusque partis. Justus est Deus & justa sunt judicia ejus. Tamen spero, Deum etiam aliquando misertum eorum, qui ipsi serviunt. Nobis satis est, ut, dum hic sumus, non impediamur bonum opus facere, & in eo faciundo tueamur bonam conscientiam. Ego hac vice finio, & Te ac Tuos ex animo Deo commendo. Idem faciunt mei, etiam Selandi, qui hîc apud me sunt. Vale.

Lugduni a. d. 13. Maij 1665.

EPISTOLA CXVIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Cliviam.

Reverende Vir, Amice Charissime.

ANte paucos dies dedi Epistolam ad Romanos Candidatorum nostrorum alicui, qui Cliviam tendebat, tibi offerendam. Spero, te eam accepisse. Tum filius meus describebat Notas ad Tabulam nostram. Satius enim putabam, uno aspectu omnem structuram delineare, quam literis signisque appositis chartam maculare. Ego ipse nondum tam felix fui, ut exemplar à Mathematico, quod Studiosi pro me fieri voluerunt, domi haberem. Cæterum idem artifex cogitaverat structuram hanc erigere è ligno. Sed, quia è manu laborat, & non habet, qui eum adjuvet, ab ipso nihil spero. Et nonnullius sumtus id foret. Nos autem frugales esse cogimur. Quod attinet significationem hujus templi, aliquid cogitavi & dictavi. Id te puto vidisse apud Studiosum unum atque alterum, qui hinc venit. Vin' scire, quomodo Lexicon procedat? Tota hieme ob gelu quievit: & interturbavit Canticum atque Apocalypsis. Deinde febris me oppressit. Nunc redeo ad opus. Versor in verbo שׁיר, Scio, multos multa optaturos, quæ ego non præstiti. Sed putant, tam facile id esse facere, atque ipsi cogitant. Canticum, ut & nuper scripsi, dedicavi Principi Elisabethæ. Ad te mitto duo Exemplaria, cui utrique addidi Apocalypsin. Tuum erit, ut ea exemplaria ad eam mittas, & munus verbis exornes. Nam tu mihi pararius es ejus notitiæ, quam ea habet mei: qui alioqui ipsi incognitus sum, & possem audax videri, si adirem ultro & solus. Mitto etiam tale Exemplar Serenissimæ Viduæ: cui ætatem longam & ævum tranquillum exopto. Tibi quoque Exemplar utriusque Scripti adjeci, ne recusares operam. Typographus ita mecum egit, ut amicis majori charta expressum dare non possim. Quod mihi debebat, studiosis vendidit. Vix pro Principe obtinui. Nostri homines non sunt avari, sed lucrum non possunt aspernari. Hæc nunc habebam. Redeo ad Lexicon. Nescis, quantopere ad finem aspirem. Vale recte & nos amare ac Deo commendare perge. Mea uxor & liberi, qui domi sunt, te & D. Socerum optime valere cupiunt. Meus filius Johannes Henricus imprimis Tuam Rev. salutat. Rev. D. Biermannum salute officiosa impertior.

Lugd. d. 24. Julij 1665.

EPISTOLA CXIX.

GERHARDO REHORN JOH. COCCEJUS.

Amstelodamum.

D. Rehorn.

POteras mihi parcere. Sed video, te ita indulgere tuo vitio, ut nemini parcas. Ego, quantum potui, cogitavi de te, & omni occasione promovere studui. Id tu ipse nosti. Norunt alii. Et nunc etiam cogitavi de eo, quomodo donum id, quod habes, posset fieri utile. De ea re cum D. Vander Hagen serio & συμπαθῶς & in ipsius & in meis ædibus & alibi communicavi; vix de alia re loquentes. Ab eo responsum etiam meis verbis habes. Sed, quia non molimur impossibilia & tibi non præstamus ocium, irasceris, & putas, te satis excusatum esse, si imposterum etiam mihi maledicas. Deus tibi condonet: & saniorem donet mentem. Hoc saltem scire debes, tuum non esse sugillare eos, qui in ministerio sunt. Deo reddituri sunt rationem. Christianus Christianum opportune docet, non sugillat. Id me auctore non fecisti. qui utinam minimam partem eorum, quæ ipsi faciunt, posses præstare. Sed facile video, qualibus hominibus debeam odia quorundam. Quæ narras à me dicta, non agnosco, nisi quatenus omnia eo tendunt, Qui docere & ædificare non potest, ei silendum esse. Quando tecum loquebar, non putabam, mihi opus esse Notario & testibus. Tu vero mihi insidiatus esse videris. Quæ scripsi in Præfatione ad Sanhedrin, eorum me necdum pœnitet. Utinam & tu & ego nihil ageremus aut diceremus, nisi ex scientia & in bona conscientia. De quo si cogitasses, puto, non scripsisses ad me tales literas. Nam, quæ nescis, effutis. Quæ de D. Heidano dicis, minime recordor. Una nobis mens est: proficiendum nobis esse. Dum hoc agimus, non in omni expositione idem sentimus: id uterque nostrum novit: & nos invicem toleramus. dum, quod verum est, videamus. Quid hoc ad te? An tua gloriatio est, si vel Heidanus vel Ego lapsi sumus? Imo quid ad te pertinet, nisi ut opus, quod potes, agas, in bona conscientia, & non præsumas, quæ mensuram tuam excedunt, & coneris proficere, & labores, & boni consulas, quo Deus te statu esse vult, & neminem offendas, nemini invideas, nemini maledicas, neminem turbes? Quod si fecisses, animum bonorum quorundam à te non alienasses. Vale & disce sapere.

Lugd. 1. Sept. 1665.

EPISTOLA CXX.

Serenissimo Principi, ac Domino

D. ERNESTO HASSIÆ LANDGRAVIO,

Domino meo Clementissimo.

Serenissime Princeps, Domine Clementissime.

ACcepi Tabulam, in qua differentiæ Opinionum, aut Religionum, quæ hoc tempore in mundo obtinent, contineri videntur, Tuo jussu ad me missam. Ego, ut oportuit, non neglexi illam rem, & omnino putavi meum esse, T. Celsit. demonstrare, me bonam conscientiam habere, quod nec decipiar, quum credo Scripturæ, nec decipiam, quum ex ea doceo. Quam conscientiæ pacem similiter omnes, qui sunt Ecclesiæ Reformatæ membra, habere possunt. Id T. Celsit. intelliget ex Præfatione, quam propter illam imprimis causam præfixi Commentario in Epistolam ad Romanos. Velim autem Tuæ Celsit. ita de me existimare. me, post fidem in Deum, inter præcipua habere, ut Tuæ Celsitudini non tantum gratum faciam sed etiam ostendam, me solo timore Dei compulsum non subjici hominibus. Deus opt. max. T. Celsit. misericordia & benignitate sua dignetur.

Scripsi Lugd. Bat. a. d. 5. Sept. 1665.
Tuæ Celsit.
Submissus Cultor
JOHANNES COCCEJUS.

EPISTOLA CXXI.

LUCÆ GERNLERO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Reverende Vir.

POstquam Reverendus D. Buxtorfius p. m. ad patriam piis præparatam progressus est, non puto mihi, dum superfum, faciendum, ut, quos reliquos habeo amicos Basileæ, non alloquio colam, imprimis te, cujus mihi erga Verbum Dei, & Ecclesiam ejus optima voluntas jam dudum perspecta est. Quum igitur nostri mercatores Francofurtum proficiscerentur, nolui eos meis destitutos ire literis. Quibus adjunxi Commentarium in Epistolam ad Romanos, itemque in Canticum & Apocalypsin, quæ his mensibus à nobis prodierunt. Ego, quando datur occasio, & sunt qui petant, libenter mea cogitata communico cum talibus, si forte quod accepi, maneat ociosum, & ut alii dent occasionem, plura & meliora meditandi. D. Buxtorfium audio in itinere esse ad nos, cujus me vultus vehementer exhilarabit. Nam ab ipso expectamus non sine causa, fore, ut Patris & Avi vestigia non tantum teneat, sed & superet. Nos hic cum gravi bello conflictamur. Jam sensimus ejus fructus. Sed vicinorum arrogantia non videtur pacem admissura. Et, quæ pax facra erit, quæ fides pactis? Classis nostra in alto est. Nuncius venit, eam nec tempestatem vidisse hactenus, nec hostem. Utinam nec nostra, nec illorum Classis inveniat, quos quærit. Nuper divina manu ab alio orbe reducta est Classis non paucarum navium salva, & in hostes non incidit. Sperandum est Deum tandem servorum suorum pœnitudine affectum iri,

 & hostes

& hostes Ecclesiæ compressurum. Ego R. T. valere cupio, & Ecclesiæ Dei prodesse. Vale.

Lugduni a. d. 5. Septembris 1665.

EPISTOLA CXXII.

ANTONIO PERIZONIO JOH. COCCEJUS.

Daventriam.

Vir Reverende & Clarissime.

IMprimis D. Heidanus & ego gratias agimus de missa ad nos Disputatione. Quod autem rogas nos sententiam, eam D. Heidani & meis verbis accipies. In ipsa Disputatione nihil est, quod offendat. Modum agendi, quem suades, licitum putamus & utilem apud eos, qui institutione indigent, ut rudes; imo etiam illis, qui proficere volunt. Judicamus eum, qui talem laborem suscipit, non parvam molestiam suscipere. Meminit D. Heidanus, Piscatorem talia exercitia habuisse. Ego memini D. Martinium Bremæ similia agitare, & me sub præsidio ejus respondisse de Levitico. Memini mihi quoque à Collegio Professorum, quum, Bremæ Professor essem, tales συζητήσεις esse impositas, & à me habitas, in quibus capita Scripturæ quædam proponebantur, ut liceret, qui vellet, Respondentem interrogare & responsa examinare. Non video in ea re esse periculum; nisi quis velit dicere, in omni institutione Ecclesiastica esse periculum, ideoque omittendam. Quis enim in sermone non peccat? Censemus tamen, utilius fuisse, nec in disputationem vocare hoc institutum, neque alios interrogare; sed facere. Vix duo reperiuntur hoc seculo, qui sibi invicem placeant, & vix unus, qui ferre possit, quod Collega agit, & non suas rationes putet esse potiores. φιλαυτία regnat. Quod ad *terminos* attinet, meum consilium exposui in Præfatione ad Epistolam ad Romanos. Ego fero multos terminos, quibus ipse non utor. Quos fero, eos ἰδιωτικῶς explico. Do autem operam, ut loquar, quemadmodum loquitur Scriptura, & Scripturam cum Scriptura conferam, donec appareat, hoc dicere Scripturam, quod Ecclesia credit verum esse aut falsum, & errantes male negant vel affirmant. Scio non unum, qui Studiosis dixerit, me esse obscurum. Scio esse, qui & in scripto dixit, me ipsum non intelligere, quod dico. Sed sunt per Dei gratiam & Viri & Studiosi, qui intelligant. Illi ipsi, qui hoc scripserunt, olim mea scripta intellexerunt & laudarunt. nunc non amplius intelligunt, quia is, cum quo jam conspirant, non vult ut intelligant. Sed illi imprudentes blasphemant Scripturam, quasi non doceat nos loqui perspicue & σαφῶς τι σοφίζειν. Deus ipsis condonet. Nos pro facultate & occasione, vel perpetuo sermone virilius docebimus, hortabimur, vel privatim instando convincemus, vel interrogando explorabimus, vel interrogantibus respondendo ædificabimus laboriosius; semper tamen hoc agemus, ut & ipsi loquamur ut θεοδίδακτοι, & alios sistamus θεοδιδάκτους. Deus labori tuo in Domino benedicat, & patriam communem conservet. Vale.

Lugduni a. d. 1. Octobris 1665.

EPISTOLA CXXIII.

D. F. F. JOHANNES COCCEJUS.

Reverende & Clarissime Vir.

QUod Christus dicit: Quum duo συμφωνήσωσιν &c. id fortasse etiam hodie in nobis ratum est. Sæpe cogitavi de loco Lucæ 18:8. nunquam mihi satisfeci, quod sciam. Nunc eum relegens iterum iterumque videor deprehendisse errorem in Versione. Belgæ sic vertunt: als hy komt. & Latinus vetus: *veniens*. Atqui non legitur ἐρχόμενος. sed ἐλθών. ἐλθὼν ἄρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; *quum venerit, an fidem inveniet in terra?* Fateor, dici etiam posse, Christum venisse, & tum non reperire fidem; quia sua natura prius est venire, posterius præsentem cognoscere, quod in visitatis est vel non est. attamen in tam conjuncta re, ubi simul est adventus & cognitio, potius Præsens usurpatur. ut Luc. 13:7. ἔρχομαι ζητῶν καὶ οὐχ εὑρίσκω. Quicquid sit, si non reddatur per Præsens, quod non est Præsens, copia erit facilioris explicationis. nempe hujus. 1. Venturum quidem Filium hominis ἐν τάχει, ut faciat ἐκδίκησιν electorum suorum. 2. Postquam id fecerit, vix fidem in terris mansuram. Intelligere enim possumus primum illum adventum Filii hominis ad erigendum regnum Dei & posterius sive novum seculum introducendum, & compescendam persecutionem gentilium. Venit Filius hominis & destruxit politiam & sacerdotium Judæorum: atque ita se regem demonstravit, finemque fecit diebus prioribus: & paulo post gentilium persecutionem fecit cessare. De ea re loquitur Paulus Rom. 16:20. ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει. De initio judicii, in Judæos scilicet, extat Matth. 16:28. εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσονται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, ἐλθὼν ἂν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, quemadmodum primo venturum se prædixerat. Porro, postquam venit, numquid deinceps etiam fidem invenit aut etiamnum invenit? Profecto clarum est, ab illo tempore τὴν ἀπιστίαν venisse. Si omnino placet retinere Præsens, distinguenda censeo illa duo. 1. ἐκδίκησιν ἐν τάχει. 2. ἄρα ἐλθὼν τὴν πίστιν εὑρήσει; q.d. Postquam ἐκδίκησις facta erit, putas ne futurum, ut, quoties Filius hominis visitaturus est mundum, fidem in eo repertuus sit? Hoc scil. sensu: Ex illo tempore ita invalituram ἀπιστίαν, ut pii homines dubitare cogantur, an superfint præter se alii fideles, ut est Psalm. 12:2. aut Christus etiam in die novissimo repertuus sit fidem in mundo. Qui sensus cum clarus sit, debet etiam nobis satisfacere, ut non dicamus, hic à Christo negari, fidem futuram in terra, quum ipse ad judicium venturus est. Alioqui reperio me de hoc dicto scripsisse ad Psalmum 93:5. & Cantici §. 510. Quod si porro nostra tempora intueamur, nonne verum est, Deum Belgio fecisse ἐκδίκησιν, & ex illo fidem labascere? Deinde, si non fallimur in eo, quod putamus tempora ἐκδικήσεως instare, nonne verum est, paucos habere τὴν πίστιν? h.e. ταύτην τὴν πίστιν: nempe quod jam adsit Christus vindictam sumturus: illam, de qua est Deuter. 32:36. & sequentibus. Quotusquisque enim est ubique, qui norit, quid Deus de ἐκδικήσει & tempore ejus prædicat? aut sciat, quid factum sit secundum promissiones Dei? Certe ii, qui in errore versantur, non vident, quomodo impletæ sint hactenus prophetiæ; atque ideo dicit Babylon illa: Sedeo regina, & non videbo luctum. Apoc. 18:7. Ita etiam agetur in consummatione seculi. 1. Thess. 5:3. 2. Petr. 3:3. 4. Sed quid? putas ne, ubi est pax, ibi esse in credentibus etiam, quantam oportet, cupiditatem exeundi? quantam habuit Paulus? Phil. 1:23. Canticum finit in prece, qua Ecclesia Christum incitat, ut occupet regnum in terra: non adjungit desiderium diei ultimæ, ut patefiat regnum gloriæ. Sic τὴν πίστιν in specie accipiemus pro πίστει τῆς Χριστοῦ ἡμέρας. de qua 2. Petr. 3:12. 13. Habes ἐνδόσιμον, Vir Clarissime, neque dubito, quin hæc sis accurate pensiculaturus, & ad ea ex thesauro tuo additurus nova. Unum hinc concludo, nos non ἀργεῖ facere, quod scrutamur, εἰς τίνα καὶ ποῖον καιρὸν τὸ πνεῦμα δηλοῖ τοῖς Κυρίου δούλοις. quod studium plerique irrident. Utinam vero serio optaremus esse cum Christo, & non nimis diligeremus præsentia! aut non nimis libenter hic *diu* essemus in terra!

De Pythonissa 1. Sam. 28. ita mihi videtur: finxisse pessimam fœminam multa. tamen negari non posse, quin vel ipsa vel Saul audiverit vocem, quæ ei denuntiaret, quæ mox futura erant. Vocem eam ejus fuisse, cujus erat, se fingere Samuelem. Vaticinium divinum etiam per Diabolum pronunciari potest. Ita oracula in gentibus vaticinata sunt. Atque hæc de quæsitis.

18. Febr. 1666.

EPISTOLA CXXIV.

JOH. RUDOLPHO WETSTENIO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Vir Reverende & Clarissime, Domine & Frater in Christo Honorande.

EQuidem nescio, quid ante 27. annos à me geri potuerit febricitante, aut etiam, nisi febriculosum, dici potuerit, ut ejus meminisse volueris; & quidem cum benevolentia. Mihi tamen jucundissimum est, quod nata occasio est, qua affectum erga me tuum mihi significares. Postquam enim R. D. Buxtorfium p. m. amisi, me pro uno non unum imposterum, si me Deus velit rebus mortalium adhuc aliquantisper interesse, habiturum spero, cujus me εὐνοίᾳ consoler, si aliorum turbet φιλονεικία. Quod ornatissimum D. Seilerum attinet, eum ita animo complector, ut nihil cupiam, quam aliquid ad ipsius utilitatem aut exspectationem explendam conferre ac facere. Quod libros meos attinet, supra spem meam est, eos tam benigne à vobis accipi, quemadmodum præter exspectationem, quod non pauci offenduntur, si quid omnino scribam. Ostendunt enim satis, se nolle quicquam, quod à nobis proficiscitur, legi. Quare, Vir Reverende etiam atque etiam vide, ne erres, dum putas in chartis nostris esse aliquid boni. Sunt enim & quidem οἱ πάνυ, qui longe aliter sentiunt. Sed, ut ut fit, ego magis obsequor faventibus, &, ut ulciscar minus faventes, adhuc scribo: hoc unicum spectans, ne sepeliam aliquod donum, aut minus consulam auditoribus, aut, dum adversarii veritatis ganniunt atque ululant, sim canis mutus; qui pro virili parte

parte loquar, ministerium accepi. Quod locum Rom. 5:12. attinet, video Melanchtonem Hebraicam phrasin asserere: nempe, quod dicitur, πάντες ἥμαρτον, id notare, omnes rei facti sunt & habent peccatum. Neque enim solum reatum intelligi. Puto, illum respicere ad illos locos Genes. 43:9. & 1. Reg. 1:21. Neque enim illa explicatio rejicienda est. Apostolus autem sibi ipse verborum suorum interpres locuples est: dum dicit 1. δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα. vs. 18. 2. διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν. vs. 19. Quorum primum notat, eadem sententia legis & patrem transgressorem & filios transgressoris damnari, ut hi à patre suo hæreditatem imaginis Dei accipere non potuerint. Alterum autem notat, eos, qui ab Adamo proveniunt, esse ἁμαρτωλοὺς, h.e. reos, τέκνα ὀργῆς & πονηρίας. quippe ἀπηλλοτριωμένους τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ. ut est Ephes. 4:18. Unde in omnibus est ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος ὁ κακεργητικός. Proba est sine dubio hæc explicatio. Sed ego in Commentario meo hoc spectavi, de omnibus dici, antequam essent, nos peccasse. Id judicavi facillime sic explicari, quemadmodum dicitur, quia unus mortuus est pro omnibus, omnes mortuos esse, 2. Corinth. 5:15. Quia parens omnium peccavit, filii omnes peccarunt. non quod actum commiserint, ut parens, sed, quia non possunt, quando nascuntur, alio loco esse, atque quo parens est, & sub eodem jacent judicio, ut nec sancti aut recti, nec vitæ æternæ candidati sint. Igitur necesse est, eos, quando aliquid cogitant, male omnia cogitare & concupiscere. Quantum possum, facilitatem quæro & evidentiam. Sed aliis videor obscurus. Ita statuas, Rev. Vir, me cupere tibi omne probare amici & fratris in Christo studium. Vale cum bono Ecclesiæ.

Lugd. d. 22. Mart. 1666.

EPISTOLA CXXV.

Joh. Rudolpho Wetstenio Joh. Coccejus.

Basileam.

Vir Clarissime.

ANte paucas septimanas dedi ad R.T. literas bibliopolis nostris, qui Francofurtum ibant. Nunc D. Seilerus noster mihi significat, se in patriam revocatum eo abire constituisse. Non potui eum dimittere non oneratum meis literis: qui, ex quo huc venit, facile impetravit amorem nostrum. Et nobis quidem honori est, à talibus non negligi: utinam vero aliquid, quo ipsius satisfactum sit exspectationi, hîc reperisset. Deum oro, ut eum porro conservet, & Ecclesiæ suæ luminare esse velit. Cæterum nos, per Dei gratiam, mediocriter valemus; ad pacem vero ex turbis, in quibus sumus, anhelamus. Blandiuntur nobis rumores, cum Episcopo nos pacem habere. Quod an verum sit mox apparebit. Utinam Deus Anglis det sapere & non se efferre neque in regno Christi, neque in regno hujus mundi. D. Buxtorfius hac septimana ad illos ivit. Deus faxit, ut rebus lætioribus ad nos revertatur. Quandoquidem nihil præterea habeo, quod scribam, venit mihi in mentem, R.T. rogare, ut mihi sententiam suam exponat, an videatur fundata esse distinctio inter Sabbatum Decalogicum & Veteris Testamenti? Sic apud nos quidam loquuntur; me quidem & aliis mirantibus. nempe volunt, Exod. 20:8. & 10. non præcise septimum, h.e. ultimum, diem hebdomadæ significari; sed aliquem diem ex septem notari; quo opus non fiat. Id esse morale. Sed observare septimum fuisse injunctum Israëlitis Lege Veteris Testamenti. Et, quod Apostolus dicit Coloss. 2:16. esse intelligendum de Sabbato Veteris Testamenti, non de Decalogico.

Credo, Calvinum, si revivisceret, & hanc distinctionem audiret, erasurum fuisse, quæ scripsit in Institutione. Nunc ego delibero, quid mihi faciendum sit. Difficile mihi assentiri: sed tamen, quia aliquid de Sabbato scripsi, ideo forte minus me afficit ea subtilitas. Velim igitur T. R. & R. D. Collegas tuos D. Gernlerum & D. Zuingerum, quos ex animo saluto, hîc mihi auctores fieri, quid ipsis videatur sequendum. Vale, Vir Rev. Deus nobis det verum amare & eo accedere in pace.

Lugduni a. d. 11. April. 1666.

EPISTOLA CXXVI.

Petro à Falbruch Joh. Coccejus.

Præstantissime D. Falbruchi.

JUvenis quem mihi commendasti erit mihi commendatissimus, illius erit crebro me interrogare, & si qua in re possim ipsi commodus esse, opera mea uti. Quod te bellici apparatus terruerunt, non mirum est; sumserunt sibi hostes Christi eam audaciam, ut quum scirent, Ordines nostros nil nisi pacem spectare, & se ad quietem componere & bellum non exspectare, & Capite carere & imparatos esse ab omnibus rebus, putarent jam tempus esse, quo extinguere hanc Rempublicam, imo Ecclesiam, quæ hîc colligitur, possent. Quod si non id studium pacis & ea securitas in nostris fuisset (qui cupiverunt populis diu satis afflictis solatium afferre) non ausi fuissent quicquam tentare. Deus vero ipsorum consilia frustratus est. Nos nihil egimus: nunc pacem factam esse nunciatur nobis. Quod si ita est, adhuc agnoscendus est Christus, verberans & sanans, ut est Deut. 32:39. Operæ pretium vero est animadvertere, quid in mundo agatur ab aliquot annis. Christi signum in cœlo cognitum est. Homines non agunt pœnitentiam. Feriuntur, lugent, plangunt. Matth. 24:30. Deus vero percutit & sanat. Sed quæ tandem erit sors eorum, qui persequuti sunt Ecclesiam Dei? Quantum ego de iis rebus cogitare possum, in scriptis meis ostendo. In quibus hoc ago, ne quid temere videar de futuris pronunciasse, sed ut appareat, me esse inter eos, qui exspectant, ac in specula stant, &, quæ Deus facit, observare. Hoc nos facere æquum est, non temere pronunciare. Ego libenter intellexi, tecum & cum fratre tuo bene agi. Deum oro, ut vobis adsit, ut per demonstrationem veritatis ad conscientiam plurimum lucrifaciatis. Vale cum præstantissimo fratre.

Lugduni a. d. 23. Aprilis 1666.

EPISTOLA CXXVII.

Johanni Henrico Heideggero Joh. Coccejus.

Tigurum.

Reverende Vir.

AD priores tuas literas mense Novembri datas, Majo traditas, respondi nuper. Responsum misi ad D. Hundium. Quod studiis meis faves, studiosiorem me facis. Danielem jam propemodum absolvi. Si Deus volet, Ezechielem proximo anno edemus. Epistola ad Ephesios procedit. Gaudeo, quod popularibus tuis communicasti sensum Cantici Mosis. Nam est id magni momenti. Omnes legunt ut non legentes. Disputationes reliquas in Johannem, quas possum, mitto. Filius meus ita liberaliter distribuit, ut mihi quarundam tantum unum superfit exemplar. Accedo nunc ad Quæstiones. I. Lex, quæ opponitur Promissioni ab Apostolo, quam dicit παρεισελθεῖν, est Lex dogmatum sive præcepti carnalis, non pura puta Lex operum. Sed appellatur *Lex* simpliciter, quia aliquid propter peccatum nondum expiatum imponit. Peccatum autem contra Legem operum est. Et peccatum persequi est Legis operum sive κατάρας, καταγέλωτος, ὀργῆς. Sed illa non mere intelligenda sunt. Lex dogmatum tendit ad confessionem peccati necdum expiati, & ita ad exhibitionem chirographi: tum ad confessionem fidei in Christum. Ea confessio pertinet in se ad fœdus Gratiæ. Nam Patres sperantes in Christum confitebantur, peccatum suum necdum expiatum esse, & Christum sacerdotem se expectare, qui sacrificium offerret. Lex accedens exegit molesta opera, per totam vitam exercenda, per quæ fieret illa confessio. Ergo Lex fœderi Gratiæ sive præcepto fidei subordinata fuit. Justificabantur per fidem, non per opera illa: sed fidem abnegabant, qui se Legi non subjiciebant. Manet igitur fœdus Gratiæ solum, etiam quando Lex accessit. II. Ea quæ dixi, opera molesta facere erat servitutem pati. Spiritus fidei tum suadebat id opus ferre. Ideo *Spiritus servitutis* dici recte potuit in oppositione πνεύματος υἱοθεσίας. III. Pietas habet promissiones hujus & futuræ vitæ. Israël accepit inter promissiones hujus vitæ illam, quæ adjicitur Præcepto quinto. Sed terra illa *hæreditas populi Dei* dicitur figurate, ut symbolum & pignus patriæ melioris. Gen. 17:8. promittitur possessio terræ Canaan perpetua, & ei promissioni adjungitur promissio, quod tunc futurus sit ipsis in Deum. h. e. quod tunc, quando terram ipsis dedisset (in eventu erat redditio per reductionem ex captivitate Babylonica) ἀπολύτρωσιν esset facturus, & abrogaturus dominationem Deorum nuncupatorum, ut, quemadmodum explicatur Jerem. 31. solius Dei populus sint. Est ea promissio regni Dei. Promittitur autem, populum possessurum & impleturum terram illam, & ex ea non ejectum iri, donec Jehovah ipsis fiat in Deum. Quid post deinde futurum sit, ibi non dicitur. Sed ex Psalm. 81:16. liquet, Israëlem, si credidisset, terram patrum suorum retenturum fuisse. IV. Promissio vitæ non pendet à sola dignitate Mediatoris, sed & ab obedientia. Ex promissione est jus ad vitam, sed propter δικαίωμα: quod est ὑπακοή. Rom. 5:16. 18. 19. Ita in Christo justificamur. Justificatio autem fit secundum Legem. Lex dicit: *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Quomodo igitur senten-

tia Legis justificamur? Christus justus servus Dei vivit in membris suis & in illis lætatur & glorificatur, quia Legi obedivit. Quod attinet statum hujus Reipublicæ, pacem nacti sumus à vicino hoste: classis ex portu solvit. Sicut præcedenti anno à Deo factum est, non ab hostibus, ut inferiores essemus: ita nunc Deo nos & causam nostram commendamus; sperantes, eum aliquando respecturum ad nos. Est hoc tempus [illegible]. Matth. 24: 30. Zach. 12. Deus patriæ tuæ pacem fartam tectam esse velit, & vos faciat luminaria in Ecclesia sua. D. Huldrico D. Hottingero plurimam salutem dico.

Lugd. a. d. 6. Junij st. n. 1666.

EPISTOLA CXXVIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende Vir, D. & Amice charissime.

BEne est, Vivis, vales, mei memor es, res missæ à me ad te, ad principes pervenerunt. Hoc anno id scire desideravi. Eam ob rem questus sum de taciturnitate tua apud D. Hundium, & de te sciscitatus sum per alios & ipse apud D. Friessemium. Nunc id scio ex tuis literis. Id satis est. Venerunt libri mei ad doctissimæ Principis manus. Non potuit displicere meum factum. quod ad hoc comparatum est, ut ipsa exemplum fieret multis scrutationis sacrarum Literarum, & ipsa sibi. Est, qui mihi narrat, eam de me inquisivisse, apud ipsum, qui Lugduno venerat. [illegible]. Mitto nunc Danielem. quem excipies, ut soles. In Lexico perveni ad [illegible] / Judica, an possis hominem me pertinaciorem reperire. Nunc, quod moves ex Esa. 24: 22. videamus. Fateor, ad Ezech. 38: 8. ita explicaveram, תִּפָּקֵד: לא *non erunt.* Et, puto, non male. quia aliquando non erunt. Sed, quia interim evenit, quod evenit, sensi, me nimis properasse. Poteram ex vs. 23. intelligere, *qui pudefaciendi sunt*, eos tum fore, quando pudefient; & fore, tanquam Solem & Lunam. Sed consideremus propius, quid prophetia dicat. I. *Visitabit Deus super* [illegible] *celsi in celso*, h. e. episcopos, & *super reges terra in terra.* Quomodo? 1. *Congregabuntur.* in Parlamento. 2. *Vinctus ad foveam.* de vinctis capitis supplicium sumetur. 3. *& includentur in claustrum.* Principes, episcopi, latitabunt, non audebunt apparere. II. *A multis diebus visitabuntur.* requirentur, revocabuntur, restituentur. Negas *multos dies* intercessisse. Considera, non potuisse longius tempus intercedere; ut in quibusdam iisdem ea verificarentur: ut includi, visitari, lucere, pudefieri. Rex duodecimo anno à morte patris restitutus est. Mihi videtur, illis satis longum tempus fuisse. III. *Sol & Luna pudefiet.* Subintelligitur, rursus fore tanquam Solem & Lunam, & utrosque magnas spes concepturos & magna affectaturos: sed eam spem decollaturam. Caput XXV. hæc distinctius explicat. In eo fidelis animadvertens opera Dei laudat veritatem Dei, & agnoscit, tempus venisse consiliorum Dei implendorum, & promittit futura. Quæ sunt opera Dei, quæ animadvertit? *Urbem fecisti acervum.* Regnum confudisti. *civitatem arduam ruinam.* Domum celsam dejecisti. Dasz haus der Lords. *Palatium alienorum ex urbe.* Ex republica fecisti arcem hominum, ad quos non pertinebat dominatio. Quis exitus? Hoc palatium *in perpetuum non ædificabitur.* Prædicit, abolitum iri dominationem alienorum. Finita est Cromwelliana dominatio. Ex eo pollicetur fidelis, *Propter eam causam fore, ut Deum glorificet populus robustus, & civitas gentium violentarum Deum timeat.* Observa in his, post casum domus superioris, עם *populum robustum*, & rursus *civitatem gentium*, hoc est, regnum. In eo regno autem *violentiam. Gentium violentarum.* Quando igitur priora facta, jubet Propheta hoc exspectare, & non commoveri nos, si videamus *civitatem gentium violentarum.* Nam *violentiam* eam in *timorem* versuram. Quomodo igitur id fiet? *Quum extiteris arx tenui*, illis, qui non habent reges & duces, neque sunt principes, neque ἄρχοντες *in Ecclesia. Arx egeno, quum arctum esset ipsi.* Novit Deus, an non fuerimus coarctati. *Refugium ab imbre, umbra ab æstu. Nam spiritus violentorum ut imber parietem evertens.* Talis nobis Cromwellius, talis Rex. *Ut æstum in arido tumultum alienorum compesces.* Factum Cromwellianis temporibus. Ut *æstus per umbram nubis, cantus violentorum remittitur.* Cantabunt, triumphabunt: desinent cantare. *Deus* porrò *faciet populis convivium medullarum convivium fecum.* simpliciter. multis populis gaudia in acerbitatem mutabit. Nescio, an hoc jam impleri cœptum sit. Cæsarianis bellum & victoriæ cesserunt in dolorem. Hispano item. Carolo Gustavo similiter. Quid Anglis? An vero & hoc ad implementum pertinet: voluptates multis in acerbitatem vertunt? Sequitur: *Et abolebit faciem involucri. &c.* Sed de futuris parco loqui. Sufficit mihi, hactenus invenisse veritatem prophetiæ. Quod Serenissima me & uxorem salutat, est nobis gratissimum. Potes Serenit. Ipsius affirmare, nullum diem abire, quo non cogitem & pro viribus studeam fidem meam exsolvere. Sed nosti ingenium meum. non facile mihi satisfacio. Et vellem post tot Lexica non videri actum egisse. Rogo te, significes Serenit. Ipsius me orare Deum, ut diutissime vivat, & videat pacem Hierosolymæ, & ex nuptiis Serenissimi Filii posteritatem felicissimam. Hi principes, qui amant Deum, erunt *Luna*, consolatio in afflictis in seculi hujus miseriis, *& non pudefient*, sed lux eorum aliquando erit, ut Solis. Esa. 30: 26. Quod attinet res meas, eo quidem senesco, & non fero multum molestiæ. Ante dies quatuordecim ex æstu nimio febricula cum erysipelate me corripuit. Transiit hoc. Nunc quietem & ἀνάψυξιν quæro. Sed quare non sperem, me tuam faciem visurum Lugduni hac æstate, quum certum sit, te Clivos cum Principe Serenissima venturum? Id vero enixe è te peto. Vale. Mei te ex animo salutant. D. Biermannum etiam atque etiam saluto. Lugd. a. d. 25. Julii 1666.

EPISTOLA CXXIX.

ADRIANO PAULI JOH. COCCEJUS.

Hammonam.

Reverende & Clarissime Vir.

INexspectatus obitus R. D. Martinii p. m. mihi admodum tristis fuit; idque eo magis, quia tanto tempore nos invicem dilexeramus sincere, quodque nullum habeo superstitem, qui ita amicus sim. Atque eo magis eum desidero, quia paucis diebus ante mortem me cum uxore invisit, & nobiscum exhilaratus est; ita ut quasi à latere meo videatur esse avulsus. Doleo, ipsius laborem utilissimum, Concordantias intelligo, hoc subito ipsius fine esse interruptum. Spero tamen, D. Generum ipsius id opus esse continuaturum & Ecclesiæ communicaturum. Me quod attinet, antiquum obtinemus; per Dei gratiam valemus mediocriter. nisi quod proximo tempore febris me non semel corripuit & diu detinuit. Sentio etiam, me viribus non iisdem esse, quibus antea eram; ita pedetentim ad metam nostram currimus. R. Fratrem tuum feliciter matrimonium junxisse, & Scholam Stenofurtanam ornaturum, libenter accepi. Deum oro, ut ministerium ipsius floreat & feliciter succedat. Cæterum, ut veterem meum affectum erga te & fratrem tuum testarer, ad id me invitavit scribendi occasio. Intellexi, D. Fuchsium apud vos Philosophiæ Professorem extremum diem finivisse, & ejus successore indigere Scholam vestram. Solent, ut nosti, qui sua studia ad bonum publicum direxerunt, occasionibus invigilare. Est qui huic occasioni se offert, juvenis egregius, dignus, qui quæreretur. Abrahamo von Gulich ei nomen. Patrem habet, qui stipendia sub D. D. Ordinibus meret, Virum pium & prole divitem. Deus dedit nostro huic ingenium singulare, &, cum ad veritatem discendam, tum ad eam manifestandam, eximium. Maxime is quidem incubuit in Sacras literas, ut eas exactissime disceret, & ad sensum earum penitissimum, certissimumque penetraret: tamen & bonis literis & Philosophiæ non inertem operam impendit, inque hac ita versatus est, ut non fecerit se servum, sed possit discernere inter utilia & inutilia. Denique eas animi vires ipsi dedit Deus, ut non dubitem quin ad quamcunque partem se applicuerit utilis institutionis, satis facturus sit officio. Est præterea in eo modestia bono animo digna, & fuga vanitatis atque τῦφου, de quo, dum solida diligentissime consectatur, ne cogitare quidem potuit. Eum si tua commendatio promoverit, certum habe, te bono benefecisse, & certum lucrifecisse amicum, & mihi rem gratam fecisse. Nam impendio ipsum diligo: quanquam non solus, sed cum omnibus, qui eum norunt; qui multi sunt. Porro quæ à me proficisci possunt, officia ea tibi & tuis parata esse, non puto te dubitare. Vale & dilectam à me saluta. Lugd. a. d. 18. Octob. 1666.

Cl. D. Horenbeeck p. m. successor à D. D. Curatoribus vocatus est D. Benedictus Turretinus Genevensis, qui ante annos aliquot, quum hîc esset Reipublicæ causa, mire placuit. An eum habituri simus, incertum est. Tamen nostri ut eum obtineant, omnia moliuntur, quod spero feliciter proventurum.

EPISTOLA CXXX.

JOHANNI HENRICO HOTTINGERO JOH. COCCEJUS.

Tigurum.

Vir Reverende & Clarissime.

QUum considero acerbam mortem Clarissimi D. Hoornbeeckii Collegæ nostri, cogor deplorare sortem, non humanitatis, sed Academiarum. Nam, quum, qui in ea docent, ad maturitatem non procedunt, quum, quæ didicerunt, satis longo tempore cum aliis communicare non possunt, manet institutio imperfecta, & vix ad colophonem, vix ad loquentium in sermone consensum & conspirationem proficere potest. Hanc meam querimoniam mitigat consilium D.D. Curatorum & Consulum hujus civitatis, qui Rev. Tuam nobis Collegam dare, & ad sacram Professionem in Academia hac vocare decreverunt. Quod quum mihi cognitum esset, putavi, partium mearum esse, R.T. significare, quid judicem ad bonum Ecclesiæ Reformatæ & institutionis Theologicæ hoc D.D. Curatorum nostræ Academiæ de T. R. judicio & hac vocatione allatum esse commodi. Nemo puto ignorat, nec T. R. diffitetur, nostram Academiam in maxime illustri loco in Ecclesiis Reformatis esse positam. In ea vero concordes esse Professores Theologiæ, aut saltem studere esse concordes, & se invicem non criminari, sed potius benigne invicem sua dicta interpretari, maximi referre, minime est obscurum. Id bonum hactenus non potuimus obtinere. Cujus culpa sit, Deus & prudentes judicabunt, mea certe scripta testabuntur, me nemini nostrorum obtrectavisse, & hoc unice operam dedisse ut cum Scriptura & loquerer & sentirem, nec à Catecheti & à Confessionibus discederem. Nam Ecclesiarum nostrarum sententiam ex animo approbavi. Est autem in te, R. Vir (quod facile, ut non adulabunde dictum, quod scis, me non consuevisse, accipies) id, quod nobis spem facit, non tantum optime inter nos convenire posse, sed etiam consensum nostrum non cariturum pondere. Quod Paulus Timotheo dicebat, id tibi dico palam: *A pueris sacras Literas novisti.* Nosti melius, quam fere omnes nostri seculi, ingenium & proprietatem sacræ dictionis. Adferre etiam potes ornamenta ex Orientalibus Linguis & Scriptoribus Ecclesiasticis & Ecclesiæ historia, quanta vix ullus. Hæc nobis bonam spem faciunt. Utinam igitur possemus te nancisci Collegam & συνεργὸν in Domino! Quid de nobis judices penes te est. Nos scimus, nos habere optimam voluntatem erga eos, qui sacras Literas honorant, & ex eis nobiscum cupiunt discere. Et à Germano non possumus nisi apertum pectus exspectare. Erit, ita animus præsagit, id totius Ecclesiæ Reformatæ bonum. Tantum Deus faveat nobis & non finat aberrare. Propemodum quum ita scribo, (& scribo serio) mihi polliceor, te postpositis commodis tuis, hanc occasionem charissimam tua Ecclesiæ illustrius communicandi non neglecturum. Quod si aliter evenerit, metuo, ne non tantum, quos vellemus & probamus, non habeamus Collegas, sed etiam quos nollemus, & vitam nostram in tristitia conficiamus. Non desunt homines temerarii, assentatores, obtrectatores, factioli, qui Satanæ operam navant, ut regno Christi incommodent. Ego Deum rogo, ut optima tibi inspiret consilia, & Ecclesiam suam faciat lucere in mundo, non per humanas conjecturas, non per humanum nomen, sed per λόγῳ τοῦ θεοῦ & τὸ αὐτὸ λέγειν ἐν τῷ αὐτῷ φρονήματι κατὰ τὸν τοῦ θεοῦ λόγον. Vale cum dilectissima uxore. Amicis salutem officiosam adscribo, D. Heideggero, D. Huldrico imprimis. Vale.

Lugd. Batav. a. d. 8. Decemb. 1666.

Hæc scripseram, quum accidit ut D. Heidanus mecum esset; cui hanc scripturam ostendi, qui utroque pollice hæc approbavit, & me hæc etiam suo nomine ad R.T. mittere, & officiose te salutare jussit.

EPISTOLA CXXXI.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende Vir, Amice Honorande.

SPeraveram, me D. Hundium p. m. & te hic visurum hac æstate, quia Clivos usque vos ituros cognoveram. Nunc D. Hundii acerbam mortem deploramus: de te autem nihil scio, quod mihi molestum est. Et, quod quidem attinet Academiam Duysburgensem, vereor, ne juventus, quæ cœperat S. Literas quærere, relabatur ad pristinam χειλαντιῶ κακοφωνίαν. Quod vero nostram attinet, in quo D. Hoornbeeck nos reliquit, nescimus, quem successorem habituri simus. Turretinus excusavit. Hottingerus vocatus est. Hoc videmus, illum, dum viveret, suis susurris multum egisse. Ego interim mediocriter valeo, & in instituto pergo. Jam ante duos menses Serenissima Princeps scire debuerat, me, per Dei gratiam, Lexicon, quod mihi injunxerat, absolvisse; ita, ut prelo paratum esset. Sed, quia editorem exspectabam, nolui id perscribere. Quum igitur nudius tertius editor typographum conduxerit, isque omnem lapidem moturus sit, ut propediem paratus sit (novis enim quibusdam literis indiget) putavi, mei officii esse, id significare. Spero, Deum mihi eam largiturum gratiam, ut sanus editioni præsim: &, ut Serenissima Princeps opus editum videat, nisi bellum hoc faciat, ut ob defectum bonæ chartæ prodire non possimus. Ea enim ex Gallia venit. Velim Serenitatem ipsius verbis meis humillime salutes & rem indices: tum ut mihi mittas titulum suæ Celsitudinis; ut in tempore omnia necessaria parare possim. Vale salutatus ab uxore & liberis. Scias à me ex secunda filia avum factum, nepote Jacobo Huneken auctum. Velim à te ante hiemem videre literas. Deo te & familiam commendo.

Lugd. a. d. 13 Decemb. 1666.

EPISTOLA CXXXII.

ABRAHAMO GULICHIO JOH. COCCEJUS.

Neomagum.

Doctissime Vir, Amice Charissime.

IMprimis Deo gratias ago, qui facit, ut nostra studia non sint in universum odiosa, & nomen nostrum alicubi adhuc non male oleat. Nam ita existimo, neminem tua studia amaturum esse atque æstimaturum, qui de nobis male sentiat. Tibi autem gratulor ex animo, quod Deus tibi assignavit locum, ubi experiaris, quid à Deo ex S. Scripturis didiceris, & ex eis fructum capias, docendo alios, & quotidiano labore ad ea adjicias accessionem. Et, quandoquidem mihi polliceor atque spondeo, te in eo versaturum semper, ut facias, quantum pote, Verbum Christi copiose in auditoribus tuis habitare, gratulor Ecclesiæ; sperans Deum benedicturum labori tuo & nostro, ut aliquando videamus plurimos aquas bibere ex fontibus salutis. Intellexeram hodie mane ex Bibliopola, decretam esse tibi provinciam honestissimam. Jam cœperam accusare moram literarum tuarum, quibus id edocerer. Eas commodum attulit D. van Haren noster. Quæ me admodum exhilararunt. Facies imposterum quoque, ut mutuis colloquiis literariis studia nostra vigeant. Deum autem oro, ut miseris nobis peccatoribus adesse dignetur, & tum sermonem det nobis, qui sit utilis ad pietatem, & ostium sermoni aperiat. Omnia enim in ipsius sita sunt gratia. Clar. D. Wittichium amo, quod tibi ad hunc gradum adjutor fuerit. Eum plurimum salvere jubeo. Vale 3. Januar. 1667. quo anno utinam videamus initia spei nostræ!

Patri tuo viro optimo gratulor hoc gaudium, quod Deus et perpetuum & solidum esse velit.

EPISTOLA CXXXIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Gener Charissime.

. . . . Quod de cœlitibus te torquet, non tanti est. Etiam illi, liberi à servitute, tamen in eo statu nondum consecuti fuerunt consummationem, quod causam salutis, nisi nobiscum. quod fuerunt in terra, fuerunt & in cœlo, Electi & Sancti Dei & justificati & in gloriam introducti propter Sponsorem consummandum sed nondum consummatum. Recte judicas, Patres regenerationem & sanctificationem & fidem non accepisse ex Vet. Test. sed ex Testamento simpliciter. Quod autem addis *ex Fœdere gratiæ*, decipit te communis consuetudo loquendi. Non enim distinguunt Testamentum & Fœdus, in quo est legislatio & promissio boni, quod sequitur obedientiam. Summa, ex Testamento est, quicquid accipimus: quod autem datur, ut ἀνταποδόσεως: etiam ex Fœdere est. quamquam ex Fœdere Dei cum Christo est etiam, quicquid accipimus. Ad Testamentum simpliciter accedit Vet. & Nov. Test. Igitur per hæc efficitur varietas Status fidelium in hac vita, ut & varietas χάριτος fide. Num. 12: 6. 7. 8. non exponitur omnis ratio revelationis, quæ contingit Prophetis. Nam de missione Angeli non est ἀλλ' χρ. Sed, si Deus ipse Prophetam alloquatur modo quo

do quodam excellentiori, hoc fit in ἐγρήγορσις (ut Ezechieli contigit) aut in somno. Huc refer, quod Samuel audivit vocem Dei ex templo. Moses omnes supergreditur, quia *speciem Dei vidit & ita verba Dei accepit.* Hoc Judæi non intelligunt. Et est ænigma. Ego existimo, eum vidisse Filium Dei, quemadmodum postea manifestatus est in carne. Ad quam visionem etiam Seniores aliquatenus admissi sunt Exod. 24. Nam Moses nondum vidit, ut videbimus in altera vita. Exod. 33.

9. Febr. 1667.

EPISTOLA CXXXIV.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

. . . . Quod attinet electos, antequam credant, justi non sunt; quia non credunt: ideoque sub ira sunt; hoc est, in eo statu, in quo salvi esse non possunt: neque tamen ipsis imputantur peccata, ut indurentur, ut ad peccatum maximum prolabantur; quia Christi oves sunt. h. e. ipsi dati sunt. Verbum, *non imputare peccata & remittere peccata* non æque patent. Remittuntur peccata iis, qui in Christo sunt: non imputantur iis, qui conservantur à maximo peccato, qui vocantur & salvi futuri sunt. Christi meritum esse ex condigno dixi, ratione dignitatis personæ. Ideo τίμιον ipsius αἷμα & τιμή. Sed, ne creaturarum obedientia sit meritum ex condigno, plura obstant. Non meretur, ut beneficium Deo datum; non ut indebitum; non ut proprium ejus qui eam præstat. Obedientia Filii est Filii propria. Non requiruntur omnes conditiones ad meritum ex condigno: sed in obedientia hominis sive creaturæ nulla est conditio meriti ex condigno.

31. Martii 1667.

EPISTOLA CXXXV.

JOHANNI EVERHARDO FABRICIO JOH. COCCEJUS.

Reverende, Doctissime D. Fabrici, mihique Charissime.

Equidem non possum dubitare, quin ii, quibus charus est labor noster, etiam nos non oderint, & nostri sint memores, nihilominus tamen is est non aspernandus fructus noster, quod ii id etiam verbo testantur. Ideo & antea jucundæ fuerunt literæ tuæ, & nunc multo jucundissimæ, ex quibus & affectum erga me tuum, & cum valetudinem tuam, & ministerium, quod Deus Tibi commisit, & matrimonium honestum, & benedictionem matrimonii libenter admodum cognovi. Ego Deo gratias ago tua causa & eum rogo, ut porro gratia sua te coronet: imprimis, ut ministerio tuo benedicat. Dilectæ tuæ matrem, ejusque parentes optime novit uxor mea, & quidem imprimis à virtute & constantia in religione. Ea enixe rogat, ut dilectam tuam & ejus matrem (quam confidimus in vivis esse) ejus verbis amanter salutes. quod & ego rogo. Eadem mecum Tibi congratulatur. Non est mihi parvi, quod vos tres amicos habeo Hammonæ. D. Pauli, cujus probitatem, ingenium & eruditionem probe novi, & quem plurimi facio; D. Gulichium & Te. Funiculus triplicatus non facile rumpitur. Date operam ut homines ament sacras Literas. Nam contrario vitio hoc tempore laborant plurimi. Disputationem soleo Exemplaria servare. Quæ apud me supersunt, earum libenter copiam tibi faciam. Filius meus officiose Te salutat. Is se mihi, Deo sit gratia, talem exhibet, qualem opto. Hodie in Collegio Theologico, in quo auditor & annotator hactenus sedit, cœpit respondere ἀντιπάλοις. Commendo eum & me tuis precibus. sub prelo jam sunt Epistolæ ad Timotheum, Ezechiel & Lexicon. Divinæ gratiæ erit, si labor noster alicui prosit. Ei te tuosque ex animo commendo. Rev. D. Pauli & D. Gulichium à me amanter & diligenter, quæso, saluta. Tuus & D. Gulichii adventus est mihi exoptatus. Vale. Lugd. a. d. 28. April 1667.

EPISTOLA CXXXVI.

NICOLAO HOBOKENO JOH. COCCEJUS.

Steinfurtum.

Clarissime Vir, Domine & Affinis Honorande.

Jacturam, quam passa est & Ecclesia & Ego, in D. Hundio p. m. sequens ostendet dies. Viam rectam ingressus erat docendi, in ea progrediebatur strenue, in ea auditores ducebat. Quam id paucorum sit non est necesse à me dici. Quod attinet successorem ejus, quem dicunt esse virum juvenem, si non in limine aberravit, est tamen spes. Si respiciet ad mundi culmina & morabitur hominum sannas, & volet hominibus placere, male consulet Ecclesiæ. Hodie accepi, illum quoque ultimum diem obiisse. Quod an versum sit nescio. A D. Pauli accepi literas & disputationes, utrasque gratissimas. D. Tesmari avus meus præceptor fuit, Vir doctus & bonus & mei amans. Per sex annos etiam Collega ipsius fui.

Quod ad *Quæstiones* tuas attinet: de *Prima* sic censeo. Quandoquidem Deo placuit per Scripturam erudire Ecclesiam, non esse aliam *legem*; quam quæ in *Scriptura* reperitur: sive legem *operum*, sive legem *fidei* intelligamus. quæ ipsa tamen lex fidei in lege operum fundatur. Nam fides, quæ imputatur ad justitiam, credit, Deum justificare improbum. Justificatio autem fieri non potest nisi secundum legem, quæ dicit, *qui fecerit illa, vivet in illis.* Nisi, quod lex fidei præcipit fidem in *Mediatorem*, qui ut perfectam obedientiam habens, justificatur per legem cum membris. *Una* est revera *lex*, quia & *Deus unus.*

De II. Quod Deus homini testatur per *conscientiam*, is non tollit *verbum Dei.* Quod Deus *revelat*, & quod *fide recipiendum* præcipit, id manifestum fit credenti ad conscientiam, tum id à Deo esse revelatum, tum, id esse Deo dignum, & conspirare cum ipsius natura, virtutibus, operibus, & cum eo, quod homo de iis novit & de se ipso.

Quod ad *Epaminondæ* dictum attinet, sive id alterius est; puto, eum indicasse 1. quod mors somno sit simillima: & quod vigil quum esset, se periculo mortis exposuerit dormiens. 2. Quod homo ille, quem dormientem repererat, mortem meruisset: quodque adeo justam ei reddidisset mercedem. ut ipsi videbatur. Interim utrumque *tropo* & ἀνακλάσει indicatur. Quod de *usu tropicæ locutionis* superest, ea aliquando ænigma facit, aliquando rem facit clariorem. *Utriusque* est *usus*, dummodo καιρὸς observetur & nec institutio *clara* ac *simplex* negligatur.

In Academia nostra nondum prospectum est vel *Theologicæ* vel *Medicæ* facultati. An *D. Hottingerum* habituri simus, dubium est. Ultimus in Medicina Matthias Sladus, Amstelodamensis Medicus, tentatus est frustra. *Physiologiam* tuam Medicam prelo paratam esse, gaudeo: eamque jam editam valde vallem. Librarii nostri parum hoc tempore præstant. In Elzeviriano tantum excuditur *Tacitus* & *Palmeriana Observationes.* Unus est, qui meas lectiones in *Timotheum* edit. Unus edit *Gerhardi van der Meulen* tractatum *de veritate religionis Christianæ*, & *mox* suscipiet meas Disputationes ad Epistolam ad *Titum.* Hæc sunt quæ Leidæ jam aguntur. Amsterodami est, qui mea aliquot scripta suscepit excudenda. Hackius & cæteri cessant. Et charta non est, aut est surva & non candida, & cara; quia ex Gallia nulla advehitur. Denique pavent circa libros. *D. Heideggers* liber de *vita Patriarcharum* editus est Amsterodami, speciose sed non sine vitiis. Ego curavi titulum ostendi. Timent, excusant. Molem prætexunt. Et, si verum dicendum est, consultum putem, prima vice mediocre scriptum edere, sed plenum nucleo. Qui ipse inspectus Lectorem attrahere possit. Omnino Bibliopolarum, qui hic sunt, parvæ sunt vires. Nisi certus sit fructus, timent. Ipsi judicare non possunt, laudes Doctorum requirunt. Quod me attinet, bis sum expertus, quam difficile sit bene edere librum, cujus correctioni ipse non præsis. Quod attinet liberos meos, ii, Dei gratia, valent. *Catharina Cecilia* (quia dilecta tua id scire avet) est mater pueri non deformis, & bene valentis & valde commodi in infantia, *Jacobi.* Deus ei benedicat. Cupimus etiam vos vestrosque florere & valere, & videre pacem Israëlis. quam hoc tempore unice petimus. Salutatio *D. Simonis Remberti Deichmanni* nobis fuit gratissima; & eo gratior, quo rarius quicquam de illa familia cognoscimus. Credo, illos similiter atque nos, cupere crebriores de nobis habere nuncios. Ubi occasio erit, qui de illa domo sunt, salutari cupimus. Audivi his diebus D. Cognatam *Rademakerianam* ad secunda transire vota. Si ita est, Deus felicitet, & faciat secunda. D. Socerum & omnes vestros amanter salutamus ego, & mei. Vale.

Lugduni 16. Maij 1667.

EPISTOLA CXXXVII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lueream.

Reverende Vir, Amice Certissime.

Utramque epistolam tuam recte accepi. Sed ad priorem distuli respondere, quia valde occupatus fui. Volebam autem . . . . mittere: ad quam conci-

piendum

piendum ocium tamdiu non fuit. Præterea cupiebam aliquid de Lexici progressu felici nunciare. Sed contra evenit. Inde ab Octobri tantum 8. folia excusa sunt. Ratio hæc est. Bibliopola Vir bonus, qui editionem susceperat, Amsterodami habitat. Is putavit Viduam Elzeviriam nimium petere. Sciebat Amsterodami viliores esse operas. Non potui ei obluctari: quum & charta hoc tempore propter bellum charior esset. Igitur Amsterodamensis tempore indiguit, ut pararet typos Hebraicos, Græcos, Teutonicos. Ita inchoatum est opus tandem. Sed, quod mittendæ essent ultro citroque Probæ sive specimina, ea res & moram attulit, & controversiam. Nam Bibliopola non putabat necesse esse mitti Revisionem: ego vero id putabam. Factum denique, ut Opera conduceretur Lugdunensis typographi, qui & Ezechielem excudit: quem circa initium hujus anni deduxit ad folium quadragesimum. Nunc spero nos longiora itinera singulis hebdomadis in editione Lexici facturos, si Deus clementer annuat. Exuditur in folio, literis speciosis & visibilibus. Quod vero Dedicationem attinet, memineram me eam promisisse, vel potius eam desiderari ad operis mei honorem. Volui, quicquid mihi accideret, eam paratam esse. Quod eam mitti petis, non displicet. Peterem ipse, ut relegeres, si præsens tibi essem. Eam heri (quum incidisset, unde viderer eam commode ordiri) in chartam conjeci; hodie descripsi. Adulationes non sunt in ea. Et ego ad eas elinguis, ut nosti. Quæ admonueris, grata erunt. Commentarium in Epistolam ad Ephesios nuper emisi. Eum accipies. In præfatione cum variis hominibus rem habui. Johannes à me perductus est ad cap. 17. Duæ ad Timotheum properant ad finem. Ad Titum exorsus sum. D. Voetius ad Morch meum nihil respondit. Hac occasione narrabo, quid nuper contigerit Ultrajecti. Studiosus quidam sub D. Buhrman disputans adjecerat Corollarium de πάρεσις & ἄφεσις. Petiit deinde testimonium Ecclesiasticum. Negatum est, nisi subscriberet alicui Acto (ut loquuntur) quo fateretur, se vel immodeste vel imprudenter fecisse, quod de ea re disputasset. Altercatio de ea re fuit. Absente D. Buhrmanno coactus est subscribere. Academici apud Magistratum conquesti. Auditi utrique. Magistratus jussit induci Actum vel Scriptum. Neglexerunt Consistoriales. Venit Secretarius & in omnium conspectu delevit. Hanc hæreditatem odii ab Hoornbeeckio accepi. Nuper etiam Maresius de illa quæstione disputavit, quasi negarem Remissionem peccatorum fuisse sub Vet. T. Quod mendacium sparserunt Hoornbeeckius & Voetius. Disputationem sic claudit: Hoc est velle extra tritam viam conspici. Tantæ molis erat criticam condere gentem. Nobis non licet esse tam subtilibus. Ego in illis hominibus non reperio conscientiam. Deus ipsis condonet. Libros, ut jussisti, mittam ad Friessemium. Epistolam autem hanc recta Coloniam. Ita enim intellexisse videor.

Scripsi d. 6. Junij 1667.

Salutat te uxor & filia ac filius, domestici mei.

Serenissimæ à me & uxore humillime salutem & obsequia nostra nunciari velim.

EPISTOLA CXXXVIII.

JACOBO ALTINGIO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Clarissime Vir.

QUum harum lator ad vos iret, isque officium suum offerret, non potui ei non has dare. Imprimis gratulor tibi Professionem novam veterem. Dudum enim in eo fuisti ad quod vocatus es. Deum rogo, ut tibi adjutor sit. Non dubito, quin te sacræ Scripturæ vindicem habituræ sint. quæ flagitiose à multis contemnuntur & ignorantur. Neque dubitandum tibi, quin habiturus sis persecutores Scholasticos sive amatores διδακτῶν ἀνθρωπίνης σοφίας λόγων &, qui nolunt discere. Imprimis honoraberis titulo Critici & Grammatici. Sed tu ne puta crimen esse τὸ εἶναι κριτικὸν & διακριτικὸν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, & δοκιμαστικὸν τῶν διαφερόντων, & δυνατὸν ἐν λόγῳ τε καὶ ἔργῳ· neque γραμματέα μαθητευθέντα εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Ego nullum illorum verbo offendi, & quum ipsi inter se belligerarent, silui, & tantum dixi, quod didici. qui mihi saltem gratias debebant, quod, in quo me profecisse putabam, non invidi ipsis, & judicandum exposui atque emendandum, omnia conferens εἰς τὴν κοινὴν πίστιν. Sed ego videor inter eos pacem fecisse, ut me junctis viribus oppugnent. Et alia ratio est oppugnandi alios. Socinianos describunt & refutant. Me vix conantur refutare, sed legi nolunt. Tu quoque id exspecta: certissimum testimonium iræ Diaboli. quem ego amicum nolo. . . . . Quod putas me in literis meis de fratris mei filio, qui me ut patrem diligit, & forte magis quam patrem, mea forte culpa est, quod properanter scripsi. Hoc de ipso volebam dicere: Eum mihi instigatorem fuisse, ut operam darem, ut te haberem collegam: amans scilicet & te & me. Atque utinam mihi liceret esse tam beato. Mitto Commentarium in Epistolam ad Ephesios. Propediem absolvetur Commentarius in utramque ad Timotheum. Vale, Reverende Vir, & perenna ad publicum bonum.

Lugduni a. d. 13. Junij 1667.

EPISTOLA CXXXIX.

ANTONIO PERIZONIO JOH. COCCEJUS.

Steinfurtum.

Reverende Vir & Clarissime.

PErmirum est, quum populi desiderent explicationem Verbi Dei & adhortationem ex eo, eos, quibus id opus committitur, non tales se præstare, ut non sint risui & nauseæ. qui faciunt, ut Verbum Dei propter ipsos contemnatur. Dolendum est, eum, cui datum est colligere cœtum Gallicum apud vos, ad eam rem non attulisse debitam prudentiam. Cæterum ego libenter suscepi eam curam, ut alloquerer aliquem ex ministris Gallicanæ Ecclesiæ. Ex quo intellexi, negocium in proximam Synodum differri. Ipsorum votum esse, ut Ecclesia Gallica apud vos continuetur. Se promisit omnem curam adhibiturum, ut mittantur Proponentes optimæ notæ, qui facile approbationem mereantur. Fecit is etiam mentionem D. Bruynii, quo opportunius fuit, monere, ut ejus commendatione instructi sint, qui mittentur. De cætero constitui cum nemine hac de re loqui, nisi quod cum D. . . . . . & genero ejus D. . . . . communicavi. Miror esse, qui rem bonam impedire gestiant. Sed est hoc seculum, ut & patrum nostrorum, in eo mirabile. Sunt, qui omnia ex ingenio mutare volunt. Sunt instabiles multi & ἀστήρικτοι, παντὶ ἀνέμῳ διδαχῆς περιφερόμενοι, ἀσύνετοι αὐθάδεις. Sunt vicissim, qui nihil emendare, nulla in re proficere volunt: cui Doctori vel doctrinæ se dediderunt, ei affixi sunt. & in hoc quoque ipsi αὐθάδεις & φίλαυτοι. Sunt, qui religionem in externis ponunt: sunt, qui libertatem ad ἀσέλγειαν & nimietatem sibi indulgendi transferunt: omnia licita scil. habentes & facientes, sed φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. Utrisque odiosi sunt, qui Verbum Dei curant & loquuntur, & ex illo discere ac docere amant, & gratias agentes Deo ipsius donis libere, sed non licenter, utuntur. Nobis danda est opera, ut medio, qua tutissima via est, ambulemus, Verbum Dei habentes in corde & in ore. Quod si fiet, facile etiam reliqua convenient. Ille, qui de justitia Dei ita, ut scribis, loquitur, mihi videtur fundamentum ipsum labefactare. Quid enim sibi vult illud: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ? Sed certare cum talibus animus non est. Veritas plane explicata ex Scripturis facile confutabit conjecturas hominum & conscientiæ se approbabit. Ego Rev. T. divinæ gratiæ ex animo commendo.

Lugd. Bat. a. d. 6. Augusti 1667.

EPISTOLA CXL.

D.N.N. JOH. COCCEJUS.

Præstantissime Vir, Amice Charissime.

. . . . De præcepto discernente cibos, sic habe.

I. Nullus cibus per se impurus est, h. e. hominem percipientem reum facit.

II. Omnis cibus peccatorum & infidelem polluit. h. e. magis reum facit.

III. Quod Deus populo suo cibos dat, ut puros, notat, à Fœdere Dei & à justitia esse omnium bonorum Dei justam possessionem & usum purum. Puris omnia pura. Tit. 1: 15.

IV. Quod quidam cibi non dantur (qui tamen patribus non fuerant prohibiti) id notat, nondum datum esse sacrificium καθαρίζον τὴν συνείδησιν.

V. Exstante sacrificio illo, adducta justitia, omnia sunt pura, h. e. nihil est, quod commemoret reatum hominis.

VI. Dum Israëlitis datur fœdus, gentibus non datur, gentes declarantur impuræ & expertes sanctificationis. Et habent non sanctificati analogiam cum animalibus impuris, ut canibus, porcis, anguibus, lupis. &c.

VII. Tropologia præcepti est, non assumendos esse eos, qui sunt ut animalia impura. Vide Esai. 65: 4.

VIII. Quando

VIII. Quando cessat discrimen ciborum, & datur commercium cum gentibus, non obstante lege de impuritate vasorum & ciborum, id signum est Deum velle & gentes sanctificare.

IX. Eo tempore valet regula: Omnis, qui est ut animal purum, ovis, bos, h. e. omnis sanctificatus assumendus est, sine distinctione gentis: & omnis canis & porcus incircumcisus, quia corde, & carne, etiamsi Judæus sic vitandus est.

EPISTOLA CXLI.

Gulielmo Anslario Joh. Coccejus.

Mi Charissime Gener.

. . . . Quod attinet quæstionem. Certum est Deum glorificari per dona sua, quæ hominibus dat, & per bona sua, quæ hominibus præparat etiam per homines concilianda. Est igitur amoris Dei, velle, cupere, gaudere, Deum in proximo per munificentiam & gratiam suam glorificari, & velle ac studere bona, quæ proximo paravit per hominem concilianda, per nos ei conciliari. Atqui omnia præcepta secundæ tabulæ de bonis proximo tribuendis, & ab eo non auferendis, & ei non invidendis, neque concupiscendis agunt. Ita ratio obediendi, quando ea ex charitate provenit, est amor glorificationis Dei in proximo per ea bona, quæ habet à Deo & conferri debent per nos. Exempli causa. Glorificatur Deus in parentibus, quando eis dat liberos; & quod nos accipimus à Deo multa bona parentum voluntate atque opera, & ex eis sumus, & eorum sumus. Hinc nascitur actus charitatis, velle esse parentum, & in parentum potestate, & parentibus voluptati esse &c. Ita honor parentum est actus amoris Dei. Jam puto esse rem claram. Id quoque manifestum est, amorem Dei, quem Deus non potest non in fœdere exigere, non paucioribus præceptis contineri: atque ideo non posse unum præceptum ab altero separari. Vide enim; an possumus Deum amando velle gloriosum esse Deum in proximo per honorem & subjectionem nostram debitam; & non amare vitam proximi? aut bona proximi, & non amare dominium proximi, quod habet? aut non amare castitatem & puritatem proximi? aut bonam famam? Videmus, in omnibus his glorificari Deum in proximo. Et quis plures species vel classes reperire posset, ad quæ referantur bona proximi, per quæ Deus in eo glorificatur? Lex igitur perfecta est, nec abundans, sed secundum veritatem, & sic justitiam; & per consequens juxta imaginem Dei. Deus enim vult, per talia & tot bona in proximo glorificari. Igitur honorare eum, cui honor debetur, & proximo bene velle & benefacere est actus voluntatis, quæ gaudet Deum glorificari in proximo per nos.

d. 11. Augusti 1667.

EPISTOLA CXLII.

Gulielmo Anslario Joh. Coccejus.

Mi Gener dilectissime.

. . . . Quod ad quæstionem attinet, quam proponis: soleo dicere, Nos nihil nisi in Christo habere. Idque ego puto in confesso esse. Sed, inquis, ergo Patres in gloriam non intrarunt; quia Christus in gloriam nondum intraverat. Consideremus igitur rem. Si omnia habemus in Christo capite, I. Omnes, qui in ipsum credunt, habent omnia in ipso, quæcunque salva veritate in ipso, ut Sponsore & Assertore, habere & ab ipso accipere possunt. Nam frustra esset Sponsor, si nihil ab ipso acciperent, aut non omnia ab ipso acciperent, quæ sine veritatis eversione accipere possunt. Possunt autem accipere, salva veritate, sanctificationem & glorificationem. Imo, propter veritatem sponsionis & assertionis utramque ut accipiant, necesse est. II. Quæ in Christo non sunt vera, etiam in membris non sunt vera. Exempli causa. In Christo non est verum, eum consummatum esse, antequam consummatus est; satisfecisse, antequam satisfecit. Ergo etiam de membris non est verum, eos habere sponsorem consummatum, ideoque legem peccati jam esse abolitam, & reatum extinctum, & eos non habere conscientiam peccati; atque ideo non posse sub lege poni ad edendum chirographum, tanquam conscientiam peccati habentes.

d. 14. Augusti 1667.

EPISTOLA CXLIII.

Johanni Henrico Heideggero Joh. Coccejus.

Tigurum.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

Est sine dubio luctuosum & calamitosum multis nominibus fatum R. D. Hottingeri p. m. Pertinet id quoque ad strages nostræ Academiæ. Verendum est, ne nobis pro Amico & Collega Obtrectator adjungatur. Ita hoc seculum est κακοήθης. Et Tigurum quidem habet, quo damnum suum resarciat. Neque enim dubito, quin in Celeberrimi Viri jam consistas loco. quod evenire prosperrime, εὔχομαι. Sed nos adhuc quærimus, qui suppleat lacunam, & dicimus: τίς χαμαιζήτης; Deus faxit, ut aliquando, qui student, ita studeant, ut Verbum Dei & doctrinam, quæ secundum pietatem est, potenter possint tradere, & eos, qui alios docturi sunt, docere, absque sophisticatione & interpolatione: & ut Ecclesia intelligat, eos, qui sacras Literas didicerint, esse maxime διδακτικούς. Nam nunc quidem omnia alia in Theologo requiruntur. Pro nobili tractatu de Patriarchis & ego & alii plurimas tibi gratias agimus. Oramus Deum, ut pluribus monimentis imposterum sacras Literas & doctrinam pietatis illustres. Utinam id videre liceat, ut docentium sit eadem mens, idem sermo, & is auditoribus à puero fiat familiaris! Quod si fiat, erit, proculdubio, germinum in agro Domini major proventus. Ego his diebus passus sum edi meditationes meas in utramque ad Timotheum. Jussi exemplar hisce addi, quod ἀντιδώρου vicem sit. Non fuerunt ingrata testimonia affectus tui. Quanquam ea mihi sunt nescio an magis calcaria, ad promerendum bonorum favorem, quam frena. Neque enim mensuram laudum tuarum implere possum. Omnia mea sunt mediocria. Tantum, in quibus profecisse me puto ad idem, quod Ecclesia credit, credendum & intelligendum & confirmandum, pro occasione non celare, putavi mei esse officii. Et operæ nostræ me exercent, quibus dum obsecundo & me macero, multorum malam gratiam mereor. Sed oportet bene mereri & vapulare. Veritas alapa digna est. Ego R. T. & Reverendos Tigurinæ Ecclesiæ antistites florere & bene agere cupio. D. Heidanus pro salutatione gratias agit, & studiis tuis favet. Propere hæc, quum Hackius noster ad nundinas proficisceretur. Deum oro, ut te diu incolumem esse velit, & patriam Germaniam conservet in sancta pace.

Lugd. 3. Sept. 1667.

EPISTOLA CXLIV.

Johanni à Dalen Joh. Coccejus.

Crucenacum.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

Bonum factum, quod Dedicationem non suo tempore scripsi. Non enim solemus dedicationes scribere, nisi libro impresso. Ideo forte etiam illa mea jejunior est, quia subito & non suo tempore scripta. Sed extare debebat, etiamsi aliquid humanitus evenerit. Quod attinet præstantiam linguæ Hebraicæ, de ea rectius in Præfatione Latina agetur. ut & de Exemplo Illustri. Ad lectorem enim ea melius dicuntur. Interim gaudeo, non displicuisse Dedicationem. quamvis simplicem & minime affectatam. Nec possum aliter. Quod ad stilum attinet, non diffiteor, mihi & in Germanico & in Belgico sæpe aquam hærere. Ita utrumque calleo, ut utrumque vix loquar. Et hæc inter non minimas difficultates Lexici mei, quod illa vernacula sæpe quæro, nec invenio: & propter ea cogor Versionem Lutheri & Belgicam fere singulis momentis inspicere. Bene fecisti, quod addidisti Notas. Sed imposterum à te exspectabo Carmen vel Latinum vel Germanicum vel utrumque: quod libro nostro erit ornamento. Ego in Præfatione, D. V. non dissimulabo, quis me ad hunc laborem impulerit. Cupio enim homines credere, me non mea sponte eum occupasse. D. Hottingeri fatum est, sine dubio, luctuosum. Poterat Ecclesiæ esse plurimum utilis, si jam maturus ætate se ad res sacras convertisset. Quod non inique de studiis nostris judicavit, id facit, ut ægriùs feram, eum nobis non superesse. Nam quem vel Collegam vel adversarium nacturi simus, adhuc ignoramus. Quod me oras de doctrina virtutum, nondum video, quomodo satisfacere possim. In Casuum quæstiones & νομοδιδασκαλίαν non libenter descendo. Cæterum Apostolus in suis Epistolis nos format ad omnes virtutes. Exemplum est in ea ad Romanos, & ad Ephesios. in quas Commentarium edidi. Nuper emisi lectiones in utramque

ad

ad Timotheum. Exemplar jussi ad te his literis adjungi. Quæso, inspice illa, quæ in his libris sunt, &, quid desideres mone. Epistolam ad Titum præ manu habeo, de qua disputo. in ea decrevi diligens esse. Dolet, te negociis impeditum non potuisse nos invisere. Porro ignorare te nolim, Lexicon nostrum pulcre procedere. Amsterodami 8. folia impressa sunt. Translatum est huc 28. Junij. Ex eo tempore 9. septimanis 22. folia excusa sunt. Sic 30. folia absolvimus, sive duerniones in folio 15. Litera ב finita est. Ego, quantum temporis superest, impendo relectioni manuscripti & speciminum. Ezechiel ad cap. 38. processit. Amsterodami Templum incidetur æri. Artificem nacti sumus Pontificium, qui orthographiam ejus exhibeat. Ego te tuosque benigno numini commendo. Mei omnes te salutant. Serenissimæ omnia secunda & prospera exopto, & patriæ. Quam utinam Deus conservet ab incendio novi belli. Sed quid dicemus? Quo referemus nostram & Angli ac Galli & Dani & Sueci pacem, & hanc erumpentem flammam? Tu vero vale.

Lugd. 3. Sept. 1667.

NB. Quod ὅτι scripsi **daß** & ὁ **dasz** / ut Criticus feci. Nam hoc crescendo duplicat **ß** / **dessen.** Illud nihil nisi ſ est, & respondet Saxonico **dat.** De hac crisi judica. Sed potius mori obsequamur. Ita Gen. 1:4. est **dasz das licht.**

EPISTOLA CXLV.

LUCÆ GERNLERO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Vir Reverende & Clarissime.

TEmpus ipsum me monet ut officium faciam, dum Bibliopolæ nostri Francofurtum proficiscuntur. Accepi & cupide amplexus sum donum, quod ad me superiori anni misisti. Orationem dico habitam in funere R. D. Buxtorfii p. m. & Tiberiadem. Merebatur sine dubio ὁ μακαρίτης omnem laudem. Neque enim nulla laus est eorum, qui ἡσύχιον βίον ἄγοντες & non φρεναπατῶν in id incumbunt ut se semper meliores præstent & alios ad cognitionem divinæ veritatis deducant. Quantum vero debeant Buxtorfiis amatores divini eloquii non omnes, ut oportet, æstimant. Ego ipsorum opera statuo esse plurimis pro collyrio, ut in lectione Mosis & Prophetarum non cæcutiant. Tibi etiam Reverende Vir plurimum debent bonæ literæ, quod Viri eruditissimi, & in publicum fructuosissimi mores & sectam vitæ, penicillo orationis descripseris. Habent studiosi exemplum, ad quod se componant. Neque ego dubito, venire tempus, quo apparebit, quantum profuerint humano generi, talium virorum labores. Ego fateor, mihi pluris esse, ab uno talium, qui quærunt gloriam Dei, & ad proximi salutem laborem impendunt, amari, quam esse victorem urbium. Debitor porro tibi sum, quod me illis accenseris, quos ὁ μακαρίτης dilexit. Ego autem spero, nos in juvene nostro Buxtorfio aliquando visuros, avi & patris virtutes, ac studia & eruditionem. Is jam vivit apud nos, ut puto, satis commode, in consortio Viri perdocti, quem etiam antea cognovit D. Gerhardi vander Meulen Theologiæ Doctoris Valetudine, quantum cognovi, utitur bona. Hactenus non fuit mihi molestus. Spero autem, me, ante abitum ipsius, etiam amplius studiis ipsius fruiturum, ut cum ipso discam & proficiam. Ad quod ipsum sæpe invito. Quod Reipublicæ statum attinet, sunt rumores de pacis tractatione. Re deprehendimus Deum hostibus nostris illusisse hactenus, & fecisse errare in deserto sine via: ut est in Psalm. 107. Omnia enim eorum consilia incassum ceciderunt, & quam nocendi opportunitatem habuerunt, ea non sunt usi. Deus nostri misertus, eos porro infatuet, & ludificetur, & nobis det sibi confidere, non nobis, & se timere, non homines. Cupio R. T. diu interesse rebus mortalium Ecclesiæ bono, & laboribus nimiis non frangi. Vale & me amare perge.

Lugd. Bat. a. d. 22. Martij 1666.

Reverendis D. D. Collegis, & nominatim D. Zuingero salutem officiosam adscribo.

EPISTOLA CXLVI.

LUCÆ GERNLERO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine Honorande.

LIteras tuas datas 28. Martij, cum libro antea misso, tandem accepi. Liber non potest non esse charus, & acceptus & preciosus. nisi ei, cui sacrificium ὁμολογίας, & fides Sanctorum, & donorum Spiritus, volentis Sionem à stercoribus suis abluere & repurgare, & tessera Christianæ militiæ non est preciosa & chara. In literis duo grata fuere. I. Affectus tuus, quanquam verbis expressus, quæ mediocritatem meam superant. II. Exstimulatio ad agendum, quod ago, & id melius agendum, atque hactenus feci. Quanquam enim optime facere non possimus, tamen decet nos, laude incitatos, non esse securos, ne pudefaciamus eos, qui laudant. Atque etiamsi hoc diligentiam exacuat, (quod onus esse videtur) tamen, quando ostium apertum est, & instigatio accedit minori cum timore & anxietate viam ingredimur. D. Miegium egregie & strenue rem in Academia vestra gessisse, & titulum summum cum laude meruisse gaudeo. Esse eum amatorem nostri, & ipse sensi, & testatus est D. Fabricius Prof. Heidelbergensis. Quod si in quadam nostrate Academia de Spiritu servitutis disputasset, fortasse pauciorum meruisset applausum. Quod D. D. Curatores à Genevensibus & Tigurinis petiverunt nobis Collegam, nobis non invitis fecere. Sperabamus enim nobis bene cum illis futurum esse. Sed ut apparet, Dei ac voluntas non fuit. Nunc quem socium laboris habituri simus, adhuc incertum est. D. D. Curatores & Consules hujus Civitatis, de ea re, soli deliberant. Pax cum Anglis præter spem facta est, nec iniquis conditionibus. Non egit Deus nobiscum secundum omnem iram suam. Nunc ardent vicini, qui nuper exultabant, quum videremur in arcto esse, & jactabant, actum esse cum Reformatis. Ita spero, Genevam etiam Deo cordi fore, & Helvetios. Quod mea studia attinet, Daniel prodiit, & utraque ad Timotheum, itemque Epistola ad Ephesios. Ezechiel sub prælo sudat & Lexicon. Mitto nunc, quod præ manu est; Commentarium in Epistolam ad Timotheum. Quæ Epistolæ docentibus legem dant sentiendi & loquendi, & in quo versari debeant, definiunt. Ego Deum rogo, ut R. T. incolumem esse velit Ecclesiæ bono. Salutem adscribo Reverendis D. D. Collegis.

Lugduni a. d. 5. Sept. 1667.

EPISTOLA CXLVII.

ADRIANO BEKERTS à THIENEN JOH. COCCEJUS.

Vir Clarissime.

DE Pœnis, hæc observavi.

I. Ab initio fuit potestas patria ad castigandum & coercendum.

II. Cain agnovit, se omnium manibus expositum esse, tanquam vindicum sanguinis.

III. Deus tamen noluit eum occidi.

IV. Lamech Genes. 4: 23. agnovit pœnam etiam homicidii non capitalem: sed se supra judicia effert.

V. Noachi posteri jussi sunt homicidium morte plectere.

VI. Hinc jam certum est jus Vindicum sanguinis & officium Judicum.

VII. Deus etiam vetuit homicidam voluntarium impunitum dimitti, aut parci vitæ ejus: addita comminatione: quod terra, nisi sanguine homicidæ, expiari non possit. Etiam involuntarium homicidam noluit tutum esse, nisi in asylo. Hoc ad legem rituum pertinet.

VIII. David Absolomo condonavit, & ad fictam querelam de persecutione fratris, qui fratrem in rixa occidisset, intuitu defecturi nominis & prosapiæ condonavit. 2. Sam. 14: 7. -- 11. Videtur autem misericordia commotus id fecisse, & de suo facto cogitasse, neque voluisse esse severior in alios, quum ipse peccasset.

IX. Paulus Rom. 13: 4. confirmat potestatem gladii ad ἐκδίκησιν.

X. Judicia sunt agenda sine acceptione personarum.

XI. Tamen nec ad pœnam gladii festinandum est, absque necessitate.

XII. Certum est, qui ex insidiis deditaque opera hominem interfecerit, ei vix posse parci, quin, qui parcit, se reum faciat. Jeremias cap. 48: 10. execratur eum, qui gladium suum cohibet à sanguine. Puto, quemadmodum Psalm. 137: 9. beatum dicit, qui filios Babel illidit petræ. Est tempus non parcendi hostibus Dei, persecutoribus Ecclesiæ: ubi clementia est signum teporis in dilectione Dei & justitiæ, & beneplaciti in malo.

XIII. Si libet, quid conscientia sola, destituta Verbo Dei, de Pœnis statuat, inspicere; sic à patria potestate ad potestatem reipublicæ & judicum procederem. Quum plures essent patres familias, necessitas sive indigentia & charitas suasit, ut cœtum facerent, & civitatem instituerent.

ſtituerent. Natura docet, vim vi repellendam eſſe, ut ἠρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, ſive ut vita & fortunæ in tuto ſint. Suadet & Natura, quia non ad una peccandum, ſed ad honeſte vivendum oportet homines rempublicam inſtituere, facinoroſos non eſſe tolerandos, ſed ex cœtu tollendos, ſaltem relegatione, Job. 30: vſ. 5. 8. aut cuſtodiendos. Inane fulmen eſſet relegatio, ſi relegato nihil metuendum eſſet. Exemplum quoque peccandi exempli mali ſanandum eſſe, facile perſuademur, & id Deum exigere à nobis, ne videamur exemplum peccati approbare, & eum peccato alieno communicare. Hinc exiſtit in hominibus pudor & timor peccandi, dum honeſtas laudatur, & peccata puniuntur. Itaque peccantes fugiunt lucem. Job. 24: vſ. 13. 14. 38: 15. Ideam quandam reipublicæ naturali lumine conſtitutæ exhibet Job. cap. 29: 7.--25. Pſalm. 94: 10. dicitur Deus gentes in diſciplina habere. Prov. 8: 15. 16. Sapientiæ opus dicitur, quod reges regnant, & principes imperium exercent. Ita & Paulus ἐξουσίαν dicit eſſe à Deo. Rom. 13: 1. & Petrus nos vult propter Dominum magiſtratibus obedire. 1. Pet. 2: 13. Paulus etiam Rom. 13: 5. 6. ad lumen conſcientiæ refert voluntatem rectam habendi rempublicam & in republica poteſtatem, etiam ad ὀκνηρὸν. Et id probat ex eo, quod homines volentes faciunt, nempe, quod tributa dant. Malunt tributa dare quam carere civitatibus & magiſtratibus.

EPISTOLA CXLVIII.

NICOLAO HOBOKENO JOH. COCCEJUS.

Clariſſime Vir, Domine & Affinis Honorande.

Accepimus triſtem nuncium de exceſſu D. *Keſteringii*, Affinis honoratiſſimi p. m. qui nobis eo triſtior accidit, quia non tantum propinquo, ſed etiam valde nos amante, orbati ſumus. Omitto, quod non poſſumus non lugere luctum eorum, quos in terris reliquit: qui nobis ſunt cariſſimi. Sed ita eſt. Deus tempora noſtra menſus eſt & numeravit, & omnes noſtras curas in ſe ſuſcepit. Is ipſum conſervavit inter multas anguſtias, & prius anguſtias poſtremas finivit, quam cum evocaret ad ſe, ut in pace, ſatur dierum, Spiritum ſuum in manum Dei ſui committens hinc diſcederet. Is etiam nobis, qui ſuperſumus, clementem ſe exhibebit patrem. Quare te rogo, *Affinis chariſſime*, meis & meorum verbis velis cognatas noſtras conſolari. Accepi etiam *carmina* memoriæ τ̃ μακαρίτου dicata. itemque diſputationem de *Sede Animæ*. De qua quum me velis judicare, teſtor tibi, mihi eam, præcipue ob methodum, diſpoſitionem, perſpicuitatem & ἀκρίβειαν valde placuiſſe. Et, ut videas, me attente legiſſe, percepi ex illa: *Animam noſtram, ut impartibilem & inextenſam, non adeſſe corpori, & ejus partibus per extenſionem.* Deinde, eam *non adeſſe corpori, ut Deus adeſt rebus creatis, quæ in ipſo vivunt, moventur, ſunt. Conjunctam eſſe* autem eam *corpori à Deo; neque eam immigraſſe in corpus proprio conſilio atque arbitrio.* Porro *propter eam conjunctionem eſſe amicitiam inter corpus & animam.* Puto, quod anima non libenter à corpore diſcedit; & corpori bene eſt, quam diu recte anima ſuas operationes in eo exercet. *Confœderationem* etiam dicis. Id puto *nimis improprium eſſe.* Nam id ſignificat *voluntatem reciprocam, per quam amicitia contrahitur.* Atqui non voluntate animæ, neque voluntate corporis (quod caret voluntate) contracta eſt hæc amicitia, ſed eſt *à conjunctione Dei.* Placet etiam, quod non attribuis animæ μέρος τὸ ἄλογον, uti *Ariſtoteles* facit, ſi bene memini. Video conjunctum eſſe ſpiritum noſtrum cum corpore, *ad utendum αἰσθητηρίοις, & ad movendum membra;* & quidem, *quamdiu corporis membra idonea ad hoc ſunt.* Sed non video, *quomodo anima vel recipiat cognitionem à ſenſibus, vel à corpore patiatur, vel minimam corporis partem moveat.* Imprimis, quum videam, nos linguam, manum & alia membra movere, etiam nihil cogitantes de ea motione, & ignorantes, quomodo ea moveamus. Hæc ſi explicari poſſint, velim explicari. Exſpectabo autem reliqua, ut ex illis amplius diſcam. Academia noſtra amiſit his diebus D. *Jacobum Golium.* cui d. 4. *Octob.* parentavit D. Gronovius. DD. Curatores adhuc deliberant & de *Theologo*, & de *Medico.* videntur quærere doctiorem & celebriorem illis qui hic ſunt. Medici autem, qui hic ſunt, non valde deſiderant Collegam. Vale, cum chariſſimis uxore & cognatis. Salutem à meis officioſam adſcribo. Ego & uxor valemus.

Lugd. 8. Octob. 1667.

Salutem plurimam adſcribo D. *Pagenſtechero*, D. *Goddæo*, D. *Pauli*. Ego totos dies occupor relectione ſpeciminum, quæ ex Typographæo ventitant. *Lexicon* enim & *Ezechiel* feſtinantur pariter. Parum ſupereſt temporis ad meditandum & agendum, quæ opus eſt.

EPISTOLA CXLIX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

. . . . Quod attinet ſenſum vocis *Legis* in diſputationibus Paulinis, rem acu tetigiſti. Ita declaro in Epiſt. ad Romanos p. 228. l. 18. & p. 229. in fine. & p. 230. Lex, quæ facit ἀνάμνησιν, eſt lex præcepti carnalis, ſi materiam quaſi ſpectes: ſed peccatum accuſare, ut nondum expiatum, eſt legis operum. quemadmodum ejuſdem eſt peccatorem abſolvere, qui habet Sacerdotem conſummatum. Decalogus habet præcepta, quæ qui facit, in eis vivit. Quando igitur ea præcepta habent faciem legis operum, &, ut lex operum, operantur ὀργὴν & ἀνάμνησιν τῆς ἁμαρτίας, catenus vocantur *lex*. Quod autem ſine hoc effectum ſit fœdus Gratiæ, clarum eſt: quia aliud Iſraëlitarum non eſt, neque dari potuit, Fœdus. Et id arguunt omnia, quæ ſunt in Decalogo. 3. Nov. 1667.

EPISTOLA CL.

REINHOLDO PAULI JOH. COCCEJUS.

Steinfurtum.

Reverende Vir, D. & Amice Honorande.

Acceptiſſimæ tuæ literæ mihi traditæ ſunt nudius tertius, cum diſputatione de Tranſſubſtantiatione, quæ, ut nunc docetur à Pontificiis, eſt, cum ſacrificio Miſſæ, verum abominabile ſtuporis. Legi ſtatim inter negocia Diſputationem tuam. quæ mihi perplacuit. Non poſſumus ſatis in eo laborare, ut ſtultitia illius dogmatis & repugnantia cum Scriptura omni conſcientiæ innoteſcat. Si vera doctrina ex S. Scripturis de myſterio S. Cœnæ explicetur, ipſi Pontificii non poſſunt eam negare. Sed addunt illud, per quod veritas plane evertitur. Corpus Chriſti dicunt oportere ibi eſſe propter unitatem, h. e. ut Chriſtus in nobis ſit, & nos in ipſo: rurſus id in Miſſa ſacrificari, h. e. deſtrui ſacramentaliter, ut ibi non ſit. Quid fingi poteſt ineptius & pugnans magis vel cum unione cum Chriſto, quam habemus in fide per unum Spiritum, vel cum redemtione per Chriſtum facta & purificatione conſcientiæ in Euangelio prædicata. Quæ quanquam manifeſta ſint, & doctrina veritatis facile ſe conſcientiæ uniuſcujuſque probet, atque etiam regnum Papale notabiliter à Deo exagitetur & conſilia Papiſtarum quotidie eludantur; tamen quidam clauſis oculis currunt ad Papatum, qui etiam effugerant eos, qui in errore verſantur. Quorum miſeranda ſors eſt. Sunt enim poſteriora eorum deteriora prioribus. 2. Petr. 2: 20. qui conſcientiam ſuam cauterio exurunt, & Spiritum ſanctum blaſphemant, per quem ad cognitionem veritatis & viæ juſtitiæ adducti erant. Mirum id ſane eſſet, niſi Scriptura id prædixiſſet. Eſa. 23: 17. Et hoc pertinet ad ventilationem palearum, ut ſecernantur à frumento. Tamen nobis danda eſt opera, ut nemo pereat. quantum ejus fieri poteſt. Utinam Scriptura amaretur ab omnibus & intelligeretur! nemo deficeret ad aliud Verbum & doctrinas hominum. Utinam, qui volumus videri loqui ex Scriptura, tantum loqueremur ex Scriptura! Tunc idem loqueremur, & diſſenſio noſtra & contentio de humana ſapientia & noſtris vocabulis non eſſet eorum, qui non ſunt fundati, deſtructio. Qua in re quantum peccetur, quo magis lego Scripturas & meditor, magis animadverto. Neque ego ſcio aliud remedium, quam ut homines omnes adducamus ad Scripturas & earum ſenſum; ut intelligant, eam non eſſe noſtram Interpretationem, ſed veritatem ſe commendantem conſcientiæ & potentiam divini Verbi. Ego nuper abſolvi meditationem in utramque ad Timotheum. quæ etiam edita eſt. Eam mitto, cum ea ad Romanos, & ad Epheſios, & Judæ, & Examine Apologiæ Equitis Poloni. Hæc enim erant ad manum. Cætera avolarunt. Ea mitto, quia me urges, & ea voluntas eſt Generoſiſſimorum D. D. Comitum. quibus ſi placere aliqua re poſſum, nihil libentius fecero. Ego his finio, & R. T. cum Collegis divinæ clementiæ commendo. D. Hobokenum affinem meum & filias D. Keſteringl p. m. itemque D. Pagenſtecherum amantiſſime ſaluto. Scripſi celeriter d. 29. Novemb. 1667.

EPI-

EPISTOLA CLI.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Chariſſime Gener.

. . . . Ad Quæſtiones accedo. Sic argumentaris. *Qui puniri non potuerunt, non fuerunt debitores pœnæ. Nam ad minimum, debitorem pœnæ eſſe ſignificare videtur eſſe in eo ſtatu ut puniri poſſit. At Fideles Vet. T. puniri non potuerunt, habebant enim Sponſorem apud Deum, qui pro ipſis in omni anguſtia intercedebat, & per Sponſionem & interceſſionem ſuam non tantum illos immunes præſtabat à pœna, ſed & efficiebat ut puniri à Deo non poſſent. ſponſorem fidelem habens apud Deum & interceſſorem, à Deo puniri non poteſt. Si enim iſte à Deo puniretur, iſto facto illam ſponſionem & interceſſionem repudiaret Deus. quo ſenſu igitur rei appellari poſſunt?* Reſp. Potuerunt puniri, niſi Sponſorem haberent. Sponſorem habere præſupponit debitorem pœnæ eſſe. Niſi debitores pœnæ eſſent, non opus haberent Sponſore. Neque debitores pœnæ eſſe deſinunt, niſi præſtita ſatisfactione.

a. d. 7. Decemb. 1667.

EPISTOLA CLII.

D.F.F. JOHANNES COCCEJUS.

. . . . *Gomer* pater Phrygum dicitur. quomodo filiis ipſius aſſignantur gentes diverſæ, & ipſi patri diverſa? per quem filiorum igitur eſt pater Phrygum? Quod *Tubal* dicitur pater Tibarenorum in Cappadocia, ad fidem apud me non invenit, quemadmodum &, quod *Meſech* ſint Moſchi. Fit mentio Meſech & Tubal tanquam præcipuarum gentium, quibus Gog dicitur imperare. Ezech. 38. & 39. Non video, quis locus in ea prophetia ſit Tibarenis & Moſchis præcipue. Quod attinet *Tarſis*, non credo hoc nomine Hiſpanos vel Iberos denotari, vel per *Chittim* Italos. De Chittim dixi, quantum ſcio ad Daniel. 11: 30. Fuit etiam in Ezechiele cap. 27. aliquid dicendum de *Tarſis* & de aliis gentibus. Ad Cantici cap. 5: 14. item de Tarſis dixi: ut & ad Jonæ cap. 1. Non placet, quod *Cuſchæos* vult eſſe ſolos Arabes ſive Saracenos ad mare Perſicum habitantes, cum clarum ſit in Scripturis hoc nomine nominari Æthiopes. De hoc egi etiam in Dodecapropheto. De cæteris quibuſdam cogor ambigere. Non ſum in ea ſententia omnia Veteris ævi à nobis poſſe explicari.

Lugduni a. d. 17. Decemb. 1667.

EPISTOLA CLIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Dilectiſſime Gener.

. . . . Quod Quæſtionem tuam attinet: *An arbor vitæ Adamo Sacramentum fuerit vitæ in cœlo degendæ, & nullo amplius moriendi periculo obnoxiæ, & an iſtum uſum Adamo præſtiterit, an vero ipſi demum Sacramentum futurum fuiſſet, ſi perſeveraſſet, & in tentatione non ſuccubuiſſet?* Sic reſpondeo. Arbor vitæ fuit adumbratio Filii Dei dantis vitam. Sigillum fuit juſtitiæ, non ejus, quæ ex fide eſt, ſed ex lege & operibus. Quemadmodum omnia Sacramenta vel ſigilla ſunt ἐπερωτήματα ἀγαθῆς συνειδήσεως εἰς Θεὸν, ita & illud. Fuit igitur ſigillum perſeveranti, ſive ſub conditione perſeverationis: at nobis ſigilla juſtitiæ ſunt ſigilla ἀπερπτώσεως atque adeo perſeverationis.

d. 22. Decemb. 1667.

EPISTOLA CLIV.

AMICUS JOHANNI COCCEJO.

Vir Reverende & Clariſſime.

. . . . Dum hiſce diebus Conciones mihi habendæ fuerint de παρουσίᾳ & ἐπιφανείᾳ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & explicandum quomodo ſermo caro eſſe inceperit, & nobiſcum in carne ut in tabernaculo verſatus ſit, obortus eſt ſcrupulus de modo unionis duarum naturarum in Chriſto, ut loquuntur. Ego videor mihi ex tuis ſcriptis collegiſſe & didiciſſe eam rem ſimpliciſſime & clariſſime ita exponi poſſe, ut dicatur Deum Patrem quidem aptaſſe & formaſſe Filio corpus, Filium autem eadem potentia & ſibi illud formaſſe, ut illud eſſet corpus ſuum, & organum ſibi proprium, in quo ageret & pateretur id omne quod ad demonſtrationem juſtitiæ Dei, & ad nos acquirendum in peculium requirebatur. atque adeo illam unionem nihil eſſe aliud quam quod id formaverit in organum proprium ſibi, & quod illo ut organo proprio uſus ſit; quam ob rem recte corpus ipſius nominatur. Sed hoc me aliquo modo ſuſpenſum tenet, tum vix apparere diſcrimen inter aſſumtionem, qua Filius Dei aſſumſit corpus, & inter aſſumtionem, qua Angeli ſæpe ad tempus corpus aſſumſerunt. Verum quidem eſt, quod Angeli ipſi illa corpora, in quibus apparuerunt, ſibi non formaverint; fuerunt tamen illa corpora organa, in quibus ea egerunt, quæ ipſis à Deo injuncta erant. An ergo Angeli, quamdiu illis corporibus utebantur, ut organis, dicendi ſunt fuiſſe homines? fortaſſe quia ſolum corpus aſſumſerunt & non etiam animam, ideo non poſſunt nominari homines. nam homo habere debet non tantum corpus, ſed etiam animam. ſi vero Angelus aſſumeret mentem corpore veſtitam, an tum dicendus eſſet homo, æque ac Filius Dei dicitur homo? Quæſo hic me adjuva, & explica in quonam differat aſſumtio Angelica corporis & aſſumtio Filii Dei.

JOHANNES COCCEJUS AMICO.

Præſtantiſſime & Doctisſime Vir.

. . . . De σαρκώσει λόγου recte percepiſti ſententiam meam. De qua etiam ago in Præfatione Epiſtolæ ad Epheſios. Angelus gerens corpus etiam אִישׁ nominatur in Scripturis. Quidni & אָדָם potuit nominari, ſi corpus ex אֲדָמָה? Sed non potuit nominari בֶּן אָדָם, ut ὁ λόγος. Angelus cum ſit νοῦς κτιστὸς, & ſit ἄνθρωπος, non opus eſt ut aſſumat vel accipiat νοῦν. Eſt enim νοῦς ἐν σώματι. Homo eſt νοῦς ἐν σώματι διακείμενος, καὶ διὰ φρονήσεως. Ὁ λόγος eſt σὰρξ ſive habet νοῦν ἐν σώματι. διὰ τὸ λαβεῖν τὸ ποιεῖν ἑαυτοῦ ναόν. Angelus habens corpus eſt homo ut Adam. Ad differentiam hujus appellationis nihil facit, ut noſti, diverſitas potentiæ & gratiarum.

3. Jan. 1668.

EPISTOLA CLV.

D. F. F. JOH. COCCEJUS.

Vir Celeberrime.

I. CAuſam naturalem decurtatæ vitæ humanæ non puto eſſe quærendam primo loco. Quod homo vivit poſt peccatum & generat, eſt τῆς ἀνοχῆς καὶ μακροθυμίας Θεοῦ, qui voluit electos ex genere humano ſalvare. Statuit igitur diem judicio, & ante id determinavit homini ſuos dies. Ante diluvium plures, ut patres diutius filiis ſuis adeſſent, & eos docerent: &, ut plus temporis haberent ad inquirendam ſalutarem omnemque utilem veritatem &, ut puto, artes. Poſt diluvium non ſtatim diminuta eſt ætas hominum æqualiter. Jam Davidis tempore viſus eſt longævus, qui 70. vel 80. annos vixiſſet. Et puto hoc prophetice dici in Pſalm. 90. Niſi enim fallor, eſt illa oratio prophetica & nobis dictata. Eſaias cap. 65: 20. dicit, quum fiet novum cœlum & nova terra, longævos homines futuros. Puerum ἑκατονταέτην moriturum, ſtultum ἑκατονταέτην maledictum iri. Puto, eſſe ænigma. Tantam futuram in pueris ſcientiam, quanta alias in hominibus 100. annorum. Cæterum quoſdam adhuc ſimplicius viventes & barbaros diu vivere accipimus. Eſt ea protractio μακροθυμίας. Quiſque autem noſtrum moritur ſuo morbo, vel clade aliqua. Quis dicet, quare ex duobus hominibus unus vivat per annos 10. alter per annos 70. & amplius? Non poſſum hîc reperire cauſam naturalem univerſalem. Quod peſtis multos aufert ſimul & ad cauſam ſive venenum paſſim ſparſum in locum aliquem, & ad manum Dei dirigentem referendum eſſe, non ambigimus.

II. Diluvium ita factum eſt, ut & fauces abyſſi regurgitarent, & cataractæ cœli aperirentur: & ita deſiit, ut paulatim per multos dies deſiccaretur terra. Si non fuit univerſale diluvium, per aquarum ex Oceano infuſionem factum eſt. Si ita: cito potuit aqua recedere in ſuum locum. Gen. 7: 19. dicitur: אֲשֶׁר־תַּחַת כָּל־הַשָּׁמָיִם / Petrus in 2. Eph. 3: 5. dicit: γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα. Significat, ut tota terra ex aqua emerſit, ita aquis involutam ſtare & locum eſſe hominibus & animalibus commodum, totam aquis circumvallatam: & per eas aquas priorem mundum judicatum eſſe. Pſalmus 104. dicit vſ. 6. *ſupra montes* h. e. ſupra eum locum, in quem nunc porriguntur montes, *ſteтiſſe aquam*, antequam *montes aſcenderent & valles deſcenderent*. Deum autem *increpuiſſe aquas, ut fugerent ad locum ſuum*. Qui aquas juſſit fugere, in diluvio revocavit eas. Jobi

cap. 38: 9. dicit Deus, se mare involvisse nebulis. Cætera istiusmodi non sunt ignota. Ego sic rem concipio. Deus aquas à se invicem discedere fecit, & alias superiores fecit, alias inferiores. Inferiores sunt in mari, fluviis, lacubus, in cavernis terræ, & per totam terram diffusæ. Probant id putei, qui fodiuntur. Superiores sunt per totam aërem dissipatæ, & (ita ut nullibi purum putum aërem hauriamus. Quod si fieret, forte ne vivere quidem possemus) in vapores, rores, guttas, quando Deus vult, colliguntur. Et superiores descendunt & inferiores ascendunt. Potuit Deus facere, ut aquæ rarescerent. Quod puto in æstibus fieri. Observant omnes in noviluniis & pleniluniis esse majores æstus, in quadris minores. Id in toto mundo observatur. Augescit igitur aquæ moles. Hæc sunt certa & cum Scriptura consentanea. Quare igitur dubitabimus, satis aquæ esse in mundo ad operiendam terram?

III. Animalia non possunt dici impura ratione esus tempore Noachi. Omnium animalium esus datus est Noacho & filiis ejus. Neque puto nos posse probare, distinctionem fuisse factam inter puras & impuras ratione altaris. Hoc evidens est, in Levitico legem esse datam de impuris quibusdam discernendis, & ea animalia fuisse majore numero in arca, & ex illis sacrificasse Noachum. Prolepsis igitur est. Deus in diluvio fecit distinctionem opere conservationis plurium purorum; postea legem dedit. Voluit Deus etiam plura inveniri pura animalia, quam impura.

IV. Linguam Hebræam primigeniam esse, non possum dubitare. Mosen mutasse nomina, fidem fatigat. Chaldæa, Syra, Ægyptia nomina non mutat Scriptura פְּרָת nomen fluvii idipsum est, quod omnes nominant. פַּדַּן אֲרָם peregrinum vocabulum est. Denominatio אִשָּׁה ab אִישׁ in Hebræo habet locum. Chaldæum ex Hebræo est. אִתְּתָא / אִישׁ non dicunt Chaldæi, sed אֱנָשׁ / Hoc est ab Hebræo אֱנוֹשׁ / & hoc ab אִישׁ / In terra Canaan non ignotam fuisse linguam Hebraicam, fateor. Laban Syrus habuit Hebræum nomen. מִלְכָּה, רִבְקָה נָחוֹר. Hebræa nomina sunt. An Cananæi puram putam Hebræam locuti sint, nescimus. Hoc videmur non improbabiliter, dicere, linguam Hebræam, ante populum Israëliticum, non fuisse certi populi, sed familiæ & sectæ. Nihil tamen impedit, Cananæos aut eandem linguam retinuisse, aut plurimum ejus. Certe עִבְרִים ab omnibus gentibus fuisse distinctos, satis clarum videtur. Novimus, in Græcia plures Græci idiomatis dialectos & fuisse & esse: inter alias communem, vulgarem. Latina nunc est doctorum lingua. Sed & Itali & Galli & Hispani multum de ea trahunt. Sit ita Hebræa lingua prima, communis, retinentium fœdus, Hebræorum præcipue, h. e. Heberi posterorum. An Φοίνικες sint ab Edomo dicti, dubitari potest. Alia est Idumæa, alia Phœnice. φοινικοῦς est quodammodo ἐρυθρός, non φοῖνιξ.

V. Potuit Semus centenarius biennio post diluvium, & esse biennio minor Japheto, qui natus est quingentesimo Noachi. Quod vero attinet locum Genes. 10: 22. non video causam, quare propter ordinem Arpachsad dicatur tertius. Præmittit Elam & Assur. quarum gentium sedes notissima. Elam scil. & Assur finitimi, ille ad Orientem, hic ad occasum. Si ab Arphaxad nominatur Arrapachitis, jure succedit. Occidentalis quippe Assyrio. Tum adjungit Lud & Aram. De hoc pauca. De Lud nihil. De Arphacsad tandem multa; & assignat originem populis, quæ nomen Arphaxad non retinuerunt: & habitarunt versus meridiem Asiæ & ad sinum Persicum. Moses igitur ibi Chorographiam potius sequitur. Ita in ipso initio. *Sem, Cham, Japheth.* Atqui Japheth est primus. Sed ab ortu per Meridiem ad Occidentem Septentrionalem circuit: &, à quo volebat incipere, in eo desinit.

VI. Circumcisio divino mandato pertinet ad omnes masculos ab Abrahamo oriundos, & ad omnes, qui fœdus Abrahami amplexi sunt. Ismaël non est à fœdere exclusus. Tantum dictum est: In Isaaco vocabitur tibi semen. Et, cum Isaaco constabiliam fœdus meum. Quo notatur, promissionem per Isaacum esse ad veritatem perventuram. Non, de quibus tam aperte promissio non extat, ideo exclusi sunt à fœdere. Cæterum omnibus masculis datur sigillum justitiæ fidei, ut parentibus confirmetur promissio, quod Jehovah sit futurus Deus, ut, ipsorum, ita & feminis ipsorum. Effectus est is. Qui in pueritia moriuntur, salvi sunt & sancti. Qui adolescunt, habent vocationem ad fœdus, &, si ὁμολογίᾳ sua id ratum faciant sunt hæredes justitiæ.

EPISTOLA CLVI.

THEODORO STOCK JOHANNES COCCEJUS.

Vir Reverende, Amice plurimum Honorande.

JAm pridem noram, te nostra studia non, cum aliis, condemnare vel contemnere. Id ex te ipso intelligere gratissimum fuit. Magnæ mihi consolationi est, me hunc fructum sacrarum literarum reportare, ut amer ab iis, qui eas amant. Utinam vero iis possim satisfacere! Nam egomet novi, quantum mihi desit, sive ad cognitionem sive ad contentionem virium. quod magis deplorandum est. Forte, quod nondum plures habeo amicos, causa in me est: qui, ut operæ parcerem, brevius locutus sum. quanquam, si verum fatendum est, ego ab initio non putavi futurum, ut mea scripta in multorum manus venirent. Satis mihi fuisset, si cum collegis ita essem, ut non viderer nihil agere & afferre ad sacra studia. Et opinabar, ea non posse esse obscura, quæ dicebam; quum & inhærerem Scripturæ, &, quæ dicebam receptis essent consentanea; neque ad novandam doctrinam, sed ad eam confirmandam. Nunc ita evenit, ut fierem & ego σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Laudetur Deus. Nisi quid boni esset in iis, quæ videmur ex S. Literis didicisse, Satanas quiesceret. D. Hundius mihi ereptus est συνεργὸς planè immaturo obitu. Item D. Claubergius. An à vestris Theologis impetrem ut videar meliora silendis esse locutus, dies ostendet. A D. Crellio hisce diebus accepi orationem perdoctam, qua parentavit Principi. Id favori assigno. Cæterum, quod me attinet, nihil mihi credi vel concedi postulo. quæ loquor, cupio inveniri talia, ut pervenerint ad omnes in verbo & fundamento sive testimonio D. Jesu. D. Blecourt & D. Conradi studia sunt mihi charissima. Doleo, quod hucusque responsum distulerim. Sed scio, te eo animo esse, ut mihi non imputes meam infirmitatem. qui quum laboro, libenter ea urgeo, quæ præ manu sunt. Quemadmodum nunc totus sum in Lexico, per decennium, collecto, recognoscendo, & ad prelum subministrando. Ezechielem etiam absolvimus. Typus Templi Amstelodami fit. Interim de Jeremia addendo cogitamus. De quo quidem aliquid dictavi; sed & comperio, multa posse & debere addi. Hisce & aliis necessariis tempus, quo studere possum, consumitur. De quibus rebus interrogas, ut ad eas vix respondeam (neque enim despicio) timor facit. Quæris

I. Sperandum ne sit jam nunc, vel brevi abhinc consummata esse dissipatio manus populi Sanctorum? Sane non possumus negare, eo, qui elapsus est anno Deum fecisse magna opera. Certe frustratus est spem eorum, qui putabant, nunc Ecclesiam Reformatam in agone versari: & nisi non credimus oculis nostris, cœpit Deus vulnus populi sui obligare. Possumus profecto agnoscere, Deum esse eum, qui vulnerat, & qui sanat. ut est Deut. 32: 39. Sed an non insuper per temeritatem nostram simus accersituri plagas, dicere non possum. Suspecta mihi res est. Hæreo in quibusdam dictis. ut imprimis in principio capitis XXXI. Esaiæ. Quicquid sit, constat, Deum aliquid fecisse, quo fecit spem confugientibus ad se.

II. An semihorium illud Apocalypticum, quo factum in cœlo silentium, nondum sit finitum? & an etiamnum in hisce deceat ἐπέχειν? Conjectura mea est, semihorium id tunc terminatum iri, quum dicetur: Nunc omnia regna mundi sunt Dei & Christi ipsius, ut est Apoc. 11: 15. Potest autem hoc dici cum id incipiet fieri. Vide Esai. 35: 3. & adde ℣s. 6. 7. Et profecto sunt qui dicant, hoc esse tempus, quo Deus velit regnare: omnia ad hoc videri esse comparata: Me quod attinet, inter præstolantes sum. Tamen in ea spe mea prædicanda non discedo à meo canone qui est, observare & ostendere in omni prophetia, quæ videantur esse impleta; & sequentia, quorum implementa nondum video, legere, ruminari, relegere, & sinere esse in manu & potestate Dei, quomodo ea implenda sint. Nam, si quid apud me ipse animo concipiam de modo & tempore implementi, ponam obicem aliis, ne ad sermonem propheticum attendant. Id evenit Judæis: qui quum regnum Christi aliter concepissent, quam quomodo id exhibitum est, in Christo sunt scandalisati. Cæterum, Reverende Vir, Deum oro, ut te clementer conservet Ecclesiæ suæ, & ut velit S. Scripturam magis magisque esse φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, ut videamus regnum ejus cum plurimo fructu advenire. Ne cessemus orare. Esai. 62: ℣s. 7. Atque ego me quoque tuis precibus commendo. Salutem plurimam à me D. D. Professoribus, & nominatim Theologis, dicas velim.

Scripsi a. d. 6. Januarii 1668.

EPISTOLA CLVII.

LUCÆ GERNLERO JOH. COCCEJUS.

Basileam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine Honorande.

ORnatissimus Harderus noster heri exhibuit mihi literas tuas, quibus eum mihi commendas. At ille est eo ingenio & ea indole, ut nihil magis cupiam, quam ipsi prodesse. Obtuli ipsi me,

me, & omnia mea prompta, & parata. Tantum velim, sumat eam fiduciam, ut me crebro exerceat. Quod cum fit, ipsi discimus. Quo nihil jucundius accidere potest iis, qui cognitione delectantur, neque pudet nescivisse, quod tanti est, ut discamus, & gaudemus nos didicisse. Video quosdam hoc seculo non ita animatos esse. Quorum sunt illi, qui negant, qui sub lege fuerunt, Sanctos, Spiritum Servitutis accepisse, quasi non Spiritus Dei, qui eos sanctificavit, etiam hoc in eis effecerit, ut servitutem susciperent, & in ea ad libertatem N. Test. quæ est filiorum anhelarent. Quibus videtur dolere, si dona Nov. Test. dicantur majora eis, quæ data sunt, sub Vet. Test. Sunt tales Ultrajecti homines, qui putant sibi id negotii datum, ut mihi obtrectent. Atque hoc erat ænigma quod R.T. sibi explicari postulat. Quod non possum explicare, quin simul Deo gratias agam, qui mihi conciliet amicos, quos sincerissimos, & ad bonum Ecclesiæ optime animatos esse scio. Quorum non postremum te memoro, studiorum meorum fautorem & extimulatorem. Quem in patriæ pestilentia salvum esse, ex animo gaudeo, & ut diu superstes sit, intimo cordis affectu rogo Deum. Quem spero Ecclesiæ suæ tandem miserturum, quanquam quæ nunc geruntur in mundo, novas calamitates videantur minari. Gallus, equus ferox, insultat multis. Etiamsi causa ipsius justa esset, non tamen causa erat, ut occideret, vel unum eorum, quos putat debere esse subditos suos. Si reges Christiani essent, deberent totas controversias arbitris committere. Sed Luna est versa in sanguinem, Dei judicio, & exercitus Gogicus inter se confligit. An nos futuri simus quieti Deus novit. His diebus Hagæ, cum misso Britanniæ Regis fœdus ictum est, de mutua defensione, itemque de urgenda pace inter Reges belligerantes actum. Deus orandus est, ut pax procedat, & Reges terræ potius cogitent de regno Dei amplificando quam de suo. Genevates in angustiis versari, satis constat. Conditionem etiam Reformatorum in Gallia esse miserabilem, accipimus. Utinam non habeat Deus, quod in nobis, qui Reformati dicimur, ipsi displiceat, sine dubio non esset tanta opis divinæ tarditas. Sed hæc de illis satis. In Academia nostra jam legit & disputat D. Jacobus Gaillardus Gallicæ Ecclesiæ minister & D. Gerhardus vander Meulen disputat, atque is commodum mihi adest, dum hæc scribo, qui R.T. studiose salutat. Quem Collegam habituri simus, adhuc incertum est. Oro Deum, ut R.T. & Collegas Reverendos incolumes diu esse velit, & benedictione sua cumulet. Salutem eis adscribo animitus. Vale. Dabam a.d. 26. Januarii 1668.

EPISTOLA CLVIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . . . Quartum præceptum dicit, Sabbatum Domini sanctificabis. Est σάββατον τύπος & σαββατισμὸς ἀλήθεια. Utrumque Sabbatum sanctificandum est. Sabbatum τύπος præbet occasionem conveniendi in nomine sanctificatoris Dei. Id morale præcepti est, &, quatenus ad honorem Dei spectat, primæ Tabulæ est. quamvis in eo charitas proximi contineatur. Constituatur hoc ad illum modum: Ne negligas Deum sanctificatorem sanctificare & in te & ad proximos, quantum potes plurimos hac occasione. Generalissime: omni commodo tempore. Hinc recte deducitur à Catechesi: quando est σαββατισμὸς, qui est veritas, temporibus commodis in cœtu magno celebrandum esse & sanctificandum Deum sanctificatorem. Quod attinet morem Israëlitarum, Templum ipsum ita factum erat, ut plurimi & in Festis & quotidie in eo convenire possent. Et sacerdotibus ac prophetis ac Levitis incumbebat populum intrantem docere. Ita Jeremias in aditu templi concionatus est. In captivitate fuit moris accedere ad Prophetam & consulere Deum, sive audire verbum, quod ipsi revelatum erat vel per Scripturam vel extra ordinem. Ex Ezechiele id liquet. Ad Samuelem convenisse prophetantes liquet ex Historia. Elias, Elisæus habuerunt, qui cum ipsis operam darent Prophetiæ una commorantes. saltem ad tempus tanquam scholas. Institutum esse ab Ezra, ut Sabbato convenirent, non observavi. 2. Reg. 4: 23. rogat maritus uxorem, quid causæ sit, cur die non feriato velit audire Prophetam? Non videtur dubitandum, quin si Propheta in propinquo esset, in feriis soliti sint eum audire. Nam, ubi cessandum erat, etiam in loco manendum erat, neque iter faciendum. Suspicatus est vir, aliud quid esse quod pararet proficisci ad Prophetam. Ideo mulier respondet: Pax. Quicquid sit de more, hoc clarum est, Israëlitas, qui non operam dederunt ut Sabbatum quam cumulatissime sanctificarent, non, ut oportuit, sanctificasse Sabbatum. De qua re conqueruntur Prophetæ. Pendet autem hoc ab amore Dei, ut eum velis celebrare & in proximis, quantum pote, omnibus sanctificari, commodo tempore. Tempus non sanctificatur, nisi quum Deus sanctificatur in hominibus, &, ut sanctificatur, glorificatur.

2. Febr. 1668.

EPISTOLA CLIX.

JOH. COCCEJO ABRAHAMUS BIERMAN.

Admodum Reverende, Celeberrime & Doctissime Vir, D. Symmysta & frater in Christo antiqua fide colende & plurimum honorande.

Ultimas meas (quæ erant responsoriæ) die quinto Augusti (secundum veterem chronologiam) anni æræ Christianæ 1664. ad Clarissimum Virum exaraveram, quas rectissime esse exhibitas nullus dubito. Plures autem, neque ad prædictas, neque ad eas, quas die decimo sexto Maji anni 1661. scripseram, haud esse insequutas literas, non miror. Scio enim, Virum Clarissimum (quo nulla luscinia est vigilantior) semper, & quidem in magnum Ecclesiæ fructum, esse occupatissimum. Idem itaque de diligentia tua (quæ jam nobis præter Lexicon eruditissimum, Commentarios in Prophetiam Ezechielis, Euangelium Johannis & Epistolam Pauli ad Titum divinos promittit) testari possem, quod de Augustini sedulitate Possidonius, ac de Calvini nostri Beza, Melchior Adamus & Thuanus affirmarunt, esse scilicet eam alacrem, fortem & impraetermissam. Hac tamen non obstante Musis tuis sacris obstrepere sum ausus. Ansam mihi præbuit Ploni Almoni in vicinia, cui ad secundas transeundi nuptias est animus. Non quærit: An hæ sint licitæ? Haud enim curat Veteres illos μισογάμους, inprimis Hieronynum, quem constat matrimonio fuisse iniquiorem, ut maxime continentiæ dono nequaquam præcelluerit, quod satis prodit Epistola ad Eustochium, tantum ut virginitatis & cœlibatus virtutem & merita extolleret. Hinc ipse, ut & Tertullianus, damnarunt nuptias secundas, ingens, quod est inter digamiam viventium & superviventium, non considerantes discrimen. Sed hanc duntaxat movet quæstionem: An licitum sit ejusmodi vel virginem vel viduam ducere, à qua nulla sit exspectanda vel speranda proles. Hæc quæstio (ut mihi videtur) est altioris indaginis, præsertim, si ad eam Viri Clarissimi verba (quæ „ hæc sunt: „Fructus autem conjugii casti, hoc est, unius cum „ una, est semen Dei. quod quærere est finis conjugii. Extra „ quem scopum etiam conjunctio viri & fœminæ nefaria est) punctius & curatius perpendantur. Scrupulum laudata Summæ Theologiæ verba C. 19. §. 18. non exiguum quærenti injiciunt, atque, ut illius nomine Clarissimo Viro sequentes moveam, dant occasionem. Quid tibi, Vir Clarissime, videtur de tot conjugiis inter Christianos contractis, quæ fine prædicto caruerunt? An non fuerunt in Domino propter alios (quorum etiam Lithurgia nostra mentionem facit) observatos & notos cætera fines? Hoc inter propter opem, vel in œconomia, vel in morbis ferendam, provectioribus præsertim ætate viris? An ibi fidei ancillarum omnia sunt concredenda? immorigerarum sæpe ac de quarum cura & fidelitate non usque adeo constat, quæque pro lubitu Domum & Dominum deserunt, quibus etiam se committere ægrum honestati non parum adversatur. Vel, an omnino talis nullave alia est ducenda uxor, quam unde exspectari potest proles; etsi illa uxor ætate multum impar sit, & ejusmodi conjugia raro felicia esse soleant, raro etiam in hisce patres suis liberis ad id ætatis usque superstint, quod ad maturam illorum educationem requiritur? ut non addam dissensiones, discordias & diffidia, quæ in tali casu oboriri ut plurimum solent. An pastores orthodoxi, qui hujuscemodi, juxta morem usitatum, confirmarunt matrimonia, vel ipsimet, ut Beza & alii, inierunt, sunt ea propter accusandi, aut ipsorum matrimonium nefarium pronunciandum? Proporro: Quid de sterilibus conjugiis, de quibus certo constat, nullam ex iis prolem proventuram, judicandum est? An illa dirimenda, vel marito ab uxore abstinendum, illamque Abisag instar habendam? Vel, si continere se non posset alia illi vota sunt permittenda? Aut conjunctio illius cum uxore sua nefaria dicenda? Scio, Virum Clarissimum non dividere cum Pontificiis non nullis castitatem in perfectam, qua quis non modo illicitam, sed & licitam vitat Venerem, & imperfectam, qua quis solam illicitam fugit; cum hæc divisio inepta sit, 1. quia, quando quis ab omni illicita & inhonesta Venere sibi cavet, perfecta est castitas, quoniam est ea, quam Deus à nobis exigit. 2. Quia eam solam habuit homo in statu integritatis, qui perfectissimus, & hoc nostro, in quo monachi perfectionem jactitant, multo perfectior fuit. Nihilo secius à communi sententia (nisi mihi fungus est pro cerebro) C. V. recedit. Fateor, errantium multitudinem errori non parere posse patrocinium. Ut vero reliquos à R.T.D. dissentientes

errantibus accenſere, & Almoni Ploni ſatisfacere queam, ab eadem verborum citatorum dilucidationem, nec non ad interrogata mea reſponſiones celerrimas obnixe peto, atque, ſi hac petitione mea C.T. aliquam creo moleſtiam, veniam inſimul rogo culpæque remiſſionem. Optime valere & ſalvere Te jubeo, Vir optime, divinæque providentiæ cœleſtis Patris Tua omnia, Tuosque ex animo commendo.

Lutreæ d. 14. Martij, A. æræ Chriſtianæ 1668.

R.T. Dign.

Studioſiſſimus

ABRAHAM BIERMAN.

Abrahamo Biermanno Joh. Coccejus.

Lutream.

Vir Reverende, mihique ex animo Honorande.

QUandoquidem me tam benigne excuſas, quod non crebrius reſponderim, non opus eſt, ut ego ſupervacua excuſatione utar. Novit D. van Dalen, T.R. in magno apud me eſſe precio. Ab eo ſoleo quotannis unas literas accipere, cui quum reſpondi, T.R. ſalutari verbis meis petivi. Quod autem literas non adjunxi ad R.T. cauſa eſſe poteſt, quod memoria non ſuggereret argumentum, de quo ſcriberem. Cæterum hodie oblatæ ſunt mihi literæ tuæ datæ 14. Martij, ad quas nulla interpoſita mora reſcribo, Quæſtionem quæ in eis continetur, quod attinet, de ea etiam D. Hundius p. m. ad me ſcripſerat. Quod verba mea attinet, quæ poſui in cap. XIX. Summæ §. 18. ea non opus eſt extendi extra materiam, quæ in eo capite tractatur. Quis laudabit virum & fœminam, qui generare poſſunt, concumbentes cum eo propoſito, ut nolint quærere ſemen Dei? quemadmodum Er & Onan fecerunt, quemadmodum ſcortantes faciunt, ut puto. Si hoc attendatur difficultas, quæ objicitur, evaneſcet. Cæterum, quemadmodum ſenes conjuges una habitare poſſunt, & non libidinari, ita credo poſſe etiam majores natu viduos & viduas ad cohabitandum convenire, ad ſolatium humanæ infirmitatis. Atque hîc puto obſervandum, quod Paulus dicit 1. Cor. 7: 5. 6. Scrupulos conſcientiæ non neceſſarios movere meum non eſt. Sed tamen non debemus eſſe tam faſtidioſi, ut velimus illud, quod à carnis infirmitate eſt, etiam laudari. Maritus habens conjugem ſterilem, & ea utens, vellet, ſine dubio, videre ex ea ſemen; &, quum id non poſſit, ſua ſorte contentus eſt. Si duo majores natu in manum conveniant, præſumuntur non libidinis cauſa convenire, ſed auxilii. Si id turpe eſſet, eſſet etiam ſenibus conjugibus turpe una agere & in uno lecto cubare. In cætera non nimis anxie inquirendum cenſeo. Clarum tamen eſt, hominem honeſtum, qui vellet quidem liberos, ſed non putat familiæ ſuæ aut liberis, quos procreaturus eſſet, bonum eſſe in ſenectute generare, & non poteſt ſe continere, id moleſte ferre, & nolle laudari, & operam daturum, ut ſe contineat. Equidem gratias ago meo proavo, quod anno 63. ætatis duxit uxorem, ex quo matrimonio ſuſcepit duos filios, quorum alter avus meus fuit. Per hoc enim ejus factum evenit, ut ego eſſem inter homines, & cognoſcerem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Quod futurum non fuiſſet, niſi ipſe generaſſet. Credo hoc ſufficere ad elucidationem verborum meorum, & ad ſolutionem difficultatum, de quibus cogitandi vel loquendi in illo Capite locus non erat. Et verba mea non petunt aliam interpretationem, quam quæ manifeſta eſt & cum fine conjugii palam convenit. Cæterum nemo ignorat, nobis ἐγκράτειαν & caſtitatem commendari, etiam in conjugio. Neque dubium eſt, alterum altero eſſe ἐγκρατέστερον, & fideles non pervenire ad id, quod perfectum eſt, ipſos quoque ἐγκρατεῖς vel ἐγκρατευομένους in ſe deprehendere, quod non oſtentant, cujus pudet, quod ægre ferunt, quod laudari nolunt. A carne id eſt, cum qua luctantur. Igitur ego quidem non veto majores natu eſſe conjuges & fieri conjuges, neque in eorum infirmitates inquiro, ſed tamen commendo ipſis σωφρονεῖν. Hæc autem nimis aperte tractari, quis non intelligit eſſe denudare coram oculis omnium omnium nuditatem? Accipiamus veniam & condonemus, & non laudemus noſtras ἀσθενείας. Hæc, Vir φιλανθρωπότατε, tuæ cenſuræ permitto, Deumque oro, ut te, cum eis, quos diligis, clementer cuſtodiat. Aliquoties crucior, quod à noſtro D. van Dalen non accipio frequentiores literas, quod, te parario, ipſum emendaturum ſpero.

Lugduni a.d. 6/27 Aprilis/Martij 1668.

EPISTOLA CLX.

D.F.F. Joh. Coccejus.

Reverende Vir.

QUod dubitas de allegoria ℣ſ. 11. Geneſ. 49. mea culpa eſt. Debuiſſem plura addere. Sic igitur cogitemus. Quando veniet Siloh, adhærebunt ei electi ex 12. tribubus Iſraëlis. Hi ſunt vitis educta ex Ægypto. Cæteri effringuntur. Tum pullum aliquem jugi inſuetum alligabit viti. Eidem viti & propaginibus palmitum ejus poſtea etiam alligabit pullum aſinæ ſuæ, h. e. poſteros eorum, qui portarunt jugum & effracti erant. Ruber oculorum ℣ſ. 12. ſi literaliter capias, vitium eſt. Vide Prov. 23: 29. In ſpirituali ſignificatu virtus eſt. Ita etiam Zach. 9: ℣ſ. 15. ſumitur allegoria ab ebriis. Verſ. 10. מְחֹקֵק plus ſignificat, quam νομοδιδάσκαλον. שֵׁבֶט autem non ſignificat ibi tribum. Ea vox per metaphoram dicitur de filiis Jacobi ℣ſ. 28. Deinde de tribubus inde ortis. Igitur ſi vertas, *non recedet tribus à Judah*, tantum notabit; non interibit poſteritas Judæ. Et hoc illa phraſi dici non ſolet: & ſenſus languidus. Illi ſermo eſt de מחקק, & adjungitur שבט, in eodem genere manendum eſt. Si non liceat de ſceptro exponere, quia antea non uſurpatur pro ſceptro regio, idem, ni fallor, valebit Num. 24: 17. Sceptri ſignificatio eſt vernacula loco & eſt magni momenti, & hiſtoriæ convenit. De Ægyptiorum moribus; quod Scriptura dicit, hoc puto eſſe. 1. Quod non ita victitaverint, ut Hebræi, neque iiſdem cibis uſi ſint. 2. Quod ipſis potuerit eſſe abominatio offerre, quod Iſraëlitæ Deo oblaturi erant. Puto, quia quædam animalia ſacra habebant: quæ mactare & offerre nefas putarent. Licet non poſſimus dicere, eos omnino abſtinuiſſe ab ovium & bonum eſu. Satis eſt, quod certa etiam illius generis individua certis ſignis notabilia ſacra habuerint. Ita Apim certis ſignis deligebant. 3. Quod paſtores habuerint, ſine dubio armenti & ovium: in qua re non fuerunt diverſi ab Hebræis. Geneſ. 47: 6. Exod. 9: ℣ſ. 19. 4. Quod tamen paſtores abominati ſint Geneſ. 46: 34. ſive, quod βουκόλοι apud ipſos improbi eſſent; ſive quod vile putaverint id genus vitæ, militiæ magis addicti & agriculturæ; ſive quod paſtores exteros, pecus omne ſine diſcrimine habentes ad quæſtum & ad cibum, abominati ſint; ſive quod paſtores ſuo ingenio uſi etiam ſacras à ſacrorum præſidibus judicatas beſtias indigne habere ſolerent. Nam boves & oves tantum ab Ægyptiis paſtos, non etiam eſos fuiſſe, credere non poſſum. Tamen non negaverim, fuiſſe etiam, qui à carnibus abſtinerent, & eos ſanctiores habitos. Hæc in re obſcura. Quæ Auctores dicunt, de Ægyptiis, confirmant ea, quæ in Scriptura. Sed non dicunt Ægyptios nullas ullas comediſſe carnes pecudum. Hæc nobis, opinor, ſufficere poſſunt. Te tuoſque optime valere cupio, cupimus. Vale.

Lugd. a. d. 9. April. 1668.

EPISTOLA CLXI.

Johanni à Dalen Joh. Coccejus.

Lutream.

Reverende Vir, Domine Honorande, Amice Candidiſſime.

EXhilararunt me literæ tuæ ſcriptæ Clivis a.d. 1/5 Maji. Ea enim eſt mortalium conditio, ut non poſſimus de amicorum ſalute eſſe ſecuri. Scripſeram ad D. Biermannum, ſperare me, te tarditatem tuam compenſaturum. Neſcio, an monuerit. Pro carmine utroque utrique Auctori ago gratias grandes. Quod ad Lexicon attinet, ſcripſi ad Editorem, ut, quantum ejus abſolutum eſt, tradat Frieſſemio. Egeram cum ipſo ab initio, ut liceret mihi per intervalla mittere excuſa. Sed is valde metuit, ne quis in Germania forte nactus folia ea excuderet ſuo cum damno, aut etiam aliquis in compendium redigeret. Quod equidem nolim. Nam anima Lexici eſt teſtimoniorum auctoritas, & phraſeologia, & illuſtratio difficilium locorum. Ego tum, cum ipſe ita meticuloſus eſſet, non inſtiti. Nunc autem ipſi ſpopondi, rem fore abſque periculo, & T.R. nulli conceſſuram folia, ut quid fieri iis poſſit, quod ipſi fraudi ſit. Mitto etiam Epiſtolam ad Titum. Quia tabulæ ad Ezechielem nondum affictæ ſunt, non poſſum de eo adhuc ſatisfacere. Sex tabulæ ſunt cælatæ. Cælanda adhuc ſunt veſtigium generale & atriorum, & orthographia atriorum, & Attikim, & intima templi cum Cherubinis & palmis, & columna cum

Lilio

Lilio & malogranatis. Pleraque hæc jam ſunt formata ab Architecto Amſtelodamenſi, homine Pontificio, ſed induſtrio. cælatura reſtat. Editor meus non parcit ſumtibus. Quod attinet mea chartacea munuſcula, ea tanti non ſunt, ut propterea erubeſcas. Mihi ſatis eſt, & nos amicitiam colere, & me habere aliquem, cui mei labores non diſplicent. Ego per Dei gratiam adhuc ſeniliter valeo. Mei etiam valent. Te vero & tuos cupimus valere. R. D. Socero à me ſalutem & gratias dicas velim. R. D. Biermannum ſimiliter ſalvere jubeo. Vale.

Lugd. ²⁄₁₂ Maij 1668.

Sereniſſimæ ſunt mea
ſtudia & preces.

EPISTOLA CLXII.

D. N. N. Joh. Coccejus.

Vir Præſtantiſſime, Amice Chariſſime.

Quidam dicit,

Theologiam, quæ de Deo agit, non juberi, ſed credi, magiſque perſuaſionem, quam doctrinam aut ſcientiam ſpectare.

Obſ. Theologia narrat; quid Deus revelaverit: & id oſtendit eſſe dignum Deo & convenire ei, quod homo naturaliter novit de Deo, de ſe & ſuo officio ac ſua corruptione, deque operibus Dei, imprimis ordine eorum ad Deum, & longanimitate Dei. Deinde in iis, quæ Deus revelavit, oſtendit ſundamentum & in eo omnia exædificat; atque ita demonſtrat ſapientiam, quæ eſt in Verbo Dei. Præterea mendacia, quæ Dei gloriæ officiunt, redarguit. Hæc autem propterea docet, ut Deus ametur & quæratur: & ut homines norint, quæ ſit imago Dei, & prudentes ſint in omni actione, &, quod ad imaginem Dei tuendam vel inſtaurandam facit, in bona conſcientia faciant, ſemper præferentes meliora. Ita vero glorificare Deum eſt mandatum. Atque id præcipuum mandatum eſt: & ſine hac obedientia nulla eſt obedientia, quia nec amor Dei.

Dicit idem, Theologiam non eſſe potiorem Juriſprudentia (credo, eum intelligere Romanam) in iis, quæ de fidei actionibus tractat.

Obſ. *Fidei actiones* ſunt vel fidei profeſſio, vel opera, quæ fides ſuadet atque imperat; qualia ſunt, proximum & cumprimis fratrem diligere, injurias condonare, omnia ferre propter Deum. vel, quæ in fide facere poſſumus. Mirum mihi videtur, ſi potius ex jure Romano, quam ex Scriptura, diſcendum eſt, quid vel in fide loqui vel facere poſſimus, & quæ opera fides ſuadeat. Id non poſſumus diſcere, niſi ex divina revelatione. quæ ſine dubio non eſt in jure Romano. Sed, poſita revelatione & confeſſione in plurimorum oribus verſante, conſcientia dictat, quid fidelem oporteat facere vel omittere, & quid in fide facere poſſit.

Dicit idem: Juriſprudentiam eſſe Theologicæ ſcientiæ gubernatricem.

Obſ. Hoc tantundem eſt, atque ſi dicas, cogitationes humanas eſſe gubernatrices repetitionis & explicationis, ad conſcientiam omnium eorum verborum, quæ Deus locutus eſt.

Rationem ſui dicti triplicem dat. 1. quod Theologia nulla fere præter generalia quædam vivendi monita præſcribat. 2. eaque naturalia. 3. quod de multis ne præcepta quidem det.

Obſ. I. Theologia, ſi generalia vivendi monita dat, jam eſt domina Juriſprudentiæ. Nam, quæ in ſingulis circumſtantiis facienda ſunt, ſecundum generalia monita fieri debent. Miror autem, quare non in faſciculo ſuppleverit vocem *præcepta*, ſed *monita*. An, quod Deus loquitur, non eſt præceptum? Enimvero ſine generalibus illis monitis Ratio humana valde exorbitat. Sunt ea Lapis Lydius, ad quem omnia de moribus & de juſtitia ſunt examinanda.

II. Naturalia, inquit, ac *proinde ipſi juri conſentanea*. An igitur Juriſprudentia eſt gubernatrix Theologiæ, quia conſentanea docet monitis Dei? Ita ſervus obediens erit gubernator heri ſui. Sed video, doctorem noſtrum in faſciculo dicere, quod Juriſprudentia Romana non diſtinguat jus naturæ & gentium: atque adeo id jus naturæ vocet, quo Ratio omnes gentes docet, & ab omnibus gentibus obſervatur. Hoc qui dicit vel approbat, eum ego puto duo magna ἀξιώματα poſtulare. 1. quod gentes in univerſum non potuerint peccare ſimilia vel eadem communiter faciendo, &, quod neceſſario à natura doctum ſit, quod omnes faciunt. quum tamen conſtet, quamvis gentem leges ſuas meliores putaſſe aliarum legibus, atque ita omnes confiteantur, poſſe quid hominibus placere, quod à recta ratione diſſidet. Atque, ſi id fieri poteſt, ubi eſt diſſenſus, atque adeo melioris oſtenſio, quanto magis fieri poteſt, ut omnes errent, ubi nemo reprehendit? 2. quod nihil doceat Natura, quod non omnes obſervant, aut cujus contrarium aliqua gens facit. 3. De aliquibus non dare præcepta Verbum Dei, nego. Nihil enim in ſpecie prudenter ſtatui poteſt, quod non ſit ex regula, quam Deus dat, probandum.

Dicit: Generalia relinquunt incertos.

Reſp. Imo generalia Dei monita faciunt attentos, & eos, qui conſcientiam bonam quærunt, certos. Præcepta autem humana poſſunt quidem eſſe ſatis ſpecialia; ſed propterea non pacant conſcientiam, quia præcepta humana ſunt.

Dicit: Jus divinum ex civili & uſitato in republica jure omnino ſupplendum & interpretandum.

Obſ. Hobbianum hoc. Nulla autem eſt auctoritas in mundo, quæ jus facere poſſit, quod ſit pars juris divini, aut interpretationem authenticam.

Dicit: Nullatenus ex ingenio miniſtrorum, qui ſubſunt, non præſunt magiſtratui.

Obſ. Videtur *Theologiam* vocare ſcientiam divinæ revelationis, quæ eſt in privatis, qui ſubſunt imperiis, non etiam eam, quæ poteſt eſſe in Principe. Cæterum (fatemur, ex nullius hominis ingenio & voluntate pendere interpretationem Verbi Dei, ne Principis quidem. Sola ad conſcientiam valet Revelatio & ἀπόδειξις ex Verbo Dei. Princeps nullus poteſt religionem facere vel abrogare vel mutare.

Fateor, ſi privatis tribuatur jus interpretandi Verbum Dei cum poteſtate, id eſſe & regno Principum & regno Dei contrarium: ſed & illud tenendum eſt, Si id detur principibus, æque eſſe contrarium regno Dei.

Quod dicit, depravato more fieri, ut qui docet Theologiam ei qui docet juriſprudentiam dextram claudat, de eo juriſprudentes judices ſcrimus. Uterque eſt homo ſine poteſtate, vir bonus, ille habens λόγον σοφίας, hic λόγον γνώσεως 1. Cor. 12:8. in eis, quæ ad civitatis bonum temporale & civium jura temporalia attinent. In ordine illo honoratur ὁ λόγος, qui præſtantior eſt. Alioqui homo is maxime honorandus eſt, qui optimus & plurimis prodeſt.

EPISTOLA CLXIII.

D. N. N. Joh. Coccejus.

Vir Præclare, Amice Honorande.

Sabbatum δευτεροπρώτῳ Luc. 6: 1. eſt quaſi πρότερον τῆς δευτέρας præcedens τὴν δευτέραν, i. e. diem craſtinum Sabbati hebdomadalis, incidentis in unum ex ſeptem diebus Paſchatis, qua offerebatur primus manipulus frugum matureſcentium. Plurimi interpretes putant eſſe diem ſecundum Paſchatis, ut ἡ δευτέρα ſive מחרת הפסח ſit dies ſecunda ipſius Feſti, ita ut omnes dies ipſius feſti vocentur Sabbata: ſed hæc incerta conjectura eſt, & neque ex Levit. 23. neque ex parallelis à Belgis ad eum locum citatis probari poteſt. Hoc certum eſt, Pentecoſte ſive חג השבעות fuiſſe inſtitutum à Deo, ut celebraretur craſtino Sabbati poſt ſeptem hebdomadas ab illo craſtino Sabbati, quo manipulus primus oblatus eſt, ita ut incluſo illo die oblationis manipuli fiant quinquaginta dies. Certum igitur eſt, (quod Judæi tamen recentiores non obſervant) Pentecoſten habere ſtatum diem, quoad ſeptimanam, nempe diem Solis, & fruges debuiſſe tunc juſta copia offerri, diem item oblationis primi manipuli debuiſſe incidere præciſe in diem aliquem Solis, tuntque hoc procul dubio in typum Reſurrectionis Domini, quæ & poſtmodum ita in diem Solis incidit. Incertus autem & Pentecoſtis & diei oblationis frugum fuit dies quoad menſem, (nuſquam ſane legitur) ſed Paſchatis quidem certus fuit (vid. Levit. 23. & aliis in locis) & dies oblationis primitiarum videtur fuiſſe poſitus in Seniorum poteſtate. Et ſane erat condictus, quem illi poterant ſignificare, idque ſi fruges maturæ eſſent, ſtatim cum Paſchate, ſin minus, ſerius. nam nec ſemper fruges maturæ fuerunt præciſe in Paſchate, ſed ſæpe, ut credibile eſt, ſerius. Ante oblatas primitias iſtas nefas erat edere de proventu illius anni, Levit. 23: ℣ſ. 14. Igitur Sabbatum δευτερόπρωτον erit Sabbatum hebdomadale vel omnium proxime, vel ſaltem aliquod anterius præcedens illam δευτέραν, ſive diem craſtinum Solis, quo frugum primus manipulus in typum Reſurrectionis Chriſti debuit offerri.

Altera ſententia, quæ tenet, quod ſit ſecunda Paſchatis, hæc incongrua habet: 1. Quod nullibi legatur certa & definita dies hujus δευτέρας, atque ita nec quod fuerit ſecunda Paſchatis, quod habuit definitam diem. ℣ſ. 5. 6. 2. Quod Pentecoſti certam diem aſſignant, quæ non legitur in Sacris, niſi quod ab hac δευτέρᾳ quinquaginta dies numerari debebant ad Pentecoſtem, ut eſſet quinquageſimo ab hac δευτέρᾳ die. 3. Quod Pentecoſtis plures dies feſtos fingant præcedentes, cum tamen nominetur

minctur unicus v. 21. nam si crastinam Sabbati, qua primitiæ offerebantur, non admittant fuisse hebdomadalis Sabbati, ergo nec Pentecoste erit crastina hebdomadalis Sabbati, & si non sit hebdomadalis crastina Sabbati, fingent ibi necessario diem festum præcedentem, qui vel erit Sabbatum per fictionem, vel Pascha per fictionem: nam hoc certum, Pascha non semper potuisse incidere in eundem diem septimanæ, quia necessario erat die 14. qui non potuit singulis annis in eundem diem recidere. Si igitur forte inciderit in diem Jovis, vocabunt per fictionem omnes septem sequentes dies Paschata vel Sabbata, quod fieri nequit. Et quod ad Luc. 6: 6. tamen ibi clarissimum est, hebdomadale Sabbatum intelligi.

Dices; Si per oblationem manipuli intelligatur typus Resurrectionis Domini, ergo fuit Paschatis secunda dies, nam Pascha fuit typus mortis Domini, & is tantum unico die mansit in sepulchro.

Resp. Pascha in statum diem septimanæ incidere non potuit. Pentecoste autem, ut probatum est, debuit in diem Solis præcise incidere, Ergo & hæc. In κρυφῇ igitur illa adverte mirabilem Dei Providentiam & Sapientiam, qui omnia illa tamen fecit quadrare ultimo illo Sabbato, quo Christus oblatus est. Nam tunc decimusquartus in diem Veneris incidit, & Sabbato Christus quievit, & crastino surrexit. Quod autem ille dies Veneris decimus quartus fuit, probatur, quia fuit παρασκευή. Et quod dies ille Solis fuerit etiam tum sapienti Dei consilio ad diem oblationis manipuli delecta, itidem probatur; Quia dies Pentecostis fuit quinquagesimus à Resurrectione Domini. Ergo & à die oblati manipuli secundum Legem, & tum Spiritus sanctus effusus est. Omnia Sapientiæ divinæ, & per consequens divinitatis Scripturæ maxima argumenta. Culpant itaque Judæi discipulos Christi duas ob causas, primo quod vellerent spicas & grana molerent in Sabbato. secundo quod de proventu terræ ederent, de quo non licebat edere ante δάσίμων, hoc est, antequam primus manipulus oblatus esset. Lev. 23: 14.

Responsum Christi hoc utrumque refellit. ubi attende ad ipsum responsionem: Christus adducit exemplum Davidis, quod ἔφαγε τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ μόνοις τοῖς ἱερεῦσι, loquens scilicet de panibus, ut rebus sacris, unde intelligitur, proventus agri ante oblationem primi manipuli fuisse res sacras, de quibus Judæis non licebat comedere.

EPISTOLA CLXIV.

D. N. N. Joh. Coccejus.

Vir Præclare.

Quæris, An possint esse duo infinita?

Resp. non: nam illa duo aut differrent à se invicem, aut non differrent. si differrent, differrent vel per aliquam perfectionem vel per aliquam imperfectionem: si differrent per aliquam perfectionem, id quod differret per istam perfectionem esset perfectius eo, à quo differret; haberet enim perfectionem, quam alterum illud non haberet. si differrent per aliquam imperfectionem, rursus id quod differret per istam imperfectionem, esset imperfectius eo, à quo differret, & sic imperfectum atque adeo non infinitum, id enim omnes perfectiones habere debet & nulla carere. Si non differrent à se invicem, sed unumquodque haberet omnes perfectiones, etiam unumquodque eorum deberet habere voluntatem independentem & suo momento sistentem omnia. quod esse non potest. conf. Summ. Theolog. cap. 8. §. 110.

Quæris 2. An possint esse duo æterna?

Resp. Non possunt esse duo æterna, quia sic essent duo necessaria (quod enim æternum est necessarium est: non enim est propter liberam voluntatem) & si essent duo necessaria, essent etiam necessario, atque sic necessarium esset duo æterna esse, imo duos Deos: & si hoc forte necessarium, implicaret contradictionem dicere aut cogitare tantum unum æternum Deum esse.

EPISTOLA CLXV.

D. N. N. Joh. Coccejus.

Præstantissime Vir, Amice Charissime.

Quæris, Quare attribuatur sanctificatio Spiritui, quum sit opus etiam Patris & Filii: quippe nova quædam hominis creatio?

Resp. Quia Deus voluit nos cognoscere & credere, esse personam divinam æternam, quæ posset dici nobis donari, & esse in nobis, & esse arrhabo & Paracletus, & habere voluntatem, quæ esset intercessio pro nobis. Et voluit de ea persona hoc dicere. Hoc autem dicere voluit, 1. ut spes nostra esset firmior & vivacior, & consolatio ac gaudium abundantius. 2. ut certa demonstratione nobis constaret divinitas Filii, qui scil. dat Spiritum sanctum nobis, ut nos secum faciat unum. Porro hæc de Spiritu dici possunt, quia est & vivit & operatur à Patre & Filio. *Mitti* autem nihil aliud est, quam, ut præsentem & nostrum, operari in nobis propter Patris & Filii voluntatem. Quando igitur Deo visum est de Spiritu dicere, quod is nobis donetur à Patre, impetretur & mittatur à Filio, ad amoris nostri & spei excitationem ac roborationem: conveniens fuit, etiam Spiritui, ut in nobis habitare incipienti, propter voluntatem & Testamentum ac Pactum Patris & Filii, attribuere operationem fidei ad purificationem cordis & regenerationem & omnem sanctificationem ac vivificationem: quia non potest intelligi in nobis esse & noster esse, & per eum Deus fieri Deus noster, nisi nos vivificet, atque ita per ipsum Deo vivamus. Vivamus, inquam, Deo creanti & filium destinanti, redimenti, arrhaboni & paracleto.

EPISTOLA CLXVI.

D. P. P. Joh. Coccejus.

Vir Doctissime.

Objicis, Si Deus potest punire justum, potest injusto peccata condonare citra satisfactionem.

Resp. Si illa duo separentur, neutrum fieri potest. Non prius: quia pœna per judicium infligitur; atque ita in pœna est testimonium. Deus non potest falsum testari. Ergo non potest justum punire. Rursus: Condonatio peccati non habet locum, ubi est Lex, quæ dicit: *Maledictus*: Et, *qui fecerit ea, vivet in eis.* Fingamus, Deum condonare peccatum, h. e. id non punire: inutile id erit. quia neutiquam poterit vivere peccator in operibus suis. Non enim poterit justificari, ut qui fecerit opera, quæ Lex exigit. Ideo requiritur condonatio cum justificatione. Justificatio autem non potest fieri, ubi non est justitia. Justitia non est, ubi non est satisfactio.

Si autem illa duo conjungantur, utrumque possibile erit. quia justum. Justus enim, qui sub legem est & tenetur ad dilectionem proximi & Dei, quemadmodum obligatur ad id patiendum, per quod Deus sanctificetur, remittens & non puniens peccatum, & ad eam obedientiam præstandam, per quam Deus imputans justitiam justificetur, ita etiam potest tentari iis passionibus, quibus discat obedientiam, ut fiat causa salutis fratribus suis: &, quum ita tentatus fuerit, revera dici potest, eum ἀρχηγὸν factum esse & σωτῆρα. Ex altera parte injusto, non habenti opera, quæ sint ipsius justitia, potest donari Spiritus fratris primogeniti, ut, statim atque illum habuerit, & per eum habuerit cor purificatum, habeat etiam communionem cum ipso, ut Capite, & ipsius justitia justus sit. Ita utrumque verum. לא־אצדיק רשׁע *non justificabo damnatum*, in se; sine fratre primogenito justo. Exod. 23: 7. Et, *Qui credit in Deum δικαιοῦντα τ ἀσεβῆ ei sua fides reputatur ad justitiam.* Rom. 4: 5.

EPISTOLA CLXVII.

D. N. N. Joh. Coccejus.

Præstantissime Vir, Amice Charissime.

Ad quæstionem, Quare non Filius Dei assumserit Angelum, & in Angelica natura potuerit fieri Mediator?

Resp. Scriptura docet & inculcat, Mediatorem Dei & hominum esse hominem, 1. Tim. 2: 5. & in uno homine omnes vivificari, 1. Cor. 15: 22. & Adamum labentem factum esse τύπον τ μέλλοντος, Rom. 5: 14. h. e. eo ipso, quod peccatum propagatum est ex Adamo, ostendi, quod salus & justitia perventura esset ad homines per unum hominem: Item, sanctificantem & sanctificatos esse ex uno, Hebr. 2: 11. Ratio hujus rei secundum Scripturas reddi potest hæc.

1. Quia præceptum dilectionis fratrum ut fratrum pertinet ad homines, non ad Angelos. Tametsi enim Angeli teneantur velle esse ministri Dei ad salutem hominum, quatenus sunt res Dei; tamen non tenentur ad dilectionem illam ex unitate & communione. quæ importat גֹּאֵל & vindicationem propter eam causam, quia, qui perit, ipsi perit, ut pars ipsius. Est enim una cum pereunte caro, Esai. 58: 7. & רֵעַ (ut Lex loquitur Levit. 19.) & ex uno sanguine. Natura corporis

poris est, ut velit omnes partes sui esse salvas. Contra naturam & membri & corporis est, si velit membrum aliquod solum esse salvum, & non facere ac pati in bonum totius corporis. Qua similitudine utitur Paulus 1. Cor. 12: 15. 21. & Ephes. 5: 29. 30. Quemadmodum autem, quando homo perit, pars humani generis perit, atque ita singulis hominibus aliquid perit: ita, quod salvatur, omnibus salvatur.

II. Si per Angelicam naturam fieret liberatio, homo subjiceretur Angelo (noviter creato) [illegible], & non esset ejus frater. atque ita servus fieret. Atqui Christum quidem habemus dominum, sed & fratrem & ejus cohæredes sumus.

III. Si per Angelicam naturam fieret liberatio, non fieret manifestum, quod liberatio per humanam naturam fieri possit: quasi aut defectu potentiæ aut impedimento juris per hominem non possit fieri per hominem redemtio. Ea igitur gloria Dei non assereretur.

IV. Si non per hominem fieret redemtio, non glorificaretur Deus in homine, ut debuit fieri; neque demonstraretur, hominem ad gloriam Dei conditum esse; ut scil. in ipso sanctificaretur. sed tantum gratia & condonatio & donatio vitæ conspiceretur in eo. nulla obedientia vera & perfecta humana ac justitia humana exsisteret.

V. In Angelo posset esse [illegible], sed non [illegible], quo sanctitas Dei demonstraretur.

VI. Ad justificationem hominis requiritur obedientia legis, quæ homini data est, ut homini.

EISTOLA CLXVIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

. . . . Qui possum tui non meminisse, qui quotidie aliquid de Lexico relego & corrigo. Id pervenit jam ad [illegible]/ Urgemus, quantum possumus. Pagina exculitur 688. Sunt folia 172. Doleo, folia, quæ Amstelodamo missa sunt, tardius in manus tuas venisse. Amstelodami jam propemodum typi incisi sunt æri, qui Ezechieli adjungentur. Interim Jeremias ad finem properat. Deus faxit, ut laborem absolvam incolumis, & is ad gloriam ipsius sit. Valde solicitus sum de Palatinatu; ut & de valetudine & tranquillitate Serenissimæ. Jamdudum est, quod quotidie à te literas recentiores exspecto. Nescio quid animus præsagit. Sed omnia nostra in Dei manu sunt, à qua nihil mali. Rev. D. Biermannum plurimum salvere ex me velim. Deus te tuosque conservet. Vale. Uxor mea & liberi, qui apud me sunt, & gener te officiose salutant.

Lugd. a. d. 24. Aug. 1668.

EPISTOLA CLXIX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

THesis, de qua scribis, sic se habet. *Constat inter sapientes, spatium & locum proprie loquendo tantum corporibus convenire. Cum itaque Deo tribuitur* immensitas *& ubiquitas, non existimandum, ipsi convenire aliquod spatium immensum, per quod diffundatur, quo circumscribatur, imo ne quidem quod impleat aut transcendat. Corpoream enim molem redolet illa explicatio. Verum omnipræsentia divina est efficacissima* Dei *voluntas omnia sustentans ac gubernans. Nulla quippe alia ratione negatur Deus procul esse ab unoquoque nostrum, quam quia in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Act. 17: 27. 28. *Neque aliter implere cælum & terram, quam quia omnia per ipsum creata sunt, &* sunt, Apoc. 4: 11. *imo cum* Scriptura *narrat, ne cælum cælorum quidem ipsum continere, solummodo intelligendum est, Deum ipsum istos cælos verbo potentiæ suæ sustinere, &, si vellet adhuc aliis (quæ nos latent) sese præsentem sistere posse. Quo sensu immensitas ipsi tribuenda videtur. Sine creaturis enim Deus nullibi seu in nullo loco est, sed tantum esse potest. Est enim ipsi potentia producendi locum & sustentandi. Imaginaria autem spatia Deo affingere, ut salvetur immensitas, est Deum suæ imaginationi subjicere; ac proinde à nobis tanquam mere imaginarium, Deoque clare concipiendo adversissimum, repudiatur. Ad hæc notandum, quod Deus interdum dicatur præsens, ubi speciale quid vel etiam creaturæ gratissimum præstiterit; quo respectu in aliis præsens fuisse negatur,* 1. Reg. 19: 11. 12. Joh. 7: 39. *quatenus nempe peculiare quid, vel creaturæ commodum non fuit operatus. Hinc manifestum est, qua ratione Deo, in cælo & inferno, in curia & Ecclesia, inter pios & impios, præsentia vel absentia tribui possit.* Ego vero quum illa mihi offerretur, non putaveram in ea quicquam esse quod improbari vel heterodoxias accusari posset. At ais, dicunt te thesin Vorstianam & Socinianam de Omnipræsentia Dei defendisse. Inspexi igitur denuo & miror, quum relego, quid videant illi, qui quid Socinianum & Vorstianum in ea reperiunt. Nam sunt Socinianorum & Vorstii opinionibus, quæ meus Defendens dicit, ὡς διὰ πασῶν contraria. Volckelius de Ver. Relig. edit Sternacianæ p. 277. l. 1. cap. 27. dicit *Dei vero essentiam in quovis pulvisculo atque atomo totam latere, ac in locis quibusvis spurcissimis non minus, quam in augustissimo cælorum domicilio exstare &c. nondum ex sacris Literis discere potuimus.* Si verum esset, meum Defendentem negare omnipræsentiam Dei secundum essentiam, id ipsum esset Volckelio contrarium: qui statuit, Deum secundum suam essentiam in cælo quidem esse, sed non ubique. At meus Defendens dicitur negare omnem Dei præsentiam in rebus secundum essentiam. Et Volckelius quidem manifesto facit Deum corporeum & finitum. At meus Defendens docet immensum & ab omni corporea mole liberum. Vorstius in Notis ad Disput. 3. p. 233. putat se ex Esai. 66. probare quod Deus *substantialiter in altissimo illo cælo, tanquam in palatio aut solio suo resideat.* Idem repetit p. 235. & p. 239. *Deo magnitudinem & localem præsentiam attribui*, dicit. Et p. 240. ait temere *negari* Deum esse magnum *absque quantitate.* Hæc meus Defendens dicit, *corpoream molem redolere.* Quare quid sit, unde conficiant, me thesin Socinianam aut Vorstianam defendisse, plane non video. *Atqui*, inquis, *scripsisse te dicunt in quadam thesi, Deus est omnipræsens voluntate, & quidem voluntate tantum. Ergo negare te Deum quoad essentiam omnipræsentem esse, sed essentiam Dei tantum in cælis esse, non itidem in terris.* Qui nos insectantur, volunt videri Scholastici & Philosophi, & conqueruntur nostram Theologiam omni Philosophia vacuam esse. Si illi Scholastici essent, scirent, inter Scholasticos disputari de modo Omnipræsentiæ Dei. Si quis Suarezium explicet, inveniet in disputatione 30. sect. 7. num. 8. p. 65. col. 2. hæc: *Respondent quidam, etsi Deus agat immediate immediatione virtutis, satis inferri per suam substantiam adesse suis effectibus, quia virtus ejus non est aliud à substantia ejus.* Et eam simplicitatem Dei agnovit Defendens Thes. 18. Deinde in Thesi 17. (unde calumniam sumunt) dicit: *sine creaturis Deus nullibi seu in nullo loco est, sed tantum esse potest. est enim ipsi potentia producendi locum & sustentandi.* Quid inde possunt colligere, nisi Deum omnibus, quæ fecit, æqualiter adesse. In fine Theseos declarat, *qua ratione Deo in cælo & in inferno, in curia & Ecclesia, inter pios & impios, præsentia vel absentia tribui possit.* Nempe ratione *specialis operationis.* Quis jam color superest dicentibus, me Vorstianam opinionem de præsentia Dei secundum essentiam in cælo, secundum virtutem vero in omnibus, defendisse. Doleo equidem in quibusdam hominibus, qui volunt pii videri, non reperiri, nec cerebrum, nec frontem, nec charitatem. Verba Theseos, quæ omnipræsentiam Dei explicant, ista sunt: *Omnipræsentia Divina est efficacissima Dei voluntas omnia sustentans ac gubernans. Nulla quippe alia ratione negatur Deus procul esse ab unoquoque nostrum, quam quia in ipso vivimus, movemur & sumus.* Actor. 17: 27. 28. &c. Apostolus conficit Deum non longe ab unoquoque nostrum abesse, quia in eo sumus. Atqui propter voluntatem Dei sumus. Apoc. 4: 11. Hinc colligit Defendens, Omnipræsentiam esse efficacem voluntatem in omnibus. Et hæc est Thomæ sententia, ut eam Suarez explicat. Vide & Estium in Magistrum p. 119. Neque id inauditum est in nostris Scholis. Lucas Trelcatius Instit. l. 1. p. 37. edit. Londinensis Anno 1608. *Secundum quem modum Deum & ubique dicimus & nullibi: siquidem, quatenus à nullo continetur, nusquam est, quatenus omnia continet, ubique est.* Porro noster Defendens fugit dicere, Deum esse omnipræsentem per diffusionem substantiæ: quia id corpoream molem redolet. Suarezius dicit; *Dei dispositionem ad existendum in corporalibus spatiis, non posse nos concipere nisi per modum cujusdam extensionis.* p. 67. col. 2. num. 16. At nos fugimus, & debemus fugere talem cogitationem. Ignatius Der-Kennis Jesuita ponit hanc thesin 11. *Non est improbabile, Deum non esse actu diffusum extra mundum.* p. 81. *Idem potest dici intime præsens omni creaturæ per nexum essentialem independentiæ creaturarum ab ipso respectu cujus Deus tantum se habet, ut terminus, intrinsecus autem eo quod dependentia creaturæ & nexus ejus cum Deo, quatenus ejus effectus est, debeat esse summus, qui cogitari potest citra imperfectionem* &c. Nos studemus in his omnibus modestiam servare, & non nisi cum timore de Deo loquimur. Sententiam autem nostram explicamus in summa Theologiæ cap. 8. §. 107. cap. 9. §. 45. cap. 17. §. 4. Quod vero nostros insidiatores attinet, ex animo dico: Pater, remitte ipsis, quia nesciunt quid faciant.

1. Octobr. 1668.

EPISTOLA CLXX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Fili Charissime.

EX literis tuis intelligo me tibi non satisfecisse prioribus meis. *Videtur tuus Respondens negare, Deum esse omnipræsentem secundum essentiam.* Imo nec negat, nec videtur negare. Tantum dicit, non alia ratione negari, Deum abesse, quam quia in eo vivimus, movemur & sumus. Ergo concludit cum Scriptura, Deus ubique est, quia in eo vivimus &c. Ratio consequentiæ est, quia quod in Deo est, est Deus. Negat igitur tantum rationem omnipræsentiæ esse aliam, nempe diffusionem essentiæ. Quæ sit Cartesii sententia, quid ad me? qui hoc ignoro. Zanchius nihil dicit, ni fallor, quod non & nos admittimus. Is à Lombardo assumit, *Quum Deus dicitur ubique esse per essentiam, in eo plus contineri credendum est, quod homo vivens capere non valet.* Hoc ipsum & nos dicimus: Deum non operari absentem. Sed hoc non esse cogitandum per extensionem. Id quippe non capere nos: ut æternitatem non capimus. Quum Trelcatium citabam, legebam etiam præcedentia verba, eaque ut indubitata, relinquebam. Sed ego non accusatus sum, quod negem, Deum adesse per essentiam; sed, quod defenderim Socinianam & Vorstianam sententiam. At hi statuunt, Deum in cœlo esse secundum essentiam, in aliis per solam virtutem. Nos dicimus, quia in omnibus operatur, ubique est. Ita tamen, ut non coextendatur, neque locum habeat. Et hoc Zanchius vel dixit, vel debuit dicere, si non dixit. Neque enim sovendæ sunt nobis cogitationes μὴ θεοπρεπεῖς. Zanchius Thesin suam ita ponit: *Deus ubique vere est tota sua essentia, eoque ex sua potentia seu virtute præsens est.* Hæc possunt in vero & in falsissimo sensu dici. In vero: Deus ita est, ut omnia condere atque in eis esse possit. In falso: Deus habet eundem locum & idem spacium occupat, in quo sunt, quæ fecit: ideo illis potentia præsens est. Hunc sensum negat Trelcatius. Zanchius metuit, ne quis dicat aut cogitet, Deum essentia abesse ab eo, cui adest virtute. Injuriam facit Thomæ, si hoc ei imputat. Vide etiam Estium p. 119. col. 1. F. D. Heidanus propter spatia imaginaria impetebatur. Eodem tempore ego palam dixi & scripsi: Non esse propter existentiam Dei imaginanda spatia. Et de ea quæstione vide Estium ad Lombardum. lib. 1. dist. 37. §. 5. Alstedius in Turri David sive Sylloge demonstrat. pag. 55. *Deus est major mundo, non extensione, sed ἰσομερῶς, id est, applicatione mathematica; sed penetratione indivisibili.* Calvinus l. 1. cap. 13. §. 1. satis habet essentiam Dei immensam & spiritualem dicere. Vide & Maresium loco. 11. §. 33. Quod quæris, *An mihi voluntas efficax sit essentia. & negas te satis capere.* noli me accusare, si dico quod omnes dicunt, Deum esse simplicem, purum actum, spiritum, vitam, & quod Johannes, charitatem. Sed, *non satis capio*, inquis. Quis vero Deum cognoscit, ut est, nisi ipse? An vero hoc capis, Dei intelligere & velle ab ipsius essentia distinctum esse, ut adjunctum à subjecto? Dicis, Colligent, te non improbasse sententiam Cartesii, quæ tamen Theologis nostris displicuit. Ego Professor fui, antequam Cartesius nominaretur: & non putavi ad me pertinere, scire, quid is sentiat. &, ut rem dicam, ipsius sententiam adhuc ignoro; aut, si scivi, oblitus sum. Ignoro etiam qui Theologi sententiam ejus rejecerint; neque id inquiro. Habeo, quod agam, aliud. Sed hoc videor odorari, esse quosdam novitos Theologos, qui etiam cogitationes suas (quas nos ignoramus) velint esse regulam nostri sermonis.

25. Octobr. 1668.

EPISTOLA CLXXI.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . De futuris non loquor nisi indefinite; ut prophetia. Gal. 3: 28. Ἕλλην dicitur non in significatione gentis, sed religionis, aut potius in oppositione Ἰουδαίου, h. e. omnium, qui volunt esse sub lege, sive sint ἰουδαΐζοντες, sive προσήλυτοι. Syrus pro Ἕλλην dicit ארמי / Notandum est, ἑλληνισμὸν dici opinionem de Deo gentilem. Etiamsi autem, quod est Deuter. 23. dicatur de certis gentibus, id tamen non habet locum, quando Deus benedicit omnibus gentibus. Quod incepit facere, quando Euangelium misit ad omnes. Licet Judæi tunc veniant quodammodo in locum Moabitarum & Ammonitarum, & ferant maledictionem Canaanis ad tempus. Ideo Jesai. 56. volens dicere, Benedictionem evenire gentibus, docet, hanc distinctionem, quæ est Deut. 23. tolli. Erat sine dubio differentia in populo quasi liberorum & servorum; quantumvis omnes essent servi. Sed hoc non apparebat in omnibus, aut saltem non videbatur omnibus. Videbantur enim sibi & aliis liberi, quibus licebat adire altare & in sanctuarium intrare. Item, quibus licebat intrare in קהל / & quibus non licebat. Non mera libertas, sed major libertate aliorum, tanquam magis servorum. Deut 23. venire εἰς ἐκκλησίαν est habere suffragium & munus in comitio & populo. Inde sequebatur, non licere ducere ex iis uxorem; ne filii haberentur hybridæ & alieni, apud Nehemiam.

3. Decemb. 1668.

EPISTOLA CLXXII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . In Epist. ad Gal. 3: 28. Ἰουδαῖος & Ἕλλην opponuntur, ut Ἰουδαῖος sorte nascendi & religione, & gentes, sorte item nascendi & religione. Omnes enim amplectitur Christus, &, quando eos facit unum, non relinquit inter eos discrimen. Lex faciebat discrimen. Lex discrimen faciens non est amplius, & nulla similis nova est data. Una est lex fidei & charitatis, Gal. 5: 6. Nulla lex, quæ distinguat servum & liberum, & alii det potestatem in alium. nulla lex, quæ in regno cœlorum aliquid permittat viro, quod neget mulieri. Manet tamen interim sexus & ejus proprietas. Hæc mihi videntur valde perspicua. Si restat scrupulus, dabis operam, ut sciam, quis ille sit. Sic considera. Christus omnia unit, una lege fidei, uno Spiritu, & lege sua non facit discrimen, neque dat potestatem uni in alterum, sed omnes facit discipulos suos, & omnibus eandem προσαγωγὴν πρὸς θεὸν largitur, ubicunque & qualescunque eos invenerit. In קהל non venire est non habere munus in politia Israëlis atque suffragium ad dandum munus, veluti ἐκκλησίαζοντες vel τοῦ λαοῦ vel in singulis oppidis; atque ita esse tantum ἰδιώτας & quasi servili conditione. Nam servis nulla datur potestas, αὐθεντία aut χειροτονία in ullo negotio politico. Per hanc phrasin *Non est ibi Judæus aut Græcus*, significatur tollendum discrimen, quod etiam erat inter Judæos & quosdam proselytos. Tametsi enim omnes προσήλυτοι admitterentur ad signa fœderis, tamen non omnes, ut Moabitæ & Ammonitæ, non habebant partem in Republica, h. e. in dignitatibus & muneribus & χειροτονίαις. Deuter. 23. Iris est signum fœderis inter Deum & posteros Noachi, h. e. decreti Dei, quod non amplius sit facturus diluvium. Intellige, sed perpetua longanimitate exspectaturus hominum μετάνοιαν, usque ad ultimum judicium. Quum hoc quasi Testamento comparatur Jes. 54: 9. voluntas non amplius Ecclesiæ imponendi jugum legis. Longanimitas autem Dei fundatur in gratia Christi. Unde sequitur iridem esse signum gratiæ Christi. Igitur & in visionibus hoc signum gratiæ assumitur. Est vero nobis æque signum, atque olim Noacho.

20. Decemb. 1668.

EPISTOLA CLXXIII.

D. N. N. JOH. COCCEJUS.

Nobilissime & Amplissime Vir, Domine summopere observande.

EX quo tempore in hanc Academiam sum, divina voluntate magis, quam propria cupiditate, translatus, frequens mihi incessit recordatio conversationis Frisicæ & imprimis Tuæ humanitatis, quam circa discessum mihi prolixam probasti. Et mihi quidem occasio defuit, quæ animos faceret, ut auderem N. D. T. compellare. Nunc vero, quum nuper tuis verbis sim salutatus propensissime, atque etiam spes facta mihi sit, fore ut Te hic aliquando videam (quod profecto ad modum velim) victus est rusticus meus pudor, sumsique fiduciam hasce exarandi literas, testes animi erga gentem vestram studiosissimi, & Tuæ D. observantissimi. Commode autem ceciderunt duo. Primo, quod ex Typographeo exiit fœtus quidam meus, Commentarius in Jeremiam & Ezechielem, non parvi laboris & curæ, alioqui pro captu meo; quem si offerrem, id aliquo modo animum meum testari videretur. Secundo, quod, quum Cathedram Theologicam Franekeranam intelligam adhuc desiderare tertium Theologum, opportunum fuit bene mereri de eo,

de quo

de quo spem concepi, fore eum aliquando inter Ecclesiæ Doctores illustrem, & eum in notitiam N. D. T. adducere. Est is Gerhardus vander Meulen Coloniensis, partim in patria mea, partim in Germanicis Academicis & Belgicis educatus, Basileæ gradu ornatus, post Gallicam peregrinationem factus Academiæ nostræ Civis, mihi privatim serio à Basileensibus Theologis, quos in precio habeo, commendatus. Is in nostra hac Academia egregia suæ eruditionis edidit specimina; eoque usque in favorem hominum penetravit, ut à D. D. Curatoribus potestatem publice disputationes habendi impetraverit. In qua palæstra se Virum præstitit. neque potest ullo modo dubitare, quin sui aliquando habenda sit ratio. Quod si vel nunc factum fuisset, nihil præter vota nostra factum fuisset. Est enim ingenii perspicacis & multæ lectionis, memoriæque tenacis, judicii oppido boni, &, quod præcipuum puto, amans sacras Literas & ad earum intelligentiam pulcherrimum jecit fundamentum, atque in iis meditandis vigilat. Ego, quum essem juvenis, expertus sum doctorum virorum favorem & studium. Et puto me debere divino charismati, quod in ipso est, ut cupiam, quantum per me fieri potest, id esse fructu quam uberrimo: quod nisi in honesto loco vix fieri potest. Est præterea quod ipsum mihi commendat: Ex honestissima domo uxorem duxit moratissimam; filiam quandam Collegæ mei Adolphi Vorstii. Cujus etiam memoriæ me fateor studiosum. Porro ita Academia Franekerana merita est de me, ut Cathedram, in qua studia mea processerunt, cupiam esse florentissimam. Putavi, me peccaturum, nisi optimi Viri mentionem apud N. D. T. facerem, cui Academia & Ecclesia & egregia studia curæ sunt; quum aliis jam eum prædicassem. Ut vero N. D. T. de ipso judicare possit, primum ejus fructum, de Veritate Religionis Christianæ tractatum, transmitto. Jucundum mihi accidet, si intelligam, me non inofficiose hæc scripsisse visum. Deum ex animo rogo, ut N. D. T. & cæteros Nobilissimos D. D. Curatores omni benedictionis genere prosequatur.

Dabam Lugd. Bat. a. d. 27. Jan. 1669.

EPISTOLA CLXXIV.

JOHANNI EVERHARDO FABRICIO JOH. COCCEJUS.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus ostendis te mei meorumque esse memorem. Optavi habere, per quem mitterem, quæ Tibi destinavi: nempe Jeremiam & Ezechielem cum meo sermone, quem habui d. 8. Februarij. Dabo igitur illa tabellario, si, ut dixit, cras ad me accesserit. Lexicon meum ad finem jam properat. Adjeci ad finem explicationem dictionum Chaldaicarum. Indices & Præfatio adhuc desiderantur. Spero Deum mihi adjutorem fore, ut & illud opus ad umbilicum perducatur. Cæterum nos, per Dei gratiam mediocriter valemus. Vos autem, Te tuamque uxorem & liberos (nam te patrem esse puto me intellexisse) Deo Opt. Max. ex animo commendamus. D. Gulichio cupio omnia prospera. D. Pauli & illum quæso, ubi erit occasio, meis verbis saluta officiose.

Lugd. a. d. 7. April. 1669.

EPISTOLA CLXXV.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende Vir, Amice Honorande.

RIte accepi literas tuas scriptas Novembri mense, ut & datas mense Martio. Ad illas rescripsi, & misi Jeremiam atque Ezechielem cum sermone Academico de Viis Dei, per D. Frissemium. Per amicum eum jussi compellari, an is miserit ad te. quod se affirmat fecisse. Nec dubito, quin jam acceperis. Mihi perjucundum est, tibi non displicere, quæ de Lexico jam habes. Mitto nunc sequentia. quod non fecissem, nisi petivisses. Festinamus enim, ut ad finem perducamus. Totum igitur misissem. Indices imprimuntur. Non potest dici, quantum temporis eis impenderit filius meus, quanquam & adjutus à sociis. Vereor, ne illi ea res damno sit in studiis. Commentarius in Joannem sub prelo est. Tertium caput absolvimus. Adjunxi, quæ videbantur esse ad primum & secundum Caput dicenda. Exeuditur etiam Epistola ad Philippenses. Cui operi sim manum admoliturus, Lexico absoluto, adhuc nescio. Catechesin efflagitant non nulli. Spero, Deum mihi adjutorem fore, ut, dum spiro, agam, quod utile sit. In Ecclesia nostra sunt zeli non boni. Deus faxit, ut non inde graves turbæ existant. Cæteroquin nos, per Dei gratiam, mediocriter valemus. Serenissimam non recte valere, & cum ærumnis conflictari doleo. Deum oro, ut diu recteque valeat, & animo sit defœcato. De matrimonio te hærere, nolim esse meam culpam. In prioribus literis scribebas, quæstionem, An? decisam esse: At nunc videris in ea hærere, quum liqueat τὸ πῶς. Quid vetat, senem cum uxore vivere, quum & ego senex habeam uxorem? Ego Deum rogo; ut tibi tuisque benedicat. Vale. Salutat te uxor & filia & filius. Hi enim mecum sunt. Serenissimæ commendabis mea officia. Vale.

Lugd. a. d. 23. Aprilis 1669.

Si poteris, facies me certiorem, an quæ misi, acceperis. D. Biermannum ex animo saluto.

EPISTOLA CLXXVI.

JACOBO ALTINGIO JOHANNES COCCEJUS.

Groningam.

Vir Reverende, Domine & Amice Honorande.

PErlibenter accepi decretum D. D. Ordinum. Quod scribis, D. Maresium furere, id præsagiebat animus, & inter Collegas dixi, eum omnem suam iram effusurum in nos, & me præcipue. Verumtamen non est, quod propterea terreamur vel tu vel ego. Gratulor tibi patientiam. Et suadeo, ut in ea sis pertinax. Si ille pergat sævire in me, Deus ipsi respondebit & veritas. Quod jactat, me negare Dei omnipræsentiam secundum essentiam, id falsum esse demonstrabit Corollarium secundum, quod Respondens me Auctore adjecit disputationi de Cantico Deboræ tertiæ. Mitto earum disputationum exemplar. Poteris, ubi occasio erit, me defendere. Quanquam in libris meis non semel de ea re egerim. Sed sunt homines, qui non rem intelligunt, sed ex personis fidem probant. Longum esset, quod ad eam rem pertinet, dicere. Quod ad eas contradictiones attinet, ex iis nihil aliud exspecto, quam victoriam veritatis. Ita hactenus res cessit. In superioribus literis erat aliquid de παρέσει. Malles πάρεσιν intelligi *translationem: transpoort.* Sed, bona cum tua venia, id Græce πάρεσιν dici non potest. Vocabulum id significans est μεταβιβασμός. Apostolus Rom. 3: 25. ex non punitione peccatorum ante factorum (quatenus electi Dei & sanctificati sunt, & iis fides est reputata justitia, & in gloriam introducti sunt) efficit, oportuisse demonstrari justitiam Dei, & ideo ἀπολύτρωσιν fieri & Christum proponi ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Hæc argumentatio evidens est. Ἀνοχὴ autem non est idem, quod πάρεσις, sed dicitur in oppositione iræ, quæ sub Nov. Testam. grassatur in eos, qui veritatem detinent per injustitiam, Judæos & gentes. In his nullum esse dissensum inter nos & omnes orthodoxos, certus sum. Vale, & retine τὴν ὑπομονήν, & nullo verbo irrita adversarium. Vel convertetur, vel confundetur. Vale iterum.

a. d. 8. Mart. 1669.

Quod dicunt, Collegam contra me disputasse de Omnipræsentia secundum Essentiam, id nec Collega fatetur, & mihi non videtur. Ego ipse defendissem eas theses si opus fuisset.

Corollarium cujus supra mentio fit, sic habet.

Quum Deus ℣. 20. dicitur *præliatus esse de cœlo*, non notatur Deum cœlis claudi, in terris vero non esse præsentem secundum essentiam, ut perperam Vorstius & Sociniani sentiunt; siquidem Deus ubique & in cœlo, & in terra, se manifestat, ut omnia gubernans & alens, in quo consistit ipsius *omnipræsentia*. Cum enim Dei esse consistat in eo quod sit actus purissimus (Existentia enim actuosa est ipsius vita, vis, efficacia) sequitur, Deum non posse dici omnibus rebus præsentem per modum cujusdam extensionis, verum efficaciter agendo. Quia autem Deus ubique agit efficaciter & operatur, quod vult, etiam ubique præsens est per essentiam, ut quia *virtus ejus non est aliud à substantia ejus*, ut Thomistæ sentiunt. Quam simplicitatem Dei recte etiam agnoscit & inculcat Doctissimus Vir p. m. D. Hoornbeeck, Socinianismi confutati Tom. 1. l. 2. c. 2. p. 285. dum ait, *Ex omnipræsentia Divinæ virtutis, omnipræsentia quoque essentiæ ejus ostenditur.* quod latius explicat p. 302. *Si ubique præsens sit Dei virtus, potentia, sapientia, providentia; ergo & Dei essentia: ratio est, quia Dei virtus & potentia ipse Deus est. Quid enim aliud? an non*

virtus intelligitur Divina? an essentia Dei absque virtute est? vel, an aliter quam per essentiam suam potens Deus? Deus est, an æternus sine tempore, ita immensus sine loco.

Cui jungi potest hoc Corollarium D. Heronis Sibersma prioris disputationis ex qua accusatio nota erat, auctoris.

An recte dicatur omnipræsentiam Dei nihil aliud esse, quam *efficacissimam Dei voluntatem, omnia sustentantem & gubernantem?* Aff. Deus enim proprie loquendo non est *in loco* sed *in se.* dicitur tamen esse in omni loco, quia omnia loca sustentat & iis est מעון Psalm. 90: 1. vid. Cocc. Sum. Theol. c. 8. §. 107. Sustentat autem omnia per voluntatem, Apocal. 4: 11. qua voluntate operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12: 6. Sequitur ergo, Deum esse omnipræsentem, quia in omni re & omnem rem operatur. Vid. Hyperii Method. Theol. l. 1. p. 141. *Deus ubique simpliciter est per potentiam sive operationem.* Vide quoque Parckerum de descensu ad inferos. lib. 2. 66. Mornæum de Verit. Relig. p. 301. *substantiæ intellectuales ibi demum sunt, ubi operantur.* Ita de Deo propter summam ejus simplicitatem loqui oportet. Dein omnipræsentia est attributum respectivum, inferens relationem ad res creatas, quibus non existentibus, Deus non diceretur esse omnipræsens, sed tantum immensus. Porro, si mundo creato, aliter Deus cæperit esse præsens, quam juxta æternam suam jussionem, qua mundum esse & porro esse voluit, necessario mutatus est. Denique, qui attributum hoc aliter, quam per denominationem ab operatione accipit, proculdubio id ipsum per modum effluvii considerat, & viderit, an non faveat Antropomorphitis. Deum cogitare in spatiis imaginariis tanquam extensum, est Deum assimilare corpori. Igitur nec, quod Vorstius vult, Deus est propinquior in cœlo quam in terra.

EPISTOLA CLXXVII.

JACOBO ALTINGIO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

EGo vero accepi Libellum D. Maresii. Nox erat & ego jam cubitum ibam, & allatus est. Mei noluerunt, me id rescire. Gener meus, qui mihi aderat, perlegit ea nocte. Mane intellexi, allatum esse. Gener dixit, nihil esse, quod me debeat commovere. Quin etiam, in fine scriptum esse, Maresium orare per Christum, ut sibi condonem, si quid acerbius scripsisset. Ego ad hæc: Ego vero condono ex animo. Et postea non legi. Porro & cuidam ministro Ecclesiæ dedi legendum. qui mihi dixit, ad talem libellum non posse honeste responderi. Postremum D. Heidano communicavi. Cum quo collocutus sum & consilium contuli, quid melius facto esset. Ostendebam, me posse respondere meo more, sine ira & felle, de utilibus materiis. Visum est ipsi & mihi 1. non esse scribendum ad D.D. Curatores Groninganos. Nam id esse culpare ipsos, quod nostrum sive judicium, sive consilium, communicaverint cuiquam. Et revera, quum nostrum judicium & consilium expetierunt, potuerunt eo uti aut non uti. 2. non esse agendum apud DD. Ordines Groninganos vindictæ causa. Non posse enim mitius quid statui in Maresium, quam in D. Nethenum. quem ego arbitror esse bonum virum, sed imprudentem. Atqui factum Maresii adversus Nethenum nobis semper visum fuit abominabile. quanquam DD. Groningani ei inservierint. Quorum tamen judicium minime improbo; nempe, Theologos non debere esse maledicos. Quod si iidem nunc aliter statuant in suo Maresio, Deus ipsis condonet. Cæterum, quod me attinet, ego ita vixi & ita docui verbis & libris, ut vir honestus de me facile judicare possit: neque opus sit verbis Maresii, ut cognoscar. Quam ob causam & D. Heidano & mihi visum est, nihil ad illum libellum respondere. Neque enim nobis commodum est nos ipsos excarnificare in gratiam ipsius; neque ita sumus alieni à Christiana fide, ut vel non possimus condonare, vel non velimus Deo judicium permittere. Mihi sufficit, quod, quæ D. Maresius dicit, præter ea, quæ recitat nostris verbis, ficta sunt omnia & falsa. Sed videtur ille homo furiosus, cui Deus mentem sanam det, in suis Bibliis legisse, Non, *Charitas operit multa peccata*, sed, *Charitas aperit multa peccata.* Verum, *Charitas improborum est crudelitas.* Prov. 12: 10. Ego non minus alacer sum post scriptum illum libellum, atque antea eram. sed doleo vicem Ecclesiæ. Et tamen audeo sperare bonum. Sciant DD. Groningani, qualem Theologum alant: mihi sedet canibus non oblatrare. Hæc Vir Reverende & mihi charissime de consilio meo tibi volui significare. Nec nolim hoc plures scire. Vale & una miseri peccatores in multis errantes connitamur ad id cognoscendum, quod Deus in Verbo suo revelavit. Vale iterum. D. Andreæ ex me amantissime saluta. Cujus avus apud me est summo in precio: qui & summum studium attulit ad illustrandam veritatem & nemini fuit gravis. Vale tertium.

Lugd. a. d. 27. Maij 1669.

EPISTOLA CLXXVIII.

JOHANNI à DALEN JOH. COCCEJUS.

Lutream.

Reverende Vir, Domine & Amice Honorande.

LIteras tuas scriptas die $\frac{11}{23}$ Augusti recte modo accepi. Dolet mihi, quod Jeremiam &c. nondum accepisti. Scripseram ad Friessemium. Is respondit, se literas sine Libris misisse; Libros autem fideli nautæ tradidisse. neque dubitare se, quin accepisses. In quo responso acquievi, non putans necessarium, ut te sumtu onerarem. Postea Lexicon meum per Dei gratiam absolutum est. Ejus duo exemplaria Principi destinata & unum tibi cistulæ inclusa misi Dordracum ad Philippum op der Beeck. Is mihi per literas significavit, se literas meas ad te per veredarium misisse, literis suis inclusas, & cistam missurum, quamprimum nactus esset opportunitatem. Ita scribit 6. Augusti styl. nov. Miror igitur meas literas needum ad te pervenisse 23. Augusti, diebus 17. quum tuæ ad me venerint diebus 10. Quod Epistolam ad Ephesios attinet, eam excudendam curavit Gaasbeekius; qui, ut modo intelligo, non solet multa exemplaria excudenda curare, vel, ut certior sit venditio, vel, ut avidius emantur libri nostri, si videant cito distrahi. Alioqui ego nunquam cum bibliopolis determino numerum edendorum exemplarium. Et, quod ad me attinet, vellem omnes homines nostra legere, si ea utilia sunt. Serenissimæ precor omnia prospera. Cujus valetudine doleo. Tamen Deo gratias ago, quod mihi dedit opus absolvere ea viva, ut & ipsius memoriam possem celebrare. Quod ad mea studia attinet, Johannes jam editur. Promisi Catechesin, sive χειλάγωγία ad eam. Et multum id conducet ad institutionem. De Esaia nondum statuere possum; quia partim lectionibus illustravi, partim non. quanquam in totum dictavi. Sunt, qui me flagitent Versionem Latinam Bibliorum, vel sine Notis. Ætas mea me vetat spes inchoare longas. Tamen, quamdiu ero, spero Deum mihi affuturum, ut non sim ociosus. Spero, interim, dum hæc inter nos commutamus, te aliquid nostrum accepisse. Vale optime & Serenissimam, quam vivere & melius valere, spero, humillima salutatione imperti. Rev. D. Biermannum ex me humanissime saluta.

Dedi a. d. $\frac{11}{23}$ Sept. Aug. 1669.

Tertius nobis Collega est D. Falconerius, quem à te salutabo.

EPISTOLA CLXXIX.

JACOBO ALTINGIO JOH. COCCEJUS.

Groningam.

Reverende & Clarissime Vir, Domine & Amice Honorande.

ET literas tuas gratissimas mihi recte tradidit D. Johannes Rudolfius Burchardus, & Gener meus me tuis verbis humanissime salutavit. Burchardus jam noster est, & quotidie nos audit. Ingenuitatem in eo observo, quoties nobiscum confert. Quod nuncias de D. Maresio, eum nobis minari: Id etiam per D. Valckenier cognovimus. Nactum esse eum Responsum nostrum. me pro fabro ejus habere. Id eum deartuaturum, & toti orbi meam . . . . & ignorantiam patefacturum. Lacuna testatur, dirum aliquid subintelligendum esse. Quid faciam? Quid faciemus? Nimirum tranquilli exspectabimus, quid Deus ei sit permissurus. Apographon Rescripti nostri nemini communicavimus, neque audemus id Tecum communicare. idque vel potissimum ob eam causam, quia DD. Curatores id non judicarunt vobiscum communicandum. Et forte D. Maresius dabit occasionem, ut cogamur dicere, nos id cum nemine communicasse. Quod me accusat de negata Omnipræsentia Dei, est impudens mendacium. Quod de distinctione inter πάρεσιν & ἄφεσιν, ineptum est. Ego ultimo de ea scripsi ad Tit. 1: 15. ut Voetio satisfacerem. Argumentum à limbo, non est Maresii

resii sed Voetii. Nunquam vidi Pontificios ita argumentatos. Qui si ita argumentarentur, per hanc distinctionem reiicerentur. Miseret me Ecclesiæ, in cujus Doctoribus incomparabilibus tantam video vanitatem. Si more Labadiano mea scripta ad Synodum suam criminetur, videbunt omnes boni, quæ ea sit impotentia aut insolentia. Sed mihi non vacat hoc negocium valde ad animum revocare. Deus providebit. Dicitur nunc autem præbere loquentibus de Vocatione Franekerana. Quod ego futurum non puto. Velim autem Te rogatum, ut, si in Frisia quid possis, adjuves D. Gerhardum vander Meulen. Ego aliquid pro ipso egi. Et puto, eum mereri locum. Certe habeo de ipso magnam spem, fore eum utilem Ecclesiæ. Deum rogo, ut Ecclesiam suam iis Doctoribus beet, qui eam doceant idem sentire & loqui, & Verbum ejus amare. Cui te ex animo commendo. Vale.

Lugd. a. d. 2. Maij. 1669.

EPISTOLA CLXXX.

D.F.F. JOHANNES COCCEJUS.

Reverende & Clarissime Vir, Domine & Amice Honorande.

QUod attinet numerationem populi eam, cujus mentio est Exod. 38. & eam, quæ narratur Numer. 1. eas omnino statuo distinctas esse. Illa facta est anno primo exitus. Nam de argento capitationis sunt factæ bases asseribus tabernaculi. Tabernaculum constitutum est mense primo anni secundi. Exod. 40: ℣. 2. 17. Numeratio altera injuncta est anno secundo mense secundo. Num. 1: 1. Prior recensio facta est, ut videtur, promiscue, tantum ad capitationis pecuniam colligendam. Altera secundum tribus, ut circa tabernaculum quæque suo loco sub suis vexillis metarentur. Quod Israëlitæ, dum Moses moraretur in monte, ab Aharone flagitant, ut sibi faciat Deos, qui præcedant ipsos, ingenii humani denudatio est. Non sunt contenti verbo. Volunt aliquid habere aspectabile, quod ad pompam sit, aut ad unitatem faciat. Unus scil. populus ad idem signum ut accedat & id sequatur, conveniens videtur. Ex auro collatitio Vitulus vel taurus extitit, effigies tauri, qui comedit gramen. ut est Psalm. 106: 20. Deo dispensante, hoc factum est. Gavisi sunt Israëlitæ. Potuerunt cogitare, esse in eo emblema ejus, quod optimum maximumque animal solebant sacrificare. Nobis potest etiam esse emblema Principis terreni. Vide Deut. 33: 17. Certum est, quod Principes Ecclesiastici terreni, quos habuit Ecclesia Christiana, emblemate Vitulorum significentur in Hosea. Hæc parallelia utiliter observatur. Similiter peccant Christiani, non videntes Christum in terris, atque Israëlitæ non videntes Mosen.

Lugd. a. d. 23. Julij 1669.

EPISTOLA CLXXXI.

LUDOVICO TRONCHINO JOH. COCCEJUS.

Genevam.

Reverende Vir, Domine & Frater in Christo Honorande.

LIteras tuas datas Cal. Junij hoc ipso die accepi, qui est 17. Julij stil. Gregoriano. Ad eas statim respondeo, tum, quia cupio mihi benevolentiam tuam & amicitiam affirmare, tum quia interest, ut, de quibus rebus sciscitaris, dematur tibi & aliis bonis viris error aut dubitatio. D. Maresius Collegam nactus est D. Altingium. Hi vicini sunt, sed se invicem non admodum amant, quæcunque ejus rei caussa sit. Quantum ex dictis Maresii colligere est, is suam Traditivam vult esse normam loquendi. quod alter non fert. Lis igitur inter eos exorta est. Maresius Altingium accusavit super 31. Articulis, tanquam hæresibus, aut hæresi vicinis. Oblata est accusatio DD. Curatoribus Acad. Groninganæ. Ad eos Articulos respondit Altingius, quædam negans, in aliis mentem suam explicans. Ea scripta à D. Curatoribus missa sunt ad nos, D. Heidanum, Falconerium & me: qui rogarunt, an putaremus in eis hæresin contineri, & petiverunt consilium. Examinatis omnibus, quanquam non omnia D. Altingii dicta probaremus, tamen eum ab hæresi absolvimus; consilium autem dedimus, quod putabamus facere ad utriusque honorem, moderandam tamen Maresii acerbitatem, & Altingii prudentiam augendam. Summa erat: ut Maresius declaratione Altingii sibi satisfactum putaret, & de reliquo Altingium amaret, hic illum & ingenuum ejus revereretur. Ordines Groningensium absolverunt Altingium ab hæresi, & utrumque jusserunt pacem colere, comminantes indignationem ei, qui aliter fecisset. Ad Synodum res non est delata. Et id Ordines noluerunt. Si ad eam res delata fuisset, nullæ meæ partes in ea fuissent. Nam singulæ Provinciæ habent suas Synodos. Maresius, quum rescisset, à me, ut Decano, scriptum esse, secundum quod judicaverunt Ordines, & id nactus esset, emisit in me scriptum admodum virulentum, plenum conviciis & mendaciis. Cui hactenus non respondi. Nam, qui me norunt, norunt, eum de me falsa dicere. Qui vero nihil habent nisi scripta mea, ex illis de me, aut saltem de doctrina mea, possunt judicare. Longum esset 31. Articulos commemorare; qui tamen in multo pauciores contrahi potuissent. Et cognovi, utriusque scriptum excusum esse typis. Prima quæstio erat, an 1000. anni, de quibus est Apoc. 20: 4. jam elapsi sint. Id non docebat Maresius. sed dicebat. Altingius negabat. Ei alter omnes opiniones Chiliasticas imputabat. Quærebatur de tempore Lapsus Adami, de Iride, an sit signum? de potissima passione Christi; de rectitudine Adami, de fœdere cum Adamo facto & similibus. Sed nos judicavimus, potuisse Maresium de iis rebus docere veritatem & Collegam suum non perstringere, neque eum diffamare. Nisi ipse Maresius judicium nostrum cum horribilibus conviciis edidisset, & tabellario (nam aliam rationem mittendi non novi) grave putarem, mitterem judicium nostrum. Quanquam est in manibus nostris paulo plenior Articulorum consideratio; quam Collegis meis non placuit mitti ad DD. Curatores; tametsi non improbarent. Quod attinet Altingium, novi eum studiosum esse veritatis ex sacris Literis cognoscendæ. Maresius est Vir promtus lingua, sed in quo desideramus majora signa humilitatis Christianum decentis & charitatis. De Philosophia Cartesiana memini me ante non paucos annos ex improviso interrogatum à DD. Consulibus hujus urbis. quibus satisfeci, quum dicerem, duas quæstiones, quas in Metaphysica tractat, Deum esse, &, Animam non esse materialem, etiam à me esse adstructas & similibus argumentis & aliis, sed ex Scriptura firmatis. Eo tempore DD. Curatores nostræ Academiæ Theologis dederunt negocium, ut cogitarent de refrenanda licentia Philosophorum in Theologiam & sacras Literas invadentium. Inde postea natum est decretum DD. Ordinum Hollandiæ (Nam Ordines Generales se non immiscuerunt ei negocio) ut Philosophi abstinerent à rebus Theologicis & interpretatione sacrarum Literarum. Interim libertatem philosophandi ipsis indulserunt, dummodo abstinerent ab iis positionibus, quæ tunc videbantur male intelligi aut accipi. Quod ego sic accipio, ut commode loquerentur. Non est interdictum Cartesiana Philosophia, neque ea permissa est vel anctorata. Et, quod me attinet, nondum mihi licuit eam Philosophiam perdiscere. maxime in Physicis & Mathematicis. in quibus videtur multum præstitisse Cartesius. De Dubitatione statuo, infeliciter illo vocabulo esse usum Cartesium. Qui, ut opinor, hoc voluit, in Philosophia constituenda incipiendum esse à primo cognito, de quo dubitari non potest. Cætera interim, tanquam dubia, licet sint certa, seponenda esse, aut differenda, donec suo loco pro certis tradi & cognosci possint. Arripiunt hoc vocabulum illi, qui veritatem non amant, & putant, se Philosophicè agere, quando semper excipiunt & obloquuntur & nunquam veritati dant manum. dubitant, ut dubitent. Hi sunt ἰατικοὶ, non philosophi. Et tales experimur quosdam Anti-Cartesianos. Collega meus D. Heidanus valde probat Cartesii Philosophiam: sed patitur me ejus ignarum. De D. Falconerio nondum scio, quid sentiat. Neque valde de eo soliciti sumus. dummodo in Theologia sentiamus idem, & non ἄδηλα, sed certa, cum demonstratione veritatis ex Scripturis ad conscientiam, non auctoritates hominum, loquamur. Regnat hoc seculo magna infirmitas. Quod quisque sentit, hoc putat se & aliis præscribere posse. qui id debebat docere, non imperare: cum autem, quem scit minorem esse scientia, in aliqua parte, propterea non contemnere. Ego, Vir Reverende, me beatum duco, quod tua benevolentia me non indignum judicas. Dabo operam, ut mutuum tibi amorem probem. Deo autem te commendo & sancta tua studia. Quem oro, ut liceat nobis saltem videre pacem in Ecclesia Reformata, si eam non possumus videre in pace in mundo. Vale.

Dabam Lugd. a. d. Julij 1669.

R. Collegas tuas & nominatim
R. D. Turretinum à me officiose salutes velim.

& Ecclesiam Dei Academiamque, in qua docent, (quæ ob dissidia docentium posset fieri odiosa) habeant charam, &, quæ docent, in timore atque non nisi in πληροφορίᾳ & in bona conscientia loquantur, cogitantes illud, *In multis offendimus omnes:* atque imprimis cogitantes, quanti intersit Ecclesiæ Reformatæ, ne quis dicere possit inter adversarios, Doctores ejus se invicem odisse, & in leges suas velle redigere Ecclesiam, & eam laborare factionibus, & quemque sequi suum magistrum, non autem revera eam ambulare in fide Verbi Dei: denique alter alterius famam tam caram habeat, ut suam; idque propter Ecclesiæ bonum. Id consilium nostrum & in conscientia utriusque Viri doctissimi & nobis ob præclara charismata & merita carissimi; & id votum in utriusque corde esse, non dubitamus.

Hæc Vos N N. & A A. Domini, boni consulturos confidimus, quod & enixe rogamus. Deum vero veneramur, ut Vos & Academiam Vestram omni gratia & benedictione cumulet.

Lugd. a. d. 17. Jan. 1669.

N. & A. DD. VV.

Observantissimi.

EPISTOLA CLXXXII.

D. F. F. Joh. Coccejus.

Reverende Vir, Amice & Domine Honorande.

. . . . Quod attinet Samuëlem, nihil aliud vovit Mater, quam, quod intonsus futurus esset, & rebus sacris ac tabernaculo deditus. Id votum non præjudicabat Deo & Israëli, qui ipsum judicem fecerunt. Neque alienum erat ab efficio Levitarum docere & judicare populum. Quid biberit in conviviis, possumus tuto ignorare. De Simsone nescimus, an cadaver Leonis tetigerit. Favum in manum suam defluere fecit. quod, ni fallor, etiam intacto cadavere cultro aliove instrumento, fieri potuit. Sed videtur impurus is cibus fuisse, propter cadaver, in quo congestus fuit favus. At fames excusat. Et fuerunt expiationes. Opportune locus Luc. 6: vs. 3. 4. difficultatem solvit. . . . .

Dabam Lugd. a. d. 4. Julij 1669.

EPISTOLA CLXXXIII.

Gulielmo Anslario Joh. Coccejus.

Mi Charissime Gener.

. . . . ψωμίον, quod datum fuit Judæ, fuit offula intincta. Pascha erat convivium. in ejus parte comedebant agnum Paschalem, cum herbis amaris. δείπνου γενομένου explico, *Quum cœnare incepissent.* Vel, quum convivium iniissent. Nam historia ostendit, nondum fuisse cœnam absolutam. Syr. עד הוית / Antequam accumbant convivæ, erit cœna. Quando accubuerunt, jam est cœna. Quum igitur jam esset Cœna quum convivium initum esset; tunc surrexit Christus. Quum cœpisset esse. Nam γίνεσθαι est *incipere esse.* Quod Matth. 26: 23. dicitur, simul actum esse potuit. Judas cum Christo aut statim post Christum manum in patinam intulit, & Christus Judæ offulam dedit. Matthæus unam partem signi, Johannes alteram indicavit. Christus tum nondum agebat judicem. Ita aliud est in Ecclesia tempus tolerandi indignos monitos, ne indigne comedant; aliud tempus judicandi & vitandi τῷ συνεδρίῳ.

a. d. 22. Julij 1669.

EPISTOLA CLXXXIV.

Gulielmo Anslario Joh. Coccejus.

Mi charissime Gener.

. . . . Quod attinet quæstionem de Conjugio, polygamia non potest esse recta. Scriptura id testatur Mal. 2: 14. 15. 16. & dum dicit, inde fieri צרירה Levit. 18: vs. 18. Mas & fœmina fiunt una caro. Ideo corpus mariti est uxoris. 1. Cor. 7: 4. Maritus non habet corporis sui potestatem. Ergo est בגד id dare alii. Amor noster, quo volumus, proximum esse felicem in Deo, se extendit ad omnes, sed, quo volumus, corpus nostrum esse uxoris, non potest esse nisi erga unam. Quando maritus est cum una conjuge seu potius pellice, uxorem deserit. Vide Esa. 54: 1. 6. Sarah fuit שכולה & עקרה, quamdiu Hagar cum Abrahamo fuit. Demonstravi, ni fallor, quomodo non possint plures uxores ex æquo amari, ut uxores. Scopus conjugii sine dubio est quærere semen. Hoc non quærere sed quærere voluptatem, quid est, nisi velle maculari. Sed conjugium est bonum διὰ τὴν ἀκρασίαν. Verum. Id sane à peccato. Nam ἀκρασία est à peccato, & peccatum ei obsequi. Ne ardeat homo, qui se non continet, in aliena carne, habeat propriam conjugem. Si non contineat se, utatur propria carne. συγγνώμη est. Non laudatur, quod συγγινώσκεται. nisi quod homini melius est quam πορνεία. Est enim εὔνοια inter conjuges, sed μετ' ἀσθενείας. Esai. 58: 7. proximus dicitur *caro nostra*, quia ex uno sanguine sunt omnes homines. At duo sunt in carnem unam: qui habentur ut unus homo. Mal. 2: 17. אחד / ἓν vel εἷς. ita, ut conjux in conjugis corpus habeat potestatem, & omnia habeant communia.

a. d. 29. Julij 1669.

EPISTOLA CLXXXV.

Gulielmo Anslario Joh. Coccejus.

Mi Charissime Gener.

. . . . Quid D. . . . . . locutus sit de gloria Dei, non satis percipio. Nullo modo potest dici gloria Dei bonum Dei. Bonitas Dei est, quod ipsius honor redundat in nostrum bonum. Hæc separari non possunt in quæstione Dei. Simul illa sunt. Honor Dei est, ut bene nobis sit in eo. Quando volumus nobis esse bene in Deo, volumus honorem Dei. Illud ipsum bene esse nobis, est cognoscere cum lætitia. Sed superat hoc bonum captum nostrum. Amstelodami audivi concionantem . . . . . Is dicebat, Nos debere Deum gratis amare, sine intuitu mercedis: etiamsi merces detur propter bonitatem Dei. Id ego interpretor, nos debere quidem velle Deum esse, quod est; sed non debere velle eum esse nostrum bonum. Ita etiam solebat Hoornbeeckius philosophari. Ego miror tales subtilitates.

8. August. 1669.

EPISTOLA CLXXXVI.

Joh. Rudolpho Wetstenio Joh. Coccejus.

Basileam.

Vir Reverende & Clarissime, Domine Honorande.

Dudum accepi literas tuas cum libris, quod ad me misisti, & disputationem doctissimam atque elaboratissimam de peccato Actuali ejusque differentiis à peccato Originali. Et tum quidem, quum accepi, opus, quod me quotidie distringebat, non permisit mihi ea perlegere. nempe Lexicon Hebraicum. Quando autem ei ultimam manum imposui, omnia illa sumsi in manus. Placæus mihi videtur de vocabulo Imputationis non recte disputasse. Imputationem antecedentem omnino negat. Quid igitur est τὸ κατάκριμα, in quod cecidimus per peccatum unius hominis? Quia ex peccatore non poterant nasci nisi impuri, ideo Deus filiis peccatoris imputavit peccatum patris. Dei enim est secundum veritatem judicare. Hæc sunt ex Augustino à T. R. bene asserta & explicata. Sed video, quid Placæum moverit. Id cognoscere est ex p. 39. nempe, fugit dicere, *Peccatum illud nostrum non esse nisi per imputationem.* Recte hoc. Neque enim peccatores sumus, quia Deus nos voluit judicare peccatores; sed, quia non potuit juste non-peccatores & semen sanctum judicare filios peccatoris. Ego quoque errare censeo, qui ita statuunt. quasi ex non justo possit nasci sanctus; & sola voluntate Dei fiat, ut, qui poteramus sancti nasci, nascamur sordidi, ex illo quidem patre. Quid igitur reprehendimus Alexandrum VII. qui definivit, Mariam esse conceptam sine peccato? Nempe si à sola voluntate Dei pendet, & in eo nulla veritas ac justitia versatur, ut hic vel ille nascatur cum peccato, ille non; quæ causa dicetur, quare Maria sit concepta in peccato? Verum, ut Placæus, id recte rejecit, ita non bene necessariam corruptionem, quæ hæreditaria est, separavit à judicio; quasi judicium demum sequeretur ipsam nativitatem in peccato. Nisi hoc voluit, non posse cogitari imputationem peccati Adami, nisi præsupponamus, &, nos nascituros fuisse, voluntate Dei, ex peccatore, & proinde non potuisse nos sanctos ex peccatore nasci. In quo non est error. Igitur, quamvis fratres contra se

invicem

invicem scripserint, apparet tamen, rem esse salvam. Utinam vero semper prius cogitaremus de modo conciliandi, quam de pugna! Nunc contra, primo hostiliter pugnamus, deinde pacem facimus: neque cogitamus de scandalo, quod pugna facit. Atque etiam non inepte videor hac occasione optare, ut minus vocabulorum humanorum valeat in Ecclesia & magis Scripturarum locutiones usurpentur. In Disputatione, quam ad me transmisisti, non ingrata mihi fuit responsio tua ad Quæstionem, quæ est Th. 59. *Utrum Adami* &c. Videor enim mihi observasse, quosdam & de hoc capite non recte sentire. Nempe, qui à sola libera Dei voluntate suspendunt imputationem peccati, Adami peccatum imputari (nescio ex quo fœdere) aliorum autem parentum peccata non imputari, sentiunt. Et ibi dicunt, quod Placæus dicit, imputari, si imitentur. Quomodo igitur Deus primo gentes, deinde Judæos conclusit sub peccatum? D. Falconerio tradidi Disputationem à te missam. Quid is judicet, nondum mihi aperuit. Quod attinet numerum Bestiæ 666. gratulor mihi, quod Auctori conveniat mecum in eo, quod is numerus oppositus est numero 144. vel 144000. Et sane id ad rem explicandam mihi videtur sufficere. Apocalypsis, quum dicit, cap. 13:18. *esse numerum hominis*, videtur significare, non esse in eo numero valde profundam speculationem, sed cujusvis esse videre, quid is numerus velit. Sufficit, inquam, quod 666. non sunt ex 12. ut 144. vel 660. Id habet manifestam demonstrationem, eam esse Bestiam, quæ non manet in Verbo, quod ad 12. tribus Israël per 12. Apostolos pervenit. Quod Auctor de 25. argutatur, pace ipsius dixerim, non est solidum. Hieronymus dixerit, 25. non esse in bono: fallitur. Ezech. 40: 13. latitudo portæ est 25. cubiti. Ita ℣ſ. 21. 25. 29. 33. 36. Vestibulum portæ habet in longitudine 25. cubitos. ibid. ℣ſ. 30. Accedit, quod numerus 666. à 25. non efficitur. Non debemus in talibus abuti nostris αἰνίγμασι. Medum noram hominem subtilem & ingeniosum. Olim recte visus est demonstrare συγχρονισμὸν inter dies 1260. & menses 42. & dies 3½. & tempus, tempora & dimidium. Qui συγχρονισμὸς ab ipso appellatur Clavis Apocalypseos. In hoc autem libello de loco 1. Tim. 4: 1. 2. 3. multa docta reperio; sed non possum probare, quod διδασκαλίαις δαιμονίων interpretatur *doctrinam de Sanctis* habendis eo modo, quo δαίμονες à gentilibus habebantur. Ego id genus idololatriæ intelligo cum θρησκείᾳ ἀγγέλων Col. 2: ℣ſ. 18. Neque id placet, quod Dan. 11: 39. per *Deum exoticum* intelligit *Christum*. Daniel enim potius Israëlis quam gentium respectu *peregrinum Deum* dicit. Ita non probo, quod ℣ſ. 38. vertit, *ad* vel *juxta Deum Mahuzzimos*. Quod sequitur על כנו, ostendit, id referendum esse ad אלוה / Simpliciora sunt divina oracula, & talibus subtilitatibus non indigent. Quod & R. T. statuere puto.

Quam, quia charta deficit, brevibus ex animo Deo Opt. Max. commendo cum Claris. & Rev. D. Collegis, quos serio salutari velim.

EPISTOLA CLXXXVII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . De quo quæris, nescio an tibi possim satisfacere. Luc. 22: 24. memoratur, contentionem esse ortam inter discipulos, quis major esset. Ei rei quadrat, quod narrat Johannes, Christum surrexisse & pedes ipsis lavisse. Potest tamen id factum esse initio Cœnæ. Joh. 13: 2. est narratio, quomodo Proditor sit denotatus, &, quod is statim exiverit. Lucas cap. 22: 20. . . 23. videtur ordinare ita sermonem, ut præcesserit institutio Cœnæ & secuta sit indicatio proditoris. Quod Johannes dicit ℣ſ. 21. ταῦτα εἰπὼν non notat, *statim atque dixisset*. Sed *post illa dicta*. Prius dixerat, *Non omnes esse puros*. nunc etiam (quum dedisset panem & vinum) significat, unum ipsorum se traditurum. In altera epistola quæris: quare statuam, Christum tum nondum egisse judicem. Resp. Venerat, ut satisfaceret Sponsioni & justitiam adduceret. Scandalo erat multis. Ita patefactæ sunt cogitationes multorum. Postea debuit prædicari justitia. Ea prædicatio debebat distinguere oves Christi ab alienis. In cœtu fratrum est *tempus tolerandi indignos*, quando nondum patet eorum infidelitas. Moneri autem debent, tum inter omnes (nam illis permiscentur indigni) tum seorsim, qui suspicionem de se faciunt, ne forte indigni sint. Hæc puto satis clara sunt. Sed videris verba mea ita accepisse, dum dixi *indignos monitos*, quasi loquar de indignis, de quibus constat, indignos esse. Quod de Regenitis scribis; quæ sit differentia inter intellectum irregeniti & regeniti: sic puto se rem habere. Potest regenitus minori esse notitia, quam irregenitus. Sed regenitus timet Deum, & Verbo attendit, & non vult addere vel demere, & se abnegat, cupit studetque reperiri in Christo & pervenire ad sensum mortis & resurrectionis Christi. Vide Phil. 3: 9. &c. Irregenitus multa *verba* sciens & *mysteria* decretorum Dei, non satis tamen συνίει. Matth. cap. 13: 23.

a. d. 3. Septemb. 1669.

EPISTOLA CLXXXVIII.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . Quæ de Regno cœlorum scribis non male se habent. Observandum tamen, patres semper esse προσερχομένους, & quidem πρὸς τ̃ θρόν, & quidem, ut habentem regnum cœleste & civitatem cœlestem ipsis paratam. Vides ad quos locos attendam. Sed, quando patriam & hæreditatem terrestrem ipsis dedit, voluit etiam in medio ipsorum habitare, & tandem in Filio suo apud eos manifestari. Quando Christus manifestatus est, Hierosolyma facta est thronus Domini etiam extra templum. Jerem. 3: 17. Templum autem & domus Dei & *scabellum pedum ejus* dicebatur. Psal. 99: ℣ſ. 5. 132: 7. Thren. 2: 1. 1. Chron. 28: 2. Ibi cogebantur, quanquam tendentes ad cœlum, subsistere per totam vitam. Hebr. cap. 9: 8. 10: 19. Nunc prope accedimus Hebr. 7: 19. h. e. sine novo ἱλασμῷ, sine chirographo, non servientes elementis mundi, ad gratias agendum, ad videndum omnia etiam τὰ βάθη τ̃ Θεοῦ. 1. Corinth. 2: 10. & petendum in fiducia, quæ in Vet. Test. optari poterant, postulari non poterant, quia dari non poterant. Sunt autem ea amplitudo gratiæ & Spiritus filiationis abundantia & hæreditas gentium. Idque petimus in omni loco: quia Deus non minus prope est singulis in gentibus, quam olim in templo. Ideo dicitur terra scabellum pedum ejus. Esai. 66: ℣ſ. 1. Ubique enim Deus adest invocantibus se in omni loco. Tendebant igitur & patres ad cœlum, sed terrestrem domum non poterant præterire, ubi & sacrificia offerebantur & chirographum reddebatur. Ideo & in exilio ad locum sanctuarii respiciebant orantes. Dan. 6: 11. 1. Reg. 8: 48. Cupiebant autem progredi, h. e. Christo revelato, sibi dari accessum in propinquo, & introitum in Sanctum Sanctorum.

a. d. 12. Septemb. 1669.

EPISTOLA CLXXXIX.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . Quod attinet adorationem ad templum, quum citas locum, ex 1. Reg. 8: 22. is optime rem explicat. Salomo stabat coram altari, & pandebat manus ad cœlum. Erat προσερχόμενος, nempe ad Deum, ad cœleste Sanctuarium, ad urbem, quæ habet fundamenta, ad veram patriam; cujus figura erat terrena illa. In terra objiciebatur ipsis altare. Illò non poterant prope accedere; tanquam jam habentes ἀπολύτρωσιν, τὴν ἄφεσιν τ̃ ἁμαρτιῶν: neque petere illa, quæ promissa sunt Ecclesiæ danda post ἀπολύτρωσιν præstitam. Fides igitur ipsorum utrumque intuebatur: &, quod in cœlo erat, & nondum erat revelatum in carne; & cœlestia gaudia; & τὴν προσαγωγὴν, quam daturus erat Christus, & signa fœderis ac typos, quibus tunc utebantur; & extantem adhuc reatum. Conveniens erat, ut etiam in exilio, gestu tanquam ad altare terrestre accederent aut se ad id tendere significarent. Quod autem & Ezechias cogitarit de templo, patet ex Esai. 38: 22. Quanquam autem necessario fuerit in fidelibus illa utraque cogitatio, de patria & regno Dei futuro & præsenti statu tamen non possum demonstrare, gestum etiam significantem, viam ad sanctuarium terrestre esse in corde illorum (ut loquitur Psalmus 84: 6.) semper fuisse necessario adhibendum; etiam noctu, etiam in decubitu. In templo quidem secundo non erat שכינה, erat tamen locus שכינה & certe locus, in quo deberet & exspectari Dominus venturus ad templum suum, Malach. 3: 1. & ubi debebat fieri interim confessio peccati per χειρόγραφον.

23. Sept. 1669.

EPISTOLA CXC.

GULIELMO ANSLARIO JOH. COCCEJUS.

Mi Charissime Gener.

. . . . Reatus non tollitur nisi per actualem solutionem. Quid est reatus? Debitio pœnæ. Est debitio pœnæ quamdiu non est satisfactio. Est igitur homo debitor pœnæ quamdiu satisfactio non exstat. Certum est, χειρόγραφον exigi potuisse. At quid est in χειρογράφῳ nisi confessio de pœnæ debito; vel, quod idem est, de peccato nondum expiato. Qui volunt reatum translatum esse in Christum, non loquuntur cum Scriptura. Sponsor non est debitor, neque fit debitor. nisi dicas, *quasi debitor*. Homo est ὀφειλέτης, est ὑπόδικος. Sed Sponsorem habens, non est debitor pœnæ, quam non fert, propter Sponsorem. Etiam post mortem Christi peccata justorum vocantur ὀφειλήματα Matth. 6: 12. Hoc enim sunt per se & suo ingenio, & saltem castigationem nobis conciliant. Ego puto, eos vitilitigare, & nodum in scirpo quærere, qui hic hærent. Dubito, an intelligant Socinum & Socinianos, qui id Socinianum vocant, si Sanctos V.T. & nos quoque qui credimus, debitores vocemus. Primo Sociniani non statuunt Sponsorem, neque satisfactionem, qua satisfiat justitiæ Dei. Deinde illi putant per sacrificia fuisse expiata peccata quædam: & ratione eorum non fuisse reos. Tertio illi per Fœdus negant fuisse sublatam pœnam æternæ mortis, idque quia etiam negant in fœdere ipsorum fuisse promissionem vitæ æternæ. Interim non negant, eos ut Abrahamum, hæredes futuros vitæ æternæ ex bonitate Dei. Notum est, eosdem reatum peccati Adami plane negare: nisi quod ex eo sequatur, ita volente Deo, ut filii Adami moriantur h. e. extinguantur, & non recipiant vitam, nisi ex bonitate Dei: & quidem per Christum, non propter Christi justitiam. Quando igitur *Reatum* dicimus esse in filiis Adami, profitemur contra Socinianos, omnes nasci peccatores, ὑποδίκους, sub κατακρίματι, propter justitiam Dei. Et confitemur contra eosdem, necessarium omnibus esse Sacerdotem, qui justitiæ Dei satisfaciat. Et, dum is satisfaciat, manere nostrum reatum, ut exigi possit peccatum à Sponsore, (nostra enim delicta ipsum, ut fratrem & Sponsorem, obligant & servum faciunt, Esai. 43: vs. 24. non sua) & à nobis possit exigi χειρόγραφον. Vide, præfat. in Epist. ad Ephes. p. 17. & in Commentario, p. 48. §. 105. lin. 11. Nihil directius oppositum est Socinianis. Vellem, qui *Socinianum* dicunt, quod audiunt, saltem dicere, quid putent Socinianos sentire.

EPISTOLA CXCI.

J. B. JOH. COCCEJUS.

Mijn Heer.

Joh. 11: 25. 26.

MArtha hadde geseght vs 24. *Ick weet dat mijn broeder opstaen sal in de opstandinge op den laetsten dach.* Dit was de belijdenisse der Phariseen. Christus wilde dat dit geloof wat grondelijcker en volmaecktter soude zijn, en dat Martha noch iets in 't tegenwoordige van hem verwachten soude. Namentlick dat hy Lazarum wel konde doen leven, overmits Lazarus niet tot het eynde doodt was. Hy seght dan: *Ick ben de opstandige ende het leven. Die in my gelooft, of hy al sterft, sal leven. ende alle die leeft, ende gelooft in my, sal niet sterven in eeuwigheyt.* De Phariseen wisten dat de dooden verrijsen souden, maer sy geloofden ende wisten niet, dat Christus de opstandinge ende het leven was. Hy spreeckt dan van een *opstandige* ende van een *leven*. De *opstandige* kan van die geseght werden, die gestorven is. Het *leven* kan geseght worden van die, die opgestaen is, ende van die, die niet en sterft. Uyt de woorden Christi blijckt dat hy tweederley leven stelt. Een leven naer de opstandinge, ende een leven sonder doodt. Alle beyde seght hy van die die aen hem geloven. Die aen hem geloven, soo sy sterven, sullen weder opstaen ende leven. Ende, die gelooft, sal niet sterven, in der eeuwigheyt. *Soo sy sterven.* Want niet alle gelovige sterven. Siet 1 Cor. 15: 51. Soo is dan de meyninge van de woorden daer. Ten eersten: de gelovige hebben een leven te verwachten na dit leven, ende na de doodt des lichaems. Haer lichaem sal wederom leven, ende van de doodt opgeweckt werden. Ende dit is de opstandinge ofte verrijsenisse, van de welcke op vele plaetsen wert gesproken. De welcke de Socinianen in der daet loochenen. Ten tweeden: *de levende* (namentlick naerdien sy geboren ende in de wereldt gekomen zijn) *ende gelovende aen Christum* (het welcke is het geestelick leven, daer toe men herboren wert) *sullen niet sterven in eeuwigheyt.* Sy hebben een leven sonder sterven. Dit kan van het lichaem niet geseght werden. Want het lichaem is een lichaem des doodts, overmits het is een lichaem der sonden des vleesches. Rom. 7: 24. 6: 6. 12. 8: 10. Col. 2: 11. Wy moeten van de sonden verlost werden, daerom is het nootsakeliek dat het lichaem sterve. Maer, al sterft het lichaem, de gelovige en sterft niet. Sijn gelove is leven. Christus leeft in hem. Rom. 8: 9. 10. 11. Hy heeft een levendige hope. 1. Pet. 1: 3. Hy leeft in liefde. 1. Joh. 3: 14. De liefde Gods is onsterffelijck. Want God is onsterffelick, ende waerdig altijd gelieft te werden van die die hem lief hebben. Jae wat soude de liefde Gods zijn? Sich te verheugen ende te vergenoegen over de dingen die God gemaeckt heeft voor het lichaem, ende dat een tijdt lang? Soo soude de begeerlickheyt konnen genaemt werden de liefde Godts, ende de dingen, die gesien werden, Godt; ende de Liefde soude sich uytstreecken tot niet meer zijn, niet meer te kennen, niet meer te hebben, niet meer sich te verheugen in de kennisse Godts, ende hem niet te begeren. Oock soo soude de gerechtigheyt niet eeuwig zijn, ende Godt soude niet onse Godt zijn na sijne macht: indien hy ons kan doen eeuwig leven: ofte, soo hy na sijne macht onse Godt is, ende wy niet altoos leven, soo heeft hy de macht niet ons het eeuwig leven te geven. Daerom segt Paulus Rom. 8: 10. dat het lichaem wel doodt is om der sonden wille, maer de Geest (dat is, de ziele) is leven, oock in den doodt des lichaems, om der gerechtigheyt wille. Soo heeft dan het leven der gelovigen (het welcke in liefhebben ende vreugde bestaet) wel een begin, ende oock eene volmaeckinge, maer geen eynde, ofte opschortinge. Ende daer om wert de kennisse Godts en Christi het eeuwige leven genaemt. Johann. 17: 3. Hier mede strijt de leere der Socinianen, die seggen, dat in de doodt de gantsche mensch sterft, ende de ziele sonder leven is: Het slapen der Wederdoopers: Het Vagevier der Papisten: Oock strijdt hier mede de leere van den af-val der Heyligen. Christus seght. *Ick ben de opstandinge ende het leven.* Ten eersten met sijne genade, voorbede, verdienste, kracht, is hy beyde de opstandinge ende het leven. Ten anderen door sijne kennisse is hy het leven. want hem kennen ende liefhebben is leven. Want in die kennisse is de vreugde des Geestes. Die hem kent, als Saligmaker, leeft altijdt. want hy weet dat hy in hem leeft die niet en sterft. Indien wy niet en wisten dat wy in hem leven, wy souden hem niet kennen als onsen Saligmaker. Want niemandt is salig sonder kennisse. Christus is niet de Saligmaker van die hem kennen, sonder haer leven en saligheyt. Dit dient tot Godtsaligheyt. Want nu weten wy dat ons leven is Christum liefhebben, ende dat het eeuwige leven is eeuwige liefde, eeuwige vreugde, en alsoo eeuwige heyligheyt. Die de selve niet en heeft kent Christum niet als sijnen Saligmaker. Dit dient tot troost in alle noodt, ende sonder dit te weten is'er geene levendige hope.

11. Febr. 1668.

EPISTOLA CXCII.

J. B. JOH. COCCEJUS.

Mijn Heer.

CHristus leert ons Joh. 14: 13. dat wy van den Vader *begeeren sullen in sijnen name;* ende belooft, dat selve te doen: op dat den Vader verheerlijckt worde in den Soon. Hier is te mercken dat de Sondaer geen recht heeft tot Godt te naderen ende van hem iets te begeeren. Want hy is een vyant Godts, een verloochenaer Godts, geheel stinckende, vuyl ende onreyn. Het soude een groote stoutheyt zijn ende onbeschaemtheyt, met sijne sonden tot Godt te komen, ende in sijn sonden ofte in sich selfs iet van Godt te begeeren: niet anders, als of Godt konde gemeynschap met den sondaer hebben in hem selfs ofte in sijne sonden. Hierom seght hy Jer. 30: 21. *Wie is hy die voor sijn herte borge worde, om tot my te genaken?* Dit soude zijn tot een verteerent vuyr te genaken, om daer van te verkrijgen leven ende vreugde. Soo betaemt dan den sondaer, die tot Godt genaken wil om iets goets te begeeren, een Priester ende een Offerhande tot versoeninge. Wat nu voor een Priester den sondaer betaemt, staet Hebr. 7: 26. Men moet vrede met Godt maken: ende dat doet men aengrijpende de vestinge, de welcke van Godt is voorgestelt, om daer toe te loopen ende behouden te worden. Esai. 27: 5. 2 Cor. 5: 20. De eenige Hooge Priester dan, door den welcken wy toeganck tot Godt hebben, is de Soon: de welcke altoos voor sijn volck by Godt geintercedeert heeft. Esai. 63: 9. dat is, om wiens wille Godt sich

des

des sondaers heeft ontfermt, tot hem van vrede ende genade heeft gesproken, hem heeft door sijnen Geest vernieut, ende sijne gebeden verhoort. Doch de Vaders, alhoewel sy wisten dat sy den Voorbidder ende Borge by Godt hadden, nochtans wisten sy oock wel, dat de offerhande noch niet geoffert ende noch geene versoeninge geschiet was. Daerom moesten sy belijden, dat hare sonde noch niet uytgeveegt was. Sy konden derhalven niet tot Godt naderen met blijdtschap, als die, die weten, dat de sonde versoent is. Sy konden oock niet hopen, dat Godt haer soude alsoo verhooren, dat sy mochten deelachtigh worden der Goederen des Nieuwen Testaments; als daer is Vryheyt en de Erffenisse der Heydenen: maer sy hadden de verwachtinge, dat misschien Godt iets wilde doen ofte haer opleggen om te betuygen, dat de sonden noch niet versoent en waren, gelijck noch geschiet is, als de Wet gekomen is. Want sy moesten offerhande voor de sonde brengen, de welcke nochtans de sonde niet en konde wech nemen. Maer, nadien dat Christus gekomen ende gestorven is, hebben wy vrymoedicheyt om tot Godt te genaken, wetende dat wy Godt niet lasteren ofte oneere aendoen, wanneer wy alles van hem bidden, ende tot hem komen met blijdtschap, als versoent zijnde, ende geen offerhande meer van doen hebbende; maer ter contrarie hem eere aendoen wanneer wy van hem bidden alles, wat tot onse saligheyt ende godtsaligheyt van nooden is, daer mede hy kan in ons, na gelegentheyt des tijdts, verheerlijckt werden. Dat is *in Christi name begeeren*, namentlijck op sijn woordt, in geloove ende vertrouwen op sijn macht en verdiensten, in blijtschap, ende als wetende, dat wy geenen Saligmaker en geen offerande meer van doen hebben, van Godt, als onsen Vader, begeeren, wat hy tot sijner eere wyslijck ons geven kan. hier in wert oock begrepen het vertrouwen op de waerdigheyt des Soons; ende op het eeuwige Testament, waer in de Vader aen den Soon een erfdeel gegeven heeft. Christus seght, *Ick sal het doen.* Want de Vader heeft alle macht aen den Soon gegeven, ofte de Vader wil, ende dat betamelijck, dat de Soon die, die hem gegeven zijn, ende die hy van sijnen Vader eyscht, heylich en salich maecke. Joh. 6: 39. Psalm. 2: 8. Wat de Vader doet, dat doet oock de Soon. Joh. 5: vs. 19. Doch, wat de Soon werckt door kracht van sijn verdiensten, dat is eygentlijck sijn werck. Alles wat wy van den Vader bidden, moeten wy bidden als ledematen Christi ende sijnen Geest hebbende: alles, wat de Vader ons geeft wordt Christo gegeven, als het hooft, ende ons in hem, als sijne ledematen. Daerom, alles wat wy verkrijgen, verkrijgen wy door de kracht Christi ende door sijn recht. Soo wert de Vader in den Soon ge-eert, dat hy namentlijck den sondaer sijne gaven betamelijck mededeelt niet buyten den Soon, maer in den Soon en om des Soons wille, in heyligheyt, gerechtigheyt ende waerheyt.

Den 18. November 1663.

EPISTOLA CXCIII.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

DAer is veel aen gelegen, dat wy weten en bedencken, dat wy uyt ons selfs niets vermogen te dencken, of te doen, ende dat alle het goede ons van Godt toekomt, als een gifte uyt genade ende bermhertigheyt geschoncken. Soo lange als de mensche meent, dat hy iets kan, is hy sorgeloos, ende sonder vreese ende beven, het welcke noodigh is, om de saligheyt te soecken ende aen te nemen. Maer, wanneer de mensche weet ende gedenckt, dat hy niet en kan, ende dat in Christo, ende met Christo alles gegeven wort, soo heeft hy alreede goede gedachten ende een verlicht herte, begeerich na de genade, ende heeft den H. Geest ontfangen, ende kan hem derhalven troosten van wegen de bermhertigheyt Godts. Gelijck by Mose staet: *Ick sal genadigh zijn, wien ick sal genadigh zijn.* Rom. 9: 15. Want, over wien sich Godt ontfermt, over dien ontfermt hy sich altoos. Ende als dan weten wy dat onse gedachten goet zijn, wanneer wy met nederigheyt ende versakinge van ons selfs, ende belijdenisse van onse swackheyt, ende alsoo sonder ons te voldoen in 't goede, wandelen. Hier toe dienen de woorden des Apostels Rom. 9: 16. *Het is niet des loopenden noch des willenden, maer Godts, die sich ontfermt.* Dat is, het loopen ende willen is niet uyt dien die loopt ende wil, ofte uyt sijne krachten, verstandt, goetheyt, wijsheyt, alsoo dat hy hem selven eenigsins soude konnen roemen. want de roem is uytgesloten. Rom. 3: 27. maer het komt van Godts ontferminge. Daerom heeft die gene, die daer recht wil, ende die in den goeden weg loopt, de versekertheyt van de ontferminge Godts, ende oorsake, hem daerom te dancken, ende hem te bidden, dat hy doch sijne handt niet van hem aftrecke. Want, gelijck men den goeden wille ontfangt, ende gelijck men heeft begonnen te loopen, alsoo moet men voortgaen, ende volharden in vreese ende beven, dat is, in groote naerstigheyt. Wy weten, dat by groote naerstigheyt het beven is. Siet Philip. 2: 12. 13. de vreese, dat is, ootmoedigheyt ende sorge van niet te missen de genade Godts, ofte eenige schade daer aen te lijden, ofte eene sorgvuldige blijdtschap is de schatkamer ende bewaringe van wijsheyt, gerechtigheyt ende saligheyt, Esai. 33: 6. Sommige Remonstranten wilden wel, dat den Apostel also geschreven hadde: Het is niet gelijcke veel, hoe dat men loopt of wil, maer men moet recht willen ende loopen. Doch het is heel openbaer, dat den Apostel wat anders segt. namelijck, dat oock de goede wille, ende het wel loopen, dat is, in den rechten wegh voortgaen tot het wit ende prijs onser roepinge (Phil. 3: 14.) van Godt komt, ende gewrocht wort, die dat selve werckt door sijn Woort, ende door sijnen Geest, de welcke geeft, dat men daer op merckt, ende daer uyt leert, ende het selvige doet. Hier toe behooren alle plaetsen, de welcke seggen, dat de mensch is doot in sonde; dat de natuyrlijcke mensch niet aen neemt de dingen, die des Geestes zijn; dat Godt de herten besnijt, ende ons maeckt een nieuwe creature, ende maeckt, dat wy hem lief hebben, ende sijne geboden, de welcke zijn geboden van liefde, doen. Alsoo dat de ontferminge werckt, ende door kracht ende door liefde van dien, die alle liefde ende eere waerdigh is.

15. Octob. 1663.

EPISTOLA CXCIV.

J.B. Johannes Coccejus.

Mijn Heer.

DE plaetse Rom. 9: 28. is genomen uyt Esai. 10: 22. 23. De woorden zijn van den Apostel gestelt naer de Griecksche oversettinge. In 't Hebreeuws luyden de woorden aldus: *Eene gantsche verdelginge is bepaelt, overvloeyende met gerechtigheyt. Want een eyndelijck, ende afgesneden* ding *sal de Heere Jehovah* Godt *der Heyrscharen doen in 't gantsche landt*, ofte *op de gantsche aerde*. De maniere van spreken beduyt een grimmigheyt, die alle langmoedigheyt ende bedencken uytsluyt, ende een oordeel, dat uytgesproken is van een sake, daer over men niet langer delibereren wil. Daniel komt hier mede over een cap. 9. vs. 27. gebruyckende de woorden van Esaias. Men pleeght in 't Duytsch wel te seggen, **Ein gar aus**, ende **der stab ist gebrochen**. De Propheet Esaias en Daniel ende den Apostel Paulus seggen dan datter by Godt bestemt was sulck een afbreeckinge van dat, dat tot haeren tijde noch stondt, dat daer niet van sonde overblijven, ende het afgebrokene noyt soude weder opgerecht worden. namentlijck van de afbreeckinge des Tempels ende des Volcks Juda. datter noyt sulck een Priesterdom ofte Volck van andere Volckeren op sulck een maniere onderscheyden (als te voren Israël was) soude zijn, en het landt Canaan als haer erfdeel besitten, maer dat de hope van herstellinge van sulck een Republijck gansch elijck uyt soude zijn. Daer benevens geeft de selve prophetie te kennen, dat Godt de Heere der heyrscharen, dat is, van alle volckeren, ofte de welcke een koninckrijck wil hebben onder alle volckeren, sulcx doen soude. de Heyrscharen beduyden de Heydenen. Jer. 3: 19. Oock behelst de Prophetie den raedt Godts over Israël, dat die niet gantsch soude verloren gaen, maer datter een overblijfsel soude zijn: het welcke soude wederkeeren tot *Godt den overwinner*, dat is tot Christum, overwinner van alle macht des Vyandts, siet Esai. 9: 5. Want het woort, dat overgeset wordt *stercke Godt*, beduyt eygentlijck *Godt de overwinner.* Soo dan het *overblijfsel* bekeert wordt, volgt, dat over het overige gantsche Israël besloten zy een verblindinge, verhardinge, ende verstockinge. Item, dat Christus niet soude op sulck een maniere tot het Joodsche volck komen, dat sy hem souden kennen, maer dat hy haer soude een aenstotinge zijn: als niet verstaende de beloste van Christo, ende de meyninge van die niet ondersocht hebbende. Soo dan het overblijfsel, de uytverkorene ende van Godt tot de saligheyt aengenomene souden bekeert werden tot Christum den overwinner, ende eene verdelginge soude geschieden: 't is wel te verstaen, dat niet sonder groot bloedt vergieten de verstooringe en uytroeyinge van de voorige Republijcke konde geschieden. Noch meer is uyt de Prophetie te verstaen, dat sulck een verbreeckinge soude geschieden te sulcker tijdt, dat Israël soo veel soude zijn als het sandt aen de Zee. Siet oock Hos. 1: 10. Rom. 9: 25. 26. Deut. 30: 6. Jer. 3: 16. 17. Dit is een seer notabel teycken des tijdts, in de welcke Christus heeft moeten verschijnen tot oprechtinge van een ander Koninckrijck.

Wanneer de Propheet seght, *Een verdelginge is bepaelt, overvloeyende met gerechtigheyt*, soo geeft hy te kennen, dat de *gerechtigheyt Godts* sulck een *verdelginge* vereyscht. De welcke niet alleen daer in bestaet, dat de godtloosheyt en verachtinge van de meeste Israëliten soude gestraft werden, en de valsche gerechtigheyt van de Phariseen soude werden beschaemt (het welcke oock geschiet was door de Babylonische gevanckenisse) maer dat de voldoeninge Christi ende de gerechtigheyt der kinderen Godts door de selve te wege gebracht, moeste geopenbaert werden, ende daerom de Wet ende het Priesterdom (het welcke was een middel van beschuldiginge der sonden, als noch niet door een betamelijcke offerhande versoent zijnde) afgeschaft ende wechgenomen werden: op dat de kracht des lijdens Christi ende des rechts om de Heydenen te eyschen, als sijn Erfdeel, als een zee uytgebreyt wierde door de verkondiginge des Euangeliums, en tot segeninge der gantsche wereldt, dat is, aller uytverkorenen, die het woordt der verlossinge in gelooye aennemen, de welcke door het afbreecken van het Joodsche priesterdom vry gemaeckt worden van de Wet ende de dienstbaerheyt; ende verlost van het decksel, het welcke op de oogen der menschen lag, siende de gerechtigheyt Christi sonder schaduwe ende bedeckinge, ende het Koninckrijcke Godts geopenbaert in hare conscientie.

EPISTOLA CXCV.

J. B. JOHANNES COCCEJUS.

Mijn Heer.

DEn Apostel Johannes in sijn 1. Epist. cap. 5: vs. 5. verklaert rondelijck, dat de geene de welcke gelooft, dat *Jesus is de Soon Godts, de werelt overwint*: ende dat niemant anders de selve overwint. dat is, dat niemant kan de werelt en hare lusten versaecken, ende tegen de schrickelijckheyt der wereldt bestaen, dan die vast gelooft, dat de mensch Jesus, onse broeder, is de Soon Godts, de eenich geborene ende eerstgeborene. Hier van geeft hy reden in het 6. vs. *Dese is, die gekomen is met water ende bloedt, Jesus de gesalfde*, over wien de Geest des Heeren was, ende door wien ons de Geest verkregen is, op dat hy in ons gesalft wierde tot onsen Koninck. *niet in water alleen, maer oock in bloedt*. dat is, niet alleen in onschult ende heyligheyt, die tot een exempel konde zijn; maer oock in lijden, in voldoeninge ende een volkomen offerande tot gerechtigheyt. alsoo dat die dit gelooft, dat hy *de Soon Godts is*, Godt de eere geeft, ende hem lief heeft, als sijnen Vader, de volkomene gerechtigheyt in Christo hebbende. Hier wert *water* en *bloedt* onderscheyden. Anders wert door *water* oock de kracht van reyn maecken verstaen. Hebr. 10: 22. Ezech. 36: 25. Joh. 3: 5. *Ende*, soo yemant dit gelooft, die heeft den Geest van hem: ende *de Geest getuygt, dat de Geest waerheyt is*, dat is, het zy dat de Geest geconsidereert wort na het getuygenisse in het Woort, ofte na de wereking in ons, hy geeft hem selven een vast getuygenisse van waerheyt. Want, soo wy aen Christum gelooven, soo weten wy, dat de belofte aen de Vaderen gedaen, van dat Abraham een zaedt soude hebben, dat met hem soude gesegent zijn, waerachtich is: en wederom de belofte getuygt, dat de Geest Godts in ons is, de welcke ons doet roepen Abba Vader. Alsoo dat de Geest, de welcke in het Woort getuygt, ende de welcke aen ons herte getuygt, dat Godt in Christo kan van ons gelieft worden, als onse Vader, ende dewelcke maeckt, dat wy hem lief hebben als onsen Vader, noodtsaeckelijck een is: namentlijck de Geest Godts, die ons gemaeckt heeft.

EPISTOLA XCVI.

J. B. JOH. COCCEJUS.

Mijn Heer.

DEn Apostel toont in de Epistel aen de Romeynen, dat wy alle de Gerechtigheyt van nooden hebben, dat de selve is uyt het Geloove, ende niet uyt de Wet; door de Wet niet te niete gedaen, ende nu geopenbaert sonder de Wet: dat de mensch door het geloove waerachtichlijck gerechtveerdicht wordt; dat dese gerechtigheyt den Heydenen oock gegeven is; met verwerpinge der meeste Joden voor een tijdt lang; doch dat de Joden noch eens sullen weder de ontfermingegenieten: alsoo dat de gerechtigheyt gegeven word uyt een Testament en besluyt der genade. Hy hadde cap. 3: 23. 27. geseght, dat hier door ende de glorie Godts wierdt geopenbaert ende de roem des menschen uytgesloten. Soo stelt hy dan in 't 11. capittel aen 't eynde een treffelijcke uytroepinge, waer mede hy betoont, dat dese gantsche leere daer toe dient, dat de heerlijckheyt Godts erkent, ende de roem des menschen uytgesloten werde. Hier van is veel te seggen. Maer ick sal my bevlijtigen den sin in 't korte voor te stellen.

I. *O diepte des Rijckdoms*. Godt behoeft niet, Actor. 17: 25. maer hy is oock rijck van hem self, in sich een glorieus leven hebbende. Hy is oock rijck, om yets, dat niet is, wesen en leven te geven. neemt den Mensch, den welcken hy tot sijn evenbeeldt gemaeckt heeft, en heeft hem versorgt van alles, dat hy van nooden hadde om te leven ende de heerlijckheyt sijnes Scheppers te kennen. Noch meer rijckdom openbaert sich daer in, dat hy den mensche heeft konnen, na dat hy onwaerdich geworden was eenich goet Godts, ende sijner gemeynschap, van het oordeel verlossen, ende door den Soon en den Geest des Soons tot het recht ende de besittinge der erffenisse brengen, ende haer het eeuwige leven, dat is, sich selfs geven. Want het erfdeel der kinderen Godts, is Godt self.

II. *O diepte der Wijsheyt*. Godt heeft geweten, dat door de geschapene dingen konden, en souden sijne wonderen ende deuchden geopenbaert worden. Hy heeft geweten, dat hy op eene eerlijcke wijse den sondaer konde gerecht maecken. Het welcke geene Creature konde bedencken, noch oock van geene Creature kan ten vollen verstaen werden, hoe dat het mogelijck geweest is, dat Godt wierdt de gerechtigheyt des sondaers. Jerem. 23: 6. Esa. 45: 25. Overmits niemandt kan begrijpen, hoe dat de Vader ende de Soon Een zijn. Johann. 10: 30. Hierom werdt de Soon de wijsheyt genaemt Matth. 11: 19. 23: vs 34. vergeleecken met Luc. 11: 49. 1. Cor. 1: 24. 30. Prov. cap. 8: 1. 22. 23. 24. 25. 30. dewijl dat in hem bewesen werdt de wijsheyt Godts, de welcke gewilt heeft dat de mensch veranderlijck soude zijn, ende nochtans in den mensche verheerlijckt werden door gerechtigheyt ende genade.

III. *O diepte der Kennisse*. Godt heeft een Besluyt van alle ding, ende sonder hem geschiet niet, ende hy weet alle gedachten des menschen van eeuwigheyt: nochtans sondigen de menschen door eygene gedachten, eygenen raedt, ende eygenen wille, ende de sonde is niet van Godt. Siet hoe David Psal. 139: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 15. 16. sich hier over verwondert. Hier van daen komen veele disputen ende ergerlijcke meeningen, die ofte den mensche tot Godt, of Godt tot een mensche maecken, ende onder den mensche stellen (Esa. 10: 15.) dewijl de menschen dese diepte der kennisse willen afmeten. Wy dan, geloovende aen het woordt Godts ende het getuygenisse onser conscientie in ons, bevindende in waerheyt, dat wy in sonden leggen, ende dat Godt onse gerechtigheyt ende salichmaecker is, soo wy komen te gedencken aen de kennisse Godts, sullen ons vergenoegen te seggen, *O diepte der kennisse!*

IV. *Hoe ondoorsoeckelijck zijn sijne oordeelen*. Godt gebruyckt ontferminge; maer hy laet niet na te oordeelen. Exod. 34: 7. Hy heeft de sonde niet ongestraft gelaten; hy heeft de aenklagende ende wettelijck beheersehende sonde verdoemt in het vleesch door de wet, die de sonde niet konde verdoemen, Rom. 8: 3. Wat de menschen aengaet, Godt vermenght sijn oordeel met langmoedigheyt. daer van is te sien Rom. 1: 20. 32. Het is een schrickelijck oordeel; daer met Godt de werelt heeft gestraft, de Heydenen latende gaen op hare wegen. wederom de Joden sluytende in de ongehoorsaemheyt. Rom. 11: 32. Hier van te spreecken, soude oneyndelijck zijn. Men moet hier oock gedencken op de kastijdingen der vromen.

V. *Ende onnaspeurlijck sijne wegen*. Dat is, wat hy doet, om daer door te komen tot sijn wit ende oogmerck, met een yegelijck mensche. Prov. 16: 4. Niemant van de menschen weet sijnen wegh, daer door hy gevoert werdt. Job. 3: 23. Doch de vroomen wandelen in de wegen Godts, ende is noyt haren wegh soo krom, ofte sy staen in de wegen Godts; in tegendeel de godtloosen stoten sich, en vallen daer in; haer wegh is noyt soo slecht, of sy struyckelen, en de wegen Godts brengen sy tot haer ongeluck.

VI. *Want wie heeft den sin des Heeren gekent*. Siet 1. Corinth. 2: vs. 9. 11. en Esa. 64: 4. Soo kan dan de mensche Godt niet wel gevallen in hem selven, in sijn raedt, gedachten, voornemen, doen; maer moet alleenlijck sien op 't geen dat Godt geopenbaert heeft; door wiens Geest wy den sin Christi hebben. 1. Cor. cap. 2: 16. Ephes. 3: 5. Rom. 16: 25.

Soo verre van de *Diepten*. Hier op volgt, wat aengaet den mensche, dat de selve Godt nergens in kan voorkomen.

I. *Of wie is sijn raedtgever geweest?* Wat oock de mensch bedenckt, als goet tot sijn saligheyt, kan Godt niet behagen: Siet Esa. 40: 13. 14. item Coloss. 2: 22. 23. Alle dingen zijn of goet, of quaet, of indifferent. Het goede heeft Godt geboden, ende de conscientie getuygt daer van, dat de mensch dat doen moet, of anders niet en doet na behooren. Het quade kan Godt niet behagen. Het indifferente kan tot geen middel der versoeninge ende der gerechtigheyt gemaeckt worden. De gaven Godts te gebruycken met danckbaerheyt is Godts eere. De selve weghwerpen

werpen ende sich selfs pijnigen is een ondanckbaerheyt, ende wreetheyt ende verontweerdinge. Wat wil dan een mensch doen om Godt te behagen? of te versoenen?

II. *Ofte wie heeft hem eerst gegeven, en het sal hem wederom vergolden worden?* Siet Job. 41:2. Godt ontfangt niets van yemant. Job. 35:7. Godt beloont niets, als van den mensche ende uyt sijne kraechten herkomende. Alles, wat den mensche heeft, is uyt Godt. De heylige Engelen selfs zijn aen Godt schuldich hare heyligheyt ende hare heerlijckheyt. Veel min kan na den val, daer genade vereyscht wordt, yets van den mensch komen, als sijn eygen, het welcke Godt soude beloonen. De beloninge der genaden is de versadiginge van onse liefde, verlangen, ende hoope. Daerom kan de selve niet uyt verdienste gegeven worden. Vers 36. *Want uyt hem ende door hem ende tot hem zijn alle dingen. Uyt hem*, dewijle niet kan zijn sonder den wille Godts. uyt Godt hebben wy ons wesen, onse gerechtigheyt, onse saligheyt, den heyligen Geest, het geloove, de liefde. jae oock de Soon ende heylige Geest is uyt den Vader. *Door hem*, sonder middel; daer is niet, dat Godt helpt in sijn werck, dat hem bequaemheyt geeft om te wercken, het welck hem beweeght ofte voorkomt, daer aen Godt soude dependeren. *Tot hem*, om hem te verheerlijcken. daerom moet'er oock niets deel hebben aen sijn roem ende eere, siet oock Hebr. 2:10. *Het betaemde die, om wiens wille ende door wie alle dingen zijn, veel kinderen in de heerlijckheyt ingebracht hebbende, den eersten Auteur harer saligheyt door lijden volkomen te maecken.* Sonde Godt de eere hebben van onse saligheyt, soo moeste de Saliehmaecker zijn de eerste ende opperste Auteur van de saligheyt, ende in hem moeste gevonden werden alles, dat tot onse saligheyt van noden was. Hier op besluyt de Apostel. *Hem sy de eere.* dat is, hem moet gegeven werden de hoogheyt, de rijckdom, de macht, de wijsheyt, de lof, de danckseggingе, sonder participatie van eenige Creature. Soo dan de leere van de rechtveerdichmaeckinge door het geloove in Christum de eere Godts betoont, soo is de selve waeraghtigh, ende alle leere die de eere Godts vermindert, is nootsaecklijck leugen.

EPISTOLA CXCVII.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

IN 't 3. Capittel van de 2. Epist. tot de Corinth. toont den Apostel een groot onderscheyt tusschen den dienst des Ouden ende des Nieuwen Testaments. Om die te verstaen, moetmen weten, wat eygentlijck het Oude Testament is. Men vindt, dat in de Schrifture gesproocken wort van Testamenten. Den Apostel Hebr. 9: ℣s. 16. 17. toont, dat hy daer door verstaet, gelijck als een laetste Wille, door de welcke men erfgenamen nomineert en instelt. Godt heeft oock een vast Besluyt gemaeckt, 't welcke men met een Testament vergelijcken kan. 1. Het Besluyt van Christo een erfdeel te geven onder de menschen; ende also sommige door het geloove salich te maecken. 2. Het Besluyt van de kinderen Israëls te regeren als sijn volck, hoewel ten grooten deele ongehoorsaem zijnde, ende haer te geven het landt Canaan tot een erfdeel en onderpant van een beter, ende sijne wooninge onder haer te hebben, oock Christum tot haer te senden. 3. Van Gereghtigheyt, vrede, en segeninge met vryheyt te verkondigen aen alle volckeren, ende eene Kercke en Koninckrijck uyt alle natien te vergaderen tot den jonghsten dagh. Doch de Apostel ℣s. 14. beteeckent door den name *het Oude Testament*, de Schriften, de welcke de Israëliten hebben ontfangen ende gelesen staende het Oude Testament, dat is, in de tijdt, dat sy afgesondert van andere volckeren alleen *Godts volck* genaemt wierden. Dese Schriften nu, ende dit Woort, noemt hy ℣s. 6. een *Letter.* uyt ℣s. 7. is het blijckelijck, dat hy niet alleen verstaet de *insettingen*, de welcke door Mosen gegeven zijn, maer oock de Tien Geboden. Want de selve waren eygentlijck op stenen gegraveert. ℣s. 7. Waerom noemt hy dan sulck een Woort een *letter?* Daerom, dat het niet in 't herte door den *geest* ingedruckt wierdt, soo als het den volcke voor quam.
Rom. 9: 31. Want ℣s. 14. toont hy, dat de waerheyt ende *de wet der geregtigheyt* daer in was gelijck als onder een *decksel* verborgen. Want de toehoorders des Woordts quam te vooren, dat Godt geseght hadde Lev. 18:5. *die geboden, de welcke de selve sal doen, sal daer in leven.* Dit wierdt van 't vleesch misbruyckt, alsoo dat sy de gerechtigheyt sochten uyt de wercken, oock uyt de insettingen. Daer op volgde verkeringen ende quade uytlegginge van de Geboden. (Als te sien is Matth. 5.) ende dat men niet bedogt, wat de regtveerdigmaeckinge uyt het geloove, en of het geloove Abrahams, hem *tot gerechtigheyt toe gerekent* was; of, wat het Genes.
was, dat Godt aen Abraham beloofft hadde: maer dat men 15:6.
meende dat de geregtigheyt daer in bestont, dat men uyter- Rom. 4:5.
lijck sich beter hielt als de meeste menschen, ende voor de Luc. 18:
sonden offerhanden bracht, &c. Soo was dan noch het ge- 11. 12.
loove Abrahams, noch kennisse, ofte liefde Godts, ofte ware bekeringe in den meesten hoop. Sy meenden, dat *Godt soo was gelijck sy*, dat is, dat hy met hare gedachten Psalm.
ende wegen wel te vreden was, ende sy daerom niets quaets 50:21.
te vresen hadden. Ofte, soo het gebeurde, dat sy van de Propheten gedreygt ende bestraft wierden, sy vervolgden die oock. Soo sy eens gedachten dat Godt oock de begeer- Rom. 7:
lijckheyt verboden hadde, in haer wierdt verweckt alle 8.
begeerlijckheyt, insonderheyt tegen Godt ende de Wet. Want de Wet der Wercken kan, alleen zijnde, niemant tot Godt bekeren. Maer toont den sondaer dat hy doodt is, ende maeckt hem erger. Soo lange dan de Belofte en de rechtveerdigmaeckinge uyt het geloove onder een decksel leyt, soo lange blijft het woordt tot de Israëliten, die geen acht gaven op het verborgene, een *letter*; de welcke niet anders konde als *dooden*, ende de sonden doen meerder worden. Oock noemt hy den dienst Moses *een dienst des* Rom. 5:
doodts, ℣s. 7. Om de selve redenen. Noch meer noemt 20.
hy sijnen dienst een *dienst der verdoemenisse*, ℣s. 9. om dat sulcke strengigheyt ende rigeur komt van de sonde; ende dat oock de uytverkorene ende geloovige (dewelcke door den Geest zijn verplicht geweest op de verborgentheyt des Psalm.
Woordts te letten) van wegen de sonde, dewelcke noch 119:18.
niet door Christi offerhande was uytgewist ende wech gedaen, door de insettingen onder een swaer jock zijn gestelt, Ezech.
ende onreyn verklaert, dat sy niet mogten hare gaven tot 20:26.
den Altaer brengen, ende niet alle dingen als reyn genieten, Hebr.
ende jaerlijcx moesten voor hare onreynigheden offerhanden 10: 1. 2.
offeren, niet anders konnende den troost van de rechtvaer- 3. 4.
dichmaeckinge uyt het geloove genieten als mits sulcke offerhanden doende, ende belijdende dat hare schuldt noch niet versoent en was. Op de selve maniere werdt geseyt dat *de Wet*, (verstaende de Wet die door Mosen gegeven is, onderscheyden van de voorgaende Belofte) *toorn werckt.* Rom. 4:
Hier uyt is nu wel te verstaen dat sulcke dingen, dewelcke 15.
uyt ende onder het eerste Testament waren niet altoos kon- Es. 54: 8.
den blijven, maer moesten afgeschaft werden. Want in plaetse van afscheydinge moeste komen de vereeninginge der Heydenen met Israël, ende in plaetse van vermaninge van de schuldt, als noch niet betaelt, de versoeninge, gerechtigheyt, en de vryheyt der kinderen, die in 't oude gelijck als dienstknechten waren gehouden en getracteert, en in plaetse van belofte de vervullinge van dien; in plaetse van schaduwen de saecke selfs; in plaetse van verborgentheyt klaerheyt en voorstellinge der Wet der gerechtigheyt, dat is, des geloofs, met de voorstellinge der versoeninge Rom. 3:
in 't openbaer; in plaetse, dat sy staen moesten voor den 25.
aerdtschen tabernakel, moeste komen eenen geopenden Heb. 9: 8.
toegangh tot Godt; in plaetse van treurigheyt blijdtschap, 10: 19.
tot vermeerderinge van liefde ende tot roem. Den Apo- vers. 6.
stel nu toont verder, dat de dienst des Nieuwen Testaments is de dienst *des Geestes*, dewelcke *levendich maeckt.* Hier is te verstaen de Geest der Kindtschap, de welcke gegeven werdt in het Nieuwe Testament. Want Godts wille ende voornemen was, eerst te hebben een genaemt volck in het erfdeel des Landts Canaan, ende onder de selve sijne kinderen, doch om de overtredinge wille heeft hy se ge- Gal. 3:
stelt onder de Wet, (niet datse souden uyt hare wercken 19. 22.
de gerechtigheyt en het leven soecken; maer dat sy moe- 24.
sten bekennen, dat sy sondaers waren, en noch niet hadden verkregen de offerhande daer mede de sonde versoent soude werden, ende dat niet gestadigen dienst door aerdtsche dingen moesten betuygen) ende alsoo ingesloten onder een Tucht-meester: Die dan het Euangelium verkondigen, *dienen den Geest*, de welcke belooft was. Want sy verkondigen het woordt, het welcke kan in 't herte geschreven werden: het welcke den Geest wil in 't herte in schrijven: het welcke wie het ontfangt, ontfangt oock met eenen den Geest der Kindtschap. Sy dienen der *Sonde* ende der *verdoemenisse* niet, gelijck als Moses, maer der *gerechtigheyt.* ℣s. 9. Want sy verkondigen dat de *rechtveerdigheyt* of het recht der Kindtschap door Christum verkregen is: ende haren dienst streckt sig daer toe, dat Christus een Volck ende Koninghrijck hebbe onder de Heydenen. Sy zijn niet bedienaers der *letter*, dat is, van sulck een woordt, het welcke

welcke kan onderhouden werden, ſonder verbeteringe des herten, gelijck de Iſraëliten wandelende in de inſettingen Moſis daerom niet te beter waren. Haer dienſt ſtreckt ſich oock daer toe niet, datter een volck zy, het welcke in de letter en vleeſſchelijcke dingen wandele. Hoewel nu de Wet Moſis gegeven is met groote heerlijckheyt, (want doe Moſes geſonden wiert om ſulcke vleeſſchelijcke geboden op te leggen, doe blickte ſijn aengeſichte, alſoo dat de kinderen
verſ. 7. Iſraels hem niet *aenſien en konden*, ende hy een deckſel moeſte op ſijn aengeſichte leggen) ſoo moeſte nochtans deſe Wet, als *letterlijck* ende *vleeſſchelijck* zijnde, ende de *verdoemeniſſe*
verſ. 11. dienende, te ſijner tijdt ceſſeren ende *te niet gedaen* werden. Soo nu het geene, dat afgeſchaft moeſt werden, ende ophouden, in ſulcke *heerlijckheyt* was (gelijck geſeyt is) hoe veel meer moet de dienſt des Geeſtes, die *blijft* tot den laetſten dagh in heerlijckheyt zijn. Daer is nootſaeckelijck ſulck een verſchil, dat het eerſte, hoewel heerlijck, in vergelijckinge van 't andere, moet voor niet verheerlijckt gehouden werden. Maer deſe heerlijckheyt is geeſtelijck. Hier is bekeeringe tot Godt, hier liefde Godts, hier vreuchde des Geeſtes, hier de lijdtſaemheyt der geloovigen, ende groote heyren der Martelaren; hier kenniſſe,
verſ. 18. hier wijsheyt, hier *vernieuwinge van klaerheyt tot klaerheyt*, ofte *van heerlijckheyt tot heerlijckheyt als van den Geeſt Godts:* overmits ons Godt naeckt in Chriſto als het licht der werelt is voorgeſtelt, ende wy als een *ſpiegel* tegen de Sonne geſtelt zijn voor ſijn aengeſichte, omme alle klaerheyt, heerlijckheyt, waerheyt ende deucht van hem te ontfangen. Hier toe komt dat Chriſtus ſijnen ſtrijdt voert in de werelt, ende ſijne oordeelen oeffent, door de welcke ſijne macht openbaer wert, ende ſijne vyanden verdelckt werden, tot dat hy alles onder ſijne voeten ſtelle.

EPISTOLA CXCVIII.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

HEt is een heerlijcke ſpreucke die daer ſtaet 2. Corinth. cap. 2: 17. in de welcke ons vertoont werdt hoe datmen van Godtlijcke ſaecken ſpreecken moet. *Want wy zijn niet gelijck als veele vermengende het Woordt Godts.* Hy gebruyckt een Woordt dat eygentlijck genomen is van Waerden en Herbergiers die de wijn ordinaris vervalſchen ende met water of ſlechten wijn verminderen, ende alſoo haer water voor wijn verkoopen, hy wil ſoo veel ſeggen, wy ſpreecken niet na de humeuren ende den appetijt van menſchen, yets toe-doende of af-doende van 't woordt Godts, daerom oock het ſommigen niet ſmaeckelijck is; maer is haer een reucke des doodts ter doodt. ende wederom uyt de ſelve oorſaecke is het ſommige een reucke des levens ten leven: nadien dat niet van ons ende ons eygen is, maer alles is Godts, ende daerom is 't een kracht Godts ter ſaligheyt: *maer als uyt ſuyverheyt ende reynigheyt:* ſoo dat men klaerlijck ſien kan dat het Woort, het welck ick ſpreecke, ſuyver ende reyn is, hebbende in ſich de ware wijsheyt ende overeen-kominge aller ſtucken onder malkanderen; ende met het voorgaende woordt der Propheten, het welcke door het Euangelium verklaert werdt: *maer gelijck als uyt Godt.* wy ſpreecken alſoo, dat de c[illegible] ſcientie des menſchen, lettende op alles, ende de [illegible] onderſoeckende, kan ſien ende bevinden, dat h[illegible]dt niet uyt ons, of uyt menſchelijcke gedach[illegible] maer dat het van Godt gegeven, ende van [illegible], overmits het ſelve over een komt met [illegible]dts, ende met de leere des Ouden Teſtame[illegible] Schrifture vervat; *voor het aengeſichte Godts*, [illegible] de voor Godt tot ſijnen dienſt, ende hem voor [illegible]geſichte ende voor onſe oogen geſtelt hebbende [illegible] wy noyt yets ſeggen, of het ſelve heeft het getuyg[illegible]ar Godt. Een Leeraer moet altijdt op Godt ſien, [illegible] dat hy ſeggen mach, dit is niet mijn woordt, maer G[illegible]ts woordt, diens eere ſoeck ick, die beveelt ſoo te ſpreecken, die is mijn belooner ende mijn rechter, wien dat ick reeckenſchap geven moet in Chriſto. Veele ſpreecken oock woorden, die in de Schrifture geleſen worden, maer niet oprecht, dewijle ſy Chriſtum niet kennen; van de welcke in het gantſche Boeck geſchreven is, Pſalm. 40: 8. de welcke is het oogmerck der prophetie; daer de Geeſt der prophetie van getuyght, Apocal. 19: 10. Actor. 10: 43. Alles wat uyt de Schrifture geſegt wordt; het welcke buyten het fondament ende dat vergetende ende daer van afgaende geſeght werdt, is niet nutte. Maer alſoo als boven kan niemant ſpreecken, of hy moet ſelfs in Chriſto zijn, ende in Chriſtum geloofft hebben, ende met den Geeſt Chriſti aengetrocken zijn, want die het geloove Chriſti niet heeft, heeft oock de liefde Chriſti niet, ende ſiet hem niet, ende kent hem niet, ende let op ſijn Woordt niet, want het wil geeſtelijck, dat is, door den Geeſt Godts, werckende liefde ende vreeſe Godts, onderſoght werden, 1. Corinth. 2: 14. 15. Den Apoſtel roemt ſulcx van hem ſelven niet ydelijck, ende alſoo, dat men niet kan weten, of het alſoo is of niet, maer hy ſpreeckt dit tot onſe conſcientie, begeerende, dat wy daer van oordeelen ſullen, of het niet alſoo is. want het is mede alſoo gelegen, dat gelijck den Apoſtel in Chriſto geſproken heeft, alſoo den leſer ende hoorer, oock hooren ende leſen ende het ſelve na ſpreecken moet. Wanneer dan yemant ſijn eygen gedachten verſaeckt, ende als begeerende van Godt alleen geleert te zijn, hoort ende betuyght het Woort als voor Godt ſtaende ende in Chriſto, ſoo ſal hy weten konnen, wat waerheyt is, ende wat daer mede niet over een komt.

EPISTOLA CXCIX.

J. B. Johannes Coccejus.

Mijn Heer.

DEn Apoſtel leert ons 2. Cor. 3: 18. het onderſcheyt, het welcke daer is tuſſchen de kenniſſe ende blijdtſchap des Ouden ende des Nieuwen Teſtaments. In 't Oude was een deckſel hangende op het aengeſicht van Moſes; dat is, de genade Godes wierdt verborgen ende te rugge gehouden, datſe ſoo klaer niet konde erkendt werden. Want 1. Chriſtus ende die gekruyſt ende opgeweckt ende ter rechterhandt Godts geſeten, wiert niet gepredickt. 2. Wat van hem belooft wierdt, was verſtroyt in veele plaetſen, ende met duyſtere reden, ende met voorbeelden bewolckt. 3. Ondertuſſchen was daer een gebodt van te doen: ende van ſommige geboden wierdt geſeght, dat, *die die ſelve doet, ſal daer in leven.* De welcke te onderſcheyden, het rechte verſtant ende wijsheyt was. 4. Oock was daer een vleeſſchelijcke reyniginge ende verſoeninge. De welcke van de ware reyniginge te onderſcheyden was. 5. Was daer een verlangen: het welcke door de geſtadige dienſtbaerheyt, ende door de oordeelen Godts, waer mede haer landt (het welcke hare erffeniſſe genoemt wierdt, ende van de ware erffeniſſe te onderſcheyden was) haer goet, haer lichaem, ende de politie, dickwils beſwaert wierden. In den welcken ſy moeſten de belooninge ten deele verwachten. 6. Oock was daer het verwachten van het Koninckrijck Godts ende de erffeniſſe der Heydenen, &c. Soo was dan de kenniſſe duyſter ende ſwaer te bekomen, te meer dewijle de Leeraers den ſleutel der kenniſſe, dat is, Chriſtum ende de geregtigheyt des geloofs, niet voor den dagh bragten, Luc. 11: 52. Daerom oock de liefde met droefſeniſſe, met vreeſe ende angſt, met onwilligheyt tot de ondraeglijcke ſlaverny, vermengt was. Maer in 't Nieuwe Teſtament, vergeleecken met het Oude, zijn wy gelijck een Spiegel die tegen over de Sonne ſtaet. Want wy ſien Chriſtum ende gekruyſt ende opgeweckt, ende ter rechterhandt Gods geſeten. Wy ſien, dat de ſonde in Chriſto is verſoent, dat de ſlaverny is weechgenomen, ende hebben den ſleutel om alle verborgentheyt daer mede te openen, ja de klare verkondiging van gerechtigheyt ende vrede. Wy zijn niet gebonden aen een aerds erfdeel: wy roemen ons in verdruckinge. Alles is reyn. Allen volckeren wert het Euangelium gepredickt. Ende wy, gelooovende in Chriſtum, gelooven, dat wy niet te doen hebben, als hem voor onſe rechtveerdigmaeckinge te dancken, ende de liefde ende vreugde in ons op te wecken, de welcke onſe verſegelinge is. Dit is niet van den Geeſt der Knechtſchap, de welcke vreeſe maeckte, Rom. 8: 15. maer van den Geeſt der Kinderen, Rom. 8: 14. de welcke in uytnementheyt wert genaemt de Geeſt Godts, de Geeſt der Belofte, Galat. 3: 14. De heerlijckheyt des Nieuwen Teſtaments begint ſoo dadelijck; wanneer wy gelooven: maer de ſelve heeft haren voortganck van heerlijckheyt tot heerlijckheyt. Want wy nemen toe in kenniſſe ende in vernieuwinge ende in heyligmaeckinge en in blijdtſchap. Doch, alhoewel wy van ſtonden aen in Chriſto tot Godt naderen, ende na geenen altaer ofte verſoeninge op aerden meer omſien, ende in Chriſto alles beſitten: ſoo zijn wy nochtans als de geene, de welcke in 't voorhuys gekomen zijnde wel tot het uytterſte toe ſien,

maer

maer niet van na by; ende noch ondertusschen met de werelt ende het vleesch te strijden hebben, 2. Corinth. 5: 1. 2. 3. 4. Alsoo dat wy noch niet eygentlijck en weten, hoe groot en hoedanich de heerlijckheyt sal zijn, de welcke wy sullen genieten, uyt dit lichaem verhuyst ende tot het binnenste gebracht zijnde, daer Christus is voorgegaen. 1. Joh. 3: 1. 2. Den welcken wy sullen sien in sijne gedaente ende in 't aengesigt: ende als dan sullen wy kennen ende metter daet bevinden, hoe dat wy van Godt gekent ende van eeuwigheyt bemint zijn. Dit is het dat den Apostel segt 1. Cor. 13: 12.

Den 26. Augusti Ann. 1660.

EPISTOLA CC.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

DEn Apostel segt 2. Corinth. 12: 11. *Ick ben niet geringer of minder gebleven in eenigh deel, dan de seer uytsteeckende Apostelen, hoewel ick niets en ben.* Wy weten dat geen mensch yets is, ende dat de menschelijcke wijsheyt ofte kracht tot het werck eenes Apostels ende de uytwerckende kragt daer van niet kan doen, 1. Cor. 3: 7. *Noch die plant, noch die nat maeckt, is yets, maer Godt die den wasdom geeft.* alle menschen moeten seggen, als daer is in Psalm. 8: 5. *Wat is van den mensch dat ghy sijner gedenckt ende de Soon des menschen dat ghy hem besoeckt?* want wat waerdigheyt was'er in de menschen, dat Godt van den hemel soude tot haer komen, om van haer gesien ende met handen getast te worden? 1. Joh. 1: 1. 2. 3. Wat is oock de mensch die den adem in sijn neusgaten heeft, en in wat voor een graedt is hy te reeckenen om sich op hem selven te verlaten? De Apostelen te samen, oock de hooghste, wat zijn sy geweest als dwalende schapen van den Harder der zielen versamelt, ende bewaert? 1. Petr. 2: 25. want het geene hy aldaer van andere seght, wil hy oock van hem selven seggen. Petrus werdt van Christo genaemt kleyn geloovige, ja een Satan: soo zijn sy dan op dese wijse alle met malkanderen niets, want hy seght oock ergens anders, dat hy niet waert was een Apostel te zijn, daerom dat hy de Kercke Godts vervolgt hadde, 1. Cor. 15: 9. Hy was niet geweest gelijck de andere Apostelen, de welcke (doe Johannes de Dooper predickte, dat het Koninckrijcke der Hemelen voor de deure was, ende Christum toonde) seer begeerich waren sulcke tijdinge te hooren, ende tot Christum quamen, hem hoorden, ende ondervraegden, Johan. 1: 39--49. Waer uyt blijckt dat sy op de woorden Mosis gelet hadden, ende dat het Woordt Godts in haer was: waer van het tegendeel gesegt wert van de Joden. Joh. 5: 38. dat sy hongerich ende dorstich waren na het Koninckrijcke Godts, ende sijne gerechtigheyt: de welcke sulck een geloove getoont hebben, dat soo haest als sy van Christo geroepen zijn om hem te volgen, alles hebben verlaten om te sien ende te hooren wat Christus leerde ende dede: hoewel dat sy niet meer aen hem sagen, als aen andere menschen. Maer sy hadden geleert, dat'er yemant komen soude, om het Koninckrijck Godts te verkondigen; ende dat Godt een Lam uytgesien hadde, het welcke de sonde der werelt soude dragen: sy wisten dat de tijdt van de toekomste Christi voor handen was; sy hoorden dat sy geroepen wierden tot bekeeringe, ende tot het geloove van het Euangelium; sy wisten dat sulck een woordt niet konde als van Godt komen; sy sagen dat Christus een hertenkender was; daerom geloofden sy aen hem, ende gingen over al met hem, haer bewaringe hem toebetrouwende. Daer en tegen Paulus, hoewel seer neerstich in 't ondersoecken van de Wet, hadde de gerechtigheyt Godts daer in noch niet gevonden, ende wiste niet wat Christus was, ende verdoemde den Heere Jesum, als een overtreder der Wet, ende een Lasteraer; ende meende met sijn doen, ende oock met sulcke vervolgingen, Godt te behagen. Soo mach hy dan wel te rechte seggen, dat hy niets en was in vergelijckinge van de andere Apostelen die voor hem in Christo waren geweest, maer evenwel soo seght hy dat de genade Godts aen hem soo groot, ende soo machtich was geweest, dat de Kercke der Heydenen aen hem niet minder hadt ghadt, als de andere Kercken, tot de welcke de andere Apostelen waren gekomen; ja, dat sy eenichsins meer aen hem hadden gehadt, ten opsichte van sijne wonderlijcke bekeeringe ende sendinge, de welcke alsoo geschapen is, dat men niet kan twijffelen, of Christus selfs, hem verscheenen, heeft hem van sijn vyandt ende vervolger tot sijn slaef gemaeckt. Ten tweeden, sijn lijden, volstandigheyt ende verlossingen. Ten derden, sijn arbeydt. Ten vierden, sijn predicatie van de vryheyt der Christenen, de welcke de andere Apostelen, van wegen de swacke onder de Joden soo niet konden drijven: daerom oock Petrus en Barnabas in de practijck tot Antiochien hebben gestruyckelt, Galat. 2: 12. 13. 14. Ten vijfden, sijne onkostelijckheyt, want hy nam geen onderhoudt van de Kercke, maer onderhielt hem selven met sijner handen arbeydt. Alsoo dat de Heydenen groote redenen hebben, Godt voor sulcke sendinge van sodanigen Apostel grootelijcx te dancken, ende daer over als een sonderlinge benedictie te roemen.

EPISTOLA CCI.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

DEn Apostel in 't begin van 't 3. Capittel, waerschout de Philippensen, dat sy sig souden wachten voor de honden, en sonderling voor die uyt de besnijdenisse zijn, de welcke hy noemt de doorsnijdinge, ende betuygt, dat wy Christenen, de rechte besnijdenisse zijn, de welcke in den Geest, in geloove ende liefde, Godt dienen, ende sig roemen in Christo Jesu, en sig niet verlaten op het vlees. Want die de vleeschelijcke geboden afgelegt hebben, die zijn inder waerheyt besneden, van de voorhuyt harer herten, dat is; niet alleen van de dienst der sonden, maer oock van de conscientie der sonden. Hier stelt hy sig selfs voor als een exempel. die al de dingen, de welcke hy voor andere uyterlijck in sijn vleesch hadde, versaeckt heeft, ende als dreck weg geworpen, om gevonden te worden in Christo. Ende dat 1. op dat hy mochte de ware gerechtigheyt bekomen. dat is, het ware recht om te verwachten en te eyschen het eeuwige leven vs 9. 2. om Christum te kennen, ende altoos aen te sien ende voor sig te houden, als het wit ende het eynde van sijnen wech, ende het object van sijne liefde, ende het fondament van sijn vertrouwen. 3. om te kennen ende te bevinden de kracht der verrijsenisse Christi in sig selven, ende de gemeynschap des lijdens Christi, gelijckformich wordende met sijn doodt: en, ten laetsten, op dat hy mochte komen tot de verrijsenisse der dooden. vs. 10. 11. dat is, dat hy in hem selven mocht bevinden en bespeuren, wat groote kracht dat de verrijsenisse Christi heeft om de menschen levendig te maken. Namentlijck door de doodinge van den ouden en uyterlijcken mensche, ende door den wasdom en de versterckinge van den inwendigen mensche. 2. Cor. 4: 16. Namentlijck dat hy niet alleen eenichsins mochte voelen ende bevinden, dat Christus, de welcke als recht verkregen hebbende om de sijne levendig te maken van den dooden is opgestaen, in hem leve; maer dat hy, soo't mogelijck ware, mochte komen tot de volmaecktheyt der gener, die van den dooden opstaen, en alsoo een volkomen effect en vrucht der verrijsenisse Christi hebben en genieten. Dit gesegt hebbende, doet hy daer by, dat hy't noch niet alles bekomen hadde, oock noch niet volmaeckt was. Want seggende, dat hy om Christi wille hadde alles voor dreck geacht, op dat hy in Christo mochte gevonden worden, hebbende de gerechtigheyt Godts, ende tot de kracht der verrijsenisse Christi komen, mochte iemant dencken, als of d' Apostel wilde seggen, dat hy nu alreede alles verkregen hadde. d' Apostel segt daer toe, Neen. Maer dat hy daer na poogde ende daer na liep om te verkrijgen ende te begrijpen, tot het welcke hy van Christo aengegrepen was. Hy danckt dan Christus, dat hy van hem aengegrepen is, als sijn eygendom; ende hy geeft te kennen, dat hem Christus heeft aengegr[illegible]m te brengen tot iets goets. namentlijck hier in dit leve[illegible] begin der Heyligmakinge ende daer na in de opstandi[illegible]oden tot de volmaecktheyt. Maer, alsoo hy niet en [illegible] Christus hem wilde brengen hier in dit leven, soo [illegible] hy daer na trachte, ende liep, om daer toe te ko[illegible]e hem Christus aengetast en aengegrepen heeft, om [illegible] versuyminge ende onwilligheyt of sorgloosheyt te rugge[illegible]n ende minder te schijnen verkregen te hebben in de [illegible]inge, als daer toe hem de middelen ende leydinge Chri[illegible]hten schijnen te voeren; op dat hy in geen ding mochte [illegible] ende gebreck lijden nevens de gelegentheyt ende middelen [illegible] toe dienende ende leydende. In 't Koninckrijcke Christi is anders niet als genade, gerechtigheyt, heyligmakinge, hulpe. Hier is geen droefheyt, hier is niet, datter te rechte ons kan wederhouden; om niet te soecken gelegentheyt van goet te doen, ende het geselschap der quaede te vermijden. Soo dient dan, datmen hem selfs niet in ongelegentheyt om 't goede te doen, brenge, noch de middelen van 't goede te doen ende het quade te vermijden vermindere. Ende sonderlijck is het in dese sake seer schadelijck, dat een mensche meent, dat hy al ver genoech is gekomen. Daerom segt den Apostel vs 13. *Broeders, ick houde my niet daer voor, als of ick al gegrepen hadde,* dat is, dat ick soo verre gekomen

gekomen soude zijn, door de genade Godts, ende dat voor my niet meer te winnen soude zijn. Alleen (ỳs 14.) *ick vergete, watter te rugge is*, dat is, my dunckt dat ick noch weynig bekomen ende gewrocht hebbe, ende make daer geen rekenschap op, dat voorby is, *maer strecke my henen over tot dat, dat nog voor my is*, tot de aenkomende gelegentheyt ende tijdt, ende tot 't gene dat my noch manqueert, daer in ick wenste volmaeckter te zijn, ende alsoo *achtervolge* ick recht uyt *na het doelwit tot de beloonínge der Hemelsche beroepinge Godts in Christo Jesu:* my al meer ende meer van de aerde ende het lichaem aftreckende, ende afstervende die dingen, die hier beneden zijn, om te bereycken, die dingen, die daer boven zijn, tot de welcke wy van Godt in Christo geroepen, getrocken en gebracht zijn.

EPISTOLA CCII.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

DEn Apostel willende in de persoon van Timotheus alle Leeraers ende Regeerders leeren wat haer werck is ende wat haer toekomt te leeren en te vermanen, begint daer van in 't 1. cap. Ep. 1. ỳs. 3. seggende, dat hy hem te Ephesen gelaten hadde om sommige te waerschouwen ende aen te seggen, dat sy niets anders ofte iets vreemds souden leeren: ende stracx wijst hy aen, waer van dat sy sich hadden te onthouden ỳs. 4. Hy toont, wat het oogmerck van alle leeringe ende vermaninge is, om te weten oft de leere zy de leere die tot de godtsaligheyt dient. ỳs 5. Hy stelt daer tegen de Leeraers van de Wet de welcke sulck een oogmerck misten, en met onnutte overvloedige woorden haer ophielden. ỳs. 6.7.8.9.10.11. daer hy toont hoe men de Wet moet gebruycken; namentlijck, dat men niemant moet veroordeelen, als die, die de gesonde leere des Euangelii tegengaen; toonende in hem selven dat hem Godt barmhertícheyt verleent hadde, ỳs. 12.13.14. daer hy aenwijst hoe de genade Godts in hem was overvloedigh geweest niet alleen in vergevinge sijner sonden, maer oock in het geloove ende de liefde in Christo Jesu, ende daer by, dat Christus om der sondaren wille in de werelt is gekomen. daer over hy Godt prijst. ỳs. 15.16.17. Soo vermaent hy dan Timotheus sijnen strijdt in die beyde dingen, het geloove ende de liefde, met yver voort te setten; hebbende geloove ende eene goede conscientie, sonder de welcke het niet mogelijck is tot het geloove te komen. ỳs. 18.19.20. verstaende dat yemant die daer wil verseeckert zijn van sijn geloove, sich moet bevlijtigen dat te beminnen en te doen dat de conscientie getuyght goedt ende nuttig te zijn, ende te laten, wat niet stichtelijck is. Siet Rom. 12:2. Phil. 1:10. Hier na vermaent hy hoe de liefde te oeffenen is in het gebedt voor alle menschen. cap. 2: 1.2.3.4.5.6.7. item hoe mannen ende vrouwen haer hier in dragen, ende daer toe schicken sullen. vs. 8.9.10. hoe de vrouwen haer schicken sullen in 't leeren, ende anders. ỳs. 11.12.13.14.15. Daer na spreeckt hy van Bisschoppen ofte Opsienders der gemeente, cap. 3: 1.2.3.4.5.6.7. ende van Diakonen ỳs. 8.9.10. en Diakonissen. ỳs. 11.12.13. Hier blijft hy staen, en toont waerom dat hy sulcx schrijft: te kennen gevende, dat den Apostel met allen vlijt niet alleen gesproken, maer oock geschreven heeft, wat tot der Kercken welstant ende der menschen salicheyt dient. en stelt een kort begrijp van de verborgentheyt der godtsaligheyt, dat is, van de geopenbaerde verborgentheyt Godts, de welcke tot het geloove ende liefde leydet. ỳs. 14.15.16. Hier mede sich niet vergenoegende prophetcert hy van de toekomende tijden, ende den afval. cap. 4: 1.2.3.4.5. ende vermaent hem sich vast te houden aen de woorden des geloofs: doch alsoo dat hy sich in de godtsaligheyt oeffene. ỳs. 6.7.8.9.10. Ende hier toe vermaent hy hertelijck, onder anderen hem recommanderende het gestadich lesen van de Heylige Schrift, op dat sijn winst ende toenemen in alle dingen mochte openbaer worden, ỳs. 11.12.13.14.15.16. Hier op leert hy hem, hoe hy sich hadde te dragen in de discipline ende ordre: sonderlick in 't bestraffen van oude luyden ende jonge. cap. 5: 1.2. item in 't aennemen van weduwen. ỳs. 3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16. onder anderen willende, dat de jonge weduwen souden trouwen, om den lasteraer des houwelicx geene gelegentheyt te geven. ỳs. 14.15. Oock spreeckt hy van de eere, die de Ouderlingen, ende Opsienders en Voorstanders, sonderling de Leeraers behooren te genieten. ỳs. 17.18. van 't bestraffen. ỳs. 19.20. Hier besweert hy hem by Godt. ỳs. 21. Oock dat hy niet licht de handen op legge. ỳs. 22. dat hy sijn swackheyt soude te gemoete komen. ỳs. 23. Ende besluyt dat sommiger luyden sonden voor uytgaen ten oordeel, sommiger wel een tijdt lang bedeckt worden, maer eyndelick voor den dach komen, oock dat het goede ende het quade openbaer is. ỳs. 24.25. Ten laetsten spreeckt hy van knechten cap. 6: 1.2. ende wederom vermaent hem dese dingen te leeren, ende daer toe te vermanen, gelijck hy dickwils tot noch toe gedaen hadde. Stelt daer tegen wat voor schade dat daer van komt, soo men wilde iets anders leeren, ende niet komen tot de gesonde woorden Christi, ende de leere de welcke tot de Godtsalicheit dient. ỳs. 3.4.5. ende wat sulcke luiden soecken. ỳs. 5. namelijck dat sy de Godsalicheit voor een middel van winnen achten, ofte veel meer in plaetse van de Godtsalicheit voort te setten vreemde woorden ende questien voor den dach brengen, om daer door iets te winnen. Hier uyt make ick dese leere, dat iemant die met een goede conscientie in 't huys Godts ende met stichtinge wil omgaen, sich houden moet aen dat, dat Godt in sijn Woort geleert heeft, ende dat brengen tot geloove ende liefde, in de welcke de Godtsalicheit bestaet, ende sich hoeden voor onnutte questien ende twistingen; oock, soo veel als 't mogelick is, sich binden aen de manieren van spreken, die de H. Geest gebruyckt, de selve gebruycken in haer eygenschap, na vlijtige ondersoeckinge, ende dat de gene die dat niet doen, zijn opgeblasen, niet wetende, maer sich kittelende in vragen ende woort-strijden; Godt geve dat sulck een quaet mach afgeweert zijn van de Kercke Godts, dat een ieder die daer spreeckt, spreeckt het welcke dient tot geloove ende liefde!

EPISTOLA CCIII.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

DAer is eenig onderscheit onder *gesonde redenen* ofte *woorden*, en de *leere na de Godtsalicheyt*. De leere bestaet in dat, wat te gelooven en aen te nemen voorgestelt wort, in de sake selfs, daer van men ja en neen segt. Maer de *gesonde woorden* zijn sulcke woorden, die goet en bequaem zijn de leere of de sake te kennen te geven en in 't herte in te planten. Den Apostel wil ons 1. Tim. 6: 3. te verstaen geven, dat wy het beide by malkanderen voegen moeten, de waerheit der leere, en de gesontheit der woorden. Wy sullen ons niet inbeelden, dat wy de waerheit konnen behouden, wanneer wy de woorden, die van Godts Geest geleert zijn, verlaten of veranderen of vermengen, met woorden, die ongesont konnen zijn; dat is, 1. die niet hebben de auctoriteit van het getuigenisse Godts genomen te zijn. 2. dobbelsinnig, of onbequaem zijn de sake voor te stellen. 3. oorsake geven te twisten over den sin der woorden. Gesonde spijs maeckt gesont bloet; gesonde woorden maken goet verstant, en hebben daer en boven de auctoriteit, datse van Godt gegeven zijn, en in sijn getuigenisse gevonden worden. Dog de woorden hebbende, moet men oock toesien, dat men den sin daer uyt krijgt, en dat men die niet verdraeit, maer het geestelijcke met het geestelijcke vergelijckende over een brengt. 1 Cor. 2: 13. Het is niet noodig te weten, wat voor luiden (ten tijde, als den Apostel dit heeft geschreven,) de tale of de leere hebben verandert, en op wat maniere: De Apostelen hebben alle vlijt aengewent, dat en de waerheit wel geleert, en oock in 't toekomende mochte behouden worden: en soo 't gebeurde, dat vervoeringe en afval in de werelt ontstonde, de waerheit wederom gekregen en van de leugen onderscheiden konde worden. Daerom is 't dat den Apostel meermael vermaent heeft, dat men sig wagten soude 1. voor andere leere. dat is, leere, die niet gegrontvest is in 't fondament der saligheit, en door Godts Woort niet kan bewesen worden. Want, men moet sig houden aen Godts Woort, dat uitgegaen is in de geheele werelt, ende aen het fondament daer mede alles moet over een komen, en uit het welcke alles moet voort komen. 2. voor andere woorden en andere tale. die sonder Godlijcke auctoriteit en sonder kracht is. en woort-twistingen. ja oock daer toe dient, dat men de manieren van spreken, die de Geest Godts gebruickt, niet ondersoeckt, niet verstaet, qualijck verstaet, en alsoo het Woort Godts onnut wert. Het welcke de droevige ervarentheit betuigt. Wy weten dan, wat den Apostel gesegt heeft: nemen 't als of het ons gesegt ware: alhoewel oock in het begin al vele geweest zijn, die daer op soo niet hebben gelet; ja kort na de Apostels tijden gespeurt is, dat de genen, de welcke als Leeraers van andere zijn gehouden, en de gaven van welsprekentheit hebben gehadt, sig veel hebben toegelaten te seggen en te doen, het welcke uit menschen wijsheit is voort gekomen. het welcke is een aenleidinge en voortsettinge des afvals geweest.

EPISTOLA CCIV.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

IN 't lesen van het 11. Capittel aen de Hebreen is te letten op het oogmerck des Apostels. namentlijck hy wilde de Hebreen brengen tot de belijdenisse en 't gebruyck der vryheyt der Christenen. Hy wilde, dat sy sich niet souden achter houden, ofte ontrecken, ofte oock tot den bergh des huyses, het welcke met handen gemaeckt was, als tot haren toevlucht en versekertheyt houden met de ongeloovige Joden: maer met gedult de hulpe Christi verwachten. de welcke dien bergh en dat huys soude ruineren met de gene, die sich daer aen hielden. Tot sulcken eynde toont hy vs. 1. wat het geloove is, ende daer na, dat de Vaders door sulck een geloove hebben getuygenisse der rechtvaerdigheyt bekomen, sonder dat sy of tempel, of bergh, of aerdtsch vaderlandt of erfdeel gehadt hebben; ende voorts, dat oock onder de Wet de gerechtigheyt uyt het geloove geweest is: ende ten laetsten, dat alle Vaders gestorven zijn sonder de belofte van Christi verschijninge, ende de voldoeninge, ende de volmakinge, die daer mede vergeselschapt is, te verkrijgen; op dat de geloovige Hebreen mochten dese volmakinge waernemen, ende niet verachten, noch de selve met de Joden verachtende omkomen. Hy stelt dan voor eerst eene beschrijvinge des geloofs. om te toonen, ende dat de geloovige lijdsaemheyt van noode hebben, ende, dat de Ouden door het geloove hebben het getuygenisse der gerechticheyt bekomen. Want soo het geloove, waer van Habacuc 2: 4. gesproken wort, is eene daerstellinge ofte sijn selfs vergewissinge van 't gene men hoopt, ende een bewijs ofte tooninge van 't gene men niet en siet: soo is 't openbaer; dat de geloovige moeten gedult hebben, en dat, de welcke op belofte gesien hebben, door het geloove hebben getuygenisse der rechtvaerdigheyt bekomen. Want met het geloove op de belofte hebben sy God ge-eert, ende hebben daer op gehoopt, ende hebben de gerechtigheyt uyt de wercken niet gehadt. Hy gaet verder, ende segt, dat men door het gelove aenmerckt dat alle dingen uyt niet zijn voortgebragt. Niet als of sulx niet soude kenlijck zijn uyt de geschapene dingen (Siet Rom. 1: 20.) maer om dat den mensch niet anders kan gebracht worden om Godt te soecken, oock in de creaturen, als door het Woort, door 't welcke Godts genade aengekondigt wert, ende door 't geloove, door 't welcke den sondaer begint Godt wederom te beminnen. Sonder welcke liefde niemant de wercken Godts kan alsoo aenschouwen, dat hy gaern daer in vinde Godts almogentheyt, wijsheyt, heyligheyt, gerechtigheyt, waerheyt. Daer na spreeckt hy van Abel vs. 4. in wien openbaerlijck niet anders, als het geloove, het getuygenisse Godts heeft verkregen. Hier op volgt Enoch vs. 5. De welcke den doodt niet heeft gesien, en heeft getuygenisse bekomen, dat hy Godt behaegde, ofte gelijck als Moses segt Gen. 5: 22. dat hy met Godt gewandelt heeft. De Griecksche tale beduyt het selve met behagen, het welck soo veel is, als Godt dienen, sijnen wille ende welbehagen doen. Den Apostel stelt daer voor oock dese woorden, tot Godt komen, Godt soecken. vs 6. Nu uyt dit getuygenisse, dat Moses aen Enoch geeft, wil den Apostel bewijsen, dat Enoch sulck een getuygenisse door 't geloove bekomen heeft. De reden is dese, dewijl het onmogelijck is sonder geloove Godt te behagen, of te dienen, ende sijnen wille te doen. Hier moet nootsakelijck niet verstaen werden, een hoope op beloninge van wercken, ofte dat men niet twijffelt, dat de wercken belooninge hebben. Want dat is eygentlijck niet het geloove. als te sien uyt vs. 1. ende soo soude den Apostel hem selfs tegen zijn: Oock soo kan niemant uyt sulck een meeninge gerechtveerdigt worden. Want soo iemant weet, dat de mensche, die de geboden doet, daer in leeft, ende de geboden niet perfectelijck doet, soo wort hy door dese wetenschap van sijne verdoemenisse overtuygt. Soo moet dan verstaen worden het geloove van de genade en de hope van het beloofde. Den Apostel spreeckt van den mensche, so als hy in sich selfs is van sijne geboorte, uyt den val. Geen mensche kan sonder geloove den wil hebben om God te behagen, ende een Gode aengenaem leven voeren, hem soecken, ende tot hem komen. Want die tot Godt komt, om hem als sijnen Godt te dancken of te dienen (verstaet, een sondaer,) moet nootsaeckelijck gelooven tweederley. 1. dat God is. ende soo moet hy door liefde Godts gemerckt hebben op Godts wercken, (siet vs 3.) ende alsoo Godts Woort hebben, door 't welcke hy beweegt wort Godt te beminnen. Doch, om de woorden des Apostels des te beter te verstaen, moet men aenmercken, dat Godt te kennen geeft, niet alleen een eeuwig wesen, almogentheyt, onsterfelijckheyt, goetheyt, wijsheyt, gerechtigheyt, heyligheyt te hebben, maer oock soo rijck te zijn, dat hy kan met eere, en met waerheyt, en met lof zijn de Godt des sondaers. Welcke rijckdom hier in bestaet, dat Godt de Vader de Soon eeuwichlijck heeft, dien hy kan geven tot een verlosser. Siet Col. 2: 2. 3. 2. dat hy een belooner is der gener die hem soecken. dat is, dat Godt wil van den sondaer gesocht ende om vergevinge ende de gave der gerechtigheyt aengesproken ende als een gever der selver gelieft ende ge-eert werden. alsoo dat den sondaer niet van Godt wech gestooten werde. Om dit nu te gelooven, moet vast gestelt worden, dat Godt den rijckdom sijner genade in sijn Soon belooft heeft te betoonen. Hier uyt volgt dat Enoch met Godt wandelende in geloove ende danckbaerheyt heeft geleeft, ende door het geloove het getuygenisse der gerechtigheyt heeft bekomen. Hier dient by gevoegt Hebr. 7: 26. daer wy geleert werden, dat het den sondaer niet en betaemt tot Godt te komen sonder Hooge Priester. Siet Jerem. 30: 21.

EPISTOLA CCV.

J. B. Joh. Coccejus.

Mijn Heer.

IN de plaets Hebr. 11: 39. 40. is een heerlijcke ende uytstekende reden, ons in 't kort schoone dingen leerende. Ten eersten leert de selve, dat alle de Ouden hebben eene saligmakinge verwacht. dat is, dat sy verwacht hebben den Saligmaker, de welcke soude komen, ende met sijne gehoorsaemheyt, lijden, ende sterven, een oorsake der eenwiger saligheyt worden allen den genen die hem gehoorsaem zijn. Hebr. 5: 9. Uyt welcke plaets te verstaen is, dat de volmakinge des Saligmakers door lijden, Hebr. 5: 8. en Hebr. 2: 10. is de saligmakinge of verlossinge. Ten tweeden leert de plaets Hebr. 11. dat al de Ouden zijn gestorven sonder de selve saligmakinge ofte verlossinge, de welcke belooft was, nevens de beloofde goederen des Nieuwen Testaments, Hebr. 8: 6. in haer leven (het welck haer verlangen was) te verkrijgen, op dat sy in de volmaeckte hope mochten na by tot Godt komen. Hebr. 7. 19. Want hier wordt niet gesegt, dat sy na haer dood niet souden zijn in de heerlijckheyt opgenomen, 't welck soude zijn tegen 't gene den Apostel betuygt. Hebr 2: 10. Daer de woorden alsoo dienen gelesen: Veel kinderen in de heerlijckheyt ingebracht hebbende. Hebr. 12: 23. daer hy segt, dat wy onder het Nieuwe Testament zijn gekomen tot de Geesten, dat is de zielen der volmaeckte gerechten: ende tegen andere getuygenissen meer, maer, dat zy gestorven zijn niet bekomen hebbende (vergelijckt vs. 13.) namentlijck in haer leven voor hare dood, dat, daer sy na verlangden. te weten, de beloofde saligmakinge ofte verlossinge door Christum. Ten derden, dat de selve nochtans, na den geest, ofte ziele, na de doot zijn tot volmaecktheyt gekomen sonder hare kinderen, de welcke op aerde noch in de verwachtinge der saligmakinge, 1. Pet. 1: 10. 11. ende de vreese des doots, ende de slavernye haer leven hebben moeten doorbrengen. Hebr. 2: 15. Sy dan, de welcke uyt het lichaem zijn gegaen, zijn opgenomen tot Godt in Heerlijckheyt. Psal. 49: vs 16. Ende alsoo volmaeckt geworden, en zijn in het Hemelsche Jerusalem, dat is de Borgery van Jerusalem overgeplaetst in den Hemel. Ten vierden, dat alhoewel sy getuygenisse van rechtvaerdicheyt door het geloove gekregen hebben, gelijck als Abraham, nochtans voor ons onder het Nieuwe Testament wat beters van Godt is bereyt (Hebr. 8: 6.) in dit leven te genieten: Namentlijck dat sy niet sonder ons sijn volmaeckt, maer wy hier in dit leven op aerden, met haer volmaeckt zijn. Hier wert niet gesproken van iets dat sy ende wy te gelijck sullen genieten, gelijck de Socinianen ons willen wijs maken, als of den Apostel wilde seggen, dat sy ende wy eerst in de opstandinge der dooden tot de eeuwige heerlijckheyt souden komen. Daer in souden wy dan geenen voortocht hebben ende niets beters verkrijgen. Maer, hier wort gesproken van 't geene wy onder het Nieuwe Testament beters in dit leven verkrijgen, dan sy in dit leven gehadt hebben: Namentlijck, dat wy met ende nevens haer volmaeckt zijn door den Geest des kintschaps, door de verkrijginge der rechtveerdichmakinge ende door vryheyt. Sy hebben niet konnen volmaeckt worden door de offerhanden, de welcke sy dagelijcx offerden, Hebr. 10: 1. Haer is de weg tot Godt in gerechticheyt te naderen niet geopent. Hebr. 9: 18. 10: 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Sy zijn van de vreese des doodts en der slavernye niet verlost. Hebr. cap. 2: 15. Maer gelijck sy door de doodt van alle den toorn, die de Wet wrogte, verlost zijn ende tot Godt in zijn huys opgenomen, alsoo hebben wy in ons leven rechtveerdigmakinge

V vryhey

vryheit ende verlof om in Christo gelijck als Priesters tot God in een kinderlick vertrouwen te naderen, met hope van alles te verkrijgen. Dat is dan een beter goet voor ons, dat wy in 't leven met hare Geesten gemeen hebben, het welck wy niet moeten hier op aerden missen, gelijck sy op aerden sulck een goet ende sulcke genade hebben moeten missen. Daerom wert gesegt. Galat. 4: 26. dat het bovenste Jerusalem onse moeder is. ende dat het Hemelsche Jerusalem op der aerde neder gedaelt is. Apoc. 3: 12. 21: 2. Gelijck als een stadt van den top eenes bergs sich in het dal uytstreckt, ende om de Hemelsche met de Aerdtsche te vereenigen, gelijck Ephes. 1: 10. gesegt wort, dat in Christo die in den Hemel zijn, met die, die op aerden in Christo zijn, tot een somma gebragt zijn.

Quæ sequuntur, inter schedas p.m. Parentis reperta, manu ipsius exarata, charactere eas non ultimi temporis meditationes esse satis indigitante, an sint extemporanea observata, memoriæ juvandæ causa in custodes chartas conjecta, an vero Epistolarum argumenta, prorsus ignorabam: adeoque an publico committenda essent dubitabam, quum metum vicit Amicorum, quorum magni mihi semper auctoritas, judicium, illa non sine fructu edi posse judicantium ut excerpta Epistolarum. quum apposito magis loco vix destinari possent. Tuum erit illa benigne accipere, Benevole Lector, & cum iis quæ alibi scripta sunt conferre, quo collatione facta vel illis vel hisce lux fiat, iteratæ meditationi fructus respondeat: & continuas curas scientiæ augmentum comitari pateat.

EPISTOLA CCVI.

Quæstio. An Deus sit adorandus ad altare, in quo Cœna administratur, vel ad ipsa symbola, tanquam signa præsentiæ Dei. Resp. 1. Deus non est adorandus ad quodcunque, in quo præsens est. v.g. in homine, animali, arbore. &c. 2. Neque Deus est adorandus ad quodcunque testatur communionem ejus: quemadmodum in Vet. Test. adorabatur ad partem victimæ & mensam, in qua ea manducabatur, licet esset κοινωνία θεῦ. vid. 1. Cor. 10: 18. Tantum enim 3. adorabatur ad symbola regni sui, tanquam ad thronum, & ad symbolum ejus, per quod & ex quo est communio. Adorabatur enim ad templum & arcam, tanquam thronum regni inter Israëlitas; & ad altare, ut medium unionis Dei & gratiæ ejus, quanquam illa erant temporalia. Sic Deus adorandus est in Christo, ut medio unionis Dei & communionis eum ipso, & quidem in cœlo, tanquam throno, residente. Quia non habet amplius regnum carnale in certa gente, sed universale in toto mundo & spirituale. 4. Adoratio Dei ad signum sive ad thronum corporalem est veteris servitutis; non novæ libertatis. Johann. 4: 23. 5. Quemadmodum olim idololatria erat, signa sibi facere præsentiæ Dei ad eum adorandum in illis, præter illa, quem Deus ipse fieri jusserat: ita multo magis sub Nov. Testam. ubi Deus de nullo signo quicquam præcepit, sed expresse animos (& gestus consequenter) jussit ad cœlum convertere, ubi Christus est sedens ad dextram Dei. Nam *adorare ad aliquid* nihil aliud est, quam gestibus externis testari fidem signi istius, ut spectabilis testimonii Dei de regno suo inter homines; & medii saltem externi ad participationem gratiæ, saltem temporalis; figuræque efficacis veri medii unionis eum Deo ad communionem gratiæ spiritualis.

EPISTOLA CCVII.

1. Tim. 3: 15. στῦλος καὶ ἑδραίωμα. Triplex explicatio.

I. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, non sustentans veritatem, sed ostendens. Quia enim certum est Ecclesiam unam perpetuam fore ad finem usque: certum est etiam, quod ea veritatem sit custoditura & testatura in perpetuum. Veritas igitur per Ecclesiam custoditur & cognoscitur. Ita tamen ut vicissim ea vera Ecclesia agnoscatur, in qua perpetuum unius divinæ veritatis testimonium reperitur. Non obstante autem, quod Deus velit esse semper Ecclesiam veritatis indicem & ei credentem, potest fieri, ut multi veritatem Scripturæ asserant & tamen vel non credant vel in interpretatione ejus errent. Vide Rom. 3: 2. 2. Potest etiam dici, Ecclesia, h. e. qui nomen Christi nominant, si ;it, quod esse debet, est index & testis veritatis. Ergo longe abest à falsitate. Ut igitur hoc fit, allaborare debent ejus rectores.

II. Ecclesia est Columna veritatis tanquam baseos suæ, inædificata illi: & ἑδραίωμα ejusdem, per quam scil. confirmatur, ne possit labefactari. q.d. Si vis Ecclesiam retinere, retine veritatem. quia veritas, illam ἑδραιοῖ. Apud Græcos nomina in μα sunt ut plurimum significativa termini actionis. ut ἀντίληπμα, ὁ ἀντιλήπτης; δημιούργημα; ποίημα, ὁ ποιητής; δικαίωμα, ὁ δικαιοῦ. & s. Ita etiam ἑδραίωμα, ὁ ἑδραιωτὴς τῆς ἀληθείας.

III. Non Ecclesia, sed τὸ μυστήριον est columna &c. sic Camero.

Ut vero Ecclesia dicitur στῦλος, ita Simon vocatur Petrus sive lapis.

EPISTOLA CCVIII.

1. Cor. 10: 2. Comparatur Baptismus cum transitu per mare rubrum. ut enim Israëlitæ per mare, quod nemo salvus & vivus naturaliter transire potest, vivi transierunt: ita fidelibus est transitus per mortificationem carnis ad vitam spiritualem, quem notat Baptismus. Et quemadmodum nos baptizamur in Christum mediatorem ad vitam æternam: ita Israëlitæ baptizabantur in Mosen mediatorem ad hæreditatem terrestrem (atque ita typum Christi) itemque ut Prophetam de Christo testantem. Ergo & Baptismus noster & transitus per mare rubrum idem significant.

EPISTOLA CCIX.

1. Petr. 3: 21. Baptisma confertur cum Diluvio. ut enim per diluvium modo supernaturali Noah cum suis servatus est ad vitam corporis, ita per mortificationem carnis fideles servantur ad vitam Spiritus: secundum exemplum mortificationis & vivificationis Christi, ℣. 18. cui per baptismum concorporamur. atque hinc est, quod dicit baptisma nos salvare per resurrectionem Jesu; quia scil. baptismus obsignat unionem & communionem cum illo. Interim distinguit in baptismo opus operatum, quod est depositio sordium corporis, à fine baptismi, qui hic est, ut sit bonæ conscientiæ ἐπερώτημα in Deum, h. e. ut fiducia illius tanquam pignoris bona conscientia, sive homo fidelis sine hypocrisi haberet à Deo stipulari & exposcere Salutem & vitam æternam, eandem, quam dedit Christo. Ergo ἐπερώτημα dicitur illa res, in qua, sive per quam fit ἐπερώτησις, interrogatio, stipulatio, postulatio.

EPISTOLA CCX.

Originem Idololatriæ ostendunt nobilissimi loci Job. 31: 26. & Deut. 4: 19. 20. nimirum 1. Est in hominibus naturalis quædam reverentia τοῦ κριτοῦ & expectatio Judicii ab illo; unde existunt cogitationes, se accusantes aut excusantes &c. Deus enim notificavit suam potentiam æternam & divinitatem Rom. 1: 19. 20. 2. inde existit voluntas colendi numen ad assequenda bona necessaria & jucunda. 3. Deus autem ad se quærendum pro ἀφορμῇ dedit gentibus opera sua sive creaturas Rom. cap. 1: 20. in primis eas creaturas, per quas omnis vitæ tenor & commoditas administratur; ut sunt Sol, Luna, sidera &c. Deut. 4: 19. Actor. 14: 16. 4. In his gentes subsistunt, quia non habent revelationem familiariorem, quæ est in Ecclesia Deut. 4: 20. & verorum bonorum ignari sunt atque incuriosi, omni concupiscentia propendentes in hæc quæ vident. 5. Cum vero intelligant numen sine dubio optimum quid esse, mente autem nihil melius posse fieri; & sine ratione ac consilio non putarent servari istum à Luminaribus ordinem, ac tanta effecta produci: in sideribus istis mentem adoraverunt. 6. Hinc factum, ut eam Rationem, quæ regeret astra, imagine hominis (quod solum animal rationale noverant) repræsentarent. Hinc imagines Phœbi, Dianæ, Martis, Veneris, figurâ humanâ. 7. Quinetiam procedente errore fieri potuit (quod & Ovidius satis clare indicat) ut putarent nobilissimos quosdam homines eadem anima, qua certa quædam astra, regi, vel saltem affines aut cognatas illis habere animas: unde Heroum Dei filiorum prosapia introducta est, & ἀποθεώσεις sive relationes inter divos

divos & numerum stellarum consecutæ sunt. Quid mirum igitur, ad signa illorum hominum cultum divinum factum esse? 8. Denique permisit ad fœditatem Idololatriæ ostendendam eos eousque abjici stultis cogitationibus, ut in specie quadrupedum omnium, quæ scilicet vitam & peculiarem quendam instinctum habent, divinitatem adorarent. De signis autem istis hæc fuit ipsorum opinio, per dedicationem & carmina quædam effici, ut numen, quod sibi fingebant, iis adesset & quasi inhabitaret, & in illo tanquam præsens sibi honorem cultumque exhiberi vellet: quemadmodum etiam nunc Pontificii dedicatione sua templorum, altarium, statuarum præsentiam aliquam singularem Dei aut Divi conciliari putant. Homo enim per peccatum factus brutus omnia revocat ad sensus suos & oculorum libidini obsequitur.

EPISTOLA CCXI.

MAtth. 3: 15. *Oportet nos implere omnem Justitiam*, h. e. oportet non tantum alios, sed etiam me, qui ad hoc veni, ut voluntatem patris facerem, omni ordini ipsius subjici & sacramenta ab ipso instituta honorare. Justitia enim dicitur hic justum factum, quod rectitudinem convenientiamque & decentiam includit. Cæterum baptizabantur à Johanne Israëlitæ in regnum cœlorum appropinquans; nim. quod exuta peccati conscientia & servitute legali jam jam essent in libertatem vendicandi. Ab iis autem, qui erant sub captivitate peccati (licet secundum legis literam justi essent) exigebat pœnitentiam & fidem in eum, qui post se venturus esset. A Christo autem hoc non exegit, sed ipsum esse testatus est, qui Spiritu baptizaret. Interim Christus baptismum suscepit, ut ea re testaretur se fidem habere Patri suo, quod mox à peccatis hominum, quæ Sponsor susceperat, liberandus per passionem, & deinde regnum justitiæ & libertatis exorsurus esset. Amplius: Hæc unius ceremoniæ cum cæteris pœnitentibus usurpatio, notat ipsorum unionem & communionem cum ipso. Dictum baptizasse Johannem in regnum cœlorum appropinquans (vide Matth. 3: 2.) hoc baptismus ita obsignabat. Ablutio significat justitiam: submersio (quæ mortificationis symbolum est) significat libertatem. Nam qui moritur liber est. vide Rom. 7: 1.

EPISTOLA CCXII.

ADoratio est actus humiliationis respectu præstantioris & à quo quis quovis modo dependet. Ita adoramus sive honoramus sapientes, potentes, bonos, ob præstantiam quæ in ipsis est, & Magistratus sive Principes nostros, tanquam eos, qui jus habent in nos & à quibus status noster dependet. hæc adoratio civilis est. At religiosa adoratio, est submissio adversus omnium præstantissimum & à quo dependemus in omnibus. uno verbo. est significatio vel quoddam exercitium humiliationis sive timoris, amoris, fidei, fiduciæ, spei, gratiarum actionis, laudis &c. Ergo objectum adorationis necessario est Deus. Formalitas autem hujus objecti est ipsius tum præstantia infinita, tum virtus atque efficacia, per quam dependemus ab ipso: quemadmodum aliorum actuum objectum est sub alia ratione. Similiter res visibilis objectum est visionis, quatenus radiat. Per consequens Filius Dei est objectum adorationis, quatenus dependemus ab ipso & quatenus testamur reverentiam & fidem erga ipsum: nimirum non tantum ratione divinitatis suæ, sed etiam ratione officii mediatorii & beneficiorum inde fluentium. Neque tamen sequitur, si Filium Dei adoramus, ut mediatorem; ergo adoramus humanam naturam: quia humana natura non est proprie subjectum officii mediatorii; sed persona Filii; humana autem natura propriè est instrumentum functionum aliquarum mediatoris personæ ipsius unitum; neque tum demum factus est mediator, cum cœpit esse homo, sed per Spiritum æternum Hebr. 9: 14. ab æterno fuit. Quanquam autem honor filii Dei ad humanitatem ejus redundet: tamen proprie humanitatem Christi in se ipso non adoramus cultu religioso; quia semper eam consideramus, ut instrumentum functionum mediatoris & illam extra personam filii Dei non consideramus: fere eo modo, ut corpus hominis (quamvis sit pars humanæ naturæ & totius hominis ut unius personæ ex duabus incompletis substantiis anima & corpore compositæ) non honoramus in se & per se, sed propter partem hominis nobiliorem cui inservit, tanquam organon.

EPISTOLA CCXIII.

ACtor. 22: 16. *Surge, baptizare & ablue peccata tua invocato nomine Domini.* In Sacramentis sive Sacris symbolis hoc obtinet, ut symbolum externum visibile sit loco rei significatæ, & tantundem valeat ad fructum atque ipsa res significata; atque ita quodammodo sit ipsa res significata. Hinc panis dicitur corpus Christi, quia ad certitudinem unionis nostri cum Christo tantundem valet hic panis, atque si quis ipsam carnem Christi manducasset & in substantiam suam convertisset. Ideoque quæ sunt signi, dicuntur de significato; & vicissim, quæ rei significatæ, dicuntur de signo. Ita de Spiritu sancto dicitur descendisse de cœlo, visumque & spectatum esse; quia columba symbolum Spiritus integri amoris descendit & visa est Baptistæ. Eodem igitur modo dicitur Aqua abluere peccata, quia ad certitudinem remissionis peccatorum tantum valet per verbum Dei, quantum valere posset, ipso Christi sanguine tingi: & quia ob istam causam aliquo modo Aqua est idem cum Sanguine. Observandum interim, hic non intelligi remissionem peccatorum, quatenus est gratiæ & reputationis divinæ, sed quatenus est in pace conscientiæ; vel non quatenus est in abolitione reatus, sed quatenus est in absolutione conscientiæ & ablatione timoris. Præterea notandum, in textu hic esse duo verba Mediæ formæ, quæ sæpenumero actionem reciprocam, aliquando etiam admissionem actionis in se notat. Ita *βάπτισαι* potest esse, *sine te baptizari*, & *ἀπόλουσαι*, *sine te ablui peccata tua*, h. e. à peccatis tuis. Copulativa autem *καὶ*, quæ intercedit, est pro ὥστε *& sic*, sive, non tantum copulat, sed etiam illustrat aut explicat.

EPISTOLA CCXIV.

JOh. 3: 5. *Nisi quis nascatur ex aqua & Spiritu*, hoc est, nisi quis per gratiam justificationis à peccatis & pœnitentiæ, itemque sanctificationis, sive vitæ novæ in Christo fiat novus homo. Nam Aqua hic non significat symbolum, quasi per illius usum regeneratio proprie fiat, (quippe quod regenitis datum est ad consolationem sive bonæ conscientiæ stipulatorium in Deum 1. Petr. 3: 21.) sed significat purgationem à sorde peccati, quæ fit remissione reatus contracti & mortificatione carnis atque concupiscentiæ ejus. Ita Spiritus significat virtutem & efficaciam Spiritus sancti in vivificatione Novi Hominis. conf. 1. Joh. 5: 6. Ez. 36: 25. 26. 27. Convenit, quod Christus dicitur *baptizare in Spiritu & igne*, Matth. 3: 11. h. e. dare fidem & charitatem. Summa: baptismus non est causa regenerationis, sed signaculum justitiæ regeneratorum, sive credentium: quemadmodum circumcisio erat signaculum Justitiæ Abrahami, quam adeptus erat in præputio: Rom. 4: 11.

EPISTOLA CCXV.

DE Urim & Thummim. Ita appellabatur Pectorale Sacerdotis, in quo erant gemmis incisa filiorum Israëlis nomina, ut coram Deo comparens hisce nominibus integram gentem suam Deo veluti repræsentaret, seque pro ipsis aut ipsos in sua persona Deo sisteret. Erat igitur figura amoris Christi & sponsionis ejus pro Ecclesia. Amplius; erat signum officii Prophetici, & doni Prophetiæ. Interrogantibus enim Deus, si populo suo iratus non esset, per Sacerdotem tanquam Prophetam ordinarium respondebat. Vide saltem Joh. 11: 51. & hoc dicebatur respondere per Urim & Thummim, sive respondere per Ephod aut Stolam sacerdotalem cum enim precaturi Deum essent, ut respondere ipsis vellet, Stola illa cum pectorali induebantur, sacramentum scilic. non aspernantes, ut fidei fulcrum. Hic igitur etiam figura Christi est; ita electos & redemptos suos Deo patri offerentis, ut eis Spiritum veritatis & sanctitatis impetret, quo & *illuminentur* & in *viam veram* ducantur. Recte igitur hujus rei sacramentum appellatur *lux* & *integritas* à duplici isto Spiritus sancti dono, quod & illuminat & in viam ducit. Quod vero luces & integritates in Plurali dicitur significat perfectionem. Ne quid desit idem Pectorale sacramentum Spiritus judicii, atque ita officii Regii: unde & Pectorale judicii appellatur Exod. 28: 15. Nota, Gemmæ *lucidæ* & *pellucidæ* sive *limpidæ* vocantur. *Lux* & *Integritas*, ut Symbola per similitudinem. Sic Pectorale vocatur *Judicium filiorum Israël* Exod. 28: ℣s. 30. Distinguuntur autem à nominibus Israëlitarum sive tribuum ℣s. 29. & 30. Qui duo versus egregie illustrant dicta. Porro cap. 39. de Urim & Thummim nulla mentio est; quoad vocabulum, sed quoad rem tantum sive materiam.

EPISTOLA CCXVI.

ROm. 9: 5. *ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς.* *ἐπὶ πάντων εἶναι* est omnibus præesse, omnia in potestate habere. Actor. 8: 27. Duplex constructio locum habet in verbis. 1. *Θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων εὐλογητὸς.* sub *ὤν.* & 2., *ὃς ἐστιν ἐπὶ πάντων Θεὸς*

τοῦ Θεοῦ εὐλογητὸς. ut non simpliciter dicatur εἶναι ἐπὶ πάντων, sed εἶναι ἐπὶ πάντων Θεὸν. Sic Eunuchus ὁ ἐπὶ τῆς γάζης sed non ὁ ἐπὶ τῆς γάζης κύριος. Hoc modo subjectum prædicationis est Christus. Ratio autem hujus constructionis retinendæ est, quia id postulat distinctio. τὸ κατὰ σάρκα. Ergo alio respectu non est ex Israële, sed super Israëlem. Ad scopum quoque maxime facit. Prærogativam enim Israëlitarum maxime arguit, quod ex illis est Christus Deus. sed si aliter legas, erit extra scopum.

EPISTOLA CCXVII.

2. TIm. 2: 19. ὁ στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν ἔχων τὴν σφραγῖδα. D. Petitus ad עקר refert. quod est proprie *radix*. Sed hic sumitur metaphora à firmo & immobili fundamento, seu lapide firmiter posito, ita ut loco moveri non possit. Sic vocatur decretum Dei de ἀναστάσει. Signum autem additur, quia solebant cippis & lapidibus (in notam positis) inscribi tituli. Ita huic decreto suum adest sigillum : quo id vendicatur Deo. nim. 1. amor Dei erga electos. Resurgent enim, quia amat, & sunt ejus, & est Deus illorum, ut videant ipsum. 2. præceptum, quod importat judicium. Si est præceptum de pœnitentia, erit judicium. Si erit judicium, erit resurrectio. Si nominans nomen Christi debet absistere ab injustitia; Ergo erit separatio justorum ab injustis. Si hoc, ergo resurrectio. Ut igitur per titulum noscitur lapis fundatus & causa ejus; ita per hæc duo certissima noscitur decretum ἀναστάσεως.

Prov. 10: 25. justus dicitur יְסוֹד ita quævis res stabilis, ut decretum, declaratio, potest יְסוֹד dici. Jam declarationi convenit sigillum.

EPISTOLA CCXVIII.

JOh. 14: 28. ὁ Πατήρ μου μείζων μού ἐστι. Nunc sum servus humilis & afflictus : Pater meus est in gloria & de ejus testimonio in Mose & Prophetis nemo dubitat. Quum igitur venero ad Patrem ; ero ipsius æqualis: & glorificabit me Pater ea gloria, quam habui apud ipsum ante jacta mundi fundamina. Est ergo quod gaudeatis meo discessu ad Patrem & non tristemini.

EPISTOLA CCXIX.

1. COrinth. 2:14.15.16. ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου; ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. Verbum ἀνακρίνειν est ad cognitionem & judicium revocare, quæstionem habere de persona & re. Hic autem de gratia Euangelica agitur, quod per Spiritum Dei novimus, quæ sunt data nobis, & exploramus probamusque omnia. Hoc differt regenitus, qui Spiritum Dei habet, ab irregenito animali, quod hic non habet lumen, quo agnoscat veritatis indolem & characterem sive εἰκόνα, neque etiam habet normam, secundum quam spiritualia discernat. Quis enim novit mentem Domini ex se ipso, sine Spiritu ejus? At regeniti habent Spiritum Dei à quo illuminantur, ut animadvertant veritatem & à falsitate discernant, & deinde omnia ad primam spiritualem veritatem, quæ scil. est fidei in Deum per Christum (v.g.) omnem spiritualem veritatem & falsitatem quovis fuco incrustatam comparent, atque ita explorent, dijudicentque omnia. Sicut autem spiritualia ab animalibus ad examen revocari non possunt, ita nec spirituales aut eorum actiones. Nota; Omnis spiritualis examinat & carnalem. Ergo quivis spiritualis est Judex. Non est igitur unus, qui omnes judicet, suo quasi privilegio solus hæres Spiritus. neque extat promissio de spiritu alio judici universali & alio singulis dando.

EPISTOLA CCXX.

INterrogatus de sensu prophetiæ Bileam. Num. 24: 17. 18. 19. respondi, Duplex ejus subjectum esse, videl. duplex regnum ex Israëlitica gente proditurum. 1. Civile, quod maximam partem per Davidem & posteros ejus administratum est : quod, quamvis illustre esset, tamen ad alterum haberet instar Stellæ ad Solem. De quo regno dicitur, quod plaga depressurum sit angulos Moabi, ỷ. 17. quodque ejus hæreditas futura Idumæa & Seir &c. ỷ. 18. ubi interpretatio est, *Israël faciet strenuè*. 2. Spirituale Christi, quod rectissime dicitur *Sceptrum* κατ' ἐξοχὴν, & *surgens* ad standum scil. in oppositione *Stellæ procedentis* & cum nocte sua decedentis (דָּרַךְ) ỷ. 17. Idem innuitur, quum dicit, *dominabitur* aliquis *ex Jacobo*. ỷ. 19. De eo dicit, quod tanquam *parietem suffossurum* & dejecturum sit *omnes filios Seth*. h. e. quod eo usque proficiet, ut hostes omnes judicentur. Nam filii Adami judicati sunt in diluvio, servatis aliquibus filiorum Seth, inter quos erat profanus Cham patriarcha infidelium & hostium Dei : sed per Christum omnes judicabuntur. ỷ. 17. adeo ut nemo (hostium scil. ex ỷ. 18.) *superstes* futurus sit, quem non *perdat* & privet *urbe* ac munitione sua. ỷ. 19. Ergo ỷ. 17. duo subjecta distincta & eorundem distincta prædicata sunt. & ỷ. 18, ac 19. est exegesis naturali ordine constans. *Edom erit hæreditas & Seir hostes ejus (stellæ)* h. e. occupabuntur, *& Israël proficiet* ac strenue aget ỷ. 18. Hactenus Civile regnum. *Tum dominabitur* aliquis *ex Jacobo*. Spirituale regnum Christi. Judicium succedit. *& perdet superstitem ex urbe*. h. e. faciet perire ex urbe & munitione sua omnem, qui ullo tempore reliquus erit de hostibus, usque dum nemo sit superstes. עִיר pro munitione vide Eccl. 7: 19.

EPISTOLA CCXXI.

מְכַשֵּׁף Exod. 22: 17. מְכַשֵּׁפָה לֹא תְחַיֶּה Idem vocabulum Deut. cap. 18: 10. inter alia affinium criminum nomina, qualia sunt Conjector, nubium speculator (astrologus, Chaldæus) ominator (מְנַחֵשׁ οἰωνὸς, οἰωνοί. Vide Num. 24: 1.) & מְכַשֵּׁף *præstigiator*. & incantator (vide Psalm. 58: 6.) & interrogans ἐγγαστρίμυθον & haruspicem, aut consulens mortuos. Ex quo liquet, esse מְכַשֵּׁף de illorum genere, qui deserto Deo & Verbo ejus ad opem & verbum dæmonum confugiunt sive ad cognoscendum & prædicendum obscura & futura, sive ad mira patrandum &c. Chaldæus interpres per חַרְשִׁין plerunque vertit. quod vide Esai. 3: 3. & videtur generale esse, τεχνίτης, τέχναι. LXX. φαρμακὸς, φάρμακον, φαρμακεύειν, φαρμακεία reddunt ex hoc verbo & derivatis. Sed Græci hujus ex Hebræo petenda est interpretatio. Nam in Septuaginta interpretibus & iis auctoribus, qui eorum lingua loquuntur, hoc censenda sunt valere interpretamenta, quod primigenia. Sic δόξα valet Græce, quod Hebræis כָּבוֹד &c. Porro pro Synonymo adhibetur חַרְטֻמִּים Exod. 7: 11. Verum & hoc obscurum. Est enim vel Ægyptii aut Chaldæi vel Persici idiomatis. Aben-Esra ad Exod. 7: 11. definit, מְכַשְּׁפִים דָּבָר הַתּוֹלְדוֹת מְהַפְּכִים לְמַרְאֵה הָעַיִן *qui mutat rem naturalem ad aspectum oculi*. De חַרְטֻמִּים addit יוֹדְעִים סוֹד הַתּוֹלְדָה *qui norunt secretum naturæ*. Sed hoc culpandum non est. Idem ad Mich. 5. ỷ. 11. כְּשָׁפִים dicit esse מַעֲשֵׂה תוֹלְדָה *opus naturale*. Sed, ut apparet, hoc nimis tenue est. Nisi per μίμησιν loquitur. Professores enim curiosarum artium naturæ vim & physicam potentiam in suis secretis solent jactare. Alias enim crimen non habet, si quis virtute naturalium causarum ea efficiat, quæ vulgus imperitum stupeat. Quænam professio sit מְכַשְּׁפִים φαρμακῶν, apparet ab Exod. 7: ỷ. 11. ubi vocantur hoc nomine, qui Mosi obsistebant, dum facerent similia, atque Moses fecerat. Quanquam enim revera baculos suos in serpentes non verterint, tamen non fuit oculorum fascinatio aut elusio. Quippe serpens ex baculo Mosis factus serpentes ex baculis Magorum factos revera devoravit. Neque adeo naturalis effectus fuit. Sed susurris & cerimoniis suis absque dubio dæmonum ope effecerunt, ut serpentes (sublatis baculis) in medio essent. Dan. 2: 2. מְכַשְּׁפִים vocati sunt, ut indicarent Nebucadnezaris somnium. Merito ut diis, scil. familiariores indicarent, quæ alia nulla arte cognosci possent. Esai. 47: 9. 12. כְּשָׁפִים appellantur instrumentum, & medium majora inexspectata & mirabilia patrandi. Quale opus est ægrotantem sanare, valentem, vivum languidum facere vel interimere, corpus adversus ictus munire, mala avertere, hostes concitatos coërcere, homines violentia quadam occulta ducere (vide Nah. 3: 4. Qualem φαρμακείαν Theocritus ludit. Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον, ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.) & simil. Talis μάγος, כַּשָּׁף, vel מְכַשֵּׁף erat Simon. Nec Veteres Rabbini aliter usurpant, quam de illis, qui per symbola, characteres, ritus, adjurationes vel etiam occultarum conjunctionem causarum ea efficerent, quæ naturaliter effici non possent. Vide Exc. Gem. Sanhedrim cap. VII. §. X. ubi vox כְּשָׁפִים ponitur generaliter, ut continet aliquid illicitum, aliquid item, ut illi putant, illicitum quidem, sed quod non punitur ; & penitus licitum. Penitus licitum, ut quod fit vi nominis Tetragrammati : si Deo placet. Illicitum, sed non punibile, oculorum retentionem volunt. Illicitum sub pœna, opus facere. At quale opus?. Ib. מַעֲשֵׂה כְשָׁפִים & מַעֲשֵׂה שֵׁדִים *opus dæmoniorum & opus magiæ* contradistinguuntur. nim. ut solet generale nomen poni in contradistinctione speciei certæ, ad notandam alteram speciem imprimis, quæ certo nomine caret. (Sic מָאוֹר וָשֶׁמֶשׁ Psal. 74: 16.) Sunt enim כְּשָׁפִים partim *opus dæmonis*, partim *opus naturæ* aut agilitatis.

agilitatis. Porro Syrus כְּשַׁף, & אֶתְכַּשַּׁף est *orare*. Sive magi ab orationibus & mussitationibus dicantur, sive oratio à μαγεία (quod minus probabile.) Nam μαγεία non sine ἐξορκισμοῖς, adjurationibus, adorationibus, mussitationibusque efficiebatur. Recte annotat Baal Turim ad Exod. 22:17. רוֹב כְּשָׁפוֹת עַל יְדֵי זְבִיחָה לֵאלֹהִים אֲחֵרִים *Plurimum magia fit per sacrificia diis aliis oblata*. Sunt autem *dii alii* δαιμόνια, 1. Cor. 10:20. Deut. 32:17. Psal. 106:37. Atque hinc est, quod כְּשָׁפִים cum idololatris, superstitiosisque aliis conjungi solent. Et, si attendas, cum aliæ Scripturæ propheticæ tum Apocalypsis per כְּשָׁפִים & φαρμακεῖς nihil aliud quam idololatras, superstitiosos, quique doctrinam dæmoniorum secuti in ritibus, signis, verbisque confectionem gratiæ, justitiæ, salutis aliorumque bonorum, qualis est conservatio Ecclesiæ & sim. ponunt. Nam quid aliud est idololatria & superstitio quam dæmonis adoratio, obsequium, & fides ad consecutionem bonorum, aversionem malorum, patrationem operum? atque ita pura puta μαγεία vel φαρμακεία? Et ut Babylon propria divinationibus & artibus magicis dedita fuit (unde numeri Babylonii & Chaldæi) ita mystica doctrinâ dæmonum & hypocrisi infatuans homines & mentes fascinans φαρμακεία in Sacr. literis arcessitur passim. Vide Esai. 47. Apoc. 18: vs. 23. & cap. 21:8. 22:15. De Ninive Nahum. 3:4. Quemadmodum autem fuerunt אֹבוֹת, qui πνεῦμα δαιμονίου habuerunt ad μαντείαν, Actor. 16:16. ita sane fuerunt, qui mirabilia aut quæcunque opera patrarint ad bonum vel ad malum ope dæmonum solicitata aut devincta certis verbis, ritibus, signis, sacrificiis, atque ita vel tacitam vel expressam cum illis societatem iniverint. Atque ex illis fuisse ἐγγαστριμύθους, quorum vel phantasiam occuparet Satanas vel etiam corpora transferret, minime dubitandum est. talesque omnino homines in lege sub hac voce damnantur ad mortem. Neque enim aliud, quod illa vox significet, reperiri potest, si adjuncta, & synonyma, & interpretamenta, & effecta diligenter consideres.

EPISTOLA CCXXII.

MAtth. 5:22. *Ego autem dico vobis, Omnis irascens fratri suo temere, reus est judicio*. τῇ κρίσει, scil. θανάτου. Non loquitur Christus de externa disciplina Ecclesiæ (multo minus de politica) quia sciri non potest semper, an quis temere suo fratri irascatur. Ira enim in corde est, & hic distinguitur ab ea, quæ in verba erumpit. Per κρίσιν autem intelligit מִשְׁפַּט מָוֶת judicium *mortis*. Ita enim statim vs. 21. ὃς δ' ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. Homicida autem tenetur judicio mortis. Subjicit Christus. *Ego autem dico vobis, Irascens tenetur judicio*, nim. illo judicio, quo vos putatis tantum homicidam teneri: quia dictum est, *Non occides*. &c. His agit Christus legis interpretem, damnat propriam hominis justitiam, illam Pharisaicam scilicet, idque ad excitandam veram pœnitentiam & studium obedientiæ plus quam Pharisaicæ in renatis & justificatis. Hoc autem dicit: Quemadmodum vos cognoscitis, secundum literam legis, eum legis violatorem esse & peccatum morte dignum (sic loquitur Apostolus Rom. 1:32.) commisisse: ita ego vobis dico, quod vos non cogitatis, Iram temerariam peccatum mortale esse. ne putetis, ullum peccatum esse veniale. Quandoquidem autem aliquis cogitare posset, an igitur omnia peccata sint paria? procedit ad graviora, & ostendit, si ira procedat ad κρίσιν fratris (quod significatur per vocem רֵקָה vel רֵיקָא) ut fratrem contristet, id mereri κρίσιν συνεδρίου. h. e. illud peccatum in æquali damnatione esse apud Deum, atque apud homines sunt Apostasia & Seductio, de quibus ἡ βουλή, τὸ συνέδριον τῶν ἑβδομήκοντα solet cognoscere. Συνέδριον minus, quale erat in singulis urbibus, hic intelligi non potest: quia alias ἔνοχος τῇ κρίσει (quod ex vs. 21. explicandum de κρίσει θανάτου, quæ à minori Synedrio decerni poterat) & ἔνοχος τῷ συνεδρίῳ unum idemque essent. Porro si quis ultra pergat, & fratri suo dicat μωρέ, (solebant dicere Judæi per contemtum שׁוֹטֶה שֶׁבָּעוֹלָם Vide in Megil. Taanith. c. 8.) h. e. si contemnat proximum eique scandalum ponat & provocet ad peccandum, is jam ita reus est, ut is reus habetur, qui jam non ab hominibus tantum judicandus; sed & à spe vitæ æternæ exclusus haberi solet. quasi diceret, quantum igitur erit apud Deum, injuriam facere, violare, blasphemare, persequi, calumniari, fraudare, & quæ sunt his duriora? quæ à Deo habebunt certam vindicationem, æque atque apud homines homicidium vindictam habet, licet illa apud hosce insuper haberi soleant; nisi quidem resipiscant. Quare & Deo remittenti eo major gratia in sincera humilitate ac displicentia reddenda vobis est, & solicitius, quam Pharisæi faciunt, cavendum conandumque & à Deo petendum, ut vel à temeraria ira, multo magis à judicatione & contemtu proximi ad scandalisandum cum longe absitis.

EPISTOLA CCXXIII.

JAcobus Stratius in libello de Sacrif. Missæ sect. 3. c. 7. §. 1. hoc agit, ut demonstret, consentaneum esse sapientiæ divinæ, magis ut panis Eucharistiæ fit transsubstantiatus in Corpus Domini, quam ut maneat Panis. Rationes, quibus utitur, sunt hæ.

Prima ratio, Quia applicatio redemtionis non debet fieri minus magnifice quam ipsa redemtio. Minus autem magnifice fieret per frustum panis atque haustum vini, quam per ipsam realem & localem præsentiam corporis & sanguinis Dominici.

Resp. 1. Omitto hic, quæ Auctor dicit circa magnificentiam Redemtionis, quæ sine dubio magnificentissima est. Sed nos tamen ita sentimus, Non potuisse redemtionem nostri fieri vel per alium hominem purum de novo creatum, vel per Angelum, vel per qualemcunque satisfactionem, vel etiam per guttulam sanguinis vel sudoris filii Dei (quod Auctor imperite dictat) sed DECUISSE DEUM ut non nisi per Filii sui, in carne nostra sub legem facti, obedientiam usque ad mortem crucis nos redimeret & justificaret. Vide modo Heb. 2:10. & seq. 17. Hebr. 5:8. 9. ubi satis clare docetur Tales passiones pertinuisse ad *Consummationem Sacerdotis*. Item Heb. 7:26. Multo igitur melius sentimus de magnificentia Redemtionis, quum docemus secundum Scripturas, Non potuisse Deum virtutes suas in redemtione nostri patefacere, nisi nos redimeret per obedientiam Filii sui, ejusdemque fratris nostri, quæ obedientia esset perfectum δικαίωμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων h. e. justitia & legis impletio tum ratione meriti ad acquirendum præmium, tum ratione satisfactionis ad abolendum reatum.

2. Quod ad applicationem attinet, Ea fit magnificentissime. scil. per gratiosam donationem, ratione judicii; per fidem ratione medii: per Spiritum sanctum tum ratione insitionis, ut simus in Christo unum cum ipso & communionem omnium bonorum ipsius habeamus, tum ratione confirmationis tanquam per arrhabonem: per Verbum & Sacramenta ratione notificationis & generalis & specialis, non tantum ad intelligentiam & recordationem qualemcunque sed & ad certitudinem & consolationem perpetuam.

3. In Sacramentali obsignatione non minus consentaneum est à Deo adhiberi panem & vinum, quam speciem h. e. (ut moderni Romanenses interpretantur) simulacra & accidentia panis & vini. Nam præterquam quod Deus suavissime condescendit infirmitati nostræ, panis manducatus & vinum potum sunt aptissima ad hanc gratiam communionis spiritualis, quam habemus cum Christo, ut hostia pro nobis oblata & consequenter ut capite nostro, per fidem, nobis non tantum significando intimandam, sed etiam vi verbi Christi (hæc symbola loco carnis suæ semel fractæ, nunc gloriosæ, & sanguinis effusi substituentis) sigillatim omnibus credentibus & justitiam esurientibus & sitientibus obsignandam ac certificandam. Vide 1. Corinth. 10: vs. 16. 17.

4. Quum omne Sacramentum sit signum, quod præter speciem ingestam sensibus aliud facit in mentem venire & sigillum; non convenit divinæ sapientiæ id velle esse signum vel sigillum quod nullo sensu percipi potest: quemadmodum est corpus Christi sub accidentibus latens. neque etiam dare corpus Filii sui deglutiendum ei, qui non habet communionem corporis Dominici. Nam, ut Antiqui cecinerunt, quod sumitur, sumunt boni sumunt mali. Sorte tamen inæquali, Vitæ vel interitus. Si & mali deglutiant corpus Christi, deglutitio ejus non facit nos unum cum Christo. Si hoc, quare deglutitur?

Secunda ratio, Quia Ecclesia Christiana non debet habere minus, quam Ecclesia Israelitica. Atqui Israelitæ habuerunt Manna, cibum Angelorum, quod est plus quam panis.

Resp. 1. Manna vocatur panis Angelorum Sapient. 16:20. ex Psalm. 78:25. cui concinit Psalm. 105:40. Recte hoc explicat Stratius, *Angelorum panem* vocari, quia per Angelos præparabatur. Ibi noto, Hoc proprium corporali Mannæ fuisse & eo ipso distingui à vero & vivificante Manna Christo, qui quidem de cœlo descendit, sed non est cibus præparatus per Angelos. Icirco male *Panis Angelorum* vocatur caro Christi.

2. Certe Christiani aliquid melius habent, quam Israelitæ. Israelitæ habuerunt Manna & mortui sunt: Christum ipsum verum & vivificum cibum cœlestem non habuerunt: Quem nos datum & exhibitum habemus. Vide Joh. 6:32. ut jam possimus dicere, quemadmodum in Spiritu prævivit Esaias, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis*. Esai. 9:5. Vide & Matth. 13:17. Joh. 1:17. Actor. 13:32. 33.

3. Si comparemus symbola, nos etiam plus habemus quam illi. Illi videbant panem de cœlo labi; quo confirmabatur spes Christi venturi: quæ spes solabatur ipsorum servitutem, tristitiam & metum. Nos habemus panem fructum terræ, ne amplius

plius dicamus, Quis ascendet ad cœlum, h. e. abnegemus Christi descensum de cœlo; & quasi cogamus eum descendere ad faciendum ea quæ sunt Mediatoris. Deut. 30: 12. Rom. 10: 6. sed eundem Christum, quem Veteres habebant in spe sub figura panis, consideremus &, cum vera lætitia cordis, recordemur ut fructum terræ per incarnationem factum; & in hostiam oblatum.

Tertia ratio est, Quia anima est spiritualis substantiæ. Igitur non convenit ei panis & vinum vulgare: sed potius Corpus & Sanguis Domini, quæ quidem & ipsa in se non sunt idonea ad nutrimentum animæ, sed quia divinitati unita sunt.

Resp. 1. Paulus 1. Cor. 10: 3. 4. Manna vocat cibum spiritualem: Potum ex petra fluentem vocat spiritualem: Petram ipsam vocat spiritualem: quia scil. in spirituali mysterio hæc erat Christus. Ita omnia Sacramenta, aqua Baptismi, panis Cœnæ, sunt res in se corporales, mysterii causa spirituales, quia Spiritus sanctus spiritui nostro per eas res nobis aliquid significat, commemorat, obsignat.

2. Nutrimentum animæ sive id, quod animam nutrit, est ea res, quæ animæ vitam & lætitiam conciliat. Ea est, primo, filius Dei se ipsum hostiam offerens ad reconciliandum nos Deo & justitiam ac vitam nobis promerendum. Atque ita nobis proponitur in S. Cœna, ubi Corpus fractum pro peccatis, sanguis effusus pro multis, denique mors Domini recordanda indigitatur. Certe hoc modo Corpus & Sanguis Christi animæ nostræ nutrimentum sunt; etiamsi non sint res substantiam spiritualem habentes. Secundo, Ipse Deus, quo fruimur. Tertio, Verbum Dei & Sacramenta quatenus eis tanquam signis anima vivificatur. h. e. adjuvatur ad conversionem, fidem, spem, consolationem, lætitiam, amorem Dei, omnes denique spirituales virtutes.

3. Non negamus, nos *divinæ participes fieri naturæ*, 2.Petr. 1: ℣. 4. h. e. habere communionem cum ipso Deo: sed hoc permirum est, quod Stratius insinuat, Eucharistiam esse cibum spiritualem, non quia panis est Corpus Domini (Nam & hoc esse terrenum & revera corpus fatetur) sed quia hoc spiritui unitum est. Oportebat igitur Christum dicere, Hic est spiritus meus, non, ut dixit, *Hoc est Corpus meum*; siquidem volebat indicare divinitatem suam esse cibum animæ nostræ.

4. Ineptum est, quod præsupponit, non nisi spiritualem essentiam esse cibum spiritualem sive animæ: &, quod porro sequitur ex illo discursu, deglutiendo corpus nos ali per divinitatem Christi. Nam, nec infideles deglutientes sic nutriuntur, nec ipsi fideles hypostatice cum divinitate Christi uniuntur. Non minor est improportio animæ nostræ ad divinitatem, quam rei corporeæ ad animam. Vera autem communio, quam habemus cum Deo, per Spiritum fidei perficitur, & Sacramento obsignatur. Atque adeo quod Christus dicit Joh. 6: 63. *Caro non prodest quidquam, Spiritus est qui vivificat*: non hunc sensum habet, quem fingit Auctor, Caro mea hanc vim vivificandi non habet quia caro est, sed quia divinitati unita est, sed illum, quem verba præ se ferunt & locus postulat. Carnem quamvis comedere utile est, sed Spiritus vivificat & facit nos concorpores Christo pro nobis mortificato & resuscitato ad justificationem nostri. Quod tantundem est ac si dixisset, Caro mea spiritualiter comeditur, quum quis per Spiritum Dei credit in me mactatum & resuscitatum ac in cœlum evectum.

Quarta ratio, Quia convenit medicinam esse proportionatam malo. Eva incredulitate peccavit, Ergo medicina fieri debet fide Corporis sub accidentibus panis latentis. Ergo panis non est, sed corpus latet sub panis accidentibus.

Resp. Hanc rationem esse irrationabilem. Nam Sacramentum non est medicina, sed est sigillum medicinæ certitudinem faciens. Medicina item non est fides latentis sub panis accidentibus corporis, sed Christi sacrificium in cruce semel peractum. Morbo nostro recte opponitur sanitas, incredulitati fides. Quærere medicinam extra verbum Dei in fide corporis occultati sub accidentibus panis, non est sanitas sed imitatio primorum parentum multas cogitationes invenientium. Eccl. 7: ℣. 29.

Nos in eo perseveramus, ut cum Veteribus dicamus Panem esse figuram Corporis Christi, quæ figura eo fine singulis fidelibus datur à Christo, ut non minus certi essent, se communionem habere cum Christo, quam si physice Corpus Christi in ipsorum substantiam, ut cibus & potus transiisset. Unde & communio corporis Christi appellatur à S. Paulo 1. Cor. 10: 16. Matth. 24: 26. 27. *Quare quando dicent vobis, Ecce eum in eremis* (apud Monachos) *nolite exire. Ecce eum in penetralibus* (templorum) *nolite credere. Quia sicut fulgus exit ab Oriente & LUCET usque ad Occidentem, ita erit ADVENTUS Filii hominis.* Non lego, invisibiliter sub accidentibus Panis.

EPISTOLA CCXXIV.

Quæsitum est: Numquid habeat incommodi, si quis dicat, Animam Hominis esse non creatam ex nihilo, sed ex materia, nimir. ex Spiritu illo, qui animat & vivificat totam massam materiæ sublunaris: & nihilominus ita fixatam esse à Deo, ut non intereat, aut corrumpatur, sed immortalis maneat.

Respondi in hanc sententiam. I. Temere asseri, quod absque ratione vel auctoritate asseritur. Jam nulla vel Scripturæ auctoritas vel ratio physica suadet, ut hoc recipiamus. Dictum est: Verbum יצר quod est *plasmare* dici de animarum conditione Zach. 12: 1. Respondi: Aliud ibi indigitari, quam primam hominis conditionem. Præfari prophetam prophetiæ de regno Christi. Ideoque allegari extensionem cœli & fundationem terræ, ut intelligatur Christi solium esse cœlum, scabellum pedum terram: Deum esse omnium dominum, & non tantum inter Judæos, sed & inter gentes velle coli. Addi deinde, non creationem hominis, sed potestatem quam Deus habet in hominis animos, ut figulus, ut ex duris & lapideis cordibus possit facere carnea. Esseque metaphoram à figulo. quæ occurrit & Psal. 33: ℣. 15. & explicatur Roman. 9: 20. 21. 22. 23. 24. ubi eadem res tractatur. Deinde, etiamsi de productione animæ agatur, verbum יצר non semper præsupponit materiam aut subjectum; sed notat tantum rei productionem in certa figura, forma ac specie. Sic יצר *figmentum hominis* dicitur cogitatio, consilium, propositum hominis.

II. Ex hac sententia sequi Animæ corruptibilitatem. Dicebatur. Non impossibile esse Deo ex corruptibili facere incorruptibile. Regestum est: Manere dubitationem, An Deus voluerit ex anima corruptibili facere incorruptibile. De corpore quidem nostro novimus & scriptum est, Deum suo tempore post corruptionem ejus id resuscitaturum ad incorruptionem. De anima autem ad ἀφθαρσίαν traducenda aut traducta nihil legitur. Confirmatur hoc argumentum. quia materia illa animæ, quantumcunque nobilis sit aut subtilis, semper retinebit potentiam ad priorem formam, ut forma animæ destructa, vel illa vel alia reintroducatur. Destrui autem formam animæ, vel formam animæ ab illa materia separari posse, tam rationabile est opinari, quam certum est, animam separari à corpore. Nihilo enim plus virium animam habere cognitum est, ad uniendam sibi materiam suam in æternum, quam ad corpus. Denique ex corruptibili produci naturaliter incorruptibile, nihilo minus est, quam priori annihilato produci aliud novum. Nam qui materiæ adimit potentiam ad diversas formas, eam ipse videtur destruere. Quamquam aliud est loqui de gratia & virtute Dei uniente materiam (habilem ad diversas formas) & certam formam perpetuo; aliud de naturali productione entis naturalis incorruptibilis ex materia corruptibili. Hoc enim citra depositionem materialitatis, quæ est in potentia recipiendi diversas formas, fieri non potest.

III. Ista opinio contrariatur Scripturis. Quæ testatur 1. quæcunque res productæ sunt ex materia, eas jussam esse edere materiam; ut terram, aquam. Quod de hominis anima non legitur. 2. productionem corporis humani & animæ diversissimam esse. & quidem 3. immediatam. *Inspiravit.* quod quid aliud est, quam ex se, h. e. ex nulla alia materia sed ex manu & virtute sua infudit? Spiritus est spirantis immediatus effectus. Unde 4. dicitur *Dedisse animam*, Ecclef. 12: 7. alia scil. ratione, quam corpus dedit. Nam utriusque productio discrete & opposite ibidem indigitatur. Illius, sumtio ex pulvere (unde & *pulvis* corpus vocatur per metonymiam materiæ emphaticam) hujus datio à Deo. Item 5. Deus Pater Spirituum dicitur in oppositione patrum Corporis. quo ipso ut Deus corporum nostrorum creator non negatur, sed mediatio patrum nostrorum, qui materiam præbent, ei adjungitur; ita patribus nostris adimitur, quod conferant quicquam ad nostram essentiam præter id, unde fit caro. 6. Scriptura ex eo ipso, immortalem esse animam nostram & ad eum, tanquam judicem, redire, ut suscipiat, prout patravit in corpore, probat, quia Deus non sumsit illam ex terra, ut corpus, sed dedit illam. Eccl. 12: 7. Ex causis dicendi semper est sumenda dictorum interpretatio. Jam Solomon ibi, ut concludat omnia in judicium ventura, præsupponit, animam redire ad Deum. Hoc autem ex eo, quia dedit eam. Quod si ex materia esset, æque ut corpus, quantumvis meliori & perfectiori, illa oppositio, ut & argumentatio, aut non valeret aut magnam saltem pateretur *brevem*. Ad extremum opinionem illam nemo facile amplectatur, nisi & maximis argumentis impellatur, & tam ponderosis rationibus per evidentiores & sufficientiores valeat satisfacere. Et subest periculum, si quis opinionem hanc plausibilibus sed non sufficientibus rationibus ingerat, & immortalitatem animæ non quidem

quidem neget, sed nec certis argumentis probet, ne videatur velle docere, animam mortalem esse.

EPISTOLA CCXXV.

QUæsitum est, quænam Aquæ sint *superiores*, indigitatæ Gen. 1:7. Respondi; Aquæ, quæ sunt in nubibus, omnisque adeo humor, qui supra terram per totum aërem est. Quæ res quanquam sine magno negocio astrui possit, tamen, ut fiat negocium primæ creationis & ordinis ejus paulo illustrius, quædam præterea consideranda hîc sunt. I. Nubes vocari *aquas* in Scripturis, vel dici, aquas esse in nubibus. Argumento Jer. cap. 10:13. Psalm. 18:12. Psal. 104:3. Job. 26:8. 36:27.30. ubi dicitur Deus *se integere radicibus maris*. 38:34. & 37. ubi nubes vocantur *utres cœli*, quia quasi continent aquam instar utrium. II. Eam regionem mundi, in qua sunt nubes, vocari in Scripturis *cœlum* sive potius *cœlos*, quia nomen singulare non habent Hebræi, quod dicant οὐρανὸν *cœlum*. Nomen enim Hebræum est compositum ex שָׁם *ibi* & מַיִם *aquæ*. quia Homo intuens stupet, *ibi* esse *aquas*, à quo stupore cœlum est appellatum שָׁמַיִם, sive Deus ut nomenclator præiverit in hoc Homini primo, sive dicatur Deus ita opus illud appellasse, quia naturam condendo homini in perpetuum certo, videlicet hoc & simili, nomine appellandi opera sua occasionem præbuit. Porro, quod dixi, regionem mundi, in qua sunt nubes, vocari *cœlum*; patet ex Jerem. 10:13. & ex eo, quod *aves cœli* dicuntur, quæ volitant in aëre, Matth. 6:26. Psalm. 8:9. item, quod Paulus se raptum dicit *ad tertium cœlum*, 2. Corinth. 12: ℣f. 2. Est igitur *aër* primum cœlum. Porro tertium etiam *cœlum cœlorum*, quasi cœlum plures cœlos complectens dicitur. Psalm. 148:4. III. Aquas, quæ sunt in aëre, revera, sensu nostro attestante, distinctas esse ab aquis, quæ sunt in conceptaculis terrenis: eamque distinctionem fieri mediante firmamento, hoc est, tum virtute ejus atque corporum, quæ sunt in eo, tum interpositione ipsius, saltem quoad partem non parvam. Concludimus igitur eas aquas, quas firmamentum dividit ab aquis aliis, quæ sunt infra firmamentum, eas, inquam, ipsas esse aquas, quæ dicuntur esse supra firmamentum. Sed hîc quædam objiciuntur 1. phrasin, מֵעַל לָרָקִיעַ Genes. 1:7. & מֵעַל הַשָּׁמָיִם Psal. 148:4. *supra cœlum* non posse salvari, nisi totum cœli corpus interpositum dicamus inter divisas aquas. Resp. I. phrasin hanc æque posse salvari, atque eam, qua dicuntur aves, quæ sunt in cœlo, volitare *supra* vel *super faciem cœli*; Gen. 1: ℣f. 20. quæ tum etiam dicuntur volitare *super faciem cœli*, quando volitant infra nubes. II. In eandem difficultatem incidere eos, qui dicunt, aquas aëris atque ita *cœli* sive *cœlestes*; esse aquas, quæ sunt מִתַּחַת לַשָּׁמַיִם *infra cœlum*. Genes. 1:7. Atqui fatentur esse eas in cœlo & ad tertium milliare Germanicum distare à terra, quanquam illi scire non possint, in quantam altitudinem nubes gravi tempestate sint exædificatæ. Imo Scriptura dicit, Deum iis aquis solium suum, hoc est cœlum superius sepire, circumvallare & involvere. Psalm. 18. Job. 26. Jam si מֵעַל *supra* infert totius corporis interpositionem. consequenter מִתַּחַת *infra* inferet totius corporis cœlestis ὑποκάτω. III. Notandum est, etiam dici, *infra terram* & *infra aquam*, etiam communi sermone, quod nobis non apparet supra terram aut supra aquam, licet non magna particula terræ aut aquæ interponatur. Similiter igitur dici potest *supra cœlum*, quod nobiscum non attingit terram, sed aliquanto intervallo in cœlo à nobis separatur. Idque eo magis, IV. quia ut aquæ & terræ quælibet pars dicitur aqua & terra, ita & quælibet pars vel regio saltem cœli cœlum in Lingua Hebraica dicitur. Verbi causa, illam regionem, quæ est intra nubes, si determinate indigitare vellem, οὐρανὸν sive שָׁמַיִם appellarem. V. Quis dixit Auctoribus alius sententiæ, cœlum primum sive infimum altius ultra nubes efferri; vel nubes aut humorem aqueum non pervagari totum cœlum aëreum; vel omnino quis limes sit illius regionis, quam Scriptura primum inter cœlos appellat? Obj. 2. Psalm. 148. res cœlestes à terrestribus distingui. Inter terrestres vero poni grandinem, nivem, vaporem. Ejusdem naturæ esse aquam pluviam. Ergo inter terrestres numerandam esse. Resp. 1. Non est verisimile, Psalten, qui tam distincte istis singulis rebus celebrationem Dei imperat, aquam pluviam vel nubium, si inter res terrestres referret, omissurum fuisse, cujus ad beneficium humani generis tantus & tam necessarius usus est. II. Nives & Grando illhic memorantur, non quatenus ex aqua pluvia sunt, sed quatenus in terra sunt, & in ea effectus suos producunt, vel incubando ad fotum, vel prosternendo ad judicium. Vapor autem, quatenus ex terra modo prodit. Ita hæ res revera terrestres sunt: neque pertinent ad aquas distinctas ab inferioribus aquis. Atque omnino hæ res commemorandæ erant singulariter, quia circa terram à natura aquæ ac specie discedunt & peculiarem formam induunt, pluvia autem est mera aqua, quæ quatenus è nubibus est, per aquas super cœlestes recte intelligitur; quatenus macerat terram, per abyssos. Ob. 3. Gen. cap. 2: 6. peculiariter & ascensum vaporis ex terra describi ad producenda germina. Germinum autem productionem esse tertiæ diei, ut distinctionem aquarum secundæ. Diversa igitur esse. Resp. Genes. 2:6. est ἐπεξήγησις operis cum conditi hominis, tum productarum plantarum. De hoc docet, quod antehac in historia ἑξαημέρου non docuerat, nimirum, plantas productas esse mediante vapore, qui ascenderit ex terra & irrigaverit omnem faciem terræ. Affirmate enim lego, non negate cum Junio. Nam & durum est ex longinquo repetere לֹא *non*, aliis jam interpositis; & quo fine adjungeretur, & *irrigavit omnem faciem terræ*? Negantis erat dicere, nec vapor ascenderat, qui irrigaret terram, simpliciter, scil. in ulla parte. Deinde manifeste Psalm. 104:13. ante productionem germinum irrigationem ponit. Esse autem ibi repetitionem τῆς ἑξαημέρου ex toto Psalmo liquet. De quo mox. Is igitur *vapor* non est alius, quam quo nubes coguntur ad aliquandam pluviam. Argumento Job. 36:27. *Quis minutatim attrahit stillas aquæ, fusuras imbrem, in vaporem suum*? Cæterum quo die istud factum dicemus? Equidem dixerim, *Secundo*. Puto enim diei secundæ opus terminari quidem distinctione aquarum, sed in ea & productione firmamenti totum non esse: verum etiam distinctionem maris ac aridæ eo pertinere. Quanquam autem post diem secundum ea narretur, tamen, *Et vidit, quod bonum esset*, non nisi narrata distinctione maris & aridæ additur. Conveniens autem erat non ob ordinem dierum, sed ob ordinem operis narrari ante productionem germinum fundationem terræ. Est igitur וַיֹּאמֶר non *Et dixit*, vertendum Genes. 1:8. sed *Et dixerat*, *congregentur*. Quod si non admittimus, eodem jure probabo ex Gen. 2: ℣f. 7. 8. 9. Hominem esse creatum ante paradisum, & hunc ante productas arbores. Quod absurdum. Nec tamen putes in secundo die plane prætermissam esse fundationem terræ; quia in eo ipso, *quæ sunt infra expansum*, id virtute continetur. Significat enim, ita fuisse infra expansum, ut nunc sunt; collectas scil. in sua conceptacula. Loquitur enim quasi digito eas demonstrans. Hoc est igitur opus secundi diei, creatio expansi, fundatio terræ, distinctio aquarum. Porro quomodo distinctio aquarum facta sit & cur, declaratur cap. 2. nim. dum vapor adscendit ex terra, qui irrigaret totam terram. Non sine testimonio Mosis hoc statuo. Clare enim ostendit, quando id factum. Affirmate. Quo die perfecit Deus *cœlum* h. e. firmamentum, & *terram* h. e. aridam (sic enim appellavit. Unius diei hæc) Negate. *Et antequam omnis frutex agri esset in terra*, &c. *quum non pluisset* (ut ordinarie fieri solet, dum longis pluviis maceratur terra ad fructificationem) *et homo non esset, qui coleret*, ut item ordinarie fieri solet, *tum vapor ascendit, et* uno tempore *irrigavit totam terram*, &c. Frutex & herba est opus diei tertii, ante illum dies secundus. His plane concinit Psalm. 104. ubi *Lux* opus diei primi, ℣f. 2. *Cœlum*, *Aqua*, *Nubes* &c. opus diei secundi, ℣f. 3. Venti & Ignis inde. ℣f. 4. *Fundatio terræ*, ℣f. 5. 6. 7. 8. 9. 10. cum fine 11. 12. Irrigatio terræ. ℣f. 13. Dehine productio Germinum, opus diei tertii. ℣f. 14. 15. 16. 17. 18. Sol & Luna quarti. ℣f. 19. 20. 21. 22. 23. Productio Animalium in terra, ℣f. 24. & in mari ℣f. 25. 26. opus diei quinti & sexti. Ex quo Psalmo illustre argumentum est, aquas divisas ab inferioribus nullas, nisi nubium aquas esse, quibus Deus dicitur cœnacula sua contabulasse. ℣f. 3. item ut alibi, thronum suum Job. 26:9. Notandum obiter, Scripturam thronum Dei vocare cœlum in quo non tantum Angeli sed etiam sidera sunt, tanquam apparitores Dei. Unde optime congruit, nubes tabulatum ejus vel vehiculum vocari. Ad summam, nihil est, quo aliæ aquæ superiores cœlo stellato nobis innotescant. Ideoque nec celebrare Deum possunt. quod aquis ὑπερουρανίοις imperatur Psalm. 148:4.

EPISTOLA CCXXVI.

QUæsitum de auctoritate illorum, quæ extant in libro Jobi & quatenus pro authenticis possint citari.

Resp. Librum Jobi Canonicum esse & authentica dicta habere minime dubitandum est. Interim & in amicorum & in ipsius Jobi sermonibus quædam non usque adeo bene se habere, necesse est. quia non tantum amicos refutavit Job & Elihu & damnavit Deus, sed & Job ab Elihu bonis rationibus refutatus est, & à Deo correptus errorem fassus est. Interim videmus ipsos Apostolos dicta amicorum pro authenticis & veris citasse. Licet enim damnati sint à Deo amici, quod non recte de Deo locuti sint; hoc tamen non capiendum est de omnibus dictis, sed de summa dictorum sive principali thesi, & συμπεράσματι. Neque credendum est, eos, quæ ad Spiritum Dei auctorem retulerint, mentitos esse. Putem autem, si quis & negocium, quod disputatur toto libro & ordinem disputationis recte intelligat, & secundum

ſecundum reliquas Scripturas dijudicet, quid recte ſe habeat, quid ſecus, parvo negocio deprehendi. Citra quod adjumentum non facile eſt quicquam hac de re dicere. Primo autem conſideranda eſt ſumma cauſæ. In ea ſecundum Jobum pronunciatur. Noſcenda igitur eſt ipſa quæſtio, & aſſertio Jobi. Quanquam circa ipſam cauſam quædam à Jobo peccata ſunt, quæ correxit Elihu & Deus ipſe. Noſcendum igitur & hoc, quænam ea ſint. Quod amicos attinet, certum eſt, non tantum in hypotheſi peccaſſe, quod male judicarent de Jobi pietate; ſed & in theſi, quod ſententiam ejus damnarent. Invenientur adeo in ſermonibus hinc inde, quæ ſecundum quid vera ſunt, ſed non abſolute. Exempli cauſa. Docent amici, Afflictionem eſſe à peccato. Id verum eſt: ſed non abſolute. Eſt enim non tantum caſtigatio; ſed & παιδεία. Neque hoc tantum, ſed & δοκιμασία. &c. Nam & qui juſtificati ſunt & ſe juſtificatos ſentiunt, & in bona conſcientia Deo adhærent & recedunt à malo afflictionibus onerantur, ut Job. Docent iidem corruptionem humani generis multiplicemque pravitatem humani cordis: Et non poſſe hominem Deo placere aut gloriari coram ipſo, & nullam afflictionem excedere meritum hominis. Verum hoc; ſed non ſimpliciter. Quia inſimul verum eſt, credentibus omnia peccata remiſſa eſſe, & ſanctificatos à Deo in puro corde ipſi ſervire: & in afflictionibus piorum non ſpectari meritum ipſorum ſed utilitatem. Docent horribiles improborum pœnas. Verum hoc, ſed non ſimpliciter. Quia multi improbi, ſi commoditatem vitæ ſpectes, melius habent quam probi. quod Job oſtendit. Talia utrinque multa dicuntur. Ad hæc ergo attendendum eſt. 1. In quibus cauſa, quæ diſceptabatur inter amicos, nude proponitur; in iis amicorum ſenſum non eſſe Canonicum, quia damnatus eſt: Jobi autem imperfectum, quia correctus eſt. 2. Cætera ad normam Legis & Euangelii eſſe explicanda: & vel in illa vel in hoc, atque ita ſuo modo quæque eſſe vera & ſancta. Nam ſententiam ſive axioma ullum, quod pugnet cum Lege aut Euangelio ſimpliciter, non putem in hoc libro & in ſermonibus amicorum reperiri. 3. Quæ in hypotheſi de Jobo ſentiunt per modum ſuſpicionis & admonitionis potius, quam expreſſæ damnationis proferuntur. ideoque etiam illa ex parte, quatenus extra cauſam dici poſſunt, ſunt excuſabilia. Ita verba Jobi cenſeo quoque eſſe à blaſphemia excuſanda: quod ſæpe loquatur ex hypotheſi. & ſimiliter. Summa: Canonicus liber eſt, bona & ſancta fide referens cum ea quæ acciderunt Jobo, tum ea, quæ ex iſta occaſione dicta ſunt, partim ab hominibus, partim à Deo, illis veram cauſam afflictionum in juſtificatis quærentibus, illo definiente. In hominum ſermonibus autem inveniuntur dicta ſancta & vera, partim ad cauſam bene, partim male applicata. Hæc tum ad divinæ definitionis regulam, quæ in hoc libro eſt; tum ad Legem & Euangelium, quod apud Moſen & Prophetas & Apoſtolos extat, examinanda ſunt. Unde accipiunt lucem & auctoritatem. Præterea, alia fuerunt in contradictione, alia non. Quæ non habuerunt contradictionem, ea ſine dubio maximam habent auctoritatem. De qualibus loquitur Job. cap. 9: 2. *Certe novi, quod ita ſit.* cap. 12: 3. *cum quo non ſunt talia?* & ỷſ. 9. & cap. 13: 1. 2.

EPISTOLA CCXXVII.

ROgatur an non Omnis homo ſit Dominus Sabbati, ex Matth. 12: 8. collato Marc. 2: 27. 28.

Reſp. In hoc loco manifeſte τὸ ἄνθρωπον καὶ τὸ υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου diſtingui. Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου in Euangeliis more Hebræorum in ſermonibus Chriſti ipſum loquentem ſignificat. Neque ſequitur: Hominis cauſa factum eſt Sabbatum, Ergo Homo eſt Dominus Sabbati: Sed bene ſequitur, Ergo is, cujus eſt Homo, & qui propter Hominem venit in mundum, quique omnem poteſtatem in cœlo & terra poſſidet, in hominis ſalutem & bonum, eſt & Dominus Sabbati. Cæterum Dominus Sabbati non eſſet, niſi eſſet ſupremus νομοθέτης, & niſi ad ipſius gloriam pertineret Sabbati inſtitutio & ejus uſus ad ſalutem hominis. Nam quicunque eſt Dominus Sabbati, in eo homo habet ſuam ſalutem, & ejus eſt gloria ut conditi, ita ſervati hominis: & eſt Dominus legis. Is autem eſt verus Deus. Amplius eſt, eſſe Dominum Sabbati, quam non eſſe ſervum Sabbati. Certe homo non eſt ſervus Sabbati, ut filius non eſt ſervus domûs patris ſui. illius tamen dominus eſt pater, qui illam poteſt retinere vel alienare, mutare, ſtruere, deſtruere; non filius. Diſputare ex eo, an Chriſtus tanquam homo fuerit ſubjectus legi, præpoſterum eſt. Ita enim ſubjectus legi fuit, ut manſerit legis Dominus; utque tanquam Deus etiam eo dominio uti potuerit pro utilitate & neceſſitate Eccleſiæ: quippe qui nec homo factus eſt neque legi ſubjectus propter ſe ſed ad electorum ſalutem.

EPISTOLA CCXXVIII.

ROgatus, quid Num. 19: 2. ſignificet *Vacca rufa*.

Reſpondi. Dubium non eſſe, quin ſignificetur Medium juſtitiæ & ſalutis noſtræ, quod unicum eſt Chriſtus. Cujus *combuſtio* h. e. mors ex iræ Dei incendio *extra caſtra* h. e. ejecti tanquam improbi extra ſocietatem populi Dei, nobis *adſperſione cinerum* ſignificetur imputanda. Porro *rubrum* colorem notare videri imputationem peccati noſtri. Nam factus eſt peccatum pro nobis & exſecratio. Et peccata rubere dicuntur. Eſai. 1: 18. & alibi. *Bubulo* animali comparari ob patientiam. *Vacca* ob ſpiritualem γονιμότητα quia in eo regeneramur & filii dicimur. In eo eſt omnis πατριὰ. Eſai. 53: 10. *Videbit ſemen.*

EPISTOLA CCXXIX.

AN pars offenſa, qua talis, habet jus in pœnam offendentis? Negat Grotius adverſus Socin. cap. 2. Verum juſtitiæ eſt, ut ὁ ἐλλείπων ἔχῃ τὸ ἴσον ἀντιλαβεῖν. Ideoque poteſt fieri, ut læſus jus habeat in pœnam. quando ſcil. damnum aut læſio aliter nequit compenſari. Nam qui mihi aureum abſtulit, eo reddito, nihil mihi debet. At qui obedientiam, quam debuit, non præſtitit, debet mihi ſatisfactionem pœnalem. nec tantum recompenſationem damni, quod mihi ſua inobedientia attulit. Nam negata ſubjectio obedientialis non poteſt emendari, niſi per ſubjectionem ad pœnam. Cujus autem rei jus habeo, eam repetere mihi licet, non alio reſpectu, quam, qua id mihi competit. Ergo prout læſus, poſſum punire. Idque conſentaneum eſt juri naturæ. Fac enim omnes pariter liberos. Tum ſi quam juſtam ob cauſam alter mihi ſubjiciatur, ſubjectionem vel hanc vel illam mihi debebit. Atqui, inquis, hic jam eſt ὑπεύθυνος: atque id facies, qua rector. Imo qua Dominus læſus. Neque Rectori quidem, niſi qua læſo, aut quia læſi perſonam ſuſtinet, jus pœnæ competit. Iſta læſio eſt in negatione obtemperantiæ debitæ. Quod autem rectoribus punitio demandata eſt, propter cæteras cauſas, & conſenſu populorum factum eſt: quia privati ſuas injurias non ita, ut decet, æſtimant: & quia multis delictis, præter damnum alterius, quod reſtitutione poteſt penſari, inſigniter minuitur ſubjectio debita rectori.

EPISTOLA CCXXX.

JOh. 7: 37. Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω. ỷſ. 38. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. ỷſ. 39. τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν· οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. Ὁ πιστεύων. videtur complecti tria illa, διψᾶν, ἔρχεσθαι, πίνειν. 1. eſt ſe damnare, juſtificare Deum, & gratiam deſiderare. 2. voluntatem inclinare, ad credendum vocanti & ei obediendum. 3. eſt participem fieri gratiæ & eam perſentiſcere in renovatione ſui ad actualem fiduciam & abnegationem ſui.

Promiſſum eſt Spiritûs nempe quem fideles accepturi erant. qui nondum erat. qui comparatur cum fluminibus aquæ vivæ. Hic eſt Spiritus adoptionis, qui omnibus credentibus promiſſus eſt. magis magnifice ſe cum variis donis extraordinariis exſerebat ſtatim poſt Chriſtum glorificatum; & in ipſis credentibus eſt auctor perpetui gaudii & ſolatii, fluit vero extra ad recreationem plurimorum ſitientium. Quod Apoſtolus negat illum Spiritum jam tum fuiſſe: id conferendum videtur cum illo Joh. 16: 7. Τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, συμφέρει ὑμῖν, ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω. Ἐὰν γὰρ ἐγὼ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς. ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς. Scilicet omnis παῤῥησία noſtra & ἐλευθερία in Chriſto fundata eſt, atque ab illo manat. ideo recte dicitur Spiritus ſanctus nondum fuiſſe & non venturus fuiſſe, quia illum effectum non fuiſſet habiturus in cordibus noſtris Spiritus ſanctus, niſi Chriſtus ad dextram majeſtatis collocaretur.

Eſt Spiritus certitudinis & παῤῥησίας in Chriſto exaltato ad credendum & obediendum, & captivandum Euangelio, pro neceſſitate Eccleſiæ comitatu aliquo virtutum & δυνάμεων inſtructus.

Scriptura dicit quandoque non eſſe, quod in ſuo vigore non eſt. οὐδέπω ἐδοξάσθη. ἐὰν μὴ ἀπέλθω. τὸ ἀπελθεῖν eſt medium τοῦ δοξασθῆναι.

EPISTOLA CCXXXI.

ESai. 53: 9. *Et dedit* (populus ex præc. verſ.) *cum improbis ſepulturam ejus* (inſepultam ſepulturam, ſepulturam improbi, quæ eſt, in patibulo corrumpi: ut moris erat Romanis,

cruciarios

cruciarios non statim detrahere) *& cum divite* (hoc per limitationem. *Et* significat, Christum habuisse duplicem sepulturam. partim (inter quos & Nicodemus & Josephus censendi, ut dissimulantes) cum improbis tumularunt in cruce; partim, ut Nicodemus & Josephus, quibus populus patiens per figuram κοινώσεως additur, honorifice, ut divitem, quippe in divitiis tumulo tumularunt. Actor. 13:29.) *in mortibus ejus.* quum tam diris & variis modis excarnificatus & interfectus esset. Notat hic Propheta insigne miraculum. Nicodemus & Joseph cum possent cum aliquo honore Christum profiteri, metu latuerunt; rebus humanitus desperatis animantur, ut reddant ei celeberrimum innocentiæ testimonium. & populus convictus in conscientia non refragatur. Cur id Deus fieri voluit? *Quia non erat in manu ejus injuria.* Quod ipsum tamen ad injuriam Judæorum potest aptari: *Cum improbis sepelierunt* &c. (in parenthesi tunc limitatio, *& cum divite*) pro *eo, quod non fecerat injuriam.* &c.

EPISTOLA CCXXXII.

1 Corinth. 15:29. Pareus in Comm. & Cornel. Bertramus in lucubr. Franktallens. notante Tarnovio οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ad Judæorum lotiones referunt. Quibus ego accedo. Argumentum est à ritu legali. τί ποιήσουσι. quem fructum, quam consolationem habebunt, cur lex ita statuit? Cur lex non modo permisit sanctitatem in illis violari (quod & sacerdoti permissum certo in casu) sed sub gravi pœna voluit ei restitui. addita ratione; quod polluat sanctuarium, quamdiu expietur? Num. 19:11. 13. 19. nisi, ut doceat, esse reversionem ad vitam, & communionem æternam cum Deo, ejusque inhabitationem perpetuam in Ecclesia (qui est Deus vivorum non mortuorum) abnegari ab eo, qui, quasi mors esset ineluctabilis, in perpetua vellent manere communione mortuorum, & quasi nunquam excitandi essent perpetuo super iis dolere?

EPISTOLA CCXXXIII.

Apoc. 17:10. Οἱ πέντε ἔπεσαν. Vide Notas. ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθε. Non dicit, ὁ ἕβδομος. ne putetur ante octavum fore. Sed, nunc, dum est octavus, nondum venit. ὅταν δὲ ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι. Imperium Italorum regum post Carolum M. quod cœpit in Vidone. anno 891. tum enim Imperator est appellatus à Stephano. vide Sigon. Id partim stetit, partim luctatum fuit cum Germanorum Imperio usque ad Othon. I. anno 962. Ὀλίγον igitur. 1. καὶ τὸ θηρίον. ita vocatur Imperium Germanicum à Carolo M. cœptum, sive potius illa politia principalis Ecclesiæ, quæ sub Imperatorum Germanorum auctoritate & majestate corporis unius & politiæ speciem habet. Maritatur enim à Papa, tanquam spirituali capite, Imperatori tanquam defensori, advocato, & capiti politico, una cum omnibus suis membris, regibus & principibus & sequitur scortatio consentiens cum θηρίῳ isto & traditio omnis potestatis. Sic igitur unum est istud θηρίον. Illud est quartum Dan. 7. Θηρίον hoc dicit, ℣. 11. quia 1. repræsentat Vetus Imperium. 11. est nova Ecclesiæ respublica, aliis partibus, quæ non in hoc corpore, reipublicæ formam amittentibus. 2. ὃ ἦν. sub Carolo & ejus prosapia. 3. καὶ οὐκ ἔστι. dum durat Imperium Italorum regum per annos 71. 4. καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι. Hæc καὶ respondent sibi invicem per πολυσύνδετον in prædicato. ἔμφασις. Junguntur enim, quæ non videntur jungenda. Octavus βασιλεὺς sive octava respublica dicitur. Octavus, quia maxima sui parte, ut est Germania, &, quæ deinceps ad fidem in Occidente accesserunt, non fuit sub Veteri Imperio. 5. καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, parte sui fuit cum Italia numerata, & quædam partes Veteris Imperii, ut Italia, Hispania, Gallia (nam sunt hæ inter cornua) illud componunt. 6. καὶ εἰς τὴν ἀπώλειαν ὑπάγει. In hoc impletur in fine, quod est Apoc. 19. & hoc ipso cap. & Dan. 7. de excidio Bestiæ quartæ. & post hanc Bestiam, non erit Bestia. Cæterum, quibus gradibus abeat aut abire incipiat εἰς ἀπώλειαν, hoc ipso capite mox dicitur.

EPISTOLA CCXXXIV.

Matth. 22:17. ἔξεστι κῆνσον δοῦναι Καίσαρι, ἢ οὔ; At cur non liceat? Ex responso Christi apparet causa falsa dubitationis. *Et Deo, quæ sunt Dei.* Nimirum, quia quotannis dandus erat dimidiatus siclus in sanctuarium à quolibet Israëlita, Exod. 30:13. quumque Augustus Cæsar censum indixisset, visus est suo fisco vendicare censum templi & in res Dei invadere. Nam populus pluribus exactionibus gravari se non facile patitur, & facile fit, ut, dum unum tributum exigitur severius, alterum negligatur: sacerdotes sane non habuerunt illam, quam alias habuissent ad exigendum templi debitum fiduciam. qualia multa potuerunt incidere. Ideo quærunt, an liceat hoc Cæsari dare quod Dei sit, vel an liceat censum permittere, quum inde secutura sit templi defraudatio. τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου. ℣. 19. Quid hoc ad rem? Sæpe peregrina moneta in regno usitata est; neque propterea ei, qui monetam percussit, tributum, debetur. Item, an nummus census certo signo percussus erat redimendus pecunia forte, & sic deinde exsolvendus? Sic habe. Isto tempore in Judæa versabatur duplex moneta: Israëlitica & Exotica, imprimis Romana. Sciebat Christus, Romanos Judaicam monetam non accipere in exsolutione census, sed Romanam. Ideo quærit, quali moneta census exsolvendus sit. Et, cum illi Romanam, quam forte secum habebant, ostendissent; inde non infert, eam pecuniam, quæ signum Augusti habeat, esse Augusti: sed hoc, quia Augustus non exigat Judaicam pecuniam, eum non injicere manus thesauro & debito sanctuarii. Iccirco dicit porro: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Si Cæsar est Dominus, rex & magistratus vester, debetis ei tributum. Quod igitur debetis, date. *Et* nihilominus, quandoquidem tributum dare magistratui nihil detrahit juri aut obedientiæ Dei, & Augustus non prohibet, *date Deo, quæ sunt Dei.* quæ ille mandavit, quæ ei debetis, quia ab ipso accepistis.

EPISTOLA CCXXXV.

Luc. 2:2. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Vexatus à multis locus. Quia omnibus possibilibus explicationibus allatis proclivius est simplicissimum eligere, afferamus & nos, quod nescimus ab aliis dictum. Constructio hæc esse potest ἐγένετο πρώτη ἡγεμονεύοντος. Sensum hunc esse judico. Hæc descriptio anticipavit præsidatum Quirinii in Syria. q.d. Indicta est prius, quam à Quirinio perageretur. Ad primam vero indictionem descriptionis profectus est Joseph. πρώτη ἐγένετο pro πρότερα ἐγένετο vel πρὸ τῆς πρότερας. Atticismus est. Vide Stephanum de dialectis. Et occurrunt passim exempla Superlativi positi pro Comparativo in ἐμφάσει. ἐγένετο non est ἦν hic: sed πρώτη ἐγένετο pro ἐπροτέρησεν, διὰ τοῦτο. Eadem phrasis Joh. 1:30. πρῶτός μου ἦν. *multo ante me erat.* Joh. 15:18. πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν. Judicet quisque, annon aliquid simplicitatis in hac interpretatione, & annon Lucas voluerit occurrere illis, qui historiam nativitatis Christi ex temporum differentia essent reprehensuri; quod census à Quirinio multo post actus tradatur.

EPISTOLA CCXXXVI.

Bellarminus lib. 2. de gr. & lib. arb. & Pontificii gratiam sufficientem & efficacem distinguunt. At illam statuunt motionem Dei, qua posita potest homo credere & credit (siquidem congruenter aliis circumstantiis detur; tunc autem est, inquiunt, gratia efficax.) vel non. Nobis ex S. Scriptura circumspectius loquendum est. Nimirum Deus homines multis beneficiis afficit, multis testimoniis allicit, si forte palpando inveniant ipsum, diabolum constringit, ne more solito seducat eos. vocat vocatione Verbi & mandat illis Christum Dominum agnoscere; & ad eum venire, quia extra illum non est salus. dat cognitionem, desiderium, gustum aliquem spiritualium bonorum, gaudium, studium bonorum operum &c. adeo ut effugisse inquinamenta mundi vere dici possint: quibus tamen non obstantibus plerique ad voluptates mundanas revolvuntur, conscientiam callo inurunt, redeunt in potestatem Satanæ, excæcantur, indurantur, labuntur, pereunt; vel etiam in inani persuasione fidei manent. Sunt igitur inexcusabiles, quod ita illuminati & tacti, nihilominus convertantur ad inania, & de novo se in eum statum conjiciant, ex quo nulla nova victima sunt liberandi. Sic Apostolus ad Rom. 1. dicit gentes esse inexcusabiles, quia Deus illis tantum patefecit, & illi nihilominus non glorificarunt neque gratias egerunt Deo, sed juxta judicium oculorum suorum ambularunt. &c. Et Esai. 5:4. *quid faciam amplius?* q.d. nonne satis magna beneficia mea sunt, quibus illi tam turpiter sunt abusi? Numquid ulterius perdere beneficia mea pergam? Gratiam igitur sufficientem, quia illa vox in Scripturis non extat, non dicimus, ne Pontificio sensu capere videamur. Quum enim χάριν gratiam dicit Scriptura in emphasi dicit. Idque ut חנינה & simil. Videantur loca.

EPISTOLA CCXXXVII.

Coloss. 3:10. Τὸν νέον τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν. Recte Beza, τὴν κατ' εἰκόνα. congruentem Sensus. cognitionem non vulgarem, aut qualem Veteres habuere, sed talem & tantam, quæ digna esset imagine, vel, quanta requiritur ad imaginem ejus, qui formavit & format.

 Confer

Confer 2. Cor. 3: 18. Ephes. 1: 17. 18. 19. & notanter Ephes. 3: ỳs. 16. 17. 18. 19.

Similis ellipsis Articuli est, ut mihi videtur, Rom. 8: 3. κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν σαρκί, pro τὴν ἐν σαρκί. Confer cap. 7: ỳs. 17. 18. 23. & tum Rom. 8: 2.

EPISTOLA CCXXXVIII.

ROm. 7: 25. τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ. τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας. Non ita accipiendum, quasi externis membris & affectibus carnis pareat legi peccati, & ab ea servitute non fiat liber; sed, si quando cupiat & faciat ea, quæ sunt legis peccati, hoc carnis esse, non mentis (vide ỳs. 17. 19.) caro autem per se serva est peccati. Hinc dicitur illud opus carnis *servire*. Vide cap. 7: 18. τὸ κατεργάζεσθαι οὐχ εὑρίσκω. cap. 8: 7. τῷ νόμῳ Θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται. οὐδὲ γὰρ δύναται.

EPISTOLA CCXXXIX.

GEn. 49: 8. Quædam pertinent ad Tribum Judæ, quædam ad Christum. Vide ergo, quæ pertinent ad Judæ

A. Tribum. Ea sunt

I. Ducatus inter fratres, iis consentientibus. ỳs. 8. col 1. & in eo ducatu Victoria de Cananæis & aliis hostibus opprimentibus Israëlitas. col. 2.

II. Regnum.

1. non controversum & universale, sub Davide & Solomone. ỳs. 8. col. 3.

2. subsistens in

a. controversia. Hic

α. animositas cum in Rehabeamo & populo ipsius. ỳs. 9. col. 1. qui & regnum vendicare manu voluerunt, & à Propheta de voluntate Dei admoniti, acquieverunt, seque in Deo solo adversus 10. tribuum multitudinem satis tutos esse arbitrati sunt. Confer 1. Reg. 12: ỳs. 21. 24. tum in successoribus ad destruendum idololatriam, Deique cultum asserendum.

β. Victoriæ felices regnum Juda, rebus salvis, de Israëlitis, aliisque potentibus hostibus. ut sunt Abiæ, Asæ ab Æthiopibus, Josaphati ab Ammonitis & Moabitis, Amaziæ ab Idumæis &c. tum etiam ex cladibus ob peccata aliquando acceptis recreatio & instauratio: ita ut semper *adscenderit ex omni prædatione* sive bello & difficultate.

b. excidio decem tribuum. Hic animositas Ezechiæ ad instaurandum cultum Dei, ad negandum tributum & obedientiam Assyrio, fiducia in Deo in extremo discrimine satis aperte indicatur, cum eventu, ut non esset, qui posset ipsum in fugam vertere, aut ex loco suo dimovere ỳs. 9. col. 3. Talis animus & in Josia.

III. Conservatio populi & reipublicæ in captivitate. Vide

1. promissionem oppositam apparentiæ. *Non discedet.*

a. *sceptrum à Juda.* Sceptrum non notat regnum eximie, sed potestatem cogendi & coercendi: quæ est magistratus. Potest autem in regem transferri, vel ei præcipue tribui. Ubi autem est magistratus, ibi etiam est populus, isque in societate. Hoc opponitur dissipationi, quæ metuebatur in deportatione Babylonica. Non est necesse hic altius ascendere ultra tempora illius captivitatis; quia prophetia superiora tempora jam est emensa, ut vidimus.

b. *& legislator à medio pedum ejus.* Legislator dicitur Legis interpres & doctor. Erit igitur & Ecclesiasticus status non pessundatus. quod metuebatur in eversione urbis & templi. Sunt vero hi legislatores, Sacerdotes & Levitæ, & Scribæ ac Prophetæ. *A medio*, ne sint in medio pedum ejus, h. e. ut non inter ipsos versentur: vel ne sint è medio pedum ejus; nati ex ipso. (confer Deut. 28: 57.) Fuerunt autem cum Prophetæ & Scribæ ex Juda, tum etiam Levitæ recte ei tribui assignantur, ob matrimoniorum mistionem, & quia etiam alias fratres erant; & solet Benjaminitas & Levitas Scriptura uno nomine Judam, domum Judæ, filios Judæ appellare. Ita filii Rachelis, qui in Bethleem, ubi illa humata: quia illi filii ejus ut primariæ matris familias.

2. durationem boni promissi. *Usque dum veniat Siloh* h. e. princeps pacis, quietem ab omni servitute & metu, & pacem afferens, conscientiam pacans, gentes concilians, inimicitiam & ejus causam tollens. &c.

IV. Christi adventus ex ipso. ỳs. 10. col. 3.

B. Filium Christum. Vide

I. Ejus regnum. Hic

1. regni latitudo. *Et ipsi erit obedientia populorum.* ỳs. 10. col. 4. qui antea alieni erant à civitate & regno Dei & ἄθεοι in mundo, soliti parere Diabolo & suis cupiditatibus, ii passim obedient Euangelio ipsius.

2. subditorum in regno conciliatio.

a. gentium cum Judæis. *Ligans ad vitem pullum suum*, h. e. gentiles jugi Dei insuetos, Christi jugum subeuntes ad religionem & fidem Patriarcharum fideliumque Judæorum adducet.

b. Judæorum cum gentibus. *& ad optimam vitem filium asinæ suæ.* h. e. fideles natos ex subjugali Ecclesia conjungat cum fidelibus gentium in eadem lege fidei & libertatis, abolitis legis Mosaicæ cerimoniis.

II. Regni gubernationem, in

a. ablutione macularum in fidelibus per

α. verbum acre quidem, sed salubre, Spiritus & efficaciæ vivæ. *Lavit in vino vestem suam.* Vestis Christi est Ecclesia. Maculæ sunt cum alia peccata, tum prioris omissio charitatis, Apoc. 2: 4. Peccabant enim alii cerimonias urgendo, alii libertate abutendo; in utrisque fuga crucis, amor seculi: unde associatio & assimilatio cum non fidelibus.

β. sanguinem martyrum. ỳs. 11. conf. Apoc. 12: 11. διὰ τὸ λόγον . . . καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου.

b. Ecclesiæ externorum & verorum membrorum probatione. *Rutilus oculis præ vino.* Rutilum in oculis, sive oculi clari & flammantes notam perspicaciam, in simul affectum indignationis in hypocritas & zeli pro bonis. Confer Apocal. 2: 18. 24.

c. Ecclesiæ purgatione. *Candidis dentibus præ lacte.* Nil putidum aut sordidum adhæret dentibus, nedum ut in corpus descendat eique uniatur. Secretio bonorum à malis & scandalosis indicatur. Hoc pertinet piorum è Babylone eductio, Reformatæ Ecclesiæ ventilatio præsens, & quæ deinde expectamus, secundum prophetias. Apocal. 3: 16. 21: 27. Esai. 4: 3. 4. 60: 21. Zach. 14: 21. Matth. 13: 49.

EPISTOLA CCXL.

JEr. 31: 22. נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר De mirabili conceptu Christi quidam, sine virili semine. Negat Tarnovius. 1. quia נקבה sexum ipsum sine discrimine ætatis, status, &c. notat, nunquam de individuo. Maria non est sexus fœmineus. Resp. Nec Jeremias individuum voluit notare, sed rem novam quoad sexum illum in individuo vel uno vel pluribus. Vetus est, ut τὸ θῆλυ concipiat ἐξ ἄρσενος: novum, ut τὸ θῆλυ concipiat & gestet virum, nimirum sine viro. Verba enim talia cum exclusione possunt & debent intelligi. Alioqui non esset novum. Maria non est τὸ πᾶν θῆλυ, est tamen θήλεια, aut in ea est τὸ θῆλυ, de quo est Jeremiæ prædicatio. Jam conceptus fit ἐξ τὸ εἶναι θήλειαν. 2. סובב, nunquam est concipere. Resp. Generale est, & complexum fœtus potest notare. 3. גבר non competit Christo nascenti. ut à robore. Resp. 1. Competit, ob Spiritum sanctum, qui in ipso à conceptu. 2. Job. 3: 2. vel 3. הורה גבר masculus. Ita Jer. 30: 6. זכר & גבר pro eodem.

Tarnovius ad analysin se confert, qui conatur ostendere, quod novum illud opus Dei sit conversio animorum ad ipsum. Nos insistamus analysi. Hic sermo incipit cap. 30. ubi proponitur generatim, Deum populi sui misertum & à servitute liberaturum, ut serviant Deo & Christo ỳs. 9. Ista illustrat causis afflictionis præsentis, cui apponit restitutionem urbis & templi, ỳs. 18. & amplificationem populi, ỳs. 19. & rursus genuini regis ac principis sive sacerdotis, quem ipse Deus ad se admoturus sit; quandoquidem nemo hominem ausit ad Deum accedere. ỳs. 21. Minatur tamen & improbis, h. e. qui nolint parere Deo & Christo. ỳs. 22. 23. Cap. 31. *primo* regnum Dei extendit ad omnes familias Israëlis. ỳs. 1. Confirmat à Veteri amore, ỳs. 2. Promittit, plantaturos vineas in monte Samariæ, ỳs. 5. (confer Act. 8: 5. 14.) Id intelligendum mystice de plantatione Ecclesiæ, docet ỳs. 6. ubi vox נֹצְרִים emphatica. Porro reductionem residui Israël quasi pingit ỳs. 7. 8. in fletu & supplicatione (h. e. in pœnitentia & fide) & consolatione ac directione. *Nam*, inquit, *factus sum Israëli pater*, *& Ephraim est primogenitus meus.* Intellige per Ephraimum 1. eos, qui alieniores à sancta republica Judæorum esse videbantur. ut erant 1. incolæ partis decem tribuum, in quibus multi ex reliquis decem tribuum. 2. qui in διασπορᾷ. 3. gentes jam pridem alienatæ à regno Dei, ut Ephraim sive Israël postea ipsarum numero & conditioni admistus. Hujus reductionis publicatio inter gentes. ỳs. 10. cum amplificatione boni reductis in regno Christi

Christi redemtoris exhibendi. ℣. 11. 12. 13. 14. Post illa *secundo* consolatur 1. adversus calamitatem Bethlehemiticam, auctore Herode. Ejus indicatio est ℣. 15. Racheli attribuitur ploratus, ut sepultæ Bethlehemi: quæ ipsa erat materfamilias & per maritum suum ac sororem suasque & sororis ancillas omnium liberorum Jacobi mater recte dicitur. Ploratus ei tribuitur ἀνθρωποπαθῶς. Causa ploratus *filii* non modo parvuli interiecti crudelissime, sed reliqui Israëlitæ perituri in suis peccatis. Causa non admittendæ consolationis, כי איננו *quia ILLE non est*. Ἀφανισμὸς Jesu recens nati & promulgati Salvatoris præcipua causa erat, cur tantopere lugerent. Nam is non comparebat cum Josepho & matre. ℣. 15. Consolatio sumitur à reditu Christi ex Ægypto. ℣. 16. & filiorum substitutione in locum filiorum carnalium. ℣. 17. *tertio* increpat Judæos pervicaces & infideles. Orditur comparative. Proponit enim seriam Ephraimi sive alienorum à regno Dei pœnitentiam ℣. 18. 19. & Dei miserationem, quanquam non sit filius aut natus deliciarum, quemadmodum Juda. ℣. 20. Deinde jubet Judæos considerare viam suam, sive aversionem & defectionem à Deo ad Romanos &c. & revocat ad communionem Sanctorum. ℣. 21. pertinaciamque increpat. ℣. 22. col. 1. addito argumento vincendæ pertinaciæ. col. 2. *Quousque circumduces te*, ut non redeas statim & recta ad civitates tuas? Quid est, quod moraris? Nonne satis manifesto signo commoveberis, ut credas, & desinas alia signa quærere? *Nam creavit Dominus rem novam in terra, Sexus fœmininus* sine ope maris *complexus est masculum*. Christus secundum prophetas natus est ex virgine; quod omnem admirationem excedit. Mas ille, qui omnem γονιμότητα in se habet, ut filii Dei gignantur, ipse *filius* & hæres, eum fœmininus sexus, qui ex se nihil concipit, concepit & edidit. Hæc ratio maxima est & aptissima huic loco. At quod Pareus & Tarnovius volunt, indicari, quod Deus rem mirabilem sit effecturus, nim. ut electi tanquam Sponsa Christi ipsum ambiant, quum alias Sponsi sit ambire: id neque locum invenit in hac analysi, & non est verum, quod Sponsa ambiat priusquam ambiatur. Præter allatam explicationem, quadrat & ista: τὸ θῆλυ περιέξεται τὸν ἄρρενα. Mirum enim sine discrimine gentes mundi, in quibus semen spirituale nondum erat, agnito Christo seminis illius datore, ejus desiderio ad ipsum venire undiquaque imprægnandas, ad conceptionem Ecclesiæ Novi Testamenti; & mirum, *filiam resistentem*, Judæos, restitare & quasi haberet semen Dei, quum tota caro esset, repudiare Christum satorem Ecclesiæ, neque adire civitates à Christo fundatas tanquam cognatas & suas. Simile Esai. 4: 1. *Septem mulieres unum virum apprehendent.* Multæ congregationes gentium à Christo petent semen spirituale & plantationem regni cœlorum, non panem, non vestem: quibus olim Judaica Ecclesia gavisa est. Pergit Jeremias opponere infidelitati carnalium Judæorum decretum firmissimum augendæ & benedicendæ Ecclesiæ suæ, ad consolationem fidelium Judæorum. à ℣. 23. admiscetur resurrectio & mors Christi, tanquam bonorum omnium causa meritoria, ℣. 26. *Ideo evigilavi* revixi, *& video* vivo in æternum, & *somnus meus suavis mihi fuit* libenter mortuus sum. Item decretum de remittendis antegressis peccatis, & tantum infidelitate vindicanda in suo homine; ℣. 30. Fœdus novum in Christo stabilit, & vetus (cujus facti causam asserit, nim. quod transgressi essent fœdus primum cum Abrahamo, atque ideo Deus, tanquam Dominus, legem servitutis ipsis dederit. Confer Galat. 3: 19.) abolet, ℣. 31. 32. 33. 34. Illius perpetuitatem ostendit ℣. 35. Cum amore erga Israëlem h. e. Ecclesiam, qui 1. non possit exstingui, etiamsi in multiplex discrimen veniat. ℣. 36. 2. neque totum semen ejus rejici etiamsi multis modis contaminetur ℣. 37. sed 3. instaurari debeat & consummari, ædificata nova, sancta & Dei propria Hierosolyma. ℣. 38. 39. 40.

EPISTOLA CCXLI.

MAtth. 18: 8. ἔκκοψον τὴν χεῖρα. 1. ita diligenter cave, ne ea utaris secundum concupiscentiam ab illa quasi suggestam, tanquam si eam non habeas, etiamsi hoc tibi tam durum videatur, ac si manus tibi abscinderetur. & sic de oculi tentatione in primis explicandum est. ℣. 9. Confer Prov. 23: 2. Ita dicuntur quidam εὐνουχίζειν ἑαυτοὺς propter regnum cœlorum. Matth. cap. 19: 12. Item Paulus, quod, abstinendo à cibis propter scandalum, corpus suum sugillet & quasi verberibus ignominiosis in faciem cædat. 1. Cor. 9: 27. 2. Si in periculo possis te peccato manus tuæ juvare, potius patiaris illam tibi præcidi, quam peccatum tibi visum utile admittas.

EPISTOLA CCXLII.

MAtth. 20: 16. πολλοὶ κλητοὶ, ὀλίγοι ἐκλεκτοί. Christus cap. 19. in fine agit de præmio servientium sibi rebus suis omissis. Docetque 1. præmium esse hujus & futuræ vitæ. 1. Tim. 4: 8. 2. præmium hujus vitæ posse esse multo majus, si sapientia Dei & utilitas accipientis ferat, eo, quod propter ministerium Christi omissum fuerit, aut in quo jacturam passus fuerit. 3. esse in præmii distributione tantam varietatem, ut sæpe, qui primi in labore atque incommodo fuerint, sint ultimi in perceptione mercedis hujus vitæ, vel etiam futuræ vitæ. Hujus rei explicandæ gratia cap. 20. parabolam vocatorum in vineam proponit; quæ docet. 1. Deum in labores vineæ vocare quando vult. 2. non nunquam paria præmia terrena dare imparibus in labore, atque ita primos fieri ultimos respectu illorum, qui minus laboraverint. neque tamen hoc obesse scil. quo minus, quum præmium alterius vitæ dabitur, quisque acceperit secundum laborem suum, compensato hujus seculi defectu: atque ita rursus primos in acceptione mercedis temporalis fieri ultimos. 3. mercedem temporalem, sive quis multum, sive parum acceperit, in effectu & fructu esse omnibus denarium. h. e. neque illos abundare, neque hos deficere. Exod. 16: 18. de abundanti autem neminem vivere vel edere, Luc. 12: 15. adeoque abundantiam hic non amandam, optandam alterive invidendam esse. 4. eos, qui multum laboraverint, posse excidere præmio cœlesti; atque ita rursus fieri posteriores minus operatis: si scil. ament & requirant tanquam debitam mercedem temporalem, & aliis liberalitatem Dei invideant, ac murmurent contra Deum. 5. Sic etiam minus operatos non modo in mercede hujus vitæ cæteris posse exæquari, atque ita iis priores fieri, sed etiam præmium cœli eis posse præripere. nim. humilitate & gratitudine adversus liberalem patremfamilias. 6. Quod homines laborant & mercedem accipiunt, à voluntate & vocatione Domini esse. 7. Non omnes vocatos præmii superni compotes fore, sua culpa: quia licet divina dignatione fecerint opus in vinea Domini, & hactenus vocationi obsecuti sint, non tamen pervenerint ad finem metamque hujus vocationis & gratiæ, scil. fidem, quæ est cum humilitate, abnegatione sui, desiderio non præsentium sed futurorum. Et hos vocatos esse quidem ad tempus de regno Dei, sed tamen non filios Dei & justificatos. 8. Quod autem quidam vocati sive multum sive parum operati ad illam metam perveniant, aliqui etiam gradus excellentis in gloria compotes fiant, esse ab electione Dei & gratia exuberantiori; quam Deus dat, cui vult; libere sua dispensando, juste alios vocatos prætereundo, liberaliter & effuse electos diligendo. Ideoque minime Deum accusari posse, quod non omnes præmium & coronam consequantur vocati, quum illi γογγύζοντες sint plane inexcusabiles; imo laudem mereri & gloriam singularis gratiæ in electis, absque qua si esset nemo non vocatione sua & dono abuteretur; atque ita gratia filiorum Dei excideret. Confer jam eadem ratione Matth. cap. 22: 14.

EPISTOLA CCXLIII.

1. COrinth. 10: 16. Τὸ ποτήριον . . . . οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος &c. Apostolus cap. 8. & 9. multis rationibus docuerat, etiamsi idolis immolata comedere liceret propter libertatem Christianam, tamen propter charitatem non esse id faciendum, si appareat, ut in εἰδωλείῳ, vel alioqui indicetur, esse εἰδωλόθυτα. At cap. 10. introducit exemplum Israëlitarum, qui licet externe iisdem rebus participaverint, quibus nos; tamen ob varia peccata, in primis idololatriam, à Deo rejecti fuerint: &, ea ὑποδείγματα collocata, monet, ut potius caveant sibi à peccatis talibus, quam pro libertate sua pugnent. Et, ut argumentum scandali ex comesione idolothytorum fortius premeret, ostendit ex comesione eorum fieri posse, ut incidant in idololatriam, in communionem dæmonum, & excidant communione Christi. Quum autem objici posse videretur, Angui eum, qui comedit immolata idolis, non sacrificare ipsum idolis; & aliud esse immolatum in altari, aliud epulis inferri: ostendit duplici exemplo, quomodo illa communio fieri possit. 1. Sacramenti Novi Testam. 2. Sacramenti Veteris Testamenti. Vocat poculum, h. e. vinum, κοινωνίαν τοῦ αἵματος Χριστοῦ. q. d. διὰ τοῦ οἴνου κοινωνοῦμεν τοῦ αἵματι. Ita panem κοινωνίαν τοῦ σώματος: q. d. διὰ τοῦ ἄρτου κοινωνοῦμεν τῷ σώματι. Addit conditionem τῆς κοινωνίας. 1. τὴν εὐλογίαν, quæ est cum pane & vino, nim. Christi εὐλογίαν, qua vocavit panem corpus suum & vinum sanguinem suum. Ideo dicit τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, quod similiter de pane dicendum est. 2. τὴν εὐλογίαν Ecclesiæ, ὃ εὐλογοῦμεν h. e. quod cum fide ac gra-

ta agnitione ac repetitione εὐλογίας Christi fini illi destinamus. secundum illud, *Hoc facite in mei ἀνάμνησιν.* 3. distributionem inter multos participes ἐν κλᾶσμῳ. cujus simile etiam de poculo subaudiendum est. Hinc apparet, etiam particula quavis panis fieri communionem integri corporis Christi. Deinde explicat communionem in effectis, *Unus panis, unum Corpus sumus.* q. d. licet corpus Christi revera non comederimus aut sanguinem ejus biberimus, sed panem & vinum duntaxat ederimus & biberimus, tamen unum multi cum Christo corpus sumus & una vita Christi præditi sumus; non aliter atque si corpus ipsum Christi comedissemus & factum esset corpus cujusque nostrum, & sanguis Christi in venis nostris esset. Ita aperte docet, ubi est consensus aut species consensus in immolationem & consecrationem, communicatio, licet ipse non obtuleris, neque de parte immolata vescaris sed quæ ei adhæsit, venire te in communionem offerentis & immolati & eorum, pro quibus oblatum id est. quippe pars victimæ comedenda pro immolata sumitur.

FINIS.

JUDAICARUM RESPONSIONUM

& Quæstionum Consideratio.

ACCEDIT

PRÆFATIO DE FIDE SACRORUM

Codicum Hebræorum, ac Versionis LXX. interpretum.

ET

DEFENSIO ALTERA

Hebraici Codicis adversus appendicem

Hagiensem Libri de LXX. Interpretibus.

AMICE LECTOR.

DAmus tibi nunc, quæ in Academia nostra proximè ad conferendum proposita sunt studiosæ juventuti, per eos, qui se obtulerant ad eam exercitationem. Est sanè cum variis larvis luctandum homini, cui commissum est in publico veritatem docere & τὺς ἀντιδιατιθεμένυς ἐλέγχειν. Nam erroris viæ sunt multiplices. Et nullus error est, qui non contendat, se esse sapientiam ac prudentiam. Cæterùm, ut omnium errorum patres sunt Judæi, ita cum iis agitur difficillimè. Nam &, quod unicuique insana ratio suggerit contra divinum testimonium & justitiam Dei, habent cum omnibus commune; & consuetudine torquendi Scripturas omnibus indocilibus præeunt. Proprium autem habent, quòd antiqua traditione indurati non possunt audire, & omnes contemnunt, qui non ipsorum vepreta perreptarunt & eorum sophismata tenent ad unguem. Equidem pro officii mei ratione hactenus in eo fui, ut, quæ scriberem, illis potissimùm possent prodesse. Quod possunt testari, post ultima Mosis capita, Dodecapropheton meum & Commentarius in epistolam ad Hebræos, & in Psalmos. In quibus præcipuè hoc agimus, ut Euangelium ex prophetiis confirmemus, & historiam Ecclesiæ & judicia hostium, nominatim Judæorum, ex iis ostendamus. Quo genere docendi nihil potest fieri efficacius. Quis enim, quum viderit ac cognoverit, ea, quæ Moses ac Prophetæ scripserunt, esse aptissima ad significandum, quæ à Christo & Apostolis prædicata sunt, & eas res, quæ in mundo actæ sunt in Ecclesia & extra eam, postquam Christus passus est, ita ut à nobis, eadem aliter dicta esse, non possit jure optari; potest se gerere tam præfractum, ut non confiteatur, Mosen ac Prophetas de Christo & doctrina & regno ejus & Ecclesiæ certaminibus scripsisse, quæ per Euangelium prædicata audimus, & gesta videmus: si modò cogitet, impossibile esse, ut verba Spiritus Sancti præter mentem atque intentionem ejus impleantur, h.e. ut extet res, de quibus verba Spiritus Sancti aptissimè dici possint, de qua re Spiritus Sanctus non cogitaverit, quamque verbis suis non designaverit. Quo genere docendi ut non efficiatur assensus, non alia de causa fit, quàm quòd homines non attendunt ad ea, quæ Deus dicit, & non instituunt σύγκρισιν τῶν πνευματικῶν *comparationem eorum, quæ sunt Spiritûs Sancti*, tum in sermonibus, tum in rebus, & comparationem operis Dei cum verbis ipsius. Ut autem non attendant, vel fit propter præjudicium, quod apud se fecerunt de doctrina, quam tenere velint (quod Ezechiel vocat cap. 14: 2. stercora sua in cor suum reponere & offendiculum pravitatis suæ coram oculis suis ponere) vel de prophetiarum difficultate: vel, quia ocium sibi & tempus ad eam rem sumere no-

sunt; vel, quia se putant aliquid invenisse, quod vellicent & carpant, aut quod responsent, ut non absque causa videantur omnia, quæ audire aut legere poterant, rejicere. Est tamen hæc ratio docendi utilis apud eos, quibus Deus amorem veritatis inspirat, quorumque animos flectit, ut voluntatem suam velint facere, & ex verbo suo veritatem discere. Et nos quidem; quamdiu dabitur, in eo genere libentes perseverabimus: qua, si non aliis (confidimus tamen, quòd & aliis) certè nobis plurimùm ea meditatio prodest. Quod autem nunc suscepi considerationem responsionum Judaicarum & Quæstionum à Judæis repositarum, ejus rei hæc causa est. Prima, quòd eæ nobis ab Hebræis bis exhibitæ sunt; cum significatione tum opinionis, quam habebant de iis, tum exspectationis de me, ut, si possem, ipsis satisfacerem. Deinde, quòd controversiæ Judaicæ pleræque viderentur in eis contineri: neque meliùs illorum sententia exponi posse, quàm ab ipsis; si data opera eas controversias vellem tractare. Tertia, quia ex hoc libello ingenium Judæorum & ὀλιγωρία circa rem maximi momenti potest cognosci: & quidem à peritis Latini sermonis. Nam ea lingua hæc edita sunt. Accedebat & ea causa, quòd alius ante nos de his Responsionibus & Quæstionibus egit fide non bona, & prodens veritatem.

Poteramus te, benigne Lector, cum his dimittere ad lectionem ipsius libri, nisi de re magna admonendus esses. Est fortassis, qui me culpet, quòd cap. 18. non accusaverim Hebræos corruptæ Scripturæ; fortassis est, qui me nimis breviter & q. defunctoriè integritatem Hebræi codicis defendisse dictet. De ea re igitur paullo plura mihi video dicenda, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον, *ne forte in cassum curram aut cucurrerim.* si Apostoli verbis uti licet ex epistol ad Galat. 2. vers. 2. Nam equidem me profiteor plerumque ætatis meæ trivisse in meditatione, enucleatione atque expositione Hebræi codicis, quemadmodum is ab Hebræis legitur; & hactenus eum codicem non accusavisse corruptelæ ac depravationis: atque etiam in eo explanando quotidiè versari, & id studium habere jucundissimum & Ecclesiæ utilissimum. Quod quum dico, non eum laborem mihi quasi proprium sumo, & tanquam provinciam meam mihi vendico; sed me unum ex multis cum trepidatione profiteor asseclam & æmulum maximorum virorum, qui ἐκ τῶν ἀναγινωσκομένων *ex iis, quæ leguntur* apud Hebræos, versiones magna cum cura & laude fecerunt, & commentarios utilissimos composuerunt, eosque labores suos Ecclesiæ consecrarunt. Inter quos est eximius non *Rabbinologus* sed *Theologus* antecessor noster Franciscus Junius. Et Ecclesiæ nostræ, in qua vivimus, cuique nomen dedimus, votum aliquando fuit, legere Veteris Testamenti libros ex Hebræa lectione fideliter conversos. In quam rem etiam sumtus non mediocres & labor ac studium ingens collata sunt. Quorum orbitam nos tenere minimè pudet.

At audiuntur voces quorundam, doctorum sanè & amicorum, Hebraicam lectionem non debere haberi, nisi pro Judaica versione, à Masorethis concinnata: extare verò versionem Græcam LXX. interpretum, sanctam, divinam, ab Apostolis approbatam, solam sinceram & ἀναμάρτητον, quæ habeat veritatis prærogativam, quam vix dubitant esse θεόπνευστον, &, quum hoc pronunciant, putant se ejus θεοπνευστίαν adstruxisse: auctoresque sunt, ut, si velimus veram sacrarum literarum sententiam nosse, negligamus puncta vocalia Hebræi codicis, aut saltem ea reformemus ad mentem tralationis LXX. interpretum. Existimes, eos, qui hoc dicunt, jam plurimos annos in meditatione sacrarum literarum consumsisse, versiones examinasse, codicem versionis Græcæ integrum domi habere, & ad illius mentem reformasse Hebræi codicis lectionem, atque adeò nitidissimum ac purissimum exemplar posse exhibere, Quod quidem ego videre gestio, ut ad satietatem mirer novam illorum & linguam & ἀσφάλειαν. Nam, si hoc non egerunt, & ad hoc imparati sunt, quantæ fiduciæ est, talia asserere?

Dolendum vero est, quod ii, qui talia dicunt, non priùs decernunt, docent, figunt, confirmant, quæ debeamus habere ἱερὰ γράμματα, quas *sacras litteras*, quam γραφὴν θεόπνευστον *Scripturam divinitùs inspiratam*, quæ sit fidei nostræ anchora & omnis sapientiæ ac prudentiæ, omnisque adeò judicii, fons. Interest enim fidei nostræ, ut habeamus βέβαιον λόγον *firmum sermonem*, qui nos *possit sapientes facere ad salutem*, cui innitamur.

Dicunt quidem ii, ex quibus illa audimus, in omnibus versionibus tantum esse, ut homo salvari possit. Sed iidem non explicant, quomodo certus esse possit homo, tantum esse in omnibus versionibus, ut homo per id salvari possit; & quid pro certo & salutari ex omnibus versionibus assumere possit. Et, dum ita agunt, speciem præferunt eorum, qui parum curant fidei soliditatem, certitudinem ac profectum. Quod quidem illis non imputo: sed tamen, quid ab iis desiderari possit, dissimulandum non est. Jure possum hìc usurpare δυσώπησιν Elihu, quæ est Job 34. vers. 7. *Quis vir, ut Ijob, bibit sannam instar aquæ, & proficiscitur, ut consocietur cum operantibus vanitatem, & ut ambulet cum hominibus improbis?*

Ante diluvium & usque ad Mosen verbum Dei fuit in mundo, per quod homines salvarentur. Hoc accipiebant filii à suis patribus. Quos item à suis patribus id accepisse, & denique Adamum, & postea Noachum, ex Deo audivisse constare poterat; quia & non poterant dubitare, quin parentes, qui dicerent, se ea accepisse, revera accepissent, & fallere liberos suos

ſuos non vellent; & id verbum à Deo eſſet, quod, ſi intelligerent, non poſſent dubitare convenire ei, quod conſcientia eis teſtabatur de gloria nominis Dei, & de ipſorum tum vitioſitate & impotentia & ſtultitia, tum de juſtitia, quæ eſt ex operibus; tum de judicio; tum officio; nempe diligendi Deum condonantem peccata & juſtificantem, & proximum; atque ita pœnitentiam agendi: quodque in operibus Dei, præſertim in patientia ac longanimitate Dei, erat conſpicuum. Nam longanimitas Dei teſtatur, Deum omnem creaturam ſubjeciſſe vanitati in ſpem gloriæ in filios Dei, amantes gratiam & gloriam ejus, revelandæ. Sed ea traditio & à multis ſine attentione, ſine dubio, audita, & propterea nec intellecta eſt, & commentis humanis depravata. Quemadmodum conſtat, gentes aliquid quidem de ea retinuiſſe (ut apparet ex ſacrificiis) ſed tandem ad idololatriam & oblivionem Dei prolapſas eſſe.

Poſtquam Moſes legem tradidit, propagatum eſt etiam verbum auditum narratione. Sed ſecuta ſunt illa tempora, in quibus, quod legebatur in libris Moſis in templo inventis, novum accidit & attonitos audientes fecit. Etiam Euangelium eſt prædicatum inter Judæos & gentes; &, quod auditum eſt, narratum eſt & adhuc narratur: nempe, Jeſum eſſe Chriſtum, qui factus homo prædicavit juſtitiam ex fide, & libertatem, & converſionem ad Deum, & digna Salvatore opera fecit, & paſſus eſt mortem & reſurrexit tertia die. & cætera, quæ in Symbolo Apoſtolico continentur.

Habet illa doctrina ſuos characteres; quemadmodum explicavimus: per quos is, qui ad eam attendit, eamque beneficio Dei intelligit, certus eſſe poteſt, hoc verbum, cui ſua conſcientia atteſtatur, in mundo eſſe non poſſe, niſi eſſet à Deo.

Atque hæc fortaſſis cogitavit is, qui dixit, in omnibus verſionibus ſatis eſſe ad ſalutem: at idem neſcio an cogitaverit, Deum voluiſſe in mundo eſſe verbum ſuum, hoc eſt, voces ſuas (ut jam loquar cum Davide 2 Samuel. 23. verſ. 2. Nam מלה ſignificat vocabulum, ῥῆμα. quod propriè ſonat *verbum Dei*) & eas ſuas voces cognoſci, tum ut conſervetur ea traditio & narratio auditorum in mundo per eas ipſas voces, quæ ſunt θεόπνευστοι & θεοδίδακτοι; tum ut, qui nondum plenè intelligunt ſapientiam illius ſermonis auditi, primò propter divinam auctoritatem ſuſcipiant eum ſermonem, & poſtea eum meditando ſapientes fiant; tum ut abundet inſtitutio omniſque ſapientia & prudentia; tum ut veritas Euangelii ex prophetiis poſſit hoſtibus demonſtrari; tum ut veritas poſſit ab adulterio vindicari; imprimis, quum multos habitura eſſet hoſtes, pervertentes Euangelium, & Diabolus ſe eſſet transfiguraturus in Angelum lucis, & Antichriſtus ſub nomine Chriſti eſſet proditurus in ſcenam & multos ſeducturus; tum ut Euangelium poſſet prædicari in toto mundo ab omni genere hominum, non tantum ab intelligentibus veritatem & ſapientibus ac prudentibus, ſed etiam προφάσει à falſis fratribus & mercenariis, & inimici Dei cogerentur Deo & Eccleſiæ mentiri, & blanda ei loqui; tum ut ſtudium fidelium haberet, in quo ſe exerceat & ignorantiæ ac errorum rubiginem detergat: tum ut in omni viſitatione per prophetiam haberemus confirmationem, conſolationem & ſpem: tum ut omnes diſcant emendatè loqui, ut tandem eò perveniant omnes, ut idem loquantur & idem ſentiant; ac denique omnes creſcamus in unum hominem perfectum juxta ſtaturam ejus; quod Chriſtus complet: & hoc fine voluiſſe, ut verbum ſuum publicum eſſet & inter omnes extaret, & omnes haberent facultatem adeundi eloquia Dei, & ſe Deo diſcipulos ſiſtendi, neque opus haberent edoceri à fratre privum verbum aut ἐπίλυσιν habente; aut ab ullo homine. ut promiſſum eſt Jerem. 31:33. 34.

Hæc ſi cogitaſſet, ſine dubio magno ſtudio inculcaſſet; extare ἱερὰ γράμματα *ſacras literas*, & γραφὴν θεόπνευστον *Scripturam divinitus inſpiratam*, & ejus ἀνάγνωσιν *lectionem*.

Fortaſſe dicet, eſſe *ſacras literas* in mundo; nempe *literas* Hebræorum codicum. Nam *Hebræos literam retinuiſſe: ſenſum verò ad gentes abiiſſe.* Cui quidem hac in parte non contradico; quòd *clavim cognitionis* acceperint gentes, & Euangelium, in quo eſt φανέρωσις τοῦ μυστηρίου *manifeſtatio myſterii* Dei, de quo Moſes & Prophetæ loquuti ſunt: ſed, vel verum omnium prophetiarum ſenſum & ἐπίλυσιν gentes ſtatim conſecutas eſſe, & ſtudio, ſcrutatione atque inveſtigatione non ampliùs opus habere, neque ſupereſſe; quæ ipſis experimentis & implementis, qualia ſint, diſcantur: vel, expoſitionem ſinceræ ἀναγνώσεως *lectionis* & pronunciationis vocabulorum (quam ſcil. non retinuerint Hebræi) eamque divina auctoritate munitam ac circumvallatam accepiſſe, nempe in LXX. interpretibus, eſt admodum magnum petitum. Non peti id debebat; ſed adſtrui.

Fidei eſt retinere τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *ſermonem Dei*, tanquam fontem omnis veritatis, ſapientiæ ac prudentiæ, omniſque prophetiæ. Timotheo dicit Apoſtolus 2 epiſt. 3: 14. 15. *Tu autem mane in eis; quæ didiciſti & de quibus fides tibi facta eſt, ſciens, à quo didiceris: &, quia à teneris ſacras literas noſti, quæ te poſſunt ſapientem facere ad ſalutem per fidem in Chriſto Jeſu.* Idem Apoſtolus ſe profitetur *docere* ea, quæ in Chriſto donata ſunt, *ſermonibus, quos docuit Spiritus Sanctus*, 1 Corinth. 2. verſ. 13. & eos vocat λόγους ὑγιαίνοντας *ſermones ſanos*, quos ab ipſa διδασκαλίᾳ *doctrina* diſtinguit. 1 Timoth. 6. verſ. 3. alibi proteſtans, ſe *nihil extra Moſen &*

Prophetas docere, Actor. 26: 22. &, se *non aliud scribere, nisi quod legerent* (2 Cor. 1: 13.) sine dubio in sacris literis.

Ergo necesse est, tum ad docendum, tum ad credendum, nos habere *sermones* illos *sanos, doctos à Spiritu Sancto*, & eorum *lectionem* sive pronunciationem. Nam sermo est propriè oris, & solis literis non constat absque vocalibus & pronunciatione. Necesse est autem, nos eos habere non tantùm in Novo, sed etiam in Veteri Testamento, Mose scilicet & Prophetis. Nam & fundamentum Euangelii non est tollendum de medio, & prophetia sive prophetiarum explicatio atque applicatio ad suas res & suam veritatem. Et S. Petrus nobis ejus sermonis considerationem vehementer commendat epist. 2. cap. 1: 19 *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis quòd attenditis, tanquam lucernæ lucenti in squalido loco, donec dies dilucescat & phosphorus oriatur in cordibus vestris.* Quod tam seriò commendatum est veteribus, quum Apostoli Domini inter ipsos adhuc versarentur, id non minùs necessarium est nobis, qui ultima hac hora non inter Apostolos Christi sed inter multos sine dubio Antichristos versamur: neque committendum est, ut nobis spiritus Antichristi, qui in mundum exivit, id extorqueat.

Locuti sunt Apostoli ad omnes gentes, & sine dubiò omnibus gentibus auctores fuerunt, ut prophetico sermoni attenderent. Non potuerunt omnes gentes Græcè legere: neque nunc possunt. Fueruntne igitur gentibus auctores, ut Græcam versionem addiscerent, aut ad eam solam, ut intelligibilem, exigerent doctrinam, quam audirent, atque ex ea omnium profectum quærerent, & ex ea vernaculas interpretationes sibi traducendas curarent; an ad eum Mosen & eos Prophetas, qui ab Hebræis in Synagogis suis passim terrarum legebantur, ut est Actor. 15. vers. 21. Non puto, ullum esse, qui dubitet, Apostolos in ἀναγνώσει sive *lectione* Mosis ac Prophetarum, quæ erat in Synagogis Hebræorum, statuisse suæ prædicationis fundamentum. Nisi quis dicat, Simonem Petrum & Andream & cæteros, Galilæos plerosque, fuisse Hellenistas, & Græco idiomati audiendo assuevisse; atque etiam Paulum, educatum ad pedes Gamalielis, & singulari profectu præ cæteris in Judaismo procedentem, Græca potiùs, quàm Hebræa, legisse. Quare, quum *sacras literas* earumque recitationem ac lectionem commendarunt, non potuerunt videri non in mente habere illa scripta, quæ & in Synagogis & in manibus Hebræorum reperiebantur, & illas voces, quæ ex ipsorum oribus audiebantur: tanquam omnium versionum & interpretationum, omnisque verbi Dei ac veritatis, quæ in mundo erat, fontem.

Audio, quòd dicunt, illo tempore maximum fuisse consensum inter Hebræos codices Hebræorumque pronunciationem & Codices Græcos; sed post illa tempora hos integriores, quanquam non omnino integros, remansisse; illos autem à Masorethis corruptos esse, saltem per illorum incrustaturam, hoc est, puncta vocalia, sensum esse destructum.

Quæ quum audio, divinationem & hariolationem, imò temerariam conviciationem, mihi videor audire, non demonstrationem, in qua possim acquiescere: imò verba, quæ cogar divinare, quid sibi velint.

Si enim ad antiqua me convertam tempora, & quæram, unde constet, tantam fuisse inter Codices Hebræos lectionemque Hebræam & Codices Græcos convenientiam, ut perinde fuerit, quibus quis uteretur codicibus; nullam invenio rationem, quæ prudenti id persuadere possit. Nam ad id demonstrandum non sufficit, quòd Apostoli verba Græci Codicis citaverunt. Potuit enim fieri, ut Apostoli apud Græcos iis verbis uterentur, quibus Hellenistæ assueverant, quæque à Græcis legi poterant, quæ verba eam partem sensus vocum Spiritus Sancti continebant, quam Apostoli intendebant. At hoc longè aliud est, quàm testari summam, exactam &, ut more scholarum loquar, adæquatam Græcorum Codicum cum Hebræis fontibus convenientiam. De qua Apostolos testatos esse, nullo apice probatur.

Deinde, ne hoc quidem probatur, Apostolos semper recitasse verba LXX. interpretum. Quando igitur Apostoli sic citant, ut est in Hebræo, quid dicemus? Utrum, Hebræos corrupisse suos Codices, ut convenirent cum Apostolica citatione; an, Hellenistas suos, ut ab Apostolica lectione discreparent? Non quidem deest fiducia, ad hoc pronunciandum de quibusdam locis; sed desunt argumenta ad id probandum.

Alicubi tamen video rationem prædominari, quum dicunt, Apostolos in ejusmodi citationibus contentos fuisse sensu, at Græcos rectè verba interpretatos esse. Quod quum dicunt, non vident, se nobis id utraque manu largiri, quod petimus; Apostolos, quando Græcorum verba recitant, potuisse contentos esse ea parte sensus, quæ in verbis Græcis continebatur; non verò totam versionem necessariò debere videri approbasse & pro regula ὀρθοφημίας commendasse, secundùm illud, εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ, *si quis loquitur; ut oracula Dei.* 1 Pet. 4: 11. quod certè aliud est, quàm dicere, *Secundùm Græcam expositionem.*

Nisi quis putet, in confesso fuisse, apud Hebræos æquè atque Hellenistas, LXX. viros vertendo prophetasse, & eam versionem esse θεόπνευστον *divinitus inspiratam.* ut nunc audimus. Cujus opinionis nulla possum animadvertere argumenta. Nam, quòd inter ipsos Christianos primis temporibus Hellenistarum viduæ negligi visæ sunt. Actor. cap. 6. vers. 1. id non videtur indicare,

care, quòd *Hellenistæ* pari in existimatione fuerint cum *Hebræis*, & Græcus Codex, quo illi utebantur, pari in honore cum Hebræo. Neque videtur Apostolus sine causa inter gloriationes suas secundùm carnem eam ponere, quòd esset *Hebræus ex Hebræis*. 2 Cor. 11: 22. Phil. 3: 5. Taceo, quæ posterioribus temporibus signa aversionis aut contemtûs mutui inter Judæos ex hac causa extiterunt. Qui vult, adeat Novellam 146. videbit, Hebræos non potuisse ferre lectionem Græcam in Synagogis.

Sed, ut hæc omittam, diligenter considerandum est, alterutrum dicendum esse hujus sententiæ assertoribus, vel, Græcam versionem pro authentica publicè à Judæis receptam fuisse, vel, Apostolos per divinum spiritum ejus divinitati & infallibilitati attestatos esse, eisque hanc auctoritatem addidisse. Si verò neutrum probatur, relinquitur, Judæorum quidem aliquos ea versione usos, ut fortasse & aliis versionibus alii, nominatim ut Chaldæa sive Onkelosi, sive Jonathanis, sive Josephi Cæci utuntur; atque ut Christiani variis versionibus utimur, ita, ut, τὴν ἀκρίβειαν ex ipsis Hebræis fontibus hauriendam, omnes profiteamur: atque interim ea, quæ ab omnibus pariter, tanquam vocibus Spiritus sancti dicta, narrantur, quatenus sunt analoga fidei & conscientiæ, admittamus: nitentes magis magisque ad plenissimos & planissimos Scripturæ sensus accedere. Quo posito, nihil mirum fuerit, imò valde conveniens prudentiæ spirituali, ut Apostoli testimonia pleraque recitarent ex vulgata Græca versione, quatenus & norant & demonstrabile erat, eos sensus, quos intendebant, & qui in ea versione continebantur, à Spiritu sancto fuisse intentos.

Si quis porro dicat, Græcam versionem à primis Christianis fuisse lectam & ex ea quoque Latinas factas, id negandum non est: sed non est concedendum, fuisse id receptum, eam versionem esse divinam & nulla ratione examinandam. Origenes composuit inter se textum Hebræum & versionem non unam, quod studium valde laudatum est, sed pauci reperti sunt, qui eandem haberent diligentiam. Neque tamen rarò Patres etiam aliarum versionum faciunt mentionem, & ex eis æquè atque ex ea τῶν LXX. quæ utilia putant, dicunt. Quid autem Hieronymus in plerisque Ecclesiæ doctoribus requisiverit, apertum est. Et ad judicia Dei pertinuit, ut Spiritus Antichristi impediret, ne ea diligentia, qua decebat, sacræ literæ tractarentur, ut paulò post Bestia exoriens testes Dei eò faciliùs enecaret.

Sed, quæso, quomodo potuit Versio Græca apud Judæos eam obtinere auctoritatem, ut reciperetur tanquam ipsissimus sermo propheticus, atque etiam prophetica interpretatio? Si enim talia argumenta unquam fuerunt, ea etiamnum debent esse in notitia hominum, ut & nos idem de ea possimus judicare. Moses semper obtinebit nomen, quod ei dedit Deus: *Servus fidelis in tota domo Dei*. Num. 12: 7. Hebr. 3: 5. Samuel semper audiet à nobis Propheta: qui prophetavit Eli & Sauli & Davidi. David vir secundùm cor Dei semper recognoscetur Propheta: & eò magis, quò magis fines seculorum appropinquabunt. Prophetæ reliqui singuli nunc etiam accipiuntur à nobis, ut prophetæ; non tam, quia suo tempore aut deinceps prophetæ habiti sunt, sed, quia locuti sunt, quæ non potuit homo, nisi per Spiritum Dei, loqui, sive spectes revelationem mysteriorum salutis, sive prædictionem futurorum. Christus à nobis vel propterea agnoscitur Propheta ille magnus, quia verba Dei locutus est, & opera Salvatoris fecit, & ea passus est, quæ Salvator pati debebat, & gloriæ filii Dei de ipso prædicantur, & quia regnat & judicat in Judæis & gentibus. Apostoli, quia nihil extra Mosen & Prophetas locuti sunt de Christo, & testati sunt, quæ viderunt & audiverunt, quæ ab ipsis fingi non poterant, & facti sunt ipsi quoque signa & portenta, operibus gloriosis, donis supra omnes prophetas magnis & excellentibus, virtute ac fide fortissima, patientia eximia, efficacia doctrinæ incomprehensibili, à nobis agnoscuntur. qui etiam locuti sunt de sequentibus temporibus, quæ extant, quæque experimur. Quid igitur est in LXX. interpretibus, quo nunc etiam possimus eos recognoscere non tantùm bonos & pios viros, atque etiam doctos, sed etiam interpretando prophetantes? Non sufficit, dicere, potuisse esse prophetas etiam sub templo secundo: probandum est, hosce prophetasse, & ejus rei clarissima argumenta proferenda sunt, ut fides nostra obstringatur: ni videantur, qui hoc dicunt, ipsi hallucinari, &, quemadmodum Pontificii quidam Latinam versionem faciunt authenticam, nos ad nomen humanum adstringere, non ad solos sermones verbi Dei puri.

Bellarminus dicit, *LXX. interpretes optimè transtulisse & peculiari modo Spiritum sanctum assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam interpretes, quàm Prophetæ fuisse videantur*. De verbo Dei l. 2. c. 6. §. *Sequitur quarta quæstio*. Id ille probat 1. ab eo, quòd id homines, nempe Aristæus, Philo, Josephus & nescio qui non, dicant. At Hieronymus dicit, *Eos non vates sed interpretes fuisse*. Parata est distinctio. *Propriè non fuisse Prophetas, sed tantùm Spiritu sancto peculiariter illustratos*. Credo, quia opus habuerunt exemplari & ἀρχετύπῳ, quod fideliter sequerentur, & in ea re judicio suo uterentur. Sed nescit, quid dicat. Ea, quæ à Prophetis anterioribus dicta sunt, antequam res fierent & viderentur, non potuerunt exactè cognosci humana perspicacia, aut judicio determinari. Quod si illi fecerunt & rectè fecerunt, plus quàm ordinaria Spiritus ope adjuti sunt. 2. Ab eo, quòd *Apostoli frequenter hac versione utun-*

 tur.

tur. Non ausus est dicere *semper*. Sed quis non videt, quàm sit hoc infirmum? Quàm facile est negare, Apostolos eo, quòd Græcæ versionis verba citarunt, amplius declarasse, quàm, eos sensus in verbis Spiritus sancti contineri. 3. A miraculo: quòd *tanta celeritate & consensione tantum opus confecerint*. Id miraculum §. *Quod autem* sic pleniùs explicat: *Quòd tot homines simul conferendo tam brevi tempore potuerint convenire in singulis sententiis conferendis*. Justinianus in novella 146. cum Epiphanio aliam speciem miraculi facit. *Quia & per duos divisi & per diversa interpretantes loca tamen unam tradiderunt omnes compositionem*. Præsupponit Bell. omnes sacras literas expositas fuisse simul. quod alii non audent. Sed, utcunque sit, mihi non magnum miraculum videtur, homines Gentibus invidentes, sive jam usitata exemplaria (testantur enim, fuisse, ex Euseb. præpar. l. 13: 12.) recognoscentes, sive novam versionem facientes, consentire in tolerabilem translationem, quum & ipsi in scrutandis sacris literis non essent satis diligentes, & apud gentes non vellent videri dissentire & se invicem incuriæ atque ignorantiæ accusare.

Ego quidem fateor, eos aliquando dixisse, quod à Spiritu Prophetico est. Tale est, quod Psalmo 40. vers. 7. exposuerunt, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. Hoc enim voluit Spiritus sanctus. Attamen, ubique eos assecutos esse mentem Spiritus sancti, mihi non liquet: imò liquet, ne in illo quidem loco totum assecutos esse. Nam Hebræa: *Aures perforasti mihi*: aliquid amplius dicunt, nempe ipsum venisse in corpore, ut δῆλον ἐξουσίαν ἔχοντα τοῦ θεῖναι τὴν ψυχὴν τὴν ἑαυτοῦ.

Reformatæ Ecclesiæ doctores consueverunt hactenus sententiæ Bellarmini & sociorum ejus opponere σφάλματα Græcæ versionis. Qui vult, quomodo agere soleant, videat in Chamieri panstratia lib. 13. cap. 9. 10. 11.

Nunc surgunt quidem de nostris, qui ea non sphalmata sed rectas versiones esse contendunt; &, ubi vident lectionem Hebræam non quadrare, volunt, LXX. viros meliùs pronunciasse, quàm nunc Synagoga facit, aut etiam meliores codices habuisse.

Ego examen illarum defensionum aliis relinquo. Hoc tantùm dico, me videri, quum eas inspicio, novam linguam audire. Ita illis τὸ אולם (quod ipsi Græci vertunt vel ἀλλὰ, vel οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ, vel δὲ Job. 11: 5. & 13: 3. 4.) repente nullo auctore significat πάλαι. τὸ פתח vel סתם (quorum illud significat *aperire*, hoc *cælare* vel *solvere*) ipsis notat διαιρεῖν; quod est חלק. Quanquam ne sic quidem salva est versio. Non est, ut quis rectè offerat & non rectè dividat. Eodem ingenio τὸ שיר illis est πτερᾶν. quod tamen Græci alibi vertunt κατασπεύδειν, alibi ἐκτρίβειν. τὸ בר ipsis notat παιδίαν. חמשים ipsis significat *quinti* (quod est propriè εἰς πεντάδας ordinati; in genere, ordinati) ut notet quintam generationem. quasi vel omnes Israëlitæ fuerint quinta generatio (& à quo principio?) vel totus populus à quibusdam, qui quinta generatio fuerunt, quinta generatio appellari posset: & hoc ipsum non videatur contrarium promissioni, quæ quarta ætate ascensuros præfiniverat. nam, si quinti fuerunt, & non tamen omnes tantùm quinti, sed etiam sexti & septimi, intelligetur, quartos in iis non fuisse, sed tantùm quintos. Miror etiam facilitatem convertendi argentum in aurum Genes. cap. 37. vers. 28. Nihil ipsos juvat Josephus, qui ex *viginti argenteis* fecit *viginti minas*. Ezech. 45. vers. 12. mina triplex definitur, magna, mediocris, parva. nempe 25. 20. & 15. siclorum. Quam igitur minam dicemus esse singulos argenti nummos? Neque convenit Josepho cum LXX. Non enim viginti minæ sunt viginti Darici: siquidem mihi non malè respondit Cl. V. Johannes Fredericus Gronovius, communis amicus; quem super ea re consului. Ejus verba hæc sunt: Mina Attica argenti (quam intelligimus vulgo, quotiescunque sine alia descriptione Mina ponitur, aut non ex argumento apparet, aliam cujuscumque gentis intelligendam esse) ea Mina Attica est centum drachmarum, sive schillingorum Hollandicorum, decem Philippûm. At Daricus erat nummus aureus didrachmus, paullo pensior duplici nostro Ducato, sed multo minor pretio, quod alia esset proportio auri ad argentum, quam quæ nunc est. Tunc enim erat decupla: sic, ut una drachma auri decem valeret drachmis argenti: atque ita Daricus viginti drachmis. Quinque autem Darici faciebant minam. Dixi de Pecunia Vetere pag. 365. & 366. Iidem Græci שלשים כסף Zachar. cap. 11. vers. 12. τριάκοντα ἀργυροῦς, vertunt: ut mireris inconstantiam. Quem locum dum inspicio, cum stupore video vers. 7. לכן versum εἰς τὴν Χαναανῖτιν, omissis verbis עניי הצאן, quæ simul debebant reddi, *ad præparandum*, aut etiam *confirmandum inopes ovium*. item vers. 11. καὶ γνώσονται οἱ Χαναναῖοι τὰ πρόβατα τὰ φυλασσόμενά μοι. pro eo, quod reddendum erat, *& cognoscent firmum*, paratum, rectum (collective. pro quotquot confirmati, parati, recti) *inopum ovium*, sive *inter oves*, *qui observant me*. vel saltem, *Et cognoscent sic inopes* &c. Sed ego hæc aliis examinanda relinquo. Nam quid, si illa pauca se apud Græcos rectè habeant, jamne totum corpus versionis sanum & integrum erit? Non magis, quàm ulcerosus homo sanus est, cujus aliquot pustulæ fuerint solidatæ, imò emplastris tectæ.

Ego, quoties ad illos interpretes accedo, tanquam à senticeto pedem refero: tantùm, si quid boni interniteat, ut rosa inter spinas, id cupidè arripio, & eo meas meditationes exorno.

Agno-

Agnosco, illam versionem (sive eadem sit cum ea, quæ à LXX. viris tota aut ex parte edita est, sive illa alia fuit) fuisse partim Israëlitis initium illius severitatis, quam Deus se denunciavit exerciturum, barbarè illos alloquendo, Esai. 28: 11. (Hellenistis enim Hebræa inceperunt esse barbara, & in Græcis non purè ac nitidè eos alloquitur solus Deus; sed ex parte interpres suas opiniones admiscens) partim præparationem ad nomen Dei notificandum gentibus, & Euangelium iis annunciandum; ut, quum audirent prædicationem ejus boni, quod de ipsis prædictum erat, eò faciliùs crederent. Atque ideò non miror, primos Christianos, maximè inter quotidianas persecutiones, ei inhiasse, & ex ea, quæ intelligere poterant, quæque ab Hebræis non aliter pronunciabantur, avidè didicisse, & porrò ad intellectum reliquorum annixos esse: ad quem tamen ut pervenirent, docti putaverunt se debere uti Hebræis Codicibus, & versionibus quoque aliorum. Nempe, quemadmodum omnibus versionibus utendum est, ita & illa uti potuerunt, qui sine versione verba Dei audire non poterant.

At, ut dicam, ad mentem Spiritus Sancti plenè investigandam hanc versionem esse idoneum & sufficiens instrumentum, nullo pacto adduci possum. Quid enim? An ad intelligenda verba Psalmi secundi, vers. 12. quæ sonant, *Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis quoad viam. Nam brevi exardescet ira ejus. Beatus, qui confugit ad illum:* idonea sunt illa Græca: δράξασθε παιδείας, μήποτε ὀργισθῇ Κύριος (quam vocem non fideliter de suo addiderunt) καὶ ἀπολεῖσθε ἐξ ὁδοῦ δικαίας? Sed sunt, qui malunt totum hunc Psalmum alienare à Christo; in quo tamen Apostoli τὸ διαφορώτερον ὄνομα, quod Christus præ Angelis sortitus est, contineri docuerunt; Hebr. 1: 4. 5. imò quem in Christo verificatum testati sunt. Actor. 4. vers. 25. 26. 27. 28. Putabimusne id nomen, quod Angelis dari non potuit, Davidi datum? Numquid Davidi dici potuit omni die, *Ego hodie genui te?* Numquid David sedet in cœlis? Numquid Davidis hæreditas sunt gentes? & quidem ex postulatu ipsius? Numquid ei datum judicium? & ab ira ejus pendet salus aut interitus? & beatus est, qui ad eum confugit? Numquid David ille unus rex Dei unctus excellenti modo & veritate super Sion, ut monte sancto? Et filius ἴδιος? Nemo Theologorum putavit, hæc φερώνυμας in Davidem quadrare. Quis dicat, has appellationes ad plerosque sanctos & reges ex æquo pertinere? aut quis ponderans sua dicta pronunciabit, non magis hoc esse vaticinium de Messia, quàm quod ex Homero aut Hesiodo promi possit? Sed permittunt nobis Psalmum excellentiori sensu de Christo intelligere: dummodò verba illa δράξασθε παιδείας non de Christo puero sed de Christi doctrina intelligantur. Cuperem, qui illa dicunt, lectores suos docerent, quænam Prophetiæ sint nobiliores de Christo? Quibus argumentis eæ Christo sint vindicandæ? Quæ ratio sit excellentioris significatus? Sitne is intellectus excellentior in nostra potestate, an eum verba Spiritus Dei ingerant, ut, qui eum non recipit, etiam videatur vel non obedire divinæ voci, vel Spiritûs mentem ignorare? Sive, an putent, sensus esse non intentos à Spiritu sancto, quos ludentes possimus fingere, verba Dei vivi accommodantes rebus alienis? Denique, an videatur præter Spiritus mentem, sententiam, intentionem fieri, ut verba ejus extanti personæ & rei gestæ describendæ in suo valore sint aptissima, & in ea compleantur? Quòd verò iidem non permittunt nobis verba ultimi versus, pro quibus Græci dicunt δράξασθε παιδείας (quod revera idem est cum παιδεύθητε; quod extat vers. 10) intelligere de Christo puero (credo ipsos loqui cum Apostolis Act. 4. vers. 27.) idque seriò interdicunt; jubentque de Christi doctrina accipere: qua potestate id faciant, equidem ignoro. Quis enim aut quid me impediet, ut non dicam, & credam, Spiritum mihi per ea verba dicere, ut eum, qui solus propriè filius est, qui est μονογενής, adorem, exosculer, apprehendam, amplexer, totum induam & in me recipiam? Quod ut à Spiritu Dei libenter audio, ita non possum invenire voces prægnantiores & significantiores, quibus id animæ meæ dici & (ut cum IC. & patribus loquar) intimari exoptem. Hæc autem indignor non dicere Græcam interpretationem; quæ tantum abest, ut aliquid dixerit, quod olim in fonte extiterit vel nunc extet, ut mihi mutilati sermonis Dei & eversi sensus Spiritus sancti manifesta sit; atque adeò in illam sententiam incidat, quæ legitur apud Jeremiam cap. 8: 8. *Quomodo dicitis: Sapientes sumus, & Lex Jehovæ est nobiscum? Enimverò in mendacium vertit stilus falsarius Scribarum* quem ipsum locum quàm facetè transtulerint lepidi vates, cognoscere operæ pretium est. εἰς μάτην ἐγενήθη σχοῖνος ψευδὴς γραμματεῦσιν. Hæc sane ferulam merentur.

Porrò an idoneum putabimus ad intelligendum caput octavum Proverbiorum, quod in versione legitur vers. 22. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με, ἐν ἀρχῇ πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι, καὶ πρὸ τοῦ τὰς ἀβύσσους ποιῆσαι &c. γεννᾷ με. quod Hebræus codex pro fide Christiana nitidissimè dicit: *Jehovah habebat me* (genitam nimirum, ut ex sequentibus apparet) *principium viæ suæ, ante molitiones suas pridem: à seculo uncta sum, à capite, à primis terræ. Quum non essent abyssi, genita sum*, &c. vers. 30. ἤμην παρ' αὐτῷ ἁρμόζουσα. quod in Hebræo sic sonat: *Eram apud ipsum gestatus in sinu.* ut non dubitandum sit, Johannem cap. 1. vers. 18. inde sumsisse, ὁ υἱὸς μονογενὴς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός.

Item illud Deut. 29: 19. Καὶ ἔσται ἐὰν ἀκούσῃ τὰ ῥήματα τῆς ἀρᾶς ταύτης καὶ ἐπιφημίσηται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, λέγων, ὅσιά μοι γένοιτο, ὅτι ἐν τῇ ἀποπλανήσει τῆς καρδίας μου πορεύσομαι, ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρ-

τωλὸς

τυλὸς τὸν ἀναμάρτητον. quæ sic Hebræus Codex ad manifestandam condemnationem Judæorum & clarissimam justificationem libertatis Christianæ pronunciat; *Et fiat, quum audiverit verba hujus adjurationis, & benedicat sibi in corde suo, dicens, Pax mihi erit, quum in firmitate cordis mei ambulabo; ad jungendum satiatam cum sitiente.* Quem locum non cessamus inculcare, ut potissimam partem verborum, per quæ Deus voluit fœdus facere cum Israëlitis, & eos adjuravit. quæ verba & LXX. illi non intellexerunt, &, ut diu in Ecclesia Christiana non intelligerentur, effecerunt; neque etiamnum Hebræi intelligunt. quæ tamen in ipso illo capite & proximo & in omni Prophetia clarissimam expositionem habent.

Es. cap. 45. vers. 23. 24. 25. est illustris locus prædelineans sermonem Christi, quem audimus in Euangelio. qui juxta Hebræum Codicem sic habet: *Per me juravi: exivit ex ore meo justitia; verbum, quod non revertetur: nempe, Mihi se curvabit omne genu, jurabit omnis lingua. Tantùm in Jehovah (de me dixit) justitiæ* sive justitia omnis, *& robur* inexpugnabile ac subjiciens omnia. *ad eum accedet* quisque passim, *& pudefient omnes exardescentes in eum. in Jehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Audiamus nunc, quid de illo fecerit stilus Scribarum in Ægypto, ut ajunt. Κατ' ἐμαυτοῦ ὀμνύω, εἰ μὴ ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη, οἱ λόγοι μου οὐκ ἀποστραφήσονται; ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν Θεὸν, λέγων, Δικαιοσύνη καὶ δόξα πρὸς αὐτὸν ἥξει καὶ αἰσχυνθήσονται πάντες οἱ διορίζοντες αὐτούς. ἀπὸ Κυρίου δικαιωθήσονται καὶ ἐν τῷ Θεῷ ἐνδοξασθήσονται πᾶν τὸ σπέρμα τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Quis non putet, eos operam dedisse, ne de eo, qui in nomine Dei venit & loquutus est, de quo in volumine libri scriptum est, magnifica illa verba acciperentur; de quo Apostolus Rom. capit. 14. & Philip. capit. 2. ea rectè dicta esse asserit? præterquam quòd *justificari in Jehovah* plus est quàm *justificari à Jehovah.* Ergo & hoc in loco non ducunt me Scribæ Hellenistarum ad intelligentiam sermonis Dei.

Es. cap. 53. vers. 10. 11. talia nobis Hebræa litera & lectio exhibet: *Et Jehovah,* qui *ipsum cupienti enervare vires ademit, si ponat* vel *donet satisfactionem anima ejus, videbit semen,* quod *prolongabit dies & in cujus manu voluptas ejus procedet. A labore animæ suæ videbit, satiabitur. In agnitione sui justificationem conciliabit Justus Servus meus multis, & pravitates illorum ipse portabit.* Græca sunt illa: Καὶ Κύριος βούλεται καθαρίσαι αὐτὸν τῆς πληγῆς. ἐὰν δῶτε περὶ ἁμαρτίας, ἡ ψυχὴ ὑμῶν ὄψεται σπέρμα μακρόβιον. καὶ βούλεται Κύριος ἀφελεῖν ἀπὸ τοῦ πόνου τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, δεῖξαι αὐτῷ φῶς, καὶ πλάσαι τῇ συνέσει, δικαιῶσαι δίκαιον εὖ δουλεύοντα πολλοῖς, καὶ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνοίσει. Quid hæc sunt, nisi hominum oscitantium aut ebriorum ructus? Revera iis accidit, quod Æthiopi legenti hanc pericopen. *In tenebris ambulant.* Psalm. 82: 5. An propter illos μυωπάζοντας negabo me videre, quæ video, & intelligere, quæ intelligo & credo? Quæ in libri hujus cap. 4. exposui. Quæ quum οἱ ἐνοχλοῦντες χρονολόγοι amici nostri nobiscum credant, quare nolunt ibi dici, ubi dicuntur, aut jubent nos ab illis abire, qui dicunt, ad eos, qui non tantùm illa non dicunt, sed nihil dicunt?

Es. 63: 9. sic loquitur Hebræus: *In omni angustia ipsorum non* (h. e. vix) *oppugnavit* quis (impersonale) *& Angelus faciei ipsius salvos illos præstitit, in dilectione sua & compassione sua ille asseruit eos, & suscepit eos & portavit eos omnibus diebus seculi.* Videat Christianus, an malit ea Hellenistarum: ἐκ πάσης θλίψεως αὐτῶν οὐ πρέσβυς (mutant צר in ציר) οὐδὲ ἄγγελος (omittunt פניו, & negativam inferciunt) ἀλλὰ (hoc de suo opponunt) αὐτὸς ἔσωσεν αὐτοὺς &c. Quæ manifesta falsatio est. Neque dici potest, eos sensum secutos, non vocabula. Non fero interpretem Prophetam, qui mihi suos sensus dictat: nisi relinquant ἀρχέτυπον, ut possim de versione judicare. Est, ubi פני significat *ipse ego præsens.* nempe Exod. 33: 14. Sed sciendum est, ibi dici פני ילכו & mox, פניך הלכים, at verò hic legi פניו הוא הושיעם. Quare הוא ad פניו referendum. Neque opus est scitari, Quis ille angelus? Is nempe est Angelus Assertor, Angelus Testamenti, is, qui madidatus & rubefactus introducitur prodiens ex Edom & Bostra. Quem confido amicum novisse.

Es. 66: 5. Hebræus ita habet: *Audite verbum Jehovæ, qui trepidatis ad verbum ejus: Dixerunt fratres vestri, qui oderunt vos, qui separant vos: Propter nomen meum glorificabitur Jehovah. Et VIDEBIMUS lætitiam vestram, & illi pudefient.* Hellenistæ sic legunt: ἀκούσατε ῥήματα Κυρίου οἱ τρέμοντες τὸν λόγον αὐτοῦ. εἴπατε ἀδελφοὶ ἡμῶν τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς καὶ βδελυσσομένοις ἵνα τὸ ὄνομα Κυρίου δοξασθῇ καὶ ὀφθῇ ἐν τῇ εὐφροσύνῃ αὐτῶν καὶ ἐκεῖνοι αἰσχυνθήσονται.

Sed, quia illic Symbolum Judaicum à Deo rejicitur, videamus locum similem, qui est Habac. 1. vers. 11. *Tunc, ubi invaserit ventus & transiverit, reus fiet, cujus vis pro Deo suo.* Hellenistæ sic: τότε μεταβαλεῖ τὸ πνεῦμα καὶ διελεύσεται καὶ ἐξιλάσεται. αὕτη ἡ ἰσχὺς τῷ Θεῷ μου. Apparet, iis, qui ita verterunt, sermonem, quem voluerunt vertere, jam barbarum ex parte factum fuisse.

Sed demus amicis problema ad tempus pertinens. Quî fit, ut Levit. 23: 11. pro Hebræo ממחרת השבת Græcus vertat τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης. Et tamen vers. 15. ἀπὸ τῆς ἐπαύριον τῶν σαββάτων. & rursus vers. 16. ἕως τῆς ἐπαύριον τῆς ἐσχάτης ἑβδομάδος? Dabunt, scio, causam, & eadem opera explicabunt, quid sit δευτεροπρώτῳ Luc. 6: 1. sed nescio, an laudaturi sint versionem, & quidem

dem tam inconstantem. quippe quæ in eadem pericopa τὴν ἐπαύριον τοῦ σαββάτου intelligit *secundam* festi, & mox eam, quæ novam hebdomadem inchoat, non post Sabbatum, sed respondentem secundæ in festo Paschatis. Quæ Judaica traditio, non divina lex est.

Sed hæc loca non me offenderunt sola, quasi in perpetua lectione; sed, dum hæc cogito, in manus non quæsita inciderunt statim & confertim. Similium non est numerus. Piget plura addere. Quasi magnis viribus opus sit ad causam dudum confossam prosternendam.

Nempe hoc extorquemus amicis & inimicis, Græca versione usam esse quidem Ecclesiam, sed non potuisse ea niti ad mentem sacrarum literarum penitiùs pervestigandam & pernoscendam. Justinianus in dicta Novella 146. jubet, *septuaginta translatione præcipuè uti omnes, quippe quæ certior sit, & melior omnibus judicata.* Non tamen præ Hebræa lectione, quam Judæis in suis Synagogis permittit: imò commendat. ut quum dicit cap. 3. *Oramus verò eos, aut per istam aut per illam (id est, Græcam & Hebraicam,* ait annotator) *linguam sacros libros audientes servare* (h.e. cavere) *quidem interpretantium malignitatem, non solas verò considerare voces, sed rebus refici & divinum veraciter intellectum excipere, ut & redoceri quod melius est & quiescere aliquando errantes & in hoc ipso, quod est omnium καιριώτατον, peccantes, in Deum spem dicimus. Propterea enim omnem eis vocem aperimus ad sacrorum librorum lectionem, ut omnes de cætero eorum accipientes scientiam doctiores ac meliores fiant,* &c.

Concludamus igitur, quod verum & certum est, per & propter genuinas sacras ac θεοπνεύστους scripturas, in populo Dei extantes, Græcam editionem habuisse, quamcunque habuit, sive utilitatem sive auctoritatem; & ad eas debere referri & examinari: in quibus sunt λόγοι διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου.

Eas verò in nostris esse manibus, & à nobis legi audirive posse, quomodo certum habeam, puto, mihi esse exponendum.

Dubitari non potest, quin exstent verba Mosis, Davidis & Prophetarum, quibus Testamentum Dei & fœdus (quo accepto, amici Dei simus) continetur. Nulla enim versio est, quæ illa non habeat eo propemodum tenore, quo & in libris Hebræorum leguntur & ab Hebræis pronunciantur. Promissio in paradiso audita, ea, quam Abrahamus accepit, testimonium de Abrahami justificatione ex fide, Decalogus, prophetiæ innumeræ sic leguntur in versionibus, præcipuè illa septuaginta virorum, ut in iis partibus recto talo stare Hebræum codicem & ejus αὐθεντίαν, & eam non esse novam, manifestum sit.

Si vel hoc monuisset amicus noster, minùs ægrè ferrem ipsius παραδοξολογίας. Debuit id facere, &, quum non fecerit, gratulabitur, sat scio, id à nobis agi.

Interest enim, ut omnes homines intelligant, Deum fidem suam liberasse, qui promisit, ita publicam fore legem suam, ut in omnium cogitatione versetur, &, qui credunt, sint discipuli ipsius Dei, credentes id, quod vocibus Spiritus Sancti significari, dubitare non possunt; neque opus habeant doceri, quis sit Deus, à quoquam, aut ex privatis scriniis verbum Dei repetere. Hoc Dei beneficium nunquam tacendum est. Plurimorum enim refert. Nondum enim omnia videmus Christo subjecta. Adhuc sunt hostes veritatis in mundo. Supersunt, qui dominari in Ecclesia, & hominum verba ei propinare gestiunt. Non pauci verbum Dei & salutem suam negligunt.

Omitto nunc, in iis verbis, quibus Testamentum Dei & Fœdus explicatur & Euangelium promittitur, apertam esse notam divinitatis, illam, quòd in iis est sapientia Deo digna, & veritas, cui conscientia attestatur. Quod argumentum satis est, ut pro certo habeamus, non potuisse verba, in quibus ea sapientia continetur, nisi à Deo prodiisse. Nam certè à Diabolo non sunt, per quæ Deus glorificatur & homo ad amorem Dei convertitur. Qualia sunt, quæ Deum nobis ostendunt amabilem: & ita quidem, ut, qui non amat, eum nec cognovisse deprehendatur.

Sed, ut dixi, hæc omitto. Pauci enim attendunt ad *sapientiam eminentissimam* illam (quam Augustinus potissimum argumentum divinitatis Scripturarum facit) & Dei ea bonitas est, ut etiam fatuis & insipientibus non velit deesse argumenta, ex quibus cognoscere possint, se loqui ad ipsos.

De quibus antequam dicam, illud censeo in media acie collocandum, quod à quovis, dummodò attendat, animadverti facilè potest.

Constat, Deum voluisse per Mosen & Prophetas edi vaticinia de futuris temporibus, non tantùm Veteris, sed etiam, imò præcipuè, Novi Testamenti: & magnam partem sacrarum literarum consistere in vaticiniis. Necesse est autem, si Deus voluit veritatem Euangelii ex iis recognosci, & Judæos per ea converti, & Ecclesiam in omni visitatione erigi ac confirmari, omninoque divinam suam providentiam & veritatem perspici, ea oracula de mundo non abiisse. Quas Prophetias Apostolus vetat ἐξουθενεῖν. 1 Thess. 5: 20. Quod sanè faciemus, si vel non attendamus ad eas, vel irrideamus eos, qui promissa ἀπεκδέχονται, aut, quæ fiant, νοοῦσι, vel ea disceptationibus nostris faciamus ἄδηλα.

Ego verò ajo, vaticinia Mosis & aliorum Prophetarum in Hebræorum manu & ore extare;

 quia,

quia, quæ de illis intelligo, quousque debuerunt esse impleta, comperio esse vera, & iis verbis dicta, quæ ut ullo modo mutentur aut interpolentur, jure desiderare non possum. & à quibus verbis illa omnium versionum derivata esse, &, utut sæpe lutulenta, defluxisse, manifestum est. Cogitet amicus, an ego vel alius, quibus hoc animi est, debeamus vel possimus commoveri ullis vel sævis vel plausibilibus dictis, ut incipiamus vel dubitare de eorum, quæ legimus & audimus, divinitate. In quo argumento id non minimum ponderis habet, quòd ea testimonia, quæ D. Jesus & Apostoli recitarunt ex Lege, Psalmis & Prophetis de rebus gerendis in Christi ἐπιφανείᾳ, reperiuntur in suis locis, & majorem etiam lucem habent pleraque in Hebræa lectione recepta, quam in versione Græca, licet Græca versio ab Apostolis judicaretur sufficere ad fidem faciendam, non sola, sed propter ἀρχέτυπον, ut ante dixi. Quanquam nec semper eam secuti sunt. quod est ab Hieronymo demonstratum, & ab Usserio *de edit.* LXX. *interpretum cap.* 3. *pag.* 26. 27 28.

Quare non possum accusare Judæos, quòd de industria Codices suos depravaverint. Quod si ullibi factum videri deberet, Psalm. 22. vers. 17. videri deberet factum. ubi est כארי pro כארו. At ipsi Judæi annotant, se ita in correctis exemplaribus reperisse, & Masora testatur, hoc esse כְּתִיב *scriptum.* Et quare Zachar. 12. vers. 10. non mutarunt דקרו ἐξεκέντησαν in רקדו κατωρχήσαντο? quod constat in LXX. interpretum versione fuisse, sive, quia Hieronymus & alii id testantur, sive quia adhuc in Codicibus exstat: quamvis quidam assuerint εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Qui à Johanne hoc sine dubio assumserunt. quod vel inde patet, quia Johannis phrasin non intellexerunt. Johannes non omnia verba reddidit, sed, quod volebat, de textu posuit. Integrè locus sic debebat habere. καὶ ὄψονται εἰς ἐμὲ καὶ ὃν, vel σὺν ᾧ (ut rectè quidam in variis lectionibus Waltonianis) ἐξεκέντησαν. At Basileensis. καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Atqui illud εἰς pendet à verbo ὄψονται, cum quo id Johannes conjunxit. Apocalyps. 1. vers. 7. dicit, αὐτὸν ἐξεκέντησαν. non εἰς αὐτόν. Id & Justin. non vidit, qui legit p. 179. edit. Commel. καὶ ὄψεται ὁ λαὸς ὑμῶν καὶ γνωριεῖ εἰς ὃν ἐξεκέντησαν ὡς (observa ἀποσιώπησιν) Ζαχαρίας εἷς τῶν δώδεκα προφητῶν καὶ Δανιὴλ προεῖπεν. Nunquam Græca versio τὸ ἐκκεντεῖν aliter ponit, quàm cum accusativo. Et qui posset? ἐκκεντεῖν est *perfodere*; nempe, ut gladius penetret & exeat per corpus aut ejus q. parietes. Quàm ineptum igitur foret ἐκκεντεῖν εἰς τινα? At hoc interpolatores illi non observarunt. Nihil est igitur, quod amicus dicat, Johannem fideliter secutum esse LXX. interpretes; quasi non fuisset fidelis narrator verborum Dei, nisi illos sequeretur. Meliùs Græcus: Ἀνθ᾽ ὧν κατωρχήσαντο. οὕτω μὲν οἱ ό. ὁ δὲ Θεοδοτίων ἐποίησεν· καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ὃν ἐξεκέντησαν. ἐσημειωσάμεθα δὲ ὅτι ἐπί τινων οἱ ἀπόστολοι τὸ ἑβραϊκὸν καὶ οὐ τὸ ἐν τῇ κοινῇ τεθείκασιν. Et Hieronymus asseverat, non aliunde, quàm ex Hebræo hæc Johannem protulisse. Quod Latini post Apostolos melius eum locum legerunt, quam LXX. quis miretur, quum à Johanne & Græcæ Ecclesiæ sermonibus discerent hanc Scripturam, & Hebræi eam non infitiarentur? Sed omittamus ista.

Hoc enim nunc tantùm urgeo: Neminem, qui Prophetias cum Euangelio vel historia citeriorum temporum pensiculatè contulerit, meritò desiderare posse, ut Prophetæ aliter de rebus iis, quæ nobis prædicantur, quasque factas novimus, locuti sint, quàm eos per os Hebræorum & in libris eorum loquentes videmus & audimus: in quantum duntaxat nobis & de prædicatione Novi Testamenti & de ejus prophetia (quæ consentit cum ea Veteris) & de rebus factis secundùm prophetiam innotuit.

Si quis porrò dicat, id meum judicium esse; & eo non posse alios stare; ei videbor jure respondere: neminem de ea re judicare posse, nisi qui, conferens prophetata Veterum cum prædicatis & prophetatis Apostolorum & cum factis in Ecclesia & mundo, viderit & cognoverit, quibus rebus quæ verba conveniant. Si igitur ea in re judicium hominis cujusquam apud alios valere debeat, me non videre, quare non & meum debeat valere; sin autem hæc fides prophetiarum non auctoritate hominum sed sensu proprio continetur, debere illos, qui Codices Græcos Hebræis præferunt vel tantisper silere, donec illa omnia studiosè contulerint, vel demonstrare, quòd Hebræa lectio nec Euangelio nec vaticiniis Christi atque Apostolorum, neque rebus gestis conveniat, aut, si convenit, tamen adhuc magis convenire & majorem lucem facere Græcam editionem, idque adstipulantibus literis Codicis Hebræi.

Fuit, qui Hos. 12: 5. literas Hebræas putavit alia vocalium modulatione esse afficiendas, ut commodiorem sensum funderent. At ille & sensui detraxit, & prophetico spiritu novam, inusitatam atque inauditam vocem commentus est, עִמּוֹ pro עִמָּנוּ, ut faceret *cum ipso*, quod legi debet *nobiscum.* Quot non prophetæ nobis exorientur, si hoc licebit? Quantò tutius est, si tibi videatur, quod audis & legis, non fundere satis commodum sensum, cogitare, fortasse tibi necdum datum esse scire, de qua re loquatur Spiritus, aut eam rem plenè intelligere, atque ideò paullulum subsistere & judicium non præcipitare. Me certè jamdudum Augustinus pertraxit in suam sententiam, quam pulcherrimè enunciat 4. de Doctr. Christ. cap. 6. ubi agit de eloquentia auctorum nostrorum, hoc est, sacrorum. *Ubi eos,* inquit, *intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter*

ter loqui debuisse. Quod Augustinus ausus est utens Latinis Græcisque exemplaribus, id multò majori jure videor audere, non omninò indiligenter (uti quibusdam videtur) utens iis exemplaribus, ex quibus omnes versionum rivulos oportet esse deductos. quod nobiscum tenet atque asserit Ludovicus Capellus, cujus sensum de punctorum ætate & Versionis Græcæ ad lectionem Hebræam emendandam utilitate Amicus videri vult sequi.

Sed pergo ad alia, quæ omnibus obvia sunt. Præter Promissionem & Testamentum Dei ac verba Fœderis, Prophetiam quæ de Euangelio deque rebus in regno Dei futuris, extat etiam in sacris literis historia, & nominatim historia traditæ legis & operum, quæ Deus fecit, quum eam tradere vellet aut traderet. Hanc historiam in Codice Hebræo contineri, & in eo rectè legi, non possumus dubitare; saltem quoad præcipua. Nam & à Davide deinde multa repetuntur, & in libris citerioribus; & in Novo Testamento recitantur; & Codices Græci eadem referunt. saltem, ut appareat, illos ἑλληνίζοντας voluisse illa Hebræa & non alia efferre.

Est autem historia hæc conservata magni momenti. Per eam Deus sibi nomen fecit & facit usque ad fines ea terræ. Quin ea historia testis est, ea, quæ scripsit Moses, à Deo ipsi fuisse dictata: &, quòd ea sic ubique leguntur, argumento est, ea sic esse facta, & fingi non potuisse. Nam, quæ ita scripta sunt, ut totus populus, (imò omnes homines, quotquot rem posse ad se pertinere putarunt) esset conscius eorum, quæ dicta & facta & scripta sunt, & eorum sit testis, ea conficta esse non possunt. Atqui eorum, quæ per Mosen vel interpretem vel Mediatorem dicta, & per eum ac circa eum, itemque in Ægyptiis & populo, acta sunt, testis factus est totus populus, & adhuc testis fit. quia, dum ex filiorum manibus accipimus illos libros, in quibus ea perscripta sunt, & ita scripta sunt, ut toti populo prælegerentur, & populus juberetur ea narrare ac tradere filiis suis cum iis liberis; agnoscimus, eos libros in manibus filiorum nullo modo futuros fuisse, nisi patres ita vidissent & audivissent, & libros ac narrata in eis sic accepissent, & jussi essent suis filiis ac nepotibus tradere ac narrare: quod factum esse, ex historiæ illius incorrupta & invariata recitatione in tot linguis constat: atque ita ipsi quasi in rem præsentem venimus.

Ad hæc fulcra fidei nostræ accedit, quòd in iis ipsis libris legimus, Deum promisisse Israëli Deut. 30. quòd post experimentum bonorum & malorum eos recollecturus esset in terram suam, & circumcisurus illorum corda; &, quòd imposterum, convertentes se ad Dominum, facturi essent legem scriptam in illo libro vers. 10. Quo (ni fallor. Nam quid aliud significari potest?) significatur, librum legis etiam ultimo tempore exstiturum. Nam ea promissio se extendit ad Novum Testamentum. Nam illa circumcisio cordis notatur, quæ facta est per Christum & describitur suis partibus Coloss. 2: 11. 12. 13. 14. 15. Unde conficimus, voces legis & libri legis non perituras ex mundo. Nam ipsa autographa conservari non poterant; neque, si conservarentur, ab omnibus haberi aut ab apographis discerni. Hoc solet dici ῥῆμα Θεοῦ

Neque tantùm hoc promissum est, sed de Israële prædictum est, Canticum, quod Mosi datum est, ut id doceret Israëlitas, non oblivioni datum iri, ut abeat ab ore ipsorum, & fore testem contra ipsos, quum defecissent à Deo: quo fine etiam id scribi jussit. Deut. 31: 19. 21. Ex quo conficimus, & literam in manu & pronunciationem illius Carminis in ore Judæorum rebellium mansuram esse ad ultimum usque tempus. Cum quibus sine dubio liber legis conservandus intelligitur. Quia sine eo Carmen hoc non posset esse testis contra ipsos. nam ex libro legis Carminis ejus ænigmata patent, & ex eo demonstratio sumi debet ejus peccati, quod eos commissuros in rupem salutis & filios ejus dicit Canticum. Conveniebat igitur, ut non tantum in aliis linguis quomodocunque extarent voces æquivalentes vocibus hujus Carminis, quod scriptum erat eo fine; sed etiam, ut ipsæ hæ voces scriptæ remanerent, & pronunciarentur ab aliqua parte populi: ut ita & certi esse possent, eas voces à Deo esse dictatas, & de sensu earum, quo damnantur, suo tempore possent convinci.

Psalm. 102: 19. extat: *Scribatur hoc in ætatem ultimam, & populus, qui creatus fuerit, celebrabit Jah.* Ex eo loco manifestum est, Deum ordinasse Scripturam in testimonium non tantùm posteriori sed & postremæ generationi.

Quò etiam referendum, quod est Esai. 30. vers. 8. *Nunc veni, scribe id in tabula, & in libro exara, & erit in diem novissimum, in perpetuum, in seculum.* & Es. 34. vers. 16. *quærite in libro Domini.* Loquitur autem ea Prophetia de destructione Edomi mystici, hoc est, Judæorum populi.

Omninò, si quid Deus voluit scribi, & spiritus Dei quid scribendum dictavit, putamusne, ad id Deum non respicere? idque siturum interpolari, mutari & fieri ἄδηλον, atque ut ἄδηλον φωνὴν διδῶσαν σάλπιγγα? 1. Corinth. 14. vers. 8. præsertim, quum verbum Dei magis sit necessarium mundo, quam Sol & Luna? Atqui siderum chorus tam diligenter & accuratè suo loco & tempore hominum oculis integer sistitur. Quo nos argumento confirmat Jeremias cap. 31. vers. 35. 36. *Sic ait Dominus, dans solem in lucem de die, statuta lunæ & stellarum in lucem noctu, movens mare, ut strepant fluctus ejus: cujus nomen est Jehovah* Deus *exercituum. Si re-*

recedent statuta hæc à facie mea (ait Dominus) etiam semen Israëlis desinet esse gens coram me omnibus diebus. &c. Hæc jungit Jeremias promissioni Novi Testamenti, cujus primum bonum est, *Legem meam ponam in medio ipsorum, & in corde illorum scribam.* Si igitur Israël hæres N. Test. est coram Deo, ut Sol, Luna & stellæ, etiam Lex Dei inscribenda ipsorum cordibus est perinde coram Deo.

Apostolus 2 Tim. 3: 15. 16. quum de ἱεροῖς γράμμασιν *sacris literis* agit, docet, Scripturam divinitùs inspiratam etiam esse utilem ad doctrinam &c. & ad hoc comparatam, ut homo Dei sit ἄρτιος, ad omne bonum opus instructus; significans, eo ipso, quòd θεόπνευστος est γραφή, demonstrari, quòd sit utilis ad doctrinam, correctionem, redargutionem, & ad hominem Dei armandum & aptum faciendum ad omne bonum opus: & ad eum finem non tantùm accommodata, sed etiam ordinata. Si quidem is, qui finem vult, id quoque vult esse, quod ad eum finem paravit.

Quæ quum ita sint, etiamsi hoc Apostolus non diceret, nos ipsi facilè concludere possemus, Judæis concredita esse oracula Dei, Rom. 3: 2. 3. 4. quod significat, ita tradita esse Dei oracula genti Judaicæ, ut per eam scribendo & legendo conservarentur usque ad ultimum diem. Vir doctus, dum vult effugere vim hujus testimonii, vim ipse sibi facit, atque id dicit, quòd ipsius animus probare non potest. De Mose, Prophetis ac cæteris, qui digni habiti sunt, ut legem Dei acciperent, hoc intelligendum esse. stultè ac nequiter facere, qui de futuris Judæorum librariis & Masorethis verba Pauli accipienda esse contendunt. quasi Deus non semper *Israëli* indicaret verba sua. Psal. 147: 19.

Si rationem habuisset, abstinuisset à sævis dictis. Iratus fuit Paulo, quòd hoc apud eum cogeretur legere. qui manifestè loquitur de prærogativa circumcisionis & Judæi. Olim totus populus non vocabantur Judæi. Deinde agit de illis, quorum quidam non crediderunt. Præterea de iis ipsis, qui non crediderunt; quorum infidelitas Dei fidem non potuerit facere irritam. nempe, ut non præstaret, quod dixerat, & quod tradendo oracula sua illi populo intenderat; & ita in ore ipsorum, etiam infidelium, non conservarentur. Si de Mose, Prophetis & primis, qui legem Dei acceperunt, intelligimus, an eo satisfit divinæ intentioni, quam significat, dum dicit, credita ipsis esse oracula Dei? Nonne enim hoc valet, Deum ipsos fecisse fiduciarios possessores verborum suorum, & fideicommisso ipsos onerasse, ut ab ipsis ea acciperent, quibus eorum hæreditas testamento data est? Quæ stultitia est, quæ nequitia, in eo, quod fecerunt scribæ (γραμματεῖς insigne nomen est in sacris, & in Esra est præstantius nomine sacerdotis) fecerunt & Masorethæ, h. e. traditæ Scripturæ conservatores, agnoscere diligentiam populi & fidelitatem Dei? Factum est enim hoc juxta præceptum, ut scriberent, ut meditarentur die & nocte, ut ab ore illorum non recederet, ut etiam solennis cœtus ageretur per septennium, in quo lex publicè prælegeretur. Et putamus, vulgò timentes Deum non attulisse suos codices, & eos inspexisse, quum lex legeretur? aut in memoria non habuisse, quum recitarentur illius verba? Testantur Apostoli Actor. 15. vers. 21. Mosen à generationibus priscis oppidatim habere prædicantes eum, & omnibus Sabbatis in Synagoga legi.

Amicus noster dicit, præfat. pag. 5. forsan nec tria exemplaria Hebræa superfuisse post excidium Hierosolymorum. Judæos per Orbem Romanum dispersos ubique non Hebræis sed Græcis Codicibus fuisse usos. Quid dicam de illo *forsan*; quod fundamentum est totius causæ? An toto illo anno, quo cessavit bellum, à morte Neronis, nemo pius aut Christianus egressus est Hierosolymis secundùm monitum Christi? An nullæ fuerunt Synagogæ in Judæa, nisi Hierosolymis? An nullæ in Syria? nullæ in Asia? nullæ in Ægypto? Quis dixit ipsi, in Imperio Romano solos Codices Græcos fuisse tractatos? Quando incepit ille mos, ut in Synagogis inter gentes legerentur Codices Hebræi, ut nunc obtinet? An illi, qui superfuerunt ab Hierosolymorum excidio usque ab bellum sub Adriano, quorum mentio frequens in Talmud, nulla habuerunt exemplaria? ergone Deus propterea voluit exscindi Hierosolyma, ut cum altari & templo etiam verbum suum tolleret ab hominum oculis & ore? Qui autem potuerunt, quum vix tria exemplaria superessent, exoriri subitò viri magna audacia præditi, Masorethæ, qui sub προφάσει maximæ diligentiæ ac fidei, tribus illis exemplaribus potiti, ediderint pro eis novum Codicem incrustatum suis punctulis & à se corruptum ac depravatum: quorum apud omnes esset tanta auctoritas, ut, omissa sancta editione LXX. virorum, illorum hominum & notas, incognitas sibi antea, & lectionem, & corruptelas, & linguam didicerint in dispersione ac probaverint? Quare hi homines malè feriati non saltem sustulerunt Prophetiam Danielis cap 9.? Sed quare nec Christus nec Apostoli nos præmonuerunt de tanta impostura, sed potiùs τὴν γραφὴν, τὰ ἱερὰ γράμματα, τὰ γεγραμμένα βιβλία, τὸ ἀναγινωσκόμενον nobis commendare non cessarunt?

Non dubito, quin amicus, Vir doctus & judicii singularis, abreptus studio suæ Chronologiæ, neque de illis, de quibus nostrum est cogitare, cogitans, sit nobis assensurus, vigilasse divinam providentiam super iis, de quibus egimus hactenus. Quanquam miror, eum allegantibus divinam providentiam simpliciter opponere varias lectiones Veteris & Novi Testamenti

menti

menti. quasi vellet negare Dei Providentiam circa verbum suum. Ostendendum enim erat & explicandum, eas varietates non tantùm non obscurare divinam providentiam, sed etiam eam illustrare. Quid enim? Annon insigne divinæ providentiæ argumentum est, quod inter tot hostes veritatis & sanctorum Codicum, & inter tantam ignorantiam & continuam defectionem populi à fœdere Dei voces Spiritus Sancti tanta sui parte integræ & lectio tam bona permansit? quod variantes lectiones sensum aut planè non aut vix mutant? quod apparet eas variationes esse titubationes hominum omnem operam navantium, ut integra retineantur oracula Dei? Sed fac, ita lectiones variare, ut tantùm una possit retineri. Tum sanè, quæ retinenda sit, ex analogia fidei eorum, quæ certa & intemerata sunt, apparebit. Si verò ex analogia fidei id discerni non possit, manifestum est, id fieri in tali re, ubi aliquid veri ignorare periculo vacat. quemadmodum aliquid ignorare citra annos & genealogias & numeros hominum, verbi causa, cæsorum in præliis, caret omni periculo. Neque ego non admiror, quòd Deus non noluit verbum suum iis maculis carere; quemadmodum & Solem & Lunam pulcherrima sidera absque maculis esse noluit. Quod enim regnum Dei attinet, in omnem partem verum est; Beatus, qui non scandalizatur. Matth. 11: 6. Deus est Deus, qui se occultat. Es. 45: 15. regnum Dei non venit μετὰ παρατηρήσεως. Luc. 17: 20. Spinæ istæ his rosis addi debuerunt, ut esset, quo compungerentur ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, & non deesset Diabolo sanna, quam vinceret fides.

Intelligere verò est ex iis, quæ diximus, vocalium notulas, quam *incrustaturam Masorethicam* appellat vir doctus, non tantùm considerandas esse, ut expositionem quandam: ut cogar dubius esse, utra expositio sit verior, eane, quæ fit per Hebræorum pronunciationem, an ea, quæ est in versione Græcorum, aut alii liceat tueri hanc expositionem, mihi verò pari jure hanc, & de iis inter nos jurgandum sit. Sunt eæ notulæ nobis (ut parum eis tribuamus) vicariæ τῆς ἀναγνώσεως, *lectionis*, quæ à priscis ætatibus obtinuit in Synagogis: de qua Apostoli testantur Actor. 15: 21. Manibus, oculis, linguis, auribus, animis incumbere debuit ea gens ad conservationem oraculorum Dei. Ita factum est. &, in quibus disceptarent apicibus, qui hanc operam navarunt, cum cura annotatum est. quæ discrepantiæ sunt parvi ponderis. Ut oporteat Deo pro illa providentia, & erga nos, qui in fines seculorum incidimus, gratia, quantas corde concipere possumus, agere gratias: quum nihil in mundo sit accommodatius ad Judæorum infidelitatem redarguendam, ad veritatem Euangelii demonstrandam, ad Antichristum denudandum, ad veritatem eorum, quæ prædicta sunt, ostendendam. Quod nisi à Deo esse non potest; neque id à Rabbinis confictum atque excogitatum est.

Quare, si non omninò nobis negatum est discernere spiritus, &, quid manchinetur Satanas, odorari, quò dicemus pertinere, quod jam olim nimis magna Græcæ alicui versioni, tanquam LXX Prophetarum, auctoritas adstructa est, & Hebrææ literæ contemtæ sunt, quàm ut homines parum viderent, quid Satanas ageret in mundo, & ad veritatem plenè cognoscendam non aspirarent, & magno fructu divinarum literarum careret Ecclesia, Judæi autem in suis erroribus detinerentur, & Turcis daretur occasio dicendi, à Judæis & Christianis sacras literas corruptas esse: denique mundus diceret, Quis novit, an hæc sint vera? Quales multi sunt, qui inter discrepantes de religione versantur, ut ἄθεοι, &, inter discrepantes de principio fidei, ab eo abstinent, tam, sibi poni offendiculum, quàm suppeditari, quæ docentibus objicientes molesti esse possint, gaudentes. Profectò hæ sententiæ huc faciunt & ad hoc jactantur, ut omnes versiones, expositiones, commentationes, omnisque adeò labor, qui in Ecclesia Euangelica, atque in ipso Papatu, sumtus est ad illustrandum sacras literas Veteris Testamenti Hebraici, proculcentur & abjiciantur; imò à sacris sermonibus Ecclesia deterreatur: imprimis, qui se ad Ecclesiam docendam comparant, à necessario studio verè divinarum literarum etiam alieniores fiant, à quo satis alioqui, propter nescio quam difficultatem, abhorrent. Quis enim ea discet, quæ persuasus sit nec legi nec pronunciari posse, imò corrupta esse? imò quid discet, cui nihil ostenditur minùs corruptum?

Jubet nos amicus puncta vocalia Hebræorum Codicum negligere. Quid causæ? Nova sunt, inquit, à Masorethis excogitata. Quis hoc ipsi dixit? Scio, Ludovicum Capellum scripsisse Arcanum punctationis, & virum eximium Thomam Erpenium id scriptum edidisse. Quid autem toto illo libro efficitur? An, vocales non fuisse in sermone Hebræorum? Quod impossibile est. An, Hebræos non potuisse sonos distinguere, quum docerent liberos suos aut discipulos? saltem, ut Græci, & Latini & Germani & alii suas vocales non nomenclaturis, sed sonis distinguunt? Nihil magis à verisimilitudine abhorret. An, nullas notulas fuisse, quas privatim solers quisque distinctionis ergo potuerit addere diversæ pronunciationis vocabulis? ut si fortè שֵׁם & שָׁם distinguenda fuerint? Atqui ipsæ literæ ad id factæ sunt, ut tales notulas suscipiant, & nec Syri, nec Arabes iis carent, & Æthiopes vocalium signa literarum corporibus implicant. Neque potuit quisquam pueros docere legere aliter, quàm monendo, cum quibus literis quæ vocales pronunciandæ essent, aut saltem, quibus vocibus literarum singula systemata responderent: veluti quando hæ literæ אמ pronunciandæ essent vel

αβ, vel ἦβ, vel ὦβ: quorum illud *patrem*, alterum *virorem* aut *maturitatem*, aut *fructum maturescentem*, tertium *utrem* vel ἐγγαστρίμυθον significat. Si in institutione hac vocales præformatæ aut sigillatim expressæ non sunt, saltem auribus insinuatæ & animo cogitatæ ac distinctæ sunt.

Quàm verò est probabile, serò demum esse exortos, qui tam feliciter notulas excogitarent & per totum mundum propagarent? Quod si factum est, miraculum revera est. Nam fieri non potuit absque Θεῦ παλάμα, ut tam nobile, tam utile Christi Ecclesiæ ad facilè addiscendum sermonem Dei pararetur instrumentum. Fac igitur, ea puncta adeò nova esse, ideòne relinquenda erunt? Nonne potiùs ideò non erunt aspernanda nec relinquenda? Nam impossibile fuit, ut lectio secundùm illa puncta apud omnes Judæos, τῦ παραδοθέντος tenacissimos, reciperetur, & ex notulæ cupidè ab omnibus discerentur & pueris traderentur, si non ea lectio exprimeret id ipsum, quod meminerant se ab ineunte ætate audivisse & pronunciasse. Nam quo dolo circumveniri potuerunt, ut ea admitterent, quæ antea non audiverant, quæque Christianis auditu grata essent; & ea cum Christianis ipsi communicarent? Quæ auctoritas, potestas, vis eos ea admitte coëgit?

Nihil novi admiserunt, si punctata à doctis exemplaria admiserunt. In Synagoga proferunt exemplaria non punctata: domi habent punctata; ex iis discunt pronunciare: quod aliàs magna mercede discendum erat. Ita pronunciantes audiuntur ab iis, qui non aliam linguam audiunt, quàm cui à teneris unguiculis assueverant: nisi quantùm pronunciationem variat mos in variis gentibus. Novimus enim, aliter Judæos Hispanos, Italos, Gallos, aliter Polonos, Germanos pronunciare. qui tamen utuntur iisdem & literis & punctis.

Enimverò, si textus Hebræus ad mentem Græcæ Versionis illius τ̃ LXX. (quam nobis aliquando integram dabit amicus. neque enim videntur adhuc docti sibi eam possidere) reformandus est, non de solis punctis agetur sine dubio, sed de multis literis, & vocibus, quæ vel mutandæ & refingendæ, vel addendæ vel detrahendæ erunt: imò & de significatione earum vocum, quas ante oculos sine dubio habuerunt, & aliter extulerunt, atque hactenus didicimus, vel etiam ipsi aliquando interpretati sunt. Credo autem verum mansurum, quod vir sanè doctissimus, & cui plurimum tribuit Amicus, Ludovicus Capellus in sua epistola Apologetica ad Usserium (quam possideo ipsius dono) pag. 21. scribit: *At eos* (LXX. interpretes) *tamen omnia vidisse, omnia intellexisse, nullibi lapsos esse aut hallucinatos, nemo dixerit, nisi qui Hebraicè nihil scit, & qui eorum Translationem cum Hebræo textu non contulit, etiam in iis locis, in quibus illi, non secus quàm nos hodie, legerunt. ubi videre est frequentes eorum pueriles & pudendos sæpe lapsus atque aberrationes à genuina vocum & phraseon significatione, & S. Scriptorum mente atque scopo.*

Equidem non nego, sæpè fieri, ut de vera & genuina significatione ac proprietate hujus aut illius vocabuli cogantur laborare docti. verbi causa, quid sint אתיקים apud Ezechielem. Sed ii ad analogiam imprimis omnia revocant, Scripturæ loca inter se conferunt, linguas Orientis consulunt, etiam, si aliter non possint, interpretes audiunt, sermonis tenorem & ὕφος contemplantur; sed non novam linguam vaticinantur, quale illud est: ברא quod in Scripturis notat novum facere esse momento voluntatis, nunquam, ne Genes. 1. vers. 1. quidem, significare, creare ex nihilo; quia vocabula ad legem naturæ sunt formata. Quasi non rerum, quas esse necesse non est, si sint, natura sit, incepisse esse, & ex nihilo creatas esse. תהו, quod est ἀκόσμον, esse ἄψαλον, & בהו, quod est ἀθεμελίωτον, νόμενα dicere terram & aquam (quæ erant תהו ובהו) etiam postquam lux facta est: aut תהו idem notare, quod *tenebras fuisse super faciem abyssi*, & μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι idem esse, quod τὰ μὴ φαινόμενα βλεπόμενα γεγονέναι, idque nihil significare, nisi productionem lucis; aut sanè terram dici ἀόρατον, quia aquis tecta erat & supra eas nondum erat fundata: quod notat קו תהו propriè; ut ex Esaiæ cap. 34. vers. 11. liquere potest. quanquam in eo ipso loco ostendunt LXX. se hoc vocabulum non intellexisse. פרזון esse δρατ-ἰεαξ, & בר παιδείαν, & אולם *olim*, & אולם לוז τὴν παλαιλοῦζ, & אולם ליש τὴν παλαιλαίς. quasi essent duæ Luz & duæ Lajis, ut τύρος & παλαίτυρος: & hoc aliquis amico nostro revelasset. uti &, קפד esse nomen plantæ, quod, ut planum est, notat virgultorum implicationem & perplexitatem. Juraret hoc amicus, nisi videret, suos LXX. prophetas id ignorasse.

Quid verò me fiet, si relinquenda sunt, οἷς ἐντέθραμμαι, quibus audiendis, legendis, meditandis ætatem trivi, quibus delector, quæ me erudiunt, quæ ex parte me puto intelligere, & quæ, quantum intelligo, admiror & credo? Quid meriti sunt de me Rabbini isti sive ἀναγνῶσαι Hebræorum, quare nunc divortium ab illorum ἀναγνώσει faciam? An', quia aliquis dicit, Davidem non esse intellecturum suos psalmos, si eos vel legat in libris Hebræorum aut in Synagogis audiat? Quasi Ciceronis scripta propterea desinant esse Latina, quia fortè nunc nemo ita pronunciat, ut Cicero pronunciavit, aut quia nunc alias literas pingimus. Denique quid est, quare à docentibus abeam ad eos, qui non perinde docent (Nam quis nescit, quomodo & Patres luctati sint cum ineptiis Græcæ versionis?) imò qui, ubi sint, nescio, &, an fideles extiterint, vel satis periti, vel, an *prophetiæ gratia eos circumfulserit*, juxta cum

igna-

ignarissimis ignoro. Quid ni priùs dedoceor id, quod didicisse me puto? Extant libri mei. Extant aliorum; quibus & Ecclesia utitur. Quid est in illis incommodi? Omnia? Quædam? Quænam? Aut, si illa commoda: & Deo docente non indigna; saltem nonnulla parte: ostendatur, illa, licèt commoda sint, & literis, quas ante oculos habemus, apta, tamen Spiritum sanctum noluisse ea nos docere, sed alia omnia.

Supersunt in sacro Codice historiæ rerum gestarum post Mosis tempora, & genealogiæ ac numeri. De quibus forte amicus est præ cæteris sollicitus. Igitur, quod attinet historias cæteras rerum gestarum, ut sub judicibus, regibus &c. credo, te, Lector, mecum satis habere, si certum habeamus, à Samuele & insequentibus sanctissimis Viris eam historiam descriptam esse & continuatam in publica rerum, ut cum vulgo loquar, notorietate, bona fide, & ab Ecclesia susceptam, ut à teste: jussu autem Spiritus sancti ita, ut scripta erat fideliter & studiosè ac cum judicio à ἀδιακολήπτων, editam esse. In qua historia si qua circumstantia aut modus rei atque ordo culpa describentium sit vitiatus (quod tamen probare arduum est) nihil inde decedet auctoritati Scripturæ illius; quum substantia sit salva. Neque etiam necesse est dicere, Spiritum sanctum omnia verba historias scribentibus dictavisse.

Quod attinet difficultates Chronologicas, conciliatura qualicunque contenti sumus. Vetamur enim ab Apostolo sectari γενεαλογίας ἀπεράντες. Quid Græcos moverit, ut annos patrum conturbarent, licet divinare. In Græcis discrepantia quum sit, in Hebræis nulla, verisimile non est, ab Hebræis sollicitatos esse numeros. Propter traditionem de sexies mille annis seculi id non fecerunt, qui ne nunc quidem credunt, Christum venisse vel certè apparuisse, quum fateantur, se sextum mundi millenarium agere. Josephus in scriptis suis Græcorum captui se passim accommodat. Annales suos Sinenses æquè fatebuntur esse nugas, quum ad Deum fuerint conversi, atque Ægyptii fecerunt, & Arcades προσέληνοι; &, ut αὐτόχθονες, qui passim terrarum olim fuerunt, suos spiritus demiserunt. Difficultas de initiis Babylonis facilè evanescet, si quis cogitaverit, consilium id fuisse hominum non ita multorum, ut non unus locus eos ferret; eorumque metuentium dissipari in populos, qui inceperint opus, quod imposterum, crescente sobole, continuaretur & tandem aliquando, juxta commune consilium patrum, perficeretur. Nulla adeò est causa, quare suspicemur, non bene notatos nos habere in Hebræo annos antiquorum temporum. Nam nulla causa fuit abbreviandi eos Hebræis. Quare enim voluissent historiam priscam videri difficiliorem? Et, si quis id voluisset, quomodo efficere potuit, ut eadem Scriptura (quam ab Esræ tempore Judæis usitatam fuisse, & qua Prophetas, quos nemo adhuc Samaritano charactere exhibuit, scriptos fuisse, satis constat) ea, inquam, quam nos accepimus, Scriptura utentes item vellent, ut facerent temporis rationem incertam & historiam difficultatibus implerent? Homines, qui in Babyloniam abducti sunt cum Jechonjah, fuerunt optimi omnium, & inter illos fuerunt Prophetæ. de quo testatur Scriptura. Et de illis fuit dictum, eos in captivitate se ex corde ad Jehovam conversuros. Ibi fuerunt γραμματεῖς & nominatim ille celeberrimus Ezra sacerdos. Qui autem vel de tribubus decem in terra manserunt, vel de tribu Judæ, partim viles & miseri fuerunt, partim Cuthæis misti. Et constat, Samaritas etiam post libertatem redeundi ex Babylonia promulgatam, non fuisse tenaces institutorum Mosis: ut credibile sit, quod in ipsorum manibus fuit, non fuisse ἀκίβδηλον. A quorum temeritate non alienum est & numeros attrectare, qui ipsa instituta Dei violassent. Quanquam quis scit, apud illos multos fuisse initio Codices? Et nec ipsi cum Græcis conspirant. Sit igitur temeritas potiùs illorum, à quibus non est salus, & qui temeritatis & ruditatis comperti sunt; quàm illorum, à quibus & Christus debuit prodire & lex Christi hæreditas gentium futura. Certè nemo, qui cujusvis editionis numeros malit, poterit in fide dicere, hos numeros malè habere. Quod quia nemo in fide dicere & asseverare potest, fideles in his potiùs numeris acquiescunt, si non, ut pari fide atque mysteria & verba fœderis & prophetias suscipiant, tamen ut timeant dicere, rem aliter se habere.

Nunc rem in summam conferamus. Necesse est extare in mundo Verbum Dei & Scripturam, continentem voces Spiritus sancti. Verbum Dei & voces Spiritus sancti in Scriptura ab Hebræis pronunciata insunt. quia in ea est verbum à Deo olim traditum, à partibus narratum, & omnis doctrina secundùm pietatem: fœdus integrum Dei: promissio Euangelii: prophetiæ de Christo & regno ejus; quia & prophetiæ Novi Testamenti in prophetiis Veteris continentur, & utrisque res gestæ respondent: historia traditæ legis & præcepti de narrandis rebus visis & verbis auditis, iisque tradendis cum volumine legis in manus filiorum. Exstant etiam promissiones & prædictiones, verbum Dei per Israëlitas ad gentes perventurum. Exstant ea, quæ recitarunt Christus & Apostoli, & ea sæpe efficaciora sunt in Hebræo. Exstant etiam historiæ rerum gestarum sub judicibus, regibus, & post captivitatem Babylonicam, quas Spiritus sanctus vidit nos aliunde non posse cognoscere. Nulla suspicio cadit in Judæos corruptæ Scripturæ. Non fuit in potestate cujusquam id facere. Fuerunt in populo γραμματεῖς magni nominis, quorum fidelitas accusari non potest. Christus & Apostoli jubentes scrutari Scripturam nihil præmonuerunt de Hebræorum impostura. Puncta vocali non

faciunt

faciunt dubiam fidem Hebræorum; sed eam adstruunt: ut & variæ lectiones. In quibus ipsis providentia Dei noscitur. Quod verò attinet LXX. interpretes, quid egerint, aut quomodo egerint, incertum est. Non probantur prophetasse. Auctoritas Græcæ Versionis semper pependit ab Hebræa lectione. Apostoli non sunt ei testes infallibilitatis & dictatus Spiritus sancti. Non constat, unquam per omnia Græcam Versionem cum Hebræo convenisse. Apostoli aliquando ea non usi. Scatet ea aberrationibus. Non est idonea ut doceat plenam intelligentiam Scripturarum. Qui eam sequi velit, eum oportet & literas Hebræas mutare, voces addere, demere, & de significatione vocabulorum plurimorum nullam potest habere certitudinem.

Atque hæc quidem necessariò hoc in loco, ubi res ipsa nos hoc flagitabat, monuimus; ne silentio nostro proderemus auctoritatem sacrarum literarum, vel etiam amicum errare aut in deteriori opinione, quàm meretur, esse sineremus. Nam persuasi sumus, eum, quod attinet præcipua, à nobis non dissentire. Qui etiam, si amplius de his rebus scribere velit, monitus à nobis, dabit operam, ne stilum κωμῳδοῦντος suum faciat; memor, id non esse ex disciplina Christiana.

D E-

DEFENSIO ALTERA
Auctoritatis verbi Divini
VETERIS TESTAMENTI,
quod est in
HEBRAICO CODICE
& ejus lectione recepta,

ADVERSUS
APPENDICEM HAGIENSEM
Libri de LXX. Interpretibus.

CHRISTIANE LECTOR.

NOn erat mihi decretum, præloquio te detinere. Sed, quia Typographus præfationi locum fecit, paucis te monendum duxi, quanti sit, de quo agitur. Neque id puto me meliùs posse facere, quàm iis verbis, quibus Apostolus Timotheum confirmat, in posteriore epistola c. 3: 14. 15. 16. 17. Tu verò mane in iis, quæ didicisti, & de quibus fides tibi facta est: sciens, à quo didiceris, & quia à puero sacras literas nosti; quæ te possunt sapientem facere ad salutem, *quæ est* per fidem in Christo Jesu. Omnis scriptura à Deo inspirata *est* & utilis ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum & ad regendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus perfectè instructus. *Ex quo testimonio nemini non patere potest, Deum non tantùm voluisse prædicationem* Jesu Christi *&* fidei *in eum ad* salutem *in mundo exstare, sed etiam* sacras literas (*eas, quibus Timotheus à puero imbutus fuit*) & scripturam à Deo inspiratam: *de qua dubitari non possit, quin sit* utilis ad docendum, redarguendum, corrigendum, regendum; *quia scilicet* à Deo inspirata sit. *quippe quum certum sit, Dei consilium esse, dare Ecclesiæ tale instrumentum docendi, per quod* vir Dei *sive doctor & pastor Ecclesiæ possit idoneus fieri ad omne illud bonum opus exercendum. Quod esse consilium Dei, vel inde patet, quia semel dedit literas divinas ad istud opus utiles. Neque enim Deum facti pœnitet. Quod instrumentum si Timotheo commendatum est, qui primam Ecclesiam cum Apostolis docebat & regebat, non minùs nobis commendatum esse debet, qui ad certamen cum illis hominibus, de quibus Apostolus in eo capite vaticinatur, certandum vocamur. Non potest dubitari, quin Mosis & prophetarum scripta sint eæ* sacræ literæ, *quibus Timotheus eruditus est, sive ipsas literas Hebræas, quæ ab hominibus Dei traditæ sunt, descriptas legerit & doctus sit, sive etiam versionem Græcam ut versionem adhibuerit. De iis* ἐπιστώθημεν & fides nobis facta est, *quòd sint* scripturæ à Deo inspiratæ. *Nunc ergo id agitur, ut videatur Deus vel abstulisse ab Ecclesia id docendi & redarguendi instrumentum, vel id sivisse corrumpi & veneno misceri, aut* mutum *atque* inutile *fieri, immemor & consilii & promissionis suæ: & ut Græcam aliquam versionem, quæ dicitur esse LXX. interpretum, suscipiamus; nihilque, quod ex ea disci non potest, admittamus. de qua versione & ejus fidelitate atque divina inspiratione* οὐκ ἐπιστώθημεν, nobisque fides facta non est. *in qua proinde acquiescere non possumus. quippe cujus fides ab auctoritate majore pendet. Nos autem, qui magnam partem ætatis in tractandis iis literis consumsimus, reddimus rationem omnibus hominibus, quare in literis Hebræis, quæ ad nos pervenerunt, & in lectione, quam audimus atque cognoscimus, hactenus acquiescamus, accipientes testimonium Jesu, qui nobis prædicatus est, quod in illis extat; agnoscentes promissionem patribus factam & ejus veritatem in Euangelio recognoscentes; tum fœdus Dei legemque fidei ac conversionis ad Deum eandem in ore Judæorum (licèt ignorantium) quando legunt Hebræas scripturas, & in Apostolorum scriptis reperientes; prophetias omnes Veteris Testamenti ac Novi inter se conferentes, & veritatem illarum pro modulo, quem Deus nobis largitus est, in operibus Dei deprehendentes, & tum hæc opera tum illa, quæ in V. T. scripta sunt (præcipuè illa, quibus traditio legis & prophetiæ illustrata fuit) celebrantes, &, quæ non penitus, quomodo gesta sunt, scire possumus, æquo animo ignorantes. Interim verò & pro versionibus,* παραφράσεων *atque expositionibus, Deo gratias agimus, tum antiquis (ut nominatim interpretatione Græca, quæ dicitur LXX. virorum, sive ea antiquior aut recentior est aut tota aut ex parte) tum eis, quæ in Oriente & Occidente factæ sunt seculis sequentibus, ipsisque adeò novis: ex quibus, quantum Deus quolibet tempore voluerit de scripturæ sensu revelare, & quibus Codicibus usi sint, & quid legerint, aut legendum putaverint, mediocriter cognoscimus. Ita studemus & Judæis veritatem Euangelii, & Muhammedanis integritatem sermonis Dei, & omnibus divinam sapientiam & prudentiam, pro mensura doni nostri, demonstrare. Hoc est, amice lector, nostrum certamen; dignum sanè omni virium contentione. Tu veritati fave &* σώζου.

DEFENSIO ALTERA CODICIS HEBRÆI.

§. 1. Miserum est sanè per errorem carere utilibus rebus, iisque salutaribus: veluti sermone Dei puro & omnis erroris experte. Malum verò est, eos, qui eo fruuntur, non confirmare in ejus fide & ad ejus scrutationem diligentissimam instigare atque in ejus usu adjuvare; sed potiùs turbare, irridere, exagitare. Bonum tamen est, eos, qui errant, omnes vires suas periclitari & omne artificium adhibere in oppugnanda veritate: ut pateat, quàm firmo stet talo veritas, & quàm imbecilla sit opinio humana voluntate animo concepta. Bonum id ipsis quoque errantibus: si modò velint aliquando causam introspicere & conscientiam audire. Ita evenisse arbitror in quæstione de auctoritate sacrarum literarum. Est, qui disputavit, LXX. interpretum versionem habere auctoritatem divinam: Hebræos Codices corruptos esse, maximè per puncta vocalia. Reformandos esse eos secundùm mentem LXX. interpretum. Nos de ea re præfationem scripsimus ante biennium ferè. Egimus seriò & modestè. Ei præfationi opposuit defensor illius sententiæ appendicem, qualem voluit. Eam nunc imus examinatum. Verba ejus, in quibus aliquid ponderis esse videbitur, proponemus. Ad ea, quod opus esse videbitur & causa exiget, annotabimus; & dabimus operam, ut is, qui nos derididiculo habuit, intelligat, nos causam habere, ut dicamus, ipsum à veritate victum ad ludibria confugisse.

§. 2. Pag. 1. Præfationis: *Tollamus vanum quorundam timorem, qui subinde repetunt, posito tali fundamento, infringi & labefactari sacrarum literarum auctoritatem. —— Quod itaque semper ad Hebraicam provocant veritatem, velim scire, quænam illa sit?* Pag. 2. *Pro responso obtrudunt Codicem Hebræum, & ad judicem remittunt vel mutum vel certè non Dei, sed lingua loquentem Masorethårum.* Poterat vir doctus clarius quæstionem proponere. Hoc in quæstione est, an literæ Hebraicæ, quæ in manibus nostris versantur, & earum lectio, quæ apud nos est, tam integra sit, ut nos docere possit credenda; & tantam auctoritatem habeat, ut ei debeamus obedientiam; & an ad eam omnes versiones sint examinandæ, etiam ea, quæ LXX. interpretum esse dicitur; & an ex ea ad penitiorem intelligentiam, quàm ex ulla versione, possimus & debeamus proficere: num verò eæ literæ & ea lectio auctoritate careant & corruptæ sint; contra autem verba Græcæ versionis sint accipienda ut ipsissima verba Spiritus sancti, & in sacris literis nihil disci cognoscique possit, quàm quod in ea versione continetur: & an Judæi possint doceri fidem in Christum & convinci suæ defectionis ex eo, quod est in ipsorum manu & ore? Vir doctus hîc *Codicem Hebræum* vocat *mutum judicem*. Jesuitæ solent Scripturam vel mutuam vel ambiguam in multis dicere: quia plura putant esse credenda, quàm scripta aut distinctè explicata in scripturis probare possunt. Nunc, quod nemo unquam dixit, audio, *Codicem Hebræum esse judicem mutum*, hoc est, nec docere posse, nec judicare. Nisi fallor, quia intelligi non potest. Attamen, qui statuunt novitatem punctorum vocalium, non tamen propterea dicunt, literas Hebraicas ita compositas & dispositas, ut in Codice Hebræo dispositæ sunt, nihil significare. Leguntur plurima volumina Hebræorum vocalibus destituta & intelliguntur. Citat vir doctus Pag. 3. Ephodeum. At is non est ei mutus, quia ipsi locutus est literis Hebraicis. Nisi fortè ei Latinè locutus est per interpretem, alioqui mutus ipsi futurus, vel potiùs barbarus. Sed quomodo potest dici *mutus judex*, qui aliqua lingua loquitur? At, inquit, *non lingua Dei loquitur, sed Masorethårum.* An igitur literæ sunt à Masorethis & in omni orbe à Judæis sunt receptæ, ut divinæ, quia fidem habuerunt Masorethis; quum illis notæ alioqui non essent? Fac, tria tantùm exemplaria ab excidio templi in toto mundo superfuisse; an illa tria exemplaria suppressa sunt & abolita, & Judæi ἀδοκιμάστως, non inspectis vetustioribus exemplaribus, & abjecta atque ex animo expectorata memoria eorum, quæ didicerant, sibi passi sunt obtrudi scripturam Masorethicam pro divina? Quomodo id probari vel credi potest? Sed fortasse literæ non sunt à Masorethis; an igitur eæ non pertinent ad sermonem, quo Deus locutus est, sive, ut vir doctus loquitur, ad linguam Dei? At, inquit, Masorethæ vocales primi subjecerunt. Nescio equidem: nec puto verum, nullas antea vel stante templo, vel certè, quum Esra legi illustrandæ operam dedit, in usu notas vocalium fuisse. Sed sit verum. An inde sequitur, Masorethas, (aut scribas, qui *Sopherim*, γραμματεῖς, in sacris dicuntur; quorum officium peragere videri voluerunt, qui dicuntur Masorethæ) per istas notas aliam lectionem, aliam & suam linguam, utramque populo incognitam, tradidisse? Si literæ illæ, quas videmus, per illas vocales animatæ præbent nobis certam, analogam, conformem, facilem intelligentiam, numquid Scribæ, si notas addiderunt, eo ipso effecerunt, ut, quod loquuntur Eæ literæ, non sit sermo Dei?

§. 3. *Si apud Deum nulla sit personarum acceptio, ecqua possit esse linguarum?* Deus non accipit personam, neque unam linguam magis amat, quàm alteram; sed vult in omni lingua sibi offerri sacrificium confessionis: an inde sequitur, Deum nulla lingua esse locutum, vel sermone humano alicujus gentis, quem audirent & cognoscerent multi, & Deo confessionem redderent? Cujus sermonis vocibus, ut θεοπνεύστοις, doctrina omnis formaretur & mendacium confutaretur?

§. 4. *Nimis de Deo carnaliter sentiunt, qui eum humano more loqui & Hebræa vocabula ac syllabas sonare contendunt. Facilè sic credunt Judæi hodierni & Anthropomorphitæ.* Loquutus est Deus cum Abrahamo. Dixit ipsi aliquid. Verba cum ipso fecit. An igitur Abrahamus audivit Dei verba, & intellexit, nec ne? Locutus est in Sinai. Locutus est cum Mose. Dictavit Mosi, quod scriberet: nominatim canticum, quod est Deut. 32. Non sunt ea Hebræa vocabula? An igitur ideò Anthropomorphitæ sumus, quia credimus, Deum fecisse, ut Abraham, Moses, totus Israël audiret vocabula humani soni, quæ & illos & nos docerent? Si hæc vera sunt; non potest Deus facere, ut homo ullus ullum ipsius verbum audiat: quia Deus similis homini esse non potest.

§. 5. *Si Dei sermonem addiscere & imitari velimus, ista loquamur, quæ ille præcipit.* Præcipitne igitur vocibus intelligibilibus, & quidem vocabulis illius populi, quem imprimis à gentibus secrevit, nec ne? Verbi causa: dixitne Deus de Jesu, *Hic est filius meus dilectus*, annon? Audivitne Petrus vocem ex magnifica gloria, annon? An vir doctus, ut probet, Græca verba 70. hominum esse verba Dei, putat, se idoneum argumentum invenisse, si persuadeat, nullum esse verbum Dei, quod sit linguæ ullius humanæ? Ergo, quando dicit Es. 28. vers. 11. Deum *locuturum in sannis labii & in alia lingua ad populum* Israëlem, quid intelligendum est? Quando Zoph. 3: 9. dicit, *Vertam ad gentes labium clarum & selectum* (quod malè vertunt LXX. μεταστρέψω ἐπὶ λαοὺς γλῶσσαν εἰς γενεὰν αὐτῆς, nullo sensu) non significatur, Deum locuturum esse ad gentes & missurum ad eas verba bona, verba salubria, verba commoda ad intelligendum? Quando præcepta Dei loquimur, an tum loquimur inaudita? Non præfamur, Hoc Deus dixit? Noster sermo est narratio præceptorum: præcepta constant vocabulis auctoritatem habentibus: quæ nostrum est narrare & in omni sapientia ad conscientiam manifestare, & factis præstare. Iratus fuit Vir doctus, quum ista scriberet: ideò humani quid passus est, ut tam aliena scriberet.

§. 6. *Falluntur, qui linguam lingua vel sonum sono plus sanctitatis habere arbitrantur.* Qui id putant, falluntur: sed; qui credunt, Deum vocabula Hebraica ad docendum dedisse populo Israëlitico, & eum Hebraicis Græca gentibus & Judæis ad Euangelii præconium, non falluntur. Qui non habent, quod dicant, & silere nolunt, eos alia omnia, quàm, quæ ad rem pertinent, oportet dicere.

§. 7. *Negari non potest, periisse veram & antiquam linguæ hebrææ pronunciationem.* Et hoc nihil ad rhombum. Ephraimitis erat hoc *Sibboleth*, quod reliquis *Schibboleth*. Galilæi sua loquela noscebantur. Omnes tamen easdem scripturas legebant. Literarum figuræ & soni paulatim mutari possunt. Posterioribus hoc valent figuræ & soni recentiores, quod prioribus vetustiores & figuræ & soni: quæ sensim in locum priorum venerunt. Manet tamen eadem lingua & idem sermo, quamdiu manet eadem forma vocum & constructio. Græci hodierni non pronunciant, ut veteres. Tamen legitur ab eruditioribus eorum Demosthenes aut Chrysostomus. Nos eosdem auctores legimus, & Vir doctus eos intelligit, licet non pronunciet, ut Græci hujus temporis. Judæi aliter pronunciant quasdam literas & vocales in Asia, aliter in Germania & Polonia. Idem tamen sermo est. Et sunt inter illos, qui non curant ἀκρίβειαν, alii sunt מְדַקְדְּקִים, qui curant loqui ἀκριβῶς. Lingua, sermo, intellectus idem est. In Belgio hoc quàm diversè multa sonant in diversis provinciis. Tamen una est Lingua. Quod olim erat Latinis Κικερω, id jam est τζιτζερω vel ζιζερω: & tamen idem nomen est. Angeli suo modo, Galli suo, Itali suo, Germani suo pronunciant eandem Latinam linguam. Perperam igitur concludit, in Hebraico Codice non esse sermonem Dei, quia lor-

fortasse paulatim venerunt in locum veterum characterum aliæ formæ & in locum vetustæ pronunciationis recentior. Si mutatio fieret subitò, aut si quis, jam mutatione facta, repente rediret ad homines mutatis characteribus & sonis utentes, non posset intelligi, quod recens est: sed, quum paulatim id fiat, mutatio fit sine observatione, & ea inservit intelligentiæ, dum, quod sacrum est, in charactere & sono non discrepat ab eo, quod vernaculum & vulgare est: quamdiu manent eædem voces & eadem constructio. Sed Judæi vulgo non loquuntur Hebraicè. Etiam ante templum dirutum Chaldaicè loquebantur. Nihilominus tamen Hebraica lingua sive sermo scripturarum disci potuit: & docti non desierunt eadem lingua loqui & libros scribere. Extat liber traditionum sive δευτερώσεων, *Misnajoth*, Hebraicè scriptus, paucis exceptis: qui, licèt post Hierosolyma destructa collectus, ostendit, quæ lingua in Synagogis ante templi destructionem viguerit.

§. 8. Pag. 4. *Nec pronunciationem tantùm, sed ipsam quoque linguæ substantiam & intellectum periisse, ac tenues tantùm superesse reliquias, fatentur etiam ipsi Rabbini.* Adducit librum Cozri & Kimchium. Sed hæc sunt sophistica. Græca, Latina, Hebræa Lingua, perierunt omnes. Periit etiam lingua Macedonum vel Hellenistarum; sive dialectum, sive idioma, sive stilum ac loquendi rationem appellare malis, nihil refert. Nemo enim in toto orbe vernaculas eas linguas habet, aut novit pleraque vocabula earum linguarum, quibus olim usi fuerunt. Neque tamen Vir doctus propterea non intelligit scriptores Latinos & Græcos & 70. hominum versionem. Quicquid superest de lingua Hebræa, reliquias dicimus illius linguæ; quæ olim fuit in usu. Quod tamen superest & intelligi potest, plus est; quàm Vir doctus & ego didicimus & cognovimus. Hoc autem solum in quæstione versatur, An, si jam non discamus linguam Hebræam usu, ut pueri didicimus linguas matrum aut nutricum, sed ut adulti discunt linguas populares aut exoticas, maximè ex libris; ideò possit dici, nos non habere linguam Hebræam & sermonem Dei in lingua Hebræa; &, an ex illis verbis sermonis Dei, quæ sunt in Hebræo Codice, quantum opus est, possimus cognoscere veritatem & voluntatem Dei & mysteria, quæ voluit Ecclesiæ patefacere: sive, an illa γράμματα adhuc possint σοφίσαι πρὸς σωτηρίαν? Alienum est proferre, quomodo Judæi se putent didicisse potestatem vocis קְשִׂיטָה. Nam, etiamsi vim & proprietatem illius vocis & similium ignoremus aut non certò sciamus, nihilo infeliciores erimus. Sunt etiam, quæ cognosci possunt (discuntur enim) quæ tamen ignorari nihil obest. Clarissimus Bochartus his diebus ingens volumen edidit de animalibus, quæ in Scriptura memorantur. Sine dubio is multa detexit, quæ antea ignorabamus. Attamen, quum illa ignoraremus, nihil nobis deerat ad cognitionem voluntatis Dei. Sed velim scire, an Vir doctus certò sciat, quid sit, קְשִׂיטָה?

§. 9. *Luce clarius est, vocabulum hoc non agnum aut precium agni significare, sed minam? Sed isti magistri ubi in Græco est μνᾶν, legerunt ἀμνῶν, & pro μνᾶν legerunt ἀμνὰν καὶ ἀμνάδα.* Quid hoc ad nostram quæstionem, an Judæi rectè vocabulum קְשִׂיטָה exponant? An, si ii malè exponunt, ideò non sic legendum est? aut à Masorethis hoc vocabulum est? Ego lego in versione Græca, ἑκατὸν ἀμνῶν, ἀμνάδων ἑκατὸν, ἀμνάδα μίαν. Judæi sic explicantes stulti sunt, Græci idem dicentes sapientes sunt. Non, inquit, sed Rabbini legerunt, ἀμνῶν pro μνῶν; itaque & ἀμνάδων pro μνῶν, & ἀμνάδα pro μνᾶν. Quis hoc viro doctissimo dixit? unde novit, קְשִׂיטָה esse idem, quod מָנֶה? Fac, esse hanc vim vocis, an propterea versio Græca θεόπνευςος erit? Ita, si Græca versio Psal. 48: 2. τὸ יְפֵה נוֹף bene explicat, quid inde decedit Codici Hebraico? Attamen ibi lego, ἐν ὄρει ἁγίῳ αὐτοῦ εὐρίζων ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς, ὄρη Σιὼν τὰ πλευρὰ τοῦ βοῤῥᾶ, ἡ πόλις τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου. Hæc non valde concinna sunt. Sed, quòd Vir doctus εὐρίζων exponit *benefundato*, eo non satisfacit nobis: qui potiùs τὴν ῥίζαν intelligimus τὴν ὑπωρείαν.

§. 10. Pag. 6. *Non desint nihilominus inter Christianos, qui invitis etiam & reluctantibus Judæorum testimoniis, intellectum sacrarum literarum à Rabbinis petendum esse pertendunt.* Si V. D. me designat, non novit me. Qui ita existimat, is nunquam introspexit Judæorum commentarios, qui passim se invicem liberrimè carpunt. Stultus igitur essem, si putarem, eos habere auctoritatem, qui inter se dissentiunt. Ego non invitus profiteor, quod Lutherus olim dixit, à Judæis multos errores in versiones Christianorum irrepsisse: à quibus cum cura repurgandæ sunt. Agnosco, ipsos cæcos esse, & in multis locis data opera cæcutire. Sed hæc rursus nihil ad rhombum. Non enim quæritur de expositione Rabbinica, sed de Hebraico Codice & lectione, quæ in eo est. Quem locum citat V. D. ex cap. 29. Esaiæ: is non hoc dicit, quod ipse putat. Non enim loquitur de ignorantia Judæorum, sed de malitia; quod non velint legere, scrutari, aperire signacula per clavim cognitionis, aut discere, quæ discere in promtu est, atque ita in suo stupore & negligentia pertinaciter perseverent, & ignorent ea, quæ discere possent, si vellent; quæque ipsis scrutanda & legenda proponuntur. Qui locus potiùs ostendit, Judæos habere literas sacras, sed illis nolle uti, ut oportet. Unde conficimus, hoc, quod habent Judæi, non esse *mutas literas*. ut Vir doctus non doctè dicit, neque probè. Quæ sequuntur, non magis ad rem faciunt, quàm præcedentia. quæ non aliò spectant, quàm ut nos, qui tuemur & retinemus Hebræum codicem, suspectos faciat apud eos, qui nihil nisi præfationes legunt, quasi dicamus, *intellectum sacrarum literarum petendum esse à Rabbinis*, atque ita nos deridendos propinet hominibus sui commatis. Sed hoc non solent facere tales, qualis videri vult V. D.

§. 11. *An ergo ad gentes transiit linguæ Hebrææ peritia? Minimè sanè.* Quemadmodum Judæi, ita & gentes à matribus suis non discunt linguam Hebræam: nec Græcam adeò. Id in quæstione non est. Sed hoc, An eæ literæ Hebraicæ aptæ sint ad docendum gentes & Judæos mysteria regni cœlorum, quæ in Evangelio revelata sunt, & cætera, quæ ad fidem, pietatem & sapientiam pertinent?

§. 12. Pag. 6. 7. *Verbi divini potestas non consistit in sono vocabulorum aut figura literarum, sed in sensu rerum & cognitione preceptorum Dei.* Per quid igitur patefacit nobis Deus sua *præcepta* & *sensum rerum?* annon per *literas figuram* habentes, quæ figura vel est ea ipsa, quam pinxerunt sancti Dei viri, vel ejus vicaria, dum paulatim, ut solet, sine incommodo figuræ mutatæ sunt; & *sonum vocabulorum* vel eum ipsum, quo primitus pronunciata fuerunt, vel eum, qui labentibus seculis, eundem obtinuit usum? Verbum Dei sanè non habet manens in se, qui id non intelligit: sed nec sensum ejus habent, qui vocabula sermonis Dei non habent, non legunt, non audiunt. Mira res: Deum nobis loqui sine vocibus suis: aut *sacras literas* consistere in *cognitione* ejus, qui non habet literas.

§. 13. *Litera, quæ occidit; remansit Judæis incredulis.* Anabaptistarum est & ἐνθουσιαςῶν (quales Anglia his diebus profudit à tremore nomen gerentes) vocare sacras literas *literam occidentem.* Vehementer doleo, quum video ita verba Sancti Spiritus torqueri in falsos & ridiculos sensus. Apostolus *literam occidentem* 2 Cor. 3: 6. non vocat omne id, quod scriptum est, & in Hebræorum manibus versatur; sed *legem* oppositam *Evangelio* & proinde *Promissioni* atque omni sermoni de gratia. A quo si separetur lex, manet *litera* scripta in lapide aut membrana, h. e. non inscribitur cordi, sive non amatur ab homine, non convertit hominem, & *eum occidit*, non, quia non intelligitur, sed, quò magis intelligitur, eò magis enecat. Rom. 7: 7. 8. 9. *Ego aliquando vivebam absque lege: & venit præceptum, & occidit me. quia excitavit in me omnem concupiscentiam, quum diceret, Non concupisces.* Quando igitur homo, non videns verba gratiæ vel ea non audiens, vel eis non credens, intelligit, vetari concupiscentiam omnem; ea intelligentia eum facit longè deteriorem: quia huc compellit eum, ut concupiscat contra Deum; & legem ac judicium ejus, & nihil eorum, ut est, velit esse.

§. 14. *Sensus verò transiit ad gentes in illum credentes.* Christianis datum est intelligere verbum Dei. Sed quomodo acceperunt sensum verbi Dei, ut eum crederent? An sine verbo Dei & scripto quidem? Velim meminisse virum doctum & lectores nostros ejus, quod Paulus dicit Roman. 11: 19. 20. 23. *Illi effracti sunt. Bene: tu* FIDE *stas. Et illi, si non perseveraverint in incredulitate, inserentur.* Non deest ipsis verbum, cui credant, sed deest ipsis fides. Per verbum, quod in ore ipsorum est, convertentur.

§. 15. *Fons Hebræus; quia periere vocales, exaruit & factus est mutus.* Optabilius esset; mutum esse, quàm talia dicere: quæ & falsa sunt, & ἀσύνετα, & scandalosa, & non redolent curam atque amorem verbi Dei. Poteram hæc increpare graviùs; nisi putarem, Virum doctum posse adhuc ad se redire & se corrigere. Quem malo lenire, quàm exacerbare. Sed examinemus ista. *Si periere vocales, fons Hebræus factus est mutus.* Nego id sequi. *Periere vocales.* Nego id verum esse. Non periêre vocales, quia vel à populo loquente usurpatæ, vel à legentibus & memoriam suam adjuvare volentibus aut à pueros docentibus annotatæ, vel ab Esra ac sociis ipsius aut saltem à Mosorethis adjectæ sunt. Quod de usu populi dico, manifestum est. Etiamsi enim vulgò corruperint linguam, & Chaldaica imitarentur, tamen in usu fuerunt, saltem usque ad templi destructionem; plurima pura puta Hebraica vocabula, & tot, ut ex illis analogia linguæ, quæ sibi magis est similis, quàm ulla lingua alia, constitui posset: deinde lectus est semper Codex sacer, Hebræis vocibus constans, in omnibus synagogis, exceptis solis Hellenistarum conventibus; &, quum legeretur, per מתורגמן ἑρμηνέα potuit exponi verbis vulgaribus; per quales principes scholarum populum alloquebantur. Ipsæ traditiones πατροπαράδοτοι verbis Hebraicis propemodum omnes traditæ & postea conscriptæ sunt. Neque quicquam ad rem faciet, si quis dicat, me nescire, an, quum templum destrueretur, sic pronunciarint Judæi, quemadmodum David aut Moses pronunciaverant. Nihil enim referebat, an Moses vel David, si repente ad Synagogam accederent, intelligerent à se scripta, quum illa recitari audirent à posteris suis;

ſuis; nec ne. Satis eſt, ſi qua ſoni mutatio facta eſt, quòd ea paulatim facta eſt, aſſueſcentibus hominibus & non animadvertentibus mutationem. Quemadmodum homines ipſi, qui quotidie ante oculos ſunt, ita ſenſim mutantur à pueris in ſenes, ut mutari eos vix deprehendas; & mutationem factam in ſenibus non niſi ex imagine puerorum cognoſcas. Quos ſenes profectò non agnoſcant, qui tantùm pueros viderunt, & interim, dum illi ſeneſcerent, peregre abfuerunt: etiamſi ſint parentes eorum. Ita Ulyſſes non recognoſcebatur à familia; qui in exercitu, in quo agebat formam ſuam mutans, à nemine ignorabatur. Ita Chriſtus in alia forma non fuit agnitus à diſcipulis, cum quibus paulò ante ederat & biberat. Sed, quum coram tribus diſcipulis *μετεμορφώθη*, non fuit ignoratus. Manſit igitur lingua, etiamſi magis magiſque deſineret eſſe vernacula. Quemadmodum & Germanica lingua Francica Saxonibus, quibus vernacula non eſt, tamen in curiis & concionibus Eccleſiaſticis & in lectione librorum uſitata eſt. Deinde puncta eam, quæ circa templi deſtructionem adhuc uſitata fuit, lectionem indicant: ſive illa ante Eſram apponi cœperunt, ſive ab Eſra & Scribis, qui poſt eum fuerunt, ſive à poſterioribus Maſorethis; quod minimè credibile eſt. Nam Eſras certè &, qui ſtante ſecundo templo fuerunt, Scribæ magnam cauſam habuerunt codices animandi illis notulis, ut ubique *ἐν τῇ διασπορᾷ* lectionem ſinceram facerent faciliorem, & confuſioni atque perplexitati remedium afferrent; quæ ſi invaluiſſet, timendum erat, ne lectio ſacri Codicis prorſus intermitteretur. Non autem eſt intermiſſa. Nam, ſi intermiſſa eſt, quando & qua arte vel ope eſt reſtituta? Sed maximum argumentum eſt, lectionem (atque adeò vocales) non periiſſe, ita ut Hebræi ſolas literas habeant; quia, quæ lectio ex notulis vocalium naſcitur, ea gignit ſenſum, & in legente efficit intelligentiam, & quidem eam, quæ habet teſtimonium in ipſa verſione Græca; quatenus ea non aberrat; ut & in verſionibus Orientalium. Non periêre igitur vocales. Sed perierint; non ſequitur tamen, prudenter & ſapienter dici poſſe, quòd *fons Hebræus exaruerit & factus ſit mutus*. Quamdiu enim videnti & oculis veſtiganti aliquid loquitur, mutus non eſt. h. e. quamdiu poteſt *ἀναγιγνώσκεσθαι*, ut ille, qui videt & legit (ſive pronunciet ita, ut olim pronunciaverunt, ſive aliter efferat) diſtinctè, quod intelligi neceſſe eſt, percipiat. Quod non negabit, qui vel unum caput cum attentione legerit. Literæ Hebræorum ſignificationem continent, eæ, quæ radicales dicuntur. Modificationi, ut ita dicam, ſignificationis inſerviunt literæ, quæ vocantur ſerviles, & vocales. Quæ voces literis radicalibus tantùm conſtant, poſſunt eſſe ambiguæ. Ibi vocalibus diſtinguendæ ſunt. Si quis eam diſtinctionem ſibi faciat ex arbitrio, tantundem intelliget, quantum, qui pronunciabit, ut Moſes: niſi quòd non habebit adjumentum intelligentiæ uſitatam lectionem. Sic leguntur magna volumina, quæ nunquam habuerunt punctationem. Quod dixi de vocalibus addendis, perfacile intellectu eſt. Sume vocem מלך *μλχ*. Quum novi, eam vocem notare vel *ἐβασίλευσε*, vel *βασιλεῦ*, vel *βασιλεύειν*, vel *βασιλεύων*, vel *βασιλεὺς*; in promtu eſt ſuſpicari, eam in illis ſignificationibus omnibus non habere eundem vocalium ſonum. Si ſolus ſim, quibuſcunque vocalibus ea mihi diſtinguam, perinde eſt. Ita Hebræi dixerunt מֶלֶךְ *μελὲχ*, quod Chaldæi מְלָךְ *μλὰχ*. Sed, ſi Judæum nactus fuero, interrogabo eum, quomodo diſtinguant præteriti tertiam, & imperativi ſingularem maſculinam, & infinitivum & participium & nomen. Quum audivero, aliud eſſe *μαλαχ*, aliud *μλὸχ*, aliud *μωλὴχ*, aliud *μέλεχ*, & videam, id ſimiliter ab ipſis obſervari in aliis vocibus ſimiliter derivatis, eamque analogiam conjugandi voces facilem eſſe: nullam cauſam habeo, quare non illis ſonis velim ea vocabula diſtinguere, etiamſi neſciam, quomodo David aut Moſes ea diſtinxerint: &, quum ab ipſis accipiam Codices, qui ambiguas voces illarum vocalium notis diſtinguunt, qui à tota gente recepti ſunt, quæ omni Sabbato conſuevit ſacras literas legere & audire, non poſſum dubitare, qui notulæ hæ hoc teſtentur & indicent, quod gens conſuevit ſemper & legere & audire. Imprimis, quando invenio, illas literas talibus vocalibus animatas egregium & ſalubrem ſenſum fundere; & animadverto, verſiones antiquas ſaltem magnæ parti illius lectionis & diſtinctionis vocum (ſi ſolas literas inſpicias) ambiguarum inſervire; ut liquidum ſit concludere, ſi talis diſtinctio non illo tempore, quo eæ verſiones natæ ſunt, in populo viguerit, eas verſiones non potuiſſe exiſtere. Omitto, quòd magna pars analogiæ vocalium (ſi eæ abeſſent à Codicibus) reſtitui poſſet ex illis ipſis, quæ Græci in ſuis ſcriptis & verſionibus poſuerunt, dum Hebræa recitare & Græcis figuris exprimere conati ſunt. Falſum igitur eſt, vocales periiſſe; falſum, ſi vocales periiſſent, & ſolæ literæ extarent, doceri linguam & diſci atque intelligi non poſſe. Nam tum docti & poſſent & deberent ſibi & aliis per aptas vocales ambigua diſtinguere; &, quanquam difficiliùs, tamen ad intelligentiam neceſſariam perveniremus. Sed, per Dei gratiam, etiam vocalium notas habemus, teſtes locupletes antiquæ lectionis. Fons igitur ſalutis & ſapientiæ non exaruit, non factus eſt mutus, ſed loquitur, & coget aliquando injuſtitiam os ſuum compeſcere.

§. 16. *Fons ipſe factus eſt limoſus, aqua ejus infecta Rabbinorum veneno & perfidia.* Mira res. Fons exaruit, & non loquitur. Idem tamen limoſus eſt & veneno infectus. Quomodo veneno infectus eſt, ſi non fluit, non loquitur? Dabitur mox de his agendi locus. Sed interim hoc velim ſcire, an ibi, ubi plus eſt in Hebræa lectione ad cognoſcendam veritatem & confirmandam fidem Euangelii & ejus illuſtrationem, quàm in Græca verſione, venenum Rabbinorum ſit? Deinde cupio mihi illud venenum demonſtrari.

§. 17. *Ex quo LXX. interpretum tranſlatio per Apoſtolos gentibus tradita eſt, ex eo quoque tempore ad gentes una cum fide verbi quoque divini tranſlata eſt hereditas.* Apoſtoli non tradiderunt ullam Verſionem aut ullam Scripturam gentibus; ſed prædicarunt illis Euangelium, ut teſtes verborum, factorum, paſſionum, & imprimis reſurrectionis Chriſti; idque voce & ſcripto: provocantes ad libros Moſis & Prophetarum, qui in Judæorum manibus erant & aliquatenus etiam Græcè legebantur. Quo generoſi fuerunt, ut Berœenſes Judæi, inquiſiverunt, an ea ſic ſe haberent. Ita fecerunt & gentes; ita doctæ ſunt: quæ crediderunt, *recognoſcentes gratiam Dei in veritate*, & ſapientiam ac prudentiam, in myſterio contentam, per ſacras literas, quemadmodum eas audire & adire poterant, à viris, qui potentes erant in ſcripturis, inſtitutæ didicerunt. Rom. 16:26. *Quod per ſcripturas propheticas in omnes gentes notificatum eſt.* Col. cap. 1:7. *Quemadmodum didiciſtis ab Epaphra.* Quando Apoſtolis diſputarunt cum Judæis, non priùs tradiderunt ipſis Græcam verſionem, & illi auctoritatem fecerunt ſuo teſtimonio, ut Judæos obligarent ad ſuſcipiendam demonſtrationem, quam ex ea verſione prolaturi erant. Quando item Gentibus prædicabant fidem, non priùs dixerunt ipſis; *Ecce verſionem ſacrarum literarum θεόπνευστον, eam recipite:* ſed prædicarunt ipſis Chriſtum, promiſſum per Prophetas, quorum ſermo Judæis erat notus, & ab illis peti poterat.

§. 18. *In eo potiſſimùm cardo quæſtionis verſatur, uter Codex, ſi non ſanctior, at certè utilior ſit exiſtimandus, illene, quo utuntur hodierni Judæi, an verò LXX. interpretum tralatio.* Ita eſt. Nam, quod *veneno Rabbinorum contaminatum* eſt, non eſt amplius *ſanctum*, non eſt amplius *aqua vitæ*, ſed factum eſt inſtrumentum Satanæ ad propinandum venenum, neque proinde tantùm eſt inutile, ut ei tempus impendere ſit *vanis ac ſterilibus laboribus tempus fruſtra amittere & operam ludere in diſcenda ac propaganda falſa ſcientia*, ſed & noxium; quippe *veneno* Rabbinorum intoxicans: Ita enim in hac pagina Vir doctus loquitur.

§. 19. Pag. 8. *Magna pars Judæorum, orientalium præſertim, puncta deprecantur, & quoſcunque Codices vocalibus diſtinctos velut profanos & humana incruſtatura contaminatos averſantur.* Quod Judæi in Synagogis non legant niſi ex codice non punctato, novi: ſed & hoc novi, quod domi ſe ad lectionem præparent ex Codice punctato. Id mihi anagnoſtes eorum (חזן appellant) ante quadraginta annos dixit. Non averſantur puncta, ſed habent pro opere humanæ induſtriæ. Elias in præfatione ſua tertia libri Maſoreth Hammaſoreth docet, eſſe quoddam diſſidium de punctis & accentibus inter filium Aſcher & Naphtali. Tum dicit: *Orientales ſequuntur lectionem filii Naphtali.* Ita Munſterus vertit. Adducit autem ea verba ex Moſe Maimonio, tractatu אהבה c. 8. Ea ſic ſonant: אַנְשֵׁי מִזְרַח קוֹרִין עַל קְרִיאַת בֶּן נַפְתָּלִי: Ergo Orientales non averſantur punctationem.

§. 20. *Quòd ſi illa exemplaria, à quibus vocales abſunt, quæque hoc nomine propiùs accedunt ad antiquam puritatem, à me contemni exiſtiment, in eo non rectè faciunt. Profanus mihi erit, quiſquis de illis profanè ſenſerit. Attamen talia exemplaria minùs nobis ſunt utilia, quàm ſit interpretatio LXX. interpretum, cum & muta ſint, & quamvis id non eſſent, lingua tamen loquantur ignota. Licèt itaque ipſa Moſis & Prophetarum ſupereſſent autographa, hæc ipſa tamen nulli nobis eſſent uſui, niſi interpretatio LXX. interpretum ſupereſſet. Inutilis eſt tibia, ſi ſonum non edat; & qui ignotis linguis loquuntur illi in caſſum loquuntur aërem, ut inquit Apoſtolus 1. Corinth. 14.* Gratulor viro docto, quòd non audet dicere, ſe non magni facere Codices Hebræos non punctatos, aut eos profanos dicere. Magis gratularer, ſi non auderet & *mutos* dicere & *ignota loquentes lingua*. Hoc enim verum non eſt. Multa enim ſunt, quæ faciunt, ut lingua eorum non penitus ſit ignota. Non penitus ignotum eſt, quod diſci poteſt: licèt ignotum ſit ei, qui non didicit & diſcere contemnit. Fateor, Græcam verſionem multùm conferre ad ejus linguæ intelligentiam. Sed Judæi ex Græco non intelligunt linguam Sacri Codicis: & tamen in plurimis idem intelligunt, quod Græci. Quemadmodum nec Talmud ſuum diſcunt intelligere ex Græca verſione, nec Targum. Si ſolos haberemus Codices non punctatos, haberemus multùm ad diſcendum: ſed & amplius laboris. Nunc non tantùm habemus Codicis non punctati *non profani* (ut Vir doctus eum appellare dignatur) auctoritatem, ſed & lectionis per notas vocalium facilitatem, uſque ad captum puerorum. Hoc eſt, quod Satanæ dolet. Is facilè ſe-

tè feret, ut dicatur Codex *non profanus* & *propiùs accedens ad antiquam puritatem*, dummodo putetur *mutus & ignota lingua loquens*, & minùs utilis, quàm Versio ἄδηλος, & quæ nec ipsa legitur, neque intelligitur à patronis ejus, & non tantùm docet, quantum Hebræus Codex, neque certè auctoritatem habet divini sermonis; etsi fortè habeat opinionem diligentiæ humanæ. Teneamus igitur, quod habemus: Literas non profanas divinam auctoritatem habentes; vocales, testem irreprehensibilem lectionis Synagogæ; expositionem plurimorum vocabulorum certam & indubitatam, per Judæos, per Orientales populos, per Græcam versionem non unam, & sensus sinceri atque ad conscientiam manifesti per eam perceptione comprobatam; linguæ analogiam hisce mediis constitutam; patefactionem mysteriorum Dei per Euangelium Christi; analogiam fidei; fundamenti veritatem; historiam & rerum ipsarum, de quibus sermo est, cognitionem: & his in timore Dei utamur, & temeritatem atque audaciam removeamus. Quæ si teneamus, & divino illo instrumento doctrinæ utamur, procul dubio non pœnitebit nos profectus nostri. Quod si non pervenerimus ad penitissimum intellectum & specialissimam significationem omnium, quæ in sacris literis posita sunt, spes tamen est, nos non modò cognituros, quantum necesse est, sed & ut sapientes ac prudentes efficiamur, &, ut cogamur fateri ac lætemur, nos Dei doctoris optimi factos discipulos, & non deploremus *tempus impensum vanis & sterilibus laboribus*, sed fortasse plus intelligamus, quàm priores interpretes. Quòd à nobis dici non mirabitur Vir doctus. Nam tametsi nemo jam possit pervenire ad eam peritiam linguæ Hebrææ, quam habuerunt docti in populo, quum is ea sola lingua loqueretur (quod an sibi arrogaverit quisquam, nescio) tamen fieri potest, ut nunc suppeditent rationes cognoscendi, quod scriptum est, quæ latuerint interpretes, aut quibus usi non fuerint; aut major sit atque attentior consideratio atque ἀνάκρισις, & Deus faciat videre, quod antea non dedit videre. Nam intellectus sacræ Scripturæ non pendet ab ingenio humano & ejus sagacitate, sed à gratia Dei oculos aperientis ad videndum. Sunt enim etiam, qui habent oculos ad videndum & non vident. Et Christiani in scripturis vident, quod Judæis velatum est. Et nos, quum senes discimus, stupemus sæpenumero, nos id non pridem vidisse. Omitto, quòd homo animalis non potest ea, quæ sunt Spiritus sancti, cognoscere, quia ea *spiritualiter*, h.e. per amorem & timorem Dei, *examinantur & dijudicantur*. 1 Cor. 2: 14. Extat promissum Dan. 12. vers. 4. *Scrutaturos multos in fine & majorem futuram cognitionem.*

§. 21. Pag. 9. *Ex exinde manifestum divinæ providentiæ peti potest exemplum, nempe quòd eo ipso tempore, quo Dei impulsu Macedonum & Græcorum lingua una cum imperio totum pene pervaderet Orientem, eodem quoque sacrorum voluminum in linguam omnium latissimè diffusam fieret translatio, antequam nimirum sermo Hebræus antiquaretur & interpretandi exinde oriretur difficultas.* Providentiam Dei agnoscimus, & magis, quàm Vir doctus putat nos eam agnoscere. Nam ad convertendas gentes plurimùm contulit Græca versio. Sed amplius etiam à providentia Dei donum habemus, quod non tantùm rivis utimur, sed & fonte, atque ex eo rivi nostri fiunt & latiores & profundiores. quod propheta Ezechiel innuit.

§. 22. Pag. 10. *Tamen non desunt, qui veritatem hujus tralationis oppugnant, & negant illam instinctu & adflatu divino inceptam & absolutam fuisse.* Non, si providentiam Dei agnoscimus, necessariò agnoscimus, verba versionis esse θεόπνευστα, ut verba Prophetarum & Apostolorum. Vir doctus de his scripsit, ut ego agnosco, providentiâ Dei. Pertinet enim ea scriptio ad tentandum Ecclesiam, ad judicandum irrisores, & ad confirmandam auctoritatem fontium. Tamen nec ipse Vir doctus, quanticunque facit sua scripta, habebit ea pro θεοπνεύστοις. Spiritum sanctum adfuisse ipsis, ut id aliquando dicerent in vertendo, quod erat vera expositio, non eo infitias. Quale illud est, quod pro *aures perforasti mihi* reddiderunt *corpus aptasti mihi*. Sed Cajaphas prophetavit, quum diceret, melius esse, unum mori, quàm perire populum. Alia autem non prophetavit, sed ut homo impurus effutivit.

§. 23. *Cum ex omnibus veteribus Christi Ecclesiis ne unum quidem possint producere testem sibi adsentientem, ad unum perpetuò recurrunt Hieronymum.* A nobis, qui in Versione Græca agnoscimus humanam qualemcunque peritiam & diligentiam: & ei non audemus divinam inspirationem, infallibilitatem, auctoritatem attribuere: testes requirendi non sunt. Si omnia verba illius versionis pro divinis dictatis accipienda sunt, dentur argumenta. Christiani non possunt ei rei testes esse. Novimus, quantopere versiones diligamus vulgò. Laborem fugimus. Novissima quæque Versio sic recipitur, quasi omnia in ea præstita sint. Origenes 70. virorum versionem in Hexaplis suis cum Hebræo contulit. Ei inspersit quædam ex aliis versionibus, additis notis idoneis. Legi de ea re potest, quod Henricus Valesius scripsit ad Jacobum Usserium. Origenes igitur quæsivit, quid in fonte esset, &, id quærendum esse, suo exemplo ostendit. Neque abstinuit ab aliis interpretationibus. Aquilæ versionem Justinianus Judæis indulsit, si ea uti vellent.

§. 24. *Annon ipse Apostolus, 1 Cor. 14. sacrarum literarum interpretationem vocat prophetiam?* Vocat. Quando quis divina verba audit & recitat & veritatem ex illis demonstrat, prophetat. Ἀποκάλυψιν, quam accepit, profert. Sed ea lege, ut si sedenti quid reveletur, taceat, & audiat alterum: &, ut *omnes judicent*. vers. 29. nempe an id, quod audiunt, sit illud verbum, quod ad omnes pervenit & ex eo fit & ἀποκάλυψις fit, nec ne? Qui ipse didicit à Deo, prophetat: qui judicant in bona conscientia, prophetant. Si nihil amplius tribui vult Vir doctus Versioni Græcæ, non refragamur. Locuti sunt, quod putaverunt se didicisse & percepisse ex sanctis Dei eloquiis: partim etiam didicerunt ac perceperunt, quodque adeò ipsis revelatum est. Sed nostrum est, qui etiam sumus discipuli Dei, examinare & judicare, an ea se sic habeant. Et potest adhuc sedentibus aliquid revelari. Talis prophetia non habet auctoritatem Canonicam: sed felicitatem cognoscendi voluntatem Dei ex ipso Deo & per voces ab ipso dictatas. Quæ felicitas major est in Novo, quàm in Veteri Testamento. Talis prophetia utitur verbo Dei, & instrumento revelationis, quod ad omnes pervenit; nec est ἰδίας ἐπιλύσεως *privatæ* & privilegio datæ *interpretationis*.

§ 25. *Annon & Græca, quæ superest, Matthæi Euangelistæ translatio est θεόπνευστος? Sed audio semitheologos quosdam Rabbinistas omnium Patrum omniumque Ecclesiarum testimonia conculcare, ac seriò affirmare, Matthæum non Hebraicè sed Græcè scripsisse. Stulti simus, si istiusmodi deliris aliquid reponamus.* Quàm efficaciter docet Vir doctus! quàm validè probat! Papias apud Eusebium lib. 3: 39. dicit: Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο. ἡρμήνευσε δὲ αὐτὰ ὡς ἐδύνατο ἕκαστος. Irenæus apud Euseb. lib. 5: 8. Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Henricus Valesius vir diligentissimus ad verba sequentia annotationem sic claudit: *Quo autem tempore & quam ob causam scripta sint* (quatuor Euangelia,) *& an Matthæi Euangelium Hebraico primùm sermone fuerit exaratum, parùm constat.* Sed Viro docto plus quàm satis id constat, testimoniis omnium Patrum & Ecclesiarum, adeò ut de eo dubitare delirium sit. Ego, ut non puto me obligari, ut credam, Petrum fuisse Romæ, ita etiam, quòd Mathæus scripserit primò Hebraicè, &, quod Papias dicit, quivis, ut potuit, id interpretatus sit. Facile adducor, ut credam, fuisse in manu Nazarenorum, hoc est, Christianorum ex Judæis, Euangelium vulgari ipsorum stilo scriptum literis Hebraicis, ut Hieronymus docet; &, eos dixisse, id à Matthæi manu fuisse: sed, id non fuisse factum ex Græco, & probum, sincerum & non varium fuisse, nondum persuaderi possum. Credamus Papiæ, Matthæum Hebraicè scripsisse. Hieronymus dicit: *quòd quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est*. Papias ita dicit; *quisque, ut potuit, transtulit*. quasi multi transtulissent. Et possibile est, ut, quod apud Nazarenos erat, à multis transferretur. At hoc Euangelium, quia nescitur, à quo versum sit, & coram eo perierunt versiones Codicis Nazarenorum, quare non accipiemus, tanquam à manu Matthæi profectum? vel ab aliquo Euangelista explicatum? Quid enim prohibet, ipsum Apostolum etiam Græcis scripsisse? Quod me attinet, ego fidem ei habeo, 1. ut fideli narratori; qui à nemine reprehensus sit & reprehendi potuerit, & testes habeat alios Euangelistas & Apostolos: & hæc de D. Jesu prædicet, quæ de Christo prædicari debuerunt. 2. ut fideli interpreti, si quidem interpres est. 3. ut fideli scriptori & divina sapientia prædito; quam animadverto in eo scripto. 4. ut θεοπνεύστῳ, sive ipse Matthæus scripserit, sive Euangelista; qualis Marcus & Lucas. Imprimis, quia non possum dubitare, quin à Matthæo visum atque agnitum sit, quod in eo libro scriptum est; & ab aliis Apostolis. Mihi certè non fit verisimile, esse translationem.

§. 26. *Urgent nihilominus, vix sibi verisimile videri istam vulgo jactatam θεοπνευστίαν, & reprehendant cum alios è patribus, tum præcipuè Augustinum, quod dixerit, eundem spiritum, qui Prophetis scribentibus adfuerit, illum ipsum quoque præsentem fuisse* LXX. *interpretibus.* Augustinus de Civitate Dei lib. 15. cap. 14. & lib. 18. cap. 43. de auctoritate LXX. interpretum agit. quem movit consensus fama jactatus, tanquam *signum divinitatis*. Neque tamen ille propterea Hebræam scripturam sui temporis depreciat. Sed huc confugit, ut dicat, Deum, quod voluit, per quos voluit, patefecisse, & sic per LXX. interpretes ex parte novam scripturam editam esse. An hoc velit Vir doctus, nescio. Certè, in sequentibus talem θεοπνευστίαν illis non tribuit. Docti inter Augustini nævos hanc opinionem numerant.

§. 27. Pag. 11. *Ut itaque habeant, quod impune lancinent & conspuant, negant peculiarem istum Dei adflatum. ut etiam singula vocabula istis interpretibus dictarit. At verò quis hoc pertendit?* Ita sanè Augustinus voluit. Necesse est sanè, si quis eos θεοπνεύστους dicat, cum dicere alterutrum, vel totidem verba ipsis

pſis à Spiritu ſancto dictata, vel Spiritum Sanctum ipſos juſſiſſe edere, quæ ſcripſerant, tanquam recta & quæ, ut ſua verba, debeant recipi: & hujus aſſertionis ſuæ nobis argumentum certum atque evidens dare; ut eis credamus tanquam Moſi aut Eſaiæ aut Apoſtolo.

§. 28. *An ullis hoc contigit Prophetis?* Qui potuit aliter? Nam prophetæ loquebantur de rebus, quas non videbant, neque viſuri erant, ſed nobis adminiſtrabant, quæ ipſi ſcrutabantur, ut ea intelligerent. Et hoc eſt, quare ſæpe præfentur, *Sic dixit Dominus.*

§. 29. *Si ſic exiſtimaret, unde ergo iſta ſtyli & dictionis in ſingulis Prophetis diſcrepantia? Sane, ſi quis non ſiniſtrè ſapiat, illi ut puto ſufficiet, rerum & ſenſuum veritatem à Deo eſſe, verba autem & phraſes à Scriptorum & Prophetarum genio.* Scripſerunt ſacri auctores aliquando ea, quæ viderant & audiverant, aut quorum cognitionem Deus ipſis largitus erat, verbis appoſitiſſimis. quod & ipſi pervidebant, & Spiritus eis teſtabatur; qui eos illuminaverat & eorum lingua aut calamo tanquam organo ſuo uti voluit. Aliquando ea, quæ ipſi non intelligebant, & quæ, qualia futura eſſent, aut eſſent, ex illis ipſis verbis neceſſe habebant diſcere ipſi Prophetæ. Potuit hic Deus, qui uniuſcujuſque os aperit, & ſine quo nemo ſtilum format, aliter loqui per Eſaiam, aliter per Jeremiam aut Ezechielem. Quid reſtat? niſi eos loquutos eſſe, quemadmodum Spiritus ipſis dabat eloqui? qui & Apoſtolos, quum eis donum linguarum donaret, non fecit eodem uti ſtilo.

§. 30. *Ponamus tamen interpretes hos nec Prophetas nec divinitùs adflatos fuiſſe, ecquis eſt, qui eos Hebrææ linguæ ignaros & imperitos fuiſſe audeat adfirmare? Quod ſi quis ita infeliciter animatus ſit, ut hoc exiſtimet, jam quoque neceſſariò conſequitur, illos multo majores fuiſſe prophetas, quàm fuerint ii, quorum ſcripta ſunt interpretati, utpote quum clariùs res futuras præviderint & explicuerint, quàm ipſi explicuerint Prophetæ.* Hoc eſt, quod ego hactenus videre non potui. Imperitos fuiſſe ſermonis Hebræi illos, quos habemus, interpretes, ita, ut ſæpe non viderint, quid verterent, (ſi etiam negligentia acceſſit) ſatis perſpicuum eſt ei, qui velit omnem verſionem examinare. Id etiam teſtatur Capellus in ea pericopa, quam in noſtra citavimus præfatione. Vir doctus taciturnus eam prætervectus eſt. Hoc ſaltem obtinemus, verſionem examinandam eſſe, & carere auctoritate divini eloquii, & alias eſſe propriè dictas *ſacras literas.*

§. 31. *Eadem pagina* Vir doctus incipit comparare verſionem illam, quæ dicitur LXX. interpretum, cum aliis Judæorum verſionibus. quarum hiſtoriam quandam attexit. Optarim, ipſum occupare eum laborem, quandoquidem affirmat pag. 17. 18. etiamnum extare Heſychii & Luciani editionem, ut eas nobis exhibeat optima fide & accuratiſſima diligentia. Ad talia ſcio ipſi eſſe ſupellectilem bonam. Ita ocio ſuo non abutetur. Interim verò prudenter ſuſpendet judicium ſuum de Hebraica lectione. Sunt enim, quæ priùs examinanda ſint, multa, antequam poſſit aut debeat corruptionis damnari.

§. 32. Pag. 11. 12. *Operæ precium fuerit inquirere, de tempore, quo libri hiſtorici aut prophetici aut ab iiſdem* (LXX.) *aut ab aliis, ut nonnulli volunt, Interpretibus in Græcum converſi fuère ſermonem. Quamvis enim tralationes ab Apoſtolis traditæ, cujuſcunque demum ſcriptoris & temporis ſint, pro ſacris & ſanctis debeant haberi, quia tamen multi multa comminiſcuntur, & quidvis, quod ad elevandam hujus tralationis dignitatem faciat, perſuadere conantur, non erit ab inſtituto alienum, ſi oſtendamus, falli quàm plurimùm illos, qui putant, non ſub Philadelpho, ſed demum ſub ſequentibus Ptolemæis factas fuiſſe has tralationes. Error hic exui debueras vel propter ſolum Ariſtobuli Peripatetici teſtimonium.* Credo, virum doctum intelligere teſtimonium Ariſtobuli, quod eſt apud Clementem Stromat. 1. edit. Commel. p. 148. Ἀριστόβυλος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῷ πρὸς τὸν Φιλομήτορα κατὰ λέξιν γράφει. Κατηκολύθηκε δὲ καὶ ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καὶ φανερός ἐστι περιεργασάμενος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων. Διηρμήνευται δὲ πρὸ Δημητρίυ ὑφ' ἑτέρυ, πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρυ καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τάτε κατὰ τὴν ἐξ Ἀιγύπτυ ἐξαγωγὴν τῶν Ἑβραίων τῶν ἡμετέρων πολιτῶν καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια, καὶ κράτησις τῆς χώρας καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις. Quæ ſequuntur, extant apud Euſebium de præpar. Euang. l. 13: 12. In quibus dicit, ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τῦ νόμυ πάντων ἐπὶ τῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφυ βασιλέως, σῦ δὲ προγόνυ, προσενεγκαμένυ μείζονα φιλοτιμίαν, δημητρίυ τῦ Φαληρέως πραγματευσαμένυ τὰ περὶ τύτων. Quid igitur in his dicit Vir doctus? Exſtitiſſe ante Demetrium Phalereum interpretationem hiſtoriæ ſacræ & regum. Id probari teſtimonio Ariſtobuli Peripatetici: qui dicit, fuiſſe interpretationem ſacrarum hiſtoriarum, ut occupatæ terræ, & legum & omnium, quæ illis acciderunt, ante Alexandrum & imperium Perſarum: & inde, quòd Demetrius tempora putarit uſque ad quartum Ptolemæi: Philadelphi ſcilicet. quod facere non potuiſſet, niſi extaret verſio librorum hiſtoricorum. Quid inde? Libros propheticos & hiſtoricos aut à LXX. aut ab aliis interpretibus converſos eſſe in Græcum ſermonem. An verò eſt aliquis, qui dubitet, libros Propheticos & Hiſtoricos eſſe tranſlatos in Græcum ſermonem vel à LXX. vel ab aliis interpretibus? Præterea dicit, *Verſiones ab Apoſtolis traditas ſacras & ſanctas debere haberi.* Non aſſequor, quid intelligat per *ſacras & ſanctas habere*, neque etiam, quomodo dicat, *Verſionem ab Apoſtolis traditam.* Apoſtoli prædicabant Chriſtum, & proteſtabantur, ſe nihil loqui extra Moſen & Prophetas. Ita prædicantes non afferebant verſionem vel ad Synagogas vel ad Gentes. Potuerunt rectè uti verſione, quæ in promtu fuit, ſive eſſet facta ante tempora Alexandri & imperii Perſarum, & ſub Philadelpho recognita; ſive ſub Philadelpho eſſet nata: quando ſcil. hoc dicebat verſio, quod in fonte erat, & in quo vis demonſtrationis erat. Id fecerunt Apoſtoli *frequenter*, ſed non ſemper. Quomodo igitur videantur *tradidiſſe verſionem*, equidem non capio: aut quomodo propterea ea verſio, qua frequenter uſi ſunt, magis debeat haberi *ſacra & ſancta*, quàm alia verſio, ignoro.

§. 33. Pag. 18. *Nullus unquam Chriſtianus ante Hieronymum auſus fuit novam verſionem poſt* LXX. *condere interpretes.* Origenes primus contulit Græca cum Hebraicis. Hieronymus ex utriſque convertit. Id Vir doctus vocat *auſum* vel *audaciam.* Fuerunt illa ætate multi, quibus placeret labor Hieronymi, plurimis etiam diſplicuit. inter cæteros Auguſtino. qui tamen ejus *laborem literatum* appellat. de Civitat. D. 18: 43. Ad quæ verba Johann. Ludovic. Vives bene annotat: *Nullus error ſimul oſtenſus eſt & relictus. non tam bene agitur cum rebus humanis.* Ita eſt. Cui aſſuevimus, id gratum eſt. Id nos putamus intelligere, quod frequenter audivimus. Recurrunt memoriæ verba nota. Id intellectum vocamus. Non vacat laborare. quæ pueri didicimus, ſenes dediſcenda fateri, pudet. Eccleſia Romana, etiamſi Latinam Veterem præferat omnibus, ſive quia Vetus eſt, ſive quia ab Hieronymo aliquid habet: non tamen tam iniqua eſt, ut alias verſiones fieri vetet. Quid Vir doctus in animo habeat, excogitare non poſſum. Hoc poſſum dicere: Si ſtudium vertendi ex Hebræo damnat & verſiones inde factas repudiat, tantùm ideò, quia factæ ſunt, vel, quia quis auſus eſt eas proferre, rejicit etiam ſtudium interpretandi: fugit lucem. Ego ſcio, hominis fidelis eſſe veritatem & ſapientiam quærere omnibus viribus, & nolle ζημιῦσθαι atque damnum pati, ut non diſcat ea, quæ Deus docuit; &, quod didicit ac revelatum habet (de quo timere non poteſt, quin verum ſit, quod didicit) debere toti fraternitati. Licere porrò ea cogitata, quæ aſpernari non poteſt, quæ non contra veritatem ſunt, ſed pro ea, proponere ad prudentium examinationem: neque illis, qui hoc faciunt, & ad docendam in bona conſcientia veritatem vocati ſunt, debere exprobrari vel auſum vel audaciam.

§. 34. *Quotquot toto orbe fuêre Eccleſiæ in his ſolis acquievêre.* Utinam verò non priſcæ Eccleſiæ & in indagatione ſcripturarum & in aliis rebus dormiviſſent! Certè non per eam ſententiam, dandam eſſe operam Scripturæ ſcrutationi, & non eſſe acquieſcendum in vulgari cognitione, & operam ei ſententiæ conſentaneam introductæ ſunt corruptelæ in Eccleſiam; ſed per eorum negligentiam, qui ſe jam ſatis divites eſſe putarunt, & ad traditiones ἀδήλυς, h. e. ad μύθυς, ſe converterunt.

§. 35. *Nam ſanè omnes verſiones, Latina, inquam, Syriaca &c. ad ſolos* LXX. *interpretes fuêre expreſſa.* Hiſce lectis ſumebam in manus Pſalterium Syriacum à Cl. V. Erpenio p. m. editum. In ejus præfatione legebam hæc verba. *Cùm autem verſio iſta à textu Ebræo, (ex quo procul omni dubio, ut ſinguli verſus clamant, expreſſa eſt) longiuſculè interdum recedat,* &c. Inſpiciebam etiam Pſalm. 2: 12. ubi reperiebam: נשקו ברא. quod Erpenius vertit: *Oſculamini filium.* Quod multum diſtat à Græco: δράξασθε παιδείας. Waltonus proleg. XIII. obſervat, antiquam & ſimplicem verſionem Syriacam & qua Syri orientales præcipuè in divinis officiis publicè utuntur, propriùs ad Hebræum accedere, paucis locis exceptis: eſſe tamen aliam recentiorem ex LXX interpretibus factam. Operæ pretium eſt ibi legere, quæ ex Abulfaraio de hac re à Cl. Pocockio verſa recitantur. Quomodo igitur probabit Vir doctus, quod dicit: *Chriſtianos ſemper nefas credidiſſe deficere ab ea verſione, quæ ſola omnium Apoſtolorum & Eccleſiarum teſtimonio & auctoritate munita & confirmata eſt?* Sævam igitur orationem, quam ſubjungit, in Hieronymum cui affectui imputabimus? Sic enim inquit. *Ex omnibus antiquis Chriſtianis primus & ſolus repertus eſt Hieronymus, qui ab Apoſtolis & Eccleſia conſtitutos auſus eſt tranſgredi terminos, utpote qui non dubitarit neglectis* LXX. *interpretibus expoſitionem ſacræ Scripturæ Judæorum ſubjicere examini.* Atqui vel hoc ipſum, quòd Hieronymus aliquid conatus eſt & fecit, & ejus labor multos approbatores invenit, teſtimonium ſatis magnum eſt, Apoſtolos non conſtituiſſe illos terminos expoſitionis, ut ſubſiſteretur in eo, quod verſio, quæ dicitur LXX. interpretum, agnoſcit & tradit. Si enim vel ipſe vel Damaſus tales terminos poſitos ſciſſet, ne mutiviſſet quidem. Auguſtinus non provocat ad Apoſtolos, quod ſciam, ſed

ad

ad mirabilem consensum 70. virorum, ut signum divinitatis. Neque tamen is negat, quicquam disci ex Hebræo posse. Satis habuit dicere, utrumque Codicem prophetare. Ecclesia verò non potuit terminos ponere expositioni verbi Dei: cujus est verbo Dei obedire. Neque ea potuit Græcæ versioni auctoritatem dare. Hieronymus vel, quantum didicerat ex Hebraicis scripturis, explicavit, vel, quomodo Judæi exponerent, narravit. Apostoli subjecerunt prædicationem omni conscientiæ. Etiam expositio Ecclesiastica debet ferre omnis conscientiæ & examen & judicium. Si Judæi non judicabunt de expositione Christianorum, nunquam fient Christiani aut cum Christianis idem dicent. Quare illa verba Viri Docti si referam inter ὑπέρογκα ματαιότητος, non poterit mihi jure irasci. Quæ sequuntur p. 19. in Hieronymum & qui deinceps conati sunt Hebræa exponere (inter quos est avus ipsius, & ii, qui à Celsissimis Ordinibus Belgii ad hoc opus delecti sunt, & qui in omnibus Ecclesiis Reformatis plebem versionibus vernaculis instruxerunt, & nuper doctissimus Johannes Diodati,) satis biliosa & contumeliosa libens prætervehor. Si quid valet in his, proferat meliora iis, quæ extant, & ea confirmet: aut doceat, ubi in nostris, quibus utimur, aut quas facimus, versionibus fallamur. Docens merebitur minerval, irridens contemtum. Quantum debeamus Judæis confidere, si non meliùs, quàm Viro docto, certè non minùs probè constat nobis. Verùm & hoc constat nobis, si eos docere & convincere velimus, eorum interpretationes negligendas non esse, sed accuratè examinandas, & ita corrigendas, ut ipsi videant, se in luto hærere. Nihil eos movebit auctoritas Græcæ versionis. Quam si Vir doctus se dicat intelligere, aut, ubi abludit ab Hebræis, de ea esse πεπληροφορημένον, efficiat, ut nobis pateat, id non esse jactantiam.

§. 36. Sequitur *Responsio ad objectiones Theologi Leydensis.* Quare nomine *objectionum* mea proponat, nescio. Patet ex præfatione mea, me non potissimùm de objiciendo laborasse, sed ut Lector intelligeret, nos, dum retinemus id, quod ex Hebraica lectione discimus, habere bonam coram Deo conscientiam.

§. 37. Pag. 2. Imputat mihi, quòd *à figmento ordiar.* Equidem non is sum, qui figmentis delecter. Si mentem Viri docti non percepi, error est; non figmentum. Si erravi, ipse errandi occasionem dedit. Et fortasse erravi in benigniorem partem. Ego, rogatus judicium de Viri docti sententia, librum, qui mihi tum demum traditus est, pervolvi. Ibi vidi multa dici in *Judaicas interpretationes* & iis LXX. virorum versionem, ut θεόπνευςον præferri. Cogitavi igitur, Virum Doctum & lectionem Masoreticam (ut ipse loquitur) & Judæorum expositiones, Targum item &, quas in aliis linguis fecerunt Judæi interpretationes, eodem loco habere & uno vocabulo intelligere. Idque mihi videbatur probabile. Nam audiebam, Hebræam linguam periisse. Nec Masorethas idem dicere, quamvis retentis literis, quod sacri scriptores dixerint & senserint, LXX. autem interpretes expresserint. Quum igitur id, quod Masorethæ dicunt, intelligi possit; eorum lectionem habendam esse pro interpretatione aut expositione quadam & indicatione sensus proprii, collegi: & hoc velle Virum doctum putavi. Nunc audio, *corruptionem* esse & *venenum*, ubi diffidet à LXX. interpretibus. Quomodo igitur est *corruptio?* Numquid est detorsio in sensum pravum, quæ fiat per incrustaturam vocalium, retentis literis? Si hoc: est genus expositionis. An verò potiùs est mutatio in sensum nullum? Si hoc: quantùm ex literis intelligi potest, reliquerunt tamen. Sed quid erit ibi, ubi LXX. interpretes habent consentientes? Ibi verò intelligi possunt. Et, quod intelligi potest, à Masorethis est. Est igitur eorum expositio & indicatio sensus ipsorum, qui & verus est & ex lingua veterum, si ea exstaret, cognosceretur. Quid igitur, quæso, finxi? *Ibid. Ceterum, at sciamus, quàm facetè jocari didicerit, id facilè cognoscas ex iis, quæ mox subdit, cùm se magno desiderio teneri scribit, ut Codicem illum Græcæ tralationis à me reformatum videat, simulque novam linguam & novam agnoscat προφητείαν.* Ego verò non sum jocatus, sed seriò monui, nimis præceps esse Viri docti institutum, qui nos jubet relinquere lectionem Hebraicam & LXX. versionem sequi, aut saltem Hebraicam lectionem reformare secundùm Græcam versionem; si non seriò incubuit in meditationem sacrarum literarum, si non versiones diligenter examinavit, si non habet domi codicem integrum versionis Græcæ, si non ad illius mentem reformavit Hebraicam lectionem, atque adeò purissimum & nitidissimum exemplar (Hebraicum nimirum) potest exhibere. Id si videam, dixi, me miraturum novam linguam. Nam Vir doctus aut veterem illam restitueret: aut, quum ea perierit, ut ipse vult, novam linguam daret. Si verò restitueret veterem, prophetaret utique. neque tantùm, sed etiam sensus prophetarum alios nobis panderet. quæ mihi nova prophetia esset. Verba Viri docti, quæ in mente habebam, extant pag. 98. *Ut itaque desinam, sic sentio, si quis veros S. literarum sensus cognoscere aveat, huic præcipuè negligenda esse puncta vocalia. quæ à Masorethis fuêre excogitata. Aut saltem si illa ex parte retinere velimus, utique reformanda esse ad mentem tralationis* LXX. *interpretum. Sola hæc versio sincera est & ἀναμάρτητος.* Cæterùm, quæ Vir doctus in editione & emendatione & illustratione LXX. interpretum præstare potest, ea tantum abest ut averso animo accepturus sim, ut eum seriò orem, ut in eam rem diligenter incumbat. Habebit me imprimis approbatorem & qui velit labore ejus uti. Nam, utcunque me sæpe frustrentur LXX. interpretes, tamen sciat, me identidem quotidie ad eos redire. Sed ex hoc specimine apparet, Virum doctum ad hanc responsionem iratum accessisse, & propterea visum sibi esse ea videre in mea præfatione, quæ in ea non sunt; & non esse mirandum, quòd in perversissimum sensum dicta mea accepit. Suspectum me ipsi fuisse, etiam antequam scriberem, cognovi nuper. quod mihi valde mirum accidit. Sed, quia ita est, non miror, eum ita incanduisse.

§. 38. *Eadem pagina inquiens me parum de fide esse sollicitam.* Verba mea sunt: *dum ita agunt, speciem præferunt eorum, qui parum curant fidei soliditatem, certitudinem ac profectum. Quod quidem illis non imputo: sed tamen, quid ab eis desiderari possit, dissimulandum non est.* Refert mea verba, quasi *imputarem*, quod dico me *non imputare.* Sed præterit, quid *desiderari ab ipso possit.* nempe ut ante omnia ostendat, *in omnibus versionibus tantum esse, at homo salvari posset* (quod ipse dixerat) *& quomodo certus de eo esse quivis possit; & quid pro certo ex omnibus versionibus assumere possit.* Hoc sanè docendum erat. Non poterat enim ignorare, quum tales voces projicerentur in vulgum, Hebraicam lectionem corruptam esse & negligendam esse, Græcam versionem solam esse ἀναμάρτητον, quanto cum periculo hoc sit conjunctum. Omnes homines nostrarum Ecclesiarum utuntur versionibus, quas auctores earum Hebrææ lectioni examussim aptare fategerunt. Ita autem utuntur illis versionibus, ut, quatenus dubitare non possunt, ea, quæ versa sunt, convenire cum Hebræo, securi sint & acquiescant. Jam, si homines audiant dici, Hebræam lectionem carere auctoritate, non videtur fulcrum fidei eorum subduci? Qui contemnunt sacras literas, nonne habent occasionem rejiciendi Hebræa, quia corrupta sunt, &, quia corrumpi potuerunt, divina non sunt; & Græcam versionem, quia versio est? Nonne dignum erat explicatu & necessarium, quomodo fides nostra in tuto sit posita, non obstantibus talibus controversiis, qualibus movendis vel fovendis operam dat Vir doctus? Hoc desiderabam ab ipso. Id volui ipse præstare. Quod ille tam alienè recitat, ut dubitem, an apud se fuerit, aut saltem *legerit præfationem meam.* quanquam & ipse dubitat. dicit enim P. 3. *sed lecta, aut saltem perlustrata integra præfatione, tum demum cognovi.* Dubitat, *legeritne an perlustraverit.* Si ego sic cum ipso agerem, *figmenta* me proferre diceret. Nos Lectorem cordatum ad præfationem nostram remittimus. Non dubito, quin, qui verum amant, mentem meam meliùs perceperint, & viderint, me non tantùm debuisse fidem in tuto collocare, sed etiam certum fundamentum ponere, cui deinde superstruerem assertionem veritatis lectionis Hebrææ, quatenus per eam traduntur verba Testamenti ac fœderis Dei &, quæ ad pietatem faciunt.

§. 39. Pag 4. *Quinetiam addit, Apostolos cum commendant sacras literas non innuisse illos sacros libros qui à gentibus legi & intelligi poterant, sed istas puras voces Hebraicas & puram pronunciationem quæ in Synagoga & ore Judæorum audiebatur.* Lector, ut videat, quàm eleganter & bona fide hîc agat Vir doctus, dignabitur inspicere, quæ in mea præfatione exstant §. *Locuti sunt.* pag. 6. Ad quæ cùm Vir doctus nihil reponat, nisi risum; quid dicam, nisi, eum non habuisse, quod responderet; ideoque voluisse verba & mentem meam ineptè proponere, truncare, mutare, exsibilare. Hoc eruditum est, hoc amici ejus, qui soli eruditi sunt, approbabunt. Euge!

§. 40. Nihilo melioris commatis sunt, quæ habet pag. 4. §. *Quamvis,* & p. 5. §. *Quicquid enim*, tam aliena à re, ut nihil possit fieri alienius. De re ipsa jam dixi in eis, quæ superiùs annotavi.

§. 41. Pag. 6. *Quod itaque primò adstruere conatur, Apostolos gentibus non Græcam tralationem, sed Hebraicum Codicem & prælegisse & commendasse, id nullo argumento aut testimonio nititur. Vel ipso Paulo teste in ventum verba sparsissent Apostoli, si ignota lingua Dei mysteria gentibus prædicassent. In toto imperio Romano Græcus sermo & Latinus omnibus erat in usu, Hebræa verò lingua ne ab ipsis quidem Judæis intelligebatur.* Non igitur erant Hebræi & ἑλληνισαί; Christus non locutus est Hebraicè, quando in Synagoga locum illum, qui est Es. 61. recitavit ex volumine, ut narrat Lucas c. 4: 16. & sequentibus. Idem Lucas Actor. 2. inter linguas, quibus locuti sunt Apostoli, non recenset Hebræam? Atqui, inquit, *jam vernacula esse desierat & à solis addiscebatur Judæorum sacerdotibus.* Ergo poterat disci, poterat intelligi. Certè & δευτερώσεις Hebraicè proferebantur, & Scriptura Hebraicè legebatur. Ego non nego, Apostolos Græca versione usos esse, sed nego, eos *lectionem Hebraicam, quæ in Synagogis τῶν Ἑβραίων frequentabatur, non posuisse suæ prædicationis fundamentum:* aut jussisse,

ut

ut Hebræi vel aliæ gentes *barbara* ex Græca versione sibi facerent versionem, quando eis *sacras literas* & τὸν προφητικὸν λόγον commendarunt.

§. 42. Pag. 7. *Quod autem putat ; Apostolos versiones novas ex Hebræo adornasse codice, id aliter se habet.* Apostolos in prædicatione sua sæpè expressisse, quod in Hebræo est, & inter Hebræos Hebræa recitasse, non est dubium, quia & Hebræis locuti sunt, & in scriptis suis ex Hebræo dicunt, quod Græca non habet. Nunquam dixi, *Apostolos adornasse versiones novas ex Hebræo codice.*

§. 43. Ibid. *Quotcunque versiones à Christianis confectæ fuêre Æthiopica, inquam, Armenica, Coptica, Syriaca & Arabica, illæ omnes ex* LXX. *interpretum tralatione, tanquam ex uno fonte, promanarunt.* Id non esse verum de *Syriaca simplici & antiqua*, jam antè ex Erpenio & Waltono demonstravimus. De Arabica omni non esse penitus verum, idem Waltonus docet.

§. 44. Ibid. *Indignatur, quod probem versionem* LXX. *interpretum, quæ usque adeò adversatur ipsius expositionibus.* Sane hoc *frigidum scomma*, annon, alii judicent. Ego *meas expositiones* non amo, sed quæro veritatem, &, quod didici, in bona conscientia aliis trado. Hoc enim ut faciam, mihi incumbit. Dum proficio, me ipse sæpe corrigo, & paratus sum à quovis discere. Idque verum esse sciunt, qui me norunt, & qui meas expositiones legerunt. Quas non legisse Virum doctum, certò scio. Non enim diceret, *Græcam versionem eis adversari.* A qua me interdum juvari gaudeo, sæpenumero autem non doceri, sed frustratum dimitti, doleo.

§. 45. Pag. 8. *Quid enim ista sibi volunt, quæ notat ad locum* 1 Pet. 4: 11. si quis loquitur, ut oracula Dei, &c. *dicit non hic addidisse Apostolum*, secundùm Græcam expositionem? *Sed neque addidis, secundum literam Hebraicam.* Non sic loquor, sed: *quod certe aliud est, quàm dicere*, Secundùm Græcam expositionem. Addo deinde: *Nisi quis putet, in confesso fuisse, apud Hebræos æque atque Hellenistas,* LXX. *viros vertendo prophetasse & eam versionem esse θεόπνευστον.* Quod non fuisse in confesso, probo ex dissidio Hebræorum & Hellenistarum. qui etiam Judæi fuerunt. Nam, *advenas* fuisse meros, nondum probatum est. Non est igitur, quod rideat, allegari à nobis Actor. 6. vers. 1. vel, quod Paulus se *Hebræum* gloriatur. Sinceriores enim & veritatis amantiores visos esse Judæis, qui Hebraica legerent, quàm qui Græcis Codicibus uterentur, ex illis, si non manifestum est, saltem verisimile fit. Quæ verisimilitudo nobis sufficit. dum non probatur, quod in quæstione est, Indubitatam fuisse apud omnes Judæos LXX. interpretum auctoritatem, atque ideò, quando Petrus ὑποτύπωσιν loquendi dicit λόγια Θεοῦ, intellexisse Græcam versionem.

§. 46. Non addit Petrus, *secundùm literam Hebraicam.* Neque id necesse erat. Λόγια Θεοῦ appellat, quæ erant Λόγια Θεοῦ, & pro iis habebantur. Atqui pro iis habebantur Hebraicæ literæ in Codicibus sacris exstantes. quæ adhuc legebantur, &, saltem à sacerdotibus (ut vult Vir doctus) discebantur. Non debuit igitur quicquam istiusmodi addere. Et, quum nihil addiderit, relinquitur, eum de Græca versione non esse locutum, nisi quatenus per eam ad Græcos rivi ex fonte promanabant. Quando autem dicit, eum, *qui loquitur*, debere loqui *ut oracula Dei*, quandoquidem non potuit non intelligere Hebræas literas in Synagogis Hebræorum lectas, fieri non potest, ut non eo ipso nobis præceperit, προσέρχεσθαι, *accedere* ad illos sermones primitivos, & ex illis loquelam formare.

§. 47. Ibid. *Antequam Christiani essent, in omnibus Synagogis lecta & approbata fuit hæc tralatio.* Id demonstrandum erat, non affirmandum.

§. 48. Ibid. *Post eversam Hierosolymam, quum Christiani beneficio hujus versionis prævalerent, tum demum Judæis odio esse cœpit.* Facilè admittam, Judæos Græcam Versionem propter Christianos magis magisque exosos fuisse, & minùs minùsque ea usos fuisse: quia videbant, Christianos in Occidente ea versione uti. nempe ut Christianos, ignaros Hebraicæ scripturæ, irriderent, tanquam vitiosis exemplaribus utentes: & ut liberos suos à communione Christianorum abstraherent. Sed, hoc ideò factum esse, quòd Græci Codices magis faverent religioni Christianæ, quàm Hebræi, aut quòd Hebræi in odium Christianorum simul corruperint suam lectionem, simul ex scholis amandaverint Græcam versionem, verum non est. Nos quotidie ex Hebræo Codice Christum discimus. Hieronymus ad Esa. 6. ita habet. *Quòd si aliquis dixerit, Hebræos libros postea à Judæis esse falsatos, audias Origenem, quid in octavo volumine explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ: quod nunquam Dominus & apostoli, qui cætera crimina arguunt in scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræorum fuisse falsatos: cachinnum tenere non potero: ut Salvator & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.* Hæc Origenes: quem magni facit Vir doctus; quem constat sua Hexapla lectione Hebraica tum Hebraicis literis perscripta, tum Græcis, exornasse, non invita Ecclesia fidelium. Desinat igitur Vir doctus pertendere, sic Ecclesias Græcam versionem recepisse, ut non putaverint, esse examinandam ad Codices Hebræos. Cæterùm, qui dicit, *Christianos beneficio prævaluisse*, & ideo Hebræos suas sibi literas vendicasse, annon videtur dicere, Christianos per Codices Hebræos non posse prævalere?

§. 49. Ibid. *Valdè autem fallitur cum existimat Apostolorum tempore, aut etiam diu postea lectas fuisse paraphrases Chaldaicas sive Onkelosi, sive Jonathanis sive Josephi cæci. Nulla est ex istis paraphrasibus, quæ non sex septem minimum seculis Euangelio recentior sit.* Nihil dixi de antiquitate earum paraphrasεων. Tantùm dixi: *nominatim ut Chaldæa sive Onkelosi sive Jonathanis sive Josephi cæci utuntur.* quod verbum est præsentis temporis. Mea non refert, ut sint antiquiores eæ paraphrases, quàm sunt. Hoc scio, ante templi destructionem fuisse, qui vulgari lingua explicarent, quæ legebantur in Synagogis: &, si Targumim sive paraphrases Chaldaicæ tam recentes sunt, Hebræam linguam non ita penitus intercidisse, quum eæ fierent. Nam sine linguæ Hebrææ satis magna peritia fieri non potuissent, non magis, quam Græca.

§. 50. Pag. 9. *Pergit Theologus & quærit, qui fieri potuerit, ut versio Græca tantam apud Judæos obtinere potuerit auctoritatem, ut reciperetur tanquam ipsissimus sermo Propheticus, & tanquam Prophetica interpretatio?* Ego hoc non tantùm quærebam, sed etiam rationem quærendi dicebam: quia talis ratio & talia argumenta ad probandam θεοπνευςίαν debuerunt esse in propatulo, & nunc etiam in hominum notitia versari, ut & priores debuerint & nos teneamur versionem illam tanquam Propheticam adorare. Nam, quomodo credam ego, side re non possum πιςεῦσθαι? Hoc omisit Vir doctus, ut pleraque nostra, in quibus aliquid ponderis est. Waltonus, ubi de LXX. interpretibus agit, collatis sententiis, dicit, quosdam quidem divinam auctoritatem & θεοπνευςίαν attribuisse interpretibus, non tamen omnes. Et ipse hoc argumento eam θεοπνευςίαν convellit, quia auctores, qui historiam versionis descripserunt, testantur, interpretes inter se contulisse & disceptasse Nihil juvat Virum doctum nominasse magna nomina. Danda est ratio, quare nobis credendum sit, Interpretes fuisse prophetas, ut & tutò id credere possimus & credere teneamur. Non libet jam eorum, quos citat, verba requirere. Justino Martyri impositum esse, concedit Waltonus. Et id concedendum est. Nam, si Aristæus vera narravit, non fuerunt 72. cellulæ, in quibus singuli totum opus seorsim absolverint admirabili vocum consensione. Quod ne Augustinus quidem ausus est urgere. cui sufficit, si tot Viri doctissimi videantur consensisse. quorum judicium unius judicio præferendum censet.

§. 51. *Etiam tacentibus his nonne vel ipsa tralationis veritas & Apostolorum commendatio ipsum hoc manifestè evincit?* Nullibi vidi Apostolos versionem Græcam ut propheticam commendare. Usi sunt plerumque. Potuerunt uti, etiamsi non haberent interpretes pro prophetis. Quòd verò Vir doctus ad *tralationis veritatem* provocat, bene facit. Nam nihil apud me valebit aliud, quod hactenus prolatum cognovi, ut credam, interpretes fuisse infallibiles. Ergo, ut hoc argumento persuadear, quum ocium erit, & quum Vir doctus nitidissimam editionem dederit, diligenter inquiram in *veritatem tralationis*; &, quum eam deprehendero, concedam, eos fidelissimos & peritissimos fuisse; nec contradicam eis, qui eos censent prophetas. Sola autem *veritas tralationis*, quæ à Viro docto & me deprehendi potest, ea est, si eandem veritatem & plenitudinem significationis, quæ in Hebræo Codice habetur, in iis, de quibus dubitare non possumus nec debemus, exhibeant. Sed Veteres, qui eos prophetasse dicebant, hoc volebant, tam locutum esse Sp. Sanct. per ipsos, atque per certissimos Prophetas: ideoque non esse mirandum, si aliud atque aliud his aut illis dictavisset. Videbant enim, Hebræa & Græca sæpe non convenire; & neutris volebant detractam fidem.

§. 52. Pag. 10. *Instat Theologus, Moses, Samuel, David & alii fuêre prophetæ, ergo* LXX. *interpretes non fuêre Prophetæ, sed interpretes tantum.* Hoc scilicet est abbreviare. Vix quicquam meum agnosco in iis, ad quæ V. D. vult videri respondere. Hoc dico: Mosen, Samuelem, Davidem prophetas fuisse, dubitare non possumus. Danda igitur ratio, quare & LXX. interpretes similiter accipiamus pro prophetis. Cordatus Lector, oro, legat mea, & videbit, quàm dextrè hîc agat Vir doctus.

§. 53. Ibid. *Ne hîc quidem rectè loquitur. Vel ipso Apostolo teste non tantum prophetæ sunt, qui futura prædicunt, sed etiam illi, qui prophetias & verbum Dei annunciant & rectè interpretantur.* Concedit igitur Vir doctus, *prophetiam* aliter atque aliter dici. Non est in ambiguitate quærenda latebra. Si sic dicat eos prophetas, quòd rectè interpretati sint, nihil illis dat, quod non dandum sit omnibus fidelibus interpretibus. Sed horum interpretatio subjecta est examini. Si illos non tantùm fideles interpretes, sed & alio modo atque gradu prophetas esse vult, verba & voces eorum eximit examini & in summa auctoritate

col-

collocat. Propheta, quando plus significat quàm fidelem Interpretem, notat eum, qui ut legatus Dei loquitur verbis, quæ Deus dictaverit, quæve Sp. Sanct. jusserit publicari, fidelis legati habens testimonium.

§. 54 *Hodierni Judæi & qui eos sequuntur Christiani nescio qua malitia aut cæcitate ne nunc quidem, quando impleta sunt Prophetia, veros prophetiarum sensus eruere norunt.* (Justa hæc querimonia de illis, qui non animadvertunt ea impleta, quæ impleta sunt) *at verò* LXX. *isti, qui totis tribus seculis crucem Christi præcessere, ita exactè omnia reddidere, ut, licet Apostolorum & universalis Ecclesia non accederet adprobatio, vel ipsa eventuum ratio translationis hujus veritatem abunde possit evincere.* Si, quando Græca versio id dicit, quod in Christo factum est, id Judæi non agnoscunt, vitium in Judæis est, qui veritati refragantur & sunt *ἐμπαῖκται*. Qui ante Christum natum fuerunt, non habuerunt eandem causam obscurandi & torquendi, quod legebant; & habebant integriorem Catechesin & ab institutione Prophetarum novissimorum non ita longè fuêre remoti. Hoc igitur hactenus ostendit eorum in interpretando bonam fidem: sed non probat eorum infallibilitatem & divinam auctoritatem.

§. 55. Ibid. *Cum verò inquit Apostolos non semper verba* LXX. *interpretum repræsentare, in eo quoque fallitur. Semper enim illa quàm exactissimè exhibent, excepto uno Matthæo, utpote cujus Euangelium sit ex Hebræo translatum.* Hieronymus eadem dicit de Johanne: qui Græcè scripsit. An Matthæus Hebraicè scripserit, & annon ipse Euangelium scripserit, *parum constat*, judicio Valesii. Sed, si ex Hebræo tum licuit vertere secundùm lectionem? quæ nunc extat, licebit etiam nunc. Vide tamen, quid faciat V. D. loco Matthæi cap. 2. vers. 15. *ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου*. Hæc verba sic legunt LXX. *ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ*. De hac differentia agit V. D. p. 114. Ait, *potuisse librariorum culpa fieri, ut sic legatur* pro *τὸ τέκνον μου*: Saltem ex Hebraica lectione poterit redargui culpa librariorum. Deinde, *potiùs credendum Judæos hæc mutasse* (nempe in LXX. interpretibus,) *quàm* LXX. *interpretes errasse.* Quando habuerunt Judæi Græcam versionem post Apostolos in potestate, ut eam corrumpere potuerint? Sed, si eam corrumpere potuerunt, quid habet Græca versio supra lectionem Masorethicam? Tum, *circa unam literam quæstionem versari. Si enim*, inquit, *legas* בניו *habebis*; filios ejus, *si* בני *filium meum.* Aliter se res habet. Quæstio est de una litera, & de lectione, & de sensu. Non est litera vau. בני potest legi, בְּנִי, & erit, *filium meum*, & בָּנַי *filios meos.* Dicit: Legere quidem Judæos בְּנִי, sed irridere Euangelistam & Christianos, quòd *futiliter verba Prophetæ ad Christum detorqueant, cum sequentia refragentur. Sugillasse & Julianum hunc locum.* Et Vir doctus illis non potest aut non vult respondere: sed eò confugit, dubium esse, utrum ex Hosæa, an aliunde sit sumtus hic locus, nempe ex Numer. 24. vers. 8. ubi LXX. habent, *ὁ θεὸς ὡδήγησεν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου*. Sed nobis satis est, verba Euangelistæ legi ab Hebræis. Quòd autem de Christo loquatur propheta, ubi eum locum tractamus, demonstramus.

§. 56. Pag. 10. 11. *Quàm verò ridiculum, quòd pertendit, hodiernam Rabbinicam interpretationem* (ita jam vocat Hebræi Codicis lectionem, quod supra conquerebatur à me sibi affictum) aures perforasti mihi, *meliorem esse aut amplius quid significare, quàm* LXX. *viralis & Apostolica σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.* Putat, credo, Vir doctus, honestum sibi esse, si pro Responsione ubique dicat; *ridiculum, ridiculum*, & ideò se in precio habendum, quia plurimum *ridet*. Qui debebat cogitare, sibi rem esse cum Christianis, quibus respondere & satisfacere videri vult, & Lectoribus, quos vult erudire. Id ridendo non efficiet. Ego non dixi, Apostolum vertisse hunc locum, sed, ex versione citasse. Dico, me animadvertere Sp. Sancti directionem, quòd LXX. rem veram dixerunt & quam intendit Spiritus. Dico nunc, Id argumentum esse integrioris Catecheseos, quæ illo tempore fuit. Verba tamen verbis non convenire, atque ita esse potiùs expositionem, quàm versionem, apertum est. Dixi, Verba Hebræa etiam singularem habere emphasin & aliquid amplius dicere. Et id explicavi. Noster illa silet, &, pro sua eximia charitate, nobis cachinnos suos propinat & dentes ostendit. Et, ut intelligas, cum à se non abiisse, addit, *Tantum abest, ut Judaica versio* (Verba Hebræa debuit dicere) *sensum Apostolicum contineat, ut ne illum quidem contineat, quem ipsi Judæi eruere conantur. Καταρτίζειν nunquam significat* perforare. At אזנים כרית significat *perforare* vel *cavare aures.* Nemo dicit, *καταρτίζειν σῶμα* verbotenùs significare *perforare aures.* An *σῶμα κατηρτίσω μοι* sunt verba Hebræa?

§. 57. Ibid. Quod de *Ulam luz* pertendit Vir doctus, nimia pertinacia est. Constat, particulam ואולם notare *δὲ, ἀλλὰ, autem.* LXX. ipsi ita vertunt. Notari per אולם *τὸ πάλαι*, aut Hebraicè posse dici *πάλαι λοὺζ*, ut dicitur *παλαίτυρος*, nulla ratione constat. Aquila non *τὸ* אולם transfert per *πρότερον*, sed, quod in fine versus est, בָּרִאשֹׁנָה. Si bis posuisset *πρότερον*, videretur Viro docto assentiri. Sic ex mente ejus transferre debuisset. *ἡ πρότερον λοὺζ ὄνομα τῇ πόλει πρότερον.* Hieronymo imposuit, quòd *τὸ πρότερον* in Aquila invenit non suo loco positum. Is &, quum nomen אולם exponit, vacillat. Nihil commune *τῷ* אולם & *τῷ* עולם. Neque עולם est *olim.* Aliud est מעולם. Nullam rationem videmus, quare hic ואולם non significet, quod alibi significat, testibus *τοῖς ὁ*. Rectè Hieronymus: *Ridiculè putant quidam, Ulam esse nomen urbis.*

§. 58. Ibid. & pag. 12. *Non debent Judæi hodierni controversiam movere* LXX. *interpretibus de vocabulorum expositione. Major Hebraica linguæ scientia fuit in uno ex illis interpretibus, quàm nunc sit in omnibus Rabbinis omnibusque totius orbis Synagogis, additis etiam in cumulum, quicquid unquam est Christianorum Rabbinizantium.* Ego nescio, quos *Christianos Rabbinizantes* compellet, nisi eos intelligit, qui sperant, se ex Codice Hebræo, ut nunc legitur, & ex Hebræorum libris posse aliquatenus discere, quid in eis scriptum sit, non spernentes adjumentum versionum, ne illius quidem, quæ nomen LXX. interpretum præ se fert, ita tamen, ut non tribuant ulli versioni auctoritatem. Nisi fallor, in his verbis se patefacit mysterium sententiæ Viri docti. nempe, Nihil disci posse de sacris literis, nisi quod ex ea Græca versione disci potest: incassum laborare, qui Hebræum Codicem & literas sacras (quas solas de Hebraica lingua restare vult) meditantur. Quicquid inde profertur, abjiciendum esse: etiamsi se probet conscientiæ & secundùm analogiam fidei sit, & à veritate eventuum approbetur. Solum relinqui fidei fundamentum, quod LXX. viri fuerunt docti, & fideliter verterunt, & infallibiles fuerunt: quodque illi confecerunt Græcum Codicem, quem nunc habemus, aut aliquando ope Viri docti habituri sumus. Hisce positis, jam efficitur, quum Genes. cap. 4. vers. 7. vertunt, *ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς*, eos legisse non לַפֶּתַח, sed לִפְתֹּחַ, & hoc omnino, velis nolis, significare *διαιρεῖσθαι*. etiamsi ipsi nunquam præterea verbum פָּתַח vel פתח verterint *διαιρεῖσθαι*; etiamsi alia detur versio melior & planior secundùm vocales jam usitatas; cui versioni LXX. coguntur in singulis vocibus testimonium perhibere; etiamsi sensus Græcæ versionis absurdus sit. quia *non est, ut quis rectè offerat & non rectè dividat.* Hæc verba nostra repetit Vir doctus; & addit, *ecquid aliud dicit, quàm quod nos ipsi quoque dicimus.* Si Vir doctus hoc idem dicit, mecum contradicit LXX. interpretibus. Nam illi dicunt, posse fieri, ut quis *rectè offerat, & non rectè dividat.* Ego autem, & mecum Vir doctus, dico, Non posse fieri, *ut quis rectè offerat, & non rectè dividat.* Qui in Catena loquitur, aliud loquitur, quàm quod in Græco est. Hariolatio ex hariolatione nascitur.

§. 59. Ibid. *Abel verò quia vel plura vel meliora offerebat, ideò placuit ejus sacrificium.* Nihil de his Scriptura. Apostolus dicit Hebr. 11. vers. 4. *πίστει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε Θεῷ.* Nulla ratio est, cur dicamus, *πλείονα* quantum ad materiam doni. Certè verisimilius est, Caïnum hypocritam non parca manu dedisse. Solent se hypocritæ speciositate doni sui jactare. Abelem in fide obtulisse, eoque ipsius donum melius fuisse, certum est. Alia omnia sine auctoritate dicuntur. Scriptur dicit, אם תיטיב, non אם תַּרְבֶּה: *τὸ ὀρθῶς* requirit, non *τὸ πολύ*.

§. 60. Pag. 12. agit de שוף, quod est Genes. 3: 15. Dixeram, LXX. interpretari nunc *καταπατεῖν*, nunc *ἐκτρίβειν*. Vir doctus id refert ad diversitatem pronunciationis, quæ nunc nos lateat. Ergo provocat ad id, quod nescit. Postulat, ut ostendam, *quomodo constare possit sensus hodiernæ interpretationis.* Puto, eum intelligere *hodiernam lectionem.* Nam nemo, quod sciam, se alligat ad *hodiernam interpretationem* ullam. Nobis igitur videndum, quid per שוף possimus intelligere secundùm analogiam aliorum locorum, in quibus idem verbum legitur. Quater id in universum reperitur. bis hic, & Job. 9: 17. & Psalm. 139. vers. 11. Si non possumus ex his locis specialem notionem efficere, contenti sumus generali: *Comminuere, conterere, impotentem facere.* Conferimus deinde linguas Orientales, si quis forte usus hujus vocis in eis sit conveniens hisce locis. Reperimus, id in versione Chaldaica poni pro כתת & שָׁחַק. Cæterùm nullibi significat propriè *καταπατεῖν*, licet *τὸ καταπατεῖν* aptum sit, si rem spectes, ubi dicitur הוא ישופך ראש. At idem non est aptum, quando dicitur, אַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב. Ita non significat *vulnerare*; licet in Jobo adjiciatur mentio *vulnerum.* At alibi id aptum non est. Conferimus etiam finitimam radicem שאף: in qua reperimus usum similem, ut Amos. 2: 7. הַשֹּׁאֲפִים עַל עֲפַר אֶרֶץ בְּרֹאשׁ דַּלִּים, ubi LXX. habent *τὸ πατεῖν*. quod rei aptum est. & Amos. 8: 4. הַשֹּׁאֲפִים אֶבְיוֹן, ubi LXX. *οἱ ἐκτρίβοντες*. quod & illi loco & omnibus similibus aptum est. Eo igitur contenti sumus: neque dicimus, verbum illud, si aliter atque aliter profeatur, habere significationem nunc *vulnerandi*, nunc *calcandi.* Potuerunt enim interpretes id, quod generale est, in mente habentes, quod rei in singulis locis aptum est, reddere, non ut adæquatum interpretamentum, sed ut explicationem.

§. 61. Idid. *Illud verò quod negat* בר *significare disciplinam, prorsus miror, cum sic quoque reddiderit Josephus Cacus, quem tanti facit Theologus.* Enimverò, ubi, quæso, ostendi, quanti face-

rem Josephum Cæcum? An putat Vir doctus, necesse esse, ut aut LXX. interpretes sequar auctores vel Josephum Cæcum aut Judæos? Nescio, an id putet. Ego verò non puto, mihi necessarium esse, ulli interpreti me alligare & adstringere. Ideò nec negligo interpretes, & tamen de illis judico. Et hoc mihi non eripiet Vir doctus. Quanti faciam Josephum Cæcum, potest Vir doctus ex meo Commentario in Psalm 2. intelligere; ubi, quum ago de hoc loco, eum non magis commemoro, quàm LXX. interpretes. quia scilicet neutra versio me adjuvabat ad sensum verborum Spiritus Sancti deprehendendum & explicandum. Targum igitur habet, קַבִּילוּ אוּלְפָנָא, *accipite doctrinam*. Græcus, δράξασθε παιδείας, *apprehendite disciplinam*. Solet is τὸ מוּסָר vetere παιδείαν. & rectè. Sed quicquid per δράξασθε παιδείας significari potest, jam dictum est per וְיִסְּרוּ. Neuter illorum in hoc colo μεταφραστὴν agit: uterque aliquid dicit, quod à re alienum non est. Si Vir doctus putat, quæ apud Chaldæos exstant aut in Græca interpretatione, esse puras putas μεταφράσεις, & ex illis versionibus Lexicon posse fieri, quasi singulæ voces hoc auctoribus interpretationum significaverint, quod videtur expressum, næ vehementer fallitur. Sæpiculè enim tantùm voluerunt sensum explicare; quem ipsi videbant aut tolerabilem putabant. Magnæ profectò esset pertinaciæ rejicere sensum Hebræorum verborum tam probum & aptum, ut rei, ita & vocabulis, quem ipsi Judæi testantur, nempe *osculamini* vel *amplexamini filium*: nempe *Christum Domini*, qui hoc διαφορώτερον ὄνομα à Patre accepit, ut ei dictum sit: *Tu es filius meus, ego genui te*. Verbum, quod hîc exstat, ipsi LXX. alibi vertunt, φιλεῖν, καταφιλεῖν. Nomen בַּר in Daniele est υἱός, Prov. 31. Τέκνον. Quum igitur, auctoribus ipsis LXX. viris, possit hic locus verti καταφιλήσατε υἱόν; & id intelligere sit aptissimum: quid causæ est, quare negemus hoc significare ea verba, ad quod prudenter cogitandum lectorem excitant? Quare deinde, quod dicitur, *Ne irascatur*, non ad *filium* referemus? vel illud, *quia brevi exardescet ira ejus?* & illud: *Beatus, qui se recipit ad eum?* Quare infarciemus τὸ יהוה, ubi id non extat; uti id LXX. infarserunt, quum dicunt, μήποτε ὀργισθῇ κύριος? Nulla est ratio, nisi nolimus de Filio Dei tantum dici, quantum de eo dicitur.

§. 62. Pag. 13. agit de חֲמֻשִׁים *Quærit tamen Theologus, An ergo omnes Israëlitæ fuerunt quinti à Jacobo, an nulli fuêre sexti vel septimi? Mirum, si non ipsi quoque Deo litem moveat, quando dixit, quarta generatione redituros ex Ægypto. Mirum inquam si non etiam hic arguetur & quærat, an ergo omnes fuêre quartæ generationis, an nulli fuêre quinti & sexti?* Callidè, profectò, & doctè, sed noncandidè. Deus dixerat Abrahamo, *quarta generatione revertentur huc*. Non moveo Deo litem. & facilè intelligo, non excludi quintam & sextam generationem: attamen & hoc intelligo, priusquam revertantur, tertiam generationem non repertum iri inter vivos. Si enim *quarti* demum revertentur, & ideo revertentes inde συνεκδοχικῶς *quarta ætas* appellabuntur; *tertii* non revertentur. Similiter, si dicam, *quinti reversi sunt*, non quidem negabo, sextos & septimos una cum quintis reversos esse, sed negabo, *quartos* reversos esse: & ita litem movebo Deo. Hoc potuit Vir doctus intelligere ex verbis meis, sed non voluit: ut me verò ridiculum faciat, me facit quærentem, ubi non quæro, sed assero; & omittit, quæ vult. Cæterùm חֲמֻשִׁים, quod LXX. alibi vertunt πέμπτῃ γενεᾷ, id alibi reddunt εὔζωνοι, alibi διεσκευασμένοι. Credo, pro diversitate soni nobis incogniti significat nunc hoc, nunc illud.

§. 63. Ibid. agit de *viginti argenteis*, Genes. 37: 28. quos LXX. mutarunt in 20 aureos, Josephus autem in viginti minas. Interrogaveram sic: *Quam igitur minam dicemus esse singulos argenti nummos?* Ad eam quæstionem nihil respondet, nisi fortè hoc: *Mina Attica prout vulgo accipitur nihil ad rem facit: quærit quid LXX. interpretes & quid Syri postquam à Macedonibus subacti fuere, minam appellarint*. Unde needum possum intelligere, quæ *minæ*, qui *aurei* illi sint. Addideram: *Neque convenit Josepho cum LXX. Non enim viginti minæ sunt viginti Darici: siquidem non male mihi respondit C.V.I. F. Gronovius*. Hæc ut dicerem, occasionem præbuerat Vir doctus. cujus verba sunt pag. 13. libri de LXX. interpretibus. *Aureus enim cum absolutè ponitur semper staterem vel Daricum significat. Daricus verò vel stater minam valet. Minam verò conficiunt centum drachmæ. Quis unquam nummum argenteum centum drachmarum aut vidit aut fando accepit?* Putat Vir doctus, me D. Gronovio rem non ita proposuisse, ut est. Sed C. V. Gronovius novit, me nihil dissimulasse. D. Gronovius respondit mihi, quinque Daricos facere minam. Vir doctus contendit, *minam & Daricum seu staterem pro eodem acceptum fuisse*. Auctorem citat Pollucem lib. 9: 6. Ex eo quidem disco hoc: εἰ μὲν χρυσοῦν εἴποις προσακούεται ὁ στατήρ. *Si aureum dicas, subauditur stater*. Disco ex eodem: ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἠδύνατο. *Aureus stater minam valebat*. Sed ex eodem disco: καὶ οἱ μὲν δαρεικοὶ ἐκαλοῦντο στατῆρες, οἱ δὲ Φιλίππειοι, οἱ δὲ Ἀλεξάνδρειοι, χρυσοῖ πάντες ὄντες. *Alios dici Daricos stateres, alios Philippicos, alios Alexandrinos; eosque omnes aureos esse*. Non autem disco, illos pares omnes esse, quemadmodum videtur innuere Vir doctus, quum dicit: *sive is Daricus, sive Philippicus, sive Alexandreus sit*. Ergo nondum probatum est, 20. Daricos esse 20. minas. Sed *aureus sit stater: & stater sit mina, ἐν τοῖς κειμένοις*. Quæ *mina* illa erit? Attica 100. drachmarum? Ita quidem Vir doctus olim. Nunc: *Mina Attica, ut vulgo capitur, nihil ad rem facit*. Sit igitur mina sacra, quindecim, aut viginti aut viginti quinque siclorum, h. e. drachmarum sexaginta, aut octoginta, aut centum. Iterum rogo, numquid sexaginta, an octoginta, an centum drachmæ sunt unus argenteus? Sed *aureus* sit *stater* sive *mina*. quanquam Polemarchus apud Hesychium in χρυσοῦς dicit, μνᾶν δὲ λέγεσθαι τοὺς πέντε χρυσοῦς. quem locum Cl. Gronovius annotavit in suo de pecunia vetere. Eos verò apud Atticos valere drachmas duas: porro drachmam auri valere drachmas argenti decem. Sed *aureus*, inquam, sit mina. Intelligetur utique auri mina. Quis credet, à cupidis vendendi Josephi fratribus precium ejus auctum fuisse ad viginti minas auri, si singulæ minæ faciunt δύο λίτρας, ut Hesychius dicit; vel etiam τὸ διμοιρον λίτρας, ut idem ex Epiphanio refert? Quod 1 Reg. 10. vers. 17. dicitur שְׁלֹשֶׁת מָנִים זָהָב *tres minæ auri*, pro eo 2 Chronic. 9: 16. dicitur שְׁלֹשׁ מֵאוֹת זָהָב *trecenti aurei*. Hinc conficit R. Levi ben Gersom, quòd מָנֶה *mina* habeat 100. siclos. Igitur Josephus, si venditus fuit viginti minis auri, venditus fuit bis mille siclis aureis. Si verò venditus fuit 20. minis argenti, & eadem summa conficitur ex 20. aureis, singuli aurei facient minam argenti. Quod ex Polluce non probatur. LXX. 1 Reg. 10. vers. 17. dicunt τρεῖς μναῖ, & 2 Chronic. 9. vers. 16. τριακοσίων χρυσῶν. Inde non apparet, χρυσοῦν simpliciter in Scripturis notare μνᾶν. quod nos vult credere Vir doctus. Nam ex comparatione illorum locorum videtur apparere, centum aureos esse minam auri. Is, ut LXX. errorem defendat, qui עֶשְׂרִים כָּסֶף verterunt εἴκοσι χρυσῶν Gen. 37. vers. 28. priùs commentus est, כֶּסֶף *quum absolutè ponitur pecuniam significare*, atque *æquè pro auro quàm argento accipi*. Id non est omnino verum. Sed omnis pecunia potest *argentum* vocari (ut & à Gallis fit) quia argento æstimari & solvi potest. Ita, qui florenos centum debet, potest eos solvere quadraginta imperialibus & viginti ducatis. Enimverò quis ita loquitur, *viginti pecunia*, ut relinquat in ambiguo, sintne viginti aurei an argentei nummi? Quando numerus additur τῷ כֶּסֶף, id non ponitur absolutè. Post illa commentus est (p. 14.) *vocabulum hoc pro diversitate vocalium, quæ hodiè penitus ignorantur, habere diversas significationes*, nempe ut nunc significet argentum, nunc aurum. Et quare hoc credemus, quum ignoretur penitus altera illa pronunciatio? Quia LXX. ita vertunt. Quare credam, LXX. non errasse? Quia Prophetæ fuerunt. Plausum demus tam ingeniosè disputanti.

§. 64. Pag. 14. Zachar. 11: 7. reprehenderam, quòd pro לָכֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן ediderint εἰς τὴν χαναανῖτιν. Et vers. 11. pro כֵּן עֲנִיֵּי הַצֹּאן הַשֹּׁמְרִים אֹתִי quod sonat, *quod rectum erat inopum gregis, qui me observabant*; οἱ χαναναῖοι τὰ πρόβατα τὰ φυλασσόμενά μοι. Vir doctus dicit, in priori loco copulandas esse literas כנעני, & in priori redundare vocem הצאן. Equidem ignoro eam vocem כנעני. Sed novi χαναανῖτιν dici אֶרֶץ כְּנַעַן *terram Canaan*. Sed credenda hæc sunt, ut & pro הַשֹּׁמְרִים אֹתִי legendum esse, הַשֹּׁמְרִים לִי, quia LXX. interpretes fuerunt Prophetæ. Et hoc credendum est, quia Vir doctus & omnes eruditi ita sentiunt. Sensum, quem percipimus ex lectione Hebræa, dicit *nullum aut nugatorium*. Ipse autem nobis sensum edit. *Velle Deum eximere oves suas è manu pastorum & ad Chananæos, h. e. alienigenas transferre*. Hæc scil. sententia posita est in illis verbis: *Et pascebam oves occidionis in terram Canaan*. Sic enim videntur concipienda verba ex mente Viri docti. Vel in illis Græcis: Καὶ ποιμανῶ τὰ πρόβατα τῆς σφαγῆς εἰς τὴν χαναανῖτιν. Deinde, quod in versu 7. est ἡ χαναανῖτις, id vers. 11. est. οἱ χαναναῖοι. Credo cum aliis vocalibus nunc penitus incognitis. Et hæc non sunt nugatoria, quia placent eruditis.

§. 65. Pag. 15. *Theologus Rabbinus*. Et, *Non equidem miror Theologum cœno & sordibus Rabbinorum assuetum inter fragrantissimos odores animum despondere. Fierine aliter potest, ut qui ineptiis & fabellis gentis reprobatæ pascatur & recreetur, huic fastidio non sit veritas?* Nescio, quare me Theologum Rabbinum vocet. An, qui aliquando, quum puer essem, aliquid ex Talmude conversum & notis illustratum edidi: qui meus conatus à viris doctissimis supra meritum laudatus est: quem imitatus est Viri docti frater; juvenis summæ spei? An, quia aliquantulum ex Rabbinorum scriptis lego, & aliquando quid ex ipsorum scriptis cito? Non puto. Nam & Vir doctus hoc facit. Videmus, ab eo citari Ephodæos, & Josephos Cæcos; & eum probè scire, quid in Judæorum libris sit, & quomodo vocabula Hebræa explicent, & eos nihil loqui nisi nugas. Hoc scire non posset, nisi eos legisset. An, quia ego omnia Rabbinorum approbo, & ad Judæos auctores provoco, & eorum sensus adoro? Atqui ego, si quis alius, liberrimè Judæos corripio: quum videam, id ipsos Judæos inter se facere. Quid igitur tandem est, quare ego sim *Theologus Rabbinus* & videar *gentis reprobatæ ineptiis ac fabellis pasci ac recreari?* Scio, quid sit: quia dico, lectionem Hebræam intelligi posse, & divinam esse atque ἀξιόπιστον, & per eam doceo, Mosen ac Prophetas de Christo & regno ejus prophetasse, &, quæ Christus dixit, fecit, passus est, prænunciasse. Hæ Viro docto meræ nu-

nugæ sunt, fabulæ, ineptiæ, sordes, venenum. Vin' scire, mi lector, quid mihi animi sit, quum ista lego? Dicam. Malo à talis sententiæ auctore conspui, quàm honorari.

§. 66. Ibid. *Quis verò non obstupescat ad interpretationem verborum Esaiæ unde adstruere conatur Deum iratum Græcè, at verò propitium pura Hebraica phrasi semper fuisse locutum?* Ego potiùs obstupesco, quum video, virum doctum ex meis nihil rectè & candidè recitare; & ea, quæ apertissima sunt, negare. Quid enim? Annon, quando inceperunt Judæi indigere versione, veluti Græca, incepit illis sermo Dei esse barbarus? & an interpres explicans, quod assequutus est, aut quod opinatur, est idem quod Deus loquens? Quando deinde Apostolos misit in mundum lingua gentium loquentes, & Judæi ab ea lingua discenda abhorrent, nonne loquitur ad eos *ἐν ἑτερογλώσσοις*? quomodo enim pervenient ad veritatis cognitionem, si non discant Græcè, ut Christiani? Jam verò quòd Deus per non-populum illis ægrè facere & eos ad æmulationem provocare vult, & ab eis interim abscondit faciem suam, & eis non loquitur ea lingua, cui operam dant, verbum Euangelii, nonne justa talio est inobedientiæ ipsorum?

§. 67. Ibid. *Quod sequitur, non minùs prodigiosum est Christianos nimirum tempore persecutionum Judæos vel Rabbinos adiisse aut etiam consuluisse de pura linguæ Hebrææ pronuntiatione.* Ego nescio, ubi hoc scripserim vel legerit Vir doctus. Crediderim, eum somniasse.

§. 68. Pag. 16. de Hieronymo non loquitur vera Vir doctus. Non enim in apologia adversus Ruffinum *rejicit* interpretationem illam, *osculamini filium:* sed tantùm dicit, *se noluisse id transferre putidè*, sed *sensum magis secutum* vertisse *adorate*. Quare autem dicit *putidè*? quia ita vertendo minùs consuluisset intelligentiæ, verbo autem *adorate* & Hebræo sensui & Latinis satisfaciebat. Ostendit autem, Hebræos *τὸ osculari* dicere, ut Latini dicunt *adorare* & Græci *προσκυνεῖν*, ex Job. 31. nempe ut significent *venerationem*. Deinde defendit, quòd *quum in commentariolis, ubi libertas disserendi* est, *dixisset, adorate filium, in ipso corpore, ne violentus videretur interpres, aut Judaicæ calumniæ locum daret, dixisse, adorate purè, quòd Aquila quoque & Symmachus transtulêre.* Ego hîc non video Hieronymum *miserè fluctuare*, non magis quàm ego me puto fluctuare in meo commentario: in quo, quàm variè & verè & commodè verba Hebræa exponi possint, expendi, & versionem Græcam, quam V. D. solam veram esse sciscit, æquè atque Hieronymus, præterii, ut ineptam.

§. 69. Ibid. & 17. contendit, inutilem esse nostram versionem, & per eam non convinci Judæos, nec *Christianos quicquam lucrari.* Igitur nihil profectum erit, si fateantur Judæi, esse *Filium Dei*, cui Pater dixit, *Tu es filius meus, ego hodie genui te*, & eum esse *Christum*, & *unctum super monte sancto*, & ei *jus esse postulandi gentes hereditatem*, & ei debere *principes obedire*, & eum debere omnes & exosculari & *adorare*; (ut & in Ps. 95. est) &, ni fecerint, ejus iram exarsuram, & eos perituros quoad viam: *Beatos autem esse omnes, qui ad eum confugiunt:* & eum esse, contra quem gentes & Judæi conspirarunt, & cujus jugum suscipere noluerunt? Si autem Judæi ad hæc stupeant, Christiani nihil lucrabuntur ad firmitudinem fidei, quum viderint, eadem in Psalmo de *filio Dei* dicta esse, quæ de eo dicuntur in Euangelio?

§. 70. Pag. 17. Monueram in præfatione mea de sententia Psalmi secundi. Virum doctum nominatim non reprehenderam. In genere, tanquam in digressione dissimulans, mihi rem esse cum Viro docto, dixeram; *Sunt, qui malunt totum hunc psalmum alienare à Christo.* Visa est mea oratio Viro docto, ut vera, ita severa. Debuit facere, quod est in Proverbiis cap. 30. vers. 32. *Si perperam egisti, dum te extulisti, aut cogitasti, manum ad os.* Vir doctus id non facit, sed me *malignitatis* accusat, & ita quidem, ut nihil *malignius possit comminisci.* puto, voluisse dicere *excogitari*. Sed vide, ut meam malignitatem explicet. *Ante annum circiter Trajecto redux, Typographo postulanti ut reliqua pertexerem, festinanti mihi contigit, ut non satis memor geminum ejusdem Psalmi locum à nobis positum fuisse, verba nonnulla subjecerim, quæ ad posteriorem solum hujus partem pertinerent.* Quis non in his videt titubantem ut calamum, ita animum & conscientiam? Quomodo enim, quæ in ultimo versu Psalmi dicuntur, possunt separari ab iis, quæ in Versibus præcedentibus dicuntur, & non de eodem filio, de quo Apostolus dicit, quod in hoc Psalmo *διαφορώτερον ὄνομα* acceperit? Sed de malignitate mea audi. Mutatam esse paginam. In erratis correctum esse vitium. *Theologus*, inquit, *rejectaneam illam & confossam istam pagellam nescio quo casu nactus, inde quod in me spargat virus colligere conatur.* Codex, qui apud me est, à me neque quæsitus est, neque emtus; sed ad me allatus compactus ita ut nunc est. In eo pag. 64. & 65. integra est & sine cancellatione ulla. In erratis quoque ponè titulum nulla utriusque paginæ mentio est. In fine in monitis ad Lectorem pag. 435. neutra pagina suo loco citatur. Tantùm in *addendis* post Elenchum est pag. 64. vers. 28. *post* quod non *adde* Judæis. Jam vide, an hæc correctio me faciat *malignitatis* reum. *In toto hoc Psalmo nihil occurrit quod non [Judæis] de Davide videatur intelligendum. Hac in parte Judæis adstipulantur complures è Christianis, qui etiam illa verba* ego hodie genui te, *de uno Davide recèns uncto* &c. Sequuntur illa verba, quæ & ego & Vir doctus, ut reor, mallemus non scripta. Quomodo igitur ego *malignus*, si, absque ira & felle, sed seriò, culpo eos, qui totum Psalmum à Christo volunt alienare?

§. 71. Ibid. Post illam titubationem redit Vir doctus ad risum suum & me *turpiter & miserè impegisse* dicit, dum dico *ferula dignum* esse, quod LXX. exprimunt Jerem. 8 vers. 8. *εἰς μάτην ἐγενήθη σχοῖνος ψευδὴς γραμματεῦσιν.* Dicit, me *σχοῖνον* pro *funiculo* accepisse. *quum significet juncum. Syros & Ægyptios olim juncis scripsisse. Se tales vidisse.* Apud Clementem *σχοῖνον* esse *calamum scriptorium.* 6. strom. *ἑξῆς δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς προέρχεται ἔχων πτερὰ ἐπὶ κεφαλῆς βιβλίον τε ἐν χερσὶ καὶ κανόνα ἐν ᾧ τό τε γραφικὸν μέλαν καὶ σχοῖνος ᾗ γράφουσι. Deinceps progreditur Scriba sacrorum, alas habens in capite, & librum in manibus ac canonem, in quo est atramentum & juncus, quo scribunt.* Hæc descripsi libens, quia semel volui cum Viro docto ridere. Primò nescit, an ego impegerim in voce *σχοῖνος*. Nam illud *εἰς μάτην ἐγενήθη* non est vera interpretatio illorum verborum, לַשֶּׁקֶר עָשָׂה. Aliud dicit Jeremias. quòd Scribæ *legem commutaverint in mendacium.* LXX. tantùm dicunt, *Scribis juncum mendacem in vanum abiisse.* quod poterat fieri non interpretando legem, sed falsa præter legem tradendo, aut inutilia præscribendo. Deinde, si impegi in voce *σχοῖνος*, eo non puto me miserum. quemadmodum nec beatum, si sciam tantùm de Græca & Latina lingua, quantum Vir doctus. Neque *turpe* duco ignorare quicquam, nisi Jesum Christum, & eum non velle discere. Sed, dum intentamus ferulam LXX. interpretibus, vapulamus à Viro docto. Mihi turpe est hoc ignorare, quod tot Lexica optimæ notæ ignorant? At esto, *σχοῖνος* sit instrumentum scribendi, an עֵט est *juncus*? Ergo Job. 19. vers. 24. עֵט בַּרְזֶל *γραφεῖον σιδηροῦν*, poterit rectè verti *σχοῖνος σιδηρᾶ, juncus ferreus.* Clementis locum quum legi (legisse me, codex meus mihi testatur: sed, quando legerim, non recordor) sine dubio habui suspectum? Quid enim? *Alas* in capite habet *ὁ ἱερογραμματεὺς*, an *pennas*? Nam *πτερὰ* & *pennas* notat. profiteturne, se *volaturum* an scripturum? Potui cogitare, *pennas* in usum scriptionis paratas intelligi? Deinde in manu habet libellum *καὶ κανόνα.* *κανὼν* est *regula.* Sed quonam modo *ἐν κανόνι μέλαν γραφικόν*? Potui cogitare, legendum esse *κανοῦν*, non *κανόνα*. Subit, *καὶ σχοῖνος ᾗ γράφουσι.* Potui cogitare, *τὸ ᾗ γράφουσι* non esse à manu Clementis, & *σχοῖνον* non esse instrumentum scribendi, aut corruptè positum esse. Apparet, Virum doctum valde gavisum esse, quando in Sylburgii indice invenit *σχοῖνος ᾗ γράφουσι*, & de cæteris non fuisse sollicitum. Sed debeamus sanè hîc Viro docto minerval; hoc tamen nobis lucro cedit, quòd LXX. si *σχοῖνον* pro *stilo* dixerunt, non semper propriam vim vocabulorum Hebræorum expresserint. quod tamen vult Vir doctus. Id nobis proderit in loco, qui sequitur.

§. 72. Pag. 18. In Proverbiis cap. 8. vers. 22. culpavi, quòd קָנָנִי vertunt *ἔκτισέ με.* Hîc mihi V. D. tanquam caput Medusæ ostendit nomina patrum quorundam & illustris Grotii. Non vacat jam illos adire. Hoc dico, nunquam posse rectè verti verbum קנה per *κτίζειν*. licèt de *κτίσματι* etiam dicatur. Qui quid *κτίζει*, is habet, quod *ἔκτισεν*. Hoc notat verbum קָנָה, *habere à se*, sive precio, sive creatione, sive generatione. Itaque & Gen. 14: 19. non rectè vertunt, *ὃς ἔκτισεν*: si quidem voluerunt vertere, & non *παραφράζειν*. Zach. 13: 5. est הִקְנַנִי. Ibi jam non vertunt per *κτίζειν*, sed *ἐγέννησέ με.* quæ expositio conveniebat loco Proverbiorum, cui *τὸ ἔκτισέ με* minimè congruit. Paulus Col. 1:15. *τὸν πρωτότοκον* & *πᾶσαν κτίσιν* manifestè opponit inter se. Si congrueret *τὸ ἔκτισε*, *τὸ* חוֹלָלְתִּי *genita sum* (quod LXX. vertunt *γεννᾷ με*) non in sua vi accipiendum esset. Etiam in Zacharia aberrarunt. Nam aliud est הִקְנָה, quàm קָנָה. Nullus sensus ex Græcis illis elucet. De *ἐθεμελίωσέ με* (quod item culpandum est) pro נִסַּכְתִּי *ἐχρίσθην* nihil respondet Vir doctus. Sed dicit *me crepare novam interpretationem, quam nitidissimam vocem, quum non sit intelligibilis.* Quanta est illa ira, quæ fecit Virum doctum tam *σκαιόν*! *Hebræus Codex pro fide Christiana nitidissimè* loquitur. Meam versionem non jacto. Doleo tamen, Virum doctum non intelligere, quod ego & mecum multi pii (& inter eos ipso juniores) bene intelligunt. Non intelligit enim, *Sapientiam*, qui est filius Dei, fuisse apud Patrem ante jacta terræ fundamenta, & primam ejus progressionem, & priorem consiliis Dei fuisse, quippe in qua fecit omnia decreta sua, & unctam fuisse regem nostrum à principio. Quod si intelligeret, intelligeret etiam, quomodo dicatur: *Et fui apud eum* אָמוֹן, & cum eo sensu convenire, quod Johannes dicit, *ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός.* Sed ipse ignorat, quid sit הַנּוֹשֵׂא אֶת־הַיּוֹנֵק יאמן *qui gerit infantem*; & אָמוֹן & אֹמֵן; & quid sit בְּנֹתַיִךְ עַל־צַד תֵּאָמַנָה Esa. 60. vers. 4. quod LXX. exposuerunt, *ἐπ' ὤμων ἀρθήσονται.* Auctor essem ei, qui velit de auctoritate & bonitate Hebrææ lectionis judicare, ut priùs discat tantùm intellige-

telligere, quantum ejus intelligi poteſt, & deinde judicet.

§. 73. Pag. 19. & 20. Agit Vir doctus de loco Deut. 29:19. Ibi nihil ſani eſt. LXX. τὸ והתברך interpretantur ἐπιφημίσηται. Id verò ſignificat, *& benedicat ſibi.* Pro eo, quod eſt, שלום יהיה לי *pax erit mihi*, exponunt, ὅσιά μοι γένοιτο. quod poteſt intelligi ex Eſ. 55: 3. ubi חסדי vertitur ὅσια. Sed hîc non legitur חסד vel חסדים, ſed שלום. Tamen, quod LXX. dicunt, eſt in ſenſu. Nam *pax* eſt in *gratia*. Sed hoc redarguit Virum doctum, quòd non viderit mentem τῶν ό. quum explicat, *ſe non curare iſtam imprecationem.* Agitur de eo, qui ſibi benedictionem & pacem & gratiam malè vendicat, & putat, adjurationem & imprecationem ad ſe non pertinere: non autem de eo, qui dicit, *ſe eam non curare.* Quod attinet ea verba, ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον, ea Vir doctus divellit à præcedentibus, quibus adhærent, & jungit ſequentibus. Tum de ſententia illorum verborum nihil dicit. Tantùm monet ספות *non eſſe à radice* יסף, quod *vulgo putent; ſed à* סוף, *quod aliquoties* συναπόλλυσθαι, *reddiderint iidem interpretes.* Bis errat Vir doctus, aut ter. Vulgo non deducunt ספות à יסף, ſed à ספה. Neque ספות deduci poteſt à סוף. סוף poteſt eſſe ἀπόλλυσθαι, ſed LXX. hîc reddiderunt συναπολέσῃ, quod eſt ab ἀπολλύναι, non ab ἀπόλλυσθαι. Præterea non animadvertit V. D τὸ μή. quod neſcio, ex למען, an ex ספות acceperint. Cæterùm ספות aliquando ſignificat *conſumi*, ut Jerem. 12:4. aliquando *conſumere*, ut Pſalm. 40:15. Gen. 18:23.24. Alibi verò notat idem cum יסף, *addere:* ut Num. 32:14. Eſai. 29. verſ. 1.30:1. Jer. cap. 7:21. Ubi LXX. habent προσθεῖναι vel συναγαγεῖν. Non culpandi ſunt LXX. quòd ספות putarunt verti poſſe ἀπολέσαι, ſed quòd non viderunt, id huic loco non quadrare, & τὸ προσθεῖναι melius quadrare. Quod verò הרוה explicarunt τὸν ἁμαρτωλόν, & הצמאה τὸν ἀναμάρτητον, id certè non poteſt Verſio videri. Eſt expoſitio; ſed abſurda. Nam *irriguus*, aut *ſatur*, *aut qui bibit*, quare notabit ἁμαρτωλόν? & ὁ διψῶν, *ſitiens* quare exponetur de eo, qui non peccat? De eo Vir doctus ſilet. Tantùm dicit, nos *nugari.* Neque curavit conſiderare, quæ iſto capite & ſequenti ad expoſitionem hujus dicti pertinent. Monentur Iſraëlitæ à Moſe, *ne ſit in ipſis radix fructificans veneno atque abſinthio*, h. e. ne opiniones animo concipiant noxias, fruticantes peſſimis fructibus, ſed ut veritatem diligenter quærant & ei attendant. Fructus malus indicatur, ne quum, impleverint cor opinione prava, ſibi benedictionem & pacem vendicent non abdicatis propriis conſiliis, & nominatim, ne in, eam cæcitatem & in eum ſtuporem incidant, ut non diſtinguant inter tempus *ſitis* & *ſatietatis.* quod non poterat fieri, niſi cum ignoratione *juſtitiæ Dei* & ſenſûs omnis promiſſionis & fœderis Dei. Moſes deinde oſtendit, gentes hunc errorem Iſraëlitarum agnituras, & judicium Dei juſtificaturas. Ita ſanè fit. Poſtea cap. 30:6. promittit, Deum *circumciſurum cor Iſraëliis & ſeminis ipſorum*, quum converſi eſſent ad Deum in captivitate, & reducti eſſent in terram & in ea erevifſent. Hæc *cordis circumciſio* exſpectanda erat; &, antequam ea fieret, erat *ſitis.* Neque poteſt alia *circumciſio cordis* intelligi, quàm ea, ex qua exiſtit *amor* Dei cum lætitia & gratiarum actione. quam Apoſtolus nominat τελείωσι τῆς συνειδήσεως & καθαρισμὸν & ῥαντισμὸν τῆς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς. Poterat Vir doctus comparare, quod eſt Eſai. 55: 1. 2. 3. 4. 5. *Heus omnis ſitiens, venite ad aquam.* &c. *& pangam vobis fœdus perpetuum*, τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά. *Ecce teſtem nationum dedi eum* &c. & Eſai. 44:3. *effundam aquas in ſitientem.* Item Jerem. cap. 31. verſ. 14. ורויתי *Et irrigabo animam ſacerdotum opimitate, & populus meus bono meo ſatiabuntur.* & verſ. 25. *quum* הרויתי *irrigavero animam vertigine laborantem & omnem animam languidam implevero.* Ubi LXX. uſurpant verbum μεγαλύνειν & μεθύειν, tranſitivè. Poterat deinde conſiderare, quomodo Chriſtus prædicet apud Johannem, ſe aquam habere ad extinguendam ſitim, quæ ſaliat in vitam æternam. Hæc quum conſideraverit Vir doctus, mirabor, ſi etiam dicturus eſt, *Sic quidvis ex quovis probari poſſe.*

§. 74. Pag. 20. & 21. agit de loco Eſai. 45:23.24.25. Ibi reos ago LXX. quòd non explicaverint τὸ אמר לי *de me dixit.* quæ eſt provocatio loquentis ad teſtimonium Dei. Unde intelligitur, eum hîc loqui, qui in Pſalm. 2. dicit, *Narrabo ad definitum: Jehovah dixit ad me.* & in Pſal. 40. *Ecce veni: de me ſcriptum eſt in volumine libri.* Ita Chriſtus Joh. 12: 49. *Ego ex me ipſo locutus non ſum, ſed, qui miſit me, pater, ipſe mihi præceptum dedit, quid dicam & quid loquar.* Vir doctus nihil ad hanc reprehenſionem. Quòd autem *diſtinctiunculam* vocat, quòd dico *plus eſſe juſtificari in Jehovah, quàm à Jehovah*, & interrogat, *quid inde ſequatur*, imperitè facit. *Juſtificari à Jehovah* ſe putant Judæi, quòd ipſorum opera approbet & remuneretur. Nos credimus, nos *juſtificari à Deo*, ita ut *juſtificemur in Deo*, & *Deus ſit juſtitia noſtra*, hoc eſt, ut cauſa ſperandi & petendi vitam æternam ſit in eo, qui eſt Jehovah, & *venit in nomine Jehovæ* (ut eſt Pſalm. 118. verſ. 26.) quemadmodum is, qui apud Eſaiam loquitur, quum dicit, *de me dixit* vel *dictum eſt*, teſtatur, *ſe in nomine Jehovæ venire*, & à Jehova nominatum eſſe *Jehovam*, & ſibi teſtimonium datum eſſe, quòd Iſraël in ſe ſit habiturus juſtitiam & gloriaturus; & hoc teſtimonio confutat adverſarios ſuos. Hoc Chriſtianum hominem non animadvertere, mirum eſt. Quòd Vir doctus negare non poteſt, in Hebræo eſſe, *In Jehovah juſtificabuntur*, & à LXX. expoſitum, *A Domino juſtificabuntur*, id nobis probat, illos interpretes ſæpè non habuiſſe ſtudium vertendi, ſed cogitationes ſuas de ſenſu indicandi.

§. 75. Pag. 21. & 22. agit de loco Eſa. 53. verſ. 10. 11. Ita autem agit. 1. Meam verſionem dicit omnibus eſſe obſcuriorem. 2. Verba LXX. interpretum fuiſſe recitanda ex Juſtino Martyre, (apud quem eſt δῶται) aliiſque patribus. totum caput extare in Clementis epiſtola ad Corinthios. In qua tamen legitur δῶτε, ut ego poſueram ex meo codice. quod & patres alii agnoſcunt. 3. Interpretationem eorum tradidiſſe & confirmaſſe Apoſtolos: ideoque à me Apoſtolos incuſari ut *impoſtores.* 4. Se malle in tenebris ambulare cum Apoſtolis, quàm in illa luce, quæ in ſola imaginatione aut, ſi qua ſit, unius capitis gyro & ambitu tota deſcribatur & terminetur. Tota reſponſio huc redit: Apoſtolos tradidiſſe eam Interpretationem. Ego verò palam negavi, id verum eſſe. Nihil aliud enim poteſt probari, quàm Apoſtolos ea, quum voluerunt, uſos eſſe; interim verò ſemper ad ſcrutandas *ſacras literas*, quæ in Codice Hebræo ſunt, hortatos eſſe. Teſtati enim ſunt, Judæis concredita eſſe oracula Dei. Non ergo probatur, eos *tradidiſſe* eam Interpretationem, quæ erat in hominum manibus, vel commendaſſe tanquam authenticam & ἀναμάρτητον & non examinandam aut corrigendam & præter quam nihil diſci poſſit ex Hebræo Codice. Clemens Chriſti ταπεινοφροσύνην intendit probare. Ad id ſufficiebat ea interpretatio. Quod de verſionis meæ obſcuritate conqueritur, ineptè facit. Non poteſt docere, verba Hebræa à me non bona fide reddita. Senſum eorum vir perſpicax & Chriſtianus non poteſt ignorare. Et pluribus de eo egi in Conſideratione obj. & reſp. Judaicarum cap. 4. Solum hoc obſcurius videri poteſt, quod κατὰ πόδας verti: *A labore animæ ſuæ videbit, ſatiabitur.* Volui retinere ambiguitatem. Poteſt enim ſic explicari: quem *videbit, ſatiabitur;* vel, *videbit*, quo *ſatiabitur.* Quomodo Philippus Æthiopi pericopam prophetæ explicaverit, docet Lucas Actor. cap. 8. verſ. 35. ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν. An Philippus ei ordine omnia verba explicaverit, &, an verſionem LXX. præ manu habuerint, perinde neſcit Vir doctus atque ego. Quod verò attinet verſionem Græcam, eam cum Hebræis literis comparare, aut declarare, nedum ex ea Hebræam lectionem reformare ne tentat quidem V. D. Quod verò meam interpretationem attinet, quæ κατὰ πόδας ſequitur Hebræam lectionem, ea in gyro capitis mei non eſt incluſa, ſed ei, qui oculos habet, poteſt patere. Erat, qui ſervum Dei cupiebat enervare, percellere, in opere ſalvationis turbare. Quis? niſi Hoſtis: qui Satanas appellatur. Eum Deus infirmavit & privavit poteſtate ac viribus. Hoc dicitur Hebr. 2: 14. καταργεῖν. Geneſ. 3: 15. *caput conterere.* Quia is per Chriſtum victus eſt, & Pater ei vires ademit, ideò Deus habet ſemen, habet filios, quos regenerat. Sine Chriſti merito & victoria de Satana non potuiſſet fieri regeneratio, ſed, qui erant ſub poteſtate tenebrarum & lege peccati ac mortis, ſub ea manſuri fuiſſent. Quos verò Deus videbit ſemen & filios, illi fiunt filii, quia anima Servi Dei ponit ſacrificium pro reatu & poſtulat ſibi dari eos hæreditatem, & ſpiritum, quem impetravit à Patre, eis dat. Hoc ſemen, hi filii, longis diebus utentur, h. e. in æternum vivent. Et in manu ſeminis illius proſperabitur voluntas Dei: quia conſtanter & feliciter facient voluntatem Dei; ſive quia Deus in ipſis operabitur, quod ipſi glorioſum erit. Servus autem Dei, de quo ſermo eſt, videbit fructum laboris animæ ſuæ, ſuæ εὐλαβείας, ſuæ ἀγωνίας, ſuæ ἀγάπης καὶ συμπαθείας, λύπης & denique mortis: & eo fructu ſatiabitur. Videbit tam amplum fructum, quantum volet. Nam poſtulata ſua dabit ei Deus. Et Deus glorificabitur in ſemine novo. Et juſtificationem eis conciliabit Servus Dei per agnitionem ſui, ſive per fidem in ſe atque γνῶσιν ἑαυτοῦ. de qua eſt Joh. 17: 3. quia *juſtus* eſt & *ſervus Dei* eſt. Jus enim habet & dignus eſt, ut accipiat regnum; & voluntatem Dei fecit. Quos verò juſtificabit ſeu juſtificari faciet, eorum pravitates ipſe bajulabit, ut interceſſor & advocatus ipſorum. Hæc ſunt intelligibilia. Credimus ea vera. Confitemur. Cum verbis prophetæ conveniunt & omni eorum proprietate. Quare non dicam, Eſaiam mihi adhuc per lectionem Hebræam prophetare? Et hujus interpretationis potiſſima pars eſt in vulgus nota. Græcæ verſionis verba nullum ſenſum habent pleraque & Hebræis, quomodocunque reformetur punctatio, non conveniunt: ut non poſſimus ſatis mirari oſcitantiam. Tamen apparet, eos literas Hebræas noſtras habuiſſe ante oculos, ſed putaſſe mutandas. in hunc ferè modum.
וַיהוָה חָפֵץ זְכוּתוֹ מֵחֳלִי אִם תָּשִׂים (vel יָשִׂים impersonaliter) אָשָׁם
נַפְשְׁכֶם תִּרְאֶה זֶרַע יַאֲרִיךְ יָמִים וְחֵפֶץ יְהוָה הִצִּיל מֵעֲמַל נַפְשׁוֹ הֶרְאָהוּ
אוֹר וְתִשְׂבַּע בְּדַעַת הַצַּדִּיק צַדִּיק עוֹבֵד לָרַבִּים וְאֶת עֲוֹנֹתָם הוּא יִסְבֹּל.
Talia ipſis q. per tranſennam viſa ſunt, quæ vertebant. quæ nullo modo cohærent: & in quibus vitium ineſt. Nam, quum Eſaias

Esaias dicat, *Si posuerit anima ejus, nempe τοῦ δικαίς, sacrificium pro reatu*, Græca, (ut V. D. vult) dicit: *Si detur pro peccato anima vestra.* quod non video, quomodo excusari possit. Malim certè, quod ad veritatem propiùs accedit, ἐὰν δῶται περὶ ἁμαρτίας, ἡ ψυχὴ ὑμῶν ὄψεται, *si detur sacrificium pro reatu* (Nam agnosco אשם verti περὶ ἁμαρτίας, & sic hoc usurpari Roman. 8: 3. Hebr. 10:6. ubi τῷ חטאה respondet) *anima vestra videbit.* aut ἐὰν δῶ περὶ ἁμαρτίας *si dederit sacrificium pro reatu ac peccato.* Sed ego de tota pericopa illa intelligenda aut cum Hebræo conformanda despero. Non potest mihi persuaderi, eos, qui hæc verterunt, meliùs ita intellexisse, quàm Eunuchus ille intellexit, antequam à Philippo doceretur, vel etiam ad rem attendisse, eamve curasse. Apparet, jam tum fuisse in Judæis illum *stuporem*, in quo & ob quem extincta est eorum respublica. Dan. 9. vers. 27. Christus ipsos monet, ut *scrutentur* Scripturas. Joh. cap. 5: 39. Atqui legebant. Sed non intelligebant: neque *habebant sermonem Dei manentem in se.* Qui si habuissent versionem & explicationem optimè factam, jam *in medio sui habuissent positam legem Dei.* Sed Propheta Jeremias testatur, Deum in adventu Christi daturum *pastores secundum cor suum* (cap. 3: 15. 16. 17. quorum erat *clavim cognitionis & testimonium* Christi, qui dicitur *Spiritus prophetiæ* (Apoc. 19: 10.) in aprico ponere, & veritatem Euangelii ex Mose & Prophetis demonstrare, & ita ἐνδόσιμον dare & ἐφόδιον ad scrutandam & intelligendam Scripturam imposterum. Nam etiam extremo tempore voluit Deus cognitionem augescere.

§. 76. Pag. 22. 23. agit de loco Esai. 63: 9. Ita infit. *Resumit dein locum* Esa. 63: 9. *quem olim infeliciter aggressus est. Ostendimus non ita pridem, Theologum errare cum statuit* LXX. *interpretes aliam secutos esse lectionem.* Equidem nescio, ubi ego in mea præfatione egerim de hoc loco ante pag. 11. aut ubi Vir doctus de eo locutus sit in ea parte hujus operis, quam hactenus recensui. Dicit inter cætera: *At verò neglecta litera verum sensum exponere, hoc vocat falsare S. Scripturam.* Confitetur ergo Vir doctus, suos interpretes aliquando *literâ neglectâ sensum* voluisse *exponere.* Non accipimus igitur interpretationem hanc pro pura puta *versione.* cujus ea fidelitas est, ut verbum verbo, phrasin phrasi reddat, quantum ἀκολουθία & ὕφος postulat & fert verba & phrases intelligi. *Verum* dicere, non est falsum dicere: sed verum alieno loco dicere, non est *sensum verum exponere*, sed *falsare* quodammodo. Falsatum locum Esaiæ ab Interprete Græco dico, quia, quum Hebræa verba dicant, *Angelum* Jehovæ, quem nominant, *Angelum faciei ipsius*, Israelitas *salvos fecisse & asseruisse, per clementiam suam & amorem suum & portasse omnibus diebus seculi:* interpres negat, Angelum eos salvasse, &, si hoc non negaret, dissimulat tamen, & facit Esaiam id non dicere, non testari, quod dicit & quod testatur. Dicit V. D. meam versionem *vel admodum obscurum vel potiùs nullum constituere sensum.* Estne obscurum, fuisse apud Deum ab initio eum, qui *Angelus Dei* appellari potuit, & faciem Dei videt, & est Angelus Testamenti ac Fœderis: & eum Israelitas, ut populum suum, ex omni angustia vindicasse, eosque portasse verbo potentiæ suæ. Joh. 1: 1. Mal. 3: 1. Exod. 23: 20. 21. 22. Heb. 1. vers. 3.? An hic *sensus nullus* aut non *verus sensus* est? An litera eum non indicat? quem & Judæus Moses Gerundensis videtur agnoscere? Quòd *distinguo significationem vocabuli* פניו (V. D. ponit פני malè) *hujus loci & præterea alterius* Exod. 33: 14. *nimis id esse σοφὸν φάρμακον* dicit. Quare? Id non dicit. Cogor rursus inculcare rem apertam. Exod. 33: 14. dicitur: פני ילכו *facies mea ibunt.* Id significat: Ego ipse præsens ero cum signo majestatis meæ & verbo meo, & me quodammodo videndum præbebo. Esaias dicit, si sequitur Græcos, פניו הושיעם, quod dicendum erat, פניו הושיעם *faciei ejus salvos eos fecerunt.* Singulare verbum Esaias jungeret cum nomine plurali. Id quoque non rectè se haberet. Esaias dicit לא ציר ומלאך. Græcus: ὀ πρέσβυς οὐδὲ ἄγγελος. quasi esset ולא מלאך. Deinde quid interest inter ציר & מלאך? Clausula Viri docti hæc est. *Quod autem confidit angelum istum, uti vocat* (imò Scriptura vocat) *per quem servati sumus, mihi notum esse, id ipsum quoque ego confido. Valde tamen dubito, an in hac Theologi Leidensis tralatione angelus ille seipsum agnosceret.* Imò verò, ne dubita, Vir bone. Nam ille novit, quid verba sua significare & docere possint, & novit cogitationes & tuas & meas.

§. 77. Pag. 24. Postulat componi meæ tralationis *tenebras*, cum *luce* Græcæ. Componat lector, & judicet, utra sit *lux* vel *tenebra.*

§. 78. Ibid. *Sequitur deinde locus Abbacum, quem perperam Abacuc nominant.* Quin potiùs *Ambacum* dicamus, & impostérum, quem Hollandicum vulgus dicit **Rees** ne dicamus *Cornelium*, quia insaniendum est. Quis nescit, corrumpi nomina propria vulgariter? Vir doctus nihil nisi componit versionem meam & Græcam, & addit, *quis ex istis ænigmatibus se expediat? Ænigma* V. D. est, si quis dicat, Vires hominis pro Deo suo habendas non esse. *Ænigma* est, si quis dicat, Judæos in viribus suis & factis suis fiduciam reposuisse, & ita vires suas pro Deo suo habuisse.

§. 79. Ibid. *Dominus Præceptor deinde problema, quod solvam, proponit.* Talem sermonem solent aud re pædagogi. Ego nec pædagogus unquam fui, neque sum è pædagogis, quod sciam: neque quicquam impero cuiquam, ut credat, vel sentiat, vel dicat vel faciat: sed pro officii ratione τὸν χριστὸν πειθω. Ego exspectaveram rationem, quare verterint Lev. 23: 11. τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης, quum tamen vers. 15. dicant ἀπὸ τῆς ἐπαύριον τῶν σαββάτων, & vers. 16. ἕως τῆς ἐπαύριον τῆς ἐσχάτης ἑβδομάδος. Vir doctus dicit, ita *vertisse, quemadmodum debuerint reddere, hoc nempe pacto*, ἕως τῆς ἐπαύριον τῆς ἐσχάτης ἑβδόμης, *non* ἑβδόμαδος, *ut ineptè*, inquit, *in vitiosis tantùm legitur editionibus.* Ego perinde puto esse, sive legas ἑβδόμης, sive ἑβδομάδος. nam, quod sequitur *septimam*, sequitur *septimanam.* nam in *semtima* finis est *septimana.* Sed non video, quomodo idem sit ἡ ἐπαύριον τῆς πρώτης & ἡ ἐπαύριον τῆς ἑβδόμης. *Prima* non est *septima.* Ipsa πρώτη est ἡ ἐπαύριον τῆς ἑβδόμης. Hoc est, in quo offendebam, non illud, quòd ἑβδόμας pro ἑβδόμη legitur.

§. 80. Pag. 25. 26. facit me argumentantem ex Justiniano, & colligentem, quòd LXX. versio non sufficiat ad plenum S. Scripturæ intellectum. Ut ubique, ita & hic aliud agit. Ex Justiniano ostendo, Christianos habuisse fiduciam in lectione Hebræa, quæ in Synagogis vigebat, demonstrandam veritatem & spem in Deo.

§. 81. Pag. 26. agnoscit, verè à me dicit, *quæ ad testamentum & fœdus Dei pertinent* in Mose, Davide & prophetis, exstare in libris Hebraicis & per ἀνάγνωσιν lectionemve Hebraicam integrè doceri. Sed negat, suum fuisse, id dicere aut adstruere. Optabamus, ut saltem *monuisset.* Et mihi videtur, necessarium fuisse, ut moneret. Poterat enim sua opinione multorum vel fidem concutere vel impietatem roborare: si detraxisset illis, quæ in versionibus leguntur de Testamento & fœdere Dei, auctoritatem divini oraculi. Nobis gratum est, quòd agnoscit, in his sacras literas à Rabbinis non esse corruptas & contaminatas.

§. 82. Pag. 27. *Incipit dein concionari* &c. *aliaque, quæ quid sibi velint, aut quomodo sibi cohæreant, non satis capio.* Miseret me profectò hominis eruditi, qui, occupatus zelo pravo, ad ea stupet, quæ necessaria sunt; & ea intelligit, in quibus nullus fructus. Non cogitat, quantum scandalum dederit iis, qui veritatem amant: & nunquam, ut videtur, de soliditate fidei sollicitus fuit. Alioqui non miraretur, nos diligenter adstruere eorum, quæ ex libris Veteris Testamenti dicimus, veritatem & divinitatem.

§. 83. Ibid. *Sed & hoc quoque mirificum, quod aliquanto post infert*, scire se verbum Dei exstare in manu & ore Judæorum, quia, quæcunque de illis intelligit, quousque completa fuere, vera esse comperit. *Sanè si ex ore & manu Judæorum petendum sit verbum Dei, longè plures fabellas habebimus, quàm verba Dei. Quod si illos intelligis Judæos, qui ante complementum legis, hoc est Christum, floruere, ecquos alios præter* LXX. *interpretes possit producere?* Verba mea non ponit bona fide. Sic dixi: *Ego verò ajo, vaticina Mosis & aliorum Prophetarum in Hebræorum manu & ore exstare; quia, quæ de illis intelligo, quousque debuerunt esse impleta, comperio esse vera, & iis verbis dicta, quæ ut ullo modo mutentur aut interpolentur, jure desiderare non possum, & à quibus verbis illa omnium versionum derivata esse, &, utut sæpe lutulenta, defluxisse manifestum est.* Fingit me dicere, ex ore Judæorum petendum esse verbum Dei, tanquam interpretum. Quis non videt, de industria verba mea mutilata & mutata ad captandum risum? Quàm vereor, ne is risus Sardonius sit. Ego locutus eram verbis Scripturæ. Quia Hebræa non intelligit & fastidit, legat Græca Deut. 31: 21. καὶ ἀντικαταστήσεται ἡ ᾠδὴ αὕτη κατὰ πρόσωπον μαρτυροῦσα. οὐ γὰρ μὴ ἐπιλησθῇ ἀπὸ στόματος αὐτῶν, καὶ ἀπὸ στόματος τοῦ σπέρματος αὐτῶν. Reor, eum hæc non legisse, neque de eis cogitasse: ideoque spero, Deum ei condonaturum hanc illusionem. Cæterùm sitantundem est, Mosen & prophetas, qui leguntur à Judæis, citare & interpretationem Judaicam citare, quare in initio responsionis suæ conqueritur, quòd putaverim, eum lectionem Hebræam pro interpretatione Masorethica habere? Meum argumentum hoc est. Prophetias Mosis & cæterorum prophetarum integras esse apud Judæos, quia comprobantur à complementis. Ad hoc argumentum V. D. nihil respondet.

§. 84. Ibid. Addideram hæc: *In quo argumento id non minimum ponderis habet, quòd ea testimonia, quæ D. Jesus & Apostoli recitarunt ex lege, psalmis & prophetis de rebus gerendis in Christi ἐπιφανεία, reperiuntur in suis locis:* (Ad hæc verba nihil reponit V. D.) *& majorem etiam lucem habent pleraque in Hebræa lectione recepta, quàm in versione Græca.* Hic dicit me *propiùs statum quæstionis attingere, sed leviter & quasi per transennam.* Quia, quæ hactenus à me dicta sunt, negare non potest, dicit, ea ad quæstionem non facere. Hoc ego ita interpretor. Fatetur, Codices Hebræos & lectionem Hebræam integram esse in iis, in quibus ego hactenus integram esse pertendi. Bene est. Sit hoc extra quæstionem: confilescat aut nulla sit de hoc imposterum controversia. Sit & fuerit hic animus Viri docti. Tamen non inutiliter scripsimus. Utile enim erat, ut Vir doctus

doctus suam mentem super hoc explicaret, & à nemine ejus dicta in aliam sententiam raperentur. Pergit: *Ne unum quidem locum possit producere ubi hoc succedat. Nimis cauti Massoretha quam ut hoc permisissent. Ita illi suis punctis & interpretamentis incrustarunt suos Codices, ut ne unus quidem supersit locus, si illis credere velimus, unde confici possit, Christum jam advenisse.* Profectò non satis capio, quid Vir doctus velit aut non velit. Si putat, corruptos esse locos, quibus ostendi possit tempus adventus Christi, idque per puncta vocalia, quare non aliquem locum profert, qui in Græca versione indicet tempus adventûs Christi, & non in Hebræa lectione; ita tamen, ut, ablatis punctis, literæ id tempus indicent. De septimanis septuaginta locutus est Daniel. An Hebræi hîc minus habent, quàm LXX. Ego verò dico, clariorem esse eam prophetiam in Hebræa lectione. Comparet, qui volet, quæ Vir doctus de ea scripsit, cum eis, quæ nos in Consideratione Judaicarum Q. & Resp. Quòd si putat V. D. ex Hebræis libris non posse probari Christum & ejus sermonem ac doctrinam, opera, passiones, resurrectionem ac prædicationem ejus, regnum denique & quæ in eo debuerunt fieri in gentibus & Judæis, oppono ipsi omnes ferè libros meos, quos hactenus edidi, & nominatim librum, cui præfixa est Præfatio de divinitate Hebræi Codicis & lectionis. Potest, si videbitur, Judæorum patrocinium suscipere, & ostendere, me nihil egisse, non ridendo, sed demonstrando, non ἀποφάσει, sed ἀποδείξει. Quòd autem Apostoli, dum citant prophetias ex versione Græca, non hoc voluerint, illa tantùm verba, quæ ipsi citant, aut, quantum ex illis verbis intelligi potest, in prophetiis esse, & nullam præterea in ipsis sacris sermonibus, unde verba desumpta sunt, significationem esse rerum exspectandarum, absurdum est vel opinari. Hæc autem abundantiora esse in Hebræa lectione, quàm in Græca, res docet scrutantem. Lucas cap. 4: 18. recitaturus pericopam, quam Christus prælegit in synagoga, quæ exstat Esai. 61: 1. 2. quum videret, aliquid in versione Græca deesse, quod ex Hebræa lectione supplendum esset, verba, quæ extant Esa. 58: 6. ut *ἰσοδυναμοῦντα* adjecit. Quod longè credibilius est, quàm aliquid adjectum esse ab aliena manu: Psal. 16: 9. יִשְׁכֹּן *ἐμφατικώτερον* est & expressiùs notat mortem, quàm κατασκηνώσει. Deut. 18: 19. sic habet Hebræa lectio: *Et erit, qui vir non auscultabit ad verba mea, quæ loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo.* Citatur is locus Actor. 3: 23. *ἔσται δὲ πᾶσα ψυχὴ, ἥτις ἂν μὴ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ.* Sufficiebant ea Lucæ narranti, ad quod testimonium Petrus provocasset. Lucæ non fuit religio, quædam verba aliter efferre, quàm sunt vel in Hebræo vel in Græco, quum in aliis locis ita sensus præsentis loci ex parte explicaretur. Nam separationem à populo comminatur Deus inobedienti Deut. 29: 21. Tamen Græca sic habet: *ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ.* At, quod in Hebræo est vers. 18. *& dabo verba mea in os ejus:* & vers. 19. *qui non auscultaverit ad verba mea, quæ loquetur in nomine meo:* Id Græca non expressit. vers. 18. *καὶ δώσω τὰ ῥήματα ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ.* vers. 19. *ὃς ἐὰν μὴ ἀκούσῃ ὅσα ἂν λαλήσῃ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου.* Quæ porrò emphasis sit eorum, quæ in Hebræo leguntur, ostendit Baptista Joh. 3: 34. *ὃν ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ. οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα.* Necesse est eum *verba Dei* loqui, quæ non nisi Deus de se loqui poterat, (& non *ex terra loqui*, ut servum & non dominum; quomodo omnes Prophetæ locuti erant) quia spiritus filiationis per eum debebat dari. cujus est operari fidem verbi, quo Deus ipse gloriam suam erat manifestaturus Israëli. Esai. 53: 8. significantius est in Hebræo: מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח *ex imperio & judicio assumtus est.* quàm quod ex LXX. interpretibus legitur Actor. 8: 33. *ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη.* quanquam verum est, *Judicium Christi in humiliatione ablatum esse.* quia injustè damnatus est. At Esaias explicat, *eum assumtum esse*, & quidem *ad vitam æternam*, quam nemo eloqui vel cogitatione exsequi potest; & assumtum esse ex manu *potestatem* habentis Pilati, & ex *judicio* Sacerdotum & Seniorum, quum *excisus esset ex terra viventium propter populi* Judaici *defectionem* à Deo & rege suo. Habac. 1: 5. *Aspicite gentes & intuemini.* Actor. 13: 41. *ἴδετε καταφρονηταί.* Procul dubio illud notat aliquid, quod magnam emphasin habet. Sed Lucas contentus fuit id dicere, quod propriè Apostolus intenderat. De quo diximus in Commentario nostro.

§. 85. Pag. 28. Ostenderam, me in eo acquiescere, quòd Apostoli, quando usi sunt testimoniis ex Græca versione, potuerint judicasse, id ad fidem faciendam sufficere; idque propter archetypum. ita ut recitatio verborum Græcorum sit revera provocatio ad ipsa verba Mosis & Prophetarum, quæ in Synagogis reperiebantur & in manu Scribarum, doctorum & veritatis amantium. Ita ut statuamus, maxima ratio est. Extabat tempore Apostolorum Hebræus Codex & legebatur, si non in omnibus Synagogis, in oriente certè. Non ad omnes locuti sunt Apostoli Græcè. Ideò datum est eis diversis linguis loqui. Si ubique Græca lingua viguisset, sola Græca eos uti sufficeisset in loquendo. Apud quos non poterant Græcè loqui, illis non potuerunt Græcam versionem tradere. Syri Christiani (quorum lingua in oriente latè patebat) antiquitus non acceperunt ab Apostolis Codicem Græcum. Antiqua & simplex eorum versio ex Hebræo facta est. De quare supra diximus. Hierosolymis etiam plerosque magis Hebræa (utcunque degenerante) quàm Græca lingua delectatos esse, patet ex Actor. 21: 40. 22: 2. Quorum nullos inter Christianos fuisse, quis credet? Illis igitur Apostoli non eripuerunt sacras literas, quas habebant & legebant Hebraica dialecto. Quum verò *τὰ ἱερὰ γράμματα* & *προφητικὸν λόγον* & *λόγια Θεοῦ* nominarunt, quomodo ii, qui sciebant, oracula Dei Hebraicè edita esse, potuerunt cogitare, non ipsa verba Hebraica, ut *θεόπνευστα* & *ἀξιόπιστα*, ab Apostolis innui. Non est igitur, ut Vir doctus à me postulet id probari, quod tam apertum est. Dicit, *in nulla unquam Christiana Ecclesia lectus fuit Codex Hebræus.* Ecclesiæ, quæ constabant ex Gentibus & Judæis, legebant ea, quæ singulis locis intelligebant. quod & nunc fit in omnibus gentibus; nisi quòd Romanenses Latina vernaculis præferunt. Habenda enim omnium ratio in cœtu. Nemo tamen prohibebatur linguis loqui, interpretari, revelationem afferre, & prophetare. 1 Cor. 14. Quæ dona comparata sunt ad confirmationem veritatis & ad profectum. Ita nunc, qui possunt, suas considerationes communicant. Sunt etiam, quibus hoc incumbit, ut ex fontibus interpretentur: ut, qui volunt & possunt, proficiant. Neque sequitur, Ecclesiam *carere verbo Dei*, quæ utitur versione: quando eà utitur, ut versione. Audit enim aliquid, quod propter multas causas dubitare non potest in oraculis Dei esse. De qua re non est hic dicendi locus. De Euangelio Matthæi antea diximus. Dicit V. D. sequi ex meis dictis. *Sublato Codice Hebræo, sublatum quoque iri fidem Christianam.* Et pag. 33. interrogat, *An ergo, si nullus superesset codex Hebræus, actum esset de verbo Dei?* Addit deinde aliquid de *Vatibus Rabbinicis.* quod non intelligo. nescio enim, quos innuat. Sed apparet, Virum doctum non magni facere beneficium Dei, quòd Hebræus Codex extat, & ejus lectio tam nota est plurimis. Credibile est, si V. D. tempore Capnionis vixisset, cum Monachis sensurum fuisse, qui postulabant, ut omnes Hebræorum libri comburerentur: quibus Capnio fortiter restitit. Me quod attinet, qui non sum *vates*, neque *Rabbinus*, neque *vates Rabbinicus*, neque vates Hellenitesticus, scio, fidem Christianam fuisse in mundo, quum lucis magna pars opacata esset. Eam verò fidem fuisse nixam verbo Euangelii & prophetarum: in quantum id cognoscere homines poterant, & id, quod cognoscebant, se ipsorum conscientiæ approbabat, ut conveniens cum certissimo fundamento. Fuit fides, ut semper, ita & tunc munita timore Dei; ne quid auderent recipere, dicere, facere, quod non à Deo didicissent. In fide fuit etiam amor Dei, atque adeò cupiditas proficiendi ad cognitionem pleniorem & consummatiorem. Ea cupiditas in plurimis apparuit, qui diversis temporibus contradixerunt errantibus: & maximè visa est. quando Justitia Euangelica & libertas fortiùs incepit asseri, & Scriptura in linguis vernaculis ex Hebræis vocibus Veteris & Græcis Novi Testamenti cœpit publicari. Ex hisce fontibus adhuc bibimus, & id solum est, quo gaudemus, si quid inde per totam vitam hausimus. quod nobis eò dulcius semper erit, quò magis videmus multos ab iis abhorrere. quod novimus divino judicio fieri. Ecclesia autem columine fidei suæ nunquam privabitur: quia certum est, aliquando illos, qui jam non cognoscunt Christum, & tamen oracula Dei in ore habent, per ea Christum agnituros. Hoc Moses, Prophetæ, Paulus dixerunt. Quàm necessariæ autem sint Ecclesiæ scripturæ Veteris etiam Testamenti & quàm utiles, in Præfatione nostra non semel diximus. Quod autem diximus, adhuc postulamus, ut Vir doctus diligentiùs consideret. Nam satis clarum est, eum nec totam rem satis diligenter expendisse, nec ad mea verba attendisse.

§. 86. Pag. 29. Contendit, in loco Psalm. 22: 17. *esse fraudem factam.* Hoc non posse negari, nisi ae eo, qui ipsis sit *Rabbinior Rabbinis.* Agnosco vetus dicterium à Viro docto in me jactatum, antequam Præfatione mea ipsum exacerbassem. Res dicenda est. Codices vetusti extiterunt, in quibus כארו scriptum est. Id Masorethæ testantur & Jacob ben Chajim. Non periit igitur ea scriptura. Et, quod lectionem attinet, monet Masorah, כארי non esse explicandum, *ut leo*: quod alibi illæ literæ significant. Non igitur legendum est כָּאֲרִי sed כָּאֲרוּ. Quomodo possum dicere, *fraude* id factum, saltem Masoretharum, si velim esse *ἐπιεικής*, & non permittam mihi incomperta dicere ac vaticinari? Memini me olim cum Clarissimo Viro Sixtino Amama, cujus mihi memoria charissima est, in eam rem inquirere. Cujus observationes & judicium potest, qui vult, legere in Waltonianis prolegomenis cap. 7. §. 7. Quid nunc faciant Judæi odio Christianorum & contra mentem Masoræ, nihil refert. Habemus à Judæis, quod integrum est: quod eripere non possunt. Porrò & Græca versio, & Syra, & Chaldæa (post Masorethas, ut vult Vir doctus, facta) unà testantur veriorem lectionem; & posteriores Masorethis Masorethas à fraude absolvunt; si auctores earum usi sunt exemplaribus Masorethicis: aut, si non illis usi sunt, ostendunt, non omnes Codices fuisse in Masoretharum potestate: ut putat Vir doctus.

§. 87

§. 87. Zach. 12:10. dicit me *meo modo verba interpretum fingere & refingere.* Id ego mihi non sumo. Permitto hoc Viro docto. Dico, quomodo Hebræa verbis Græcis efferri potuerint. Quid legatur, narro. Erratum in phrasi *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν* demonstro, & occasionem ejus. Vir doctus dicit: *An quia non satis gnarus linguæ Græcæ est hic noster Theologus, ideò ineptus fuit Euangelista?* Ineptè. Johannes *τὸ εἰς* non construxit cum *ἐξεκέντησαν* sed cum verbo *ὄψονται*, quemadmodum apud Zachariam dicitur הִבִּיטוּ אֵלַי, quod sonat, *ὄψονται εἰς ἐμέ. Satis gnarum* me *linguæ Græcæ* non dico. Nam quotidie aliquid disco. Quod puto facere etiam Virum doctum. Interim hoc scio, & pueri vident *λοιδορεῖν τινα εἰς δυσγένειαν* vel *ὀνειδίζειν τινὶ εἰς ἀσέβειαν*, (ita enim Polybius loquitur apud Budæum. unde hæc exempla sumta sunt) non esse phrases aut constructiones similes isti, *ἐκκεντεῖν εἰς τινα, perfodere in aliquem.* Multò minùs Homericum illud, *εἰς ὦτα ἐφίκει.* Nullum in his est verbum compositum cum *ἐξ*, cui patiens adjungatur interveniente particula *εἰς*.

§. 88. Pag. 30. Argumentum meum à veritate Prophetiæ, quæ extat in Codice Hebræo, si exagitat. Dicit, *me unum esse ex iis, qui putant nihil neque hoc, neque superioribus seculis contigisse, quod non ab aliquo Prophetarum prædictum sit.* Quis, quæso, hoc ipsi dixit? Sed tamen audiamus Virum doctum. Is in dissertationis suæ præfatione ad Lectorem, in ipso initio, ita loquitur. *Quandoquidem verò quæstio est de veritate historiæ divinæ, de eventibus prophetiarum, de convenientia utriusque testamenti:* &c. Quum igitur ipse hoc inter præcipua posuerit, quæ nobis ostendant *τὸ θεόπνευστον*, quare jam, quum hoc argumentum urgeo, ridet? Si verò putat, Hebræam lectionem instar ceræ flecti posse in varios sensus, faciat periculum, & ostendat, nos pro libitu vel unam prophetiam torsisse, aut torquere potuisse. Exponat etiam nobis vel minimum prophetarum ex Græca versione. Si, quum tracto prophetias, incido in tempora nostra, & in illis exempla reperio, &, quæ reperio, indico; facio, quod non oportet? Ergo neque nos, neque patres nostros *superioribus seculis*, oportuit in prophetiis agnoscere signa temporum? Ergo nunquam narrabitur factum, quod futurum prædictum erat? Pergit deinde, & ad meum dilemma, quo ostendo, eum nimis maturè judicare, reponit: *Quorsum istud?* Hoc scilicet est respondere. Ego verò iterum dico, Neminem posse de prophetiis judicare, nisi qui partim eas inter se contulerit, partim Apostolorum prædictiones cum eis comparaverit, partim eventuum historiam ita in eis traditam perspexerit, ut certum habeat, se non posse verba alia desiderare, quibus ea historia sapientiùs exponatur. Ideoque Virum doctum non posse judicare, an in Codice Hebræo prophetiæ minùs integræ sint, quàm in Græca Versione, priusquam illam comparationem fecerit, & prophetias explicando rebus ipsis ostenderit, meliùs loqui Græcam versionem de rebus, quæ factæ sunt, quàm Hebræum Codicem. Neque ego hoc ei impero (cui per me licebat silere) sed ipse sibi imposuit, quando dixit, ad veritatem prophetiarum pertinere, ut solis LXX. interpretibus nitamur & utamur, &, si velimus Hebræo uti, id reformemus ex Græco.

§. 89. Pag. 31. Capellum, qui Hos. 12:5. vocem עִמָּנוּ mutavit in עִמּוֹ, quæ nullius est precii, defendit auctoritate sua, illustris Grotii & LXX. interpretum. Nunc quidem malè legi, *ἐλαλήθη πρὸς αὐτοὺς*, legendum autem esse, *ἐλαλήθη πρὸς αὐτόν.* Quo modo si legas, nondum salvus est Capellus. Aliud est, *ἐλάλησε πρὸς αὐτόν*, aliud *ἐλαλήθη πρὸς αὐτόν.* Sed mittamus illas auctoritates. Accedit & ratio: *sensu postulante.* Id ego nego, & Vir doctus non probat. Doceat nos, non rectum esse, ut Deus de se & angelo, cum quo Jacobus luctatus fuerat, dicat, in numero plurali, *Ibi locutus est (Jacobus) nobiscum.*

§. 90. Pag. 31. & 32. dicta mea non recenset, neque confutat, sed vellicat. Ubique ostendit suam *σκαιότητα.* Nihil in his est, quod non jam à nobis explicatum sit.

§. 91. Pag. 33. Ænigma vocat; quod dico: *quasi non rerum, quas esse necesse non est, si sint, natura sit, incepisse esse & ex nihilo creatas esse.* Dicit, *ex eo se nullum posse expedire divinum.* Atqui, qui Orestes non est, intelligit, omne id, quod contingens est & necessarium non est, habere initium: & ante initium omnium rerum contingentium nihil fuisse rerum contingentium. Quando igitur de talium rerum *γενέσει* dicitur *τὸ* הִבָּרֵא, id, pro rei, de qua sermo est, natura, significare productionem ex nihilo. Quando enim primum illorum, quæ initium habent, producitur, fit productio ex nihilo. De qua productione *τὸ* בָּרָא usurpatur Gen. 1: 1. Habet igitur exemplum, quod volebat. Quid sit תהו & בהו, alibi docuimus. Docet id locus Es. 34: 11. ubi ipsum *ὀξύμωρον* vocabulorum illorum proprietatem ostendit. Quod attinet Hebr. 11:3. *τὰ μὴ φαινόμενα* significare terram & aquam, ut primò creata sunt, & ita appellari potuisse, etiam quum lux facta esset, etiamnum nego. Vir doctus non docet contrarium. Cujus si valeat sententia, Apostolus dicet, nos fide animadvertere solam productionem lucis, aut solam emersionem terræ ex aquis. Pag. 34. De נשך & בר & אולם jam actum est. Significationes earum vocum in comperto sunt. Alias significationes habere, ipse doceat. Non mihi hoc incumbit. Sufficit mihi, quòd non credo, nisi doceat. Ita, שָׁפָן esse *perplexum*, constat. Doceat, esse plantam. Dicit: *Verùm an putat Leidensis Theologus in horum vocabulorum significatione me plus ipsi, quàm* LXX. *credere interpretibus? Si sic sentiat, verbum ultra non addam.* Non opus est, ut mihi credat. Sed concedat mihi, ut non amplius credam Græcis interpretibus, quàm illius ætatis interpretibus.

§. 92. Tandem: *De Chronologia mea quomodocunque judicet, id mihi perinde est: & nostrum & aliorum calculum tantundem ipsi perspectum arbitror.* Arbitretur; quia arbiter sedet, ut definiat, quid quisque sciat. Omittimus jactantias. Senum est parum scire: juniorum multa opinari.

§. 93. Clausula hæc est: *Genus scribendi quod attinet, non est ut de eo conqueratur. Honoratior est Theologi, quàm amici appellatio.* Theologiæ Professorem me appellari mihi non tam gratum est, quàm haberi fratrem & amicum eorum, qui diligunt veritatem. Condiscipulus eorum sum, qui coram Domino sedent.

§. 94. *Si quid tamen sit quo se læsum existimet, id ut mihi ignoscat rogo. Mihi gratum & jucundum, ipsi verò quàm maximè erit hoc honorificum.* Maluit excusatione hac uti, quàm perdere flosculos suos. Quod ad me, non sum læsus. Nam ille plerumque nec de me nec de re loquitur. Ignorat & me & rem, de qua voluit videri loqui. Neque potuit aliter agere, qui de causa desperaret. Fingenda, refingenda, torquenda, cavillanda, truncanda erant omnia; irridendus, cui adversari volebat, & risui propinandus, ne videretur egisse quicquam. Ille modus agendi causam meam adstruit. Si docere me potuisset, sat scio, fecisset. non enim odit me; sed noluit causam suam victam videri. Rem totam non tetigit minimo digito. Stat veritas Scripturæ *θεοπνεύστου* inconcussa. In qua habemus salva & integra, quæ ad legem justitiæ, per quam Deus fœdus nobiscum facit, pertinent; omnia, quæ ad pietatem & sanctitatem vitæ faciunt; promissionem; Testamentum; prophetias; historiam operum Dei & divinæ traditionis verbi: per quam ad sapientiam & prudentiam proficimus: per quam Judæos & omnes hæreticos atque in errore versantes refellimus: in qua non possumus desiderare, quod ad institutionem aptius sit; quæ non potest convinci corruptionis: quæ non desiderat emendationem ex ulla versione: ad cujus auctoritatem & usum nulla versio accedit, ne Græca quidem. Nos providentiæ & misericordiæ Dei gratias agimus, quòd nos illo thesauro dignatus sit; & eum pro luce & deliciis vitæ nostræ habemus; neque moramur eos, qui non putant sua referre, an is thesaurus extet, nec ne: quorum nos seriò miseret, quibusque Deum propitium oramus, ne patiatur eos in errore suo occallescere &, ut solet fieri, infatuari. Gratulamur autem Viro docto, quod agnoscit divinitatem Codicis Hebraici, quoad literas; & veritatem lectionis usitatæ (quæ per puncta indicatur) quatenus dunxtaxat cum Græca consentit; atque ita linguæ analogiam in magna parte probat: neque aliam *προφητείαν* attribuit LXX. interpretibus, quàm eam, quam exercent fideles & docti interpretes, partim reddentes, quod legunt, partim sensum suum explicantes; qui ferunt omnis conscientiæ examinationem, judicium, correctionem.

INDEX CAPITUM.
CONSIDERATIONIS RESPONSIONIS JUDAICÆ
AD VIGINTI TRES QUÆSTIONES, ET QUÆSTIONUM REPOSITARUM.

NOMINA STUDIOSORUM,

Qui se his defendendis exercuerunt.

Jacobus Hooghcamer, *Amstelodamensis.*
Adrianus van Ardenne, *Hagiensis.*
Adrianus van Schie, *Delphensis.*
Jacobus Fabritius, *Harlemensis.*
Jacobus Corf, *Delphensis.*
Daniel de Coup.
Johannes Briemen.
Henricus Hinsen, *Dordracenus.*
Isaacus Schertser, *Amstelodamensis.*
Dionysius Kelck, *Roterodamensis.*
Cornelius van Aken, *Purmerendanus.*
Regenerus Schevenhusius.
Adrianus Brouwer, *Medenblicensis.*
Petrus du Bois, *Delphiportensis.*
Henricus Vogelius, *Lugdunensis.*
Arnoldus van Oorschot, *Hagiensis.*
Rudolphus Bouman, *Zoela-Gelrus.*
Gerbrandus van Leeuwen,

Eximius & Eruditissimus Juvenis, D. Gualterus Boudaen Courten, *Medioburgensis Zelandus*, *S. Theol. Stud. nobis charissimus indices diligenter ad utilitatem tironum composuit.*

C A-

CAPUT I.

De Controversiis Judaicis in genere.

Judæi obfirmati contra sententiam Dei in ipsos pronunciatum.

§. 1. Deus per Prophetas sæpe accusat populum Israëliticum inobedientiæ & incredulitatis & cogitationum malarum contra Deum; & quidem non tantùm eos, qui educti ex Ægypto sunt, quos allocutus est ex Sinai; quique in deserto perierunt, sed etiam eos, ad quos misit Prophetas sub judicibus & regibus; & eos, qui post captivitatem Babylonicam extiterunt; atque etiam eos, qui ultimis diebus extituri erant.

§. 2. Id testatur imprimis Canticum Mosis, in quo vocantur *Generatio perversa & tortuosa*, Deut. 32:5. *populus stultus*, imò flagitiosus, *& non sapiens.* vers. 6. eique exprobratur: quòd *Deum, qui ipsum fecerat, missum fecerit, & rupem salutis flagitiosè tractaverit*, vel etiam violaverit & cadaver fecerit; vers. 15. quòd *rupem, quæ pepererat ipsum, oblitus sit.* vers. 18. quòd *filios Dei & filias ipsius vexaverit* & ægritudine affecerit. vers. 19. quòd *Deum ad æmulationem concitaverint per non-Deum.* vers. 21. & rursus vocantur *Generatio inversa, filii, in quibus non est fides aut fidelitas.* vers. 20. Iisque Deus comminatur, quòd *faciem suam ab ipsis occultaturus sit.* vers. 20.

§. 3. Hæc pertinere ad Israëlitas ultimi temporis, & quidem ad Israëlitas in malo & pressura constitutos, & propheticè de ipsis ita prædicta esse, quasi jam essent facta, ut, quum facta essent, per verba Mosis coarguerentur, non aliter atque si præsens præsentes per verba ipsius alloqueretur Deus, testatur caput Deut. 31:20. 21. *Nam introducam eum in terram, quam juravi patribus eorum, manantem lacte & melle; & comedet, & satiabitur, & impinguabitur & respiciet ad Deos alios, & colent eos, & spernent me, & irritum facient fœdus meum. Et erit, quum invenient ipsum mala multa & angustiæ, respondebit canticum hoc contra ipsum pro teste: quia non tradetur oblivioni ex ore seminis ejus.* Ex quo liquet, etiam in illos testari canticum hoc, qui id in ore habent. Et vers. 29. *Nam novi, post mortem meam corrumpendo corrumpetis & recedetis à via, quam præcepi vobis, & eveniet vobis malum in fine dierum; quia facietis malum in oculis Domini, & ægrè ipsi facietis opere manuum vestrarum.*

§. 4. Ita Esai. 65:1. 2. *Respondi iis, qui non interrogaverant; sciti me iis, qui me non quæsiverant. Dixi, Ecce me, ecce me, ad gentem, quæ non erat nominata de nomine meo. Expanderam manus meas toto die ad populum refractarium, ambulantes in via non bona post cogitationes suas.*

§. 5. Ita & Habacuc 1:5. *Videte in gentibus*, vel *Aspicite gentes & intuemini, & inter vos miramini, miramini. Nam molitionem molitur in diebus vestris*, quam *non credetis, quum narrabitur.* q.d. Jam nunc, dum paro captivitatem Babylonicam, tale opus incepto, quod exinde perficietur, & perfectum narrabitur. Quum autem id narrabitur, vos id non credetis factum. (Quod opus cap. 2:3. 4. præcipua sui parte descriptum est & designatum.) Accidet autem vobis, ut videatis gentes, & eas aspiciatis & eis confidatis, & inter vos miremini & apud vos ipsos, stupentes & hæsitantes in iis, quæ fient.

§. 6. Atque idcirco Esaias cap. 5:1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. testatur, Deum habere litem & contentionem cum vinea sua, h.e. domo Israël & viro Judæ.

§. 7. Imò apud eundem cap. 41:1. Deus vocat *insulas*, hoc est, gentes habitantes in insulis, ipsisque injungit, ut *cum silentio se audiant, dum Nationes*, hoc est, tribus Israël *renovent vires & loquantur, & ipse cum iis ad judicium veniat:* collocans gentes, (& quidem in insulis habitantes) judices de contentione, quam Israëlitæ adversus Deum erant instituturi.

§. 8. Quam disceptionem si diligenter consideremus in eo capite & alibi, animadvertemus, nihil inter Judæos & Christum ac Christianos disputari, quod non Dei patrocinio adversus ipsos defendatur.

§. 9. Nahumi cap. 1:11. de Israële dicitur: *Ex te exivit cogitans contra Dominum malum, consulens nequitiam.* q. d. hæreses omnes & perversas opiniones de Deo & justitia ex Judæis prodiisse.

§. 10. Extant innumera istiusmodi in scripturis propheticis, quæ testantur populi stuporem & incredulitatem atque inobedientiam; vel etiam persuasionem, quam de se ipsis habent, quod sapientes sint, quòd videant & audiant, &, quum Christus venerit, eum agnituri & ei auscultaturi sint. Unde meritò existit admiratio in omnibus prudentibus, eos hisce ipsis prædictionibus non emolliri, ut ad se ipsos & ad Dei verbum attendant, & Deo auscultent. Quanquam eadem re profunditas judiciorum Dei & severitas ejus in ipsos cognoscitur, qui, ut prænunciavit, ab ipsis faciem suam abscondit, tanquam qui ab ipsis conspici & cognosci non velit.

Judæi à Christianis non negligendi.

§. 11. Quamtumvis autem tanta severitas Dei manifesta sit, tamen contemnenda non est ea gens. Primò, quia verè Ecclesiæ capsaria est. Deus enim ei concredidit sua eloquia. Rom. cap. 3:2. hoc est, voluit per eam sua eloquia scripto & sermone conservata tradi filiis & posteris & gentibus in omne ævum. Deinde, quia illius ἥττημα est gentium πλοῦτος. Rom. 11:12. Tertiò, quia miserandus est ingenii humani stupor, in ea gente toti mundo patefactus. Quartò, quia judicium Dei in eam non finit nos ὑψηλοφρονεῖν & cristas erigere contra ipsos; qui sola misericordia Dei in locum ipsorum assumti sumus: &, quia judicium illorum Ecclesiæ utilissimum est, per quod & libertas ei data est, & damnata propria justitia, & hæresis impugnantium Christi personam, regnum autem Christi assertum. Quintò, quia Dei consilium est, eos per gentes ad zelum provocare. Deut. 32:21. Quare & Paulus, ut gentium Apostolus, ad ministerii sui gloriam putavit pertinere, fideliter in gentibus convertendis laborare, ut suam carnem ad zelum provocaret, & aliquos ex ipsis salvaret. Rom. 11:14. Sextò, quia nobis vigilandum est, ne propter nos pereant, neglecti à nobis & non ad æmulationem in bono per nos provocati, aut etiam scandalisati & indurati per nos. Septimò, quia spes est conversionis eorum, & post conversionem ipsorum exspectatio resurrectionis mortuorum. Rom. 11:15. 25. 26. Ad quam omnes anhelare debemus. Nam, quum Israël convertetur, plenitudo gentium intrabit, & omnes gentes ac nationes servient Ecclesiæ, & Christus regnabit. Resurrectio verè mortuorum est spei Christianorum consummatio. Cæterùm ad conversionem Judæorum, si non omnium aut plerorumque, saltem multorum, ut allaboremus, ipsa humanitas nos obligat, ne reperiamur ita facientes, quemadmodum ipsi faciunt. Præceptum enim Dei est, ut diligamus proximum, quemadmodum nos ipsos. Atque illi quidem odium inimicorum mandatum putant, nos autem docti sumus etiam maledicentibus & persequentibus benedicere, & eis bene velle. Neque est, quare magis laboremus in aliis hominibus, quàm in ipsis. Neque enim Israël non ad hæreditatem & regnum pertinet, cujus nos hæreditas sumus. Neque est Deo difficilior eorum conversio, quàm gentium. Si enim ii, qui ex oleastro sunt, rami, potuerunt inseri in oleam & pinguedinis oleæ participes fieri, multò proclivius est, ut, qui ex olea sunt & naturales rami (de quibus primò loquitur promissio) naturali stirpi rursus inserantur. Rom. 11:23. 24.

§. 12. Ad ipsorum conversionem προὔργου est, quod sermonibus Mosis & Prophetarum innutriti sunt. Unde & ipsorum conversio hoc magnum & inæstimabile bonum videtur spondere, ut per eos Moses & Prophetæ explicentur planissimè. Quanquam severitatis, qua Deus adversùs eos utitur, hæc pars est, quòd verba Dei, quæ audituros se sperabant veteres, quæ per Christum locutus est, non audiunt suo sermone, sed barbaro. (Es. 28. vers. 11.) nempe Græco, quo Novi Testamenti libri conscripti sunt, & Christianorum, qui omnibus linguis, præterquàm Hebræa (quæ jam nulli genti verè & planè vernacula est) ad eos loquuntur; & imprimis doctorum inter ipsos, qui ferè Latino nunc, olim & Græco locuti sunt. Utinam verò inter ipsos Christianos non plurimi essent βαρβαρόφωνοι, loquentes, quæ Christianis sunt peregrina & exotica, non verò sermones à Spiritu Sancto edocti! Nihilominùs tamen solatium est, quòd *Lex Dei*, secundùm promissionem Dei Jer. 31:33. est *in medio omnium*, nec longè abest ab ore & corde, Deut. 30:14. & verò linguarum necessariarum discendarum multiplex est occasio, & ad rem eam magna adminicula sunt in promtu: ita ut Judæi etiamsi non habeant prærogativam præ cæteris gentibus, ut audiant verba Dei, exspectata patribus, in sua lingua, non sint tamen inferiores ullis, si velint linguam Græcam, & eam, qua aliquis populus Christianus, docti imprimis communiter utuntur, addiscere.

§. 13. Nam non sine opera & ministerio gentium Deus vult Judæos convertere: quio dixit, se eos per populum stultum ad zelum provocaturum. Quod imprimis ministerium gentium significat: licèt etiam latiùs pateat. Nam in genere significat, fore, ut Judæi æmulentur gentes, tanquam in populum Dei loco ipsorum assumtas. Quod quanquam etiam per hoc fiat, quum Deus ea in Christianis agit, quæ prænunciavit se in populo suo acturum esse; tamen confici non potest, nisi intelligant Judæi & cognoscant in ore Christianorum verba populi Dei & demonstrationem veritatis ad conscientiam.

§. 14. Ex quo apertum est, nisi Judæi attendant & intelligant,

gant, quid Christiani loquantur, &, nisi Christiani ad eos loquantur, non futuram eorum conversionem, ut accedant ad populum Christianum. Loquor de conversione plurium. Nam per lectionem Veteris & Novi Testamenti solam posse hominem converti, Deo cor aperiente, extra dubium esse debet.

Summa & præcipua capita controversiæ cum Judæis, ac ratio optima cum Judæis agendi.

§. 15. Porrò convenit scire, de quibus rebus cum Judæis sit controversia; & quis optimus modus eos ab incredulitate ad fidem convertendi judicari possit. Summa omnium controversiarum est, An Jesus sit Christus? &, an credendum sit illis, quæ Euangelistæ narrant eum locutum esse, quæque Apostoli ipsius locuti sunt & scripserunt? ac proinde, an ii, qui credunt in Jesum, sint verus populus Dei?

§. 16. Et hujus quidem quæstionis hæc certissima explicatio est, si demonstretur, 1. Jesum illo & tali tempore apparuisse, quo & quali tempore Christus apparere debuit. 2. Jesum ea locutum esse & fecisse & passum esse, deque eo illa prædicata esse, quæ Christus loqui, facere & pati, quæque de Christo prædicari debuerunt. Neque enim fieri potuit, ut ea, quæ de Christo prædicta sunt, quòd ea dicturus, facturus, passurus sit, quòdque de ipso prædicanda sint, in alio, qui non sit Christus, vera comperiantur. Optima autem ratio hoc demonstrandi est, explicare ordine Scripturas Veteris & Novi Testamenti, & utriusque consensum & harmoniam ostendere. Non inutile autem est, veram interpretationem stabiliare per reliquias Catecheseos & interpretationis priscorum, quæ occurrunt in libris Hebræorum; itemque per interpretationes recentiorum. Quanquam hoc argumentum est de eo genere, quod dicimus, *ad hominem*. Necesse est autem subinde falsas interpretationes tum Veterum tum recentiorum Judæorum refellere & confutare, & nominatim Talmudis auctoritatem destruere. quia Hebræi secundùm traditiones, quas dicunt extare in Misnah & Talmud, censent sacras literas esse explicandas. 3. In Ecclesia Christiana completa esse & compleri, quæ Deus per prophetas de populo Dei & Christi antè locutus est. Hìc autem opus est exponere parallelism prophetiarum Veteris & Novi Testamenti, & habere in promtu maxima quæque, quæ Deus de populo Christi locutus est, & eorum veritatem usque ad nos ostendere posse. 4. Apostolos à Deo insignitos esse characteribus & signis servorum suorum, quos miserit ad omnes populos ad ponendam legem Dei, legem justitiæ, in medio omnium. 5. Doctrinam Christi & Apostolorum esse manifestam apud conscientiam, quòd sit doctrina secundùm pietatem, & quidem sola. adeò ut non nisi à Deo procedere potuerit. Hìc verò descendendum erit ad partes doctrinæ, quas Judæi non credunt.

§. 17. Partes autem doctrinæ, de quibus demonstratio facienda est, Christus complexus est tribus capitibus Joh. 16: 8. 9. 10. 11. *Et, quum venerit ille* (Paracletus) *redarguet mundum de peccato & justitia & judicio. De peccato quidem, quòd non credunt in me. De justitia autem, quòd ad patrem abeo & non amplius videtis me. De judicio verò, quòd* vel *quia princeps hujus mundi judicatus est.* In quibus verbis illa continentur capita, de quibus Spiritus redarguturus erat non modò gentes, sed & Judæos: & hos quidem præcipuè. I. In Jesum Christum credendum esse, & quidem ad salutem. Peccatum autem esse, non credere in Jesum Christum. quod peccatum habens nec remissionem peccatorum nec salutem obtinere possit. II. Omnes homines, ut peccatores, indigere justitia. ejusque causam sub Veteri Testamento non extitisse. III. Justitiæ causam extare, quum Jesus Christus ad patrem vadit & non amplius in mundo conspicitur. IV. Judicatum quippe esse principem mundi. V. Ideoque, ut justos, liberos esse, qui credunt in ipsum. VI. Et Christum debere habere regnum in gentibus. VII. Quotquot non credunt in Jesum Christum ad justitiam, & libertatem abnegant, cum principe mundi judicatos esse, & à sorte & communione populi Dei seclusum iri.

§. 18. In quibus rebus explicandis & demonstrandis etiam Apostolos versari videmus. Paulus in ea ad Romanos imprimis agit de Justitia, & de judicio, imprimis Judæorum. Idem in epistola ad Galatas de justitia & libertate agit. In ea verò ad Hebræos de Christi persona & sacerdotio, deque perfectione spei, quæ ex illius sacerdotio oritur, & libertate & veteris sacerdotii transpositione, & pœna illorum, qui Christum abnegant, aut ab illius confessione deficiunt, agit diligenter.

Occasio præsentis operis.

§. 19. Et nos quidem præcipuè, ita ferente muneris nostri ratione, hactenus in eo versati sumus, ut explicatione sacrarum literarum tum Veteris tum Novi Testamenti omni conscientiæ pro virili juxta mensuram à Deo concessam satisfacere studeremus. Quæ methodus nobis visa est optima & tutissima; quippe arctè adstringens tractatorem dictis Spiritus sancti. Nunc autem, si non provocati, saltem invitati ab Hebræis, constituimus publicè aliquot disputationibus agere de *Responsione Judaica ad* 23. *quæstiones* à nescio quo Romani cœtus homine propositas *e Lusitanico in Latinum versa, & quæstionibus quadraginta sex* à Judæo *ἀνωνύμῳ* repositis. Quod eò libentiùs faciam, quia & illi, qui mihi tradiderunt, earum considerationem videbantur flagitare, & occasio erit, in ea tractatione de multis rebus utilibus disserendi. Ponemus ordine verba libelli, & ex iis arripiemus idoneam ad tractandum materiam.

CAPUT. II.

Consideratio Præloquii.

Amicus noster nomine tuo mihi tradidit scriptum quoddam, continens 23. quæstiones, ad quarum singulas est, qui breve & perspicuum responsum à nobis postulat, quod non caret sua difficultate; Nam quælibet ex hisce 23. vel integrum librum desideraret; utque omnibus exactè responderetur, permultis libris opus esset, id quod per epistolas fieri non potest. Attamen tibi ut satisfaciam, quæstioni cuilibet breve responsum accommodabo, paucula ex multis, quæ dici possent, attingendo. Et si hæc quæstori non sufficiunt, integrum erit ei nos adeundo pleniorem accipere explicationem. Non enim in tantum regionibus à nobis invicem remoti sumus, ut hinc distant Chinenses aut Japonenses, ad quos eunt multi, ut Euangelium eis annuncient. Fuerit & hoc operæ pretium, si converterit nos ab erroribus in quibus exstimat nos esse. Hoc putaverim esse optimum factu, si quod dico ei non fecerit satis, ne contra umbram suam pugnare videatur.

Judæorum ἀμαθεια & socordia.

§. 1. EX hac præfatione tantùm observabimus Judæorum ingenium. Quod non imputo genti illi magis, quàm aliis hominibus; sed ingenio erroris. Omnes errantes & errorem suum amantes simili sunt ingenio. Pertinaciam opponunt demonstrationibus. Nolunt audire. Obturant aures. Volunt videri multa habere, quæ dicant. Indignantur rationem reddere fidei aut opinionis suæ. Malunt enim eam non reddere, quum reddere non possint. Judæus autem hìc in persona quæsitoris Christianos cupidos salutis ipsorum jubet accedere ad suos. Patres Judæorum, qui nunc sunt, Apostolos & Christianos venientes ad se audire noluerunt & ejecerunt ex Synagogis & persecuti sunt omnibus modis; nunc jubent nos ad se accedere, ut ab ipsis *accipiamus plenam explicationem* eorum, quæ ipsi dicenda habent. Quasi non ab ipsis & hæreticis, Christo mentientibus, ipsorum susceptoribus, & hoc tempore à Socinianis, omnia sint dicta, quæ ad obscurandam veritatem facere possunt: aut quasi veritatis demonstratio multis indigeat verbis, & non simplici declaratione nitatur. Vetus verbum est: *πρὸς εὐώνυμον δίκην τρία ἔπεα ἐπαρκέσει.*

§. 2. Sed maximè illud advertendum est, Judæos nulla re magis cognitionem veritatis & justitiam Dei à se removere, quàm contemtu & omnium hominum & verbi Dei ac operis ipsius. Qua in re non satisfaciunt officio populi Dei. Nam, quum Deus promiserit Deuter. 18. vers. 15. se Prophetam excitaturum esse, qui verba sua loquatur, & eum jusserit audiri: & Jesus atque Apostoli ad ipsos venerint, & ea fecerint, quæ totum mundum stupore atque admiratione impleverunt: officium ipsorum erat, non commoveri præjudicio patrum suorum, (qui Jesum crucifixerunt, Apostolos interfecerunt & persecuti sunt; qui templum, urbem, populum, seipsos perdiderunt) quum sæpe acciderit, ut à populo Prophetæ Dei interfecti sint; sed ipsos diligenter attendere ad ea, quæ Jesus & Apostoli locuti sunt, & ea cum scriptis Mosis & Prophetarum comparare, numquid Spiritus

ritus Sanctus antè in iis attestatus sit ipsis, an non? Quod studium in illis planè non reperimus.

§. 3. Studium igitur scrutandi Scripturas & cum iis comparandi ea, quæ inter ipsos audita sunt & nunc in mundo adhuc audiuntur, quia in Judæis non est, in ipsis verum fit, quod dixit Esaias. cap. 42: 18.——25. *Surdi, audite, & cæci, intuemini ad videndum. Quis est cæcus, nisi servus meus, & surdus, ut nuncius meus*, quem *mitterem? Quis cæcus, ut pacificatus? & cæcus, ut servus Domini? Videt multa & non observat. Acutis auribus est, & non audit. Dominus voluntatem aut beneplacitum habens propter justitiam suam magnificabat doctrinam & ingentem faciebat. At ille est populus direptus & laceratus, insufflatio juvenum omnes ipsi, & in carcere inclusi sunt; facti sunt direptio, & non est eripiens, laceratio; & non est qui dicat, Restitue. Quis* est *in vobis, qui hoc auscultet? attendat & audiat IMPOSTERUM? Quis dedit in lacerationem Jacobum, & Israëlem diripientibus? Nonne Dominus, cui peccavimus? & in cujus viis non voluerunt ambulare? & cujus legi* (doctrinæ) *non obediverunt. Ideoque effudit in ipsum æstum iram suam, & vehemens belli; & inflammavit eum undiquaque, & non novit; & incendit eum, & non revocat ad animum.* Manifesta res est, sermonem haberi ab Esaia de Israëlitis, & quidem in ea conditione constitutis, ut, facta jam pace, tempus postularet eos mitti ad populos, & fieri doctores gentium, ad eas erudiendum de justitia Dei; eosque *cæcos* nominari, scil. qui non cognoscant justitiam Dei, etiamsi doctrina Dei apud ipsos fuerit multiplicata, & propter inobedientiam suam direpti sint; ita ut nesciant, quis ipsos direptioni tradiderit. Contra, ipsis se indurantibus adversus veritatem, aperiri per Dei misericordiam oculos cæcorum & aures surdorum, hoc est, gentium, quæ verbum Dei non audiverant antea, & opera Dei non viderant, & in stultitia sua serviebant lignis & lapidibus. Quæ verba tantundem valent, atque si palam dixisset, Non magis indecorum esse Deo gentibus dare resipiscentiam ad salutem, quàm Judæis; quum Judæi nullo homine minùs sint cæci, etiamsi multum viderint, & doctrinam accumulatam audiverint, & traditi sint in direptionem. Quod clarissimum est testimonium indurationis Judæorum. Et coguntur fateri Judæi, ut Abarbenel, loqui Esaiam de præsenti ipsorum exilio. Non possunt igitur diffiteri, officium suum esse, ut animadvertant, quis illos tradiderit direptioni. Et cum eo officio pugnare, quod faciunt: quòd scilicet omnia visa & audita contemnunt aut pro falsis habent, & doctrinæ de *justitia Dei* & *pace* non credunt. Item, officium suum esse prædicare gentibus Euangelium pacis & justitiam Dei. Ipsos verò contra, ut surdos & cæcos, officio illo non fungi. Contra gentes surdas & cæcas videre & audire. In quo se mirè torquent Rabbini. At præcedentia vers. 4.6.7.12.16. arguunt, sermonem esse de *gentibus*, *in caligine sedentibus*, *sine luce*, *insularum* habitatoribus, quibus Christus *in lucem dandus* sit, ut audiant *legem* sive doctrinam ejus, nominatim verbum de *gloria Dei* & *laude* sive *gloriatione ipsius*, & de *justitia Dei*, quam ipse adduxerit, sive *eam qua ipsum Deus vocaverit*.

§. 4. Quæ quum ita sint, quomodo dicet Judæus ad nos, Venite ad nos & accipietis plenam explicationem; quum non fungantur officio suo, & gentibus, quas vident paratas ad credendum Mosi & Prophetis, & idola, quæ patres adoraverant, reliquisse, & doctrinam Dei de justitia esurire ac sitire, non prædicent in insulis justitiam Dei & pacem; atque etiam scriptis suis eam obscurent; & in Mosis & Prophetarum oraculis tractandis ita versentur, ut ostendant, se nihil habere certi, nisi propositum verba eorum contorquendi, ut videantur non hoc dicere, quod in libris Novi Testamenti dicitur & à Christianis creditur? Sed transeamus ad Quæstiones & Responsiones.

CAPUT III.

An sit impossibile Tres in deitate esse unum?

QUÆSTIO I.

Quomodo probatur, in Deo non posse esse tres personas in una essentia? Nullum est dubium, quin si hic Interrogator boni dialectici munus implere vellet, laborem ipsemet præstare deberet probandi, quod à nobis probari postulat. Omnia siquidem de novo reperta dogmata obligationem perspicuæ demonstrationis secum adferunt.

Ratio quæstionis.

§. 1. Qui illam quæstionem proposuit & quidem primo loco, is sine dubio id spectavit, quòd Christiani baptizantur in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti, Matth. 28: 19. & se confitentur credere in tres testes, qui sunt unum; 1 Joh. 5: 7. quodque Judæi Jesum pro *blasphemo* damnarunt, quòd se *filium Dei* diceret, nempe qui unum esset cum Patre Joh. 10: 29. 30: & venturus esset in gloria Patris, ut sua. Matth. 16: 27. 25: 31. 26: 64. 65. unde pro crimine ipsi objecerunt, quòd se Deum faceret, quum esset homo. Joh. 19: 7. 5: 18. 10: 33. 36. quodque Judæi eam fidem rejiciunt vulgò eo nomine, quia ea res sit de נמנעים *impossibilibus*. Atque etiam apparet ex responsione ad Q. XII. Judæos inter fundamenta fidei suæ posuisse secundum articulum de יחוד sive *unitate* Dei simplicissima, sine ullo diversitatis modo, qualiscunque etiam excogitari possit. Putant autem, tres dicere unum Deum, esse in unitate diversitatem ponere.

§. 2. Non videtur autem Interrogator absque ratione interrogasse, *quomodo probetur in Deo non posse esse tres personas in una essentia*, sive Deum non posse esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum eandem essentiam, vitam, voluntatem & potentiam habentes. Quippe, si probatum sit, impossibile esse, ut hoc verum sit, non potest etiam Deus id esse testatus; & consequenter vel scriptum, quod id dicitur, non esse à Deo, sive sit Vetus sive Novum Testamentum, vel, qui id credunt, errare ac labi, & verba Dei non rectè accipere sive in Veteri, sive in Novo Testamento extent. Quòd si autem probari non possit ea impossibilitas, magnum impedimentum fidei erit sublatum ex medio; & tantùm supererit, ut inquiramus, quid Deus de se ipso dixerit, quidque nobis credere necessarium sit propter ea, quæ ad consolationem & spem nostram & amorem Dei ac gloriam ipsius necessariò credenda sunt.

Ad quæstionem tenentur Judæi respondere.

§. 3. Malè autem Judæus ab initio dicit, Judæos non teneri ad hanc probationem, sed eos eam posse rejicere. Quum ipsorum criminatio sit, intentata Jesu & Christianis, Jesum esse blasphemum, quia se filium Dei dixerit, ut qui unum sit cum Patre: ac porrò Christianos Jesum, imò Christum filium Davidis, Deum nominantes & in eum credentes atque eum adorantes & invocantes esse blasphemos. Quæ criminatio hanc mentem habet; quòd Jesus & Christiani alium Deum doceant. Ejus autem hæc ratio est, quia non possit esse Pater & Filius & Spiritus, tres illi, unum.

§. 4 Quum igitur hæc ipsorum criminatio sit, & propter illam causam Jesum crucifixerint, & eam crucifixionem etiamnum hodierni ut justè factam approbent, atque adeò eodem loco habendi sint, quo illi, qui Jesum crucifixerunt & in eum credentes persecuti sunt, justum est & æquum, ut nobis probent, id, quod nos credimus in Vet. & N. Testamento de Christo dici, quodque ipsis videtur Jesus dixisse, esse impossibile.

§. 5. Atque etiam incumbit hoc ipsis, ut officium suum præstent, quod est legatione ad gentes fungi & gloriam Dei annunciare; ut modò ex Es. 42. demonstravimus, & *docere gentes jurare, Vivit Dominus*, Jerem. 12. vers. 16.

§. 6. Neque verò Judæum juvat, quod dicit, *Nova dogmata* habere conjunctam *obligationem perspicuæ demonstrationis*. Non est enim novum dogma, Deum habere Filium & Spiritum sanctum. Sed, Filium & Spiritum sanctum non esse personas divinas, nupera opinio Judæorum est, nixa hoc principio, Quia impossibile est in divinis, Tres esse unum. Hoc igitur ipsorum novum dogma est. Hoc ipsis incumbit probare.

§. 7. Jesus & discipuli ejus venerunt ad Judæos non in nomine suo, cum nova doctrina; sed provocarunt ad Mosen & Prophetas: contendentes, Mosen & Prophetas prædixisse & præformasse hoc ipsum Euangelium, quod ipsi loquebantur. Nulla igitur alia obligatio incumbit Euangelium prædicantibus aut suscipientibus, quàm ut ostendant, hoc, quod ipsi prædicant & credunt, etiam scriptum *legi* in Mose & Prophetis. Atque ita Malachias cap. 4: 5. 6. dicit, venturum *Eliam* quendam, qui *reducat cor filiorum ad patres*; hoc est, ad sententiam & fidem priscorum patrum & justorum; antequam veniat Dominus. Quantò magis igitur Dominus veniens ad templum suum prædicaturus erat *Resipiscentiam* omni populo à *viis & cogitationibus suis*. Atqui illi, qui crucifixerunt Jesum, non obediverunt prædicationi ejus, tanquam qui sapientes essent & justi, & resipiscentia ac conversione ad Deum non indigerent. Eodem modo animati sunt, qui

illos sequuntur. Putant, se cor & sensum Patrum habere, neque indigere *doctore ad justitiam*, Joël. 2. vers. 23. Nam doctrinam justitiæ se habere à patribus traditam; & à sententia patrum sanctorum nunquam deflexisse. Ideò putant, quod Jesus dixit, & discipuli ejus inculcarunt, novum esse & egere probatione. Quæ si nova doctrina esset, propter ipsam novitatem foret rejicienda. Nam, ut jam ex Malachia intelleximus, *cor filiorum reducendum erat ad cor & Φρόνησιν patrum.*

§. 8. Quare etiam multum Christianæ religioni incommodant, qui dicunt, Christum debuisse novam legem ferre, aut Jesum eas res locutum esse, de quibus antea nihil dictum fuerit patribus.

Judæus. *Sed, quia veritas adeò est aperta, professores ejus non verentur eam quam latissimè diffundere. Idcirco ex magna argumentorum copia quæ simplicissimam Dei unitatem confirmant, brevitatis causâ unum duntaxat alterumve adferemus, partim ex S. literis, partim ex naturali ratione. Primum erit hoc. Videmus Deum nec apud dilectum suum populum, nec charos Prophetas, nec apud electos suos Sacerdotes mentionem ullam fecisse hujus doctrinæ, imò potius disertis verbis eos admonuit à tali doctrina sibi caverent, dicens,* Audi Israël: Dominus Deus noster unus est. Deuter. 6: 4. *Et alio in loco,* Deuter. 32: 39. Ecce ego sum & nullus est alius Deus mecum. *Loquitur præterea Deus per Esaiam Prophetam in hunc modum:* Esai. 43. vers. 10. Vos testes mei estis, dicit Dominus, & servus meus quem elegi ut cognosceretis & crederetis in me & intelligeretis ante me Deum nullum extitisse, nec post me exstiturum. *Propheta Zacharias prædicens confessionem totius mundi de simplicitate essentiæ, sic loquitur:* Zach. 14. vers. 9. Et Dominus pro Deo agnoscetur per universum terrarum orbem. In illis diebus Deus unus erit, & nomen ejus unum. *Perinde ac si diceret, unus erit essentia & unus nomine. Idem compluribus aliis locis docetur, ut Scripturarum periti norunt.*

Examen probationis primæ, quòd Trium unitas sit impossibilis.

§. 9. Duæ sunt partes hujus responsionis ductæ à sacrarum literarum testimonio. 1. Quòd nulla mentio doctrinæ de S. Trinitate sit facta à Deo. 2. Quòd Deus monuerit, ut à tali doctrina sibi caverent. Quo fine quatuor testimonia allegantur.

Conceditur, esse mysterium.

§. 10. Primam quod attinet, fatemur; etiamsi sit aliquid *γνωςὸν τῦ θεῦ, quod cognosci de Deo potest*, quod est *φανερὸν ἐν ἀνθρώποις manifestum in hominibus*, quodque per se non indiget *ἀποκαλύψει revelatione*, veluti *æterna ipsius potentia & divinitas*, Rom. 1: 19. 20. tamen, quòd Deus sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, id non esse ejus generis. Sunt quædam, ut solent Hebræi dicere, *quæ si Deus ipse non diceret, homini dicere non liceret.* Si non narramus hanc doctrinam, tanquam revelatam, traditam & acceptam à Deo, temere loquimur & credimus. Neque enim ex iis, quæ homo naturaliter novit, cognoscere eam possumus. Ideoque cum Apostolo dicimus *μυςήριον τῦ Θεῦ καὶ Πατρὸς καὶ τῦ Χριςῦ mysterium Dei & Patris & Christi.* Col. 2:2.

Negatur, non proferri testimonia.

§. 11. Porrò, si Judæi mens est in hac responsione, à Jesu & discipulis ipsius & à Christianis hanc doctrinam sine ullis argumentis ex Veteri Testamento ductis tradi, id falsum esse constat. Nam doctrina hæc & à Jesu & à discipulis & à Christianis multis argumentis ex Veteri Testamento ductis firmatur.

Petitur principium, quum rejiciuntur testimonia per oppositionem impossibilitatis.

§. 12. Quòd si verò hæc ipsius mens est, ea testimonia, quæ pro hac doctrina proferuntur, non esse demonstrativa; peccat in methodum disputandi. Nam hîc non est quæstio, An Christiani benè & efficaciter probent, *Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum*; sed, An fundata sit Judæorum responsio, objicientium *impossibilitatem.* Quemadmodum facit hic etiam noster quæst. 46. *Qui fit, ut Christiani omnia fidei suæ fundamenta superstruant rebus impossibilibus ... uti sunt, unus & tres.*

Judæi non tenent doctrinam patrum, Non possunt igitur argumentari ab eo, quòd doctrinam Triados non acceperint Patres.

§. 13. Sed etiam, quod attinet majorem hujus argumenti, nescimus, quæ sit mens Judæi. Sic enim videtur argumentari. Cujus *doctrina Deum nec apud dilectum suum populum, nec charos prophetas, nec apud electos suos Sacerdotes mentionem ullam fecisse videmus*, ea habenda est pro impossibili. Inferendum erat, *ea habenda est pro non revelata.* Sed transeat hoc. Dum dicit, *videmus*, videtur præsupponere, quæcunque revelata sunt populo, Prophetis, Sacerdotibus, ita revelata esse, ut nos jam *videre* & legere possimus, quid revelatum sit. Idque vel sic intelligit, quòd ea omnia in Scripturis extent; vel sic, quòd, quæ per legem oralem tradita sunt, jam scripta extent in Misna & Talmud. Si illud vult, Omnia, quæ revelata sunt ad fidem salvificam & perpetuam observationem, in Scriptura legi posse; id quidem nobis non invitis erit; sed tamen adhuc ab ipso quærimus, An putet, ea, quæ scripta sunt, non fuisse familiariter à Mose, Sacerdotibus, Prophetis in Spiritu sancto explicata & ex Scripturarum ænigmatibus aut principiis ad conscientiam demonstrata? aut potiùs, Quæ scripta sunt, potuisse per *κατήχησιν* à sanctis Dei hominibus tradi in Spiritu sancto & explicari ac demonstrari familiariùs discipulis Dei, filiis Prophetarum, discendi cupidis? Sive, Annon putet, Seniores accepisse *κλεῖδα τῆς γνώσεως, clavim cognitionis, & eam potuisse occultare.* ut est Luc. 11: 52. Et annon hoc videatur evenisse iis *filiis, quorum corda ante diem Domini magnum & terribilem erant* per *Eliam* quendam & *angelum, qui viam ipsius pararet*, extra ordinem missum *redacenda ad cor*, sensum ac sapientiam *patrum*? Malach. 4: 5. 6.

Christo dato credendum.

§. 14. Quòd si autem id negari non potest, rursus interrogabimus, Annon, si probetur omnibus argumentis, Jesum esse Christum, ei fides adhibenda sit testanti de Patre suo & de se? maximè, si per id testimonium omnia, quæ in Scripturis videri possunt ænigmata, fiant plana, & per hanc doctrinam omnes figuræ patescant, & doctrina de justitia & regno ac nomine & gloria Dei fiat ita clara, ut quivis intellectus & omnis conscientia cogatur verbum Dei per hujus mysterii lucem illustratum pro eminentissima & perfectissima sapientia agnoscere (quemadmodum Apostolus docet, *In mysterio Dei & Patris & Christi omnes thesauros sapientiæ & cognitionis esse absconditos:* Col. 2: 2. 3.) citra hanc autem doctrinam verbum Dei maneat ænigma, imò verbum obscurum & inexplicabile?

Examem secundæ probationis.

§. 15. Secunda pars responsionis magis ad rem facit. Ejus hæc intentio est, Deum *monuisse disertis verbis* populum, *ut sibi caveret à tali doctrina.* Quod si verum est, falsam esse doctrinam de Deitate Patris, Filii & Spiritus sancti necesse est.

Locus Deut. 6: 4.

§. 16. Cognoscamus igitur testimonia, quæ hoc fine allegat. Primum est Deut. 6:4. quod ita citat: *Audi Israël: Dominus Deus noster unus est.*

§. 17. Dico, Textum imperfectè citari. Sic enim habet: JHVH *Deus noster* JHVH *unus* vel *unum.* Dum cum Judæis disputamus, illorum morem imitabimur, non pronunciando JHVH, & in versione ponendo *Dominus.*

§. 18. Non quidem rejicimus dictum, *Dominus Deus noster unus est.* Nam id verum est, & in Euangelii verbis legitur, *Θεὸς εἷς ἐςι, Deus unus est.* 1 Tim. 2: 5. Jac. 2: 19. Hîc igitur nulla pugna est inter Legem & Euangelium.

§. 19. Hoccine igitur est præstare promissum? Non erat probandum, *Deum unum esse*, sed, Deum *disertis verbis monuisse*, ne populus credat, Deum unum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

Principium petitur.

§. 20. Qui ita respondet, petit principium, nempe, Deum unum non posse esse P. F. & SS. Hoc autem non est docere & demonstrare, sed nugari, & fidem non subjicere verbo Dei, sed eam à suo dicto, à sua opinione, ab eo, quod videtur sibi aliquis cognovisse in creaturis, suspendere, & docentibus ex Scriptura pertinaciam solam opponere.

§. 21. Maximi sanè momenti est illud, *Audi Israel*, quod Judæi bis recitant quotidie, & in suis amuletis scriptum fronti & brachio alligant atque etiam posti januæ imponunt. Utinam verò cogitarent, quæ mens illius admonitionis sit.

Zohar de dicto loco.

§. 22. Omitto scrutari, quid Veteres Hebræi, quorum ἀπο-

Φγε-

Φϑέγματα in Talmud aut alibi reperiuntur, de hac admonitione statuerint. Nam quis ab illis exspectet, ut eam doctrinam palam stabiliant, propter quam Jesum blasphemiæ damnarunt? Ex nostris sunt, qui hic allegant interpretem R. Ibba, ex Zohar. Galatinus lib. 2. cap. 1 cum sic loquentem facit: *Audi, Israël: Hic est, ô Israël antiquus* יהוה, *qui est principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum & omnium rerum perfectio, & dicitur Pater,* אלהינו *Deus noster, profunditas fluminum & fons scientiarum, quæ procedunt ab illo Patre & Filius vocatur,* יהוה *hic est Spiritus sanctus, qui à duobus procedit & vocatur mensura vocis* (fortè בת קול) *Unus est, ut unum cum alio concludat & colliget. Neque enim alius ab alio dividi potest. Et propterea* שמע, *id est congrega Israël hunc Patrem & Filium & Spiritum sanctum, eumque fac unam essentiam unamque substantiam, quia, quicquid est in uno, est in alio. Totus fuit, & totus est, totusque erit.* Repetit hæc & Mornæus de veritate religionis Christianæ c. 6. verbis tamen non planè iisdem. Nunc illa in Zohar vix reperias. Si quid tamen odorari possim, locus hic reperitur in Zohar ad Deut. 6:4. fol. 263. יוד רישא

דכלא בנהירו דעתיקא קדישא יתאי הוא דאקרי אב אלהינו עמיקתא דנחלין ומבועין דנפקין ונגדין לכלא יהוד גופא דאילנא שלימו דשרשין אחד כנסת ישראל וכאל חד שלימותא ואתקשר דא בדא ולא אתהכת פירוא אלא כלא חד

§. 23. Quæ verba sic sonant: יוד (id scribunt pro יהוה) *principium omnium in luce, qui permanens* (antiquus) *est sanctus, & is ille, quem* Scriptura *prabes legendum* אב *pater.* אלהינו (hoc scribunt pro אלהינו) *profundum torrentium & fontium, qui exeunt & manant ad universa.* יהוד (pro יהוה) *corpus arboris, perfectio radicum.* אחד (*unus* vel *unum*) *Ecclesia Israëlis, & universum una perfectio, & colligatum est hoc cum hoc & non reperitur divisio, sed universum unum* est. An Judæi hæc mutarint, aut mutilarint, vel Christiani interpretatione sua, volentes mentem ἀλληγορεῦντος illustrare, interpolarint, non facilè dictu est. Hoc tamen inde liquet, 1. quòd Zohar non tollat distinctionem, sed divisionem; & sub singulis nominibus in sententia Mosis, quæ est Deut. 6:4. distinctum quid intelligat; quorum unitas in Israële maximè pateseat. 2. Quòd per primum יהוה intelligat אב *patrem, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν, ex quo omnia & nos ad ipsum.* ut loquitur Apostolus 1 Cor. 8:6. Patris autem correlatum est בן *filius.* 3. Quòd secundum nomen אלהינו, ut & tertium יהוה conjungat in subjecto, & de iis prædicet τὸ אחד *unus.* 4. Quòd per secundum nomen intelligat, certè non fluvios & fontes propriè, sed parabolicè profundum fluviorum & fontium, qui exeunt & manant ad omnes. Quibus verbis ponit in Deo aliquid simile profundo fluviorum & fontium irrigantium terram, & eam frugiferam facientium. Ut autem fluvii & fontes irrigantes omnia possunt significare ubertatem gratiæ, ita *profundum fluviorum & fontium* significare potest primam quasi venam amoris, sive, ut clariùs dicam, eum, cujus voluntas & amor est causa, propter quam omnis gratia in mundum exuberat. Is verò est Filius Dei: sine cujus sponsione nulla gratia in homines pervenit. 5. Quòd per tertium vocabulum יהוה intelligat, etiam parabolicè loquens, *Corpus arboris, perfectionem radicum.* Spiritus sanctus autem, cujus sensus est secundùm Deum & secundùm voluntatem ac postulationem Filii, faciens ex radice prodire arborem fructificantem, sive palmites ex vite, & eos coagmentans & vitam ipsis suppeditans, sub hac parabola optimè notari potest.

Aben Esra de dicto loco.

§. 24. Sed, quicquid sit de Zohar, libet proferre quædam super verbis Mosis notata à Rabbinis. Abenesra construit non uno modo. 1. sic: *JHVH Deus noster* est *JHVH unus*, nempe, ut *Adam* aliquando est nomen proprium, & aliquando appellativum, ita & nomen JHVH. Id ineptum est. Nunquam JHVH est appellativum: etiam quando יהוה צבאות dicitur. Id enim valet, *JHVH* Deus *exercituum*, per ellipsin. 2. sic: Vocem יהוה repeti, ni fallor, hac mente: *JHVH, qui est Deus noster, JHVH, inquam, est unus.* Id autem ait notare, quòd is לבדו *solus* sit Deus. Quod non est in controversia.

Salomoh Jarchi & Moses Gerundensis de dicto loco.

§. 25. Rabbi Salomoh Jarchi facit ex hoc loco prophetiam. Sic enim annotat: "שהוא אלהינו עתה ולא אלהי האמות הוא עתיד להיות " אחד שנאמר כי אז אהפך אל עמים שפה ברורה לקרא כלם בשם " ונאמר ביום ההוא יהיה " אחד ושמו אחד" *JHVH, qui Deus noster est nunc, & non Deus gentium, is futurus est JHVH unus: quia dictum est* (Zoph. 3:9.) *Nam tunc vertam ad populos labium clarum, ut nominent omnes nomen JHVH: & nomen ejus* (Zach. 14:9.) *Illo die erit JHVH unus & dictum est unum.* De quo dicto mox. Ne R. Solomoh quidem quicquam hic habet, quod pugnet cum unitate Patris, Filii & Spiritus sancti. R. Moses filius Nachman repetit hanc glossam, & nihil addit, nisi cur dicatur *Deus noster* & non *Deus tuus* aut *vester*, ut alibi.

Isaacus Abarbenel de dicto loco.

§. 26. R. Isaac Abarbenel prolixior est in explicatione hujus dicti. Is in genere dicit, in hoc effato significari יהוה אלהינו ושלילת הרבוי ממנו *unitatem Dei nostri & negationem multitudinis de ipso.* In אחד *unus* ait comprehendi duas מיני אחדות *species unitatis.* 1. Quod *JHVH*, המנהיג אותנו *qui ducit nos* (id ponit pro אלהינו) sit unus in substantia sua (בעצמו) in perfecta simplicitate, ita ut impossibile sit eum esse susceptivum compositionis aut multitudinis, sive rerum substantialium, sive formarum accidentalium, sive in anima sive extra animam. 2. Quòd impossibile sit, esse secundum vel alterum, quòd sit unus, & non secundus. Et argumentatur. Quandoquidem omnia sint inter se colligata, & non possit orbis non habere motorem, donec pervenimus ad motorem מחויב המציאות necessarium: impossibile esse, ut is sit compositus. Quia, quicquid compositum est, necessarium non est. Si autem sit Deus alius, cui nihil rei sit cum existentia rerum, eum non posse cogitari à mente & ratione. 3. Quòd Deus sit perfectus. Sic dici Exod. cap. 26:6. והיה המשכן אחד *& fiet tabernaculum unum.* h. e. perfectum & ex omnibus necessariis partibus compactum & coagmentatum. Eò refert Zach. 14:9. Ita *unitatem & regnum* eandem rem esse in se. Nam regnum non esse nisi unitatem excellentiæ & imperii, in qua omnis principatus & gradus continentur. Hunc sensum de perfectione & regno esse subllimiorem, occultum, excellentem, rem, quæ traditur intellectui simplici & abstracto. Sic dicit: והמובן השלישי מהשלמות והמלכות והוא היותר נשגב ונסתר הסבכת המופלא והוא ענין מסור אל השכל המופשט Vocat etiam המלכות עם האחדות *convenientiam regni cum unitate.* Eam confessos esse filios Jacobi dicendo: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus in seculum & sempiternum.* Id dicere Israëlitas in die Kippurim palam: quia tum sint ut angeli. alias בלחישה sive בחשאי *submisse.* Ideò, quum recitant illa verba: *Audi Israël:* dicunt se מקבלים עליהם מלכות שמים *recipere regnum cœlorum.*

§. 27. Etiam hæc non adversantur doctrinæ Euangelii. Nam in eo non docetur Deus compositus, aut Deus alter ac diversus, sed unus solus.

§. 28. Imò, quod Abarbenel tertio loco monet, per hoc effatum intelligi, id Euangelio est accommodatum. Nempe, ut Deus unus est, ita regnum ejus in omnes unum esse; neque aliter esse Judæorum Deum atque gentium. Roman. 3:30. *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem*, quæ est *ex fide*, & *præputium per fidem.* 1 Timoth. 2:5. *Unus est Deus, & unus mediator Dei & hominum.*

§. 29. Item, quemadmodum Deus unus est, & socium non habet, ita in *regno Dei*, quod etiam *regnum cœlorum* appellatur in N. Test. non est rex nisi Deus. Confer Es. 33:22.

Explicatio verborum dicti, Audi, Israël.

§. 30. Si rem propiùs consideremus, hæc verba habent explicationem primi præcepti Decalogi. Quo cavetur, Ne Israël alium Deum recognoscat, id, quod Dei est, *alienando*, & dicendo, id quod Deus Israëlis fecit, fecisse *non-Jehovam*, vel *non-Deum*, Deuter. 32:27. 21. aut eum affectum, qui debetur Deo, erga alium aut aliud quidvis, habendo, aut denique gloriando in quoquam præter Deum: & quidem eum, qui est Jehovah, Deus Israëlis, atque ita justitia ejus. secundùm illud, quod est Esai. 45:25. *In JHVH justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.*

Docet is locus, Tres esse unum.

§. 31. Moses igitur, qui dixerat, *Angelum JHVH* sibi in rubo apparuisse, & se nominasse *Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi*, & promisisse, Israëlem sibi cultum præstiturum in loco illo, ubi scil. postea acceperunt fœdus in decem verbis comprehensum: ideoque eum appellaverat *JHVH*; & *Deum*: Exod. 3:2. 4. 6. 11. 12. quique in ipsa creatio expositione *Spiritum Dei* nominaverat, deque eo divina opera prædicaverat: quum Deus & de Angelo Testamenti eodemque assertore Israëlis locutus esset & imposterum testari, & Spiritum suum effundendum in omnem carnem promittere decrevisset; postquam auditum est verbum, *Deum alium habendum non esse*; cavit hac sententia, Ne Israël, propter illa, quæ præmisimus, & similia, plures Deos effingeret; aut, ignorans Patris, Filiique & Spiritus Sancti unitatem, aut de ea addubitans, vel Deo detraheret gloriam, quæ continetur in illo nomine, *Ego sum JHVH Deus tuus*, vel aliquam illius partem assignaret *non-Deo*. Nam utroque modo futurum erat, ut Israël coleret *non-Deum*, & à *Deo suo* ac fœdere ejus descisceret. Si enim negaret Patris, Filii & Spiritus Sancti unitatem, negaret etiam, eum, quem videri volebat colere, esse *Jehovam*, & posse esse *Deum Israëlis*, atque adeò *justitiam ejus*: & sic coleret eum, qui non posset *justificare* peccatorem: vel coleret eum, qui *justificaret* peccatorem, eumque justum diceret sine justitia; atque ita eum, qui similis esset peccatori. Sin autem justitiam quæreret in *non-Deo*, eumque *Dominum* vocaret; & in eo *gloriaretur*, manifestè etiam à Deo suo deficeret, & *gloriam Dei* atque *gloriationem laudemque alienaret.* Contra Deut. 32:27. Es. 42:8. 48:11.

§. 32. Igitur planè necessarium fuit, ut admoneretur Israël de utroque. 1. Unum esse, quem colerent, in quem crederent,

rent, quem Salvatorem & Justitiam suam reputarent, in quo gloriarentur. 2. Tres esse unum. h. e. 1. Eum, qui יהוה seipsum appellavit, & de se dixit, quòd *Angelum suum* missurus esset, qui *Angelus* in rubo apparuerat, & *Goël* appellatus fuerat: quique *Spiritum* se testatus est habere, qui in initio incubavit aquæ, qui loqutus est per Prophetas, quem promisit se effusurum in omnem carnem, ad consummationem, 2. Angelum, qui est Angelus faciei & Assertor, qui visitaturus erat Populum, de quo dicendum erat populo, *Ecce Deus vester*, 3. *Spiritum* יהוה, eundemque יהוה, consummantem omnia, *esse unum*. Si enim *hi tres* non essent, & non essent *unum*, יהוה *Deus noster* non esset: sed ab ipso, ut antea gentes, alienati permaneremus. Si enim Deus non habet Filium, quem det Sacerdotem & Dominum; nec Spiritum Sanctum, quem det ut paracletum & arrhabonem: quomodo fiet nobis in Deum? quomodo erit nostra justitia? quomodo intelligetur esse noster, & quomodo in ipso consummabimur? Si autem Filius non est unum cum Patre, & similiter cum Sp. Sancto, quomodo glorificabimus Deum solum, & in eo solo gloriabimur, & in regno Dei solius erimus, ut peculium ipsius solius, tanquam Domini, qui nos emerit?

Moses non præcipuè intendit excludere πολυθείαν.

§. 33. His (ex quibus apparet, quomodo necessarium fuerit ad glorificandum Deum & rectam de Deo sententiam Israëlem doceri de unitate Dei) his, inquam, præmissis, quærendum est pressius, quid ea verba, quæ sunt Deuteron. 6: 4. portendant. Sanè non esse alium Deum præter unum, debet indubitatum esse. Quod Gentibus olim πολυθέοις sive multos Deos colentibus rectè opponitur. Id verò simpliciter ita enunciari poterat: *Non est Deus, nisi unus.* Vel, ut id dicitur Jacob. 2: 19. Θεὸς εἷς ἐστιν, *Deus unus est.* Intellige, non multi. Non verò opus fuit dici his verbis: *Deus noster unus est.* Nam si Deus est diversorum diversus, ut gentes putabant, quisque illorum unus est. Quod si dicatur, nondum dicetur, nullum esse Deum nisi unum. Tantum abest, ut id Moses dicturus fuerit illis verbis, *JHVH* & *Deus noster* & rursus *JHVH unus est*.

§. 34. Hoc igitur præcipuè spectare Moses non potuit. quippe id etiam naturali lumine notum esse potuit. Nam & gentes, quæ multos Deos adorarunt, tamen unum omnium deorum patrem agnoverunt: & plerunque θεὸν, καὶ τὸ θεῖον singulariter enunciant. Ita Cato vel pueris notus: *Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt, Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.* Omitto enim, quæ ex poëtis & philosophis huc adferri possent.

§. 35. Et jam in Decalogo vetitus erat Israël alium Deum habere in conspectu Jehovæ Dei Israëlis.

Quid Moses intenderit primò?

§. 36. Amplius procul dubio est, quod Moses hîc dicit. Ad quod inveniendum, ita, puto, viam sternemus. Necesse erat, Israëlitas, & omnes Deum amaturos imposterum, scire, non tantùm, *Deum esse unum*, non multos; sed etiam, quis ille unus Deus sit. Atque adeò extat in verbis Dei declaratio, quis ex omnibus nominatis diis pro vero Deo, qui unus est, habendus sit. Is enim, qui vetat, ullum alium Deum haberi, se nominat *JHVH*, *Deum Israëlitarum*. Ita enim dicit, *Ego sum JHVH Deus tuus.* Et Moses: *Et diliges JHVH Deum tuum.*

§. 37. Neque enim profectò satis est, scire, Deum esse unum, si illum unum Deum dicas vel Jovem, vel Saturnum, vel Osirin, vel Moloch, vel Camos, vel Báal, vel Taautum, aut si quod aliud fictitiorum deorum nomen est ab hominibus factum.

§. 38. Numquid verò in hoc est error & idololatria, si Deum non suo vocabulo nominaveris? Ita fortasse idololatria erit, si Latino vocabulo aut Græco Θεὸν aut *Deum* dixeris, & non Hebraico אלהים, si ea est literarum syllabarumve potentia, ut pronunciata faciant pium, non pronunciata impium constituant. Quod si admittimus, etiam Hebræa natio præ cæteris impia erit, quæ Deum suum, quem unum dicit, suo nomine, quod שם שם *nomen proprium* appellant, nominare non audet. Nemo enim eorum nomen יהוה pronunciat, ut scribitur: sive ita, ut cum vocalibus appositis in Scripturis invenitur, rectum sit id efferre, sive aliæ vocales illis literis propriæ sint.

§. 39. Neque, opinor, Deus unus alia nomina aspernatur: qui & ADONAI & SCHADDAI & ELJON & JAH appellavit seipsum. Et verò alia nomina, quibus gentes Deos suos nuncupant, non sunt inhonesta, saltem pleraque. Nam, ut hoc exemplo utamur, quid est *Molech*, nisi ὁ βασιλεύων, *regnans?* Relinquitur, subesse aliquid, quare pium sit fateri, quòd יהוה sit unus, & præter eum alius Deus non sit: impium verò sit dicere, Molechum esse illum unum Deum.

§. 40. Sed Moses, si nihil aliud voluit, quàm, Unum illum verum Deum esse appellandum יהוה, & eum, qui sic appellatur, esse unum verum Deum, poterat id verbis aptioribus dicere: *JHVH Dominus noster est Deus* vel *Solus verus Deus, & non est Deus præter ipsum.*

Quid Moses secundò intenderit? Non, excludere compositionem: etiamsi sit incompositus.

§. 41. Quod dicunt, Mosen hoc verbo voluisse excludere הרכבה *compositionem* omnem, id minimè verisimile est. Nam ex eo sequeretur, quicquid *unum* est, id non esse compositum. Ita *homo unus*, *Abraham unus*. Es. 51: 2. *unum*, quod fecit Deus ab initio in humano genere, par, quod esset *caro una*, Mal. 2: 15. Genes. 2: 24. & omnia similia, quæ *unum* dicuntur, essent compositionis expertia.

§. 42. Non, quòd velimus defendere compositionem in divinitate, sed, quòd appareat in Hebræis affectata & violenta dicti Mosis interpretatio.

§. 43. Neque enim propterea negamus Deum esse compositum, quia *unum* significat *incompositum*, aut, si mavis, compositionis expers; sed, quia Deus non erit unus, si quid compositum in Deo statuas. Nam, ut omnes, qui ubique sunt, sapientes dicunt, ubi compositio est, ibi necesse est, ut sit, quod componat ea, quæ componuntur & in unum compinguntur. Quod magis erit Deus, quàm id, quod componitur. Si porrò id ipsum quoque dicas componi, rursus componente opus erit: & sine fine ad aliud componens procedendum erit. Ita vel Deus erit non unus, vel id, quod alio indigebit, erit Deus, & non-Deus erit Deus. Nam, quod alio indiget, Deus non est: &, quod dissolvi potest, Deus non est, sed, quod ἀδιάλυτον ζωὴν ἔχει, Deus est. Atqui, ut Plato in Timæo dicit. πᾶν δεθὲν λυτόν. *Quicquid colligatum est, solvi potest.* Credimus igitur sanè Deum ἕνα *unum*, & non ἡνωμένον *unitum* ac compositum: non quia ἡνωμένον non est ἕν, sed, quia Deus ἡνωμένος aut non est Deus, aut non est solus Deus.

§. 44. Ipsi Hebræi, ut Abarbenel, proferunt locum, in quo *unum* dicitur de eo, quod plurimas partes habet. Exod. 26: 6. והיה המשכן אחד *& erit tabernaculum unum*, nempe per confibulationem cortinarum.

§. 45. Ergo per vocabulum *unus* non excluditur compositio per se. Quare etiam malè ab Abarbenele dicitur, hoc esse מובן ראשון *primò intellectum* in hac sententia Mosis, quòd sit expers compositionis. Quippe, si Deus compositus esse posset, nihilominus posset *unus* dici. Quin neque ex altero, quòd non sunt plures dii, intelligitur, quoad vim vocabuli, Deum non esse compositum. Ut enim tabernacula non fuère plura, sed unum, licèt compositum, imò *unicum*, quod potius יחיד Hebræis dicitur: ita nec Deus desineret esse unus, si deitas pateretur compositionem.

§. 46. Atque ideò non rectè ex vocabulo *unus* inferunt Hebræi negationem distinctionis *trium, qui sunt unus*; quum eo vocabulo per se ne compositio quidem excludatur. Quam Deus homini ex ipsa natura sua spirituali & ex attributis necessariis æternitatis, immutabilitatis & independentiæ colligendam reliquit.

Non, regnum universale Dei Israelis promittere. Hic comparatur cum Deuteronomio locus Zachar. 14: 9.

§. 47. Plerique illorum solent cum hoc dicto comparare id, quod est Zachar. 14. vers. 9. *Et erit (vel fiet) JHVH rex super totam terram. Eo die erit (vel fiet) JHVH unus & nomen ejus unum.* Apparet, id de regno Dei dici. Eò volunt & Mosen respexisse. Etiam Jacobum filiis suis eandem sententiam proposuisse. Eosque respondisse, *Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus in seculum & sempiternum.*

§. 48. Aben Esra dicit, dictum Zachariæ capiendum esse de cogitatione hominum. Sibi autem videri, optimè expleri, *JHVH erit rex unus, & nomen ejus unum. Nam tunc futurum esse, quod est Zephon. 3: 9. Tunc vertam ad gentes labium clarum, ut omnes nuncupent nomen JHVH. Totum igitur mundum locuturum labio uno, atque ita fore nomen JHVH unum.*

§. 49. Sed, si sufficit sonus vocis, jam & Hebræi & Christiani Deum unum adorant. Vix enim quisquam est, qui non fateatur, se adorare eum, qui se apud Mosen appellavit nomine *JHVH*, & *ADONAI*, & *JAH*. & nulla gens est, quæ non cantet *HALLELUJAH*.

§. 50. Quòd si etiam necessarium est, ut omnes eodem sonò nomen Dei pronuncient, ea ipsa re id impletur.

§. 51. Neque puto, tam iniquos esse Hebræos, ut negent, Deum posse coli, nisi, qui eum colunt, omnes etiam una lingua loquantur. Nam & inter ipsos fuerunt, qui Scripturam Græcè vel Chaldaicè legerent; & sunt etiamnum, qui Hebraicè loqui non possunt. Ideò & vernaculas interpretationes faciunt; ut iis consulant, qui Hebraica non intelligunt.

§. 52. Verùm hoc est superficiem lambere & rem ipsam negligere. Ostendunt ea re Hebræi, se de *nomine Dei* non admodum esse sollicitos. Neque enim, si totus mundus eadem lingua loqueretur, ea re efficeretur, ut nomen JHVH sit unum apud omnes. Loquuntur etiam Christiani quidam Hebraicè, & plures legunt Vet. Test. eadem lingua, qua Hebræi, & dicunt, se id credere: neque tamen nomen Dei apud omnes, Hebræos & Christianos, unum est. Alia enim alii de Deo dicunt & dogmatizant.

§. 53. Qua-

§. 53. Quare dicti Zachariæ alia mens est. Dicit, fore ultimis temporibus, ut *JHVH sit rex super totam terram.* Quo 1. excluditur regnum hominum & omnium non-deorum, atque etiam λεγομένων θεῶν. 2. Ponitur & affirmatur fides totius *οἰκουμένης* in verum Deum. Secundùm illam promissionem: *In tuo semine sibi benedicent omnes familiæ terræ.* Et eò referendum est vaticinium Psal. 86: 9. *Omnes gentes, quas fecisti, venient, & coram facie tua adorabunt, & nomini tuo gloriam dabunt.*

§. 54. Hoc non contentus propheta addit duo. *Illo die erit* יהוה *unus, & nomen ipsius unum.* Hæc duo inter se conjungi & connecti possunt: in hunc sensum: *Illo die* erit, ut *JHVH unus est*, ita & *nomen ejus unum.* Sed possunt & distingui. 1. *JHVH erit unus*, & 2. *nomen ejus* erit *unum.* h. e. JHVH se unum omnibus sine distinctione demonstrabit, &, se non esse mutatum, neque gloriam suam alteri dedisse, ostendet: & non nominabitur alius atque alius, sed unus ab omnibus, ita ut non audiatur JHVH nominatus diverso à diversis nomine, sed uno.

§. 55. Vix est quisquam adeò cæcus, ut non videat, innui hic conciliationem dissidentium, & Jehovam quidem Deum suum nominantium, sed aliud atque aliud nomen ipsi attribuentium, sive aliud atque aliud de ipso dicentium.

§. 56. De ea conciliatione & aggregatione loquitur Michæas c. 4: 6. 7. *Illo die, ait Dominus, aggregabo claudicantem, & propulsam congregabo, & quam malo affeci. Et ponam claudicantem in reliquias & ultra dimotam in gentem numerosam, & regnabit Dominus super eis in monte Sion à nunc & in seculum;* & Zoph. 3: 19. *Ecce ego facio cum omnibus afflictoribus tuis illo tempore, & salvabo claudicantem, & depulsam congregabo, & ponam eos in laudem & in nomen in tota terra pudoris sui*, &c.

§. 57. Eam conciliationem prædicere hic Mosen, minimè credibile est. Neque enim dicit, *Erit unus*, sed *unus est.* Et hoc ponit fundamentum præcepti, quod sequitur.

§. 58. Hac via tamen videmur ad veram sententiam dicti propius accessisse. Nempe *unitas* Dei, qui est יהוה, quæ demonstranda in posterum promittitur, & propter quam *unum est nomen ejus*, sive unum ipsius nomen debet nuncupari, ea, inquam, unitas, hic asseritur. Et, quæ unitas hic asseritur, ea imposterum agnoscenda per Zachariam prædicitur. Non puto autem ullum esse, qui censeat, eam prædictionem impleri, si omnes gentes nominantes eum, qui est יהוה, confiteantur, eum non esse compositum. Hoc enim fateri in cognitione Dei & celebratione nominis ipsius parum est.

Unitas triplex intenta à Mose.

§. 59. Imprimis verò duo sunt, quæ per eam *unitatem* significari possunt. Primùm, quòd legens & audiens verba Prophetarum, in quibus *Deus*, & *Pater*, *Sermo* vel *Angelus Jehovæ*, itemque *Filius Dei*, & *Spiritus Dei* nominantur, quum causa justitiæ & salutis peccatoris assignatur, & divina beneficia ac operationes œconomicæ, quibus salus efficitur, describuntur, non debeat cogitare plures Deos aut divinitatem divisam aut partem divinitatis traditam non-Deo sive creaturæ ac cum ea participatam. Quod ad gloriam Dei non alienandam & ad amorem Dei excitandum facit.

§. 60. Et ad hunc sensum, quem etiam supra §. 31. 32. exposuimus, exhibendum verba Mosis sunt aptissima. Si enim virtutem verborum rectè ac probè ponderemus, hæc illorum vis & emphasis est. Is, 1. qui est, qui non potest se ipse abnegare, qui habet sufficientiam justificandi ac salvandi & obsignandi peccatorem, (Hoc enim primò occurrit peccatori, qui audit *Jehovam* nominari, ut eum amet) nempe *Pater*, 2. qui nos elegit populum suum, qui noster sponsor est & intercessor, *Angelus assertor*, *Angelus Testamenti* ac *fœderis*, qui *constituendus* est *in fœdus populi*, qui *suo sanguine nos redimit*, nempe *Filius*, (cum enim, qui datur in fœdus populi, cogitari necesse est, quando *Deum suum* dici audit peccator; eum, qui se adjurat & ὁμολογίαν à se exigit, ad fœdus secum faciendum) 3. qui nos *sanctificat*, & nobis *donatur*, & fit nobis arrhabo & paracletus, & nos facit filios Dei, (non possumus enim non cogitare de Spiritu implente & consummante, quando iterum post nomen *Deus noster* sive *Adjurator noster*, audimus nomen, quod significat, Deum fieri nobis, quod est per sufficientiam suam, & per fœdus suum) non sunt diversum aut alius atque alius Deus, sed *unum* sunt.

§. 61. Meritò argumentamur ab aptitudine significandi, quæ est in verbis. Nam, quod verba valent, δύνανται, hoc significant. Nam id est *significare*, esse signum & medium aptum ad aliquam cogitationem in legente & audiente efficiendam. Idque tum eo magis obtinet, quando id, quod valent, atque ad quod significandum apta sunt vocabula, non aliunde petitur, quàm ex Scriptura. Maximè verò, quando alius sensus, qui affertur, frivolus est, aut non sufficit intentioni loquentis. Et supra omnia, quando is sensus necessarius est: ita ut sine eo atque eo spreto etiam in aliis sit hallucinandum: quemadmodum, si ignoratur Trium unitas, ignorandum est, quid Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint.

§. 62. Intentio autem Mosis est, adducere Israëlem ad *amorem Jehovæ Dei ipsorum.* Atqui, nisi cognoscatur Dei sufficientia ad hoc, ut fiat Deus, atque adeò *justitia* peccatoris, (quæ sufficientia in eo fundatur, quòd Pater, Sermo, Spiritus unum sunt) non potest Deus homini peccatori fieri amabilis.

§. 63. Neque nullius ponderis debet apud nos esse, quòd, quum Israël primò per Mosen audiverit, *JHVH, Deus noster, JHVH unus* vel *unum;* quod tanquam ænigma potuit videri imperitis & inexercitatis: deinde idem Israël audivit clarioribus verbis, *Ego & Pater unum sumus.* Joh. 10: 30. quod tantundem est, ac si dixisset, Filius Dei, Christus, ac Pater non diversum sed unum sunt: is autem ego sum: &, *Tres sunt, qui testantur in cœlo, Pater, Sermo & Sp. Sanctus; & hi tres unum sunt.* 1 Joh. 5: 7. Quum igitur utrumque audiverit Israël, & ea probè inter se conveniant, & Filius mirabilia opera fecerit, ut fidem faceret huic veritati, & Sp. Sanctus secundùm prophetias in nomine ipsius effusus sit, qui fecit, ut homines indocti mysteria illa loquerentur ad gloriam Dei, & ut gentes amarent Deum Israëlis, eumque secundùm verbum ipsius colere satagerent; & in iis effecit lætitiam filiorum Dei: non potest dubitari, quin hoc ipsum Spiritus Sanctus per Mosen loquens docuerit & significaverit.

§. 64. Nisi putamus, per mendacium & spiritum mendacii gloriam Dei adstrui, regnum Satanæ destrui, & amorem Dei ac deliciationem in eo ut Servatore effici.

§. 65. Nam, quid habent gentes minus, quàm Judæi; nisi quòd non dicunt, se justos posse esse apud Deum suis operibus; quæ fatentur legi divinæ non congruere; secundùm quam si judicandi sint, se sub damnatione esse fatentur: & Deo gloriam justitiæ suæ dant. Qua parte certè non videntur impiæ esse.

§. 66. Quam verò rationem dicent Hebræi, quare, quum verba Mosis ex Christiano sensu, secundùm prædicatum Euangelium, & secundùm id, quod omnis prophetia de Deo, Dei filio, & Sp. Sancto, & de uno Deo loquitur, interpretari possimus; non ea debeamus in illum sensum interpretari? An fortè fieri potest, ut verba Sp. S. aliquo modo sanè intelligi possint, & tamen eum sensum suorum verborum non viderit Sp. S. neque intenderit significare?

§. 67. In veterum Hebræorum libris crebrò legimus, Mosen, quum juberetur scribere, *Elohim*, quod plurale est, &, *Faciamus*, & *Unus ex nobis*, &, *Elohim Kedoschim*, & similia, quæ pluratiya sunt, Deo respondisse, Ea re dari apertionem oris hæreticis & pravè sentientibus de Deo: Deum autem eum jussisse scribere, non obstante, quòd in eo offensuri sint pravi homines. Dicunt etiam, Nullum dictum esse, in quo videatur hæreticis præberi ratio probandæ πολυθεΐας, quin statim remedium afferatur. Nam, quum dicatur, *Faciamus*, statim addi, *Et creavit*, non verò, *& creaverunt.* Verum est; ubique est testimonium unitatis: sed ejus, quæ sit trium. Ut enim pluralis numerus non obstat, quò minùs sit unus; ita singularis non efficit, ut non sint Tres Unum. Ad utrumque attendendum est, & utrumque credendum, non verò alterum tantùm. Quemadmodum peccat, qui solam pluralitatem annotat, ut neget unitatem; ita peccat, qui solam unitatem observat, ut neget tres.

§. 68. Sed quo tandem argumento cogent nos propter id ipsum verbum, quod commodè fert Christianum sensum, & minùs commodè fert sensum Judaicum, Christianum sensum negare & Judaicum asserere?

§. 69. *Secundum*, quod per *unitatem*, quam Moses inculcat, aptè & prudenter intelligi potest, est hoc: ne Israël putet, aut ullus alius, quòd Creator omnium se vocavit יהוה *JHVH*, & promisit, se fore Abrahamo & semini ipsius *Deum*, seque Deum Israëlis nominavit, & tandem maximo effectu se præstat talem, qualis est, sive sufficientiam & divitias suas effundit, id mutationem & varietatem aliquam admittere: quasi aliter sit Deus Abrahami, aliter Israëlis, aliter gentium: nempe ut non sit omnium, quorum Deus est, Salvator, Justitia, Sanctificator; & alio modo salvet & sibi adjungat hos, alio illos.

§. 70. Hoc ex unitate Dei efficit Paulus Rom. 3: 30. *Siquidem unus est Deus, qui justificabit circumcisionem*, eam quæ est *ex fide, & præputium per fidem.* & 1 Tim. 2: 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Eam in eo, quòd Deus est peccatoris, immutabilitatem, notat & Malach. c. 3: 6. *Nam ego JHVH, non sum factus alius.*

§. 71. Hanc unitatem Dei Judæi non observant. Dicunt enim, Judæos vitam & hæreditatem accipere ex observatione præceptorum suorum, eamque esse justitiam suam: gentes autem justificari ex observatione præceptorum filiis Noachi. iidem negare non possunt, Abrahamum justificatum esse sine circumcisione & reliquis præceptis. Faciunt igitur *Deum* in eo, quòd Deus peccatoris est, *varium;* & consequenter etiam *nomen* ipsius *varium & non unum* faciunt. Nam gentes eum nominabunt alium, ut auctorem spei suæ, alium Israël, alium patres.

§. 72. Cum hoc etiam *tertium* facilè intelligitur ex verbis Mosis, quod ad priora consequitur, & ad amorem Dei facit quàm maximè: quod *JHVH* illis, qui ipsum diligunt, unus est, & in

in æternum manet ipsorum Deus. Adeò ut jam nihil in Deo desiderari & optari possit, ut ipsum amemus ex toto corde, quod in ipso non sit.

§. 73. Id Malachias innuit exemplo: *Et vos, filii Israel, non estis consumti.* Quippe *sine pœnitudine sunt dona gratiæ & vocatio Dei.* Rom. 11: 29. Ideò & Israëlem non rejecit, quia promisit, se ei Deum fore.

Testimonium pro unitate ex Deuter. 32: 39. cum quo comparatur locus Esai. 45: 21.

§. 74. Ex his igitur judicari potest, utri veriùs & pleniùs credant testimonio Mosis de unitate Dei, Judæi an Christiani. Et, ut hoc patescat, usui erit secundum testimonium, quod ponit Judaica responsio ex Deuter. 32: 39.

§. 75. In eo carmine Moses conjurat cœlum & terram, ut *dent magnitudinem Deo Israëlis.* Quod quid aliud est, quàm ut ei, qui Israëli se patefacit ad *fœdus* cum eo faciendum, ex quo justus sit, tribuat divinam magnitudinem? imò, ut ei, quem Deum suum nominat, tribuat veram magnitudinem & gloriam nominis ejus?

§. 76. Porrò in maxima parte illius carminis Israël damnatur stultitiæ & ingratitudinis; quòd scilicet Deum suum non agnoverit; imò quod *Rupem salutis profanè tractavit.*

§. 77. Atque etiam sententia in Israëlem pronunciatur, quòd Deus ei sit ægrè facturus per non-populum, & faciem ab ipsis occultaturus. Putabimusne igitur, ex eo carmine Judæos, qui in hoc judicio constituti sunt, probaturos, se Deum agnoscere, ex quo convincuntur Deum non cognoscere?

§. 78. Et, quod quidem *unitatem* Dei attinet, de ea loquitur expressè vers. 12. *JHVH solus eum ducebat & non erat cum ipso Deus peregrinus.* Deinde vers. 27. *Ne alienent hostes ipsorum, ne dicant, Manus nostra elata est, & Non-Jehovah egit omne hoc.* q. d. ejus, quod factum est, gloria, & gratiarum actio pro ullo beneficio debetur ei, qui non est Jehovah, saltem ex aliqua parte. & vers. 39. *Videte nunc, quòd ego ego sum, & non est Deus mecum.*

§. 79 Præcipuum, quod Israëli in his commendatur, est unitas ejus, qui ipsos duxit in deserto & in terram, & factus est ipsis Rupes salutis. nempe, ne putarent, Deum esse quid aliud ab ipso, quomodocunque id nominari possit; aut, quæ ipse fecisset, ea esse facta non Dei, non Jehovæ; aut, ullam esse divinitatem, potentiam, justitiam ac salutem extra se: aut גאלה *assertionem* Israëlis futuram esse per eum, qui eos non eduxit ex Ægypto aut duxit in deserto.

§. 80. Hanc mentem esse Mosis, si ex ipso Mose intelligi non potest, intelligetur ex Esaiæ c. 45: 21-25. *Quis fecit ea audiri ab antè? pridem id indicavit? Nonne ego Jehovah, præter quem non est Deus. Deus justus & salvans non est præter me. Respicite ad me & salvamini, omnes termini terræ. Nam ego sum Deus* potens, *& non est præterea. Per me juravi, exivit ex ore meo justitia, verbum, quod non revertetur: Mihi se flectet omne genu, jurabit omnis lingua. Tantum in Jehovah (de me dixit) justitia & robur; ad eum accedet* quisque, *& pudefient omnes, qui excandescunt contra ipsum: in Jehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israelis.* Manifesta est doctrina. 1. In quo justificatur Israël, in eo etiam gloriari. 2. Justitiam Israëlis non esse propriam justitiam Israëlis: atque adeò Israëlem non justificari aut *vivere in factis suis.* Neque porrò posse gloriari in semetipso. 3. Israëlem *justificari in Jehovah*, & quidem *tantum in Jehovah*, h. c. in eo solo & non extra eum habere jus ad petendam atque expectandam vitam æternam. Ideoque etiam in eo *tantùm gloriari.* 4. Eam justitiam esse *omnis seminis Israel*, h. c. non tantùm eorum, qui carnem & sanguinem trahunt ex Israële, sed etiam, qui sunt de *familiis terræ*, quæ *sibi benedicunt in ipso.* Nam & hi sunt *semen* quoddam *Israelis.* 5. Omnium igitur, tum circumcisionis tum præputii, eandem justificationem & gloriationem esse. 6. Id aliquando prædicaturum Jehovam. 7. Et quidem in contradictione prædicaturum. Atque 8. ad contradictionem compescendam, provocaturum ad dictum Jehovæ, quod *de se dictum asserturus sit.* perinde atque est Psalm. 40: 8. *Ecce veni, de quo in volumine libri scriptum est.* Atque ita Jehovam, tanquam missum, ea prædicaturum in nomine Jehovæ mittentis. h. c. Filium in nomine Patris; *Angelum Vindicem* (qui sæpe *Jehovah* appellatur) in nomine *Jehovæ.* Qualis sermo est & Zachar. 2: 8. 9. 10. 11. vel. 12. 13. 14. 15. *Sic dixit JHVH* Deus *exercituum: Post gloriam*, h. c. ad magnam multitudinem adducendam *misit me ad gentes, quæ vos spoliant. Nam, qui tangit vos, tangit pupillam oculi ipsius. Nam ecce ego vibro manum meam contra eas, & erunt spolium servis suis, & cognoscetis, quod JHVH* Deus *exercituum miserit me. Canta & lætare, filia Sionis; quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, ait JHVH & adjungentur gentes multæ Jehovæ illo die; & fient mihi populus, & habitabo in medio tui, & cognosces, quod JHVH* Deus *exercituum miserit me ad te*, &c. Is, cujus est populus, quique appellatur *JHVH*, & promittit *se venturum, ut habites in medio ejus*, dicit, cognitum iri, quum venerit, se missum à Jehovah.

§. 81. Nec tamen destituimur ipsius Mosis expositione. Quemadmodum intelligendum est, Judæos Deum *irritasse* per *non-Deum*, vers. 12. *& sacrificasse dæmoniis, non-Deo, diis, quos non cognoverant; novis, qui de propinquo venerant, quos patres eorum non metuerant:* ita intelligendum est, tandem cognitum iri, quòd *ipse sit, & non sit Deus cum ipso.* Nempe, quum cognoscetur, Judæos non-Deo sacrificasse, cognoscetur, eum, quem rejecerunt, esse *solum verum Deum.* Si igitur *Solus verus* & promissa vera faciens *Deus* est *Pater*, qui, ut solus potuit dare Filium mediatorem, & Spiritum Sanctum arrhabonem & paracletum; ita *Filium misit*, qui est *Jesus Christus*; & *Spiritum Sanctum effudit*, qua effusione ipsum *Christum fecit*, Johan. 17. vers. 3. Actor. 2. vers. 36. atque eum Judæi non cognoverunt, sed abnegarunt: clarum est utique, eos non sacrificasse Deo, qui est *rupes salutis*, sed dæmoniis & diis novis. Quod & Amos dicit de patribus in deserto, quòd Deo non obtulerint sacrificia, sed tentorium Moloch portaverint. Amos. 5: 26. & Hos. cap. 2: 1. 3. vel 4. 7. de Judæis recalcitrantibus Euangelio clarè explicat. Nam, quo tempore illis, quibus dictum erat, *Non populus meus estis vos*, dicendum erat, *Filii Dei vivi*, (quæ est annunciatio Euangelii) quum *fratres* appellandi erant, *Ammi, popule mi, & sorores Ruchámah, Dilecta est:* eo tempore dicitur, *matrem ipsorum scortari, & amasios suos sectari, & illis imputare, quòd auro, argento, vino, oleo, frumento, &c. abundaret.* Et eam quidem non assecuturam amasios suos, Deo intersepiente viam ejus; & tum eam cogitaturam de reditu ad maritum priorem: sed ne tum quidem cognituram eum, qui ipsi dederat aurum, argentum, panem, &c. vers. 7. vel 10. Ideò Deum illa omnia ablaturum, & festa illius & Sabbata aboliturum, &c. Quæ Judæis evenisse videmus. Quod certum argumentum est, eos Deum verum non cognoscere.

§. 82. Id vel ex eo est evidens, quòd Judæi de *justitia Dei* (de qua Deus gloriatur contra omnes Deos) non rectè sentiunt, sed similiter de cultu Dei & justitia sua sentiunt atque ceteræ gentes, quæ idola adorarunt.

§. 83. Gentes putarunt, Deum in templis manu factis, in signis habitare. Putant & Judæi. Gentes putant, Deum coli sanguine bestiarum, & eo expiari peccata; putant & Judæi. Gentes putant, solam justitiam esse, omittere scelera & bona facere: putant & Judæi. Justitiam Dei irrident utrique.

§. 84. Etiam Esaias testatur cap. 66. Judæos viis Dei non delectari, sed eligere ea, quæ Deus odio habet. atque ex eo sequi, ut audiatur vox à templo, vox ab urbe. Talia sexcenta de illis prædicta sunt; contra quæ illi se obfirmant.

§. 85. Tum igitur, quando Angelus assertor (quare enim non ei attribuemus sanationem & vivificationem populi sui, qui Patres salvavit, & Israëlem portavit omnibus diebus?) *occisos vivificabit, vulneratos sanabit* (h. e. Ecclesiam suam afflictam recreabit) & hostes suos apprehendet, iique à nemine eripientur ex manu ipsius; cognoscetur verus Deus, præter quem non est alius, qui est in Filio, & in quo est Filius; qui in Filio factus est Abrahamo & semini ejus in Deum.

§. 86. Si aliter se res haberet, nempe ut Judæi existimant, sensus Mosis esset, cognitum iri tum, quòd Deus esset incompositus, (quod nemo negat) una persona, (quod & Turcæ opinantur & sapientiores gentium) &, quòd salus hominis sit in manu arbitrii sui & justitia in factis suis; atque ita, præter Deum salvantem & sanantem, vires hominis sint Deus ipsius. Hab. 1. vers. 11. Quod quàm planè non conveniat cum verbis Dei apud Mosen, in propatulo est.

Testimonium pro unitate ex Es. 43: 9.

§. 87. Accedamus jam ad testimonium Esaiæ cap. 43. vers. 9. Velim autem eum locum legi paulò plenius. Non enim convenit vellicare Scripturas, sed plenas eas proponere, & ex analogia uniuscujusque loci sensum ostendere. Igitur sic loquitur apud Esaiam *Deus Israëlis salvator ejus. cap. 43: 5-13. Ne timeas. Nam ego tecum* sum: *ab ortu adducam semen tuum, & ab occasu colligam te. Dicam Aquiloni, da, & meridiei, ne coerce; adduc filios meos à longè & filias meas à fine terræ: omnem, qui nominatur de nomine meo; & ad gloriam meam creavi eum, formavi eum, etiam feci eum. Educendo* educam *populum cæcum*, qui *oculos habet, & surdos, qui aures habent. Omnes gentes congregatæ sunt una, & congregentur nationes. Quis inter eas indicat hoc? & priora faciant nos audire: dent testes suos & justi sunt, & audiant* testes, *& dicant, verum est. Vos estis testes mei, dicit Jehovah, & Servus meus, quem elegi; ut cognoscatis & credatis mihi, & animadvertatis, quòd ego ille, ante me non formatus est Deus & post me non existet. Ego, ego Jehovah, & non est præter me salvans. Ego indicavi, & salvavi, & feci audiri, & non est in vobis alius. Vos autem estis testes mei, ait Jehovah, & ego sum Deus* omnipotens. *Etiam à die ego ille* sum, *& non est, qui eripiat ex manu mea: molior, & quis id avertet?*

§. 88. Non disputabo hîc, ad quam partem temporis pertineat ea prophetia. Sufficit generalior ejus intellectus. Deus Israë-

Israëlis loquitur. Sed is se nominat *Goël vindicem* ejus. vers. 14. Non potest autem peccatoris גְּאֻלָּה *vindicatio* fieri nisi à fratre. Et mentionem facit *servi sui, quem elegit.* sine dubio ejus, quem *posuit in fœdus populi, in lucem gentium; ut sit salus sua usque ad fines terræ.* ut est cap. 49:6. hoc est, Christi. Eum *testem suum* appellat. nempe quòd ipse solus sit verus Deus, qui filios & filias ex omnibus partibus mundi adduxerit. Quique id solus ante significaverit, & salutem præstiterit, & eam prædicari fecerit.

§. 89. Unde nobis tale argumentum suggeritur, ad cognoscendum verum Deum. Qui solus antè significavit, se missurum Filium suum in forma *servi*, ad *salvandum* Israëlem; idque per גאולה & vindicationem à nexu legis impuros declarantis; ad *sanctificandum* ipsos; ideoque per כַּפָּרָה sive expiationem peccati; & positurum eum in fœdus populi & lucem gentium: quique *Servum suum, quem eligit* (nempe Sacerdotem & Regem & Prophetam verba sua loquentem) misit *testem* omnium illorum: is solus est verus Deus, & ipse, in Servo suo, est Salvator & Vindex; neque ullus ante ipsum fuit, vel post ipsum formatus est Deus. Qui autem non habet Filium, quem dare possit, nec Servum, quem eligere possit ad illa munia, & cui illam gloriam dare possit, in quo scilicet ipse non sit, & qui non sit unum cum ipso: qui non salvat per גאלה & כפרה: is non est Deus. Et, qui talem Deum colit, colit non-Deum. Salvator non est nisi Deus. *Vindex* non est, nisi *Sanctus Israëlis*. Israël non habet Deum nuperum, aut formatum factumque; qualem hæretici fingunt. Neque habet Deum non Salvatorem, non Vindicem; non Sanctificatorem. Neque Salvator Israëlis est non-Deus. Qui nuper factus formatusque est, non est Salvator Israëlis, non Sacerdos offerens victimam pro peccatis, non Rex & Dominus. Unus est Servus Domini, quem elegit, testis nominis Dei tum verbis, tum facto; & imprimis patiendo pro peccatis Ecclesiæ, & effundendo Spiritum suum. In hujus officium nemo succedit. Hujus veritatis *testes* sunt, qui credunt. Ipsi enim norunt & sentiunt, se à Deo amatos, & Servo suo electo datos salvandos. Nam ab illo Spiritum Dei acceperunt. Quippe qui amant Deum, verbo ipsius, quo ipse antè rem futuram significavit & salutem factam annunciavit, ad amandum ipsum adducti. Unde intelligunt, se esse *filios & filias Dei: à Deo ad gloriam suam creatos, formatos, factos.* Illos autem, qui *populus* vocantur, & hæc non vident, neque audita credunt, sed circa hæc visa & audita stupent, aut etiam loquuntur, quod Deus non est antè locutus, quodque non est à Deo nunciatum, quod à quoquam antea dictum non possunt probare veris testibus: eos norunt esse cæcos & surdos, & ejici extra regni Dei pomœria. Hæc sunt, quæ Esaias docet in illo loco. Quæ non magis juvant causam Judæorum, quàm hæreticorum & Antichristi.

§. 90. Porrò, quum illud fiet, quod Zacharias cap. 14:9. prophetat; ut sit *Jehovah rex super totam terram*, sine dubio Christus sive Messias erit rex super totam terram: & tamen non alius erit rex super totam terram, quàm Jehovah. Judæis dicit: *Dominus pro Deo agnoscetur per universum terrarum orbem.* Quod magis alludit ad locum Esai. 54:5. *Et vindex tuus Sanctus Israël Deus totius terræ vocabitur.* Quod non potest non intelligi de *Angelo Vindice Israëlis.*

§. 91. Quod autem Zacharias dicit, id, ut jam antè dictum est, significat, abolitum iri regnum hominum in populum Dei, quod illi per audaciam & superbiam sibi arrogant. Et tum dicit *Jehovam fore unum*, h. e. eundem omnibus gentibus sine discrimine, h. e. pulsantem omnium fores, & ingressurum ad aperientes sibi & cum ipsis cœnaturum, ut & eos cum ipso. Quod ex opposito intelligi potest. Quamdiu Israël fuit populus Dei peculiaris, & gentes neglexit, non fuit omnibus idem. Voluit enim Israëlitarum Deus audire, non gentium. Quas reliquit ἀθέους. Ephes. 2:12. Neque nunc, postquam salus facta est, omninò nullum est discrimen. Nam à Judæis faciem suam occultat. Deuter. 32:20. Et in multis gentium regnat defectio. Quibus immittit efficaciam seductionis, ut credant mendacio. Tunc autem omnibus idem erit, quum *plenitudo gentium intrabit, & totus Israël salvabitur*; quando *utrorumque* & Judæorum & gentium *miserebitur*. Rom. 11:25.26.30.31.32.

§. 92. Tunc igitur *& nomen ejus unum erit.* h. e. non nominabitur sive dicetur alius & alius. Quemadmodum hucusque fit. Alium enim prædicant & nominant Jehovam Judæi, alium hæretici, alium, qui à lege justitiæ ad ἀνομίαν defecerunt, alium, qui credunt Euangelio.

§. 93. *Quemadmodum igitur Jehovah unus est, ita unum erit nomen ejus*, sive non aliud atque aliud de ipso prædicabitur, sed idem apud omnes sonabit Euangelium. Atque ita Jehovah, qui est מוּסָר לְכֻל *argumentum correptionis & reprehensionis mutuæ omnibus*, ut est Hos. 5:2. & σημεῖον ἀντιλεγόμενον, Luc. 2. vers. 34. fiet נס *signum, quod gentes requirent*, Esai. 11:10. *& omnis iniquitas claudet os suum.* Psal. 107:42. Matth. 24:14. *& prædicabitur Euangelium regni in tota habitabili.* Nempe prædicabitur 1. Deus justus & justificans eum, qui est ex fide Christi Jesu. Rom. 3:26. 2. Prædicabitur solus Deus rex in Filio suo, qui est unum cum Patre: ut dicant, quod est Esai. 33:22. *Jehovah est judex noster, Jehovah legislator noster, Jehovah rex noster: ille salvabit nos.*

Judaicæ Responsionis conclusio ex testimoniis.
Nomen Dei unum.

§. 94. Judæus Respondens ex testimonis positis sic concludit. *Perinde ac si diceret, unus erit essentia & unus nomine.* Nemo nostrûm non fatetur, Deum esse unum essentia. Quin etiam *unum nomine. Nomen* enim *unum* est, quod de Deo dicitur. Id nomen est Pater, Filius & Sp. Sanctus, qui sunt unum. Jehovah, Jehovah, Deus misericors & gratiosus, &c. Exod. 34. Non pugnat cum unitate nominis Dei distinctio personarum. Nam, quia Dei Israëlis *nomen est Jehovah*, ideò *vocavit servum suum electum suum cum justitia; & gloriam suam alii non dat, nec gloriationem suam sculptilibus.* Esai. 42:1.6.8. Si nomen Dei est *Pater*, & nomen ejus non est *non-Pater; & Spiritum suum dans*; non autem, Spiritum, quem det, non habens: necessariò nomen ipsius est Pater & Filius & Sp. Sanctus. Et, nominato horum trium unoquolibet, nominantur tres.

§. 95. Sciendum autem est, nomen Dei vocari, quicquid de Deo dictum est in verbo Dei, quo distinguitur ab omnibus diis. Hoc unum est. 1. Quia hoc nomen mutari non potest. 2. Quia in uno vocabulo, vers. 9. יהוה *Jehovah*, continetur radicaliter, quicquid de Deo dicitur. Fit autem unum, quando ubique prædicatur, & non prædicatur aliud nomen.

Judæi nomen Dei varium faciunt & non-Deo attribuunt.

§. 96. Sed velim scire, quomodo Judæi defendant, se unum nomen Deo tribuere, hoc est, non attribuere divinitatem diversis; qui & Jehovam vocant justitiam suam, & Christum. Dicunt enim מָשִׁיחַ צִדְקֵנוּ *Christus justitia nostra* (hactenus bene) & Christum dicunt esse non-Jehovam: quum tamen Scriptura dicat, *Jehovah justitia nostra*, Jer. 23:6. &, *Tantum in Jehovah justitia & robur.* Esai. 45:24.

Pergit Judaica Responsio.

Hæc simplicissima Dei unitas demonstratur quoque manifestis rationibus, quarum etsi multæ sint numero, tres tantum adferemus.

I. *Si in divina essentia diversitas personarum existeret, suppositum aliquod esse oporteret quod eas distingueret, idque necessariò in una persona reperiri deberet in alia non. Jam alterutrum necessarium est, ut suppositum hoc perfectionem in se habeat vel imperfectionem. Si perfectionem, tum personæ quæ illo carent sunt imperfectæ. Si imperfectionem, ea ubi reperitur imperfecta est persona. Verùm in Deo nulla potest esse imperfectio. Ergo nec diversitas personarum.*

§. 97. A ratione argumentantur Judæi contra Testimonium Dei de semetipso. Antequam de illis argumentis dicamus, duo monebimus.

Judæi nihil probant per testimonia.

§. 98. I. Quæ superiùs posita sunt testimonia, ea non dicere id, quod Judæi pertendunt. Pertendunt enim, non posse dici, *Tres, qui sunt in cælo, sunt unum.* Atqui proferunt tantùm testimonia, quibus dicitur, *Jehovam esse unum*, & *nomen ejus unum.* Hoc non est testimonio probare thesin, quæ proponitur. Nam, si sic dicant: Qui dicitur in scripturis unus, & cujus nomen dicitur unum, is non est Pater, Filius & Sp. Sanctus: id argumentum jam non est ex Scriptura desumtum, sed à rationis, quod illi fingunt, dictamine. Quare imponunt nobis & nos decipiunt, pollicentes testimonia Scripturarum ad hoc probandum, quod ponitur; quum non hoc probent, sed aliud, quod non est in controversia.

Quomodo in divinis utendum ratione?

§. 99. II. Quum in divinis utimur ratione, valdè cautè esse agendum. Est aliquid γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *cognitum* aut *cognoscibile Dei*, nempe *æterna ipsius potentia & divinitas*. A γνωστῷ, vel ab eo, quod est γνωστόν, licet argumentari. Sed de eo, quod est μυστήριον, non licet nobis dicere & cogitare, nisi quod Deus per revelationem suam & verbum nobis, ut diceremus & cogitaremus, præivit. Esse autem in Deo aliquod μυστήριον & altius humana cogitatione & comprehensione, etiam est γνωστόν. Nam in θειότητι, quam naturaliter cognoscimus, continetur etiam Dei altitudo & majestas, & quòd, ut Apostolus dicit, *habitet lucem inaccessam:* neque sit similis ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου. 1 Tim. 6: 16. Actor. 17: 29. Quò pertinet dictum Dei apud Esaiam cap. 40: 18. *Cui assimilabitis Deum omnipotentem? & quæ est similitudo, quam ei æquiparabitis?* & rursus vers. 25. *Et cui assimilabitis me, & æqualis ero? dicit Sanctus:* hoc est, qui ab omni & impuritate & vilitate secretus est. An id tantùm ad figuram pertinere putabimus; non etiam ad omnem conceptum, quem homo potest formare? Nam, quid homo intelligit, nisi imperfectum? Imò quid intelligit; qui ne id quidem, quod imperfectum est, intelligit, quemadmodum id in se est?

§. 100. Quare, si quid Deus nobis de se revelat vocibus nostris, id semper ita accipiendum est, ut Deo supereminentiam tribuamus & illum modum, qui supereminentiæ ejus convenit.

§. 101. Dicit Deus, *Unus sum*. Affirmanda est unitas essentiæ & potentiæ & voluntatis: sed non propterea ipsa Dei essentia ad modulos nostros exigenda est. Nominat Deus se Patrem, Filium & Sp. Sanct. Credendi sunt tres: sed non, ut unitas essentiæ, potentiæ, voluntatis scindatur.

§. 102. Tota autem ratiocinatio, quæ huic mysterio opponitur, in eo fundamento collocatur: Si homo nihil simile videat in se & aliis rebus creatis, de Deo non esse credendum, quod is de se revelat aut saltem revelare videtur; sed potiùs Scripturas esse torquendas. Quæ argumentatio hoc principio nititur, Esse aliquid & ab homine cognosci, cum quo Deus possit aut etiam debeat comparari.

Prima ratio Judaica ab imperfectione.

§. 103. Sed ad rem. Prima ratio opposita τῇ ἐν ἑνότητι τριάδι sumitur ab eo, quod in Deo nulla possit esse imperfectio. Fatemur. Et ideò credimus, Deum esse Patrem, Filium & Sp. Sanct. Si enim non esset, quomodo gloriaretur supra omnes Deos, se esse justificatorem & justitiam peccatoris? Ita destitueretur illa laude gloriæ gratiæ suæ, quæ est in Christo. Ita non posset esse Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi; quia non posset esse Deus peccatoris.

§. 104. At quomodo probat Judæus Respondens in Deo imperfectionem, si sint *tres personæ distinctæ?* non enim *diversas* dicimus. Hoc enim significat personas, quæ non sunt unum. Igitur id ita probat. Quælibet persona habebit distinctum suppositum. Eo carebit alia. Igitur imperfecta erit. Resp. 1. In iis, quæ & distincta & diversa sunt, non valet, quòd non habere, quod alteri adest, sit imperfectio. Oculus habet, quod auris non habet: & vice versa. Et tamen oculus est perfectus oculus, auris perfecta auris. Anima non habet, quod corpus habet: & tamen utrumque in suo genere perfectum est. 2. Esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum, & esse unum est perfectio unius Dei. Gloria divina est Patrem esse & vocari; sed non sine Filio: Gloria est esse & vocari Filium; & non sine Patre: & utrumque non sine Spiritu utriusque. Gloria est esse Spiritum Patris & Filii. Si non esset gloria Filium esse, non esset gloria esse Patrem: quia non esset gloria naturaliter habere quid inglorium. Filium esse à Patre, est gloria & Patris & Filii. Ita Patrem à nullo esse & generare Filium & Patris & Filii gloria est. Spiritum divinum habere est gloria, & non minùs Spiritum Dei esse est gloria. Nisi Spiritum gloriæ velimus dicere inglorium. Esai. 42: 8. Deus gloriam Servi sui, quem elegit, quem vocavit cum justitia, suam dicit, & nominis sui demonstrationem, & propriam gloriationem. Quum igitur in distinctione ἰδιοτήτων non reperiatur minoritas aut dependentia, aut imperfectio; frustra objicitur, consequi ex τριάδι imperfectionem. 3. Non Vident Judæi, se hoc argumento tollere Deum Israelis. Nam is testatus est, se habere Spiritum, quem mittat; cui tribuitur & voluntas divina & potentia & operatio. Dicamus: esse Spiritum significat perfectionem, & sic Deus, cujus Spiritus est, erit imperfectus? Atqui perfectio ejus est habere Spiritum. Vel, Deus, qui habet Spiritum, perfectus est, Ergo Spiritum esse significat imperfectionem. Atqui, qui habet Spiritum, quia habet Spiritum, perfectus est. Non est igitur imperfectio, Spiritum esse. Si licet de his balbutire, dicamus: Esse has perfectiones relatas, quæ necessariò ponunt correlatas.

Pergit Responsio.

II. ***Aut quælibet Personarum quas in essentia divina esse asserunt, habet omnipotentiam ex se ipsa, ita ut non indigeat aliarum auxilio, aut non potest omnia absque aliarum auxilio & opera. Si primum statuas, nempe quod quælibet persona sit omnipotens, jam duæ aliæ personæ non necessariæ sunt & supervacuæ. Si secundum, quod quælibet persona auxilio aliarum indigeat, inde sequitur nullam istarum ex sese infinitam & omnipotentem esse, cum tamen divina essentia non possit esse supervacua: sed re ipsa infinita ac omnipotens esse debeat. Non ergo est in ea diversitas personarum.***

Secunda ratio Judaica ab omnipotentia.

§. 105. Secunda ratio inde ducitur, quòd duæ personæ sint supervacuæ, si una persona est omnipotens. R. Et Pater est omnipotens, & Filius, & Spiritus. Pater, quemadmodum habet vitam in se, ita dedit Filio habere vitam in se: per generationem æternam. Naturaliter enim habet Filius eandem vitam & potentiam, quam Pater. Pater non est potens, nec volens sine Filio & Spiritu: quia neque sine illo & Spiritu est. Neque tamen *indiget auxilio*. Hoc enim est eorum, qui non sunt unum & non habent eandem potentiam & voluntatem. Quando apud Esaiam cap. 50: 9. Filius dicit: *Ecce Dominus Jehovah auxiliatur mihi;* id quidem intelligi potest de humana natura. Potest tamen etiam ita intelligi, Ego potentiâ Patris mei, quæ & mea est, exaltatus justificabor. Tale *auxilium* non importat indigentiam, sed naturalem unitatem. Propter quam sibi potentiam & opera Patris vindicat vers. 2. 3. *An abbreviata est manus mea præ ut redemtionem* præstet? &c. Ita, quando Christus dicit, Joh. 5: 19. *Non potest Filius à se ipso facere quicquam, nisi quid viderit Patrem facientem. Quæ enim ille facit, hæc etiam Filius similiter facit.* Id non est impotentiæ aut indigentiæ; sed unitatis & æqualitatis. Negat, Filium quicquam posse facere à semetipso, h. e. non per potentiam Patris aut non voluntate Patris: quia unum est cum Patre. Ait, Filium videre omnia, quæ facit Pater, hoc est, conscium esse omnium decretorum Patris. Quippe qui vivit & est in Patre, & videt Patrem: quia unum est cum Patre. Ait, Filium facere ea, quæ facit Pater, sive esse communia Patris & Filii opera. Ait, Filium similiter ea facere, h. e. eadem potentia, eadem voluntate, eadem vita, quam habet in se.

§. 106. Neque ea verba accipienda sunt magis ut testimonium, quàm ut demonstratio. Utrumque est. Fides ei debetur, ut testi fideli à Deo misso; qui venit in nomine Patris, & facit opera Filii Dei. Ita est testimonium. Est & demonstratio. Nam eo ipso, quòd Christus *Filius* est (nominatur enim in Scriptura Filius, & quidem ἴδιος) hæc ei conveniunt. Est enim υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει *Filius Dei in potentia*. Et secundùm aliud est *Filius Dei*, quàm secundùm quod est *Filius Davidis*. Et Deus ei gloriam dat. Filius, cui Deus gloriam dat, à Patre est, & vitam in se habet, & nihil à se facere potest, sed videt, quid Pater faciat, & facit ea, quæ Pater facit, & ea similiter facit. Quæ confirmantur in sequentibus. Sed de his alio loco.

III. ***Quicquid actu est infinitum ei nequit dari mensura qua mensurari possit. Deus est actu infinitus. Nequit ergo ei dari mensura quâ mensuretur. At si diversæ essent personæ in essentia divina, jam una esset mensura aliarum, & sic nulla earum esset infinita.***

Tertia ratio Judaica ab infinitate.

§. 107. Tertia ratio inde ducitur, quòd Deus sit immensurabilis. At verò persona una alterius sit mensura. Respondeo. Persona personæ non est mensura, quia Tres unum sunt. Quæ se invicem mensurant, ea non sunt unum. ἰσότης *æqualitas* (ut Patris & Filii) non significat æqualem mensuram, sed eandem *magnitudinem* (ita Moses Deut. 32: 3. 4. *Date magnitudinem Deo nostro: petræ.*) nempe divinam; & gloriam ac nomen supra

pra omne nomen. Quòd nempe paria & non minora de Filio credit & prædicat Ecclesia fidelium, & Deus ei attribuit.

§. 108. Si Judæus per mensurationem intelligit terminationem, quod necessariò una persona alteram excludat loco, quem ipsa occupat: videat, quàm dignum Deo sit, eum loco commensurare, & infinitatem in extensione constituere.

§. 109. Deinde, quia Tres unum sunt, Pater est in Filio & Filius in Patre, non extra Patrem. Non igitur cogimur admittere eam consequentiam: *Si distincta sint persona in essentia divina, jam una esset mensura alterius.* Sufficit, quia *Tres sunt unum*, Ergo Filius non est minor Patre. Et hæc est *magnitudo*, quæ *rupi salutis danda* est Deut. 32. Psal. 95.

CAPUT IV.

An fides in Christum sit necessaria ad remissionem peccatorum?

QUÆSTIO II.

An fides servatoris Messiæ Judæis semper fuerit necessaria ad gratiam & remissionem peccatorum adipiscendam?

***Vocabulum** fidei de quo hic quæritur distinctione opus habet. Nam si per hoc intelligitur fides quam in Deum habere oportet, hanc Judæi neque collocaverunt neque collocabunt unquam in Messiam. Fides enim hujusmodi soli Deo debetur, non homini futuro Messiæ. Si verò intelligitur de fide & certa spe quâ credi debet venturus ad liberandum populum Israëliticum, Judæi semper obligantur & obligati fuerunt hanc fidem habere, & censere pro articulo fidei & legis suæ; adeò ut eum qui non credit Deum missurum Messiam, ad liberandum populum Judaicum è servitute, eósque in terram suam colligendum, statuamus alienum à rep. Israëlis & à spe salutis exclusum.*

§. 1. DUo in hac responsione. 1. Israëlem nec credere in Christum, nec crediturum in Christum. II. Israëlem credere de Christo, quòd is venturus sit. Unum hic nobis agendum: Necesse esse ad salutem, ut credamus in Christum. Nam de eo, quod dicit Respondens, credere Israëlem, quòd Christus venturus sit, & quòd venturus sit *ad liberandum Israelem è servitute*, infra agendum erit ad Qu. 5.

§. 2. Nunc igitur id tantùm in considerationem veniet, An Scriptura prophetica Israëli injungat fidem in Christum, sive in Filium Dei?

Explicatio phraseos credere in aliquem.

§. 3. Ne hic hæreamus in ambiguo, sciendum est, quòd Scripturæ ea phrasis sit, ut latè utatur hoc verbo *credere in aliquem*. Id enim in genere notat *confidere*, πεποιθέναι. Ita *testi credimus*, quia *in testem credimus*, h. e. quia ipsi confidimus de virtute sive veracitate & prudentia sive certa scientia, quam habeat de re, de qua testatur. Dicitur 1 Sam. 27: 12. *Et credidit Achis in Davidem.* h. e. cœpit de eo habere bonam opinionem, & non dubitavit de fide ejus. Item Exod. 14: 31. *Et crediderunt in Dominum & in Mosen servum ejus.* h. e. commiserunt se fidei Dei & Mosis, pro tempore. ut patet ex Psal. 78: 22. *Nam non crediderunt in Deum, & non confisi sunt in salute ejus* & 32. *Non crediderunt in mirabilia ejus*, h. e. non habuerunt fiduciam propter mirabilia Dei. Exod. 19: 9. *Ecce ego veniam ad te in nube opaca, ut audiat populus, me loquente tecum, & etiam in te credant in seculum.* h. e. non dubitent recipere verba tua tanquam servi mei fidelis in tota domo mea.

§. 4. Nescio, an dubitent Judæi, Christo sive Messiæ credendum fore, quum venerit, quemadmodum Mosi creditum fuit. Neque enim puto, illos se facile posse explicare; quum negent, Christum quicquam dicturum vel docturum, nisi quod Moses dixerit aut docuerit: an scil. etiam Christus aliquid sit dicturus, quod antè non fuit auditum ita apertè, etiamsi in ænigmate fuerit dictum. Credunt enim, Christum perinde omnia imperaturum, quæ imperavit Moses.

§. 5. Nos sanè etiam statuimus, Christi doctrinam habere testimonium in sermonibus Mosis; sed tamen & non imperaturum fuisse illa omnia, quæ imperavit Moses, & quædam, quæ Moses tantùm in ænigmate dixit, fuisse explicaturum & clarè aperteque annunciaturum. Sed de ea re infra erit dicendum ad Qu. VI.

§. 6. Tamen facile impetrabimus à Judæis, ut concedant, debere nos, quum Christus venerit, *in ipsum credere*, ut Israëlitæ *credebant in prophetas*. Quomodo loquitur Josaphat 2 Chron. 20: 20. *Credite in Dominum Deum vestrum, & permanebitis: credite in prophetas ipsius & prosperamini.*

Status controversiæ.

§. 7. Hoc igitur propriè in quæstionem venit, an Israël debeat credere in Christum sive Messiam, ut in Deum credimus?

§. 8. Quæ quæstio est ex maximis & ponderosissimis. Oportet autem, ut hic primò exponamus, quid in libris N. T. doceamur de fide in Christum: secundò, ut consideremus, an ea doctrina sit fundata in libris Veter. Testamenti.

Quid Novum Testamentum de fide in Christum doceat?

§. 9. In N. Test. legimus hæc. Joh. 14: 1. *Ne conturbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me creditis.* h. e. Si in Deum creditis, & in me creditis. Non tantùm ideò, quia Deus de ipso testatus est; ita ut fieri non possit, ut quis credat in Deum, nisi etiam credat in eum, de quo Deus testatus est: sed propterea, quia *Filius in Patre & Pater in Filio est.* ibid. vers. 10. &, *qui vidit Filium, vidit Patrem.* vers. 9. & ipse *via, veritas, & vita est. Via*, quia nemo *venit ad Patrem, nisi per Filium.* vers. 6. *Veritas*, quia in ipso est ἡ εἰκὼν τῶν πραγμάτων & impletio omnium promissionum Dei ad dicendum *Ne* per confessionem, & *Amen*, per astipulationem ad stipulationem glorificationis & gratiarum actionis. *Vita*, quia 1. ipse erat ab olim vita hominis, h. e. causa, cur homo non pereat, sed vitæ æternæ particeps sit, Joh. 1: 4. & 2. hæc vita nova & æterna est ipsum cognoscere, Joh. 17: 3. & 3. in visione gloriæ ejus est beatitudo. Joh. 17: 24.

§. 10. Petrus 1 epist. cap. 1: 21. *Qui per ipsum credimus in Deum, qui ipsum suscitavit ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides vestra & spes sit in Deum.* nempe dum creditis & speratis in ipsum.

§. 11. Ita *per Christum agimus Deo gratias*, hoc est, Christo gratias agendo gratias agimus Deo: propter unitatem.

§. 12. Apocal. cap. 5: 12. *Dignus est Agnus mactatus, ut accipiat potentiam & divitias & sapientiam & vim & honorem & gloriam & benedictionem.*

§. 13. Joh. 5: 23. *Ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem.* Quippe *vivificantem, quos vult*, & *judicantem vivos & mortuos.*

§. 14. In quo honore continetur & invocatio & adoratio. Adoratio, qua ipsi summum nomen datum agnoscimus, & ipsi genua flectimus, & ipsi juramus, ipsum glorificamus. & in specie agnoscimus, ei datum esse, ut in ipsius nomine Patrem invocemus; cum ea fiducia, ipsum facturum, quod à Patre petimus in nomine ipsius. Joh. 14. vers. 13. 14. Et ipsius invocatio. Quemadmodum videmus Apostolos in suis epistolis facere. Nec tantùm, ut licita sit, sed etiam ut peccator non possit accedere ad Deum & eum invocare, nisi invocato Filio: neque quicquam ab eo accipere, nisi per Filium: neque ei gratias agere, nisi in Filio. Quia Filius est in Patre & Pater in Filio.

§. 15. Sequentes igitur Euangelium Christum adoramus, invocamus, ei confitemur, ei gloriam damus, in eo gloriamur, eique, ut principi salutis, confidimus. &, quò magis hoc facimus, eò magis Deum creatorem honoramus; scientes, si illum abnegemus, nos & Patrem abnegare, &, si illum non honoremus, nec Patrem honorare.

Demonstratio honoris Christi & fidei in ipsum ex literis propheticis.

§. 16. Jam igitur hoc tempus & hic locus postulat, ut, eum honorem & gloriam Christo deberi, ex literis sacris propheticis adstruamus.

Testimonia, quæ loquuntur de fide Christi.

§. 17. Et *primò* quidem iis testimoniis utemur, in quibus fides cordis & fiducia in ipsum commendatur, sive id fiat terminis expressis sive æquivalentibus. Opus autem erit notari, annon in iis testimoniis ea fiducia significetur, cu-

jus fundamentum sit potentia præstandi id, quod non nisi per divinam potentiam præstari potest, & gratia sive voluntas id præstandi invocantibus se: atque ita ea fiducia, qua propter verbum ipsius exspectetur salus & vita æterna & omnia ad pietatem ac vitam necessaria, quia & potest illa donare, & vult.

Habac. 2:3.4.

§.18. Habac. 2:3.4. *Et index* sive proclamator erit *in fine, qui non mentietur. Si tardet, præstolare eum; quia veniendo veniet, & non post tempus veniet. Ecce acclivatur, cujus anima non est recta in ipso: & justus in fide ipsius vivet.*

§.19. Suppono in his, vocabulum יָפֵחַ esse nomen, quod & יָפִיחַ sæpè in proverbiis dicitur; ubi ponitur tanquam parallelum voci עֵד. Et vox יְפֵחַ in statu regiminis (Judæi בסמוך solent dicere) venit Psalm. 27: 12. in his וִיפֵחַ חָמָס. Est enim יָפֵחַ ex יְפֵחַ forma nominis, non verbi.

§.20. Quare imperitè Abarbenel verbaliter explicat, deducens à verbo פוח, quod est *flare*: & explicans per יגיד *indicabit*. Quasi idem sit *flare*, quod *indicare*. Nomen enim hoc non deducitur à פוח, sed à יפח. unde est תתיפח. Jer. 4:31. Id *proclamare* significat. Unus error traxit eum in plures: nempe, ut verbum יפח *flabit*, significatione indicandi, conjungeret cum חזון *visione*. *Visio flabit, visio indicabit*: & *visionem* aliam interpretaretur: & deinde ad *veniendo veniet* subintelligeret *Messias*. Operæ pretium est audire ejus μετάφρασιν, imò μεταστροφήν. *Adbuc est visio* alia, *quæ indicabit finem* (neglecta virtute particulæ ל) *& non mentietur, quum veniet tempus ejus, ullo modo. atque, etiamsi erit post longum tempus, noli desperare. Quia veniendo veniet* המועד, *tempus condictum*, vel *Messias*.

§.21.. Longè alia est sententia Habacuci ex verbis rectè positis evidens. *Adbuc* est *visio ad tempus præfinitum: & index* sive proclamator *in fine*, &c. *Visio* significat spem Israëlitarum: & ejus medium sive alimentum verbum propheticum. Verbum propheticum, prophetia legis & prophetarum, manebit & nulla calamitate auferetur à populo. Manebit autem ad tempus præfinitum, usque ad προθεσμίαν. *In fine* illorum dierum, qui habent suum מועד, suam determinationem, erit *Proclamator, qui non mentietur*. Qui testabitur, illa, quæ prophetata & sperata hactenus fuerant, jam adesse. Hoc vocat Daniel *obsignationem visionis & prophetiæ*. cap. 9: 24. Quum scilicet *visio* mentalis mutabitur in *prædicationem* & visionem oculi. Quemadmodum est Esai. 52. vers. 8. *Vox speculatorum tuorum* auditur: *sustulerunt vocem: unà canunt. Nam oculo in oculum* directo & in eo hærente *vident, quum reducit Jebovah Sionem*. Quod *propheta* viderunt, vocatur חזון. ut vel ex initio Esaiæ apparet, & ex Psal. 89. vers. 20. אז דברת בחזון *tunc locutus es in visione*. Quæ certè est *visio* rei, ante rem exstantem. ut & hîc est *visio* ante auditum *proclamatoris*. Ita, quod *speculantes*, eminùs prospectantes, ἀποκαραδοκοῦντες in animo habuerunt, fuit חזון *visio*. Huic visioni certi dies deputati & determinati sunt. Debuit igitur in captivitate Babylonica non tolli *visio*; & prophetia legis sive figurarum, quæ per deletionem templi fuerat aliquantum imminuta (non tamen omninò sublata) mox debuit restitui. Tum verò *sub finem* ejus *temporis determinati* debuit audiri *Proclamator*; isque ἀψευδής, non mentiens; & in eo debuerunt vera fieri omnia, quæ hactenus fuerant exspectata. Neque is vel verbis deludet, vel spem atque exspectationem frustrabitur, sed erit verus *Proclamator*, ut dicat: *Ecce Deus vester: Ecce veni, de quo in volumine libri scriptum est; ecce justitia, ecce libertas, ecce pax, ecce salus, ecce Spiritus Sanctus*, spiritus non servitutis, sed filiationis, ecce hæreditas mundi, &c.

§.22. Hic igitur Proclamator quo affectu cordis accipiendus est? Id ex tribus intelligi poterit. 1. ex eo, quod removetur ab ὑποστελλομένοις. *Cujus non est recta anima in ipso*, ὑποστέλλεται, *ad clivum se subducit*. Debet *anima* populi ipsi applicari, quomodo anima quorundam (quorum anima non est recta) clivo applicatur. Notum est, Israëlem applicasse *animam suam clivo* domus Domini. qui עפל apbellatur: nempe per הדרה, נאון, & בטחה *desiderium, erectionem animi, & fiduciam*. Ea anima non est recta, quia non est *in ipso*. *Anima recta* & Deo placens est *in ipso*, h. e. ei affixa est, cum amat, eum appetit, eo delectatur, & ei confidit. Quod in summa legis dicitur, *Amabis* בכל נפשך *ex tota anima tua*. Deut. 6: 5. Diligebant Judæi templum eique confidebant, quia putabant, Deum in eo habitare. Id rectum non est, Christo apparente. Ipse diligendus & omni affectus teneritudine appetendus est, & ei confitendum est, utpote in quo est Dominus, & in quo Dominus est in sanctuarium, Esai. 8: 14. sive habitat inter homines. 2. Ex eo, quod dicitur de σωζομένοις. *Et justus in fide ejus vivet*. Si vertas, *Et justus in fide sua vivet*, non quidem exprimetur is, qui est fidei scopus ac meta; sed tamen ignorari non poterit, cum ipsum proclamatorem non mentientem esse eum, cui credendum sit, & cujus fides justum ac salvum faciat. Si tamen id tantùm vellet dicere propheta, *fide sua vivet*, satis fuisset dicere, *fide vivet*. Quemadmodum Apostolus solet hunc locum, omisso pronomine, allegare. Atqui hîc est affixum pronominis δεικτικοῦ, quod potest, juxta ordinarium ejus usum, reddi, *in fide ipsius*: neque ulla est ratio, quare non, quemadmodum בו *in ipso* vertendum est, & non *in se*, ita etiam *in fide ipsius* potiùs vertamus, quàm *in fide sua*. Præsertim quum res ipsa ostendat, ut dixi, fidem proclamatoris requiri, ut *anima recta sit in ipso*. 3. Ex eo, quod de Proclamatore necessariò credendum est, quia est Proclamator eorum, quæ per verbum *visionis* fuerant antè promissa & à sanctis antè visa in spiritu & in figura. At quid illud est, quod sancti speraverunt se visuros, quod videre gestiverunt, & eminus advenientem prospectarunt? Quid aliud, quàm illud, ut Deus veniret ad populum suum, in medio ejus ambularet & habitaret, & gloria ejus conspiceretur ab omni carne, & dici posset, *Ecce Deus vester*, &, *Jebovah est justitia nostra*.

§.23. Igitur, quum credere in Christum sit credere in Proclamatorem veritatis illorum maximorum promissorum, qui non tam verbis, quàm rebus ea præsentia demonstret, efficitur, Fidem in Christum esse fiduciam in Deo suo, revelato, viso Salvatore & justitia sua.

Esai. 28: 16.

§.24. Esaiæ 28:16. *Quare, sic dixit Dominus Jebovah, Ecce ego is*, qui *fundavit in Sione lapidem, lapidem probationis, angulum preciositatis fundati fundatissimi. Credens non festinabit*. Esaias loquitur cum Davide Ps. 118:22. *Lapidem*, quem *reprobarunt architecti*, is *evasit in caput anguli*. Non dubium est, quin *lapis anguli* significet eum, qui ædificium continet. &, quandoquidem hîc de domo Dei agitur, hoc est, de Ecclesia ipsius, eum, qui eam continet, in unum compingit & coagmentat. Is verò, qui Ecclesiam continet & unit, etiam vivificat eos, qui in Ecclesia sunt, & facit eos lapides vivos, inter se conjunctos, ut membra unius corporis: itaque eis dat Spiritum Sanctum. Et, quandoquidem additur, *credens non festinabit*, hoc est, non præcipitabitur, non pudefiet, ut is, qui fugit, sed subsistet & manebit in statu; facile est intelligere, 1. per fidem uniri lapides illius ædificii inter se & cum fundamento, ac lapide angulari: 2. Eam fidem ferri in Deum, qui posuit sive fundavit eum lapidem in Sione. 3. Eam fidem amplecti ipsum lapidem; quia ad eum colligitur tota Ecclesia, ut in ipso unum fiat: &, quia natura lapidis est, ut ei quis innitatur; & quidem hîc de eo lapide agitur, cui innitendum est ad salutem, ut nunquam pudefiat, qui ipsi confiderit. Amplius id ex eo noscitur, quia est *lapis probationis*. Qui nempe positus est ad hoc, ut multorum cogitationes in apertum deducantur, ut per ipsius apparitionem patefiat, quis cognoscat Deum, & ipsum amet, & voluntatem ejus velit facere; & quis Deum non norit, & non amet.

§.25. Et quis potest esse *lapis probationis*, idemque *angulus*, nisi *petra* Israëlis; in qua apparet, an *recta sit anima in ipso*, necne? Et quis est *petra*, *nisi Deus noster?* Psal. 18: 32. Et quis hic *lapis*, nisi *Pastor, Lapis Israelis?* Gen. 49: 24.

§.26. Ezechiam dicunt Kimchius & Abarbenel intelligendum hunc Lapidem; hic alios memorat, qui Nebucadnezarem dicebant intelligi. Quo dicto nihil absurdius. Sed nec illorum sententia melior est. Noto, quòd dicunt, eam rem in longum differri, neque debere quem dicere, *Si verum hoc est, acceleret id, ut adveniat*. Atqui Ezechias vel jam tum regnabat, vel mox regnaturus erat. Unde sciunt, hæc pronunciata esse ante regnum Ezechiæ?

§.27. Sed, qua fronte possunt hæc de Ezechia interpretari? Increpatur totus populus, & præsides populi Hierosolymitani, ut *viri irrisionis*. vers. 11. 14. Imputatur ipsis, quòd falsam & manem fiduciam sibi fecerint contra mortem & flagellum iræ divinæ. vers. 15. Eaque falsa fiducia confutatur per antithesin *Lapidis*, quem Deus *fundaverit in Sione*, ad hoc, ut *credens non præcipitet*. vers. 16. Tum verò porrò denunciat, se *judicium positurum in lineam & justitiam in perpendiculum*, nempe ad ædificandum fundatum fundatissimum, & id coagmentandum per *lapidem Anguli*. Sed *grandinem receptum mendacii eversuram, & latibulum aquas inundaturas, & obliteratum iri fœdus ipsorum cum morte; . . . & flagellum transiturum, atque ei ipsos conculcationem futuros*. Improperatur etiam *populo*, quòd *noluerint audire*, Deo dicente, *Hæc est requies; & lasso requiem dari* jubente, cum promissione *requietis*. vers. 12. Et denunciatur ei, quod Deus *ipsi locuturus sit lingua barbara*. vers. 11. Hæccine conveniunt ullo modo in Ezechiam? Si Ezechias est lapis angularis ædificii fundatissimi, ædificium fundatissimum erit Hierosolyma, quam Deus protexit & constabilivit, ita ut pax & veritas esset, ipso vivente. Esai. 39: 8. Qui est igitur *Receptus mendacii, quem grando evertit?* Quando *transiit flagellum, & populum conculcavit?* Quod est ædificium ad lineam & perpendiculum exstructum? Quod judicium & quæ justitia, quæ vim habent ad extruendum id ædificium permanens? Quomodo Ezechias est lapis anguli, qui lapsus est, & lapsus accepit denunciationem captivitatis Babylonicæ? Esai. cap. 39. Quæ est *quies* prædicata & rejecta? Quæ lassi recreatio præcepta non præstita? Quæ prædicatio per linguam barbaram?

§.28. Atqui in Christo omnia sunt vera. Prædicavit Euangelium, prædicavit quietem à servitute, ab accusatione legis, à timore

more mortis, à siti & exspectatione. Fessos ad se vocavit; requiem illis promisit. Jussit requiem lapsis & fatigatis concedi. Promisit omnia bona, si id facerent. Non crediderunt Judæi. Illi fiduciam habuerunt in templo, & in operibus suis; in ipsis adeò Romanis: ne mortem timerent aut flagellum. Atqui Christus fuit lapis, rupes salutis, lapis angularis, preciosissimum ædificii, fundati in ipso ut fundamento, ejusque fundatissimi, nempe Ecclesiæ vocatæ ex Judæis & gentibus. De quo ædificio est Matth. 16: 18. Ei ædificio construendo inservit *judicium*, quo peccatum condemnatum est (Rom. 8: 3.) & *justitia*, h. e. obedientia, qua Deus justificans sanctificatus est. Es. 5: 16. Nam Christi meritum est causa ædificandi Ecclesiam in rupe & per lapidem angularem coagmentandi. Christus autem est *lapis explorationis*. Nam in eo exploratur Israël, quorum anima est recta in ipso, & quorum anima non est recta in ipso. Et ille est *Angulus preciositatis*. Nam vile & carnale non conjungitur cum ipso, sed quod Spiritum Dei, Spiritum sanctificationis, ab eo accipit. Jam fiducia Judæorum eversa est, Urbs, politia, templum, sacerdotium, & *fœdus*, quod putabant se cum Deo habere adversus *mortem & flagellum* (quum fœdus Dei non acceptassent, & potiùs cum diabolo & Romanis, qui *flagellum* ipsorum erant futuri, fœdus fecissent) obliteratum est, & ipsi à flagello conculcati sunt. Deinceps verò Deus non loquitur ad ipsos de *Quiete*, nisi per gentes & *linguam barbaram*, nempe Græcam, qua N. Test. conscriptum est.

§. 29. Recitat Abarbenel etiam sententiam R. Solomonis: qui *Lapidem* ab Esaia Messiam dici autumat. Dicit autem, ejus interpretationem *declinare ad* דרש *expositionem mysticam*. q. d. Esse veluti parodiam. Quod non est ita. Nihil est in nostra expositione non planum, simplex & primò intentum & in re evidens.

§. 30. Sed R. Solomoh & Abarbenel quendam errorem communem habent. Uterque tempora distinguit: ne unius temporis sit Conservatio fidelium & ædificii fundatissimi in fundamento exstructi. Alio enim tempore, nempe Ezechiæ, vult Abarbenel Hierosolymam esse ædificium fundatum: alio rursus, Nebucadnezare invadente, esse populum infidelem. Sic R. Solomoh, sub Messia Judæos esse ædificium fundatum; ante ejus apparitionem esse conculcationem flagelli.

§. 31. Bene hactenus hic, quòd agnoscit, Judæos hoc tempore sub illo flagello esse. Malè, quòd non agnoscit communem culpam. Malè, quòd conculcationem flagelli ponit ante fundationem lapidis in Sione. Malè, quòd conservationem ædificii fundati non observat eodem tempore fieri, quo flagellum inundat. Malè uterque, quòd non ostendunt *Receptum mendacii*, *quem grando evertit*. Per eum enim significatur falsæ fiduciæ objectum.

§. 32. Sed dices, si maximè cum R. Solomone Messias intelligatur per *Lapidem*, tamen nondum patet, *fidem in illum* ferri, quemadmodum in Deum. De illo igitur adhuc satisfaciendum est: si superiùs dicta non satisfaciunt. Lapis hic *fundamentum* est & *angelus*, non domûs manu factæ, non civitatis terrestris, sed *populi Dei*: in quo probatur populus, ut distinguatur is, qui non est populus Dei, à populo Dei: & quidem eo ipso probatur, quòd verus populus *credit*, nimirum, hunc lapidem esse fundamentum & angulum. Nullus propheta, ne Moses quidem, est *Lapis*, fundamentum & *angulus*. Nam is non sustentat, non jungit partes domûs Dei inter se. Si Moses esset lapis, si fundamentum, si angulus domûs, non opus esset alio lapide *fundando* sive firmiter ponendo ad perpetuam permansionem. Major igitur hic lapis prophetis & Mose & omnibus regibus. *Lapis fundatus* permanet in perpetuum. Lapis, qui est *angulus structuræ fundatæ*, & quidem *fundatissima*, habet regnum sempiternum: & id sustinet, & id unit. Et ea structura crescit & continetur fide. Nam, qui *credit*, eum à Deo *fundatum esse in Sione*, is non fugit, non præcipitatur, sed stabilis manet. Ergo in fundamento stat. Fide igitur stat. Jam fides, quæ in fundamento collocat & cum partibus domûs Dei vivæ, quæ conjunguntur per lapidem à Deo fundatum, conjungit, apprehendit eum lapidem, & in ipso esse & inveniri desiderat ac quærit, & in eo acquiescit, ut gratiam ac potentiam habente ad sui vivificationem, sustentationem, conservationem, sanctificationem, justificationem.

Zachar. 3: 9.

§. 33. Vocat hic nos ad sui considerationem locus parallelus, qui est Zachar. 3. vers. 9. *Ecce lapis, quem posui coram Josua: super unum lapidem septem oculi*. Significat Deus Pater (Nam Angelus Jehovæ appellatus Jehovah in nomine Jehovæ loquitur. vers. 1. 2. 6. 7.) se Sacerdoti maximo, & omnibus adeò sacerdotibus, & toti populo proposuisse *lapidem* spectandum. In eum lapidem aliquando non unum modò oculum Israëliticum, sed *septem oculos*, h. e. oculos multarum gentium *conversum iri*.

§. 34. Qui lapis Sacerdotibus & toti Israëli propositus est, & omnibus gentibus proponendus est, ut ad eum respiciant; quantus, quæso, est? Et quomodo est Israëli *lapis*? Nonne & ipse jam tum est, & semper manet & manere facit eos, qui ad eum respiciunt, aut saltem in ipso sunt? Atqui is est idem, qui *Servus Dei Germen*. Jam quid est illud habere ante oculos? aspicere? intueri? oculos, animum in eo defixum habere? Quid, nisi affectum omnem, amorem, desiderium, fiduciam ab ipso suspendere, & ei potentiam ac gratiam ad salvandum attribuere? non quidem absque Deo, sed in Deo.

§. 35. Dicit Prophetia: *Calabo calaturas ejus, & abstergam pravitatem totius illius terræ uno die*. h. e. faciam, ut in eo appareat omne nomen ejus & omnia requisita ad consummandum eum tanquam principem salutis, & tum peccatum totius mundi expiabitur, ut nullo opus sit sacrificio amplius.

§. 36. Nihil attinet hîc refutare Judæorum commentationes, qui intelligunt *lapidem fundationis templi*, alius secundi, ut R. Solomoh, alius tertii, ut Abarbenel. Qui de eo dicit, *Non hominem id ædificaturum, sed Deum; quippe qui calaturas ejus sit calaturus*.

§. 37. Profectò hi homines ostendunt, se nihil pensi habere, dum Scripturam obscurent. Nam quid *calaturæ lapidis* templi & *ablationi peccati?* & quidem totius mundi? Si intelligerent, Deum non habitare in templis materialibus, & esse verius templum Dei, cujus structor est Christus (Zachar 6.) & Sacerdotium Aharonicum habere accusationem peccati, &, sublato peccato, non dari amplius sacerdotium ad expiandum peccatum; & quid, in Sione sacerdotes indui salute & justitia: & templum tertium non dari, & sacrificia cessare: hoc est, si non eligerent ea, quæ Deus abominatur, Esai. 66. vers. 3. non inciderent in tam stultas cogitationes. Quàm violentum est ex *lapide*, qui in fundatione templi secundi positus est coram Josua filio Jozadak, facere templum tertium manibus Dei non hominum ædificandum?

§. 38. Abarbenel objurgat Abenesram, qui per צמח *Germen* non intelligit Messiam. At ipse quare, quum rectè per *Germen* intellexisset Christum, tam citò ab illo abit? Nonne Christus est major templo? nonne verius est templum? Nonne structor verioris templi? Si *Germen* significat Christum, quia *Christus est virga ex stipite Jessæ*, (quam rationem ipse allegat) quare non *lapis* significat Christum, qui est *lapis & angulus?*

Zachar. 12: 10.

§. 39. Idem Zacharias cap. 12: 10. per *Aspectum* significat fidem. *Et effundam in domum David & in habitantem Hierosolymis Spiritum Gratiæ & implorationis gratiæ: & respicient ad me cum eo, quem confixerint. & plangent super eo.* Nemo dubitat, quin respicere ad Dominum, eumque intueri, significet fidem, amorem, desiderium, reverentiam, fiduciam. Quemadmodum Johan. 17: 3. cum Deo jungitur Christus in γνώσει, hoc est, agnitione & intuitu (Nam τὸ γιγνώσκειν in talibus est ἐνεργητικὸν & actum animi atque oculorum mentis intentionem notat) ita hîc Christus apud Johannem dicit: *Hæc est vita æterna, ut noscant* sive intueantur & ante oculos habeant *te solum verum Deum, &, quem misisti, Jesum Christum*. Deus apud Zachariam: *Intuebuntur me cum eo, quem confixerint* & transfoderint. Abarbenel: *Quum videbunt Messiam filium Joseph interfectum, oculos suos & manus suas attollent ad me super illo* sive *propter illum*. Hoc est textum mutare. *Ad confixum respicient*; & quidem confixum ab ipsis. Planctus super ipso in sequentibus verbis exponitur. *Intueri* autem *illum* est tale, quale intueri Deum. Et, *intuebuntur me & illum, quem confoderint*. Vel: *cum illo*. In Christum credimus, ut eum, qui *cum Deo* est. In Pentecoste, quæ secuta est Christi confixionem, quum vidissent Judæi spiritum in Apostolos effusum, confossi sunt corde & converterunt oculos ad ipsum, h. e. in ipsum crediderunt. Act. 2: 37. 41.

Num. 21: 8.

§. 40. Si ea res gesta non explicat prophetiam Zachariæ, & eam sivi vindicat, tanquam de se pronunciatam; saltem typus præcedens non debet videri ab ea alienus. In diserto serpens elatus est in pertica, & jussi Israëlitæ, quos momordissent serpentes, eum aspicere, &, qui aspexerant, sanabantur. Numer. 21: 8. Ibi suspensus in ligno aspiciendus ad salutem ostenditur, hîc transfossus.

§. 41. Satin' verè & convenienter cum Prophetia à Christo dictum est, *Quemadmodum Moses serpentem exaltavit in deserto; ita oportet filium hominis exaltari: ut, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam?* Johan. 3. vers. 14: 15.

§. 42. Intuitus Dei & Confossi ab Israëlitis est consequens Spiritus effusi. Ita actum est in Pentecoste. Actor. 2.

§. 43. Neque dubium est, quin sit effectus Spiritus effusi. In aliis operatur Spiritus effusus prohetiam & loqui linguis, in aliis compunctionem cordis & planctum super unigenito & primogenito.

§. 44. Et est is *spiritus gratiæ effusus*, à quo est *intuitus Domini & cum eo Transfixi*. *Spiritus gratiæ* est spiritus filiationis, non spiritus servitutis. Hic dabatur in tempore excandescentiæ, ille dandus erat in *tempore* רצון *reconciliationis*, ἀποδοχῆς & *accepta-*

ceptationis. Quod promittit, se imposterum effusurum, id hactenus non effuderat Deus. *Spiritus gratiæ* efficit, ut auctorem justitiæ, qui se ipsum tradidit pro nobis transfigendum, aspiciamus. *Gratia* non subjicit nos homini, sed libertos Dei facit. Spiritus servituti subjiciens fuit in priori tempore. Is non datur ultimo tempore, sed spiritus, quoad aliquem effectum, alius; quoad operationem ejus, quod ad justitiam & vitam necessarium est, idem.

Esa. 53: 11.

§. 45. Vidimus *fidem*, *& intuitum*. Per parallelia orbitam deducimur rursus ad Esaiam. qui cap. 53: 11. *In agnitione sui justificationem facies Justus Servus meus multis, & pravitates eorum ipse ferendas suscipiet.* Etiam hinc patet, τὸ γιγνώσκειν rectè revocari ad Christum. ut fit Joh. 17: 3. Notum est, totam religionem & pietatem per דעת אלהים *agnitionem* & intuitum *Dei* explicari. Omnis affectus, qui per hoc nomen in ea phrasi significari potest, vindicatur *Servo Dei* τῷ δικαίῳ *Justo*.

§. 46. Quid est, quòd non alii ea attribuitur reverentia, fides, observantia, fiducia? quodque fides & agnitio *justi* ponitur ut necessaria ad justificationem? Quale quid nunquam de ullo Propheta vel Servo Dei, ne de Mose quidem dictum est. Moses certè de via justitiæ locutus est. Si nihil aliud est in Christo, quàm in Mose, quare cognitio & intuitus Christi demum justificat? Quare non Moses, sed *Justus Servus Dei justificat?* Cujus cognitio & intuitus & (ut Habacuc loquebatur) *fides justificat*, is agnoscitur per eam fidem causa juris ad petendam & exspectandam vitam æternam. Qui *justificat* per cognitionem sui & fidem in se, is jus vitæ æternæ donat, ut potestatem habens, & *justus*, h. e. jus habens tum ad semen ac hæreditatem acquirendam, & ad eam justitiam sive id jus donandum. Imò is quoque *spiritum gratiæ*, qui est spiritus fidei, *spiritus timoris* & agnitionis Dei per *Justum Servum suum* justificantis, donat, ut *in agnitione sui justificationem multis conciliet*. Ergo agnitio ejus includit gratiarum actionem pro sanctificatione simul & justificatione & justitia parta, & gloriationem in eo, & fiduciam in eo, ut *justo* & potestatem ac potentiam habente ad conservandum.

§. 47. Abarbenel valdè luctatur, ut hanc Scripturam distorqueat. Primò confundit distinctiones Hebraicas, & illa conjungit, *Satiabitur in cognitione sua*, nempe Israël. Deinde, videns, id non iri concessum, de Israële interpretatur. *Justificabit servus meus justus cognitionem suam apud multos.* Abjicit literam ב, locutionem ineptam & nullius sensus obtrudit. Quid enim est, *justificabit cognitionem suam?* Rursus aliter: *Sua scientia & sapientia multos ex gentibus ad justitiam seculorum adducet Israel Servus meus justus.* Sed, etiamsi verbum הצדיק alicubi significet *ad justitiam adducere*, ut Dan. 12: 3. tamen in hoc loco id non potest. Alia constructio est. Verbum יצדיק hic absolutè ponitur, quemadmodum de judice sententiam pronunciante aut de Advocato causam alicujus agente dici potest, qui vel יצדיק vel ירשיע *justificat* vel *condemnat*. Quemadmodum Rabbini dicunt in Talmud עדה מרשעה & עדה מצדקה. ' Sequitur enim hic לרבים *multis*, pro multis, in bonum multorum. Absurdum verò est, dici hic *justificationem pro multis* publicatam, & non dici medium justificationis, & quidem eorum, quorum peccata extant, quæ justificans terre dicitur. Præterea ex superioribus patet, non posse sine cognitione ipsius justitiam publicari. Et publicatio justitiæ est opposita publicationi reatûs & impuritatis, quæ antea obtinuit.

§. 48. Quid, quòd omnibus modis detrectat Abarbenel concedere, eam periocham Esaiæ agere de Messia, quamvis & Chaldæus & prisci, quos vocant, Sapientes, & R. Moses Nachmanides sive Gerundensis de eo interpretentur. Quod fatetur his verbis: ואמנם יונתן בן עזיאל תרגמה על משיח העתיד לבא והיו גם כן דעת חכמים זלכרונם לברכה ממדרשותיהם וגם וכן ראיתי פירוש שעשה הרמבן נבואה על הנבואה הזאת שפירשה על מלך המשיח. Et, quanquam videat absurditatem applicationis aliorum, qui Mosi vel Jeremiæ vendicant, tamen ipse in non minores absurditates se induit, de Israële sive Judæis in captivitate hac constitutis vel de Josia interpretans. Nam in illis duabus viis ambulat vel potius claudicat.

Explicatio capitis 52. & 53. Esaiæ.

§. 49. Nos verò debemus hoc veritati & intelligentiæ illius dicti, quod tractamus, quò cognoscamus, qualisnam sit fides Christi, per quam justificamur, ut ostendamus, Prophetam cap. 53. de Christo sive Messia loqui, & eum esse D. Jesum. Cognitio autem, Prophetam de Christo loqui, etiam patebit, quid de Christo loquatur; & porrò clarum erit, quàm bene dicatur, cognitione ejus multos justificari; & qualis fides in cognitione ejus significetur. Nam cognitio ejus includet id, quod de ipso tum alibi tum præsertim in hac pericopa dicitur. Ex quo apparebit, quomodo oporteat affectos esse erga eum, qui in ipso & per ipsum sperant justificari.

§. 50. Ceterùm caput 53. cum 52. est connexum. In exaltatione *Servi Dei* terminatur utrumque caput. Caput autem 52. incipit ab Hierosolymæ restauratione. Quomodo de Mose, de Josia, de Jeremia explicari potest sermo agens de eo tempore; quod consequitur destructionem & restaurationem Hierosolymæ?

§. 51. Omitto versum primum capitis 52. Is enim potest intelligi dictus ad Ecclesiam in ultimo tempore, quum extremos hostium insultus fuerit experta: ita ut adjungatur capiti 51.

§. 52. In versu secundo evidens est, Prophetam rursus ab initio restaurationem Sionis & Hierosolymæ ordiri. Ex toto sermone autem, & subsequentibus capitibus, usque ad 61. patet, quis sit progressus Sionis & Ecclesiæ ad victoriam & pacem, quam habebit aliquando.

§. 53. Ita inquit: *Excute pulverem, surge, sede, Hierosolyma.* Nebucadnezar Hierosolymam operuerat pulvere. Quum templum, domus civium, muri reædificarentur, pulvis ablatus est, ipsa in altum surrexit; & deinceps habitata sedit. *Sedere* dicitur urbs οἰκουμένη. Sorobabelis, Ezræ, Nehemiæ ministerio hæc peracta sunt.

§. 54. *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Apprehendite libertatem, & nullum jugum ferte amplius, filii Sion, qui in captivitatem abducimini usque & usque. Notabilis est hic versus: qui conjungit reædificationem & habitationem Hierosolymæ cum plena libertate & omnis jugi ablatione. Et secuta quidem est aliqua libertas politica, ut impleretur Prophetia Mosis Deuteron. cap. 30. vers. 5. *majores futuros patribus suis.* cujus libertatis insigne argumentum est, quòd Sacerdotes diadema sumserunt, & aliquamdiu gestarunt. Sed non fuit id diuturnum. Romani legionibus suis eam incluserunt. Mich. 4: 14. *Nunc ducta legiones, filia turmæ, quæ obsidium posuit circa nos: virga percutiunt in mala judicem Israëlis.* נגיד הבא *Princeps advena* accessit & populus ejus, qui *perditurus erat sanctuarium*. Dan. 9: 26. Ab eo regem acceperunt Herodem. Tempus igitur erat, ut altus generis libertas Sioni daretur; & jugum omne auferretur: ne amplius eo modo captivari posset, quo antea.

§. 55. Ea res explicatur in consequentibus. Per regnum Christi fit ea liberatio: de quo deinceps agit; & quidem ordine.

§. 56. Vers. 3. *Nam sic dixit Jehovah: Gratis venditi estis, & non argento asseremini.* Illis, qui vos captivant, & vobis jugum imponunt, nihil debetur. Solvetur igitur vestra captivitas, aperietur carcer, & vos liberi dimittemini. Esai. 61: 1. 2. Fiet autem hoc per *assertionem* & vindicationem Domini, qui vos liberos faciet ab aliis dominis, ut ei soli servientes liberi sitis. Ita transponemini de regno in regnum: de regno hominum in regnum Dei. in quo qui sunt, liberi sunt, & nullo jugo implicari possunt. Ea autem assertio non fiet argenti precio. Olim dabatis argentum capitationis *lytrum animarum vestrarum Deo*. Exod. 30: 12. Sed eo argento non estis facti liberi, neque obtinuistis potestatem prope accedendi ad Deum. Ea re autem fiet vindicatio vestri in libertatem, quæ erit melior argento & auro. 1 Pet. 1: 18.

§. 57. Vers. 4. 5. *Nam sic dixit Dominus Jehovah: In Ægyptum descendit populus meus primò, ad cohabitandum ibi: & Assyrius pro nihilo eum rapuit. Et nunc quid mihi hic? ait Jehovah: quòd acceptus est populus meus gratis: qui potestatem habent in eum, ejulant, ait Jehovah; & semper omni die nomen meum blasphematur.* Quod dixerat v. 3. *Gratis venditi estis*, id hic explicatur: & demonstratur in tribus captivitatibus populi. 1. Ægyptiaca. 2. Assyriaca. Quæ comprehendit Babylonicam. Assyrii decem tribus abstulerunt, Babylonii Judam. Etiam Rex Babylonis *Assyrius* in Scripturis appellatur: & Persæ, & Græci, qui eandem regionem tenuerunt, & in Israëlem dominati sunt post Babylonios. 3. Nova, sequens reædificationem Hierosolymæ. In ea captivitate duo gravia. 1. Quòd populus Dei occupatus est gratis, quum occupantibus nihil deberetur, & in eos non deliquissent, neque illi ullum jus in eos haberent. Quemadmodum constat, Pompejum occupasse Judæam, occasione dissidii duorum fratrum Hyrcani & Aristobuli de regno. 2. Quòd rectores ejus, populi Dei, ejulant. Quemadmodum ejularunt apud Augustum conquerentes de Herodis & Herodiadarum regno proceres Judæorum, & petentes Syriæ conjungi Judæam, ut sub dicione Romanorum essent. Consequens est *Aspernatio nominis Dei*, qui rex Israëlis est. Latiùs tamen hoc extendi potest. Quod & in populo *Nomen Dei* conspueretur, & rejiceretur per utramque sectam, Pharisæorum & Sadducæorum: & illi, quibus imperium & potestas in populum à Deo commissa erat, oves Dei coarctarent & onerarent ac premerent, non sinentes illas ad lucem veram aspirare, aut nomen Dei liberè profiteri. Hoc spectari à Propheta, sequens versus indicat, qui promittit *cognitionem nominis Dei*, nempe in ipso populo violati.

§. 58. Quum igitur & populus occupatus sit gratis, & principes ejus ejulent, & nomen Dei blasphemetur & rejiciatur in populo; quærit, *Quid mihi hic?* q. d. Quæ res me tenere potest in hoc loco, in quo illa fiunt; ut non velim oves meas ex eo educere, & eas sic liberas facere, easque mihi asserere; sed eas velim relinquere sub potestate principum ejulantium, & peregrinorum occupantium, & in commixtione fratrum nomen meum blasphemantium? Is locus, in quo negat quicquam esse, quod ipsum teneat, est Hierosolyma terrestris ab hominibus condita, à qua

à qua *filia Sion* five *filii Sionis* erant liberandi, quia in ea oppressionem, servitutem & scandala patiebantur.

§. 59. Vers. 6. *Propterea cognoscet populus meus nomen meum: propterea illo die* cognoscet, *quòd ego sim, qui loquitur, ecce me.* Quibus modis sit Deus *asserturus* populum suum & eum liberum ad serviendum sibi soli facturus, explicat. Primum est in liberatione sui exhibitio, ut cognoscat populus suus nomen ipsius, & cognoscat, quòd ipse sit is, qui loquitur. Primò autem loquitur, ut eam exhibitionem decernens: addita ratione, quam indicat voce *Propterea* bis repetita. Item addita temporis definitione, *Propterea illo die*, nempe *cognoscet.* Deinde autem loquitur, ut se sistens & conspiciendum præbens, atque ita, quod decretum sibi erat, faciens atque exsequens.

§. 60. Semel monemus, prophetiam loqui tanquam in re præsenti; ideoque cum rebus ipsis, quæ distinctis temporibus ordine geruntur, progredi.

§. 61. *Domino*, qui est *Jehovah*, attribuitur hæc ratio. *Dominus* vocatur ab hæreditate & peculio, quod *asserit* suum. *Dominus* est Filius, sive *Servus Dei*, qui sibi acquirit populum & *hæreditatem.* cap. 53: 12. *Dominus* est Pater: cui eam acquirit Filius. *Jehovah* dicitur, qui gratiam ac veritatem exhibet

§. 62. Quia autem *assertionis* causam dixerat *nominis sui aspernationem*, is, qui loquitur, *decernit* notificationem *nominis sui, ut populus suus cognoscat, quòd ipse sit, qui loquitur.* Ex eo intelligimus, 1. quod sit *nomen Domini*, quod *aspernationi* fuerat: Nempe id rejectum fuit, quod de Deo Israëlis dictum fuerat suo tempore in visitatione populi manifestandum in omnium conspectu, ut videret omnis caro gloriam ipsius. Esai. cap. 40: 5. Aliquid innuitur de Deo Israëlis auditum, sed vel non intellectum aut neglectum, vel etiam contradictum & non creditum, propter quod non præceptum vel non creditum toto ferè tempore prophetiæ aliud de Deo Israëlis persuasum sibi habuerint homines, quod cum gloria ipsius non conveniret. Id ipsum verò ostenditur manifestatione Dei Israëlis vindicandum: quum scilicet dicturus esset, *Ecce me*, & cogniturí essent, quòd *ipse sit, qui loquitur.* Hanc phrasin explicamus ex Judic. 6: 17. ubi Gideon dicit: *Si inveni gratiam in oculis tuis, facias mihi signum, quòd tu loquaris mecum.* h. e. quòd tu, qui loqueris mecum, sis *Angelus Jehovæ*, & *Dominus.* Non absimile Gen. 45: 12. *Ecce oculi vestri vident & oculi fratris mei Benjaminis, quòd os meum sit, quod loquitur ad vos.* h. e. vos ipsi testes estis, me Josephum esse, qui loquor ad vos. Ita hîc: Cognoscet populus meus (id enim repetendum) quòd ego ipse sim is, qui loquitur; sive me præsentem cum ipsis loqui, qui hactenus nomen meum per prophetas annunciari curavi. Denique (nam quid impedit, omnem emphasin amplecti) quòd verba, quæ ab initio audiverunt, mea sint. Confer Es. 48: 16. *Non ab initio in occulto locutus sum.*

§. 63. Tempus, quod addit, notabile est: *In illo die.* Quo nempe populus meus, post Ægyptium & Assyrium, & ab utroque liberatus, occupatus est gratis; & quum principes ejus ejulant. Natus est Christus, quum Augustus indixisset ἀπογραφὴν, tanquam dominus Judææ. Confer Zach. 9: 8. Manifestavit autem se Israëli, quum jam flessent & ejulassent principes apud Augustum, & Archelaus Viennam relegatus esset: sub imperio Tiberii & procuratione Pontii Pilati. Qui gravis fuit populo. Luc. 13: 1. Utroque tempore dixit, *Ecce me.* hoc est, exhibuit se videndum, & commemoravit, quæ de se dicta erant, & ea in se conspicienda promisit atque omnium oculis exposuit: atque ita *nomen Dei notificavit.* Joh. 17: 26.

§. 64. Abarbenel nobiscum dicit, quæ bona de *assertione* hîc dicuntur, innui futura, quum populus fuerit occupatus à Romanis: sed in eo peccat, quòd assertionem differt post excidium Hierosolymæ & tam longum exsilium. Atqui prophetia ostendit, statim atque occupatus fuerit populus & manus ei injecta à violento raptore, *Dominum* se manifestaturum & nomen suum notificaturum. Dicit enim: *in illo die.*

§. 65. Quanquam id ad præsentem quæstionem directè non facit (agimus enim de *fide in Christum*) tamen magnum usum habet ad probandam veritatem Euangelii: cujus veritate probata, etiam probatur, nos divina & gloriosa fide in Christum credere. Et infra suo loco usum habebit hæc observatio, quum de tempore manifestationis Christi agendum erit.

§. 66. Igitur noscenda hîc est evidens pugna Abarbenelis & prophetiæ. Prophetia dicit, *Eo die*, quo scilicet *populus meus occupabitur gratis, cognoscet populus meus, quòd ego sim, qui loquitur.* Abarbenel dicit, Post mille & quadringentos annos: &, qui nunc sentiunt cum illo, post amplius 1600 annos. Ex Ægypto quarta generatione redactus non sublatâ educti sunt. Ab Assyriaca transportatione reducti sunt post 70. annos captivitatis Babylonicæ. In terra quidem vixerunt sub potestate Persarum & Græcorum, qui Persas subegerant. In illo tractu temporis fuerunt pauca intervalla pacis, in quibus afflictio fuit. Tamen necdum elapsis 500. annis *ab exitu verbi ad reducendum*, facti sunt liberi. Quomodo dicet Prophetia hîc, *In illo die*, nempe quo לקח *occupatus est populus meus*, afferam; ut vel amplius 1600. annis intelligamus, vel etiam prorsus incertum tempus? Nam quis tandem est *ille dies*, in quo propheta hoc futurum dicit? An dies incertus? Omitto hunc articulum temporis ex aliis prophetiis urgere. Fiet id, Deo volente, aliàs. Tantùm id observetur, secundùm Euangelium, quod à propheta prædictum est, examussim factum cognosci. Quanquam Pompejus Hierosolymam expugnasset, Gabinius judicia ordinasset, Antonius Herodem regem declarasset, & regnum atque opulentia Judæorum plurimum fuissent imminuta per Romanos: tamen non priùs egerunt Romani, ut Domini, nisi quum Augustus inter omnes etiam Judæos jussit ἀπογράφεσθαι. Tum fuit *occupatio* peracta. Tum natus est Christus & se populo ostendit. Judæâ etiam demde in provinciam redactâ, & Syriæ contributâ, cœpit prædicare. Ita inter ipsa initia occupationis dixit, *Ecce me.* Cum quo convenit, quod modò ex Zacharia & Michæa citavimus.

§. 67. Illud quoque in Abarbenelis expositione abludit à prophetia, quòd pro *principibus populi ejulantibus* facit alienigenas dominatores *gloriantes* מתהללים, quasi alienigenæ cum occupantes & rapientes rectè dicantur משלו. Id vocabulum significat legitimam potestatem.

§. 68. A qua expositione delapsus aliam comminiscitur, *in longo hoc exilio principes Judæorum ejulare.* Quasi in exilio habeant שרים ומושלים *principes potestateque præditos*, & staret adhuc ipsorum respublica. Quæ expositio & rei contraria est & prophetiæ, quæ extat Hoseæ cap. 3: 4.

§. 69. Nos potiùs hîc notamus characterem temporis, quo Sion debuit asseri. Nempe, stante republica, potestatem habentibus principibus populi, sed tamen ejulantibus, tum de oppressione, tum, fortè, de imminuta potestate. Nam constat, ante deletum templum ablata fuisse judicia capitalia. Eum characterem aliàs probabimus per alias prophetias. Aliquam potestatem superstitem notat hîc. Nec potest esse minor, quàm potestas exercendi cultum juxta legem, & censuris vindicandi inobedientiam. Αὐτονομίαν id vocamus.

§. 70. Notandum quoque, in expositione Abarbenelis τὸ *Quid mihi hîc?* esse supervacuum. Sufficiebat enim dicere, Quare patiar populum meum occupatum esse gratis? Convenit sanè, per *hîc* indicari eum locum, ex quo vers. 11. jubet populum suum excedere.

§. 71 Præterquam quòd valde impar est verbum, quo Propheta utitur, לקח *acceptus est*, illi statui, in quem venit populus, postquam Christum crucifixit, & in quo adhuc est.

§. 72. Et, si rem putes, hoc tempore nemo est, qui populum teneat. Sunt, qui arceant Judæos, ne secum habitent: at neminem novi, qui teneat. Et possunt proficisci, quò volunt. Quare hic status in ipsorum per לקיחה *occupationem* explicari vix potest. Quòd sub templo secundo multa millia in multis locis extra terram habitarunt pro arbitratu suo, id non fuit לקיחת העם *populi occupatio:* ita, quòd, templo destructo, ubivis habitant, non est לקיחה *occupatio*, acceptio. Magis convenit, quod est Hos. 9: 17. *Sprevit eos Deus meus, quia non auscultarunt ipsi, & erunt palantes in gentibus.*

§. 73. Magis etiam peccat Abarbenel, quòd aspernationem nominis Dei ponit in eo, quòd Christiani dicant, Deum Israëlis in carne apparuisse. Nam, in qua re Deus gloriam suam ponit, illam ipse fingit esse depreciationem nominis ipsius. Deus, quum dicit, *cognoscet nomen meum, quòd ego sim is, qui loquitur*, & addit, *Ecce me*, numquid videri potest repudiare, tanquam inglorium, si quis dicat, eum in carne apparuisse? Omitto, quæ amplius infra vers. 8. ad hoc probandum sunt. Potestne, inquam, Deus videri per ea verba id abominari, quod ea verba, saltem prima fronte, videntur adstruere? Aut quod est in tota hac periocha indicium, ad Dei nomen & honorem ejus pertinere, ut non appareat hominibus & fiat justitia ipsorum? Deinde prophetia ostendit, ignorationem nominis sui esse in populo. Dicit enim, *cognoscet populus meus nomen meum.* Ergo apud populum erat rejectio nominis Dei, antequam Deus ipse loqueretur & diceret, *Ecce me.* Certè nominis Dei tantùm auditi præcedentibus temporibus & in dubium vocati cognitio danda per rem præsentem & alloquium ipsius Dei evidenter significatur.

§. 74. Vers. 7. *Quàm decent in montibus pedes nuncii, promulgantis pacem, nunciantis bonum, promulgantis salutem; dicentis Sioni, Rex factus est Deus tuus.* Sive illa verba sint prophetæ, sive tanquàm fidelis hominis in visione introducti, perinde est. Significatur alterum, quod in *assertione populi* futurum erat, post manifestationem Dei & nominis ipsius. Id est prædicatio Euangelii. Ea prædicatio ostenditur facienda 1. in montibus. 2. ad Sionem. Per *montes* intelligimus meritò totum mundum. Terra sive arida supra aquas fundata & in altum erecta, quia multas partes habet maribus & fluminibus intersectas, & multis jugis distinctas, *montes* dicitur. Valles ipsæ & campi montium illorum particulæ sunt, & ad altiora fastigia gradus. In *montibus* dicitur discurrere *nuncius*, hoc est, multi nuncii. Inter cæteros nobilis est Paulus Apostolus gentium. Ejus opus est nunciare & præconiare ad omnium auditum. Quid verò? *Pacem, bonum, salutem.* Ad *Sionem* verò dicere: *Rex factus est Deus tuus.* *Pax* opponitur *inimicitiæ* & seclusioni gentium.

Bonum

Bonum notat id, quod Deus approbat & gratum atque acceptum habet, quodque hominibus salutare est, & causa justitiæ, quodque homini est amabile, sive Dei amabilitatem. *Salus* significat cùm liberationem ab omni malo, tum acquisitionem beatitudinis perfectæ. Quod Sioni peculiariter dicit nuncius, est hoc, *Deum ipsius factum esse regem.* Ex quo intelligitur, eum, qui nunciatur rex factus, esse Deum Sionis.

§. 75. Porrò in hoc continetur aliquid, quod ad assertionem populi necessarium erat. Non tantùm debebat manifestari cum veritate nominis sui, sed & regium thronum occupare, & rex prædicari, cum bonis regni, non tantùm apud Sionem, sed & in toto mundo.

§. 76. Intelligitur, antea regnum Dei non fuisse revelatum. Opponitur id *ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις principatibus & potestatibus.* De quibus dixerat vers. 5. quòd *ejularent.* Quamdiu populus est sub illis principibus, id regnum, quod regnum Dei dicitur *κατ᾽ ἐξοχὴν*, non habet locum. Facilè patet, quod promittitur ut futurum, non fuisse in præterito, neque tale esse, quale est præteritum, sive quale id, quod erat, quum promitteretur regnum Dei ut melius.

§. 77. *Assertio populi*, propter quam *regnum capessit Deus Israelis*, non permittit, ut asserti Dei sint servi non-Dei, & sub manu & potestate *deorum nuncupatorum* permaneant, & ipsorum res, hæreditas, cultus ab hominum arbitrio & libidine pendeat: quemadmodum, quum præessent veteres *ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι*, terra, hæreditas, respublica, cultus externus, templum, &, quæ apud templum peragenda erant, à nutu & volutate tyrannorum sæpe pendebant.

§. 78. *Regnum Dei* tale est, ut id ab homine impediri non possit. In eo enim homo pendet à solo Deo, ejus eloquia audit, eum videt, eum intuetur, amat, quærit, glorificat; & eo fruitur. Quæ res non sunt subjecta humanæ voluntati aut violentiæ.

§. 79. Nemo Judæorum dubitat, quin in populi *assertione* Messias sit futurus *Rex*. Prophetia dicit, tum prædicatum iri regnum Dei. Idque in oppositione potestatis & imperii non-deorum. Quis non videt, quum dicitur, *Rex factus est Deus tuus*, intelligi Messiam? Quis ausit regnum attribuere non-asserenti; assertionem non-Domino; dominium non-Deo? Quæ est illa assertio, quod Dei regnum, quod relinquit populum Dei sub manu dominantium & servitutem imponentium?

§. 80. Prophetia hîc indicat, quòd apparitionem Dei apud populum secutura sit prædicatio Euangelii apud populum & in toto mundo. Potestne igitur fieri, ut Euangelium prædicetur in mundo, & nuncietur pax, bonum, salus, regnum Dei, & id Euangelium non sit verum? An per mendacium convertentur gentes ab idolis? An bonum & pax & salus & regnum, quæ prophetantur in Scripturis verè, non erunt vera pax, bonum, salus, regnum, quando creduntur à gentibus?

§. 81. Vers. 8. *Vox speculatorum suorum* auditur. *extulerunt vocem: pariter cantant. Quia oculo in oculo*, hoc est, oculum in oculo figentes *vident, quum reducit Jehovah Sionem.* Continuatur sermo ad Sionem, hoc est, filios Sionis, sive quærentes Deum in Sione, in templo. Admonentur ii, ut agnoscant, Deum suum regem factum esse. Eo verò argumento excitantur, quòd jam audiatur *vox speculatorum ejus. Speculatores* sunt *οἱ προηλπικότες εἰς Χριστὸν*, qui ante speraverunt in Christum, qui tanquam in specula constituti observarunt signa temporum & opera Dei non neglexerunt, & ad illa, quæ dicta & facta sunt, attenderunt. Eos igitur dicit prophetia *vocem una sustulisse:* id Sionis habitatoribus inculcans. Nempe, qui exspectaverant salutem Dei, ii, quum viderent opera, quæ fiebant, & verba, quæ loquebatur, dixerunt omnes uno ore, Deum visitasse populum suum. Eorum testimonium prophetia vult haberi pro irrefragabili. Et rationem addit, quare id non debeat nec possit rejici. Quia coram & *oculis in oculos* defixis *videant*, quòd *Jehovah reducat Sionem.* Si hîc non est visio Dei *Φανερωθέντος ἐν σαρκὶ*, quid sibi vult emphatica illa locutio, *oculo in oculo vident?* Quid enim id est, nisi *oculos suos in oculum reducentis Jehovæ* habentes? Numquid etiam hic locus probat, Christianos blasphemare Deum, qui affirmant, Apostolos & alios discipulos Christi oculis suis vidisse Sermonem vitæ, qui fuit ab initio; & Judæos, qui id negant, nomen Dei ab injuria vindicare? An potiùs, qui id nobis affirmarunt, sunt ii speculatores, quarum voce Sion debet excitari, & cum quibus debet cantare. Quid enim speculatores clamant, quid canunt, nisi, se oculo in oculo vidisse Jehovam reducentem Sionem? Hoc igitur, quando dicetur, tum credendum esse, tum cantandum esse, clarè docet Prophetia. Non enim hoc proclamaturos, nisi speculatores, hoc est, qui noverint, quid Deus promiserit in posterum videndum, & ad signa temporum attenderint, & revera oculo in oculum viderint. Qualis autem potest excogitari sermo conveniens huic prophetiæ alius, quàm is est, quo utitur Joh. 1: 14. *& vidimus gloriam ejus* &c. item 1 Joh. 1: 1. 2. *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod contemplati sumus, & manus nostræ palparunt de Sermone vitæ. Et vita manifestata est, & vidimus, & testes sumus, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & manifestata est nobis.* Hoc dicentibus vult nos credere Spiritus sanctus. Nam, si etiam tum, quando id dicetur, non vult nos credere, quare Sionem eo argumento vult convincere, quòd talis vox audiatur? quare eam vocat vocem *speculatorum*, qui scil. verbum Dei habeant manens in se, & promissionem Dei intellexerint, & opera Dei ac signa temporum rectè observaverint?

§. 82. Quid? quòd ipsa res, quam agens Jehovah *oculo in oculo videtur*, est evidens & latere non potest? Nempe quòd *reducit Sionem.* Quod quid aliud est, quàm *reducere peccatores ad resipiscentiam?* Matth. 9: 13. *Filios reducere ad cor patrum?* Malach. 4: 6. Vide etiam Malach. 3: 2. 3. vel. 5. 6. Et, ne abeamus à præsenti pericocha, quid est *reducere Sionem* aliud, quàm Sioni *notificare nomen suum* & ab ejus *aspernatione* eam sanare?

§. 83. Atqui obscurum non potest esse, quando id agitur, ut peccatores à peccatis, à superstitione, à falsa justitia, ad pietatem, ad veritatem, ad veram justitiam; à blasphematione nominis Dei ad glorificationem ejus convertuntur.

§. 84. Quanquam non eo solo consummetur *reductio Sionis.* Sunt enim hîc etiam ea opera, quibus probet, se esse Sanatorem Sionis, &, se esse eum, qui loquitur. Quæ latere non possunt. Præterea est hîc revocatio à jugum imponentibus, idque aggravantibus, iisdemque ejulantibus, & nomen Dei ignorantibus, engastrimythis, pipientibus, mussantibus, ad se tanquam Deum ipsorum, juxta legem & contestationem. Es. 8: 19. 20. Matth. 11: 28. Hæc omnia non possunt esse obscura. Neque potest fieri, ut verus *speculator* ea non videat, aut, eo clamante, quòd viderit, quid viderit, incertum sit atque ambiguum; quum testatur, se videre *reduci Sionem* iis modis & mediis, quibus debuit reduci, & ab iis, à quibus debuit revocari, avocari, asseri, vindicari.

§. 85. Vers. 9. *Fragorem facite, cantate unà, desolata Hierosolymæ; quia consolatus est Jehovah populum suum, asseruit Hierosolymam.* Cohortatur ad cantum, h. e. ad fidem & confessionem ejus, quod nunciari dixerat, cum lætitia. Clarum est, quos ad hoc cohortatur, eos cunctari hanc confessionem edere. Alloquitur autem *desolata Hierosolymæ*, & simul declarat, *Jehovam consolatum esse populum suum & Hierosolymam asseruisse suam.* Quomodo *consolatus est populum suum & Hierosolymam vindicavit*, si adhuc *Hierosolyma habet vastitates?* Hæc satis ostendunt, non esse sermonem de Hierosolymæ muris & domibus, sed de ejus civibus, hoc est, de omnibus, qui Hierosolymam conveniebant; & in illis distingui *populum Jehovæ*, quem *Jehovah consolatus est*, & alios adhuc in luctu & tristitia constitutos, tanquam non habentes Deum apud se habitantem, & derelictos, & consolationis illius necdum factos participes: quos ad *cantandum* excitat: nempe ut consolationem Euangelii (de quo vers. 7.) admittant, & Deo pro ea gratias agant. Non potest alia *consolatio* intelligi, quam quæ fit per Euangelium, & cujus causa mittendus erat Christus. Es. 61: 1. 2.

§. 86. Altera ratio, qua desolata Hierosolymæ excitantur ad cantum, est, quòd *Jehovah Hierosolymam asseruerit.* De hac *assertione*, ut futura, locutus est vers. 3. quam hîc factam prædicat. Est autem גְּאֻלָּה *assertio*, simul suum repetere aut petere, ac dicere, Hoc meum est (Esai. 43. vers. 1.) simul id facere, quod facere necesse est eum, qui suum habere postulat. Ita *assertio Jehovæ*, qua *asseruit* Hierosolymam, est 1. id facere, quod necesse erat fieri, ut Hierosolyma, hoc est, omnes adeuntes Hierosolymam, non teneretur esse sub jugo, sub servitute, sub potestate & manu *dominantium*, imponentium servitutem & castigantium pro arbitratu suo; sed posset soli Domino Jehovæ regi suo in libertate servire. ut non alium præceptorem, non alium sacerdotem, non alium regem vel dominum quærant, sed ab ipso doceantur, in ipso justificentur, & in ipso glorientur, eumque Patrem suum vocent. 2. Eam libertatem edicere & publicare: sive omnes Israelitas obligare ad renunciandum servituti & principibus prioris seculi, & ad gaudendum & canendum in libertate regni Dei.

§. 87. Ex hoc quoque perspicuum est, tum dici *Deum Sionis regem factum esse*, quando is id fecit, propter quod convenit, ut populum suum non relinquat in servitute & manu principum, sed eos jubeat ad se accedere & sibi servire in justitia & libertate: qui cultus à nullo homine impediri potest.

§. 88. Vers. 10. *Nudavit Jehovah brachium sanctum suum coram oculis omnium gentium, & viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.* Etiam hic versus pertinet ad Exhortationem, qua Sion sive deserta Hierosolymæ excitantur ad gaudendum & canendum, sive Euangelium cum lætitia accipiendum & confitendum. Argumentum inde sumitur, quòd *Jehovah brachium suum nudaverit coram oculis omnium gentium*, hoc est, quòd Deus aperuerit oculos gentium, ut viderent Dominum quasi brachio extensio apprehendentem populum suum & Hierosolymam, & omnes dictos Deos abdicantem: sive quòd gentes cognoverint, id à Domino factum & præstitum esse, propter quod omnis Israel

raël debeat in libertate & lætitia Deo servire soli, & non amplius principibus & diis nominatis subjici ad jugum ferendum. Quumque, ex altera parte, *omnes termini terræ viderint salutem Dei nostri*. hoc est, quòd omnes tribus Israël viderint & cognoverint, ita ut revera plurimi confessi sint, reliqui ignorare non possint) opera Christi, quibus sanavit Israëlitas, & doctrinam saluriferam, & passionem ipsius justi pro injustis, & gratiam sanctificantem, & effusum Spiritum sanctum in nomine ipsius, & ex ipsis persecutoribus factos testes & Apostolos, & illuminationem gentium. Hæc igitur sunt argumenta, quibus *desolata Hierosolymæ* debebant commoveri ad lætitiam Euangelii & *consolationem* Jehovæ admittendam.

§. 89. Vers. 11. *Recedite, recedite, exite inde; impurum ne tangite. Exite è medio illius; repurgate vos, ferentes instrumenta Jehovæ*. Vers. 12. *Nam non in festinatione exibitis, & in fuga non ibitis. Nam it ante vos Jehovah, & congregator vester est Deus Israëlis*. Vers. 13. *Ecce prosperabitur servus meus, celsior fiet, & efferetur, & celsus fiet admodum*. Vers. 14. *Quemadmodum stupuerunt super te multi (adeò res corrupta erat præ viro species ejus, & forma ejus præ filiis hominis)* Vers. 15. *ita asperget gentes multas, super eo claudent reges os suum: quum, quod narratum ipsis non fuerat, viderint, &, quod non audiverant, animadverterint*.

§. 90. Clarum est in hisce Præceptum *recedendi & exeundi*. Non potest dubitari, quin *populus*, is, quem Jehovah dicitur *consolatus*, & *asseruisse*, quique dicuntur *sustulisse vocem & canere*, jubeantur *recedere* alicunde & *exire*. Quò verò? & unde? Quò? nisi ad gentes? Promittitur enim, *Servum Dei gentes multas aspersurum*: & ea ratione suadetur exitus. & cap. 53. vers. 11. 12. dicitur *justificaturus multos*, & hæreditatem *partiturus in multis*.

§. 91. Unde igitur jubentur exire? Propheta dicit, *Inde*. Quid hoc aliud est, quàm ex eo loco, in quo hæretis & subsistitis? imò *inde ad gentes*. Ergo ex terra Israëlis in mundum reliquum.

§. 92. Dicit item, *Ex illa*. Atqui nominaverat *Hierosolymam*: & aliam civitatem non nominaverat.

§. 93. Dicit, הִבָּרוּ ἀφορίσθητε, alii ab aliis separamini: colligite vos, qui vasa Domini portatis, & vos segregate ab illis, qui sunt *impuri*, & *impura* tractant. Ergo populus Dei jubetur secerni ab illis, cum quibus commiscebantur, nempe à popularibus & fratribus suis. Id quod & ex cap. 53: 8. patet: & confirmatur Esai. 66: 5. ubi *fratres* timentium Deum dicuntur ipsos *odisse* & *à se separare* & ἀναθεματίζειν.

§. 94. Convenit etiam cum vers. 5. *Quid mihi hic?* Quid me potest hic, in hac urbe, detinere, ubi populus meus occupatus est & est sub potestate principum ejulantium? Qui dicit, *Quid mihi hic?* significat, se inde paratum esse abire, & populum suum educere. Et jam, quum vers. 9. *desolata Hierosolymæ* dicuntur, significatur, esse aliquam partem Hierosolymæ relictam ἔρημον: secundùm illud, Matth. 23: 38. *Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta*. h. e. templum. Templum igitur, in quo Christus non voluit amplius manifestari, & Deus non voluit amplius habitare, & illi, quibus ea domus ipsorum deserta relinquitur, sunt *desolata Hierosolymæ*.

§. 95. Accedit, quòd & alibi de egressione populi Dei ex urbe & terra, & terræ succedens vastatio & execratio prædicetur.

§. 96. Abarbenel hic hæret. Fatetur, Hierosolymam esse, ex qua jubeantur exire, qui evocantur. Sed fluctuat, qui illi sint, qui evocantur. Supponit, Hierosolymam esse in potestate Ismaëlitarum, ad tempus assertionis. Igitur evocari Judæos ex ea. Vel etiam ipsos Ismaëlitas (qui venerint in locum Babyloniorum) & Romanos juberi inde exire. & eos appellari *ferentes vasa Domini*, quòd & Babylonii sub Nebucadnezare, & Romani templum spoliarint. Quæ quàm sint futilia, quis non videt? Si Israëlitæ sunt, qui jubentur exire, quomodo ea ratio est exeundi, ne impurum tangant? An igitur illis locus sanctus est impurus? At Ismaëlitæ sunt impuri, licèt se incessanter lavent. Quomodo igitur Dominus asseruit Hierosolymam, si eam tenent Ismaëlitæ impuri? numquid eam asseruit Ismaëlitis? Et quomodo, qui exeunt, Israëlitæ vasa Domini portant: quæ ibi non sunt? Si Ismaëlitæ & Romani; quomodo jubentur exire, ne impurum tangant? an Ismaëlitæ & Romani sunt puriores loco sancto? Et quæ illa ratio loquendi est, ut *ferentes vasa Domini* honorifico vocabulo, quo honestius sacerdotibus & Levitis dari non potest, raptores & impuri latrones appellentur? Et quomodo spoliationem intelligere hic possumus, cujus ante in hac periocha nulla est facta mentio?

§. 97. Nimirum, qui veritatem oderunt, coguntur omnia comminisci & omnia dicere, tametsi futilia, inepta, & nulli rei fint. Sed ipsa res in Euangelio prædicata cum Prophetia comparata cogit nos prophetiam ei rei addicere: quemadmodum ἀρχέτυπον apud artificiosam & exactè factam imaginem collocatum, judice spectatore non incurioso, eam imaginem sibi jure vindicat.

§. 98. Sit igitur nobis certum, admoneri *populum Dei*, qui *nomen Dei cognoverat*, qui vocem Euangelii salutis audiverat, & de ea gavisus erat, quòd oculo in oculo viderent, Deum reducere Sionem; ut inde, ubi principes populi (quibus ante *assertionem* Dei sui subjecti fuerant) *ejulabant*, ubi quotidie *nomen Dei blasphemabatur*, inde, ubi Deus dixerat, sibi nihil reliquum esse, quod ipsum detineret; egrederentur. Idque ne se participes facerent stercorum & immunditiei, qua Hierosolyma oppleta erat; &, quia Deus ipsos elegisset, qui vasa sua ferrent, non aurea & argentea, sed spiritualia, verbum scilicet suum, professionem nominis sui, Spiritûs sancti χαρίσματα, & omnia vera bona domûs Dei, quæ impuri & profani habere & videre non possunt. Nam illa, quæ ex auro & alia materia facta sunt, non sunt verè vasa Domini: quemadmodum etiam nulla domus manibus facta est verè domus Dei. Esai. 66: 1. qui manibus hominum non colitur. Actor. 17: 25. &, se eo cultu non delectari, ipsa illius sublatione & abolitione testatur: quum ea vasa aurea & argentea possint occupari à contaminatis & impuris, & possint adhiberi ad cultum dæmonum.

§. 99. Quum prophetia dicit, *Recedite, exite*, significat, dictum iri piis, eosque monitum iri tempestivè, ut exeant. Christus dederat signum, quo admonerentur. Matth. 24: 15. 16. 17. 18. Et is Danielem præmonentem citat. Esaias ipse hic est admonitor; qui etiam monet, ut citò exeant. Apostolus Paulus in ea ad Hebræos idem agit, ut Hebræi tandem palam libertate & parrhesia uti inciperent, ne nimis longa commoratione apud Synagogam adducerentur ad claudicationem & projectionem suæ adstipulationis & confessionis.

§. 100. Egressionem suadet Spiritus sanctus vers. 12. *Nam non in festinatione exibitis, & in fuga non ibitis*. Ab incommodi vitatione ducitur una ratio. q. d. si non maturè exeatis, cogemini aliquando in festinatione exire, & in fuga ire. De *fuga* hac Christus loquitur Matth. 24: 20.

§. 101. Altera ratio à divina clementia & providentia ipsos deductura. *Ante vos ibit Jehovah, aciem claudet* & in castra vos *colliget Deus Israëlis*. Non est fuga vester exitus (si in tempore id faciatis, ut fugiatis contaminationem, antequam cogamini fugere ob terrorem) sed expeditio ad occupandum mundum. Vestra acies erit acies Dei Israëlis.

§. 102. Tertia ratio ducitur ab exaltatione majestatis & regni Christi. Quem *Servum suum* vocat. Compellat autem *populum suum*, servos suos, quos evocat ex Hierosolyma. Unde clarum est, non eundem esse *populum*, qui evocatur, & *Servum Jehovæ*, cujus exaltatione invitantur ad maturandam egressionem & libenter relinquendam Hierosolymam, jam magna parte ἔρημον & *desolatam* ac spoliatam ornamentis suis. *Servus Dei* in emphasi intelligendus est. Cui Pater aures perforavit; qui voluntatem Dei fecit; Psalm. 40. qui Jehovæ dixit, dominus tu es; Psalm. 16 quem *firmavit sibi servum ad reducendum Jacobum ad se*, quem *dat in lucem gentium, ut sit salus Jehovæ usque ad fines terræ*. Esai. 49: 5. 6. De quo *servo* κατ᾽ ἐξοχὴν dicto, tanquam ἰδίῳ & διαφορωτέρῳ ὀνόματι, in non paucis capitibus Esaias locutus est. Christum etiam Veteres intellexerunt. Et cap. 53: 11. vocatur Δίκαιος, *Justus* antonomasticè.

§. 103. Quemadmodum Abrahamo dictum est, ut exiret ex domo patris sui, quia Deus ipsi benedicturus esset, & ei terram peregrinationis suæ daturus: ita populus Dei credens Euangelio evocatur ex Hierosolyma *polluta* & à Deo *deserta*, ac ornamentis suis spoliata, ut hæreditet mundum in regno Christi.

§. 104. Verba, quibus notatur exaltatio Christi in regno suo, quatuor sunt. In iis est gradatio aut etiam diversus modus. Significatur profectus regni secundùm tempora distinctus. 1. *Prosperabitur*. ut in prima Euangelii prædicatione. 2. *Superior* vel *altior fiet*. nempe quàm ab initio, vel præ suis adversariis. 3. *Et extolletur* sive *elevabitur*, tanquam projectus in terram. 4. *Et valde altus fiet*. In fine temporis. Hæc de regni Christi manifestatione in mundo intelligenda sunt.

§. 105. Quarta ratio est opposita scandalo & pudori fidelium, quòd multi & magni super ipsis stuperent. Compellatur hic in singulari unus quivis fidelium. Concedit, quod *multi super ipsis stupeant*, nempe, quòd fiduciam suam in homine & quidem suspensò ponerent. Id explicatur per μετεμβολὴν sive parenthesin. Ratio stuporis multorum super fide Ecclesiæ est, quòd *aspectus Servi Dei* fuerit *res corrupta præ viro, & forma ejus præ filiis hominum*. hoc est, quòd *exinanitus fuerit*, quòd non tantùm *servi formam assumserit*, sed &, *habitu repertus ut homo, se humiliaverit ad mortem, mortem autem crucis*. Phil. 2: 6. 7. 8. ubi etiam, ut hic, humiliationi opponitur ὕψωσις *exaltatio*. vers. 9. Videri possit Spiritus hic allusisse sua verba, quæ dictaverat Davidi Psal. 22: 7. *At ego vermis, & non vir, opprobrium hominum, & spretum populi*.

§. 106. Igitur *stultum* videtur, tali confidere. 1 Cor. 1: 18. 23. Ea species stultitiæ est causa stuporis in multis.

§. 107. Huic *stupori multorum* opponitur consolatio: quòd *perinde multos* sit *aspersurus*.

§. 108. Vocabulum sumtum à ritu sacro ῥαντισμοῦ *aspersionis.* Ad quem alludit Psal. 51: 9. *Expiabis me hyssopo.* Nihil aliud significatur, quàm quòd vi sanguinis sui ipsos mundaturus sit à fœditatibus suis & à regno Satanæ, & ipsis spiritum novum daturus, & cor novum, dato ipsis spiritu suo. ut est Ezech. 36. vers. 25. 26. 27. *Aspergam vos aqua munda ; spiritum novum & cor novum ponam in medio vestri ; spiritum meum dabo vobis, & faciam, ut in viis meis ambuletis.*

§. 109. Admiranda hic est cæcitas Judæorum. Abarbenel יזה *asperget*, ῥαντιεῖ, explicat per יזר *dissipabit.* D. Kimchi *verbis compluet.* יטף. Hoc tamen propius abest à vero. Neque potest id intelligi sine efficacia. Quæ tamen ipsa, si verbum יזה *aspergere* de verbis usurpes, non significatur ea phrasi.

§. 110. Veteres autem, qui vers. 13. de Christo Filio Davidis interpretati sunt, quam causam dicent, quare non & vers. 14. ac 15. de eodem intelligant?

§. 111. Abarbenel rationem dicit: quia de Christo Filio Davidis dici non potest, quòd *aspectus ejus* sit *res corrupta præ viro.* Et cur non? Quia Esaias dicit cap. 42: 1. *Ecce servus meus, quem teneo: electus meus, quem accipit anima mea.* & cap. 11: 1. *Virga ex stipite Jessæ: & requiescet super ipso Spiritus Domini.* &, *Eum gentes requirent.* Non igitur, inquit, erit *contemtibilis, destitutus à viris, vir dolorum. & quomodo de eo dicitur: Ipse morbos nostros portavit?* &c. *Non erit percussus & verberatus*, sed *justus & salvatus. Itaque de ipso dici non potest, quòd afflictiones & mortem sustineat pro Israële. Nam in manu Christi Filii David erit imperium. non auferetur ab ipso.*

§. 112. Hæc sunt, quæ Abarbenel dicit, vir sagacissimus & ingeniosissimus: quique facilè animadvertit lapsus popularium suorum. Sed quàm sunt illa tenuia, quæ ipsum impediverunt, ne obediret veritati!

§. 113. Veteribus Hebræis acceptum fuit, Christum afflictum iri. Sæpe enim loquuntur de חבלי המשיח *passionibus Christi.* Paulus coram Agrippa loquens supponit pro confesso, *εἰ παθητὸς ὁ Χριςὸς, an Christus passiones subiturus sit?* Actor. 26: 23.

§. 114. Sed videtur illis hominibus scandalum *mortis* & *crucis* præcipuè obstare. Quemadmodum & Apostolus dicit 1 Cor. 1: 23. *Nos prædicamus Christum, & quidem crucifixum, Judæis scandalum.* Ita Judæi Joh. 12: 34. Christo opponunt, *Christum mansurum in secula.*

§. 115. Si potuissent ab animo suo impetrare, ut considerarent, quale regnum Christus habeat; nempe majus humano, non tale, quale homines gerunt in mundo, sed majoris potentiæ; quod nempe sit regnum in animam & voluntatem, quod per verbum & spiritum administretur; in quo populus sit, qui ipsi credit & ipsum diligit: facilè possent illa conciliare.

§. 116. Observarent enim ante omnia, in hac prophetia dici, quòd multis sit futurum scandalum Christi humilitas & mors, adeò ut stupeant super fide populi Dei, tanquam stultitia.

§. 117. Deinde viderent, eum, cujus regnum est, virtute meriti sui & ῥαντισμῷ sanguinis sui à via mala reducere errantes, ut ab eis ametur, atque ita cognoscerent, eum, qui est *Lux* hominum, posse ad tempus lucere inter homines, etiam contumaces & rebelles, & deinde abire ab illis & illis non lucere amplius, ut tenebræ ipsis superveniant: ita tamen ut etiam tum cognoscatur & ametur ab illis, quos aspergit.

§. 118. Quæ est responsio Christi Joh. 12: 35. 36. Ubi innuit, duplex esse tempus, utrumque populo diligenter animadvertendum. unum lucis, quum scil. lux in mundo sit futura: alterum tenebrarum, quum lux ab ipsis sit abitura. Quod non nisi per mortem futurum erat. Deinde ostendit, regnum suum in eo consistere, ut habeat, qui in ipsum *credant.* & illorum bonum esse, ut *fiant filii lucis.*

§. 119. Et sanè de *tenebris*, quæ secuturæ erant *lucis* præsentiam, multæ testantur Prophetiæ. Sufficiat nunc ea, quæ est Esai. 8: 18. 19. 20. 21. 22. Ubi Christus primò sistitur: *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, in signa & prodigia à Domino, qui habitat in monte Sion.* Deinde ostenduntur ii, ad quos audiendos populus sollicitatur, mortui, ἐγγαςρίμυθοι, contrarii ipsi. Et discipuli jubentur audire Deum suum. Illis autem, qui non locuti fuerint secundùm illa, negatur ortus auroræ; imò tenebræ totam terram occupaturæ denunciantur. Quod arguit, lucem abire ab ipsis. Nam, si lux maneret apud ipsos, verbo & operibus se ostenderet Servatorem mundi. Quandoquidem verò abit ex mundo, redit utique ad Patrem. Hoc non facit, nisi victimâ pro peccatis oblatâ. Ergo non nisi morte interveniente.

§. 120. Ita igitur patet, non Scripturam contrariari sententiæ, quæ de Christi passionibus & morte interpretatur hanc periocham & similes, sed Judæorum falsas hypotheses facere, ut non possint omnibus, quæ de Christo dicta sunt, credere. Dum enim, quæ de Christi regno dicuntur, carnaliter interpretantur, coguntur, quæ de Christi humiliatione dicuntur, ad alios, non sine violenta contorsione, referre.

§. 121. Prophetia porrò consolatur eos, quos evocat ex Hierosolyma, ne terreantur regum decretis & edictis adversus Christianam religionem. Quemadmodum Daniel dicit, cap. 11. vers. 36. *Regem* Romanum *contra Deum deorum locuturum mirabilia.* Hac autem ratione eos consolatur, quòd, quum *Servus Dei asperserit multos*, tum *Reges conclusuri sint os suum super ipso*, ut non pergant loqui grandia contra ipsum, sed timeant contra ipsum vel mussare, quum *viderint non narrata & non visa.* nempe converti multas myriadas, in eis Spiritum sanctum esse efficacem ad patientiam omnium tormentorum, dæmonas in oraculis loquentes conticescere, idololatriam fieri ridiculam & detestabilem, & persecutores severè punitos. Qualia nullis antea temporibus gesta fuerant. Ex eo enim consecutum est, ut Reges non amplius edictis impeterent religionem & multi inimicorum Christo mentirentur.

§. 122. Verba, quæ sequuntur cap. 53. usque ad vers. 11. novum sermonem constituunt. Multa hic Judæi comminiscuntur de persona loquente & de objecto. Volunt, reges ita loqui de gente Israëlitica. Nos dicimus, hunc sermonem esse cujusvis fidelium exeuntium ex Hierosolyma, nominatim Apostoli Pauli, ad gentes: de Servo Dei, illo, quem valde exaltatum iri dixerat Deus, cap. 52. vers. 13. sive, esse summam Euangelii prædicati in gentibus. Nam Euangelium, ut prædicatum fuit ad Judæos, extat cap. 52. vers. 7. 8. 9. 10.

§. 123. In hoc sermone est 1. σχετλιασμὸς super incredulitate hominum. vers. 1. 2. Expositio causæ, quare Judæi in Christum non crediderint. vers. 2. 3. 3. Demonstratio causæ passionum Christi, & iniquitatis judicii Judæorum de Christo patiente: itemque finis, cui, passionum, sive pro quibus passus sit. vers. 4. 5. 6. 7. 4. Indicatio exaltationis Christi. vers. 8. p. p. 5. Indicatio judicii Dei de Judæis. vers. 8. p. a. & vers. 9. & fructûs mortis Christi. vers. 10.

§. 124. Nulla est persona, cui aptior sit hic sermo, extra Paulum Apostolum, loquentem ad gentes. Is enim de se, ut & de aliis Judæis, qui in Christi humilitate scandalizati fuerunt, verè hæc narrare potuit.

§. 125. Sed, quod ab initio occurrit, primò considerandum. Est quasi comploratio de paucitate credentium. *Quis credidit auditui nostro?* h. e. ei sermoni, quem audivimus, vel rumori & famæ apud nos auditæ. Testatur, famam de Christo, Servo Dei, manifestato increbuisse: sed vix paucos credidisse: adeò ut rectè dicere possit, nullum credidisse. *Et brachium Jehovæ super quo revelatum est?* Abarbenel non interrogativè, sed assertivè. *Et brachium Jehovæ revelatum est* על מי שנגלתה *super aliquo, super quo revelatum est*, nempe *super Mose.* Ineptè. מי in sacris non ita. Respicitur hic ad cap. 52: 10. *Nudavit Jehovah brachium suum coram omnibus gentibus.* Dominus ut exerto brachio apprehendens Hierosolymam & populum sibi vindicans, ut sibi adhærescat, introducitur. Est autem in *vindicatione* populi non tantùm redemtio, & Euangelii ad fidem prædicatio, sed etiam redemtorum per Spiritum suum occupatio. citra quam Christus non haberet populum. Nisi enim quis regeneretur ex aqua & spiritu, non videbit regnum cœlorum. Ezech. 36: 25. 26. 27. Igitur deploratur hic paucitas & raritas eorum, in quibus manifestum fiat, quòd Deus ipsos, tanquam populum suum & hæreditatem suam, brachio suo apprehenderit. Non sufficit ad conversionem *auditus:* oportet etiam accedere *brachium Dei* arripiens & adducens. Nisi Deus det *Spiritum gratiæ & implorationum*, qui est *spiritus fidei*, nemo *est ejus.* Zach. 12: 10. 1 Cor. 12: 3. 9. Rom. 8: 9. Is autem spiritus φανεροῦται. 1 Cor. 12: 7. Quod est potentiæ Dei, id Spiritui appropriatur, ut ei, qui mittitur & datur, ut arrhabo & paracletus, atque ita consummat fideles.

§. 126. Vers. 2. Sequitur humilitatis Christi explicatio, propter quam fuerit neglectus. *Et ascendebat* crescebat *ut stolo coram ipso & ut radix ex terra arida. Non species erat ipsi & non majestas reverenda, & videremus illum? non erat aspectus, ut appeteremus eum.* Alluditur hic ad nomen Christi צמח *germen.* Dicitur autem *Germen* simpliciter, & *Germen Jehovæ*, & *Germen David, surculus ex stipite Jessæ.* Zach. 6: 12. *Germen nomen ejus, & à se germinabit.* Esaias. *ut radix ex terra arida.* Christus ἀνατέταλκεν, *ortus est ex Juda:* sed nec ad regnum, quale habuit David, natus est; neque ad sacerdotium. Ex matre enim à Davide oriundus fuit: & de tribu Levi non fuit. Non potuit igitur vel regnum sibi vindicare in terra, vel sacerdotium. Deinde *domus Davidis collapsa erat.* Amos. 9: 11. *Ut stolo*, & παραφυὰς. quæ à radice arboris, & non ex arbore nascitur. Ita Christus non ex ipsa arbore, per usitatam generandi viam, sed ex radice arboris, Deo scilicet, homo prodiit; ut non generatus homo, sed creatus, de sanguine matris suæ. Es. 11: 1. *Et surculus ex radicibus ejus fructificabit.* Sed ipse quoque est *radix Jessæ.* Esai. 11: 10. Apoc. 5: 5. 22: 16. *radix & genus Davidis.* Ipse ex Davide, David ex ipso.

§. 127. Quanquam autem esset in forma Dei, hoc est, haberet vitam divinam in se, & in populo Israëlitico jam esset cognitus divina majestate (quippe qui in Sinai locutus est, & de quo locutus est Pater, quique sæpe, ut Angelus Jehovæ & Jehovah appa-

apparuit patribus) tamen non voluit inter homines *εἶναι ἴσα Θεῷ esse ut par est Deo:* sed *seipsum exinanivit.* Phil. 2:6. 7. 8. Non ita apparuit, ut statim cuivis manifestum esset, eum esse Filium Dei: quemadmodum, quum veniet cum nubibus cœli, id manifestum erit; quum videbunt eum, qui ipsum confixerunt. Non tamen sine indiciis divinæ majestatis apparuit. Imprimis ea locutus est, quæ oportebat loqui Filium Dei: & morbos abstulit: & passus est, quæ Salvatorem oportebat pati. Sed, qui Scripturam non intelligebant, & ei non credebant, ii eum non cognoverunt, nec receperunt: sed, qui Scripturæ crediderunt, *viderunt gloriam ipsius, gloriam, ut unigeniti à Patre.* Joh. 1:14. Erat ille quidem חמדת הגוים *desiderium gentium*, Hagg. 2:8. sed Judæi, inter quos Apostolus Paulus, non adamaverunt eum. Id enim, quod putabant in Christo debere apparere, non videbant.

§. 128. Pergit vers. 3. *Contemtibilis & destitutus viris. Viri*, præsides populi, Sacerdotes, judices, scribæ, illi, qui Dei appellati sunt, circa ipsum non fuerunt. Johan. 7. vers. 48. *Numquis ex principibus credidit in ipsum? aut ex Pharisæis? Pueri* cum ipso ambularunt. Esai. 8: 18. *Ecce ego & pueri.* Psalm. 8. vers. 3. *ex ore* non virorum sed *puerorum & lactentium fundasti robur.*

§. 129. *Vir dolorum & cognitus morbo* sive potiùs *ἀσθενείᾳ*, aut quoad *ἀσθένειαν.* Quod explicatur vers. 7.

§. 130. *Et ut absconsio faciei præ nobis*, hoc est, nobis fuit adeò vilis, ut nauseam nobis videretur facere, ut, quoties oc curreret, faciem tegeremus, ne ipsum videremus. Quòd esset odiosus populo, & videretur blasphemus & seductor: quem ante oculos suos ferre non possent. Nisi malis מַסְתִּיר pro מַסְתֵּר *abscondens faciem.* Nam & Christus in publico non clamavit. Esai. 42: 2.

§. 131. Denique, quid multis? *Contemtibilis erat, & non reputavimus eum.*

§. 132. Vers. 4. Iniquum *tamen* id fuit & inexcusabilis stupor. Nam *morbos nostros ille portabat; & dolores nostros bajulabat.* Ille ostendit, se esse Sanatorem nostrum sanando morbos & ægritudines & passiones ferendo. Ipso effectu sanationum ostendit, se esse eum, qui morbos nostros bajulandos suscepisset, Matth. 8: 17. Ex verbis Esaiæ discimus, Eum, qui sanaturus erat à morbis & à morte, qui vitam daturus, nostros morbos & dolores ferendos suscepisse.

§. 133. Pergit in falsi judicii explicatione. Sed hic falsitati veritatem membratim opponit. *Et nos reputavimus eum percussum, verberatum Dei & subactum.* Duo priora distinguenda sunt. 1. נָגוּעַ à נגע est, quod significat plagam *θεήλατον*, ut lepram. Habuimus eum quasi leprosum, & à mala conscientia exagitatum. 2. *Verberatum Dei*, justè & secundùm legem Dei. 3. *Subactum*, in morte devictum, Psal. 41: 9. &, *qui* vel *postquam procubuit, non addat surgere.*

§. 134. Veritas, ut dixi, membratim opponitur falsæ existimationi. Existimationi *plaga affecti* opponitur ipsius *συμπάθεια. Et ille dolore afficiebatur propter defectiones nostras; contereba tur*, enervabatur, *propter pravitates nostras.* Quòd Christus semper visus fuit tristis, id non à mala conscientia, sed ab *εὐλαβείᾳ* & *συμπαθείᾳ* provenit. Malè eum habuerunt peccata nostra. Ita in horto, quum *ἠγωνία*, cum *περίλυπος ἐγένετο*, vidit peccata discipulorum, & Ecclesiæ, atque etiam Israëlis. Quum Hierosolymæ appropinquaret, flevit. Luc. 19: 41. Esai. 16: 9. ex persona Dei (ut apparet ex vers. 4.) dicitur: *Ideircò flebam in fletu Jabzer vitem Sibmah, rigabam te lacrima mea* &c. & vers. 11. *Propterea viscera mea ob Moabum velut cithara strepebant.* Nemo hic miretur, nos ea, quæ de *Moabo* dicta videntur, de Israële interpretari. Scriptura *πνευματικῶς* alios aliis nominibus appellat. Dicunt Judæi, per *Edomum* intelligi Romanos. At Judæi rebelles nunc *Edom*, nunc *Moab* appellantur. & subest ratio. *Edom* cum Judæis unum populum faciebat, quum Christus apud eos apparuit: & in civitatibus Moabitarum habitabant, & Moabitas proselytos fecerant. A parte gens appellatur; & quidem ea pars gentis, quæ animos gerit Moabitarum & Idumæorum refractariorum.

§. 135. Opinioni *verberati Dei*, sive juxta legem Dei flagellis concisi, opponitur Satisfactio ipsius. *Disciplina pacis nostræ super ipso erat, & vibice ejus nobis sanatio facta est.*

§. 136. Quòd Servus Jehovæ dicitur מֻכֶּה *verberatus*, & hic *μώλωπας* habuisse; id convenit cum eo, quod est Esai. 50: 6. *Tergum meum dedi verberantibus & malas meas vellentibus: faciem meam non abscondidi à contumeliis & sputo.* & Mich. 4: 14. *Virga percutiunt in mala judicem Israëlis.* Refer eò & Mich. 2: 8. *Coram paludamento togam detrahunt.*

§. 137. Scriptura passiones Christi spargit: alias aliis locis exprimens.

§. 138. מוּסַר hic non significat *σωφροσύνην*, neque *σωφρονισμὸν*, sed *παραδειγματισμόν.* Ita מוסר pro exemplari pœna ponitur Prov. 7: 22. *& tanquam compeditus* אל מוסר אויל ad *παραδειγματισμὸν stulti.* Vide & Jerem. 30: 14. Nempe afflictio, quæ pertinet לקחת מוסר ad hoc, ut petulantia refrenetur, & ab illo, qui affligitur, exemplum quis capiat, etiam מוסר *disciplina παιδεία* vocatur.

§. 139. Hujus igitur *Exempli*, quod in Servo Dei justo statutum est, effectus est *nostra pax.* ut non tantùm Deus non haberet nos pro hostibus, sed etiam pacem nobis daret ab accusatione legis, Roman. 5: 1. & ut, solutâ inimicitiâ, duo coalescerent in unum. Ephes. 2: 14.

§. 140. Item ut sanaremur ab omnibus morbis nostris: nec tantùm mors & morbi non ampliùs essent nobis pœna, sed etiam sanctificatio nobis contingeret, & defectus nostri sarcirentur, & gentes reconcinnarentur.

§. 141. Plurale in *pacis nostræ & nobis*, complectitur eum, qui loquitur & ejus populares, & eos, ad quos loquitur, apud quos exponit, quid apud Judæos actum sit.

§. 142. Id etiam ex sequenti versu patet. Ubi sic pergit, falsæ opinioni de Christi subactione opponens veritatem; quod nempe ipsi fuerit impactum peccatum omnium. Vers. 6. *Omnes nos*, tam Judæi atque gentes, sine distinctione; *tanquam oves, aberravimus, quisque ad viam suam versi fuimus: & Jehovah in eum fecit incurrere pravitatem omnium nostrum*, tam gentium, quàm Judæorum. Vers. 7. *Exigebatur*: peccatum omnium nostrum, ut pro eo satisfieret, ut *sanctificaretur Jehovah*, & quidem volens *justificare* peccatorem: *& ipse submittebat se, & non aperiebat os. ut agnus ad macellum ducebatur, & ut agna coram vulsoribus suis obmutescens. denique non aperiebat os.*

§. 143. Non igitur fuit מֻעֲנֶה invitus adactus ad mortem & compressus, sed נַעֲנֶה, volens se submisit, ut pateretur à se *exigi peccatum totius mundi.* nempe illorum, qui ipsi dati erant ex toto mundo.

§. 144. Vers. 8. Non fuisse eum subactum & devictum, etiam docet. *Ex imperio* (vel coërcione, potestate coërcendi & puniendi. Confer Psalm. 107: 39. Judic. 18: 7. 1 Sam. 9: 17. 2 Chron. 14: 10.) *& judicio assumtus est: & ætatem* vel *generationem ejus quis* vel cogitando *percensebit? Judicium* est Seniorum populi; sed non imperium. Id penes Romanos tum erat. Judicatus est, condemnatus, supplicio affectus est. Sed nec judicium, nec imperium potuit ipsum detinere in morte. *Assumtus est.* nempe à Deo: qui de ipso dixerat, *Celsus fiet admodum. Dixit ei Deus: Sede ad dextram meam.* Psalm. 110. vers. 1. confer Zach. 6: 13. *Ædificabit templum Jehovæ & considebit ac dominabitur super throno ejus*, nempe Jehovæ.

§. 145. Neque Christi assumtio est sine judicio de judicibus ejus & tradentibus eum. *Quia excisus est ex terra viventium propter defectionem populi* (non dicit *vestram*, *nostram*, ut & gentes videatur complecti) *plaga illis* evenit. q. d. Nolite mirari, quòd pauci sint in *populo meo* Israële, qui crediderint ei, quod visum, famigeratum, prædicatum est apud ipsum, & quòd *brachium* Domini *super* paucis *sit revelatum.* Sub *plaga* sunt. In impuritatem suam traditi & inclusi sunt. Indurati sunt, ut stercoribus suis serviant. Deus abscondit ab illis faciem suam. Deut. 32. vers. 20. Conclusit eos in inobedientiam Rom. 11. vers. 32.

§. 146. Non est, quod nos urgeat Abarbenel, dicendum fuisse לוֹ, non לָמוֹ; si de Christo sermo sit. Fatemur, nos non posse probare, quòd למו pro לו dici possit. Deinde, si maximè למו pro לו accipi posset, foret ambiguum. Quæ esset ratio hic affectandæ ambiguitatis? Imò tollendæ ambiguitatis causâ dictum est למו *illis*, non לו *ipsi.* Quanquam id quoque ad *populum* referri posset. Non enim debuit posse referri ad *Servum Dei justum.* Is enim reputatus fuit נָגוּעַ, sed falsò. נגע in emphasi non fuit in Christo. Supra jam dictum erat de causa mortis Christi. Et supra dictum erat, *Deus impegit in ipsum pravitatem omnium nostrûm.* Quare hic jam diceretur, Christum pro peccato *popularium* mortuum esse? Et Christus pro *ἀποστασίᾳ*, illa atroci (qualis describitur Hebr. 10: 26.) non est mortuus; neque voluit eam condonare, Deuter. 29: 20. sed per נגע *plagam ipsis*, apostatis, gratis odio habentibus Filium Dei, inflictam punire & retaliare. Non poterat ea apostasia & ejus pœna in hac tam illustri pericopa omitti. Et in hoc loco intellecta facit commodum sensum & connexionem horum verborum aptam cum præcedentibus & consequentibus. Facit etiam is sensus ad scopum loquentis. Qui ab initio cum admiratione de paucitate credentium erat locutus, & notaverat, brachium Domini super Judæis vulgò non revelari, is hic definit, eos esse sub נגע plagâ, & ut leprosos ex domo Dei ejectos, justo Dei judicio.

§. 147. Ejus rei autem causa est ipsorum *Apostasia.* Quod noluerunt agnoscere Deum suum & regem suum: dicentes, *Non habemus regem, nisi Cæsarem. Alium dotarunt.* Psalm. 16: 4. *Ad zelum provocarunt Deum per non-Deum.* Deut. 32: 21. *Rupem salutis suæ scelerate tractarunt.* ibid. vers. 15. *Convenerunt una gentes & nationes, principes & reges terræ contra Jehovam & Christum ejus, dicentes, Rumpamus vincula eorum & projiciamus à nobis funes ipsorum.* Psalm. 2: 1. 2. 3.

§. 148. Ea verò apostasia eò usque processit, ut non conquiescerent, donec *ex terra viventium exscinderetur.* Implaca-

bile fuit eorum odium. Quum potuissent esse contenti *judicio & castigatione, παιδείᾳ*, dederunt operam, ut à *peccatoribus* gentibus *imperium* habentibus interficeretur.

§. 149. Prænunciata utique fuit mors Christi imò & præfigurata. Solus hic locus sufficit ad id probandum. Servus Dei justus, justificans multos cognitione sui, hæres gentium, exaltandus supra omnia & glorificandus, ex terra viventium exscinditur. Ita loquitur Daniel 2:34. *Excisus est lapis.* 9:26. *exscindetur Messias.*

§. 150. *Terra viventium* opposita est *terra* inferiorum partium, τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. ad quæ descendit. ut & versu proximo dicitur.

§. 151. *Et dedit eum improbis sepulturam ejus, & cum divite, in mortibus ipsius. Populus meus* sive populares mei (ita loquitur aliquis ex Judæis) non contentus fuit morte Servi Dei. Quamvis illa non una fuerit. Præ animi dolore moriebatur: quippe tristitia circumvallatus usque ad mortem. Præ corporis imbecillitate mortuus est. Ita tamen, ut ostenderet, se ex potestate animam deponere; quippe qui edito clamore exspiravit. At illi, nec languore ejus contenti, nec castigatione, morientem in crucem egerunt; &, nec morte contenti, etiam mortuum interfecerunt. Lancea enim apertum est ejus latus.

§. 152. Et non simplici morte voluerunt eum mori; sed in cruce. Quod ita dicit Propheta vers. 9. *Et dedit eum improbis sepulcrum ejus.* Quamvis ænigmaticè id dictum videatur, est tamen (præsertim comparatis aliis prophetiis, & ipso eventu) clarissimum. Duplex sepultura hìc innuitur. Una cum divite. Divites solent sepeliri, ut alii homines. *Cum divite sepelitur*, qui in monumento divitis sepelitur. Est præterea altera *sepultura cum improbo*, h. e. cum damnatis hominibus. Omnes damnati homines statim sepeliuntur; saltem ut cæteri homines. Sed cruci affixi habent peculiarem inter homines & quidem damnatos sepulturam; quæ est ad tempus pendere ad Solem. Ut asini sepultura est jacere in agro: ita improbi, pendere usque ad vesperam in ligno.

§. 154. Ita genus mortis significatum est. Quod Christus per ὕψωσιν יפגיע indigitavit. Psalmus vigesimus secundus dicit: *Annumero ossa mea.* Crucifixus nudus distento cordore ossa sua numeranda præbet.

§. 154. In lege Deuteron. 21:21. *Maledictio Dei est suspensus.* Docet is locus, 1. Maledictionem nondum ablatam esse. 2. Propter maledictionem, saltem ad illam ostendendam, suspendendum esse, quicunque suspenditur. 3. Hoc supplicio abolendam esse maledictionem: quia suspensus sepeliendus est. Adeò ut non sepelire suspensum sit abnegare finitionem maledictionis & terram inquinare: quæ est à Deo electa ad justitiam in ea exhibendam. Porrò, quum justus suspensus est, patet, eum vi maledictionis suspensum esse, & in ejus supplicio maledictionem finitam esse.

§. 155. Num. 21:8. per *serpentem aneum in ligno suspensum*, cujus aspectus sanabat morsos à serpentibus, figurabatur Filius hominis. Joh. 3:14.

§. 156. Hæc igitur prima sepultura ignominiosissima. Altera *cum divite*. Est ea partim Nicodemi Josephi: partim *populi*. Illorum ex ingenuo amore. Horum ex malevolentia. Petiverunt, ut obsignaretur monimentum & custodia firmaretur. Ita quoque sepultura est cum scelere conjuncta & injusta.

§. 157. Ostendit Propheta, omnia hæc provenisse ex odio sine causa. Dicit enim: *Pro eo, quòd nec injuriam fecit, & non fuit dolus in ore ejus.* Non malè fecit Judæis, sed benefecit: & non potuit ullum ipsius peccatum accusari. Verba ipsius fuerunt verba vitæ. Prædicavit enim resipiscentiam & fidem & amorem Dei argumento gratiæ ac veritatis & regni Dei & justitiæ. Prorsus, quemadmodum præscriptum erat, filium Dei locuturum esse. Neque quicquam non & locutus est & verè, eum demonstratione rei ipsius locutus est, quæ Filius Dei locuturus erat. Attamen illi πλάνον & deceptorem vocarunt. Deinde, quod illi pro vano dicto traduxerunt, id vanum non erat. Tertio enim die resurrexit à mortuis.

§. 158. Quæ impudentia est, Judæis attribuere hoc elogium? & quidem in tam manifesto judicio constitutis? & tam clarè vel per hæc verba apostasiæ damnatis?

§. 159. Jam denique vers. 10. loquitur fidelis ex populo Judaico (qualis Paulus) de effectu & fructu mortis Christi. Loquitur autem de ea re apud gentes; quia ad eas maximè pertinebat. *At Jehovah*, qui *cupientem enervare ipsum infirmavit; si ponat sacrificium pro reatu anima ejus, videbit semen*, quod *prolongabit dies: & voluptas Jehova in manu ejus prosperabitur.* Pauci quidem, inquit, crediderunt: non revelatur in plurimis brachium Dei asserens: sunt enim sub plaga. At nihilominus *Jehovah videbit semen.* Quod scilicet ex gentibus supplendum est. Et quale semen? 1. Quod *prolongabit* dies, quod vivet in æternum. 2. *In cujus manu voluptas Dei proficiet.* Quod ea dicet & faciet & perpetietur, per quæ Deus glorificabitur. Non offerent sacrificia, non obibunt servitutis pristinæ munia. Eis enim Deus non delectatur. Hos. 6:6. ἔλεον θέλω καὶ ὐ θυσίαν, *charitatis studio delector & non sacrificio.*

§. 160. Ratio autem, quare Jehovah certò visurus sit semen, est hæc: quia *infirmavit eum, qui Servum Dei cupiebat enervare*, h. e. Diabolum κατήργησεν & regnum & potestatem ejus: cui volupe erat Christum non tantùm contristare (ut Christus in συμπαθείᾳ fuit דַכָּא *contritus*, ἄτονος) sed ἀτονεῖν & enervare, atque à proposito amoris, patientiæ, obedientiæ dimovere: propter quam causam in ipsum non tantùm exercitus infernales eduxit & ut leo os suum contra ipsum pandit, sed etiam gentes & Judæos, canes, monocerotes, tauros in ipsum instigavit. ut est in Psal. 22:13. 14. 17.

§. 161. Christus fuit visus נִגַּשׂ *subactus;* sed Jehovah *inimicum & vindicem sui* infirmavit & omni κράτει spoliavit. Nulla hìc est ellipsis. Emphasis verborum retinenda est.

§. 162. Quia igitur Diabolus victus & abolitus est, *Jehovah videbit semen.* Fracto carcere, ligato captivatore, abducitur captivitas. Psal. 68:19. Esai. 49:24. 25.

§. 163. Sed quos videbit semen? *Si ponet sacrificium anima ejus.* Posuit *sacrificium pro reatu* abolendo Christus in cruce semel: idque *anima ipsius posuit per amorem* & obedientiam. Jam, cui hoc dabit *anima ejus*, cui applicabit, quem *asperget* (cap. 52:15.) quem postulabit, ut hæreditatem suam sorte sibi assignatam, Psalm. 2:8. Psalm. 16:5. 6. pro quo intercedet dicens: *Redime eum, ne transeat in foveam. inveni lytrum.* Job. 33:24. eum Deus videbit Semen, h. e. is regenerabitur.

§. 164. Duobus versibus reliquis est Sermo Dei de *Servo suo*, de quo & cap. 52:13. Eo sermone gratia Christi multis communicanda & hæreditas ampla ipsi danda prædicatur. *A labore animæ suæ videbit, satiabitur: in cognitione sui justificationem faciet Justus servus meus multis; & pravitates eorum ipse bajulabit* (*Propterea dabo ipsi partem in multis, & cum robustis*, vel *numerosis, dividet spolium*) *pro eo, quòd in mortem effudit animam suam, & cum defectoribus numeratus est: quùm ipse peccatum multorum ferret, & pro defectoribus intercederet.*

§. 165. Non potest dubitari, quin hic quoque sermo pertineat ad spem & consolationem illorum, qui jubentur exire Hierosolyma: quorum prædicationem in gentibus jam modò audivimus. ut hac promissione incitati in labore suo non deficerent, neque obtorpescerent. Qualis instigatio est cap. 54. initio vers. 2. quæ huic promissioni succinit.

§. 166. Puto autem, commodissimè fluere orationem, si primum colon vers. 12. in parenthesi constituamus. Tum igitur habebimus hìc 1. promissionem seminis plurimi, ejusque justificatione afficiendi. vers. 11. 2. Modum procedendi ad eam amplificationem; sive signum præsens amplificationis seminis imposterum futuræ. vers. 12. p. pr. 3. Rationem. vers. 12. p. ult.

§. 167. Paraphrasis brevis & distincta rem illustret. 1. Revera, inquit Deus (loquitur autem per hoc verbum) *videbit semen*, & non tantùm *videbit semen*, sed etiam *satiabitur;* nempe *Servus meus.* Semen ipsius, filii ipsius erunt filii Dei. Quomodo semen ipsius? Per spiritum ipsius; & per meritum ipsius. Hoc postremum declaratur posteriori parte vers. 12. Primum per se clarum est. Sine spiritu enim Dei datione non est semen. Oportet autem cujus filii sunt, ejus Spiritu regenerari filios Dei.

§. 168. 2. *Videbit, satiabitur à labore animæ suæ.* Venit enim Christus in mundum, ut hæreditatem cerneret, ut semen videret, & id concupivit ac desideravit, & quidem enixissimo desiderio desideravit, ita ut hic ipsius cibus & potus fuerit, salvare homines & eos ad Deum reducere, atque ea propter se afflictaverit omnibus modis, usque ad mortem.

§. 169. 3. Quanquam sanctificationi videatur obstare enormis πλεονασμὸς τῆς ἁμαρτίας in toto mundo, hoc tamen non afficiet regno ipsius; quia *justificationem faciet multis.* Justitiâ legis ipse opus non habebat. Erat enim filius. Dives erat: gloriam expositam habebat. Poterat esse ἴσα θεῷ. Ideoque *JUSTUS*, jus habens gloriam possidendi. Habet tamen justitiam: h. e. δικαίωμα τῷ νόμῳ, hoc, quod ad jus gloriæ accipiendæ requirebatur à Lege. Est enim *Servus meus*, factus sub legem, & me *dominum* verè *appellavit*, Psal 16:2. & voluntatem meam fecit. Ps. 40:8. 9. Eam justitiam habet non pro se, sed pro aliis, & quidem pro *multis*, ut eam ipsis donet. *Quibus* erit mediator & intercessor מַצְדִּיק *justificans* sive *justificationem faciens*, sive procurans ipsis, ut justificentur, h. e. justi declarentur, sive jus filiorum Dei habentes reputentur à Deo. Quia enim *justus est*, dignus, qui hæreditatem cernat, & *servus Dei* est, qui sponsioni suæ & legi satisfecit, oportet ipsum justificari. nempe ut videat semen ad satietatem usque, id est, in quantum ipse postulavit & postulabit. &, tanquam advocatus apud Deum pro ipsis (advocati enim est הצדיק *justitiam* clientis *asserere;* ut κατηγόρυ est הרשיע damnandum dicere accusatum) faciet, ut justificentur à Deo.

§. 170. *In cognitione sui.* Per eam enim fient participes justitiæ ejus.

§. 171. Et

§. 171. *Et ipse ipsorum pravitates bajulabit.* h. e. ut advocatus & intercessor recipiet in se culpam illorum, dicens Jehovæ, *Inveni lytron*, εὑράμην ἀιωνιαν λύτρωσιν Job. 33:24. Hebr. 9: 12. Hîc sine dubio significatur *bajulatio pravitatum*, quatenus ea est *intercessoris & paracleti* sive *advocati*. Loquitur enim tanquam eo tempore, quo sancti ex Hierosolyma vel debebant exire, vel jam exiverant, de futuro: & de bajulatione peccati in passionibus, quatenus ea est *sponsoris*, & supra locutus est, & mox vers. 12. loquitur in præterito, *tulit*.

§. 172. *Non igitur tantùm justificationem faciet ipsis*, ut peccata præterita ipsis non imputentur, sed etiam defectus ipsorum & pravitates, sine quibus vita hæc non agitur, ipsa suscipiet, &, ne imputentur ipsis, apud Deum efficiet sua intercessione.

§. 173. Quòd autem *plurimos* & semen videbit & justificabit, ejus certum & evidens signum jam extat. Nam *propterea*, sive ea gratia, & eo fine, ut hoc suo tempore fiat, *do ipsi partem* non in una gente sed *in multis* gentibus, non in paucitate Israëlitica, sed in multitudine totius mundi, in *turba gentium* (Genes. 17:4. 5.) & id ago, ut *cum robustis dividat spolium*, ut nempe multitudo ejus cum multitudine & copia cujusvis populi & regni contendere possit. Atque, etiamsi *robusti* sint omni robore suo usuri, ut colligant populum, qui non sit populus ipsius; tamen non poterunt efficere, ut ipse non habeat tantum populum, quantum robustus quivis.

§. 147. Semen autem hoc, quod justificabit, & quod videbit ad sanctatem, accipiet tanquam mercedem obedientiæ & patientiæ suæ: *pro eo, quòd effudit in mortem animam suam*, & quidem cum summo opprobrio, ut *inter defectores numeratus fuerit*, medius inter maleficos suspensus. Quodque illa passus est justus pro injustis, ferens peccata non paucorum, sed plurimorum, *turba gentium*; & *pro defectoribus* atque ipsum regem suum rejicientibus, Judæis supplicabat & *intercedebat*, dicens, *Pater, remitte ipsis. Nesciunt, quid faciant.* Luc. 23: 34.

§. 175. Operæ precium fuit, ita sensum duorum capitum Esaiæ inter se cohærentium ordine & dilucidè exponere, secundùm verborum proprietatem & emphasin. Quod fecimus duabus de causis. 1. Ut in tota hoc disputatione paratam haberemus in his capitibus probationem multarum veritatum de Christo asserendarum. Sæpius enim nobis ad hæc capita provocandum erit. 2. Ut in præsens ostenderemus, quænam sit fides Christi, per quam justificamur. De hoc enim quærebamus.

Collectio eorum, quæ in cognitione Christi, quæ justificat, continentur. ex cap. 52. & 53. Esaiæ.

§. 176. Ex hac autem pericopa clarè cognoscimus, quòd *cognitio* Christi hæc omnia comprehendat. 1. Christum esse *JUSTUM* illum, h. e. habere jus & dignitatem ad obeundum officium λυτρωτȣ̃ Redemtoris & Assertoris Israël; atque adeò obedientiam ipsius & passiones posse esse verè precium, sufficiens ad condonandum peccatum & ad constituendum filios Dei, qui vitam æternam hæreditent. 2. Eum esse factum *Servum Dei* legi subjectum ad salutem, justitiam, pacem, bonum miseris hominibus parandum & adducendum. 3. Eo manifestato, Deum Israëlis manifestatum esse, ut speculatores Israëlis oculo in oculum defixo viderint, quum Jehovah reduceret Sionem. 4. Eo moriente, salutem factam esse. 5. Eo in cœlum ascendente, Deum Israëlis regnum occupasse. Nam in regno Dei ipse exaltatur ut rex & ut hæres omnium 6. Jehovam asseruisse Hierosolymam eamque suam vindicasse, & à principibus ac potestate præditis eam liberam declarasse, quando Euangelium de pace & salute ac bono annunciatum, & fides servi Dei prædicata est. 7. Ipsius semen esse, qui sunt filii Dei: genitos ab ipso & & per amorem ipsius atque obedientiam & per spiritum ipsius. 8. Ipsum *aspergere* & mundare à peccatis & justificare, ut patronum & judicem: & hanc aspersionem esse salvationem eorum, quos aspergit. 9. Eum hoc facere voluntate & gratia. Quippe quum *anima ipsius ponat satisfactionis precium* ad regenerationem. Unde subintelligi datur, qui non regenerantur, eis non ponere ipsum satisfactionis precium.

Hinc deducitur, nos credere in Christum ut Deum.

§. 177. Hæc autem consistere non possunt, nisi ipse sit *Jehovah* & *Deus Israëlis*.

§. 178. Certè *Jehovah* sive *Deus Israëlis* non videbitur, nisi hoc modo.

§. 179. Et ex omnibus illis liquet, quòd *cognitio Christi* sit fides in Christum, ut Justum, & Servatorem, & Deum Israëlis.

Testimonium ex Psalmo secundo.

§. 180. Addatur his testimonium Psalmi secundi vers. 12. *Beatus, qui confugit ad ipsum.* Quem? nisi *Unctum Dei, Regem Jehova unctum super monte sancto suo, Filium, ita à Deo appellatum, cui dantur gentes hæreditas & termini terræ possessio?* Quæ ratio potest dici, quare בַּר non significet *Filium*? aut נשקו בר non sit vertendum, *Osculamini Filium?* quæ simplex interpretatio est, & Psalmi argumento conveniens. Quid de contemto & rejecto uncto Domini conqueritur Psalmus, si monitum Psalmi ad eum nihil pertinet? Quis ex verbis illis exsculpere potest, *Apprehendite castigationem?* Et quem locum ibi potest habere omne aliud, quod comminiscuntur? Voluitne Spiritus sanctus nos ludificari, ut id diceret, quod prima fronte in omni verborum emphasi & juxta scopum loquentis videretur significare μακαρισμὸν ejus, qui confugit ad Christum Filium Dei, & tamen non id significaret, sed aliquid aliud, quod non nisi ingeniosus aliquis præter rem & indolem phraseos, absque exemplo, ibi mallet intelligere; non ut quicquam intelligat, quod magnæ rei sit & ad gloriam Dei & consolationem propriam faciat, sed ne intelligat illud, quod Spiritus videtur ubique & palam testari, & ad gloriam Dei atque ad consolationem certissimam facit?

Fides divina in Chistum probatur ex Invocatione ejus Genes. 48: 16.

§. 181. Id amplius intelligi potest ex *Invocatione*. Quod argumentum *secundo* ponimus loco. Jacobus Patriarcha invocavit *Angelum Assertorem*. Ita enim est Gen. 48: 16. *Angelus, qui me asserit ex omni malo* (obiter nota divinam operationem, & divinum jus ac potestatem, & gratiarum actionem ac gloriam redditam Angelo, & gloriationem in eo) *benedicat pueris hisce.* De Jacobo testatur & Hoseas cap. 12: 5. *Et in fortitudine sua strategemate egit cum Deo. & strategemate egit cum Angelo, & valuit: ploravit & supplex ei factus est. Bethele eum invenit, & ibi locutus est nobiscum.* Ipse etiam Angelus testatur, quòd Jacobus sibi votum fecerit Gen. 31: 11. 13. *Et dixit ad me Angelus Dei in somnio.... Ego Deus ille Bethelis, ubi unxisti lapidem, ubi nuncupasti votum mihi.* Moses invocavit Angelum habitantem in rubo Deut. 33: 16. *& gratia habitantis rubum* (is *Angelus Jehovæ*, Exod. 3: 2.) *veniat in caput Josephi.* Nota obiter, ei *gratiam* attribui, sive ἀποδοχήν. Idem invocavit *Dilectum Jehovæ*, ibid. vers. 12. *Dilectus Jehovæ habitet securè* & constanter *super ipso.* Nota, ei σκήνωσιν attribui. ut Johan. 1: 14. David docet eum invocandum. Psal. 20: 10. *Rex respondeat nobis eo die, quo invocamus.*

Item ex adoratione. Psal. 45: 11. 12.

§. 182. Addatur etiam *Adoratio*. Quæ præcipitur Psalm. 45: 11. 12. *Audi, filia, & vide, & arrige aurem tuam, & oblivisere populi tui & domus patris tui: & expetet Rex pulchritudinem tuam, (Nam is est dominus tuus) & adora ipsum.*

Confirmatio & illustratio argumenti utriusque.

§. 183. In hac argumentatione non uno modo agimus. Non enim tantùm argumentamur à Prophetia, qua Christo tribuitur invocatio, responsio, ad invocationem, & adoratio populi sui: sed etiam à testimoniis Veteris Testamenti, quibus probatur, Filium Dei, qui est Christus, à patribus invocatum esse. In qua argumentatione præsupponitur, eundem esse, qui à Patribus invocatus fuit, quique sperabatur venturus & Christi ἀξίωμα & nomen portaturus: atque adeò Christum fuisse tempore Patrum, imò ante Patres. ut Christus dicit Joh. 8: 58. *Antequam Abraam existeret, ego sum.*

De persona Christi ex Veteri Testamento. Eum à Patribus agnitum fuisse angelum Jehova & nomine Dei & Jehovæ appellatum.

§. 184. Si Judæi & Sociniani, qui se Christianos vocant, oculos haberent ad videndum & aures ad audiendum & cor ad intelligendum, non dubitarent, 1. Christum esse eum Angelum, qui à Patribus agnitus & invocatus fuit. 2. Et eum nominari Deum & Jehovam. 3. Et eum invocatum, adoratum & fide cordis ac fiducia cultum ab ipsis fuisse. Proinde, quando in Veteri Testamento Jehovah & Deus nuncupatur, etiam aliquando intelligendum esse Filium Dei.

§. 185. De iis rebus agendum est nobis paulò explanatiùs. Duo autem diligenter animadvertenda sunt. 1. *Angelum Jehovæ*, qui in Veteri Testamento nominatur ad id exemplum, quemadmodum in superiùs positis testimoniis apparet, posse esse quemvis angelum ex genere eorum, qui à Judæis appellatur מלאכי השרת, & ab Apostolo λειτουργικὰ πνεύματα. 2. Eundem Angelum esse Christum. Quibus probatis, clarum & evidens erit, in Christum nos posse & debere credere fide θεοπρεπεῖ.

Scripturam Veteris Testamenti nominare Angelum Jehova; qui non est spiritus minister aliquis.

§. 186. Quod ad primum attinet, notandum est, 1. quòd Scriptura de Assertione & Salvatione & Fœdere atque Intercessione loquens & eas attribuens Angelo, nunquam loquatur de pluribus Angelis, sed semper de uno Angelo. Non hoc dico, tantùm uni Angelo attribui θεοπρεπῆ (duorum enim mentio fit, quibus talia attribuuntur) sed in eo genere θεοπρεπῶν unum tantùm Angelum memorari: nunquam verò angelis multis & exercitui angelorum eadem attribui. Gen. 16: 10. 11. 13. *Et dixit ei Angelus Jehova, Multiplicando multiplicabo semen suum. Et dixit ei Angelus Jehova: Ecce tu pregnans es, & paries filium ——Nam auscultavit Jehovah ad afflictionem tuam. Et invocavit nomen Jehova loquentis ad se: Tu es Deus visûs. Nam dicebat: An etiam hucusque vidi post videntem me.* h. e. Fierine potuit, ut eum, qui videt me, viderem ex tam propinquo? Admirantis sunt ea verba.

§. 187. R. Solomoh dicit, quatuor Angelos fuisse: quia qua-

 ter

ter dicitur *Angelus Jehovæ dixit*. Veterum alii plures, alii pauciores fuisse dicunt. Eæ nugæ sunt. Unus *Angelus invenit illam in deserto*. vers. 7. Rectè Auctor Michlol Jophi: *Et dixit ter. Hic est mos Scripturæ in aliquot locis. Fit hoc ad corroborationem dicti. convenitque, quia dixit ei tres res. Est autem & Derasch, tres angelos missos esse.*

Scripturam Veteris Testamenti Angelo attribuere nomen & opera Dei Genes. 16:10.11.13

§.188. Secundò notandum est, quòd Angelus Jehovæ hîc loquatur in nomine Jehovæ; quodque Moses dicat, *Jehovam Hagara locutum esse*, & ab ea vocatum *Deum visionis*: & Angelus sibi tribuat opus Dei, quod est *multiplicare semen*. Hoc enim est Creatoris.

Genes. 31:11.13.

§.189. Similiter Genes. 31:11.13. *Angelus* se vocat *Deum Bethel, cui Jacob nuncupavit votum*. At quis est *Deus Bethel? Jehovah*: qui ad Jacobum dixit, *Ego Jehovah, Deus Abrahami patris tui, & Deus Isaaci*. & is distinguitur ab *angelis Dei*. Gen. 28:12.13. Is *angelus* non sunt illi *angeli*, quos vidit ascendentes & descendentes per scalam. Si fuit Angelus servus, debuit dicere, Ego sum unus angelorum, quos vidisti in Bethel: non verò debuit dicere, *Ego sum Deus, cui nuncupasti votum*.

Exceptio: Usurpari ab angelo sermonem mittentis.

§.190. Rabbini hîc nihil habent, quod dicant, nisi hoc: המלאך ידבר בלשון שלוחו *angelus*, sive *missus, loquitur eo modo, quo mittens ipsum.*

Ejus confutatio. Verba Dei loqui non est creaturæ.
Joh. 3:31. *Deut.* 18:18.

§.191. Id verum non est. Quando unquam dixit Moses vel ullus Propheta: *Ego sum Jehovah?* Angelus veracis Dei non mentitur. *Qui ex terra est, ex terra est, & ex terra loquitur*, dicit Baptista, Joh. 3. vers. 31. h.e. non potest loqui, ut is, qui ex cœlo est, sed, ut convenit ei, qui ex terra est, & proinde servus est. Significans, Servum non loqui ut Dominum: sive, Servi boni & fidelis non esse, dicere, Se esse Dominum. Quod omnibus hominibus naturaliter notum est. Ita Angelus in Apocalypsi volentem se adorare Johannem prohibuit, cum jubens Deum adorare: quippe quòd conservus ipsius esset. Apocal. 19:10. 21:9. *Verba autem Dei loqui* est ejus, qui *ex cœlo est*. Joh. 3:34. Quo distinguitur Propheta, quem promittit Deus per Mosen Deut. 18:18. ab ipso Mose. Moses non potuit *verba Dei loqui*; Propheta promissus *verba Dei loquitur*. nempe, quæ Deus sibi reservaverat dicenda ad consolationem populi sui. qualia sunt, *Respicite ad me, & salvamini, omnes fines terræ*. Es. 45:22. h.e. Credite mihi, quòd *in me* sit *justitia* & *salus* ac victoria; & non frustra credetis. Si potuit Angelus dicere, *Ego sum Deus Bethel, cui votum fecisti*: etiam potest votum fieri Angelo.

Judæi delabuntur in cultum angelorum, & violant præceptum primum Decalogi, dicentes, Angelum creatum à Patribus invocatum & adoratum. Gen. 48:16.

§.192. Ita in θρησκείαν ἀγγέλων *cultum angelorum* delabuntur Judæi. Nam & angelis servilibus attribuunt, quòd rectè sibi assumant nomen Dei, quòdque rectè invocentur, quemadmodum Jacobus Angelum invocavit. Nam, cui attribuit, quòd ipsum asseruerit ex omni malo, eum invocat.

§.193. Quod ita evidens est, ut nihil possit esse evidentius. Non enim obiter & seorsim loquitur de angelo, ut optet ab angelo custodiri filios Josephi, nempe ut ministro Dei mittendo ad salutem ipsorum (&, si hoc voluisset, potiùs angelorum multorum mentionem fecisset. Nam & multos vidit in scala, & alibi angelorum exercitum) sed de industria, quum dixisset: *Deus ille, coram quo ambularunt patres mei: Deus, qui pascit me*: antequam quicquam à Deo petat, adjungit, *Angelus, qui asserit me, &c*. Non dicit: Deus, qui misit angelum suum, mittat eum; vel, cujus angelus me custodivit, mittat eundem, &c. Sed similiter, atque *Deum* nominaverat invocando, ita *Angelum* nominat invocando: pariter *benedictionem* à Deo, ab Angelo petens.

§.194. Nec tantùm, sed etiam nominat eum גואל *assertorem* ac vindicem. Hoc est, sibi asserentem tanquam rem, peculium, hæreditatem suam, cujus ipse Dominus esset. Nam גואל *assertor* dicit, *Hic meus est*. Esai. 43:1. *Nuncupavit nomen tuum, Meus es tu*.

§.195. Quis, quæso, est *Goël* Assertor *Jacobi?* Id dicit Esaias cap. 41:14. *Et assertor tuus Sanctus Israël*. & cap. 44:6. *Sic dixit Jehovah rex Israëlis & assertor ejus Jehovah Deus exercituum*.

§.196. At Judæi Angelum servilem vocant Assertorem Patris sui. Quidni & suum? Nisi jam ille angelus non est amplius, quem Jacobus & suum Assertorem vocavit & filiis suis assertorem comprecatus est.

§.197. Porrò Jacobus petit, ut is angelus nepotibus suis *benedicat*. Et quid est hîc *benedicere*, nisi beneficium conferre? imò augere omnibus bonis? imò amplificare & multiplicare? Nam statim subditur: *Et nominetur in illis nomen meum*, &c. *& piscium more crescant in medio terræ*. Et ea benedictio, quæ erat effectura, ut cum filiis Jacobi hæreditatem dividerent & nomen Jacobi portarent, est amplificatio ipsorum. Propter multitudinem enim cum filiis Jacobi ut duæ tribus terram diviserunt.

§.198. Omnis illa benedictio, quæ potuit à Jacobo intelligi, est divina ἐνέργεια, procedens à divina potentia, divitiis divinis, potestate divina, voluntate & gratia divina.

§.199. Nisi volumus, petivisse Jacobum, ut angelus servilis intercederet pro nepotibus suis, aut faveret iis à Deo benedicendis. Et quare non potiùs diceret, Benedicant ipsis omnes angeli & omnes homines?

§.200. Judæi igitur necessariò vel debent agnoscere, *Angelum* hunc revera esse, quem se nominabat, nempe *Deum Bethel*: vel cultum Angelo servili attribuere, eum dominum suum dicere, cujus hæreditas, & populus & peculium sint, qui eos salvet ab omni malo, atque ita etiam à peccato, à judicio Dei, à potestate Diaboli, ab omni miseria (Nam quod malum non aufert, non avertit, qui quem ut suum & tanquam jure suo eripit *ex omni malo*?) unò *benedictionem* ab ipso, si non petere, saltem exspectare.

§.201. Vide, quàm sit perversi ingenii, Jesum, qui Deum Patrem suum vocabat, quòd diceret, Filio Dei datum esse honorem & regnum & potestatem & judicium, eumque operari opera Patris, crucifigendum tradere, velut blasphemum; & Angelo servili dare eundem honorem, potestatem, potentiam, dominium? Manifestum est, Judæos, dum pugnant pro unitate personæ divinæ, incidere in alienationem divinorum, & plures deos essentiâ introducere & colere.

§.202. Hoseas apertè dicit, Quòd Angelo *supplicaverit* Jacob. Negat id Abarbenel. Addens חלילה μὴ γένοιτο. Deo supplicasse, non Angelo. Imò, ut Scriptura ait, *Cum Deo, cum Angelo certavit*. Cum quo certavit, eidem supplicavit. Nam supplicando certavit. Nonne videtur Hoseas clamare, *Deum*, cum quo certavit Jacobus, fuisse *Angelum*, & *Angelum Deum*? Imò non cum uno locutum esse, sed cum distinctis, quando Jehovah ei apparuit, & cum Jehovah locutus est? Dicit enim, *Locutus est nobiscum*.

§.203. Aliquis Rabbi in Jalcut ad Hos. 12. fingit, Angelum aliquem dixisse Jacobo, Deus tibi apparebit in Bethel, & ibi ego quoque ero. Sic igitur Jacobum esse locutum cum Deo & Angelo. Ita vertunt verba Dei vivi in mendacium: & cogunt Scripturam inepta & nihil dicere, ne id intelligatur, quod dicit.

Mosis Nachmanidæ sententia de Angelo Assertore.

§.204. Tamen Moses Gerundensis manum dedisse veritati videtur. Dicit enim ad Gen. 31. והזה וזל דרך האמת יאמר המלאך אנכי האל ביתאל *Et juxta veritatem dicit Angelus hic, Ego Deus Bethel*, Et, והוא כלשון הגואל *& is est Angelus assertor*. Idem ad Gen. 48. והמלאך הגואל הוא העונה אותו בעת צרתו ושאמר לו אנכי האל ביתאל והוא שנאמר עליו כי שמי בקרבו *Et Angelus Assertor is est, qui ei respondebat in angustia sua, & qui dixit ipsi, Ego Deus Bethel; & is est, de quo dicit: Nam nomen meum est in medio ejus*. Idem ad Exod. 3: 2.4. sic annotat: אמר הכתוב בתחלה וירא מלאך יהוה ואחר כן אמר וירא יהוה כי סר לראות ויקרא אליו אלהים ולכן אמר ר אברהם כי אלהים בכאן הוא המלאך הנזכר כמו כי ראיתי אלהים פנים אל פנים ועתה אלהי אבין ידבר השליח בלשון שולחו ואיננו נכון כי משה גדול הנבואה לא יסתיר את פניו מן המלאך ורבותינו אמרו בבראשית רבה מלאך זה מיכאל וגומ׳ כל מקום שמיכאל נראה שם הוא כבוד השכינה נתכוונו לומר שמתחלה נראה אליו מיכאל ושם כבוד השכינה והוא לא ראה הכבוד כי לא הכין דעתו לנבואה וכאשר כוון לבו וסר לראות נתגלה אליו מראה השכינה ויקרא אליו אלהים מתוך הסנה וזל דרך האמת המלאך הזה הוא המלאך הגואל שנאמר כי שמי בקרבו הוא שאמר ליעקב אנכי האל ביתאל ובו נאמר ויקרא אליו אלהים אבל יקרא במדה ההיא מלאך בהנהגת העולם וכן כתיב ויוציאנו יהוה ממצרים וכתוב וישלח מלאך ויוציאנו ונאמר ומלאך פניו הושיעם כלומר מלאך שהוא פניו כדכתיב פני ילכו והניחותי לך והוא שנאמר בו ופתאום יבא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים ומלאך הברית אשר אתם חפצים הנה בא ועוד הבין זה בפסוקים הבאים בעזה: *Dicit Scriptura initio: Et apparuit Angelus Jehovæ: & postea dicit: Et vidit Jehovah, quòd diverteret ad videndum: & clamavit ad eum Deus. Atque ideò ait R. Abraham, quod Elohim hic notet Angelum antè memoratum: ut, Quia vidi Elohim facie ad faciem. Quod verò attinet, Ego Deus patris tui: loqui missum verbis mittentis. Sed hoc rectum non est. Nam Moses, magnus ille propheta, non occultaret faciem suam ab Angelo. Et Magistri nostri dicunt in Bereschith Rabbah, Angelus hic Michaël*, &c. *ubicunque Michaël apparet, ibi est gloria divina Majestatis* (τῆς σκηνώσεως) *Intendunt dicere, Mosi ab initio apparuisse Michaëlem, & adfuisse gloriam* τῆς σκηνώσεως, *sed Mosin non vidisse gloriam, quia non præparaverit animum ad prophetiam: sed, quum intendisset cor suum, & diverteret ad videndum, revelatam ipsi fuisse speciem* τῆς σκηνώσεως, *& clamasse Deum ex rubo. Sed juxta veritatem Angelus hic est Angelus assertor, de quo dictum est: Nam nomen meum est in medio ipsius*. Exod. 23:21. *Is est, qui dixit Jacobo, Ego Deus Bethel: & de eo dictum est, Et clamavit ad eum Deus. Sed* voca-

vocatur in מדה *Middah illa Angelus in gubernatione mundi: & ita scriptum est, Et eduxit me Jehovah ex Ægypto, & scriptum est, Es misit angelum & eduxit me. dictum, Est angelus* פני *faciei ipsius salvavit ipsos.* Es.63:9. *q. d. Angelus, qui est facies ejus*, sive *præsentia ejus. ut scriptum est,* פני *facies mea* sive præsentia mea *ibis, & dabo tibi quietem. Et is est, de quo dictum est: Et subitò veniet ad templum suum dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus Fœderis, quo vos delectamini. Ecce venit. Et adhuc intelliges hoc in versibus sequentibus, divino auxilio.*

§.205. Adscribam etiam ea, quæ idem habet ad Exod. 23: 20.21. Quum explicasset veterum sententiam, sic pergit. *Et secundum veritatem Angelus hic, qui hic promittitur Israëlitis, is est Angelus Assertor, in cujus medio est Nomen illud magnum. Nam in* יה יהוה *est rupes seculorum.* Esai. 26. vers. 4. *Et is est, qui dixit. Ego sum Deus Bethel. Nam mos regis est habitare in domo sua. Et Scriptura eum appellat Angelum, quia omnis gubernatio mundi est* במדה ההיא *in modo hoc. Et Magistri nostri dixerunt, quòd is sit Metator*, &c. *& vox ejus est vox Dei vivi*, &c. *Et ecce, quando hic Angelus habitat in medio Israëlis, non dicit Deus, Nam non ascendam in medio tui. Nam Nomen meum est in medio ipsius, & id* (vel *ipse*) *est in medio Israëlis. Sed, quum peccassent faciendo vitulo, voluit auferre Habitationem suam ex medio ipsorum, & ut angelus ex missis ejus iret coram ipsis: sed Moses supplex factus impetravit, ut reverteretur & habitare faceret Habitationem suam in medio ipsorum* וישכן שכינתו בתוכם. Et postea: *Vox ejus est vox Altissimi.* Dicit, eum per dies Mosis non adfuisse Israëli: quia Moses היה ממלא מקומו *ipsius locum impleverit:* venisse demum ad Josuam.

§.206. Rursus cap. 33. Moses *concupiscebat Angelum, de quo dictum erat, Nam nomen meum est in medio ejus: & Dominus ipsi respondit in bonitate duplicata & geminata, ultrà quàm petierat; quòd ipse processurus esset. Sed hæc pericopa à nemine tundi* (explicari) *potest, qui non audivit de abditis legis. Et sic se habet res juxta veritatem, quòd Moses dixerit, At tu non notificasti mihi, quis Angelus, quem missurus sis mecum, & petieris, ut præstet sibi duas res, quas dixerat ipsi. primum, Novi te in nomine. q.d. Notificabor nomine meo propter te: & convenit, ut fiat, & tu hoc dixisti: ex eo quòd dixerat ipsi; Et nomen meum J HVH non cognitus sum ipsis; quemadmodum explicavi. Secundum, Atque etiam invenisti gratiam in oculis meis: ut inveniat gratiam. & ea est afflixio mentis* (דבקות הרשת) *Et dixit, Nunc igitur, si inveni gratiam in oculis tuis in Modo judicii, notifica, age, mihi semitas viarum tuarum, quemadmodum tu cognosceris in nomine tuo, & cognoscam* לידוך *te unum dicere, ut inveniam gratiam illam magnam: & vide, quòd populus tuus gens hæc: tu es pater ipsorum, & illi filii tui —— Tum respondit ei Dominus, Facies mea ibit: Angelus Fœderis, quo vos delectamini;* שבו יראו פני *in quo videtur facies mea: de quo dictum est, In tempore acceptationis respondi tibi,* Esa. 42. *quia nomen meum in eo est.* Exod 23:21. והנחותי אותו לך *& placabo illum tibi, ut non agat tecum in modo Juris, sed in Modo* בלולה במדה רחמים *mixto cum Modo misericordiæ — Tum respondit Moses, si non* פניך בעצמך *facies tua in te ipso & gloria tua ibunt, ne facias nos hinc discedere: ut sis nobiscum facie in faciem*, &c. Atque istiusmodi sunt, quæ apud Gerundensem Mosen reperiuntur: qui profitetur, se de his rebus decrevisse loqui ברמיזות *innuendo* potiùs rem, quàm dicendo.

Angelus Assertor est Deus.

§. 207. Nos facilè ex illis colligimus, Angelum Jehovæ, qui verba Jehovæ loquitur, h. e. qui gratiam, potentiam, gloriam divinam suam dicit, qui Jehovah & Deus appellatur, non posse esse Angelum ministrum quemvis. Id enim prorsus non convenit, ut Jehovah suum nomen & suam gloriam ulli creaturæ concedat. Quod si faceret, etiam fidem, invocationem, adorationem nostram creaturæ traderet. Quomodo igitur diceret, Non erit tibi Deus alius? Quomodo in Cantico Deut. 32. diceret, Se solum duxisse populum, non fuisse secum Deum alium; si Angelum nominavit, si eum ostentavit, si ei permisit loqui verba sua, & opera divina ac gratiam divinam suam dicere; eumque legislatorem & judicem & benefactorem ac Salvatorem ipsis proposuit? Nonne, quum dicit, Deum alium apud se non fuisse, & tamen Angelum Salvatorem, assertorem, Dominum, credi jubet, eo ipso clarè testatur, Se & Angelum illum esse unum?

Christus est Angelus Assertor.

§.208. Præterea ex præmissis colligimus, saltem ex mente Mosis Gerundensis, Angelum, qui *Goël Assertor* vocatus est à Patribus, *κατ' ἐξοχὴν* dictus fuit *Angelus Jehova*, & vocatur *Angelus faciei* sive *Angelus, in quo est facies Dei* (ut Gerundensis explicat) & *Angelus fœderis* sive *Testamenti*, esse eundem, qui appellatur *Servus Jehova* Es. 49:3.7.8. Atque adeò, eum suo tempore apparere in carne, natum ex Israële, & sic *Israëlem, Davidem* nominari, h. e. esse Messiam sive Christum.

§.209. Et hoc est alterum, quod in nostra argumentatione animadvertendum diximus. Estque id prorsus manifestum, Si *Angelus Assertor & Angelus Testamenti & Messias* sive *Christus* idem est, Christo deberi fidem divinam & invocationem. Nam, *Angelo Assertori* eam deberi, jam probatum dedimus.

§.210. Gerundensi id persuaserunt parallelæ: sed nos etiam operam demus, ut extra dubitationem omnem ponamus, id esse Christi, quem Angeli assertoris.

§.211. Pono igitur hanc certissimam & indubitabilem regulam: Quæ nomina eandem vim habent, & eadem propria prædicata habent, eandem rem significant. Atqui hæc nomina, *Angelus Jehova Asserens, Angelus Fœderis, Filius Dei & Davidis, Christus, Justus Servus Jehova*, eundem valorem habent, & eadem prædicata. Ergo eundem significant.

§.212. Id quidem se ita habere, statim ad sonum vocabulorum auditorum debebat unicuique patere; sed tamen etiam evolutione eorum, si quis minùs perspicax sit, auditor potest doceri, &, si quis tergiversetur, ad confitendum cogi potest.

§.213. *Angelus Jehova* dicitur persona, quæ mittitur à Jehovah & in nomine ipsius quicquam dicit vel agit. Ita & homines quidam *Angeli Dei* nominati sunt, & spiritus corporibus non præditi à Deo electi ad sanctificationem: qui dicuntur *πνεύματα λειτουργικὰ spiritus ministrantes*: Vulgò à Judæis מלאכי שרת.

§.214. Sed, quod additur גואל *asserens*, est id, quod hunc Angelum ab omnibus Angelis servientibus discernit.

§.215. Nam id notat eum, qui liberat hominem electum, peccatorem, ex omni malo; & hoc facit eo jure, quia sibi datus est; quia etiam ipse dominus ipsius per liberationem fieri & nominari potest.

§.216. Planum est, non alium esse *Angelum fœderis*, quàm *Angelum assertorem*. Nam *Angelus fœderis* est is, qui mittitur non modò interpres fœderis (hoc enim negocium multis datum) sed qui mittitur, ut agnoscatur is, in quo fœdus, pacem & amicitiam cum Deo habere possumus, recipiendo eum. nempe ut *liberatorem & dominum*. ut nempe cum talem agnoscere sit adstipulari Deo sive ipsi confiteri, & gloriam ipsi dare stipulanti à nobis fiduciam, laudem, gratiarum actionem.

§.217. Neque alius est *Angelus fœderis*, quàm *Servus Jehova*, cui Jehovah promittit, se *eum daturum in fœdus populi, & in lucem gentium, ut sit salus Dei usque ad fines terræ.* Es. 42:6. 49:6.8. Nam, qui non tantùm prædicat præcepta fœderis, sed etiam ostenditur rex & dominus populi, quippe qui sit Salvator ejus, ut, qui eum recipit, sit membrum populi, is revera est & *Angelus assertor*, & *Angelus fœderis*, & *Servus datus in fœdus populi & in lucem gentium.*

§.218. Atque is etiam est *Angelus Testamenti*, quo Testamento Deus populum vocavit ad hæreditatem per gratiam. Nam, ut sine ipso id Testamentum non habet exsecutionem, ut transeat in fœdus, ita etiam sine ipso non est Testamenti factio. Nam in Testamento oportet populum ipsi dari, quem postulet hæreditatem suam; & per gratiam ac clementiam ipsius, Esai. 63:9. ac voluntatem veniendi in mundum ad faciendam voluntatem Dei & legem ejus implendam, justitiæ adducendæ causa, Psal. 40:7.8.9.10. id Testamentum conditum est. Atque ita idem, qui est *Angelus Vindex*, est & *Sponsor Testamenti.*

§.219. Si autem is Angelus mittitur, ut sit Rex & Dominus, itemque Sacerdos proponendus omnibus, ut ei, si velint esse populus, confiteantur, quòd sit Sacerdos, Salvator, Rex, Dominus; quomodo is potest mitti, ut non sit homo? & quidem ille *filius hominis*, de quo ut capite loquitur Psalmus octavus?

§.220. Homo autem, cui regnum populi Dei & subjectio omnium promissa est, non est alius, quàm filius Davidis Christus.

§.221. Qui dum antonomasticè *Christus* dicitur, significatur unctionem habere præ omnibus aliis unctis. De quo postea.

§.222. Idem verò *Filius Dei* appellatur Psalm. 2:8.

§.223. Jam, quum *Angelus* sit *Assertor*, & *Filius Dei* sit assertor, idemque sit Christus, apparet, ea nomina ejusdem esse; quia *assertor* & Dominus non nisi unus est.

§.224. Et quidem is Deus est, quia *Sanctus Israëlis est assertor ejus.* Es. 41:14.

§.225. Neque hîc aliquis cogitet, nos vitiosè argumentari. Si enim commune esset prædicatum multis, aut commune esse posset, esse Assertorem Israëlis; tamen, quando dicitur, *Sanctus Israëlis est assertor tuus*; intelligeretur, id factum Sancto Israëlis appropriari.

§.226. Nunc verò tantundem est dicere *Sanctum Israelis & Assertorem Israëlis.* Nam *Sanctus Israelis* est is, qui sanctus est, & sanctificat Israëlem, ut sanctificetur ab eo. Qui autem *asserit* Israëlem & cum suum vindicat, is est Sanctus & sanctificat Israëlem & ab eo sanctificatur.

§.227. Taceo, quòd ita apud Esaiam loquatur Deus, ut *Assertorem* & distinguat & conjungat sibi in divino opere. *Ego adjuvo te & assertor tuus Sanctus Israëlis.*

Locus Esai. 45:21.24.25. & Zach. 2:14.15. 3:1.——9. 6:13. Psalm. 110:1.4.

§.228. His nunc addatur, quòd *Salvatio & Justitia* solius Jehovæ sit: & tamen ea est *Angeli assertoris.* Esai. 45:21. *Salvator non est præter me.* vers. 24. *Tantùm in Jehovah (de me dixit) justitia omnis.* & vers. 25. *In Jehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.*

§.229.

§. 229. Eum autem, qui hoc dicit, esse *Angelum*, multis modis patet. 1. Quia protestatur is, qui hoc loquitur, de se dictum esse, nempe à Jehovah; quòd in Jehovah sit justitia Israëlis. Qui autem in nomine Jehovæ loquitur, & de quò Jehovah locutus est, est Angelus Jehovæ. 2 Quia, si non est hoc Angeli, non est aliquis Angelus Assertor, Angelus Testamenti, Angelus fœderis. Cui enim bono est Angelus talis, nisi ad justificationem & ad salutem Jacobi? Et, si ad salutem, quomodo non gloriabitur in eo Jacob? Quum Jacobus ipse in Angelo Assertore glorietur? 3. Quia non potest quis esse justitia Israëlis nisi per sacrificium. Sacrificium autem non offert, nisi missus à Deo. 4. Quia alibi Angelus dicitur venturus, ut habitet in medio Israëlis, & justificet Israëlem, & ipsum sanctificet: & is Angelus vocatur Jehovah. Zach. 2: 10. 11. vel 14. 15. 3: 1. 2. 3. 4. 8. 9. Cum quo convenit, quòd Angelus Jehovæ & alibi appellatur Jehovah & Deus Abrahami &c. sive Deus Israëlis. 5. Quia aliquis, qui jubetur sedere ad dextram Dei, est sacerdos secundùm ordinem Melchisedec. Ergo angelus sive missus est sacerdos, & offert sacrificium; & sic est justitia populi. Psalm. 110: 1. 4. 6. quia *vir Germen sedet sacerdos in throno Dei*: & quidem, *postquam ædificavit templum Domini*. non manu factum, sed ipsam Ecclesiam. Quæ ædificatio est fundatio ejus per meritum. Zach. 6: 13. Sacerdotis autem est offerre pro peccatis & orare pro peccatoribus, atque ita iis *ponere*, donare, applicare *satisfactionis precium* sive *sacrificium* suum *pro reatu* Es. 53: 11.

§. 230. Et verò etiam Zacharias mentionem facit *lapidis* propositi sacerdotibus & populo & gentibus, cujus γλυφὴ sit causa abolendi peccati terræ Zach. 3: 9. ut, quum omnibus suis nominibus insignis conspectus fuerit, sive quum veritas nominum ejus in ipso apparuerit, tunc peccatum terræ ablatum intelligatur.

§. 231. Nempe, quia inter nomina ipsius est nomen hoc magnum *Assertor Israëlis*, *Sanctificator Israëlis*, *Justitia Israëlis*, *Sacerdos* offerens victimam gratam Deo & *Deum sanctum per justitiam sanctificans*, *secundum ordinem Melchisedec*, *qui animam suam effundit in mortem*, *ut sit sacrificium prò reatu*, &c.

Locus Es. 63: 9. Goël, angelus faciei.

§. 232. Sed, quæ sit dignitas & quæ munia τοῦ *Goël*; *assertoris Angeli*, non meliùs, quàm ex Esaja cognosci potest Es. 63: 9. *in omni angustia ipsorum non oppugnabat* quis, *quin Angelus faciei ipsius eos salvos faceret. In dilectione sua & clementia sua ille asserebat eos* (postulabat salutem ipsorum, ut populi sui, ut sibi datorum) *& suscepit eos & tulit eos omnibus diebus seculi.*

§. 233. Mosen Gerundensem audivimus, qui *Angelum faciei* intelligit eum angelum, quo præsente Deus præsens est & facies Dei videtur. Nempe, quia est *imago invisibilis Dei*. Col. 1: 15.

§. 234. Sed Abarbeneli prævaricanti hîc respondendum est. Is 1. quod de *Angelo* dicitur, id omnibus *angelis*, quos vocat *instrumenta providentiæ Dei*, assignat. 2. הוא vertit *ipse*, & non *ille*, ut referat Angelum; verùm id refert ad Jehovam. Idque monet ab Esaia dici, *Ne putent*, *assertionem ex Ægypto & ductum in deserto factum esse per manum angeli.*

§. 235. Ergo, ex mente Abarbenelis, intentio Esaiæ fuit, indicare, quòd non *Angelus faciei illos per dilectionem suam & clementiam suam asseruerit*, sed ipse Jehovah, qui miserat Angelum ad salvandum eos.

§. 236. Quæ est illa, obsecro, interpretandi ratio, aut qui pudor interpretis, dicentis, id dictum esse ad cogitationem lectoris avertendam, quod ita dictum est, ut nihil aptius fingi possit ad illam ipsam cogitationem animis inferendam?

§. 237. Vult Abarbenel, dici הוא, ne cogitetur Angelus; &, quòd dicitur הוא, est per se aptissimum ad significandum Angelum. Quid enim propius est, quàm הוא interpretari per ἐκεῖνος *ille*, & intelligere *Angelum*, *qui ipsos salvos fecit?*

§. 238. Deinde, si hoc voluit Esaias, quod Abarbenel eum vult dixisse, dicere debebat, יהוה הוא *Jehovah ipse.*

§. 239. Præterea nihil hîc est novi. Angelo attribuitur *assertio*. Est מלאך גואל *Angelus Assertor*. Gen. 48: 16. Et, cujus est *asserere*, illius quoque est *amare & comparcere*. Nam & Angelus est, qui irascitur non auscultantibus sibi. Exod. 23: 20. 21. Et, cujus est *salvare*, illius est & *portare*.

§. 240. Nec est id intelligendum de omnibus angelis, aut de quovis angelo, quod dictum est de *Angelo faciei Jehovæ.*

§. 241. Porrò insiciatus est Diabolus huic verbo jam olim. Ii, qui dicuntur LXX. interpretes, mutant verba. *ἐκ πάσης θλίψεως αὐτῶν οὐ πρέσβυς οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς.* Hoc ita Hebraicè sonaret: בְּכָל־צָרָתָם לא ציר וְלא מַלְאָךְ כִּי אִם הוּא הוֹשִׁיעָם. Quis sibi persuadebit, eos ita legisse? Ut illi erubescant, qui ex quavis Græcorum interpretum hallucinatione nobis procudunt aliam lectionem.

§. 242. Chaldæus sic interpretatur, ut ostendat, se legisse, ita ut nos legimus. *Omni tempore, quo peccarunt coram ipso, ut adduceret in eos angustiam, non angustiavit eos; & angelus missus à facie ipsius liberavit eos, per miserationem suam & clementiam suam ille eripuit eos & suscepit eos & tulit eos omnibus diebus seculi.*

§. 243. R. Solomoh; לא הצר להם כמעלליהם שהיו ראוין ללקות כי מלאך פניו הוא מיכאל שר הפנים ממשמשי לפניו הושיעם תמיד בשליחותו של מקום *Non angustiam eis fecit secundum studia ipsorum, qui merebantur verbera: sed angelus faciei ipsius, nempe Michaël princeps faciei ex ministrantibus coram eo, salvavit eos semper missu Dei.*

§. 244. R. David Kimchi. *Et Angelus faciei ipsius salvavit ipsos.* מסבב סבות להושיעם. *Prabens causas ad salvandum eos. Et causæ hæ procedunt ab ipso, ut non sint casus. Et* הסבה תקרא *causa vocatur Angelus.*

§. 245. Abraham Aben-Ez. הוא *ille* interpretatur de Angelo; sed non explicat, quis ille sit. Creatum angelum intelligit.

§. 246. Hi Judæi nihil magnum intelligunt per *salvationem*, *amorem*, clementiam, assertionem, susceptionem, portationem; quæ omnia *Angelo* attribunt, sed λειτουργικὸν ministerium habenti. Incidunt in culpam, quam & antè notavimus. Ea, quæ sunt Dei, angelis attribuunt. Fiunt rei ἀρχαγγελείας ἀγγέλων. In præceptum Decalogi primum peccant, dum *Habitantem in rubo*, qui se dicit *Deum Abrahami*, &c. agnoscere nolunt. Et ita putant, se servare unitatem Dei, quando id, quod Dei est, alienant: idque ut justitiam attribuant sibi per summum sacrilegium, & Deo gloriam eripiant.

§. 247. Nam *asserere* Israëlitas suos, & *portare*, ut qui rupes sit, & *salvare*, & quidem intercessione sua, ut qui sit Angelus, *amore & clementia sua*, est divinæ ut potentiæ ita voluntatis.

§. 248. Quid fuit, quare Esaias vel *Angeli* mentionem faceret? An obscurum est, Deum habere Angelos ministros? Aut quare causas salvationis, nempe ea, quæ humanitùs evenerunt, ut Israëlitæ non perirent, vocaret *Angelum Dei*, & quidem *Angelum amantem*, *clementer* condonantem peccata, *asserentem*, *suscipientem*, *portantem*, *salvantem?* Quàm id absurdum est!

Michaël. Dan. 10: 13. 21. 12: 1. ἀρχάγγελος. Angelus Jehova antonomasticè.

§. 249. Ille autem, qui vidit, non omnem Angelum hîc posse intelligi, & *Michaëlem* significari dicit; hactenus à vero non aberravit. Sed, quòd ipsum *Michaëlem* ignoravit, culpa est.

§. 250. Michaël Dan. 10: 13. vocatur *unus principum primorum*. & vers. 21. vocatur *princeps populi Dei*. & cap. 12. vers. 1. vocatur *princeps ille magnus* h. e. maximus principum: eique ut proprium assignatur *stare pro populo Dei.*

§. 251. Ideò in Novi Testamenti libris vocatur ἀρχάγγελος *princeps angelorum*. Nam & angelorum primus est, & angeli Dei ipsi serviunt, eumque ut Dominum suum adorant. Apoc. 12: 7.

§. 252. Neque alius potest esse *Michaël*, quàm is Angelus Jehovæ, coram quo stetit Josua filius Jozadaci, & *Jehovah* appellatur, & Satanæ dicit, *Increpet te Jehovah, Satan*. Zach. 3: 2.

§. 253. Ita ubivis occurrit *Angelus Jehovæ* ἀντονομαστικῶς dictus, qui asserit populum Dei, ut sibi datum, & est princeps ejus, & pro eo stat, & eum salvat, & eum gestat, & est Jehovah, nempe in quo justificatur Israël. Eum Patres noverunt, & ei gratias egerunt, & in eo gloriati sunt; eum Moses cognovit in rubo; de eo locutus est Deus ad Mosen; eum Josua vidit; eum David cognovit castra habentem circa pios, & exercitibus suis eos circumvallantem, & Dominum suum vocat; eum prophetæ loquuntur, eum Apostoli.

Nomen Messias *sive* Christus, Unctio, 1. *sacerdotis.*

§. 254. Ipsum nomen *Christus* (Hebraicè משיח) quid nos doceat, videndum est. Dedit Deus populo *sacerdotem*. Eum ungi voluit. Liceat nobis ponere (quod non potest à sano homine in dubium vocari) hominem peccatorem ex peccatoribus sumtum non posse accedere ad Deum tanquam gratiorem aliis, & offerre, quo & sua & populi peccata propitiet. quum Deum oblatione victimarum delectari non possit: & victimarum sanguis animæ hominis non æquivaleat: & non possit in compensationem venire pro officio debito. Minimè verò posse videri sacerdotem admitti ad tabernaculum, tanquam sanctum, & idoneam oblationem habentem, quando totus populus velut impurus ab altari & rebus tabernaculi amovetur, & de ea impuritate anniversaria & quotidiana admonitio fit, & ipse sacerdos tantum ad tabernaculum terrestre admittitur, & quidem non sine sanguine, & nec omni tempore admittitur.

§. 255. Hoc igitur posito, ne illud quidem dubitari potest, sacerdotem esse typum alterius sacerdotis, & unctionem ejus alterius unctionis.

§. 256. Nam, si hæc non sunt ænigmata & typi, quid sibi voluerunt? Dicemusne, Deum ridiculis gesticulationibus & nihil significantibus rebus voluisse populum suum operam dare? Et in talibus cultibus eandem habere opinionem, quam & gentes habuerunt de suis deis talia facientes? At talia cogitantes Israëlitas insimulat Propheta, quòd non Deo occiderint victimas, & tulerint tentorium Molochi & thecam vel thenam imaginum suarum, sideris Dei ipsorum. Amos. 5: 25. 26. Quum tamen constet, eos non portasse nisi tabernaculum Dei & non sacrificasse nisi Jehovæ, quod attinet professionem Israëlitarum.

§. 257.

§. 257. Potuit autem ex ipsa analogia facilè intelligi, sacerdotem esse typum seminis, quod opera Diaboli destruens patitur sibi calcaneum conteri & se submittit ad ferendam execrationem.

§. 258. Quare nihil præter legem Mosis locutus esse putandus est David, quum nominat *Unctum Dei*, Pf. 45. & de eo prophetat, etiam ut *sacerdote*. Pf. 110. Nam, qui ad Dei dextram considet, sine dubio est Rex. Atqui idem sacerdos nominatur; & non secundum ordinem Aharonis futurus innuitur, quum dicitur futurus secundùm ordinem Melchisedec.

§. 259. Si igitur sacerdos sacerdotis & unctio unctionis typus est; patet, meliorem & præstantiorem esse unctionem & sacerdotium longè excellentius ejus, cujus typus fuit sacerdos & ejus unctio, quàm diu duravit templum. Neque enim typus est æquè perfectus & æquè præstans atque id, quod præsignificatum est.

2. Unctio *Regis*.

§. 260. Sunt & *uncti* Reges. Quod inter homines honoris erat alicujus (ungere enim honorificum fuit) id factum divino jussu per prophetas, significabat, Deum daturum aliquam partem & mensuram Spiritus sui illis, quos jusserat ungi.

§. 261. Quando autem post reges unctos alius Rex ungendus etiam ab ipsis regibus canitur: intelligitur is rex & majus regnum atque excellentius, & similiter potiorem unctionem habere præ omnibus regibus, ut præ omnibus sacerdotibus.

2. *Unctio propheta. Deut.* 18:18.

§. 262. Etiam propheta aliquis *unctus est* Dei jussu, sive *investitus*. 1 Reg. 19: 16. 19. Ubi verbum *ungere* nihil aliud notat, quam Elijam signum in Elisa ponere, quo invitaretur ad eum sequendum & ejus vitæ rationem suscipiendam; quoque cognosceretur, superveniente Spiritu Sancto, Eliam ad eum missum esse, ut occasione ejus, quod fecisset Elias, propheticum spiritum acciperet, & eum sequeretur. Ita ut unctio non tam per Eliam facta fuerit, quàm per Deum ipsum.

§. 263. Est verò aliquis Propheta, qui *verba Dei loquitur*; qui nec est Moses, nec alius Propheta minor Mose. Deut. 18:18.

§. 264. Certè Christus est Propheta: quia *ad legem ejus gentes sperabunt*. Es. 42: 4.

§. 265. Ergo etiam major unctio ipsius, quàm Mosis. Nam, si *verba Dei* potuerat loqui Moses, aut is Propheta sic locuturus verba Dei, ut Moses; qui *ex terra erat, & ex terra*, h. e. ut merus servus, *locutus est*; quid attinebat promitti Prophetam, qui verba Dei loqueretur?

§. 266. Imò, quum superessent verba, quæ Deus ad populum dicenda habebat, dum promittit Prophetam, qui loquatur, quicquid Deus adhuc dicendum habebat ad τελείωσιν populi sui; quod scilicet nec Moses loqui poterat, & populus tunc non erat auditurus: clarissimè indicat, ea verba non in ea specie dictum iri, in qua Decalogus latus erat, sed ex ore humano auditum iri.

§. 267. Vel ex his potest cognosci, qualis sit *unctio* illius, qui præcipuè *Christus* dicitur: qui unctus est, ut accedat ad Deum sacerdos, ut sit rex æternus, & regnum habeat in animum hominis, & loquatur *verba Dei*.

§. 268. Numquid enim putabimus, ea verba, in quibus est consummatio populi Dei, quibus liber à reatu & justus compellandus erat, quibus absolutissima consolatio intimanda erat, ut filiis, cum minori gloria futura fuisse, quàm ea verba audita fuerant, quibus Deus Israëlem vocavit ad hæreditatem terræ Canaan, & se sanctificatorem populi futurum promisit, & ipso terrore ostendit, reatum adhuc esse in mundo? Atqui tum Israël audivit Dei vocem; & Seniores viderunt Deum Israëlis. Confer Psalm. 114.

Promissio audiendæ vocis Jehovæ, *&* apparitionis ejus.

§. 269. Atque hæc confirmantur per ea, quæ de *voce Jehovæ* imposterum audienda, & de adventu Jehovæ, non ad habitandum in templo super arca, sed in media Hierosolyma ambulandum, vaticinantur prophetæ passim.

§. 270. Qualia sunt. Mich. 6: 9. *Vox Jehovæ* extat, qui *urbem vocat*. Esai. 40: 3. *Vox prædicantis* extat: *In deserto vacuam facite viam Jehovæ*. vers. 5. *Et revelabitur gloria Jehovæ, & videbunt omnis caro unà, quod os Jehovæ locutum sit*. Jerem. 3: 16. *Area non fiet, &c. Illo tempore vocabunt Hierosolymam solium Jehovæ, & congregabuntur ad eam omnes gentes, ad nomen Jehovæ, Hierosolymam*. Lev. 26. 12. *Et ambulabo in medio vestri*. Confer Deut. 33: 3.

Porrò de Unctione.

§. 271. Jam porrò videamus, qualem *unctionem* memoret Scriptura. Neque dubitabimus, eam unctionem attribuere illi, qui κατ' ἐξοχὴν *unctus* dicitur. Quia id necessariò significat eum, qui præstantissimam unctionem habet.

§. 272. Idque eò minùs dubitari poterit, si apparebit, Messiam ad hoc ungi, ad quod unctio præstantissima tendit.

§. 273. Imprimis Rex Ecclesiæ dicitur *Unctus præ consortibus suis*. Psal. 45: 8. Quum multi *uncti* sint, qui est *unctus præ consortibus suis*, h. e. consortibus unctionis, unctionem præstantissimam habet. Atque hinc est, quòd dicitur *Christus* antonomasticè.

Unctio Sapientiæ. Prov. 8: 23.

§. 274. Jam verò Prov. 8: 23. dicit *Sapientia*, *A seculo uncta sum*.

§. 275. At quæ est illa Sapientia? Ille, qui prædicat omnibus ubique conversionem & gratiam. vers. 1. 2. 3. 4. 5. 6 32. 34. 35. qui est primogenitus omnis creaturæ. vers. 22. 24. 25. 30. Omnia prædicata Sapientiæ de Christo prædicantur in Euangelio: & per eam prædicationem convertuntur gentes, ut Deum ament & timeant & sapientes fiant.

§. 276. Et quid impedit, quò minùs *Sapientia* possit dici is, qui fit nobis *Sapientia à Deo?* Atqui Christus nobis fit sapientia à Deo. Quod non tam probamus ex 1 Cor. 1: 30 quàm ex ipso Christi munere. Est enim propheta loquens verba Dei (digna utique Deo: quæ cognoscere est sapientia) & constitutus in *fœdus populi*. Atqui *populus* Dei est *sapiens*. Et respondere adstipulando & confitendo illi, qui est constitutus in fœdus populi, est vera sapientia.

§. 277. Unctio Sapientiæ à seculo nihil est aliud, quàm designatio & destinatio illius ad aliquod officium. Talis designatio ad officium est personæ.

§. 278. Et ad quod officium potuit is, qui est Sapientia, à seculo ungi, designari, destinari, nisi ad officium, quod gerit Christus? Nam non ad officium regum aliorum, aut principum, aut legislatorum, aut judicum unctus est: qui per illum regnant, jus edicunt, rectè judicant. vers. 15. 16.

Unctio Regis Psalm. 45: 8.

§. 279. David Psal. 45: 8. dicit, Christum *unctum esse oleo* שמן ששון *ἀγαλλιάσεως* h. e. *alacritatis*, sive charitatis nulli labori parcentis, & omnia facientis ac patientis ad consequendum finem & scopum charitatis enixissimæ. Ceterum is Psalmus etiam luculenter testatur de dignitate & præstantia ejus, qui *oleo* alacritatis sive *spiritu charitatis* unctus est. Quod in præsens omittimus.

De Unctione loci Esaiæ cap. 11. *&* 61.

§. 280. Veniamus ad Esaiam, qui duobus locis de unctione Christi loquitur. Semel sine metaphora: semel utens verbo metaphorico. Es. 11: 2. 3. *Et requiescet super ipso spiritus sapientiæ ac prudentiæ, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus cognitionis & timoris Jehovæ: & odorari ejus ad timorem Jehovæ*. h. e. odorabitur timore Jehovæ.

§. 281. Hic noto, quòd והריחו ביראת יהוה rectè accipiatur pro ויריח ביראת יהוה *odorabitur timorem Jehovæ*. Nam aliquando infinitivus cum affixo venit loco verbi finiti. Ita, אם אמרי pro אם אמרתי Job. 9: 27. Ubi notamus similia. *Odorari* autem in hac phrasi est habere pro sacrificio boni odoris. Amos. 5: 21. לא אריח בעצרותיכם *non odorabor abstinentias vestras*.

§. 282. Et, ne mireris hanc expositionem, ei suppar est, quod statim additur: *Et non secundùm visum oculorum suorum judicabit, & non secundùm auditum aurium suarum redarguet*. Quid igitur, si non secundùm *visa oculorum* & *audita aurium* suarum *judicabit*, ut alii judices? Judicabit, ut explorator renum & cordium. Timorem Dei in cordibus videbit: & secundùm eum judicabit. Abarbenel confert Esai. 42: 1. *Spiritum meum dedi super ipso*. Intelligit, *prophetam* esse *Messiam*. Confer Matth. 26: 68. χριστὲ, προφήτευσον. Sed de nullo illorum, qui prophetarunt, hoc dicitur, quod de Christo; cui id proprium attribuitur.

§. 283. Quòd autem *super illo* dicitur *quieturus spiritus sapientiæ*, &c. id non tantùm significat, Spiritum Jehovæ, qui sapientem ipsum faciat, super ipso quieturum, sed super ipso futurum spiritum; qui alios sapientes faciat. Atque adeò spiritum sapientiæ, &c. ab ipso dandum & effundendum esse.

§. 284. Id ita se habere, ex eo apertum est, quia spiritus sapientiæ & sapientes faciens intelligitur in ipso residere peculiariter, nempe ut *fonte*, (Nam quis est *fons salutis* cap. 12: 3. nisi ipse?) ut capite, ut *radice* ipsius Jessæ. vers. 10. & à cujus justitia provenit & pax Ecclesiæ, ut agni, armenta cum lupis, ursis, leonibus recubent: & abundantia cognitionis, ut terra impleatur cognitione Domini, ut mare aquis. vers. 5. 6. 7. 8. 9.

§. 285. Id porrò magis patet ex altero loco, qui habet phrasin *unctionis*. Es. 61: 1. 2. 3. *Spiritus Jehovæ est super me: quia unxit me, ad euangelizandum mansuetis misit me* &c. Hic distinguitur duplex unctio. Una, quòd Spiritus Domini est super ipso. Secunda, qua demonstratur & manifestatur, Spiritum Domini super ipso esse. Et ea est unctio membrorum ejus & discipulorum ejus, atque etiam opera potentiæ divinæ. Unxit Christum Spiritu Sancto & potentia, Actor. 10: 38. Nam & Spiritu Sancto effuso in nomine ipsius & operibus divinæ potentiæ manifestatus est is esse, super quo est Spiritus Jehovæ, h. e. in quo est πλήρωμα τῆς θεότητος Col. 2: 9. ita ut ipse ex se donare Spiritum Sanctum possit. Ita habentur tres *unctiones*. 1. Destinatio ante fundationem terræ. 2. Deitatis inhabitatio in carne cum potentia Spiritum Sanctum dandi. 3. Effusio Spiritus Sancti in homines ad demonstrandum, quòd ipse sit *Christus* & *Dominus*. Actor. 2: 36.

De Unctione locus Danielis 9: 24. 25. 26.

§. 286. Ita Danielis 9: 24. 25. 26. mentio fit *unctionis sancti san-*

ſanctorum, & *uncti principis*, & *uncti exciſi*. Poſtquàm *Unctus* fuerit *exciſus*, fiet *Princeps*, & tum *ungetur ſanctum ſanctorum*, h.e. effuſione Spiritus Sancti efficientur fideles conſortes eorum, qui in cœlis ſunt; qui ſancto ſanctorum reſpondent. Hæc autem unctio fidelium eſt Chriſti unctio, ut capitis, ſive demonſtratio & manifeſtatio, quòd *Spiritus Jehovah ſit ſuper ipſo*.

§. 287. Ergo Chriſtus eſt Sapientia illa, quæ ab æterno fuit apud Deum; eſt is, qui effundit Spiritum ſanctificationis & filiationis; eſt Deus: & ita in eum credendum eſt, ſic invocandus, ſic adorandus eſt.

Nomen Filii Dei.

§. 288. Conſideremus etiam nomen *Filii Dei*. Sunt & Angeli nominati *Filii Dei*, & homines, nimirum principes populi Dei. Pſal. 82: 6. *Ego dixeram: Dei vos* eſtis *& Filii omnipotentis univerſi vos*. Et de Iſraële dictum Exod. 4: 22. 23. *Filius meus primogenitus eſt Iſraël. Mitte filium meum, ut ſerviat mihi.* Et extat promiſſio in poſterum Hoſ. 2: 1. vel 1: 10. *Loco ejus, quod dicebatur vobis, Non populus meus* eſtis *vos, dicetur vobis, Filii Dei vivi.* & Jer. 3: 19. *Et ego dixeram: Quomodo* (quàm celſo & eximio loco) *te ponam inter filios! Et dabo tibi terram deſiderii, hereditatem decoris exercituum gentium. Et dicebam: Pater mi, voces me, & à me ſequendo ne recedas.* Deut 32: 5. *Filii ejus labes ipſorum.* verſ. 19. *propter ægritudinem filiorum meorum & filiarum mearum.*

§. 289. Præter hanc clementiſſimam προσαγόρευσιν *filiorum* eſt & alia peculiaris de Davide. Pſ. 89: 27. 28. *Ille vocabit me, Pater meus tu, Deus meus & Rupes ſalutis meæ. Etiam ego primogenitum faciam eum, primum regibus terræ.*

§. 290. Et adhuc ſingularior de filio Davidis 2 Sam. 7: 11-14. *Domum faciet tibi Jehovah. Quum impleti fuerint dies tui & decubueris cum patribus tuis, excitabo Semen tuum poſt te, quod prodibit ex viſceribus tuis, & conſtabiliam regnum ejus. Illud ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus in ſeculum. Ego ero ipſi Pater, & illud ſemen erit mihi filius*, &c.

§. 291. Quomodo id intellexerit David, clarum eſt ex ultimis ipſius verbis 2 Sam. 23: 5. *Nam non eſt recta domus mea cum Deo: ſed fœdus* ſive Teſtamentum *æternum poſuit mihi*, — *quòd omnis ſalus mea & omnis voluptas* extitura ſit, *quum non germinabit* domus mea. Oſtendit, ſe ex illa promiſſione exſpectare *ſalutem*, & ut fiat omnis εὐδοκία; liberis autem ſuis ſtabilitatem non promittere, aut domui ſuæ terreſtri perpetuitatem, nedum regno. Quum tamen Propheta ei dixiſſet, *Et firmabo ſolium regni ejus in ſeculum: & perpetua erit domus tua & regnum tuum in ſeculum coram me, ſolium tuum erit firmum in ſeculum.*

§. 292. Similiter mentem ejus explicat Pſalm. 89. in quo eſt deploratio exciſi throni Davidis & templi: ita tamen ut *gratia & veritas Dei decantetur.*

§. 293. Item Pſal. 132: 16. 17. ubi oſtendit, ſibi promiſſum, fore, ut *ſacerdotes* in Sione *induantur ſalute*, & ut ibi *excitetur Cornu Davidi.*

§. 294. Item Pſal. 72. quem fatetur Abarbenel in Maſchmia Jeſchuàh. fol. 78. col. 3. de Meſſia loqui, ſaltem in illis verbis: *Et juſtitiam tuam filio regis.*

§. 295. Non eſt igitur dubitandum, quin David eam promiſſionem intellexerit, in potiſſima ejus parte, ut quod attinet ædificationem templi, veri videlicet templi, in quo Deus habitat (qui in templis manu factis non habitat) & regnum perpetuum, de Chriſto Filio ſuo.

§. 296. Jam, quando uni Filio Davidis dicitur à Deo inter omnes filios appellatos, angelos & homines, *Tu es filius meus:* nonne id *potius nomen* eſt, quàm quod cæteri omnes, ipſe etiam David, ſortiti ſunt? Tantundum enim valet uni filio Davidis dicere, *Tu es filius meus*, atque dicere, Tu multò majori jure & verè es filius meus: cæteri autem non niſi aliqua dignatione appellati ſunt filii, vel alio modo ſunt filii.

§. 297. Atque inde nomen *Filii Dei* eſt ſingulare & Chriſti ſolius proprium. Sic Pſ. 2: 12. *Oſculamini filium.* Eſ. 9: 5. *Filius datus eſt nobis.* Prov. 30: 4. *Et quod nomen filii ipſius!* Ezech. 21: 10. vel 16. *Sceptrum filii mei.* Pſalm. 72. 1. *Filio regis.*

Nomen Germen.

§. 298. Id etiam in æquivalente eſt evidens. Nam nomini *Filii* æquivalet *Germen*. Chriſtus autem non tantùm *Germen* ſimpliciter vocatur, ut Zach. 3: 8. 6: 12. *Vir, cujus nomen eſt Germen:* cui reſpondet ἀνατολὴ ἐξ ὕψους Luc. 1: 78. *germen ex alto*, in oppoſitione germinis ex terra. ſed & *germen Davidis*, Jer. 23: 5. 33: 15. & *Germen Jehovæ*. Eſ. 4: 2. Cui reſpondet ניב יהוה Malach. 1: 12. Apparet, hæc nomina tanquam ἴδια & *propria* attribui: ut proclive ſit ex illis locis Chriſtum υἱὸν θεοῦ ἴδιον *filium Dei proprium* dicere.

Unigenitus.

§. 299. *Unigeniti* verò appellatio facilè evincitur: tum, quia non alius ita ἰδίως appellatur; tum, quia יחיד *unicus* dicitur is, ſuper quo confoſſo flebunt Hieroſolymis, Zach. 12: 10. (confer Amoſ. 8: 10.) ut & *primogenitus:* tum, quia ad eum dicit: *Ego hodie genui te.* Pſalm. 2. verſ. 7.

Generatio æterna.

§. 300. Et cui dictum eſt, *Ego hodie genui te?* Imò cui dici potuit? Non dicit, *Jehovah dixit ad me hodie, Tu es filius meus, ego genui te.* Sed, *dixit ad me, Ego hodie genui te.* Cui Deus ſemper dicit, *Ego hodie genui te*, eum nunquam deſinit gignere. Ejus *egreſſio* eſt antiquior *egreſſione ex Bethleem*, Mich. 5: 1. Is ante montes genitus eſt. Prov. 8: 24. 25. is eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ Hebr. 1: 3. ſemper egreditur ex Patre, & ſemper vivit propter ſemper viventem Patrem. Joh. 6: 57. eique ſemper dat Pater vitam habere in ſe. Joh. 5: 26.

Defenſio divinitatis Chriſti, quæ eſt Johan. 5. verſ. 18. & ſeq.

§. 301. Judæi, qui Chriſtum audiverunt loquentem, ægrè tulerunt, quòd Deum *Patrem* ἴδιον *proprium* nominaret. Joh. 5: 18. & hoc ita acceperunt, quod ſe *Deum* diceret. Joh. 10: 33:

§. 302. Chriſtus ſe magnis rationibus utrobique tuetur. Primò unitatem Filii & Patris ita demonſtrat; quia *Filius nihil poteſt facere, niſi quod videt Patrem facientem;* atque adeò *nihil à ſemetipſo poteſt facere.* Si Filius & Pater non eſſent unum, poſſet Filius diverſa velle & facere. Quemadmodum Angeli & homines potuerunt peccare. Atqui non poteſt diverſa velle & facere.

§. 303. Nam & Ezech. 21: 10. vel 16. quum dicitur, או נשיש *aut hilareſcemus*, Pater Filium ſibi conjungit in hilaritate ſive gratiâ miſerandi, quæ ſola poteſt eximere à pœna gladii, qui eſt *ſceptrum Filii.* Et Exod. 23: 21. *Nomen meum eſt in medio ipſius.* Quod non ſignificat quid minus, quàm illud, Is intimè cognoſcit me & nomen meum, idque ab ipſius intuitu & amore nunquam occultatur. Et in regno jungitur Filius cum Deo. Quod non fieret, ſi aliud velle aut facere poſſet, quàm quod videt Patrem facientem. Denique non eſſet *Angelus Dei* & *Angelus Teſtamenti* & *Angelus faciei:* quod certè notat eum, qui videt Deum & in quo videtur Deus.

§. 304. Si dicamus, Fieri quidem non poſſe, ut Filius aliud faciat, quàm quod Pater facit; quippe quia, ſi rebellis eſſet, non eſſet Filius: ſed id provenire à gratia Dei: quemadmodum Angeli electi ſancti faciunt voluntatem Dei: ideoque non quidem ſimpliciter impoſſibile eſſe, ut Filius diverſum faciat; ſed tamen non facere aliud: Si, inquam, hoc dicamus, dicemus etiam, Filium non eſſe magis Filium Dei, quàm angeli Dei ſunt filii ipſius: ſed eum quoque inter eos *ſervos* cenſendum eſſe, quibus *Deus non credit.* Job. 4: 18.

§. 305. Quid verò opus eſt nobis illo rege & domino, qui ipſe ſubditus eſt & ſuſtentatur à potentiori, atque illius gratiæ debet, quòd bonus eſt, æquè atque nos?

§. 306. Et quomodo ſanctificator noſter eſſe poteſt, qui non eſt Sanctus ex ſe ipſo? & vivificator, qui non habet vitam in ſe? & interceſſor, qui non habet χάριν, amorem & dilectionem, quæ nobis poſſit eſſe divinæ voluntatis ac dilectionis obſes? Nam dilectio creaturæ, quæ neceſſaria eſt ex legis imperio, non poteſt eſſe interceſſio, cui confidamus: ſed illius, qui nihil poteſt facere & velle, niſi quod videt Patrem facientem.

§. 307. Porrò etiam ab opere argumentatur Chriſtus. *Quæ enim ipſe facit, hæc & filius ſimiliter facit.* eadem facit, quæ Pater facit. Eadem ſunt Patris & Filii opera. Et *ſimiliter facit* h.e. eadem voluntate ac potentia facit.

§. 308. Id dicit ad confirmandum illud, quod antea dixerat. verſ. 17. *Pater meus hucuſque operatur: & ego operor.*

§. 309. Deinde etiam, ad probandum, quòd Chriſtus verè poſſit Deum Patrem ἴδιον ac *proprium* dicere præ omnibus creaturis.

§. 310. Quum igitur hæc dicit, non eſt putandum, id Chriſtum aſſerere, ut ſibi ſine omni probatione credatur, propter auctoritatem ſuam.

§. 311. Quanquam enim nos id credamus, quia recipimus auctoritatem ejus, & propterea illi, qui hoc non credunt, etiam auctoritatem ejus rejicere comperiantur; licèt à Chriſti nomine appellari velint: tamen ea auctoritas non valebat apud Judæos.

§. 312. Atque etiamſi dicamus, Auctoritatem D. Jeſu debuiſſe valere apud Judæos, ut certum haberent, eum eſſe Filium; & porrò crederent, quæcunque Filius de ſe ipſo diceret; quia Filius Dei mentiri non poteſt: tamen etiam Chriſtus non deſtitui ſe teſtimonio Patris declarat; qui non tantùm dederit ipſi opera, quæ faceret; ſed etiam in lege ipſi dederit teſtimonium. verſ. 36. 37. 46. Et conveniebat, Chriſtum nihil dicere extra ea, quæ populum eſſe auditurum, Deus per Moſen & Prophetas dixerat.

§. 313. Vera eſſe hæc, nos poteramus argumentari, quia ἰδίως προσαγορεύεται *Filius*, & longè præſtantius nomen eſt ſortitus angelis. Hebr. 1: 4.

§. 314. Sed D. Jeſus hîc probat, Chriſtum habere Deum patrem ἴδιον, quia Chriſtus ſic Filius eſt, ut operetur opera Patris ſimiliter atque Pater. Quod dicit Paulus Rom. 1: 4. υἱὸς ἐν δυνάμει, q. d. filius in omni poteſtate & valore vocabuli, & ſic veriſſimè filius, atque adeò non in infirmitate, ſed cum potentia Patris.

§. 315.

§. 315. Probat autem hoc Christus ab iis operibus, quæ faciebat & quæ facturus erat imposterum. Sic dicit verbis, ut videntur, simplicibus, sed significationis magnæ. vers. 20. *Pater enim amat Filium, & omnia ostendit ipsi* (sive *facit ipsum videre*) *quæ ipse facit: & majora his ostendet ei* (sive *faciet eum videre*) *opera, ut vos miremini.*

§. 316. De operibus iterum loquitur vers. 36. *Ego habeo majus testimonium Johanne. Nam opera, quæ mihi dedit Pater, ut ea perficiam, ipsa ea opera, quæ ego facio testantur de me, quod Pater me miserit*, nempe ut υἱὸν ἴδιον.

§. 317. Vers. 20. dicit, quod Pater ei ostendat, sive eum faciat videre opera magna: at vers. 36. dicit, *quæ Pater mihi dedit, ut ea perficerem.* Ergo, quando dicit, *Ipsi ostendit*, vel, *ipsum videre facit*, significat, *facit ut ea videat tanquam sua opera.* ut rursus intelligamus τὴν ἐνότητα Patris & Filii. Quippe quum Filius faciat ea, quæ Pater facit, sive eum videre facit.

§. 318. Phrasis eadem est Psal. 45:5. תורך נוראות ימינך *ostendit tibi terribilia dextra tua.* h. e. Dextra tua edet opera terribilia, ut ea videas.

§. 319. Tamen in phrasi hac etiam amplior emphasis est. *Pater ostendet ei omnia, quæ facit: & majora his*, quæ jam ostendit, *ostendet ei opera, ut vos miremini.* Significat enim, Patrem facere omnia & majora facturum, propterea, ut Filius ea videat, & ex illis voluptatem capiat.

§. 320. Et id indicat, quod præcedit: *Pater diligit Filium.* Pro quo dicitur Joh. 8:50. *Pater quærit gloriam filii.* Quod autem Pater facit, ut diligens Filium, & ei ostendit, ut diligens Filium, id facit propter gloriam Filii. Jam verò, quod Pater facit propter gloriam Filii, id Filius facit, *quemadmodum Pater.*

§. 321. Et, propter quem facit majora prioribus, ut & hostes ejus mirentur; eum certè diligit, ejus gloriam quærit, propter eum facit & cætera.

§. 322. Quòdque ea faciat & Filius, non tantùm hinc patet, quia ipsum ea facit videre, ut opera sua, &, quia gloriam ejus quærit, &, quia illa Christus jam faciebat, ut est vers. 36. sed etiam, quia magna illa opera, mirabilia in oculis hostium, ipsius opera sunt. ut vivificatio mortuorum. vers. 21. *Ut enim Pater excitat mortuos & vivificat, ita & Filius, quos vult, vivificat.*

§. 323. Sed & hæc firmanda sunt testimoniis Propheticis. Non possumus omittere id, in quo eadem locutio: *Ostendet tibi terribilia dextra tua.* Habet potentiam & dextram validam, qua voluntati suæ satisfaciat, cui dextra sua ostendit terribilia. Psalm. 45:5.

§. 324. Esai. 42: 1. 6. 7. 8. *Ecce servus meus, quem teneo, &c. dedi spiritum meum super ipso. ——Ego Jehovah vocavi te* (feci te venire) *cum justitia* (ut eam adduceres. Sic loquitur Dan. 9:24.) *& teneo manum tuam, & retineo te, & dabo te in fœdus populi, in lucem gentium, ad acuendum oculos cæcos, ad educendum ex claustro vinctum, ex carcere sedentes in tenebris. Ego Jehovah, hoc est nomen meum, & gloriam meam alii non dabo, & gloriationem meam sculptilibus. Cæcos oculos acuere* est tantundem atque mortuos vivificare. *Ex carcere vinctos educere* est Diabolum ligare, per Spiritum sanctum vivificare. Deus protestatur, hanc esse gloriam suam, quam non sit daturus non-Deo, vivificare mortuos, illuminare cæcos, populum assumere: & tamen dat eam gloriam servo suo: ut pateat, gloriam Dei esse hanc gloriam dare Servo suo, & eum diligi à Deo, & gloriam ipsius à Deo quæri, & propterea Deum ipsi ostendere, quæ ipse facit.

§. 325. Es. 48. vers. 12. 13. 14. 15. 16. *Audi me, Jacobe, & Israël, vocate mi. Ego idem* sum. *Ego primus & ego postremus. Etiam manus mea fundavit terram & dextra mea palmis* formavit *cœlum. Inclamabam eos, stabant pariter. Colligimini unà & audite. Quis in ILLIS indicavit hac: Quem Jehovah diligit, faciet voluptatem suam in Babylone, & ejus brachium sunt Chaldæi. Ego, ego locutus sum, etiam vocavi ILLUM, adduxi eum, & prosperavit viam suam. Accedite ad me, audite hoc: Non ab initio in occulto locutus sum. Ante tempus, quo illud extitit, ego eram: & nunc Dominus JHVH misit me & spiritum suum.* Missus Dei formavit cœlum & terram: loquutus est, antequam mitteretur: ab initio locutus est; palam locutus est; solus indicavit, quid facturus esset per Chaldæos ut brachium suum, & quid facturus esset in Babylone: is adduxit Cyrum, ut faceret voluptatem suam in Babylone: cum ipso mittitur Spiritus Jehovæ. Is est, quem Jehovah diligit. Quid potuit dici, ut magis resiperet dicta Christi in Euangelio?

§. 326. Es. 49: 5. 6. *Et nunc dixit Jehovah, qui formavit me ab utero servum sibi, ad reducendum Jacobum ad se* (*& Israël non reciperetur?*) *& preciosus sum in oculis Jehovæ, & Deus meus extitit robur meum. Dixit, inquam, Levius est, ut mihi sis servus ad erigendum tribus Jacobi & retentos Israëlis ad reducendum: & dabo te in lucem gentium, ut veniat salus mea ad finem terræ.* Christus preciosus est in oculis Dei, ideò facit eum videre conversionem non tantùm Judæorum, sed & gentium, & salutem eorum, per ipsius efficaciam.

§. 327. Esai. 50: 2-8. *Quare veni, & non fuit vir? clamavi, & non fuit respondens? An abbreviata est manus mea à liberando? Et an non est in me vis ad eripiendum? Ecce, increpatione meâ desicco mare ... Induo cœlum atrore ... Dominus JHVA dedit mihi linguam eruditorum .. aperuit mihi aurem ... tergum meum dedi percussoribus ... Propinquus est, qui justificat me.* Is, qui venit ad populum, & clamavit, cui nemo respondit, cui Deus dedit linguam eruditorum, ad loquendum sapientiam & prudentiam & ad tempestivè loquendum cum fesso; cui omnes contradixerunt; qui virgis percussus est: habet manum, qua possit salvos facere; increpatione desiccat mare, & cœlum nubibus opacat. Et is exspectat Deum, qui se justificet, nempe ut collocet se in throno & se faciat videre ea opera, propter quæ venit in mundum.

§. 328. Sufficiunt hæc ad demonstrandum, quòd similia, imò eadem dicta sint in Veteri Testamento à Prophetis; quæ D. Jesus dicit de Filio. Planum autem est, eum, de quo illa dicuntur, rectè Filium Dei appellari posse; & de alio intelligi non posse præter eum, qui Filius Dei propriè appellatus est; neque qui sit ipso major (quis enim nobis Salvator nominatus est nisi Filius Dei? Et quis major potest esse Filio Dei?) neque qui sit ipsi par (parem enim non habet, qui est unigenitus, & solus Filius appellatus est) neque qui sit ipso minor. Nam quo potest esse minor, de quo tanta dicuntur?

§. 329. Pergit D. Jesus vers. 21. *Quemadmodum enim Pater excitat mortuos & vivificat: ita & Filius, quos vult, vivificat.* Quid est, quod dixerat, Pater ipsi ostendet majora opera? Id hic definit. Patris voluntate & potentia excitabit mortuos; quos volet. Qui excitat mortuos; qui excitat mortuos, quos vult; qui eos excitat ut Pater (confer vers. 19. *hæc & filius similiter facit*) is est Filius non vulgariter, sed Deum Patrem proprium habet, ut Patri sit æqualis.

§. 330. Atqui hæc Filio competunt. Nam *Angelo faciei* attribuitur *dilectio & indulgentia, qua* complectitur Israëlem, & potentia, qua *salvat*, qua *portat* eum *omnibus diebus seculi.*

§. 331. Angelus quidam vocatur *Deus Israëlis.* Ergo excitat mortuos.

§. 332. Dominus Davidis, quem oportet regnare, donec omnes hostes ejus ponantur scabellum pedum ejus? Psal. 110. vers. 1. excitat Davidem (& est *Salus Davidis*, 2 Sam. 23. vers. 5.) excitat mortuos. Nam mors hostis ipsius ultimus est. Hos. 13:14. 1 Cor. 15:26. 54. 55. Atqui is est Filius. Alius enim esse non potest. ut paulò antè demonstravimus.

§. 333. Qui habet jus *postulandi hæreditatem suam gentes & possessionem suam fines terræ*, Psal. 2:8. excitat mortuos, quos vult.

§. 334. Cujus *anima ponit sacrificium pro reatu*, ut *Deus videat semen; & ut ipse videat* semen, *& satietur:* Es. 53:10. is excitat, quos vult, mortuos.

§. 335. Atque ideò rectè ipsi attribuitur χάρις *gratia:* quæ est voluntas dandi bonum de suo, & αὐτοκρατορική.

§. 336. Vers. 22. *Neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio.* Bis loquitur de judicio. hic & vers. 27. Possumus illa duo distinguere: imò oportet. Nempe hoc loco oportet id judicium intelligere, quo probatur, Filium excitare, quos vult, mortuos. Est igitur hic illud judicium, cui opponitur *gratia.* Alii mortui excitantur & vivificantur: alii in morte relinquuntur; & hi fiunt nausea omni carni. Dan. 12:2. Qui autem vivificantur, si propterea vivificantur, quia Filius id vult, & eos postulat hæreditatem suam: sive, quia Michaël pro iis stat tanquam pro suis. ibid. 1.

§. 337. Esaiæ cap. 8: 18. introducitur loquens is, qui cum pueris sibi datis futurus erat in signa & prodigia in medio Israëlis, h. e. Christus. Atqui is dicit: *Ecce ego & pueri, quos dedisti mihi.* Numquid Pater eos dedit non petenti? Imo petenti. Dictum est enim, *Postula à me & dabo.* Numquid igitur petenti alios, non dati sunt, quos petiit, sed alii dati sunt? Imò implet Deus omnes petitiones cordis ipsius. Ps. 20: 5. & dixit, *Postula, & dabo.* Ergo si Filio datum est postulare hæreditatem vivificandam, quos vult, & in morte relinquere, quos vult; datum est ipsi omne judicium.

§. 338. Nam electio non est sine κρίσει eorum, qui præteruntur. Psal. 139: 14. *Confitebor te propterea, quòd metuendis modis separatus sum.*

§. 339. Ideò ejus, qui mittendus erat, dicitur esse *judicium*) Ezech. 21: 27. vel 32. *donec veniat is, cujus est judicium, & dem illud.*

§. 340. Et hoc petiverunt Patres Psal. 72: 1. *Judicia tua regi da.* Nempe *judicia*, quæ necdum facta erant & oportebat fieri propter gloriam Dei & ad liberationem populi Dei. *Judicium* autem Dei ei datur, cujus est. Et, si judicia sua Deus dat regi filio regis, Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio.

§. 341. Quemadmodum enim Testamentum gratiæ fecit in Filio, ita etiam in Filio & non sine Filii voluntate judicium fecit.

§. 342. Et Esaiæ 53:10. quum à Justi servi Dei *anima* suspenditur, ut ipse & Deus videat semen; facilè intelligitur, ab anima ejusdem, ut volentis sacrificium pro reatu exhibere, vivificationem seminis proficisci; & tanquam fœdere inito Patrem cum Filio de salvandis per ipsius oblationem convenisse.

§. 343. Etiam Psal. 16:5.6. Filius sibi gratulatur de hæreditate per divinam sortem sibi ex voto data. *Tu*, inquis, *tenes sortem meam. Funes ceciderunt mihi in amœnis. Etiam hæreditas decora mihi est.*

§. 344. Pergit Dominus, & τὸ ἴσον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ demonstrat ab honore. Vers. 23. *Ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem.* Qui hæc audiverunt, & verbum Dei non habuerunt manens in se, sine dubio habuerunt voluntatem lapidandi Christum. Neque enim aliud potuit videri dicere, quàm Filio parem honorem deberi ac Patri. Et certè visus est D. Jesus Judæis divina tribuere sibi filio. Ea de causa eum blasphemum judicarunt, & occiderunt.

§. 345. At nunc quidam, qui Christiani audire volunt, dicunt, Christum non hoc dixisse, sed tantum, Deum velle, ut Filius honoretur ab omnibus. Quasi de eo dubitatum fuerit, utrum Filius Dei debeat honorari nec ne? Quasi ea re probatum dederit, Filium habere Deum Patrem proprium. Quasi eo diluerit culpam, si culpa fuit, quòd visus est *se parem facere Deo.* vers. 18. Quasi vel hoc vel ullum dictum ostendat, D. Jesum hic se ita explicare, ut se purget ab ea suspicione, quod se parem voluerit facere Deo. Et quid causæ est, quare non, quum hic reperiamus τὸ καθὼς, & supra τὸ ὁμοίως, vers. 19. & ὥσπερ, οὕτως, vers. 21. ut & mox vers. 26. intelligamus ubique paritatem?

§. 346. Enimverò non potest hoc *quemadmodum* aliter exaudiri, quàm de paritate, imò unitate honoris. Quid enim? An nihil aliud hic dicitur, quàm quod de honore parentum: *Honora patrem tuum & matrem tuam?* unde consequitur, *Deum non honorari, nisi parentes honorentur?* Hoc dico, An nihil aliud de honore Filii Dei dictum putabimus, quo revelato gloria Dei revelata dicitur, in quo Deus honorari vult, ita ut nullum honorem postulet extra illum, & in quo solo, ut imagine, honorari potest, ita ut, *qui Filium non honorat, non honoret Patrem*, hoc est, suum honorem non det Deo? Honor Patris est, dicere eum ἀληθῆ, Joh. 3:33. Hic honor constat Patri in Filio. At quomodo? Pater dixerat, *Ero tibi & semini tuo in Deum.* Id ipsum est, in quo debet Deus *verus* agnosci. Si hoc non est in Filio, quæ *veritas* Dei in Filio comprobatur? Et tamen Paulus dicit 2 Cor. 1:20. *quotquot promissiones Dei in Christo esse Na & Amen, Deo ad gloriam.*

§. 347. Qui igitur Filium non honorat, ut credat, eum potuisse hoc præstare, quod Deus, *per quem & propter quem sunt omnia*, de se promiserat; is non honorat Patrem: quia negat, Patrem in Filio potuisse suas promissiones præstare & exhibere. Velut illam: *Tantùm in Jehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.*

§. 348. Qui porrò non credit, Filium ea, quæ Pater facit, videre, & ea similiter facere, h. e. Filium cum Patre omnia opera decernere & facere; is non credit, Patrem in Filio posse illas eximias promissiones præstare; atque ita gloriam suam manifestare.

§. 349. Ita, qui non credit, Filium excitare, quos vult, mortuos; & Patrem omne judicium dedisse Filio: nec Filium honorat, nec Patrem. Nam etiam Patrem negat vivificare mortuos. Nam Pater non vivificat mortuos nisi etiam justificet mortuos. Non est autem aut potest esse justitia mortuorum, nisi in Filio.

§. 350. Et hæc confirmantur omnibus illis, quæ hactenus de Filio ex Veteri Testamento diximus. Instar omnium sit, quod legitur Esai. 42:6.7.8. ubi Deus declarat, se propter *nomen suum*, quod est *Jehovah*, & *gloriam suam*, quam nulli extra se dat vel dare potest, *vocasse* Servum suum electum *cum justitia*, *ad acuendum oculos cæcos*, ut sit *in fœdus populi* (nempe ut populus in ipsum credens sit populus Dei & ut populus Dei à Deo omnia promissa reportet) *& in lucum gentium.* In quibus vivificatio mortuorum continetur.

§. 351. Neque igitur verum est, quod dicit Socinus: Adorato & invocato Filio, adorari & invocari Patrem, sed non vice versa. Si enim non potest Pater honorari, nisi filius honoretur, non potest Pater adorari, invocari, nisi & Filius adoretur & invocetur. Ideò rectè se habet dicere ex Joh. 14:1. Qui credit in Deum, credit in Filium. Item: qui honorat Patrem, honorat Filium.

§. 352. Etiam porrò explicat & confirmat Dominus suum dictum. vers. 24. *Amen Amen dico vobis: quòd, qui sermonem meum audit & credit ei, qui misit me, habeat vitam æternam; & in judicium non veniat, sed transierit ex morte in vitam.* Honor Filii requirit, ut *sermones ejus audiamus.* Nam, quomodo honorare dici possumus eum, *cujus* sermones audire nolumus? Atqui *sermones* Filii *audire* est *credere ei*, *qui* Filium *misit.* Idem honor est *audire sermones Filii* & *credere mittenti ipsum.* Nam suos sermones loquitur Filius, dum loquitur verba Dei. Joh. 3:34. Pater enim dixit: *Verba mea ponam in ore ejus. Qui non audierit verba mea, quæ loquetur, requiram ab eo.* Deut. 18:18. Et Exod. 23:21. *Audi vocem ejus: quia nomen meum in medio ejus est.*

§. 353. Et, qui sunt *sermones Filii? Qui credit in me, habebit vitam æternam, & in judicium non veniet, sed ex morte transiit in vitam.* Hos igitur sermones qui audit, is credit in Filium & credit in mittentem: atque ita, dum honorat Filium, honorat Patrem; & Filium honorat sicut Patrem, &, qui Patrem honorat, honorat Filium: Patrem autem nemo honorat, si Filium non honoret. Quia Pater ita demum honoratur, si ei credatur. Credit autem ipsi, qui credit in Filium ad vitam æternam consequendam.

§. 354. Vers. 25. pergit Dominus loqui de magno opere, quod ipsi ostensurus erat Deus. Quod est conversio gentium. *Amen, Amen dico vobis. Venit hora & jam est, quum mortui audient vocem filii Dei: &, qui audiverint, vivent.* Prope abest tempus, quum gentes *mortuæ* in lapsibus & præputio carnis suæ *audient vocem Filii Dei.* h. e. attendent ad eam: *&, qui audiverint, vivent*, in æternum. ut est vers. 24. non morientur. & vers. 26. *Ut enim Pater habet vitam in se, ita dedit etiam Filio habere vitam in se. Dedit Filio* per generationem, propter quam est Filius. Eò quòd Deus est Pater Filii, Filius habet vitam in se. Hoc inest in filiatione. Sed τὸ γὰρ, *Nam*, ostendit, ideò fieri, ut mortui audiant vocem Filii Dei, quia Filius vitam in se habet.

§. 355. Quæ est igitur illa vox, quam audiunt mortui? Quæ dicit mortuis: *Vivite.* ut est Ezech. 16:6. *Et dixi ad te, In sanguine tuo vive.* Et hoc indicatur Esai. 42:4. *Ad legem ejus insulæ sperabunt.* & vers. 6. 7. *in lucem gentium, ad acuendum oculos cæcos, & ad educendum ex claustro vinctum.* Non aperiuntur oculi cæci & aures surdæ, nisi dicendo, Aures surdæ audite, oculi cæci videte, mortui vivite. Sunt enim mortui. Et non temere dictum est, *Dixi, In sanguine tuo vive.* Qui ita loquens auditur, is *habet vitam in se*, ut possit vivificare, quem vult. Nam illius dictum comitatur potentia: ut in illo: *Volo, purus esto.*

§. 356. Adhæc vers. 27. *Et dedit ei potestatem etiam judicium faciendi, quia filius hominis est.* Filio hominis, post visitationem Dei, humiliato & honore ac gloria coronato omnia oportet subjici. Psal. 8:6. h. e. Ei, qui factus fuerit sub lege, ut fieret peccatum pro hominibus, in thronum regni elevato, vivos & mortuos oportet sisti judicandos.

§. 357. Judicium, quo gratis donatur vita æterna fidelibus, & infidelibus ira irrogatur, datur Filio Dei, quia Filius hominis est; h. e. quia ipse factus est Caro & factus est legi subjectus, & factus est execratio, ut credentes in ipsum justi fierent.

§. 358. Hoc judicium distinctum est à judicio, de quo vers. 23. Ibi enim omnis judicii mentio fit, ut probaretur, Filii esse vivificare, quos vult; & sic in morte relinquere, quos vult: hic autem & species judicii ipsi tribuitur, qua credentes in se absolvit, infideles damnat. Ut intelligamus, *omne judicium datum esse Filio.*

§. 359. De hoc judicio Psalm. 2:12. *Osculamini Filium, ne irascatur & pereatis quoad viam. Nam brevi exardescet ira ejus.* Et Exod. 23:21. *Noli ipsi immorigerus esse: quia non condonabit.* Esai. 53:11. *Justificationem faciet multis Justus Servus meus.*

§. 360. Porrò vers. 28. 29. *Ne miremini hoc. Quia venit hora, quum omnes, qui in monimentis sunt, audient vocem ejus, & exibunt, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ; qui verò mala fecerint, ad resurrectionem judicii.* h. e. Filius judicabit vivos & mortuos, qui vivi coram ipsius tribunali sistentur. Psalm. 8:8. *Omnia posuisti sub pedibus ejus.* Psalm. 110:1. *Donec ponam hostes tuos scabellum pedum tuorum.* Esai. 45:23. *Per me juravi. Mihi se inclinabit omne genu.* Confer Rom. 14:11. Phil. 2:10. De eo est sermo, in quo est justitia Israëlis, quique eam prædicat in nomine Jehovah. Adde Dan. 7. vers. 9. *Throni positi sunt & permanens diebus consedit; cujus vestimentum instar nivis album & capillus capitis ejus ut lana pura.*

Defensio divinitatis Christi, quæ est Joh. 10. *vers.* 33. 34. 35. 36. 37. 38.

§. 361. Similiter Johan. 10. Christum pastorem verum dicit: quod probatur ex Ezech. 34:23. *Et constituam super eos pastorem unum, & pascet eos, Servum meum Davidem. Ille pascet eos, & ille γενήσεται αὐτοῖς εἰς ποιμένα fiet illis pastor*, præstabit se illis pastorem. Ibi verò pastori imprimis hæc assignat, 1. vitam ponere pro ovibus. 2. adducere oves. 3. eas retinere & eis vitam æternam dare. vers. 28. Hoc quum dicit, etiam Christo attribuit unitatem cum Patre. vers. 30. & quidem unitatem manus sive potentiæ. Notandum est autem, Dominum, quando disputat cum Judæis in cap. 5. subjectum quæstionis nominare *Filium:* alibi autem, & hic, *se* dicere. Qui est modus breviter demonstrandi. Tantundem enim est, ac si dixisset, Christus

lius est verus pastor & illa faciet. Ego autem illa facio & faciam. Ergo sum Christus. Ergo etiam vers. 25. testatur, Se ipsis dixisse, quòd ipse sit Christus. Nam, qui se pastorem verum dicit & factis probat, is est Christus.

§. 362. Sed, quia dixerat, *Ego & Pater unum sumus*, voluerunt eum Judæi lapidare, ut blasphemum: qui se Deum faceret. vers. 33.

§. 363. Hic Dominus quomodo respondet? & quomodo se tuetur? Vers. 35. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, Blasphemas: Quia dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, ne credite mihi. Si autem facio, ut mihi non credatis, saltem operibus credite: ut cognoscatis & credatis, quòd in me Pater & ego in ipso.*

§. 364. Prima ratio talis est. *Ii, ad quos sermo Dei factus est, appellantur dii*, ergo is, *quem Pater sanctificavit & misit in mundum, non blasphemat, Patrem vocant Deum, & se filium Dei dicens*, nempe ut *Pater & Filius sint unum.*

§. 365. Notandum est, cap. 5. quæstionem fuisse, an Christus sit ita Filius Dei, ut Deus ipsius Pater ἴδιος *proprius* sit: Hic similiter esse quæstionem, non simpliciter, an Christus sit Filius aliquis Dei unus multorum (nam planum erat ex Ps. 82. multos esse appellatos *filios Dei*) sed annon blasphemet, qui Christum dicit Filium Dei unicè, & sic, ut sit unum cum Patre. Nam illud facilè erant concessuri Judæi.

§. 366. Neque igitur tale est argumentum: Qui non aliter se filium Dei appellat, quam quomodo ii, ad quos verbum Dei factum est, dii & filii Dei appellantur in Scriptura; is non blasphemat. Nam ita vacillaret assumtum. Nullus illorum λεγόμενων Θεῶν poterat dicere, *Ego & Pater unum sumus.*

§. 367. Mihi quidem videtur, nos rectè sic argumentari posse: Si ii, ad quos verbum Dei factum est, appellantur dii & filii Dei sine blasphemia: etiam is homo, super quo est Spiritus Dei, qui dicit verba Dei, & Filii Dei, non blasphemat, se filium Dei propriè appellans.

§. 368. Vel etiam, Si possibile fuit, homines mortales, ad quos verbum Dei factum est, Deos appellari, multò magis possibile est, Deum in carne apparere & esse atque appellari filium Dei. Multò enim magis abhorret, hominem mortalem & peccatorem appellari *Deum* & habere verbum Dei concreditum, & propterea populo Dei præfectum esse: quàm Filium Dei, qui est unum cum Patre, in carne manifestari & ipsum loqui ad populum; & eum vindicare suum. Hujus enim est populus. Hic est גואל, *assertor, vindex, Dominus.*

§. 369. Imò jam tum prophetas mittendo, sacerdotes homines dando, principes homines constituendo demonstravit Deus, se populum velle habere quàm clementissimè, & eum homini subjicere, per quem, ut fratrem suum, filii Dei vivi fierent.

§. 370. Sed evidentius est argumentum hujusmodi à Christi magnitudine & præstantia præ dictis diis ductum. Qui major est *dictis diis*, quibus contigit, quod summum hominibus contingere potest, quòd nempe *verbum Dei ad ipsos factum est*, ut non tantùm id communiter cum cæteris audirent, sed acciperent potestatem in populum Dei, ad illis proponendum verbum Dei, verbum scilicet de justitia & vita, & verbum legis: is sine blasphemia se vocat ἰδίως *Filium Dei*, & *Se ac Patrem unum esse* dicit. Ratio est, quia nemo illis major est, nisi Jehovah; nisi Filius Dei unigenitus; nisi is, qui verba Dei loquitur.

§. 371. Quem enim *adorant omnes dii*, nisi Jehovam? Psal. 97:7. Cui cedunt, nisi ei, cujus est hæreditas gentium? Quis illos judicat, nisi Deus stans in cœtu Dei? quique illos appellavit Deos? Ps. 82: 1. 6. 8.

§. 372. Accedit, quòd eum *Pater sanctificavit & misit in mundum*. Prius *sanctificavit*, quàm misit in mundum. Nam de eo locutus est, ut Sancto. Vocavit enim eum *Sanctum Israëlis*. Tum *misit in mundum*. Non est ex mundo, sed in mundum venit; non mutatione loci, sed Φανερώσει *manifestatione sui*. Joh. 3: 31. 34. 8: 23. 16: 28. *Exivi à Patre & veni in mundum.*

§. 373. Quid enim est, quòd Psalm. 68: 19. ad Deum dicitur: *Ascendisti in altum, nisi quod priùs descendit in terram?* Ephes. 4: 9. Qui ex supernis venit, supra omnes est.

§. 374. Præterea postulat, ut saltem operibus credant, quòd Pater in ipso sit, & ipse in Patre. Quæ est secunda ratio.

§. 375. Dicunt nunc Judæi, Nos non credimus miraculis. Annon igitur patres eorum in Ægypto tenebantur credere miraculis, quæ coram iis faciebat Moses? Annon tenebantur credere miraculis Dei in deserto? Psalm. 78: 32.

§. 376. Sed Christus non nudè provocat ad miracula, sed ad *opera Patris sui*. vers. 37. Ea opera, quæ decebat Patrem facere, si vellet conspici in carne: quæ Deus promisit se facturum ad consolationem populi sui; quæ tendunt ad gloriam Patris. Confer Matth. 12: 26. Diabolus sibi non est contrarius. Diabolus non facit opera Dei. Neque enim Deus dat opera sua facienda Diabolo: & Diaboli non est opera facere ad hoc, ut homines credant in Deum, & glorientur in eo, ut justitia sua, & eum ament, & pro nomine ejus patiantur. Alterutrum necesse est. Aut D. Jesus est Filius Dei habens potentiam Patris, aut diabolus facit opera Dei & regnum ejus ædificat.

§. 377. Et tales sunt disceptationes Christi cum adversariis suis, in quibus apparet, eum non aliis argumentis usum esse, quàm quæ Scriptura dictabat, ut verè ad eam provocasse comperiatur Joh. 5: 36. 39.

Disceptatio Christi pro divinitate sua apud Esai. 41.

§. 378. Est autem & à Prophetis prænunciatum, eum tales disceptationes cum adversariis suis habiturum fuisse. Ita Esaias, postquam cap. 40. dixisset, venturum præconem, qui juberet parari viam Domino, & tum manifestatum iri gloriam ipsius; tum deinde eundem Dominum introducit cap. 41. disceptantem cum *nationibus* coram *Insulis*. *Silete ad me, Insulæ, & Nationes redintegrent vires. Accedent: tunc loquentur. Una ad judicium veniemus. Insulæ* sine dubio sunt populi Occidui, & inter alios Europæi. Hæ terræ enim in Scripturis solent appellari *Insulæ maris*, vel *insulæ gentium*. vide Genes. 10: 5. ubi inter habitatores *insularum* sunt filii Javan, hoc est, Græci, & *Chittim*. De quibus vide Numer. 24: 24. & Daniel. 11: 30. ubi *naves Citthææ* vel à parte Chittim venientes sunt naves Romanæ. Judæa ad Occidentem habet insulas. Igitur, ut *mare* Occidentem notat, ita *Insulæ maris* terras Occidentis. Et eas hîc denotari, probat vers. 2.

§. 379 Quum dicit, *Silete ad me Insulæ*, habitatores insularum, ut Græcos Romanosque, judices constituit, coram quibus causam suam velit disceptare.

§. 380. Adversarios suos constituit *Nationes*. Non possumus dubitare, intelligi Tribus Israël, sive Judæos. Distinguuntur à *gentibus*, ut & Psalm. 2. vers. 1. Sunt certe Judæi *nationes* quædam. Illas autem nationes indigitat, quæ distinguuntur ab Insularum populis, & tamen inter illos sunt ita, ut hi populi de earum nationum lite cum Deo, cujus gloria revelata est; possint judicare. Tales *nationes* sunt Judæi.

§. 381. Quum autem *Insulis* indicit *silentium* & attentionem; significat, populorum illorum aures sermoni Dei & ejus detentioni vacaturas, & eos se compositurös ad judicandum de lite Dei cum eis nationibus.

§. 382. Quòd certè factum est. Constiterunt Græci & Romani & alii populi occidentales, ut audirent, quomodo Deus revelatus cum gloria sua suam magnitudinem tueretur contra adversarias *nationes*, nempe Judæos, partim per os suum, partim per os hæreticorum variorum eam oppugnantes.

§. 383. Jam, quando unquam à gentibus, Deo indicente silentium, atque ita illis jam præparatis ad audiendum Dei verbum, judicatum est, præterquam de blasphemia Judæorum & hæreticorum? Nunquam, postquam Verbum Euangelii receptum est à gentibus, judicatum est aut disputatum, an Deus Israëlis esset verus Deus, aut is unus esset: & ad eam causam argumentum, quo hîc utitur Deus, parum faceret. Sed de Christi deitate disceptatum est, & de ea judicarunt gentes.

§. 384. Quòd si comperiatur, id argumentum, quo Deus hîc utitur, & ea conclusio, quam Deus hîc facit, in causa Judæorum Christum oppugnantium versari: non potest dubitari, quin *Nationes* adversariæ sint Judæi & illorum partes sequentes hæretici.

§. 385. Sed audiamus defensionem divinam: quæ certè debet valere adversùs omnes ipsi contradicentes. vers. 2. *Quis excitavit ab oriente eum, cui justitia obviabat ad pedem ejus? dabat coram eo gentes, & reges faciebat obedire? dabat instar pulveris gladium ejus? & ut paleam impulsam arcum ejus?* vers. 3. *Persequebatur eos, transibat incolumis: iter pedibus suis non ingrediebatur.* vers. 4. *Quis molitus est & fecit? Vocans generationes ab initio. Ego Jehovah primus & cum postremis idem* sum. vers. 5. *Videbant insulæ & timebant, fines terræ trepidabant: appropinquarunt & venerunt.*

§. 386. In hac disceptatione tale argumentum est. *Is, qui ab oriente excitavit* &c. *est is, qui vocavit ætates ab initio.* Is est *Jehovah*. qui *& primus* est & *ultimis idem adest.*

§. 387. De quo dicemus hîc esse sermonem? An, quia nomen expressum non est, ideò neminem intelligemus? ne illum quidem, in quo id comperitur esse verum? Hebræi Abrahamum intelligunt. Sed non legimus, ei reges & populos subjectos fuisse, & quidem ut insulæ trepidarent & accederent. Israël fuit vocatus non *ab oriente*, sed ab Austro, & de eo non potest dici, quòd *pedibus iter ingressus non sit*, quum septem gentes profligavit. Deinde alia hîc sunt prædicata.

§. 388. Ostenditur *ALIQUIS excitatus ab oriente*, qui iret ad *insulas*. Nam in insulis hæc causa disceptatur: & *insulæ* dicuntur *trepidasse & accessisse*. Venit igitur *ALIQUIS* ab oriente missu ejus, qui hîc cum nationibus disceptat apud insulas, & venit utique igitur in nomine ejus.

§. 389. *Ei justitia occurrit ad pedem ipsius.* h. e. quacunque ivit, apertum est ei ostium, ut, ad quod missus erat, feliciter pera-

perageret. Idque factum est propter *justitiam*, sive quia is, qui ipsum misit, jus habuit postulandi eos populos & gentes aut ex illis multitudinem aliquam hæreditatem suam. Quis enim dubitabit, hîc intelligi *Justitiam*, qua peccatum aboletur & regnum Dei fundatur: atque adeò jus redemtoris? Quæ enim alia *justitia* est in mundo?

§. 390. Ei *gentes prabita* sunt, ut saltem starent *coram eo*, & audirent vocem ejus: imò, ut ei obedirent. quia & de regibus hoc dicitur. יַרְדְּ est subjiciebat, ut esset מוֹרִיד & principatum exercens in eos. *Reges illi paruerunt.* h. e. magistratus, principes, ipsi adeò summi reges, imperatores.

§. 391. Præterea is, qui eum excitavit ab oriente, dedit gladium ejus, qui pro ipso stringeretur, instar pulveris, & arcum pro eo pugnantem & sagittas ejus instar paleæ. h. e. dedit illi populos ingentes & innumerabilem multitudinem propugnantium.

§. 392. Denique is hostes persequebatur suis gladiis & arcus sui sagittis; & incolumis discrimen pervasit. ipse autem iter pedibus non est ingressus, non laboravit in prælio, sed mansit domi.

§. 393. Jam, qui tale quid fecit, is est ille, *qui vocavit ætates ab initio.* Atque is & antea *consuluit*, & *ipse fecit.*

§. 394. Stupidum esse oportet, & nihil scire eorum, quæ totus mundus facta novit; qui, si hæc ad eum modum distinctè proponantur, non videat, de quo sermo sit.

§. 395. Christus misit Euangelistas, nominatim Paulum, Damasco, Antiochia & Hierosolymis ad occiduas regiones; qui totam Asiam minorem, & Græciam usque ad Illyricum, Romamque ipsam Euangelio implevit.

§. 396. Ei enim ostium ubique apertum est. Justitiæ Christi, qua Diabolum frenavit & hæreditatem obtinuit, efficacia ipsi ubique occurrit: in virtutibus, in signis, in prodigiis, in distributione charismatum Spiritus sancti, & præcipuè in purificatione cordium per fidem. Ita ubique brachium Dei manifestatum est.

§. 397. Tandem familiæ & gentes prædicantibus Euangelium se exhibuerunt dicto audientes: ipsi adeò principes & summi reges. ut Constantinus. Ex illo tempore fideles & præcones Euangelii habuerunt gladios & arcus innumerabiles sibi servientes. Hostes suos persequuti sunt. ut Licinium & alios; ipsi incolumes transierunt. & præcones ipsi domi manserunt, aliis pugnantibus. De ea *pace* Ecclesiæ inter gentes vide etiam Mich. cap. 5. vers. 4: 5.

§. 398. Quid igitur concludemus? nisi, eum, qui hoc & consoluit ac molitus est & perpetravit, esse illum, qui generationes vocavit ab initio: Eum *primum* esse, & *cum ultimis eundem esse.*

§. 399. Si enim effectus *justitia* ipsius est gentium conversio, ita ut reges & populi cum gladiis suis & arcubus coacti sint Ecclesiæ servire: ejusdem justitiæ effectus est, quòd ab initio, postquàm Adamus peccavit, *generationes omnes* peccatrices *vocata sunt*, & mundus propter salvandos per justitiam ipsius subjectus est vanitati.

§. 400. Is est *Jehovah*: qui *fit*, *quod est*, hoc est, nomen suum & virtutes suas & divitias demonstrat rebus ipsis.

§. 401. Is est primus. Est enim primogenitus. Antequam montes ederentur, genitus est. Is patribus innotuit; eosque asseruit. Idem est postremorum Salvator. Non alia est justitia, nisi ipsius: non alia gratia, nisi quæ est cum ipsius sponsione & intercessione: non alia salus, nisi per ipsum.

§. 402. Qùum autem hostes ipsius coram ipso prosternerentur, *viderunt* hoc *insula*, h. e. populi insularum, & *timuerunt*, *appropinquarunt & accesserunt.* Voluerunt omnes in occidentalibus partibus Christiani haberi.

§. 403. Vers. 6. 7. declarat studium idololatrarum adversus Christum. Adversus quorum metum confirmat suos ab extremis terræ vocatos instar Abrahami; cujus semen illos vocat. vers. 8. 9. 10.

§. 404. In tota hac defensione cogitandum est, quòd sit defensio deitatis illius, cujus deitas in controversiam vocatur & oppugnatur. Deinde, Christum esse eum, qui hoc nomine rejectus fuit à Judæis, & qui ita regnum suum erexit in gentibus. Nam is misit Apostolos & Euangelistas ad gentes Occidentales ab Oriente, & eis hunc in modum adfuit.

§. 405. Jam supra istiusmodi disceptationem posuimus ex Es. 48: 14. 15. 16.

§. 406. Etiam tetigimus illam, quæ est Es. 50. vers. 1.--9.

§. 407. Sed ne nimis prolixi simus in unius quæstionis tractatione, alia, quæ ex Scripturis proferri possent, impræsentiarum omittemus, contenti eis, quæ hactenus demonstravimus. Et quid attinet ea retractare, quæ alibi à nobis tractata sunt? ut in epistola ad Hebræos: item in Ultimis Mosis. Prophetæ omnes ordine legendi sunt & recitandi, si omnia argumenta deitatis Christi promenda sunt.

§. 408. Cæterùm, quis fructus fidei in Christum sit, alibi explicandum est. Judæus hîc non præbet eam occasionem, quam debebat. Debebat enim interroganti respondere: *An fides Christi necessaria semper fuerit ad gratiam & remissionem adipiscendam?* Debebat igitur docere, quæ fides illa sit, ex qua justus victurus dicitur Habac. 2: 4. & quæ Abrahamo est imputata pro justitia. Gen. 15: 6. Verùm ille, nihil sollicitus de justitia, nihilque nisi restitutionem reipublicæ Israëlis & ejus dominatum in gentes somnians, respondit, Judæos non credere in Christum, sed tantùm eum exspectare liberatorem ex servitute gentium & reipublicæ ac templi restauratorem. At videtur Responsor eam rem distulisse ad Quæst. VII. Quare etiam nos considerationem nostram eò differemus.

C A P U T V.

De unitate Christi.

Q U Æ S T I O III.

An Messias est unica persona? Ut ad hoc respondeamus, origo vocis Masiah inspicienda est, quæ venit à Masah, quod significat ungere. Et quia summi sacerdotes & reges oleo unctionis inungi solebant, ideò eximii sive electi Dei nomine Masiah id est uncti in Scripturis appellantur. Ex. gr. Hæc dicit Dominus Messiæ sive uncto suo. *Et David,* Ne attingatis unctos meos. *Sic & dux ac liberator ille quem expectamus Masiah, hoc est, unctus dicitur. Et secundum hanc interpretationem dicimus multos esse unctos, sed Masiah ille qui populum liberabit unus est.*

§. 1. INterrogator sine dubio in mente habuit, quòd à Judæis dicuntur duo Christi. unus filius Josephi interficiendus: alter filius Davidis. Responsor dicit, per nomen *Masiah* sive *Christi* intelligi *eximios sive electos Dei. Eos multos esse. sed Christum liberatorem unum esse.* Christus *quid significet?*

§. 2. Nos de unctione Christi egimus Quæstione præcedenti §. 254. & sequentibus. Judæi autem officium Christi extenuant omnibus modis. Quid? sufficitne dicere, *Messiam* significare *eximium sive electum Dei?* Nonne dicendum erat, Eum esse regem populi Dei, hæredem gentium? Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec? Prophetam parem Mosi verba Dei loquentem? Ideoque habere eum Unctionem præstantiorem omnibus? Nempe super ipso esse Spiritum Domini, & ea gratia unctum esse spiritu & potentia?

§. 3. Sed, quia etiam in sequentibus mox de officio Messiæ dicendum erit, omittemus hoc in præsens.

§. 4. Hoc tantùm animadvertemus, Judæos comminisci duos unctos, sive duos *eximios* duces: quorum alter occidendus sit, alter victor exstiturus sit & superstitaturus. Causa hujus figmenti est, quòd non potuerunt inter se componere prophetias; quæ partim Christi extremam humilitatem & ipsam mortem prænunciant, partim exaltationem & regnum. Igitur, quæ de humilitate, passione & morte Christi dicuntur, transferunt ad alios. De qua re jam diximus Quæst. II. §. 113.--120.

CAPUT VI.

CAPUT VI.

De duplici natura in Christo.

QUÆSTIO VI:

Quibus argumentis demonstratur Messiam purum hominem esse debere & non simul Deum ac hominem? Ad primam quæstionem jam diximus juxta dialecticorum canones eum qui nova quædam introducit dogmata teneri rationem istorum reddere, non ab aliis ut ea refellat exigere. Idem ei qui hæc interrogat faciendum incumbit, ut qui nobis proponit doctrinam Scripturis Sacris non comprehensam ac rationi ipsi adversam. Nam rationem poscere cur Messias non possit simul esse Deus & homo, perinde est quasi interroges, cur non Centaurus, hoc est, ex dimidio homo ex dimidio equus, aut vir pariter & femina esse possit. Verùm nos facilius rationibus *homo ex dimidio equus, aut vir pariter & femina esse possit. Verùm nos facilius rationibus* *adductis refellemus id quod quæritur, quam ut quis hujusmodi commenta demonstrare valeat. Primum propheta Ezechiel ait: Ezech. 37:24. 27.* Eruntque mihi in populum, & ego ero illis in Deum, & servus meus David rex eorum. *Hic statim apparet differentia inter Deum & servum ipsius Davidem. Nam unus Deus erit, alter rex populi: non verò dicitur Davidem fore Deum. Secundò Esaias de Messia sic loquitur; Esai. 11:2.* adfuturum ei timorem domini. *In prima quæstione simplicem Dei unitatem adstruximus; at si Messias Deus simul ac homo existeret, jam necesse esset eundem Deum illum unum esse, nec tum convenienter de eo diceretur quod semetipsum timeret. Atque hæc pro responso ad præsentem quæstionem sufficiant: præterquam quod hinc solidè demonstratur: si talis nobis expectandus fuisset Messias, sacram Scripturam innumeris locis hoc debuisse testari ac docere. quod quia non facit, sequitur rem aliter se habere.*

Crisis de jure Interrogantis & Respondentis.

§. 1. Respondsor hîc non satisfacit Interroganti. Jure interrogamus, *quibus argumentis demonstretur, Messiam purum putum hominem esse debere?* Euangelium enim prædicatum est inter Judæos & gentes, & Jesus Christus nominatus est. isque testimonium habet, quòd sit Filius Dei: & in Euangelio vocatur *Deus*; jubemurque credere in ipsum ad justitiam: & in nomine ipsius Spiritus Sanctus effusus est, & per eum atque ipsius discipulos potentiæ opera innumerabilia facta sunt. Itaque unctus est spiritu & potentia. Judæi eum interfecerunt & nunc abnegant, ut blasphemum. Quum igitur Christus & doctrinam de justitia & regno Dei locutus sit, quæ habet fundamentum in lege & prophetis, & in nomine alius Dei locutus non sit, sed jusserit nos credere in unum Deum, Deum Abraham, Isaaci & Jacobi; & illi attestentur opera, quæ Pater Filio facienda dedit; & resurrectionem ex mortuis testetur prædicatio ejus & Euangelii antè promissi (quæ, ut Prophetæ testantur, non potuit fieri per mendacium) & effusio Spiritus Sancti; & opera discipulorum; & conversio mundi; & quòd hostes Christi ipsi mentiti sunt; & judicia inflicta hostibus ipsius, Judæis & persecutoribus gentilibus, & hæreticis; quæque aliis quotidie infliguntur: incumbit ipsis, qui eum, ut & nos, qui in ipsum credimus, dicunt blasphemare, ut probent ac demonstrent, Christum esse purum putum hominem, atque adeò blasphemos esse, qui ipsum credunt unum esse cum Patre.

§. 2. Imprimis quum pro nobis stet Scripturæ vox universalis, quæ illi divina sine modo aut trepidatione ulla attribuit & attribuere jubet. Quæ erat examinanda, non rejicienda.

§. 3. Injuria igitur tergiversatur Respondens.

Comparatio Centauri & Androgyni examinata.

§. 4. Quòd autem *Centaurum* & *ἀνδρόγυνον* profert, facit impudenter & petulanter. Centaurus fingitur homo habens membra equi præter membra hominis. Talis non nascitur ex homine. Sed tamen, quid absurdi est in eo, si dicamus, potuisse Centaurum creari? Nisi tantùm possibile fuit, hominem esse similem simio; ut est in veteri versu: *Simia quàm similis turpissima bestia nobis:* & impossibile fuit, hominem, qui equitans Centauri similis fit, ut Xenophon ludit, habere membra equi? Scriptura ipsa fingit animal ex quatuor animalibus conflatum, quum τὸ οἴκημα Θεοῦ vult emblemate aliquo effigiare. An igitur cavillator Scripturæ non posset dicere, Scripturam Centauros fingere?

§. 5. Quot attinet ἀνδρογύνας, nulli de eis frequentiùs loquuntur, quàm Talmudici Magistri. Sed quid simile est inter Centaurum vel ἀνδρόγυνον & Deum revelatum in carne?

Probatur incarnationis possibilitas & veritas.

§. 6. Deus potuit loqui sermone humano, & non potest sibi facere linguam humanam, & cætera membra humana, imò etiam animam humanam facere sibi, ut in ea nobis συμπαθῇ? An est ea ut compositio animalis ex membris distinctorum animalium aut distinctorum sexuum? Nonne ea potiùs est inhabitatio in templo? Quis apparuit Abrahamo, quum tres viros vidit? Nonne Dominus? Genes. 18. Quid viderunt Seniores Israëlis, quum viderunt Deum Israëlis & sub pedibus ejus instar laterculi è Saphiro sive Pyropo Exod. 24:10 Quid vidit Esais cap. 9. Quid Ezechiel cap. 1. & 10. quum dicitur *gloriam Domini vidisse:* nonne formam humanam insidentem throno? Quod igitur sancti viderunt, quid impedit, audiri, videri, palpari? Quid, inquam, impedit, Deum hoc habere, quod visus est habere, &, quum videretur habere, nominatus est *Deus Israëlis?* ut peragatur id, quod scriptum est Esai. 40:9. *In montem altum ascende, euangelizatrix Sion; extolle cum vi vocem tuam, euangelizatrix Hierosolyma: extolle, ne metuas: dic civitatibus Juda: ECCE DEUS VESTER.* quum nempe *Gloria Domini apparuerit, & viderint omnis caro pariter.* vers. 5. Item illud, quod est Ezech. 20:35. *Et deducam vos in desertum populorum, & disceptabo vobiscum ibi facie ad faciem: quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto terræ Ægypti.* ubi vocem Dei audiverunt. Item illud Ps. 82:1. *Deus stat in cœtu Dei, in medio deorum judicat.* Et quod est Esai. 52:6. *Ego sum, qui loquor.* & vers. 8. *Oculo in oculum videbunt.*

§. 7. Hæc si cogitari & dici possunt, quare etiam fieri non possunt? Et quare Deus illa tam disertè, tam graphicè, tanquam per ὑποτύπωσιν & picturam rei prænunciavit & credenda proposuit, si ea nunquam futura erant, & fieri non possunt? Et quid tandem illa significant?

§. 8. Quæ verò denique est spes nostra, si Deum non videbimus? & . si Deus nulla ratione, ne in tabernaculo quidem carneo, videri potest? In nube conspici potest, & in corpore non potest? Cur Veteres toties trepidarunt, dicentes, Deum vidimus & vivimus?

§. 9. Quantam oportet esse ἀπιςίαν & σκληρότητα τῆς καρδίας eorum, qui hisce tantis promissionibus audent opponere *Centauros* & *ἀνδρογύνας*? qui se ostendunt reverà esse instar equorum & asinorum, אין הבין, quibus non est σύνεσις.

§. 10. Angeli, qui sunt πνεύματα δυλικὰ, potuerunt videri, & toties visi sunt: & Deus non potest?

§. 11. Deus potest spiritum hominis annectere corpori non meliori corporibus animalium, & dare homini sensum per membra, & membra subjicere hominis cogitationi & appetitui, & facere, ut lingua enunciet sensa mentis: sibi autem non potest facere menbrorum choragium, ut fiat noster Rex & Deus & nos impleat gaudio & gloria?

§. 12. Si Deus est tam alienus ab humana natura, quomodo habitabit in nobis peccatoribus, & erit in nobis omnia? Quomodo Spiritus Dei venit super prophetas? quomodo verbum illius

illius fuit in lingua illorum? Non, quòd non aliter fecerit corpus sibi, quàm intravit prophetas; (nam prophetarum & animam & corpus non fecit sibi organa; quæ ita fecit, ut personæ ex illis conjunctis constituerentur, quarum quæque esset *principium quod*, ut vulgo loquimur, suarum actionum, & ut actiones ipsarum non deberent imputari creatori; velut peccata) sed quòd ne illud quidem posse fieri videatur, ut in prophetis, iisque peccatoribus, si lux Dei & inhabitatio & alloquutio, & excitatio animæ atque instinctus, & motus linguæ illorum, si Deus non potest loqui lingua sua, & pede suo ambulare in medio nostri. Deut. 33:3. Si enim credibile est, Deum loqui per linguam alienam; quomodo incredibile est, eum loqui linguâ, quam fecerit, ut sit solummodò instrumentum sibi creatori, & ita non alii imputetur vel locutio vel ulla actio, quàm ei, qui organa fecit?

§. 13. Lucem induit Deus, & non indueret carnem?

Locus Esaiæ cap. 9:5. vindicatus.

§. 14. Quàm nitidè prophetat Esai. 9:5. τὴν Φανέρωσιν Θεοῦ ἐν σαρκί. *Nam puer natus est nobis, Filius* (ἰδίως appellatus) *datus est nobis, in cujus humeros principatus revolutus est*. qui, abrogato principatu hominum, solus regnum suscepit. *Et vocat* quisque *nomen ejus*, *Mirabilis*, incomprehensibilis, mirè natus, *consiliarius*, qui est sapientia Dei & à Deo nobis factus sapientia, *Deus*, potens in miraculis, *victor* mortis & maledictionis & diaboli, *Auctor & Pater æternitatis*, dator vitæ æternæ, *Princeps pacis*, auferens accusationem & inimicitiam inter populos.

§. 15. Scio, quomodo hîc luctentur Judæi. Nomina illa negant esse nomina Filii nati, & dicunt esse Dei appellantis. Sed Resp. 1. Saltem unum horum nominum est *Pueri nati*. Ita, inquiunt; nempe *Princeps pacis*. Quo igitur signo constat, cætera nomina ei non esse attribuenda? Quare non major accentus, quàm Tiphcha ea dividit? Quare non vox *nomen ejus* interponitur inter nomina Dei & pueri? Certè sic fuisset ordinanda oratio: *Et vocat mirabilis* &c. *nomen ejus, princeps pacis.* Ita enim solet Scriptura loqui & nomen nuncupantis & nuncupati distinguere. Vide Gen. 3:20. *& nuncupavit Adam nomen uxoris suæ Chavvah.* Sic Genes. 16:15. 21:3. 22:14. 32:30. 35:15. 41:45. 51. 2. Quare Deus & hîc & alibi sic locutus est, ut videretur hoc significare, quod in Euangelio prædicatur? 3. Quod signum est, hoc non significare verba, quod significant? Quibus enim aliis verbis dicendum fuit, hoc esse nomen pueri; si saltem fingamus, Esaiam nomen pueri velle explicare? 4. Quare non credemus Euangelio, in quo talis ordine nominatur & prædicatur? An nesciebat Spiritus Sanctus, tale Euangelium prædicatum iri, quale prædicatur? Voluitne igitur ei prædicationi firmamentum præbere? An præter mentem Spiritus Sancti verba ejus implentur? Solent dicere Judæi, nullum esse locum, qui hæreticis favere videatur, qui non responsionem secum ferat. Quæ igitur hîc responsio est? 5. Quomodo non credam Euangelio, quod prædicat id ipsum, quod Esaias videtur dicere prædicatum? Et quomodo poterit id fieri, quod sibi Israël promittit à *Puero*, si non est talis, qualis prædicatur? Is est *Filius* distinctus ab Israële. Igitur proprio & peculiari jure *Filius*. Ille princeps & rex in regno solius Dei. Ille *princeps pacis*, faciens pacem omnem, & tollens iram & inimicitiam, & duos in unum novum hominem concilians per spiritum filiationis. Ille gerit regnum æternum.

§. 16. Nihil moramur Auctorem Nizzachon, qui dicit, hanc prophetiam intelligendam esse de re annexa captivitati Assyriacæ. Neque enim hoc verum est. In fine cap. 8. agitur de postrema calamitate, quæ per Romanos irrogata est; de qua dicitur, quòd illa gravissima futura sit; & eò comparatur cum priori tempore, quod habuit calamitatem, sed quæ non vertiginem & desperationem afferret, verùm potiùs levaret. Prioris temporis calamitas est ea, quæ inflicta est per Assyrios & Babylonios & Græcos continua serie: quæ abstulit multas scorias & arcam & sceptrum Judæ mundanum, & attulit Messiam & remissionem peccati. Sed ejus spretio est causa secundæ calamitatis.

§. 17. Dicunt quidem, sub Ezechia illa impleta esse. quod manifestè falsum est. Per Ezechiam non est firmatus thronus Davidis in perpetuum.

§. 18. Dicunt, si illa sint vocabula pueri, dicendum fuisse *nomina*. Quasi non & *nomen Dei unum* dicamus, quod non paucis vocabulis constat. Vide saltem Exod. 34:7.

§. 19. Dicunt, jam tempore Achazi hoc peractum esse, quia in præterito loquitur. Sed ipsi norunt, Prophetas plerosque in visione tanquam in re præsenti loqui de futuro, & verba sua commodare sequenti ætati.

§. 20. Maneat igitur, Aliquem ex hominibus *natum*, qui bono Israëlis & ad ejus pacem ac vitam æternam nasci debebat, esse *Filium*, cujus est hæreditas & principatus; & esse *Deum victorem*, ad quem *reliquiæ Israëlis reversuræ erant*. Esai. 10:21.

Ratio Judaica 1. à distinctione Dei & Regis, ex Ezech. 37:24. 27.

§. 21. Nunc videamus, quibus rationibus Responsor probet, Messiam debere esse purum hominem. Duas dat.

§. 22. Prima est, quia Ezech. cap. 37:24. 27. differentia ponitur inter Deum & Davidem servum Dei regem. *Unus*, inquit, *Deus erit, alter rex populi: non verò dicitur, Davidem fore Deum*. Resp. Quid si hîc Davidi servo Dei non assereretur, eum esse Filium Dei & unum cum Patre; an propterea Rex Israëlis, qui *David* appellatur, non erit *Filius Dei & unum cum Patre?* An omnia prædicata Christi uno loco extare necesse est? Sed, inquiet, ea *differentia* repugnat unitati. Quid audio? An *Deus Israëlis* non potest esse *Rex Israëlis?* Et, si *Deus Israëlis* potest esse *Rex Israëlis*, an *rex Israëlis* non potest esse *Filius Dei & unum cum Patre?*

Probatio incarnationis ex eodem dicto.

§. 23. Quis satis potest admirari stuporem hujus Responsoris: qui hoc dictum allegat ad *refellendam* fidem Christianam de manifestatione Dei in carne, quod pulcherrimè cum fide Christiana consistit? Quid enim aliud dicit Ezechiel, quàm quod dicit & Euangelium, Deum in Christo fore pastorem & regem populi sui: judicium omne dedisse Filio: in Christo omnia promissa fieri Næ & Amen? Quomodo Deus ipse, abrogato principatu pastorum, fit princeps populi sui & ovium suarum pastor, si hoc officium alii delegat? Saltem responsor, si non voluit videri contemnere lectores, debuit aliquem colorem addere, ut faceret suam argumentationem probabilem.

§. 24. Verùm quæ est illa prudentia, eum locum citare ad refellendam sententiam aliquam, qui locus nisi per illam eandem sententiam salvari non possit? Nam is ipse locus facit, ut necessariò Christum filium Davidis debeamus agnoscere pro Filio Dei, qui unum est cum Patre.

§. 25. Nam Ezechiel hîc bis vers. 23. & 27. repetit promissionem, quæ à Jeremia ponitur inter promissiones Novi Testamenti: *Erunt* vel *fient mihi populus, & ego fiam ipsis in Deum*. Id cum exclusione Θεῶν λεγομένων, qui fuerunt sub Veteri Testamento, intelligendum esse, ipse tonus vocis clamat. Clamat multò magis, quòd tempus Novi Testamenti vocatur *regnum Dei*, in quo *Jehovah regnet*. qui, abolitis principibus & diis prioris seculi, dicitur Rex factus esse. Clamat, quòd Ezech. 34. declarat, se gregem suum ex manu Pastorum, quos habebat, erepturum, & eos abrogaturum, ne sint pastores amplius. vers. 10. 11. Clamat, quòd cap. 37:24. dicit, *Et pastor unus erit omnibus*. Annon igitur tum Jehovah erit pastor Israëlis? Et pastor erit alius, quàm Jehovah, sive *non-Jehovah*: & tamen *erit omnibus unus pastor?* An tunc verum erit, *Non-Jehovah fecit hoc?* Deut. 32:27. Nam quod est veri pastoris officium? Animam suam imprimis ponere pro ovibus: atque ita emere eas sibi & Deo & sic Dominum earum fieri: & in eis regnare per Spiritum Dei & suum.

§. 26. Id planum est. Nam, quæ est illius rei felicitas, quod bonum? Id dicit Ezechiel vers. 28. *Et cognoscent gentes, quòd ego Jehovah sanctificem Israëlem; quum erit Sanctuarium meum in medio ipsorum in seculum*. Quæ est sanctificatio Israëlis, quem impurum declaraverat (cap. 20. vers. 26.) nisi imprimis καθαρισμὸς τῶν ἁμαρτιῶν & *aspersio aquæ mundæ*, ad tollendum omnes fœditates; Ezech. 36:25. deinde circumcisio cordis, & datio spiritus novi & cordis novi per Spiritum sanctum Dei. ibid. vers. 26. atque ita justificatio: denique conservatio & introductio in gloriam?

§. 27. Quid faciet *rex*, quid *pastor*, *cujus sunt oves*, & quidem *æternus pastor*, Ezech. 37:25. si sanctificationem hanc non efficiet? Hoc enim est opus Dei, quod in populo Dei efficiendum est.

Locus Zach. 12:8.

§. 28. Quid verò respondebit Responsor Prophetæ Zachariæ; qui cap. 12:8. dicit: *Et domus Davidis*, hoc est, Filius Davidis *erit ut Deus, ut Angelus Jehova coram ipsis?* Simul, *ut Deus, ut Angelus Jehova*. Utrobique est כ כף אמתית *notans veritatem*. Nempe se præstabit verè angelum Dei, & similiter se præstabit verè Deum. Quid, inquam, ei respondebit, qui à differentia *Regis & Dei* argumentatur ad negandam unitatem Patris & Filii, & apparitionem Dei in carne?

Ratio Judaica secunda à timore Domini, qui est in Christo.

§. 29. Secunda ratio est. Esaias dicit cap. 11:2. *Messiæ adfuturum timorem Domini*. Si Deus est, timeret seipsum Deus quippe unus est. Resp. 1 Esaias dicit, super ipso quieturum spiritum timoris Domini. Hoc & de spiritu timoris Domini intelligi debet; quem dat. 2. Ipse quoque, prout homo est, timet Deum & obedit Deo. Et inde *Servus Dei* dicitur. nempe Servus sui Patris. Dum verò Patrem timet & honorat, deitatem etiam suam honorat & glorificat, & sollicitè (quoad humanam voluntatem) cavet, ne quid indignum ea velit aut faciat. Ita dicit, *Etiam in noctibus coërcent me* vel *erudiunt me renes mei*. Psalm. 16:7. Quem erudiunt sui renes, is erudit se ipsum. Qui seipsum erudit, is seipsum timet, reveretur, honorat, suspicit.

Vetus

Vetus dictum est: *μάλις αἰσχύνεο σαυτόν. Turpe quid ausurus, te sine teste time.*

Judaica regula: Oportuisse id clarissimè & sæpiùs dici.

§ 30. Tandem claudit egregiam hanc demonstrationem illa regula, quam sibi fabricat. *Si talis nobis Messias exspectandus fuisset, sacram Scripturam innumeris locis hoc debuisse testari ac docere:* Subsumit autem: *id Scripturam non facere.* Ergo *rem se aliter habere.*

§. 31. Ad hoc respondeo. 1. Summæ audaciæ est, Deo legem dicere, quomodo debeat docere. Patres docuit verbo uno, quod est auditum in paradiso. An verbum Dei non est dignum animadversione & consideratione, nisi centies aut millies repetatur & inculcetur? *Ad honorem Dei pertinet occultare verbum.* Proverb. 25:1. Nam attentione verbi sui Deus honoratur. Ideò voluit Deus aliquando per *ænigmata* & parabolas loqui. Et hoc ipse testatus est. Psalm. 78:2. De gentibus testatur Moses, quòd clarius sint auditura mysterium Dei, quàm priores. ita ut pro ea revelatione sint gratias actura Deo. Deut. 29:29. *Quæ erant occulta Domino Deo nostro: quæque sunt revelata nobis & filiis nostris, ut ea faciamus.* Et ne hîc nobis obstrepat Judaica interpretatio, *Abscondita Deo relinquenda esse*; (quod nihil ad rhombum facit) Jeremias idem promittit in tempus futurum cap. 31: 33. *Legem meam ponam in medio eorum.*

§. 32. 2. De Christo verè dictum est Psalm. 40:8. *In volumine libri scriptum est de me.* Et Apocal. 19: 10. *Testimonium Jesu est Spiritus prophetiæ.* Et id ita esse, norunt, qui tractant scripturas & eas scrutantur; qui volunt Dei voluntatem facere. Nullam verò causationem habent illi, qui sui pleni & sapientia sua suffarcinati Deo consilium dare eumque ad captum suum effingere atque eum similem sui habere volunt. Esai. 40. vers. 12. 13. 14. 18. 25.

Divina testificatio de modo sermonis & stupore ac perversitate Judæorum.

§. 33. 3. Deus dat librum obsignatum & jubet legere. An nos excusabit, si dicamus, nos non didicisse literas: quas discere nolumus? Aut, librum obsignatum esse; quum nolimus aperire? Es. 29. vers. 11. 12. Annon clarè de Euangelio dictum est, *Populum auditurum & non intellecturum; visurum & non revocaturum ad cor?* Esai. 6. vers. 9. 10. Annon ad Mosen dictum est, Carmen (& consequenter legem) in ore Israëlitarum ultimis diebus responsurum esse contra ipsos, testis vicem? Deuter. 31:21. Quo dicto quid aliud significatur, quàm quod in hoc Responsore completur? Nempe futurum tempus, quo Israëlitæ habeant legem & prophetas & iis se jactent, & tamen nec hos nec illam intellecturos; quippe quum apud prudentes sit & lex condemnatura ipsos pro infidelibus & immorigeris, & prophetæ? Quod aliter fieri non potest, quam sit ita loquatur Scriptura, ut illuminatos oculos & cor amore ac timore Dei rectum habentibus, quis sit valor verborum, pateat; cæteros autem vis verborum lateat.

§. 34. Nonne *servus Dei, & angelus, quem mittere debebat,* qui debebat gentes docere, vocatur *cæcus & surdus*, quanquam *plurima vidisset*, Es. 42. & *stupidus*. Daniel. 9: 27.

§. 35. Nonne *generatio* illa, qua Christus appariturus erat, vocatur *perversa & tortuosa?* Deut. 32. vers. 5. Nonne satis scriptum est, si per id, quod scriptum est, tortuosi & duplices demonstrantur, qui non scrutantur, quod scriptum est, & ad id non attendunt?

§. 36. Qui, ut ne videatur hoc dixisse Deus, quod dixit, coguntur evacuare & exinanire verba Dei? Qui coguntur statuere de illis, quæ Deus fecit & instituit, quæ Deo indigna sunt, quia, quæ Deo digna sunt, non volunt exaudire? Nam in quas non absurditates se induunt, qui vocem Dei non percipiunt? Dum nolunt agnoscere Filium Dei Testamenti Mediatorem & Salvatorem, necesse habent, ea, quæ in paradiso dicta sunt, sic accipere, ut nihil referat, dictane sint annon? quæ ad Abrahamum, sic, ut Abrahamus nihil speraverit nisi sobolem amplam: ut, quæ de Angelo Jehovæ Assertore, qui & Jehovah appellatur, dicuntur, cuvis angelo competant; legem ipsam coguntur enervare; justitiam Dei negare; justitiam in factis carnalibus collocare: denique ita sapiunt, ut cogantur ei, qui venit in nomine Jehovæ, qui cum benedictione excipiendus erat, maledicere & eum hostem Dei vocare, quia ipse disceptavit cum ipsis & eos arguit injusti judicii. ut est Psalm. 82.

CAPUT VII.

De salute per Christum procuranda.

QUÆSTIO V.

An liberatio quæ per Messiam fiet solum erit corporalis ac temporaria? Omnino corporalem futuram credimus qualis per Mosen facta est qui populum liberavit à servitute Ægyptia. Nam spiritualis liberatio solummodo dependet ab observatione legis quam Deus in monte Sinai promulgavit, quæ tum multo facilius observari poterit adjectione corporalium bonorum, quibus tum populus Israëliticus fruetur, & quia tollentur omnia impedimenta, quæ nunc observationem legis difficilem reddunt. accedente speciali quadam benedictione quam Deus illis promittit per Ezechielem cap. 36: 26. sic dicens: Auferam cor lapideum ex carne vestra, & dabo spiritum meum inter vos, faciamque ut ambuletis in ritibus meis, measque justitias teneatis & exequamini, ac habitabitis in terra quam patribus vestris dedi, eritisque mihi in populum & ego ero vobis in Deum. *Hæc sunt clara & expressa verba quæ non indigent ulteriori explicatione. Et certè si quis omnia S. Scripturæ loca hanc veritatem asserentia vellet adducere, huic universus bibliorum codex describendus esset.*

Partitio responsionis.

§. 1. RESponsor de duobus agit. 1. de Christi liberatione. quòd ea sit futura corporalis, qualis per Mosen facta est. 2. de spirituali liberatione; unde ea dependeat.

§. 2. Potest videri esse in Responsione argumentum. Si Christi liberatio ad Spiritualem liberationem non est necessaria: utique Christi liberatio erit corporalis. Ergo nobis incumbit demonstrandum, quæ sit גְּאֻלָּה *assertio* (sic & Judæi appellant) & quæ sit יְשׁוּעָה *salus* (*σωτηρίαν* solet appellare Euangelium) ad quam faciendam Christus venturus erat.

§. 3. Judæus igitur statuit, 1. Messiam eo modo vel à servitute, vel, si ullibi est, captivitate, vel ex dispersione recollecturum esse Judæos & tribus Israëlis, quemadmodum per Mosen educti sunt ex Ægypto. 2. Spiritualem liberationem tantùm dependere ab observatione legis in Sinai promulgatæ. Eam verò esse propriæ obedientiæ sive voluntatis. Attamen eam faciliorem fore adjectione corporalium bonorum, & impedimentorum ablatione; & speciali quadam benedictione.

Status quæstionis.

§. 4. Et nos quidem non negamus, Deum aliquando suos recollecturum ex omnibus plagis mundi in unum; & hoc facturum per magna judicia; & cùm totam habitabilem, tum ipsam terram Israëlis populo Dei cessuram; & Judæos ejus regni in mundo participes fore. Sed negamus, Judæos per observationem legis in Sinai traditæ justos & salvos esse posse; quemadmodum ipsi putant, Observationem legis (quæ opponitur fidei) esse suam justitiam. Et dicimus, Christum imprimis adducturum fuisse justitiam, & id facturum fuisse, propter quod omnis mundus, in ipsum credens, salvari posset. Deinde, Christum potissimùm verbi præconio & Sp. S. potentia gentes sibi subjecturum, easque sanctificaturum fuisse jure suo ad obediendum sibi.

Judæi non subjicientes se Christo requirunt χαρακτῆρα, qualis fuit penes Mosen. Locus Esa. 63. vers. 10. & seq.

§. 5. Scire igitur oportet Judæos, non esse illis exspectandum, ut per Christum eo modo ex captivitate vel dispersione colligantur ipsi, separati à Christiana Ecclesia, ut reducti in terram suam in ea habitent, & cultum corporalem exerceant, quemadmodum

modum educti per Mosen ex Ægypto introducti sunt in terram, ut in ea juxta tribus suas habitarent, & primò apud tabernaculum, deinde apud templum cultum corporalem exercerent. Id Judæus Responsor hoc loco non probat. Nititur id autem probare Qu. VIII. arg. III. & IV. quibus, Messiam nondum venisse, à præsenti statu populi Israëlitici & Hierosolymorum contendit probare. Quare etiam nos in præsens hanc assertionem considerare supersedebimus: hoc tantùm annotantes, In Judæis, quibus Christus manifestatus est, completum esse, quod Esaias cap. 63:10. 11. 12. 13. 14. de ipsis antè vaticinatus est. *At illi inobedientes extiterunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctum ejus: & ipse* (sive *Jehovah* sive *Angelus faciei ipsius*; de quo cap. 63:9.) *versus est ipsis in inimicum, ipse in ipsos bellum gessit. Et* enim *recordabantur* (Hebr. *recordabatur*, impersonaliter, pro *vulgus recordabatur*) *dies seculi, Mosen, populum ejus*, quem scil. Moses educebat ex Ægypto: dicentes, *Ubi, qui ipsos faciebat ascendere ex mari; cum pastoribus gregis sui? Ubi, qui ponebat inter eos Spiritum Sanctum suum? Qui faciebat incedere juxta dextram Mosis brachium decoris suum? Qui findebat aquas coram ipsis, ut faceret sibi nomen æternum? Qui ducebat eos in abyssis? ut equus in deserto, non offendebant. Ut jumentum in valle descendit, Spiritus Jehovæ faciebat eum quietum esse.*

§. 6 Nempe occasio non gerendi morem & rebellandi fuit ipsis, quod is, *qui venit ex Edom, & ex Botsra* (parabola in his nominibus est) non venit ut Moses, cum illo apparatu, cum tam aspectabili potentia & mirabilibus judiciis & magnis terroribus, & quòd non liberavit eos ex manu eorum, qui ipsis potentiores erant, neque Manna de cœlo dedit, neque totum populum in unum contraxit ex omnibus gentibus, & non expulit alienos ex terra ipsorum, neque seniores habuit ad manum, qui prophetarent coram ipso, quemadmodum septuaginta seniores coram Mose prophetaruut. Non fuit ab illis amatus is, qui apparebat עָנִי וְאֶבְיוֹן *debilis & egenus*, qui in sordidis vestibus & cruentatis apparuit, cum quo nullus Vir fuit, qui non fuit Vir sed vermis, opprobrium hominum & spretum populi.

§. 7. Hoc igitur in loco id agendum superest, ut ostendamus, 1. Nec Judæos nec ullos homines *spiritualem liberationem* sive *salutem animæ* consequi per facta. 2. Christum debuisse venire, ut justitiæ & salutis causa fieret, & Judæos liberaret à lege cerimoniali (de quo punctò distinctè Qu. VI. agendum) & per Euangelii prædicationem ac effusionem Sp. S. eos faceret hæredes mundi, sive ex illis & gentibus faceret unum populum.

Spiritualis liberatio omni homini necessaria.

§. 8. Quod ad primum attinet, ante omnia firmum debet esse, *Omnem hominem spirituali liberatione indigere.* Utor termino, quo & Judæus hîc utitur. Intelligio autem *σωτηρίαν ψυχῶν, salutem animarum*, ut S. Petrus loquitur 1. epist. cap. 1: 9. Et ea est decantatissima in sacris literis יְשׁוּעָה *salus*

Quia omnis homo est peccator.

§. 9. Ne verò videamur captare verba, etiam hoc fundamentum solidemus ex Scripturis. Demonstratio igitur nostra talis sit. Omnis peccator indiget spirituali liberatione sive salvatione. Atqui omnis homo est peccator. Ergo omnis homo indiget salvatione. Omnem verò hominem peccatorem esse, dubitari non debet. Solomoh dicit, *Nullum esse justum in terra, qui non peccet.* 1 Reg. 8:46. Eccles. 7:20. Id ostendit & circumcisio: quæ data est & infantibus. Nam, si nihil aliud significat is ritus, notat certè, etiam infantes habere præputium cordis, à quo liberandi sint. Accedunt purificationes præscriptæ à Deo faciendæ super nascentibus. Populus pro impuro tractatus est, pro quo quotidie juge sacrificium oblatum est, & à quorum fœditatibus anniversaria vice ipsum tabernaculum erat expiandum, eo die, quo omnis anima jejunare & peccata confiteri debuit. Nullus in Israële à capitatione exemtus fuit. Argentum pro anima dabant lytron. Quid dicam de perpetuis prophetarum objurgationibus, quibus Israëlem totum objurgant? Ergo certum est, omnem hominem esse peccatorem.

§. 10. Peccatorem autem indigere salvatione, perspicuum est: quia peccatum est mors & miseria, & iram promeretur. Nam, si aliter esset, de nihilo institutæ essent expiationes. Quod expiandum est, id iram & maledictionem promeretur.

Quam salutem Judæus statuat?

§. 11. Quandoquidem igitur certum est, peccatorem indigere salvatione: considerandum est, quæ sit salvatio peccatoris, & quid ad eam conferat Deus. Judæus Responsor dicit, *eam solummodò dependere ab observatione præceptorum, quæ Deus in Sinai promulgavit.* Ergo hominis hæ partes sunt, ut salvus fit, ista facere. Credo autem, Judæum in his constituere partim expiationem peccati, partim justitiam. Quid igitur Deus facit ad salvationem peccatoris? Quatuor novit Judæus. 1. Legem dedit in Sinai. 2. Adjicit corporalia bona, ut multo facilius ea præcepta observentur. 3. Tollit impedimenta, quæ legis observationem difficilem faciunt. 4. Specialem benedictionem adjicit. Hæc autem tria facit, quando vult. Alio enim tempore, ut in hoc exilio, id non facit: aliquando autem faciet. Secundùm hæc homo est salvator sui ipsius, & Salvatore non indiget.

Peccatoris salus est sanctificatio sive regeneratio.

§. 12. Nos verò, ut cognoscamus, qua salute peccator opus habeat, hanc viam insistemus. Primò inquiremus, An peccator indigeat spiritu Dei, qui eum liberet à corde lapideo & ei det cor carneum; & potentia Dei, quæ faciat, ut in statutis Dei ambulet peccator? Certè ex illo loco, quem Responsor citat ex Ezech. 36:26. aliud colligere non possumus. Et Moses Deut. 29:4. testatur, Dei esse, dare cor ad cognoscendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum. Item cap. 30:6. circumcidere cor ad diligendum Jehovam Deum suum. Patet id quoque ex promissione prima, quæ in paradiso audita est. *Ego ponam inimicitiam inter te & mulierem.* Genes. 3:15. quod nihil aliud est, quàm, *Ego sanctificabo mulierem, ut te & opera tua oderit.* Idem probat promissio facta Abrahamo de gentibus. *Benedicentur & benedicens sibi. Sibi benedicere* est benedictionem sibi vindicare, & pro ea gratias agere, & in benedicente gloriari. Sed id facere est effectus benedictionis divinæ. Quæ benedictio appellatur *apertio oculorum cæcorum*, Esai. 42:7. imò *vivificatio mortuorum*, Dan. 12:2. imò divina generatio, Es. 66:9. *An ego vulvam aperiam & non gignam? Nunquid ego gignam, & continebo?* sive, ipse sterilis ero & non pariam? Unde illi, qui sanctificantur, *filii Dei* vocantur, Deut. 32:5.6.19. imò nova creatio. Esai. 29:23. *Quum videbit natos suos, opus manuum mearum.* Esai. 60:21. *Et populus tuus omnes justi, in seculum hæreditabunt terram: surculus plantarum ejus* vel *mearum, opus manuum mearum ad exornationem.* Esai. 43:6.7. *Dicens Aquiloni, Da; & Austro, Ne contineas: affer filios meos è longinquo, & filias meas à fine terræ: omnem nuncupatum de nomine meo, quemque ad gloriam meam creavi, formavi, etiam perfeci.* Quam *creationem cordis puri & spiritus prompti ac firmi novationem* appellat David Ps. 51:12.

§. 13. Ex quibus satis apparet, necesse esse, ut Deus virtute sua & spiritu suo aliquid agat in hominis corde & voluntate, sine quo non possit homo peccator Deum amare: nec tantùm, sed etiam, ut, quemadmodum verba portenduut, efficiat, ut peccator ipsum amet & ipsi obediat, & semen suum in ipso ponat, & in eo habitet, & eum regat, & in eo vivat: atque ita ex vera & perfecta causa Pater ipsius & velut novæ creaturæ Creator nuncupetur. Sed ad nostrum institutum sufficit, si certum habeatur, quòd non possit peccator amare Deum, nisi Deus per Spiritum suum aliquid in peccatore operetur: sine quo scilicet non possit fieri, ut peccator Deum amet & in statutis ipsius incedat.

Quid requiratur ad sanctificationem peccatoris?

§. 14. Hoc igitur posito, considerandum est porrò, annon requiratur aliqua liberatio & salvatio præcedanea; sive, annon hæc operatio Spiritus præsupponat aliquid, quod nisi interveniat, Deum non deceat, hominem peccatorem respicere & sanctificare.

1. Misericordia.

§. 15. Quam rem ut benè intelligamus, oportet diligenter considerare, 1. quòd Deus Spiritum suum det ex mera misericordia. Id quod planum est, tum ex gentibus, quas Deus per multa secula sivit ambulare in viis propriis & in propria sapientia evanescere: quum solos Israëlitas assumeret, qui populus ipsius nominaretur. Deut. 4. Psalm. 147. vers. 19. 20. Atque ideò dicit Deus Exod. 33. vers. 19. *Gratiosus ero, cui gratiosus ero; & miserabor, quem miserabor.* Unde certè intelligimus, omnia, quæ peccator habet, esse miserentis & gratis donantis Dei. Quæ est causa, quare in ipso initio nomini suo adscripserit, *Deus misericors & gratiosus, sive gratuitò donans.*

2. Demonstratio sanctitatis & justitiæ Dei per sacrificium melius Israëlitarum oblationibus.

§. 16. 2. Quòd Deus volens misereri, non possit non manifestare sanctitatem suam; atque ideò volens sanctificare hominem peccatorem non possit non ordinare expiationem peccati. Et hujus veritatis indicium est, quòd Deus tot expiationes populo imposuit. Quòd si autem dicas, Deum illas ipsas expiationes offerendas à peccantibus ordinasse ad remittendum peccata; rursus considerandum est; quòd nulla sacrificia Deo possint placere absque pio affectu. Id verò, quòd placere non potest absque pio affectu, non potest esse causa, cur Deus bonum illum affectum det, sive cor circumcidat ad pium affectum. Deinde, quòd Deus passim sacrificia & oblationes extenuaverit, depreciaverit, repudiaverit. Quodque ipsa conscientia doceat, pecuina sacrificia non esse digna Deo volente remittere peccata, & quidem peccatorem *justificare.* Præterea, quòd Psalmo tum 40. tum 50. & 51. sacrificia Israëlitarum alii sacrificio opponantur & contradistinguantur. Quodque Jeremias testetur, Deum ab initio, quum populum educeret ex Ægypto, ei nihil dixisse de sacrificio & oblatione, Jerem. 7:22. Denique, quod sacrificia solennia semper fuerint ab Israële repetenda. Quæ iteratio & instauratio sacrificiorum testatur, in prioribus sacrificiis nullam esse virtutem ad auferendum peccatum. Et verò Michæas testatur, nec fluvios olei, nec acervos thuris,

thuris, nec agnos anniculos, nec fructum ventris immolatum Deo sufficere. Mich. 6:6. 7. Ut & Esai. 40: 16. dicit: *Es Libanus non satis est ad pyram, neque animalia ejus satis sunt ad holocaustum.*

§. 17. Porrò, quando dicit, Exod. 34: 7. *Qui condonat peccatum & pravitatem & defectionem, & impunitum non habet:* satis declarat, Deum, volentem remittere peccata, majus sacrificium ordinasse, quàm pecudum mutarum & brutarum, quas homo sibi mactat in cibum: nempe tale, quo oblato, verè possit dici, Deum peccata non dimisisse impunita, quæ remittit.

§. 18. Quare & Esaias dicit c. 5: 16. *Et exaltatus est* (loquitur Propheta verbis posterorum, ut solent Prophetæ) *Jehovah* Deus *exercituum judicio, & Deus ille sanctus justitiâ.* Numquid ulla justitia sive obedientia hominis peccatoris est idonea ad *sanctificandum Deum remittentem peccata?* vel poterit vocari *justitia*, h. e. causa juris ad petendum mercedem? vel condemnare Diabolum, & Peccatum semper accusans peccatorem; ut verè propter eam dicatur Peccatorem damnabilem & damnatum *justificare.* Loquitur Propheta de *justitia & judicio*, per quæ ipse *sanctificatur.* Quorum fructus est, ut agni pascant & advenæ comedant deserta opimorum. hoc est, ut oves Christi pastum habeant, & gentes in locum Judæorum vocentur. vers. 17. &, ut est c. 1: 27. per quam justitiam ac per quod judicium Sion redimenda erat: de ea, inquam, *justitia*, quæ est Christo pro *cingulo*, & eum facit ἕτοιμον ad præstandam Ecclesiæ pacem, ut lupus cum agno pascat, h. e. ut hostes ei adulabundi serviant. Es. 11: 5. 6. Denique de *justitia & judicio*, quæ supplent locum *justitiæ & judicii*, quæ Deus frustra ex vinea sua exspectaverat. Es. 5: 7.

§. 19. Et quid sibi vult sacerdos, qui dicitur ferre peccata Israëlis, si nulla liberatio est à peccato per sacerdotem? Nisi putamus, Aharonem & filios potuisse auferre peccata Israëlis aliquid comedentes de oblatis in altari; (ut est Levit. 10: 17. *Quare non comedistis sacrificium pro peccato in loco sancto? Nam sanctum sanctorum est. & id dedit vobis ad ferendum pravitatem cœtus, ad expiandum eos coram Domino*) & non fuisse typos *Sacerdotis secundum ordinem Melchisedek*, h. e. filii Dei corpus suum offerentis; sive seminis per passiones suas Serpentis potestatem abolentis. Qualis oblatio pro peccato quotidie instaurata si prodesset ad peccati expiationem, quum expiatio peccati necessaria sit, non tam serò instituta esset, neque deinceps fuisset sublata. Nam & ante institutum Aharonicum sacerdotium voluit Deus remittere peccata, & nunc etiam ea remittit; aut actum esset de hominis salute.

§. 20. Hæc veritas ampliùs stabilitur, quòd, qui sanctificantur, non possunt non ad imaginem Dei restaurari. Atqui imago Dei consistit in cognitione & amore virtutum Dei & veritatis, ex qua pendet omne officium, quod versatur inter Deum & hominem. Igitur dicemusne inter virtutes Dei esse sanctitatem Dei & justitiam; quæ necessariò sint cognoscendæ & amandæ ei, qui Deum cognoscit & diligit & imaginem ipsius habet: an eas virtutes in Deo esse negabimus? Quòd si eas negare non possumus, an etiam eas sic definiemus, quòd *Sanctitas* sit separatio Dei ab omni vilitate & impuritate; & *justitia* non tantùm in eo consistat, ut Deus nemini injuriam faciat, sed etiam in eo, ut judicet secundùm legem suam; quæ sanctitatis ipsius typus est? ut ita fateamur, Deum habere puros oculos, ut malum non videat, Hab. 1: 13. &, ne fiat similis peccatori, peccatorem redarguat, & cum eo communionem non habeat? Psalm. 50: 21. & non dicamus, vel, nomen Dei non profanari per peccata hominis, vel, Deum dimittere impunitum, qui nomen ipsius in vanum tulerit aut profanaverit. Exod. 20: 7. quod sanè facit omnis peccator.

Locus Ezech. 36: 26.

§. 21. Sed ipse textus, quem Judæus Responsor allegat ex Ezech. 36: 26. hoc, quod dicimus, adstruit: adeò ut mirari subeat hominis oscitantiam, conantis probare eo loco, quòd non sit liberatio à peccato per sacrificium & purificationem, qui eam manifestè docet. Sic enim habet locus integer. v. 25. 26. 27. *Et conjiciam supra vos aquas puras, & purificabimini ab omnibus pollutionibus vestris, & ab omnibus stercoribus vestris purificabo vos. Et dabo vobis cor novum & spiritum novum dabo in medio vestri; & auferam cor lapideum ex carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in testimoniis meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.*

§. 22. Propheta præmittit aspersionem aquæ mundæ, & ei subjicit dationem cordis novi per spiritum suum: ut intelligatur ea ἀναγέννησις *regeneratio* sive ἀνακαίνωσις *renovatio* non fieri nisi interveniente *aspersione aquæ mundæ*, per quam fœditas illorum tollatur, h. e. reatus & debitum contractum inobedientia & stupore, & incumbens toti generi humano, tollatur; & stercora illorum abstergantur: ut non sint causa abominationis ipsorum amplius: sed ut, eis non obstantibus, decenter possit Deus ipsos renovare & sanare à suo stupore & inobedientia.

Aqua munda.

§. 23. Quid igitur dicemus significari per *aquam mundam?* Ante tabernaculum & templum erant etiam λουτῆρες. An putamus, in eis fuisse aquam mundam? *Aqua munda* semper munda est, & sordida atque lutulenta fieri non potest. Talis aqua non hauritur ex fontibus, aut fluviis, aut mari. Neque hîc agitur de sordibus carnis; quæ aquæ aspergine tolli possunt: sed de sordibus animæ, reatu scil. & abominabilitate propter peccatum omne, quod hominem reum & abominabilem facit; & imprimis de jure peccati in peccatorem, ut eum captivum habeat & in eum dominetur: ex quo jure est, ut peccator semper in sordibus & stercoribus suis volutetur, & iis coopertus sit.

§. 24. *Aqua munda* igitur est aliquid sanctum purumque in se, & vim habens injustitiam, reatum, damnationem & abominabilitatem propter peccata tollendi à peccatore; ita ut non necesse sit, si peccator ea aqua aspergatur, & id sanctum ei donetur, peccatorem pro peccatis suis ampliùs satisfacere ad gratiam veniamque impetrandam. Id ipsa metaphora portendit. Quærendum est igitur, quæ res possit vocari *aqua pura purificans* homines à fœditatibus & stercoribus suis.

§. 25. *Sanguinem* quendam ad purificationem peccati pertinere, satis nobis constare potest, tum ex eo, quòd Lex sanguinem dedit in altari pro animabus Israëlitarum, Levit. 17: 11. ubi dicit: *Sanguis animam expiabit.* tum ex eo, quòd in Mose & Prophetis fit mentio *sanguinis Testamenti*, per quem (h. e. cujus effusione) *liberi dimittantur vincti exspectationis ex lacu aqua carente.* In Mose quidem est Exod. 24: 8. *Ecce sanguis fœderis, quod pangit vobiscum Deus super omnibus verbis his.* Ubi potest esse typi pro analogo significato substitutio: ut in sacris sigillis & memorialibus fieri solet.

Locus Zach. 9: 11.

§. 26. Inter Prophetas Zacharias de eo sanguine loquitur cap. 9: 11. Ubi, quum ab initio capitis de rebus secuturis ad tempus, quo ipse prophetabat, quæ etiam impletæ sunt ante Christi apparitionem, vaticinatus esset, tum deinde Sioni gaudium denunciat, quòd veniat rex ejus ad illam. vers. 9. qui est sine dubio Christus: & porrò pronunciat, fore, ut exscindat Deus currum & equos ab Ephrajim & Hierosolyma, & exscindatur arcus belli. Quod per Romanos factum est in bello Judaico. Quòdque rex Sionis sit locuturus pacem ad gentes. Quæ est prædicatio Euangelii pacis apud gentes. Item: Regnum ejus latissimum & amplissimum fore. vers. 10. Igitur vers. 11. 12. vocat ipsam Sionem & nominatim vinctos expectationis, ut convertantur ad Arcem. Neque potest alia *Arx* excogitari, quàm *Rupes salutis:* nempe ille *Rex*, *ad quem qui confugit, beatus est.* Psal. 2: 12. Invitantur autem ad *conversionem* argumento libertatis datæ vinctis, per sanguinem Testamenti sive fœderis, ex lacu, in quo non erat aqua. qui *vincti* intelliguntur *vincti exspectationis.* h. e. constricti & conclusi sub legem in exspectationem, nempe *sanguinis Testamenti* fundendi. Quæ *exspectatio* est veluti sitis, sed quæ non restinguitur, donec res ipsa conspiciatur. Additur & alterum argumentum suadens conversionem ad Arcem: quia eodem die sive tempore, pro Rege per mortem ab oculis ablato (nam venit עני quasi *impotens* & omnibus malis onustus) & in cœlum ex morte sublato (nam est נושע *salvatus*) *alterum indicem* & testem *reddat.* nempe Paracletum de cœlo missum, Spiritum Sanctum. Verba sic habent: *Etiam Tu; in sanguine Testamenti tui dimisi vinctos tuos ex lacu, in quo non erat aqua: Convertimini, inquam, ad Arcem, vincti exspectationis. Etiam hodie indicem alterum reddo tibi.*

Psalmus 40.

§. 27. Atque ita in Psalmo 40. aliquis loquitur, qui testatur, 1. Deum repudiare sacrificia, 2. se autem venisse; de quo scriptum sit in toto volumine libri, & 3. sibi aures perforatas esse; h. e. se servum voluntarium à Deo admissum esse. 4. Seque paratum esse voluntatem Dei facere; legemque Dei in medio sui esse. & is similiter in fine Psalmi se nominat עָנִי וְאֶבְיוֹן impotentem, afflictum, egenum! &, quum testatus esset, legem Dei in medio sui esse, seque venisse ad faciendum voluntatem Dei, tamen innumerabilia peccata sua dicit, à quibus obruatur. Atque is etiam protestatur, se justitiam, salutem, gratiam, veritatem Dei prædicare & imposterum prædicaturum esse. Quæ omnia talia sunt, ut non nisi de Christo seipsum pro peccatis hominum offerente intelligi possint.

Psalmus 50.

§. 28. Item in Psalmo 50. jubentur colligi pii Dei *facientes* cum ipso *fœdus per* vel *propter* vel *apud sacrificium.* & tum statim sacrificia Israëlitarum rejiciuntur; à piis autem nihil nisi זבח תודה *sacrificium confessionis* exigitur. Et cujus, quæso, *confessionis*, nisi ejus, qua attestentur valori & dignitati illius *sacrificii*, super quo *fœdus* cum Deo faciunt? adeò ut fœdus cum Deo facere nihil aliud sit, quàm Deo confiteri, quòd dederit sacrificium idoneum ad tollendum reatum; ut salus detur confitentibus illud, & pro *gratia ac veritate Dei* ac *salute* hac gratias Deo agentibus. ut est vers. 23.

§. 29. Et quæ tandem est illa *salus*, de qua loquitur tum is Psal-

Psalmus, tum reliqua Scriptura. Psalm. v. 23. *Qui sacrificat confessionem, glorificat me, & ponit viam*, qua *faciam ipsum aspicere salutem Dei.* Num hæc sola salus est Israëlis, ne sit sub magistratibus gentium in dispersione? Num ad salutem non pertinet condonatio peccatorum, & sanctificatio, & animarum in beatitudinem translatio, & corporum resuscitatio ex pulvere ad vitam æternam?

§. 30. Atqui *confessio sacrificii*, & sacerdotis, quem Deus ostendit, ut ad eum accedamus, atque ita cum Deo conciliemur, & fœdus, pacem atque amicitiam cum Deo habeamus; qui datus est *in fœdus populi* (Esai.42:6. 49:8.) imò confessio salvationis Dei, unde denominatur salus nostra *salus Dei*; & confessio nominis Dei, quod in sacrificio hoc & in salvatione hac manifestatum est, ejusque nominis glorificatio & amor ac reverentia, est via ad aspiciendam salutem Dei.

Via salutis & justitiæ falsa à Judæo designata.
Locus Es. 66: 5.

§. 31. Judæus Responsor aliam viam ponit. Ea hæc est imprimis Non credere, quòd Deus volens peccata condonare etiam justitiam ac sanctitatem suam velit demonstrare; aut quòd ad Dei justitiam pertineat eam demonstrare, aut non sine justitia, h. e. satisfactione ac merito, peccata condonare: credere tamen, quòd Deus exigat satisfactionem & imposuerit Israëli כַּפָּרָה *λυτρον* & expiationem, verbi causa per sanguinem animalium; quanquam Deus illa non imposuerit patribus, neque ipsis Israëlitis, quum primùm essent educti ex Ægypto; atque etiam hoc tempore à tot seculis noluerit sacrificia ipsorum sibi offerri, sed ea cum ipsis tanquam stercus ex terra everterit: quodque omnia talia, qualia gentibus imperata non sunt, facere, aut velle facere, & à sceleribus abstinere, & nescio quid boni facere erga alios Israëlitas (nam gentibus se putant non debere charitatem) inter multos lapsus sit ipsorum *justitia*, & *justitia* à Deo appelletur; etiamsi tota hæc conversatio minimè conveniat legi perfectæ & imagini Dei. atque ita ipsius symbolum est: *Propter nomen meum glorificabitur Jehovah.* Es. 66: 5. hoc est, Hæc est gloria Dei, quòd ego nominor & sum Israëlita sive Judæus, &, quæ Judæorum sunt, facio aut facere cupio: non est autem gloria Dei, quòd *ipse sit justitia mea.* Jer. 23: 6. neque adeò *justificor in Domino*, neque *glorior in eo.* Es. 45:25.

Christus justitia nostra Abarbeneli.

§. 32. Abarbenel sæpe in scriptis suis, quum Christi mentionem facit, dicit מְשִׁיחַ צִדְקֵנוּ *Christus justitia nostra.* Mirabile est, hoc ipsos dicere, & non attendere, quid dicant. Nam, qui est *justitia nostra*, is nobis est causa juris sperandi, petendi, & accipiendi vitam æternam.

Redemtio Dei.

§. 33. Psalmus 130: 8. promittit, quòd *Jehovah sit Israëlem redemturus ab omnibus pravitatibus suis.* Eam *redemtionem* non agnoscit Responsor.

Ezechiel cap. 36. loquitur de sanctificatione Dei volentis remittere peccata.

§. 34. Cæterum, quum Responsor Ezechielis vaticinium voluerit citare, mirum est, eum non induxisse in animum id caput legere, & ad ea, quæ ibi prophetata sunt, attendere. Quod si fecisset, reperisset, jam dudum tempus ejus prophetiæ exsequendæ præteriisse; & maximas res ibi promissas in Ecclesia Christiana esse factas. Et, ut incipiamus à vers. 18. commemorat Deus, Israëlitas habitantes in terra eam contaminasse via sua & studiis suis. Se verò effudisse in ipsos iram suam, propter sanguinem, quem effuderint in terra, quam suis stercoribus inquinaverint. Intelligitur persecutio justorum & prophetarum, objurgantium ipsorum studium. quod studium maximè versatum fuit in sacrificiis cumulandis & cerimoniis observandis. Quod studium conjunctum cum ignoratione justitiæ & salutis Dei ab omnibus prophetis increpitum est, quum putarent, se ita faciendo justos esse. Sed totum id Deus vocat *stercora.* vers. 18. Sic Malachias cap. 2. vers. 3. vocat *stercus festorum ipsorum.* Vers. 19. narrat, se ipsos dissipasse inter gentes. Ita decem tribus in Assyriam abductæ erant. Judæi jam aliqua parte in Babylonem. Alii aliò fugerant. Eos verò, quum venissent ad gentes, nomen Dei sanctum profanasse; quum dicerentur *populus Jehova, & ex terra ipsius exivisse.* Se igitur nominis sui quasi commiseratione tactum esse, quum id propter ipsos profanaretur in gentibus. vers. 21. Quare denunciat eis, se aliquid facturum, non propter ipsos, sed propter nomen sanctum suum ab ipsis profanatum in gentibus, vers. 22. nempe, *se sanctificaturum nomen suum magnum, profanatum in gentibus, quod profanaverant in medio ipsarum, & cognituras gentes, quòd ipse sit Jehovah, quum*, inquit, *SANCTIFICABOR IN VOBIS CORAM OCULIS VESTRIS.* Sine dubio bonum gentium est, ut discant nomen Dei, cumque verè esse יהוה *IHVH* intelligant. Id declarat gentibus eventurum, quum in Israëlitis, h. e. Israëlitarum aliquo, *ipsis aspicientibus, sanctificatus fuerit.* Quod nihil aliud valet, quàm si dixisset, cognoscent Gentes, me esse Gratiosum & Misericordem; me condonare peccata; & tamen esse sanctum & justum & non dimittere peccatum impunitum: quum nunciatum ipsis fuerit, quid factum sit in aliquo Israëlitarum, ad manifestationem sanctitatis & justitiæ meæ, coram toto Israële. Non poterat autem Deus ad illum modum sanctificari, nisi in Filio suo Justo.

§. 35. Hîc non intelligi sanctificationem Dei per pœnam populi, clarum est. Quia præfatur, se id non esse facturum propter ipsos. significans, se actum præcipuum misericordiæ exerciturum erga Judæos & Gentes. Deinde, quia dicit, id futurum, ipsis spectantibus. Tertiò, quia declarat, gentes per hoc cognituras, quòd sit Jehovah. Gentes autem non accedunt, nisi ad Desiderium & delicias Gentium Christum, in quo benedicuntur.

§. 36. Ordinem rei gerendæ deinceps sic explicat. vers. 24. I. *Accipiam vos è gentibus, & colligam vos ex omnibus terris: & introducam vos in terram vestram.* Id factum per Cyrum & ejus successores, Græcos item & Romanos. Reddita est Judæis terra. Omnes tribus in nomen Judæorum coaluerunt. Sub uno Synedrio fuerunt. Habitarunt passim in toto mundo. Habuerunt tamen libertatem commeandi in terram suam. Ita sæpe ad festa frequentissimi ex omnibus partibus conveniebant: ut in pentecoste, qua effusus est Spiritus Sanctus. Actor. cap. 2. II. *Spargam super vos aquas mundas.* Per *justitiam*, qua sanctificabor, vos absolvam à reatu & impuritate vestra. *Dabo vobis cor novum. Spiritum meum ponam in medio vestri.* vers. 26.27.

Parallelæ promissiones Deut. 30. Jer. 3.

§. 37. Hæc conveniunt iis, quæ Moses ante prophetaverat Deuteronom. 30:1. — 6. & Jerem. 3:14. 15. 16. 17.

Continuatio prophetiæ Ezechielis.

§. 38. Quæ deinde sequuntur, Judæis non assequitur. Sic dicit Deus vers. 28. *Et habitabitis in terra, quam dederam patribus vestris, & fietis mihi populus, & ego vobis fiam Deus.* Notatur qualitas temporis, quo res hæc futura erat. Ipsis habitantibus & sedentibus in terra. Quid vero futurum erat? *Erant futuri populus Dei*, & non amplius erant futuri populus Deorum nuncupatorum. Nam *pastores* erat abrogaturus, Ezechiel. 34. Zachar. 11. Mal. 2. *sacrificium & munus aboliturus*, Dan. c. 9. principatus in Filii humeros erat venturus, Esai. cap. 9. Deus solus erat futurus ipsis Rex & *Deus*, habens illos loco *filiorum.*

§. 39. Vers. 29. *Et salvabo vos ab omnibus impuritatibus vestris.* etiam à reatu & accusatione legis. Nam per legem declarabantur impuri. Ezech. 20: 25. 26. Quum Evangelium prædicatum est, & gentes in præputio sunt admissæ ad populum Dei, baptizatæ Spiritu Sancto, denique templum eversum est, accusatio legis cessavit penitus.

§. 40. Hæc autem intelligenda sunt secundùm eam partem, quam Deus elegerat. Nam erat *Vir* sive Virorum multitudo separanda ab omnibus tribubus Israël & cum terra plagis afficienda. Deut. 29: 21.

§. 41. Cætera etiam non difficile esset in rebus gestis ostendere. Sed interim ex his evidens est, quæ salus fuerit Israëlitis exspectanda: nempe, ut sanctificaretur Deus, & sic cognosceretur Jehovah; ut aquæ mundæ spargerentur in ipsos: ut cor novum acciperent per spiritum Dei: ut salvarentur ab omni impuritate: ut liberarentur à regno & potestate hominum, & soli Deo in lætitia servirent, non elementis mundi, quæ hominum curæ erant commissa. Ea autem fuisse ipsis præstanda habitantibus in terra sua, quum in terram reducti essent ex illa dispersione, in qua erant, quum Ezechiel prophetaret.

CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

De lege Messiæ, & libertate Christiana.

QUÆSTIO VI.

An legem Mosis quod ad ceremonias attinet temporibus Messiæ ita observabunt, ut nullam aliam legem nullasve alias ceremonias sit præscripturus? Dictum Prophetæ Ezechielis, quod in præcedente quæstione citabamus, hanc controversiam tam clare definit, ut non opus sit pluribus testimoniis. Attamen ob ingentem multitudinem locorum Scripturæ quibus probatur legem Mosis absque ulla mutatione Messiæ temporibus observandam, quia brevitati studemus, tria tantum allegabimus. Primus locus est propemodum sub finem recitatæ legis ubi dominus postquam indicasset præmia & pœnas quæ obedientibus ac legem transgredientibus proposita sunt, sic inquit Deuter. 30. Fietque cum super vos venerint omnia hæc verba, benedictio & maledictio quas dedi vobis & reversi fueritis ad Dominum Deum vestrum & audietis vocem ejus, sicut omnia quæ vobis hodie præcipio vos & liberi vestri ex toto corde vestro totaque anima: & dominus Deus vester convertet se ad captivitatem vestram, & miserebitur vestri, & revertetur & congregabit vos ex omnibus gentibus quo dispersit vos: etiamsi dispersi fueritis ad cœli extremitates, dominus Deus vester vos inde retrahet, hucque reducet, & restituet vos in terram quam patres vestri possederunt, & benedicet vobis ac multiplicabit præ patribus vestris. Et dominus Deus vester circumcidet corda vestra & cor seminis vestri, &c. Et revertemini ac audietis vocem domini Dei vestri, facietisque omnia præcepta quæ præcipio vobis hodie. Et Dominus vos faciet locupletes in omnibus operibus manuum vestrarum, &c. quando audietis vocem domini Dei vestri & præcepta ac ritus ejus custoditis quæ præcipio vobis & in libro legis hujus scripta sunt, & quando ad dominum Deum vestrum revertimini toto corde totaque anima. *Hic dicit dominus legem concludens, ut liberemur è captivitate nostra necessariam esse legis observationem quam illa die præceperat. Eademque post liberationem ut salutem nostram retineamus nobis est necessaria. utque omnem eximat dubitationem, non satis habet tempus nobis indicare dicens* quæ hodie præcipio vobis, *verùm etiam tempus ac locum designat dicens*, custodite præcepta & ritus quæ scripta sunt in libro hujus legis. *Ecquæ igitur ratio superit quamobrem aliam legem aut ritus præscribat, post tam expressa verba quæ contrarium demonstrant?* II. *In epilogo omnium prophetarum hæc veritas eodem modo annunciatur, quemadmodum in legis epilogo factum erat. Ita enim loquitur propheta Malachias:* Recordamini legis Mosis servi mei, quam illi præcepi in Horeb ad totum Israëlem, cum ritibus & judiciis. *Lex vocatur lex Mosis. hoc siquidem est γνώρισμα quod falsari non potest.* III. *S. Scriptura dicit*, dilige dominum Deum tuum, & serva præcepta ejus ac ritus & judicia ejus omnibus diebus. *quamdiu ergo dies sunt obligati sumus ad integram Mosis legem observandam nihil addentes aut detrahentes. Sicut dominus præcipit eodem libro:* Nihil addes ad id quod præcipio tibi, neque demes quicquam ad custodienda præcepta domini Dei tui quæ præcipio tibi. *Hæ rationes (quamvis multæ adhuc aliæ possent adduci) in præsentia sufficient.*

Quæstionis explicatio.

§. 1. AGitur hic de lege Messiæ. Judæus Responsor dicit, *Legem Mosis absque ulla mutatione Messiæ temporibus observandam.* Hæc quæstio nonnihil declaranda est. *Lex Messiæ* nominatur Esai. 42:4 *& ad legem ejus insulæ sperabant.* Id verò non pugnat cum eo, quod Moses dixerat Deut. 30: 10. *quia auscultabis voci Jehovæ Dei tui, ad observandum præcepta ejus & statuta ejus: quod scriptum est in libro legis hoc.* Non enim dicimus, Christum novæ & inauditæ legis auctorem fuisse futurum. Quinimò affirmat Euangelium, *Mosen fuisse servum Dei fidelem in tota domo ejus, in testimonium eorum, quæ imposterum futurum erat, ut dicerentur.* Hebr. 3: 5. Ipse Christus provocat ad Mosen & Prophetas; & doctrinam suam talem affirmat, ut, qui velint voluntatem Dei (per Mosen revelatam) facere, facilè de ea judicare possint, utrum ea ex Deo sit, an ipse ex se loquatur. Joh. cap. 7: 17. Apostolus Paulus protestatur, se nihil extra Mosen & Prophetas docere, Actor. 26:22. & Euangelium manifestare per Scripturas propheticas. Rom. 16:26. Johannes negat, præceptum Christi novum esse. 1 Joh. 2:7. Quare cum illis, qui dicunt, Messiam debuisse novam legem tradere, sive præceptis legis aliquid superaddere, minimè facimus: & negamus, Christum Matth. 5. aliquid ad legem Mosis sive Decalogi addidisse. Quemadmodum a nostris sæpiùs demonstratum est; & nos suo loco demonstravimus. Hæc oportebat Responsorem non ignorare: ne præter quæstionem aliquid diceret. Neque enim ipsi tantùm res est cum iis, qui dicunt, Christum novam legem condidisse: sed etiam nobiscum, qui hoc negamus. Neque igitur valde necesse erat probare, quòd legem non sit mutaturus Christus; sed hoc potiùs quærendum erat, an Christus in Euangelio prædicatus aliud prædicaverit, docuerit, præscripserit, quàm quod Moses ac Prophetæ testati erant, eum prædicaturum, docturum, præscripturum.

§. 2. Sed, quia Responsor in locis tribus, quos citat ex Deuter. 30. Malach. 4. & rursus Deuteronomio; ut & eo, quem citavit ex Ezech. 36. pro voce חקי ponit *ritus*, eoque innuit, in diebus Christi omnes ceremonias & ritus, quos Moses populo Israëlitico præscripsit, celebratum iri, in aliam partem quæstionis descendendum est: nempe, an Moses unquam dixerit, omnia δόγματα, & ritus omnes in regno Christi fore observandos. Id non probant illi textus. Deinde noverat Responsor, Apostolum Paulum acriter defendisse libertatem & gentium & Judæorum à Christo prædicatam. Cujus argumenta ipse non attingit. Atqui hoc imprimis faciendum erat. Nam, si bene Paulus tuetur libertatem ex Mose & Prophetis, tum loci illi allegati non probant, dogmata de ritibus observanda esse in regno Christi: sed potiùs contrarium probant. nempe, libertatem prænunciatam à Mose & Prophetis servandam retinendamque esse in diebus Christi: præcepta autem de ritibus non esse imponenda gentibus, quia nec Moses ea gentibus imposuit; nec diutiùs observanda à Judæis, quàm Deus per Mosen significaverit ea observanda esse.

Malè vocem חקים *interpretatur Judæus per* Ritus.
Ezech. 20: 11.25.

§. 3. Ante omnia hîc observandus est error Responsoris: qui חקים per *ritus* explicat. Præcepta cujuscunque generis, quæ sunt ὁρισμοί, *definitiones*, modumque & limitationem certam habent, חֻקִּים dicuntur. Et astipulatur etymon. חק enim notat modum cujuscunque rei. Eadem præcepta vocantur מִשְׁפָּטִים *judicia*. quia secundùm ea agendum est judicium. Temerarium planè & omni ratione destitutum est, dicere, per hoc vocabulum præcisè significari leges *de ritibus* & cerimoniis. Id certè Scriptura non dicit. Imò Ezechiel cap. 20. vers. 11. & 25. distinguit inter *statuta & judicia, quæ qui facit, in iis vivit*, & alia item *statuta & judicia non bona, in quibus non vivunt*. Debet nobis certum esse, quod leges de ritibus fatigent & molestiam faciant, & quòd, etiamsi quis ea faciat, tamen in eis vivere non possit, quodque citra illa vita contingere possit. Id & conscientia dictat, & manifestum est ex Scripturis. Nam quoties rejicit Deus sacrificia & omnem observantiam rituum? Quod saltem ostendit, si alia absint, quæ Deo placent, sacrificia Deo non placere. Deinde, sine illis ritibus vitam contingere posse, demonstrat, quòd serò ritus populo Israëlitico impositi sunt, & antè observati non sunt, & jam à quindecim seculis non sunt usurpati.

Lex rituum temporaria.

§. 4. Sed pressiùs agamus. Si probetur, Deum imposuisse legem δογμάτων *placitorum* ad tempus & ex certa causa solis Israëlitis, & vetuisse eam observari ultra id tempus, sublata ea causa, & promisisse libertatem ab ea, eamque jussisse retineri: clarum erit, Christum nihil contra vel extra Mosen docuisse, quando discipulos suos ad libertatem vocavit, & per discipulos eam prædicavit; & Christianos eam retinentes & de cætero in lege Dei ambulantes facere præcepta scripta in libro legis à Mose datæ, nihilque addere aut demere. contra, eos, qui ritus gentibus imponunt & ipsi ultra tempus iis uti postulant, addere ad verba Dei: & detrahere eidem verbo, dum libertatem in eo datam & justitiam prædicatam oppugnant.

§. 5. Probemus igitur hoc paucis. Imprimis inde incipiamus, quòd Deus non dixit, Judæos & gentes in regno Christi debere ritus eos observare. Nam illi ritus tales sunt, ut, si quis illos velit observare, Deo non approbante, proprio consilio, minimè sit Deo rem gratam facturus. Unde & vituperat, quòd Jaroboam ex corde suo quædam talia promserat; & interrogat Israëlitas, quis talia exegerit à manibus ipsorum? Esai. 1:12. Ex quo liquet, quòd illa facere, Deo non auctore, sit temerarium, improbum ac flagitiosum. Quod autem Deus hoc non dixerit, ostendunt satis illi ipsi loci, qui à Responsore adducuntur. Nam in illis nulla certa *rituum* & δογμάτων mentio est. Si Responsor habuisset clariores locos, eos sine dubio protulisset.

Locus Malach. 4: 4.

§. 6. Locus quidem Malachiæ sic citatur, quasi in eo *ritus ac judicia* à *Lege* distinguerentur. Sic enim profertur, *Legis, quam præcepi cum ritibus & judiciis*. Sed verba Hebræa alium sensum gignunt. *Recordamini Legis Mosis servi mei, quam præcepi illi in Horeb ad* vel *in totum Israëlem, definitiones & judicia. Lex* est *definitiones & judicia*. Per appositionem illa junguntur. Deinde Malachias non dicit, quum Christus venerit, observanda esse omnia, quæ Moses imperaverat, sed, memoria retinendam esse legem Mosis, usque dum mittatur Elias ille antecursor Domini.

Locus Deut. 11: 1.

§. 7. Locus Deut. 11:1. sic habet: *Et diliges Dominum Deum tuum, & observabis observationem ejus, & statuta* seu *definitiones & judicia & præcepta ejus omnibus diebus*. Quod meliùs Græcè πάσαις ταῖς ἡμέραις. Ne in hoc quidem loco distinctè fit mentio rituum aut præceptionum ritualium. Quid enim impedit, semper diligi Deum & observari præcepta ejus omnia, quæ ipse Deus in certa tempora præscripsit; nempe præcepta, quæ illi tempori præscripserat; atque item illa, quæ conveniebant tempori libertatis. Ne dicamus, הַיָּמִים certos *dies*, nempe dies exspectationis (in quibus tunc constituti erant) intelligi.

Locus Deut. 30: 6. *Circumcisio cordis.*

§. 8. Locus Deuter. 30: 6. nobis suppeditat luculentam argumentationem. Promittit Deus *circumcisionem cordis*, ut se diligant, & in constitutionibus ambulent. Posito igitur, quòd *circumcisio cordis* ibi secundùm excellentiam dicatur, & aliquid notet, quod superioribus seculis datum non fuerat; fieri non potest, ut constitutiones Dei, quas facturi dicuntur, sint de ritibus, qui fuerint ejus temporis, quum cor Israëlis necdum ad eum modum circumcisum esset. Nam circumcisio cordis tollit, ut causam vel rationem illius legis, ita quoque eam legem.

§. 9. Jam verò res se ita habet, ut fuerit Israëli exspectanda quædam circumcisio cordis, quæ non potuit dari priscis temporibus. nempe circumcisio à conscientia reatûs. Quamdiu enim Christus suum sacrificium non obtulit, tamdiu etiam reatus sive obligatio ad pœnam superfuit. ideò & conscientia reatûs cordi incubuit; quemadmodum ab Israëlitis, offerendis sacrificiis pro peccato & reatu, quotidie edita fuit confessio reatûs ipsis æquè ac toti mundo incumbentis; & omnes figuræ oblationis Christi testabantur spem Israëlis. Ubi verò tantùm est spes liberationis, ibi necdum est conscientia liberata, ut possit pro liberatione gratias agere, & cum lætitia plena Deum diligere.

§. 10. Hanc circumcisionem Paulus Apostolus indicavit Col. 2: 11.13.14.15. *In quo etiam circumcisi estis circumcisione, quæ non fit manu. condonans vobis omnes lapsus, delens, quod contra nos erat chirographum in dogmata, quod erat subcontrarium. exuens principatus & potestates*, &c.

§. 11. Neque opus est hîc alia probatione, quàm, quòd ipsa conscientia dictat & ratio, tales constitutiones non inservire nisi ad concludendos eos, quibus imponuntur, sub peccatum, h. e. ad illis testandum, quòd opus habeant *Salute* Dei & *Justitia* & *Pace* & *Sacrificio justitiæ* ab idoneo sacerdote oblato. Quòdque tum, quando Bonum, Pax, Justitia, Salus, Lux annunciantur (quæ maximum pondus habent ad liberandum cor à timore & anxietate, & id implendum lætitia ad amandum Deum) non conveniat accedentibus ad Deum ea facere, quæ sunt trepidantium, lugentium, elongatorum, & suam impuritatem ac reatum confitentium.

Locus Ezech. 20: 25.26.

§. 12. Quòd autem lex de ritibus ad demonstrandam impuritatem faciat, etiam Ezechiel clarè dicit cap. 20: 25.26. *Atque etiam ego dedi ipsis constitutiones non bonas*, sed molestas & graves, *& judicia, in quibus non viverent* (quales sunt sine dubio leges de ritibus) *& impuros declaravi eos cum donis suis, quum traducerem omne aperiens vulvam; ut illos ad stuporem redigerem: ut cognoscerent, quòd ego sim Jehovah.*

§. 13. Quod dicit Deus ad Prophetam, *ut eos ad stuporem redigerem*, id factum in Judæis videmus. Nam vel in hoc loco stupent & cæcutiunt. In Michlol Jophi additio nupera præcipuas Rabbinorum sententias colligit. Quas exhibere visum est. *Atque etiam ego dedi ipsis constitutiones non bonas. R. S. I. exponit; Tradidi eos in manum* יִצְרָם *cogitationis suæ, ut impingerent in pravitate sua. Et sic Jonathan* μεταφράζει. *Tradidi eos in manum osorum suorum, & post cogitationem suam stultam abierunt, & fecerunt decreta non recta, & leges, in quibus non superstitarent. Et exponit, Et immundos feci in donis suis*, sic, *quantum ad ea dona, quòd definivi ipsis ut sanctificarent mihi omne primogenitum, tradidi eos in manum cogitationis suæ ut traducerent eos* (primogenitos scil.) *Molecho. Hæ sunt constitutiones non bonæ. Et R. D. K. exponit: Atque etiam ego dedi eis constitutiones non bonas: Quando illi spreverunt constitutiones meas, tradidi eos in manum inimicorum suorum, ut imponerent ipsis constitutiones, quæ non essent bonæ ipsis, ut constitutiones meæ, quæ erant bonæ ipsis, si in iis ambulassent. Constitutiones autem, quas imposuerunt ipsis inimici, sunt tributa, quæ ipsis injungunt in statutum quotannis, & aliæ servitutes, & judicia & decreta, in quibus non vivunt, sed moriuntur; qui si fecissent statuta mea & judicia mea, vixissent in eis; quemadmodum scriptum est, quæ faciet homo & vivet in eis. Et expositio* illius, *Et impuravi eos in donis suis*, hæc est: *Posui ipsos pollutos, & removi eos à me, pro eo, quod sanctificaveram eos: idque ideò, quia ipsi fecerunt transire à me omne aperiens vulvam, quos præceperam ut darent mihi ad sanctificationem: at illi dederunt idolo. Et R. D. I. Abarb. exponit Constitutiones non bonas duobus modis. Primò, quòd Constitutiones divinæ sint bonæ & vitam concilient ac bonum facientibus eas, sed malæ & mortis effectrices transgressoribus: veluti scriptum est, Vide, posui coram te hodie vitam & bonum, & mortem ac malum. Et hoc est, quod dicit, Et inobedientes exstiterunt mihi filii, in constitutionibus meis non ambularunt, & judicia mea non observarunt, ut facerent ea, quæ faciens homo vivit in eis. q. d. ego dederam ipsis constitutiones & judicia, quæ facerent, ut ipsis bene esset & in eis viverent. at illi immorigeri mihi exstiterunt & non ambularunt in constitutionibus meis & judicia mea non observarunt. idcircò illæ constitutiones, quas dederam ipsis, non erunt illis bonæ, & judicia, in quibus non vivent. Nam vice ejus, quod, si justi exstitissent, præcepta fuissent medicamentum vivificans & prolongans dies; sic, quum sint improbi & transgressores, erunt illis venena pestifera & non vivent in eis. Altero modo; ut Constitutiones non bonæ & judicia sint exsecrationes, quæ dictæ sunt Levit. 26. quas quidem appellet constitutiones & judicia, quia post earum mentionem dicit Lex; Hæc sunt præcepta & constitutiones & judicia & leges, quas dedit Dominus inter se & inter filios Israël in monte Sinai per manum Mosis.*

Lex duplex.

§. 14. Hæc omnia sunt frivola per se, & non possunt conscientiæ satisfacere; & coram vera interpretatione, quæ ex Euangelio patet, non possunt subsistere. Ea natura est veræ interpretationis, ut per se ipsam satisfaciat, & aliam omnem alienam demonstret. Apostolus Paulus distinguit inter νόμον τὸν δυνάμενον ζωοποιῆσαι, *legem, quæ potest vivificare*, Galat. 3: 21. cujus ἐντολὴν dicit ἀγαθήν, Rom. 7: 12. & inter νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς;

κικῆς;

κικῆς, *legem præcepti carnalis*; cujus ἐντολῇ tribuit τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς, *infirmitatem & inutilitatem*. Hebr. 7:18. Ita Hoseas cap. 6:6. distinguit inter חֶסֶד ὁσιότητα, ἀγάπην, ἔλεον, σπουδήν, cum דַּעַת אֱלֹהִים *Dei agnitione*, & inter *sacrificia & holocausta*. illis quidem assignat חֵפֶץ εὐδοκίαν; hisce autem non: certè non illo modo. Ita Samuel 1 Sam. 15:22. 23. *Numquid est voluptas Dei in holocaustis & sacrificiis, ut in auscultando voci Domini? Ecce obedire præ sacrificio bonum est, auscultare præ adipe arietum.* Cum iis sententiis convenit non tantùm, quod est in Psalmo 51:18. 19. *Nam non delectaris sacrificio: alioqui darem. holocaustum non habes acceptum. Sacrificia Dei est spiritus fractus. cor confractum & contritum, ô Deus, non aspernaberis.* (cum quibus conjungit *sacrificia justitiæ* vers. 21.) sed etiam, quod respondit Christo Scriba apud Marcum cap. 12. vers. 33. *Amare Deum ex toto corde* &c. *pluris est omnibus holocaustis & sacrificiis.* cui Salvator dixit: *Prope abes à regno Dei.*

Locus Jerem. 7: 22. obiter adductus.

§. 15. Quum igitur notissimum sit, tantam esse differentiam inter præcepta & constitutiones Dei, quare per ea *præcepta, quæ qui facit, in iis vivit*, de quibus Ezechiel loquitur vers. 11. alia intelligemus præcepta, præter ea, quæ pertinent ad fidem in Deum & dilectionem Dei & proximi? Quæ necessitas est, sub illo genere intelligendi præcepta de sacrificiis & istiusmodi alia? Imprimis, quum etiam Ezechiel præceptum de Sabbato ab illis distinguat? Quo jure poterimus contendere vel admittere, præceptum de sacrificiis & purificationibus hoc habere elogium, quòd *vivat in eis, qui ea facit?* Quum Abraham vitæ hæres factus sit & ea non fecerit? Nonne evidens est, Ezechielem loqui de iis præceptis, quæ tum notificavit, quum & *Sabbatum* dedit: quum primùm deduxisset populum ex Ægypto in desertum? Sic enim ait: *Et eduxi eos ex Ægypto & deduxi eos in desertum. & dedi ipsis constitutiones meas, & judicia mea notificavi ipsis; quæ qui facit homo vivit in eis.* Notum est autem, quòd Deus non dederit populo Israëlitio, nisi decem verba, in quibus etiam Sabbatum continetur; & quod illa appellaverit fœdus suum. Imò Jerem. 7. vers. 22. *Non loquutus sum cum patribus vestris, neque præcepi ipsis, quum eos eduxi ex Ægypto, de holocausto & sacrificiis. sed hoc præcepi ipsis, dicendo: Auscultate voci meæ; & fiam vobis Deus, & vos fietis mihi populus:* h.e. credite huic meæ promissioni, & sic illa vobis eveniet: *& ite* vel *ibitis in omni VIA, quam præcipiam tibi, ut bene sit vobis.* An dicemus, holocausta & sacrificia pertinere ad eam *VIAM*, quæ felices facit, quæ ad justitiam deducit; quum Deus per os prophetæ ea à via distinguat? & clarum sit, in Decalogo nullum verbum de holocaustis & sacrificiis extare, &, quæ statim post decalogum pronunciatum de sacrificiis dicta sunt, non sint præcepta? Nonne ratio ipsa dictat, sacrificia non posse haberi præcepta ut causam vel conditionem justitiæ ac vitæ, sed tantùm vel ad tentandum & explorandum hominis obedientiam, vel ad accusandum peccatum, vel ad significandum aliud melius?

Locus Jer. 31: 32. obiter adductus.

§. 16. Quæ quum ita sint, quò referemus præcepta alia omnia, quæ postea per Mosen imposita sunt, quum Israëlitæ vitulum fecissent? numquid non ad בָּעַלָה *dominationem*, quam exercuit in ipsos heriliter potiùs quàm paternè tractans eos, ut servos, non ut filios? neque enim dubitant Rabbinorum quidam, quin בָּעַלְתִּי ibi significet גנאי aliquid sequius & gravius. An verò illis præceptis, quæ tam manifestè de rebus carnalibus loquuntur, tribuemus eadem elogia; quòd sint *bona*, hominibus jucunda, Deo εὐδοκία; quòd in iis sit vita; quòd constituant justos; quòd sint *VIA* justitiæ & vitæ?

§. 17. Quòd si id manifestè absurdum est, & Deus tamen ea dedit, quare non exaudiemus illa præcepta carnalia vers. 25. quæ non possunt dici *bona*, h. e. afferre חֵפֶץ εὐδοκίαν, vel esse ad *vitam*?

§. 18. Nam & illa possunt intelligi; & non possunt verba sic intelligi, ut Rabbini volunt. Loquitur Propheta de rebus actis in deserto. Nam vers. 28. demum dicit, *Et introduxi eos in terram.* Clarum est autem, Ezechielem loqui ordine & distinctè de iis, quæ acta in Ægypto, deinde in deserto, deinde in terra. Quamobrem non possunt intelligi præcepta gentium, imposita à regibus gentium, neque de idololatria neque de tributis. Nam in deserto non tradidit eos Deus in manum populorum. Neque possunt eadem præcepta intelligi, quæ vivificant. Nam sic contraria essent eorundem præceptorum elogia. Deinde aliud est dicere, præcepta, quæ sunt ad vitam, cessisse ipsis ad mortem: aliud, Dare præcepta, quæ non sunt ad vitam. Quòd si propter consequentem ex inobedientia mortem deberent appellari venenum & δηλητήριον, tum etiam, quum decem verba pronunciavit, dicendum fuerat, Deum dedisse ipsis præcepta, quæ venenum ipsis essent. Et revera viri ii, qui primò audiverunt decem verba in deserto, omnes morte affecti sunt. Hîc autem loquitur de filiis eorum, quos cum præceptis illis non bonis nec ad vitam facientibus introduxit in terram, & quibus eam hæreditandam distribuit; quosque non interfecit. *Exsecrationes* verò vocare *constitutiones non bonas & in quibus non vivitur*, quam ineptum est! Non enim sunt *constitutiones.* Deinde & illæ *ad vitam* dantur, nempe ut homo eas metuat & effugiat.

Locus Deut. 30: 19.

§. 19. Hic commodum erit considerare verba Mosis Deut. 30. vers. 19. *Contestor in vos hodie cælum & terram: Vitam & mortem posui coram te, benedictionem & maledictionem: & eliges vitam, ut vivas tu & semen tuum.* Si nihil aliud voluit Moses, quàm hoc, à præceptis illis omnibus pendere vitam aut mortem, si illa quis fecerit aut non fecerit; nonne poterat ita loqui, ut Deut. 32:47. *Nam non est hoc verbum inane præ vobis; sed id est vita vestra?* quod etiam dicit cap. 30:20. An nihil aliud sibi vult tantus verborum apparatus? Nonne potiùs hoc dicit Moses; Debere accuratè distingui illa, quæ ipse locutus sit: Esse à se propositam non tantùm vitam, quæ parata est à Deo hæreditas; sed ex altera etiam parte mortem; in quâ omnis homo jacet. indicatum esse à se verbum benedictionis; & rursus verbum, ex quo nulla benedictio sed tantùm maledictio peccatoris potest provenire. Eligendam igitur esse vitam, ut ex benedictione pendentem; non verò quærendam eam ex verbo, quod maledicit peccatori, aut maledictionem commemorat. idque ut diligant Deum benedicentem, ipsiusque *voci auscultent*, & ei *adhærescant:* quippe quum hæc *vita ipsorum sit.* Cui non paruisse aliquos, testatur Psalm. 109: 17. *Et dilexit maledictionem, & evenit ei: & non delectatus fuit benedictione, & elongata est ab ipso.* Hoc faciunt, qui, quum peccatores sint, volunt justificari ex illis, quæ propter peccatum &, ut maledictionis aliquem sensum præberent, imposita sunt.

Locus Deut. 29: 19.

§. 20. Quod diximus de discrimine præceptorum, id præterea confirmatur à Mose Deut. 29: 19. Ibi enim stipulatur duo ab Israëlitis sui & futuri temporis. I. *Ne sit inter ipsos vir aut mulier aut familia aut tribus, cujus cor spectet à Domino Deo ipsorum, ut abeat & colat Deos gentium.* vers. 18. II. *Ne sit in ipsis radix fructificans veneno atque absinthio. quò fiat, ut, quum audierit vocem adjurationis hujus, sibi benedicat in corde suo, dicendo, Pax mihi erit, quum in firmitudine cordis mei ambulabo, ad addendam Satiatam Sitienti.* Non est operæ pretium convectare varias Rabbinorum interpretationes; quum non possit esse obscurus sensus hujus dicti. Fœdus pangit Deus cum Israëlitis, quod ipsis futurus esset in Deum, & ipsius populus esse debeant. Tum prohibet spectare ad Deos alios & eos, qui alios Deos colunt. Nec tantùm, sed etiam postulat, ut rectam habeant de se, *Deo suo*, fidem; neque cogitent de se aliena & se indigna. quæ cogitatio aut sententia possit in ipsis germinare & fruticare noxiis dogmatis, sermonibus, judiciis injustis, & defectione à Deo suo. Si nempe *audientes adjurationem* fœderis *sibi benedicant* & benedictionem h. e. promissionem justitiæ & vitæ sibi vendicent: *dicentes* ac judicantes, *Sibi pacem fore* cum Deo & iram ejus metuendam non fore, neque ullum malum, quum id cogitaverint, quod ex *corde* ipsorum provenerit, quod, ut omnium hominum cor, est *durum* & ἀνίατον; id autem, quod Deus in verbo suo docuit & revelavit, non cogitaverint. Quod si faciant, futurum sit, ut *Satiatam adjungant Sitienti*, h.e. Satiatos (solet fœmininum singulare significare multitudinem. Vide Mich. 4. vers. 6. 7. Zoph. 3: 19.) redigere in statum & conditionem Sitientium conentur. Quo dicto docet veram & salutarem cogitationem: nempe esse tempus *Sitis* præcedens, & *Satietatis* imposterum sequens. Igitur, quod dixerat, se ipsis fore in Deum, id, quoad complementum, esse exspectandum & desiderandum; nempe ut ipsis fiat sanctificator, hoc est, ipsorum justitia fiat & ipsorum rex solus & denique in gloriam omnes, devicto omni carne & vi peccati, ipsa adeò morte, assumat. non autem esse acquiescendum in præsentibus, quasi jam justitiam, hoc est, causam juris vitæ æternæ & absolutionem conscientiæ ac plenissimam circumcisionem cordis in eo statu, in quo per legem Mosis collocati erant, obtinerent. Item, Satietatem aliquando datum iri populo Dei, ut Salutem Dei videant, & eam annunciari audiant, ut que tum nullam ampliùs causam justitiæ desiderent. De qua satietate loquitur & Jeremias pœnè iisdem phrasibus caput 31: 23. 24. 25. 26. *Sic dixit Jehovah Deus exercituum Deus Israëlis: Adhuc dicent verbum hoc in terra Juda & in oppidis ejus, quum reduxero captivitatem illorum*, hoc est, jacturas resarcivero: *Benedicat tibi Jehovah, Habitaculum JUSTITIÆ, mons sanctitatis. & habitabunt in ea, Juda & omnia oppida ejus pariter, agricolæ, & proficiscentur cum grege: quum irrigavero animam vertigine laborantem, & omnem animam languentem implevero. Propter hoc evigilavi & vidi & somnus meus suavis exstitit mihi:* Porrò indicat Moses, aliam conditionem esse Sitientis, aliam Satiati. quæ sit diligenter distinguenda. neque enim conditionem Sitientis convenire Satiato. Hæc si cogitarent, ipsi quoque satietatis participes futuri erant. Sin alia omnia cogitarent, futurum erat, ut Satiatis imponerent ea, quæ erant Sitientium, h. e. ad servitutem umbrarum & figurarum compellerent auditores Euangelii (de quo Es. 52: 7. quod certè Satiato-

tiatorum est, vel ad Satiandum) non aliter atque si earum rerum usus ad justitiam pertineret; & ipsi contra Euangelium in carne gloriarentur. Quod si facerent, negat, Deum id condonaturum. ut & Paulus Hebr. 10: 19.——31. Nam Deum illos separaturum ab omnibus tribubus Israelis. τῶν σωζομένων, & in ipsa TERRA maximis malis affecturum, Gentibus autem aperturum oculos, ut & de eis rebus & de ipsorum judicio rectè statuant. Quæ tam manifesta sunt, ut negari non possint.

§. 21. Quum igitur talis stipulatio existet, & post hæc mox dicatur, Circumcisurum esse Deum corda illorum, & ipsos in Constitutionibus Dei ambulaturos, qua fronte possunt Constitutiones illæ, in quibus Cor Circumcisum & sic Satietatem habentes ambulaturi erant, intelligi constitutiones de ritibus: quum illa constitutio de non gravandis Satiatis imprimis debeat intelligi?

Iterum de loco Ezech. 20: 25. 26.

§. 22. Sed nunc redeundum est ad locum Ezechielis cap. 20: 25. Quis negabit, hoc esse non bonum & non vivificare, quod est Sitientium, & gravamen affert, & tantùm sitim acuit, satietatem verò non præbet?

§. 23. Quòd verò vers. 26. dicit Deus: *Et impuravi ipsos sive pollutos declaravi cum donis suis, quum traducerent omne aperiens vulvam:* id tam manifestum est, dici de ipso facto Dei, ut nihil possit esse manifestius. Rabbini intelligunt traductionem filiorum per ignem in honorem Molech. De ea re loquitur demum vers. 31. & non ita loquitur, ut hic. *Et quum fertis dona vestra, dum facitis transire filios vestros per ignem, vos contaminatis.* Id significat ab ipsis factum, quum in terram introducti essent; ubi & in celsis sacrificabant. Deinde non dicit, quòd ipsos impuret; sed quod se ipsi contaminent. Neque dicit *Transire facere*, sed *per ignem transire facere:* neque *omne primogenitum*, sed *filios vestros*. Id verò, de quo agit vers. 26. in deserto factum est, & factum est à Deo, & eo fine factum est, ut ad stuporem adigerentur & cognoscerent, quòd ipse sit Jehovah. Non potest verè dici, quòd omnes suos primogenitos transire fecerint per ignem in deserto, illi, qui in terram promissam intrarunt. Sed hoc verum est, quòd Deus illos *concluserit sub peccato* & reatu, &, quum antea omnibus dedisset licentiam accedendi ad altare, (vide Exod. 20: 23. 24. 25. 24: 5.) & jam in Ægypto jussisset *traduci sibi omne primogenitum*, (Exod. 13: 12.) deinde eo tempore, quum traducerentur primogeniti, & totum Israëlem & primogenitos ipsos repudiaverit, & loco ipsorum Levitas acceperit partim sacerdotes partim ministros tabernaculi; cæteros autem omnes, pœna mortis addita, tanquam impuros, ab altari suo (quod tantùm unum esse voluit) abegerit. Quæ occasio fuit seditionis Corachi. Vide Num. 3: 9. 10. 40. 41. 45. 8: 16.

§. 24. Quis igitur adeò stupidus est, ut non intelligat, ea, quæ arguunt Israëlem impuritatis & injustitiæ, locum non habere ampliùs, quando *Sitis* fidelium *impleta*, & *justitia adducta*, & *aqua pura in ipsos sparsa*, *cor* novo modo & ad novam lætitiam, novumque adeò amorem Dei *circumcisum*, & *Euangelium salutis & pacis & boni fuerit annunciatum?* Non sunt hæc nostra verba, sed Mosis & Prophetarum à Deo ipso dictata. quæ non alium commodum sensum habere possunt: hunc autem sensum & ingerunt & tuentur.

Lex Christi, Es. 42: 4. gentibus non injungit cerimonias.

§. 25. Christus est locuturus ad gentes, & gentes ad legem seu doctrinam ejus sperabunt. Es. 42: 4. Hoc quum indubitatum sit, quærendum est, quale verbum locuturus sit ad gentes; h. e. an ipsis sit imperaturus legem Mosis, legem, inquam, de ritibus? quæ propriè ad ministerium Mosis spectat; quæque ad *Promissionem*, quam audiverant Patres, addita est. Dico, id fieri non posse. 1. Quia Promissio dicit, quòd *gentes* sint *BENEDICENDÆ in Abrahamo & Semine ejus.* eo certè imprimis semine, ad cujus Legem sperabunt. Ergo non minor erit earum *benedictio*, quàm Abrahami: qui credidit Deo & reputatum est ei ad justitiam. & eam benedictionem id Semen, cui datum est loqui ad gentes, eis promulgabit. Ergo non subjicientur Legi, quæ κατάραν & maledictionem quodammodo etiam imponit iis, qui æquè ut Abraham credebant in Deum, dum illos sub maledictione adstringit ad eos ritus; quos obeant, tanquam ad propitiationem peccati: & omnem suspensum ex ligno (quamvis justum) dicit maledictionem Dei; &, quemadmodum Ezechiel dicit, omnes Israëlitas impuros declarat cum donis suis. Nam ea non sunt benedictionis: sed indicant עבר *iram:* ut loquitur Esai. 10: 25. & Dan. 8: 19. & קצף Es. 54: 8. 2. Quia erit *in lucem gentium.* Es. 49: 6. & ad ipsas mittet, qui annunciet Euangelium de bono, de justitia, salute. Esai. 52: 7. Psal. 49: 11. 3. Quia loquetur *pacem ad gentes.* Zach. 9: 10. Ergo non loquetur verbum, quo dicatur Israëlitis de ullis gentibus, *Non quæretis pacem earum & bonum earum.* Deut. 23: 6. Esr. 9: 12. quoque Deus seclusit gentes à populo suo. Es. 56: 3. 4. Quia hoc esset addere ad verbum Dei. Nam nullibi dixit Deus, quòd gentes sint vocandæ ad eadem statuta, ut, non contentæ credidisse Deo cum fideli Abraham, justitiæ causa ea faciant. 5. Quia gentes dandæ erant Israëli filiæ non ex fœdere ipsorum. Ezech. 16: 61.

Neque Israëli.

§. 26. Dices fortasse, Gentibus non loquetur talia; nisi unum fortasse præceptum Tabernaculorum, Zach. 14. sed tamen Israël in iisdem omninò institutis ambulabit, Christo præcipiente. Resp. Id impossibile esse. 1. Quia *gentes ad legem ejus sperabunt.* Ergo non aliam habebit legem pro Israëlitis, aliam pro gentibus. 2. Quia *loquetur ad gentes pacem;* sine dubio cum Israëlitis habendam. Sed, si diversis institutis regerentur, non esset pax. Nam à semet invicem dividerentur. Nam vel unà comedere non possent. Atque ita cogerentur gentes Judaizare. 3. Quia prædicaturus est libertatem & dimissionem ex carcere. Esai. 61: 1. Zach. 9: 11. utique illis, qui in divisione conclusi erant, & in custodiam compacti, nempe Judæis. 4. Quia *versurus* erat Dominus *ad gentes labium clarum vel selectum, ut serviant ipsi HUMERO UNO.* Zoph. 3: 9. 5. Quia abdicaturus ejus pastores & principes, ne ampliùs sint pastores. Ezech. 34: 10. Psalm. 82: 6. 7. Zach. 11: 8. & nominatim sacerdotes, Malach. 2. vers. 12. ipse autem futurus erat omnium unus pastor. Ezech. 34: 23. 24. & principatus in humeros ipsius erat devolvendus. Esai. 9: 5. ipsique, non legislatoribus, erat destinata obedientia populorum. Genes. 49: 10. 6. Quia propheta vitam & salutem attribuit omni credenti, & quidem in ipsum Proclamatorem post Visionem, & nomen Jehovæ nuncupanti. Hab. 2: 4. Es. 28: 16. Joel. 2: 32. vel 3: 5. non addità ullà conditione justitiæ & salutis alià. 7. Quia abrogatio sacrificiorum ac munerum disertis testimoniis est prædicta. Dan. 9: 27. *Faciet cessare sacrificium & munus.* Esai. 66: 1. 2. 5. *Sic ait Jehovah: Cælum thronus meus, & terra scabellum pedum meorum. Quæ est domus, quam ædificaretis mihi? & quis locus*, qui sit *requies mea? Atqui omnia hæc fecit manus mea, & exstiterunt omnia hæc; ait Jehovah: & ad eum respicio; ad inopem & contritum spiritu, & trepidantem propter verbum meum. Qui mactat taurum, percutit virum: sacrificans agnum, decervicat canem: qui offert munus, sanguinem porci: qui adolet thus, benedicit Vanitati. Etiam illi elegerunt vias suas* &c. Additio ad Michlol Jophi duplicem affert contorsionem hujus loci. Unam Abarbenelis. *Qui offert taurum* furto sublatum, & postea *occidit virum*, ne repetat eum ab ipso; item, *qui mactat agnum* de grege & postea occidit *canem* custodem: item, *qui offert munus* unus alteri ex *sanguine porci*, quasi ea res esset admodum laudata: is *adolet thus* in idolio & *benedicit idolo*, idque invocat. Altera est Samuelis Laniado. Increpari Israëlitas, qui sibi faciant statuta discrepantia à lege Domini. nempe ut, *qui occidit virum, mactet taurum* in oblationem; & ut, *qui canem decervicavit*, offerat *agnum*, &, qui ederit *sanguinem porci*, *munus offerat*, & *adoleat thus* ad propitiationem ejus, qui *benedixerit idolo* & Deum blasphemaverit. Hæc afferre est illorum, qui irrident verbum Dei & perfricuerunt frontem & erubescere non possunt. Qui tamen, quum tam diversa afferant, se invicem damnant. Non certè sunt illa digna consideratione & responsione. Manifestum est, de qua re Propheta agat. nempe de eo errore & flagitio, quod fuit causa eversionis templi & urbis; quòd Deum putarent habitare in templis manu factis, & delectari sacrificiis & oblationibus; aut certè, illa semper sibi offerenda esse, & eam rem esse justitiam suam; & ad gloriam Dei pertinere, quòd ipsi domum talem haberent, & talia sacrificia offerrent. Hunc sensum aliis verbis non potuit Propheta exprimere: & prædicatio nominis Dei in Euangelio, & prophetiæ Novi Testamenti rebus ipsis completæ faciunt, ut de ea veritate dubitare non possimus. 8. Quia sacrificium, quod Deo placet, offertur etiam à Gentibus in omni loco. Malach. 1: 11. & ex gentibus sumuntur sacerdotes & Levitæ. Esai. 66: 19. 20. 21. *Et indicabunt gloriam meam in gentibus: & adducent* gentes *fratres vestros ex omnibus gentibus munus Jehovæ, in equis* &c. *ad montem sanctum meum Hierosolymam, dixit Jehovah: quemadmodum afferebant filii Israëlis munus in vase puro ad domum Jehovæ. atque etiam ex illis accipiam sacerdotes & Levitas.* Si id referas ad *fratres*, res eodem redit. Ostenditur enim, capiendos esse sacerdotes & Levitas ex iis, qui non sunt sacerdotes ac Levitæ. nempe *fratribus adductis ex omnibus gentibus.* Hoc non potest fieri, vigente lege rituali, qua soli Aharoni & Levitis sacerdotium & ministerium datum est. R. Solomoh Jarchi. *Capiam ex gentibus adducentibus & ex adductis sacerdotes & Levitas, quippe illis permistos. Inde ipsos eligam.* Ita veteres. Sed falsant textum. Non dicit, Ex gentibus eligam sacerdotes & Levitas, sed ex gentibus & fratribus vestris capiam, qui sint sacerdotes & Levitæ. & ita R. Abraham. R. David Kimchi narrat, patrem suum sic exposuisse. *Atque etiam ex illis capiam sacerdotibus & Levitis, in ministerium, ut sint ipsis cæsores lignorum.* Ut cæci parietem palpant, ita hi in manifesta veritate offendunt, exitum nescientes. Qui si non supponerent, sacerdotium Aharonicum semper duraturum, in tales angustias non compingerentur. Cujus enim est audaciæ, addendo verba de suo efficere, ut contrarium sonent verba ejus, quod verba per se propriè, non additis tuis verbis, significant? & eum sensum affingere, quem verba sola non possunt significare; quemque nemo

mo prudens non mallet aliis verbis esse expressum? 9. Quia prophetia extat de sacerdotio secundùm ordinem Melchisedec, eoque *ἀπαραβάτῳ*, quod cum juramento datur, cum exclusione omnis sacerdotis Psalm. 110:4. de quo sacerdotio & Zach. 6. vers. 13. & Jerem. 30:21. *Et existet princeps ejus ex ipso dominator ejus ex medio ejus exibit; & eum faciam accedere ad me, & accedet ad me. Nam quis est, qui in fidem suam receperit cor suum, ut accederet ad me?* quis potest pro peccato sacrificium Deo offerre? 10. Quia erat prædicanda *quies*. Es. 28:12. quam & repudiaturi erant. 11. Quia cum Israële facturus erat *novum Testamentum*. in quo continetur & hoc, quòd *peccatorum eorum non esset recordaturus amplius*. Jer. 31:34. Atqui sub lege quotidie & quotannis fiebat commemoratio peccati per instaurationem eorundem sacrificiorum. Ubi non est recordatio peccati, ibi nec commemoratio peccati: Ergo nec oblatio pro peccato. 12. Quia promiserat ipsis, eos futuros sibi *regnum sacerdotum*, h. e. populum constantem sacerdotibus. Sacerdotum autem est accedere ad Deum. Atqui per legem prohibiti sunt accedere ad ipsam domum manu factam & altare terrestre: &, ut jam demonstratum est, *impuros eos declaravit cum donis suis*. Cum quo facit, quod Daniel prophetat cap. 9:24. *unctum iri intra septuaginta septimanas sanctum sanctorum*. quod non potest intelligi de materiali templo. Nam id destruendum dicit vers. 26. Intelligendum est autem de Ecclesia, quæ Dei domus est: quæ effuso spiritu sancto ungenda erat, ut accederet ad Deum quasi intra velum (quod ruptum est in carne Christi) & in ipsum coelum; in quod Christus prodromus pro nobis intravit sedens ad dexteram Dei. Psalm. 110:1. & in throno ejus. Zach. 6:13. Unde & Zacharias cap. 14:20.21. titulum sacerdotis summi *Sanctum Domino* dicit futurum in tintinnabulis equorum, & omnes ollas Hierosolymis sanctas Deo fore. 13. Quia promissum est, fore eos ampliùs quàm *populum*, nempe *filios*. Hos. 1:10. vel 2:1. Quod significat, eos majori libertate & majori claritate usuros esse, quàm antea. Non potest autem filiorum status esse servilis. Ideò & pædagogiam tollit Jerem. 31:34. *Non dicet amplius Vir fratri aut socio suo, cognosce Jehovam. quia cognoscent me de minimo ipsorum ad maximum ipsorum*. Quia Dominum cognoscent, non opus habebunt præceptoribus, quasi qui clavim cognitionis acceperint, neque umbris præfigurantibus. Nam ex illo dicto satis clarè licet æstimare, id omne cessaturum, quod, Jehovah necdum in gloria sua revelato, ipsis utile erat ad pædagogiam, & hoc fine per homines imponebatur. Et huc facit, quòd promittitur, *omnes filios Israelis fore discipulos Jehovæ*. Es. 54:13. quod rursus aliquid nobilius significat, quàm in Veteri Testamento fuerat: nempe quòd tantùm verbis Dei erudiendi sint, eisque claris & in re ipsa testimonium habentibus, & palam expositis: non autem per homines, ut traditionem habentes, & per figuras, parabolas & ænigmata amplius erudiendi.

Locus Zach. 14:16. *de festo tabernaculorum.*

§. 27. Quare, quod de festo Tabernaculorum legitur Zach. 14:16. id non de ritu externo, sed de mysterio significato accipiendum est. Et, si de ritu externo secundum legem accipiendum esset, quare non de aliis festis similiter loqueretur? Ita & de novilunio & Sabbato loquitur Es. 56.58.66.

Locus Deut. 11:1.

§. 28. Locus Deut. 11:1. vel intelligendus est de constitutionibus & judiciis, quæ qui facit in eis vivit; & amorem Dei explicant; quæ Deus sola notificavit Israëli ab initio: Ezech. 20:11. vel, si comprehendit præcepta de ritibus, tum etiam comprehendet præceptum de non imponenda servitute liberatis & conditione *sitientium satiatis, & requie fessis danda*, & de veritate non de externo opere accipiendus est. Nam, qui in veritate faciunt, quod faciebant Israëlitæ in figura, in carne, in litera, ii constitutiones Dei observant. Qui accedunt ad Christum, accedunt ad altare Dei. Qui circumcidunt corda, non sunt incircumcisi carne. Nam illorum corpus aqua pura mundatum est.

Locus Ezech. 44:9. *comparatur cum Philip.* 3:3. *Hebr.* 10:22.23.

§. 29. Quod quum dico ex Apostolo Philip. cap 3:3. Hebr. 10:22.23. respicio ad locum Ezech. 44:9. *Omnis peregrinus præputiatus corde & præputiatus carne non intrabit in sanctuarium meum*. Quis enim non videt, hoc non posse sic impleri, si ad eum modum agatur, quemadmodum actum est in Templo Solomonis? Nam in id intrarunt Israëlitæ præputiati corde, &, quamvis circumcisi carne, tamen etiam corpore impuri. Nam quid prodest circumcisio carnis ei, qui est præputiatus corde? Sed is est circumcisus corde & corpore, qui in spiritu servit Deo & non gloriatur in carne, & à carnali servitute liberatus est à Domino. Quemadmodum verè Christiani; qui serviunt Deo in fide cordis & charitate: in carnalibus autem rebus neque serviunt neque gloriantur: qui sigillum liberationis habent circumcisionem Christi capitis sui (nam circumcisio capitis est circumcisio membrorum) & baptismum datum ab eo, cui data est potestas in cœlo & in terra.

CAPUT IX.

De modis obtinendæ remissionis peccatorum.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Judæi hoc tempore remissionem peccatorum consequuntur, sine quo salvi esse non possunt? Modi quibus remissio peccatorum obtinetur sunt isti quos lex & prophetæ multis in locis nobis indicant, quorum duos speciatim proponemus. Primum dicit Esaias. Improbus viam suam deseret & vir injustitiarum cogitationes suas, & convertent se ad dominum, & Deus noster miserebitur ejus & peccata remittet illi. *Similiter propheta Ezechiel cap.* 18:20. Si convertit se homo malus ab omnibus peccatis quæ fecit, & servat omnia mea præcepta faciens judicium ac justitiam, vivendo vivet & non morietur. Omnium malitiarum ejus quæ fecit non recordabor: in justitia quam fecit vivet. An voluntas mea est mors impiorum dicit Dominus, ac non potius convertatur à viis suis & vivat? *Atque hæc propitiatio multò erit facilior, addita vi & peculiari privilegio quod Deus concessit diei expiationis; quemadmodum ait in Levitico cap.* 16:29.30. Et hoc erit vobis in sempiternum: septimo mense decima die mensis affligetis animas vestras, nec opus ullum facietis sive indigena sive advena qui peregrinatur inter vos. Hoc die expiatio & purificatio vestri erit, ab omnibus peccatis vestris coram domino purificati eritis. *Et quamvis jam nulla sint sacrificia, quæ media erant ad tanto facilius impetrandam remissionem peccatorum, eadem tamen per pœnitentiam ac resipiscentiam declinando à viis malis impetratur: juxta dictum Psalmistæ: Psalm.* 51. Contritus spiritus Deo est sacrificium: ac confractum] & humiliatum animum tu ô Deus non despicies: *idque ideo quia hodie victimas offerre non possumus destituti mediis ad hoc necessariis, quæ quando obtinebimus, tum remissio illa tanto facilior reddetur. Idcirco eundem Psalmum concludit his verbis:* domine benefac Sioni in beneplacito, & ædificentur muri Jerusalem, tum accipies sacrificium justitiæ, victimam & holocausta, tum altari non imponent vitulos.

Opinio Judaica de remissione peccatorum.

§. 1. Responsor hîc indicat, quam spem habeant Judæi de remissione peccatorum. Primò eam collocat in eo, ut convertantur à peccatis suis. Secundò sperat, eam faciliorem futuram olim per diem Propitiationis & sacrificia.

§. 2. Nostrum erit, eos docere, quòd à justitia Dei & à remissione peccatorum suorum aberrent.

Justitia peccatoris non consistit in factis.

§. 3. Idque ita ipsis patere potest, si considerent, quòd justitia hominis peccatoris non consistat in factis, h. e. in omittendis malis operibus, & faciendis bonis. Id ex eo constat, quia talis pœnitentia aut conversio non potest auferre reatum & maledictionem; licèt sit perfectissima. Quod tamen impossibile est. Deinde, quia talis conversio est imperfecta, neque unquam potest esse impletio legis, quàm qui facit, in ea vivit. Atqui is, cui remittuntur peccata, *justus* est. Quod inde patet, quia beatus est, Psalmo 32. vers. 1. 2. & *justus* appellatur, ibid. vers. 11. atque ita remissio peccatorum fit cum *imputatione justitiæ* sive *justificatione*. Genes. 15. vers. 6. Esai. 45. vers. 25. Atqui imperfecta facta non possunt esse hominis justitia.

§. 4. Item: quia cum illa opinione homo non potest amare Deum. Non enim potest Deo gratias agere cum Davide Psal. 103: 1. 2. 3. 4. *Benedic, anima mea, Jehova, & omnia, quæ intra me sunt, nomen sanctum ejus. benedic, anima mea, Jehova, & ne obliviscaris omnium beneficiorum ejus. Qui condonat omnia peccata tua, & sanat omnes morbos tuos. Qui asserit ex fovea vitam tuam; qui te coronat gratia & misericordia.* Semper enim, cui necesse est habere facta, ut sint ipsius justitia, anxius erit, & aversus à Deo, facta, quæ non potest præstare, exigente.

§. 5. Præterea Scriptura ostendit, fidem justificare ad vitam. Hab. 2: 4. & sic Abrahamus justificatus est. Gen. 15: 6. Ita Ps. 32: 10. *qui confidit Jehova, eum circumdabit gratia.* Et is mox vers. 11. *justus* appellatur. Ergo non justificantur peccatores ex tali sententia: *Qui fecerit illa, vivet IN EIS*, virtute scil. & (ut solent Hebræi dicere) בִּזְכוּת מַעֲשָׂיו *merito suorum operum.*

Differentia inter justificationem ex operibus & fidei imputationem ad justitiam.

§. 6. Necesse est hîc cum Apostolo Rom. 4: 4. 5. ostendere differentiam inter justificationem ex operibus & fidei imputationem ad justitiam. *Operanti*, inquit, *merces non imputatur ex gratia, sed secundùm debitum. Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat injustum* & damnatum, *fides sua imputatur ad justitiam.* Qui credit, sibi esse hæc & illa facienda, alia item omittenda, ut justus sit, ut Deo placeat & vitam petendi atque exspectandi jus obtineat, is per fidem non justificatur. Nisi enim illa fecerit, non erit justus. atque ita tum demum, quum ad extremum vitæ halitum ea fecerit, justum se statuere potest. Si etiam tunc potest. Antea verò de remissione peccatorum & justificatione gratias agere non potest. Ideò per illam fidem non est justus. Sed ea est fides debiti: & fides condemnationis; si talia non, ut oportet, fecerit.

§. 7. Sed datur fides, quæ imputatur in justitiam. Quid igitur necesse est credere eum, cui fides sua imputatur in justitiam, ut justus sive jus vitam exspectandi habens censeatur & sit? Omnino necesse est, eum credere, 1. quòd ipse injustus sit, & ex operibus suis justificari non possit. ut confitetur David Psalm. 143: 2. *Nam non justus erit coram te ullus vivens.* 2. Quòd Deus *justificet injustum*, sive ei jus petendi vitam donet. Quemadmodum dicitur Esai. 54: 17. *Omnem linguam, quæ in te surget ad judicium, condemnabis. Hæc est Hæreditas servorum Dei, & JUSTITIA EORUM A ME.* non igitur in ipsorum factis id situm, sed est Dei donum. Atque inde dicitur Jer. 23: 6. *Jehovah justitia nostra.* & Esa. 45: 25. *In Jehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.*

Judæi non vere resipiscunt.

§. 8. Quid igitur? An negamus resipiscentibus remitti peccata? Nequaquam. Sed quærimus; quæ vera resipiscentia sit, & quomodo resipiscentia impetret remissionem peccatorum & justitiam?

§. 9. Neque enim veram dicimus esse resipiscentiam talem, qualis illa est, in qua gloriatur Pharisæus Luc. 18: 11. 12. *Deus, gratias tibi ago, quòd non sum, ut reliqui hominum, raptores, injusti, adulteri; aut etiam ut hic publicanus. Jejuno bis hebdomade; decimas do de omnibus, quæ habeo.* Talis est resipiscentia Judaica, quæ optima est. Eam negamus esse veram resipiscentiam. Talis enim resipiscens confidit sibi, non Deo; & suas cogitationes ac suam viam non relinquit; neque amplius habet, quàm quod aliquis gentilis habere possit: Deo verò, tanquam sua ista opera pro justitia acceptanti, injuriam facit. atque ita nec justitiam nec judicium operatur; sed *in consilio improbi* & injusti sub damnatione jacentis *ambulat*. Psal. 1: 1.

Quia non habent fidem in Christum. Locus Es. 55: 7.

§. 10. Id imprimis apertum est ex locis, quos Responsor citat. Primus sumtus est ex Es. 55: 7. Is locus tam clarè indicat, fidem in Christum filium Davidis esse primum in resipiscentia, & sine illa nec resipiscentiam esse: ut videatur Responsor, qui eum locum citavit, nihil pensi habuisse, sed stuporem suum apertè prodat.

§. 11. *Sitientem* invitat Deus vers. 1. numquid *sitientem* aquæ; an sitientem remissionis peccatorum ac justitiæ? quam promittit vers. 7. Invitat autem eos, qui *non habent argentum.* An igitur, qui divites sunt in mundo, ut Abraham, excluduntur à justitia; vel eam comparant pecuniis? Non; sed intelligitur is, qui nec habet opera, quæ possint esse meritum, nec ea se habere putat. Proponit *lac & vinum*: cibum & potum saluberrimum, non tantùm ad vitam, sed & ad lætitiam. Invitat ad *emendum*, nempe ut omnem aliam fiduciam abjiciant; & tamen sine *precio*, ut gratis accipiant.

§. 12. Vers. 2. demonstrat, frustra impendium omne esse, non pro pane, non ad satietatem. Quod quum dicit, tantundem est, atque si diceret: Quæ vos facitis, omnis labor vester, omnia impendia vestra non possunt vobis conciliare panem vitæ & satietatem; ut non desideretis aliud animæ solatium & aliam justitiæ causam. Tum postulat fidem erga se & promissionem suam. *Audite me & comedite bonum: & deliciabitur in pinguedine anima vestra.* Accipite à me cibum satiantem. Eum recipite, & comedite. h.e. facite, ut is in vobis sit. Qui si in vobis erit, anima vestra erit satura & opimitate plena, ita ut nunquam sitim ac famem experiatur ampliùs. Hactenus parabola. Nunc parabolam per rem ipsam explicat vers. 3. 4. 5. Fidem solam verbi boni postulat, & cum ea vitam animæ conjungit. *Inclinate aurem vestram & venite ad me: audite: & vivet anima vestra.* q. d. Habeo verbum bonum; cui si velitis auscultare, anima vestra sanabitur, imò reviviscet ad vitam immortalem, *& pangam vobiscum fœdus perpetuum*, nempe *gratias Davidis perpetuas*, permanentes. h. e. addicam vobis gratiam meam & studia mea ad bonum vestrûm, sine ulla variatione & pœnitentia: quæ Davidi & semini ejus addixi.

§. 13. Quid igitur? an ad amorem Dei & conversionem ad ipsum non pertinet, hæc bona verba audire, & ea credere; nempe, quòd daturus sit accedenti ad se gratias Davidis perpetuas? Et, si hoc credi Deus postulat, non dat igitur eas credenti in se? Et, si dat, non per fidem justificat? & quidem fidem promissionis, quòd filio Davidis dederit regnum perpetuum?

§. 14. Nam quis est, de quo loquitur vers. 4. *Ecce, testem nationibus dedi eum; principem & præceptorem nationibus?* Quis, inquam, is est, nisi filius Davidis? & quidem datus duodecim tribubus Israëlis *testis* veritatis, testis justitiæ, testis gratiæ Dei: *princeps*, cui omnes subjiciantur; *præceptor*, cujus legi pareant. Quem dedit tribubus (quæ sunt *nationes* quædam & *gentibus* peregrinis contradistinguuntur) tum eas tribus non subjecit aliis *præceptoribus, patribus, principibus, diis:* sed & *reges terræ, principes, judices* subjecit ipsi. Psalm. 2: 6. 8. 10. 12.

§. 15. Eidem & regnum in gentes promittitur, & eis, qui crediderint in ipsum. Vers. 5. *Ecce gentem*, quam *non cognosces, vocabis*, nempe per prædicationem Euangelii ad obedientiam ejus, quem dedi *testem, principem & præceptorem nationibus: & gens* eorum, qui *te non cognoverant, ad te accurrent; propter Jehovam Deum tuum, & ad sanctum Israëlis*, sanctum, qui est in Israël, *quum ornaverit te.*

§. 16. Hinc igitur sequitur vers. 6. adhortatio & admonitio ad non accedentes. *Quærite* sive *curate Jehovam, dum præsto est; vocate eum, dum propinquus est.* Hactenus à vobis non recessit: hactenus invitat vos ad fœdus hoc accipiendum, ut participes fiatis gratiæ Davidis fidelis ac permanentis.

§. 17. Et quibus, quæso, propinquus est, nisi Israëli, cui pollicetur, gentes accursuras ad ipsum? Quis igitur contumax est, nisi Israël? Cui interminatur discessum & derelictionem, nisi Israëli? Nam & Abarbenel in *Masmia Jeschuáh* cogitur fateri, verba proxima dicta esse כנגד האומה h.e. ad gentem Israëliticam. Ad eam pertinent sequentia vers. 7. *Relinquat* רָשָׁע *damnabilis viam suam.* Quam viam? nisi omnem aliam viam, quæ non est via à Deo demonstrata: nempe, ut, qui sub damnatione est propter peccatum, accedat ad se, ut cum eo pangat fœdus perpetuum, studia Davidis permanentia, ut vivat anima ejus. Sunt improbi & damnati, qui non habent consilium, sed temere agunt omnia & sceleratè. Non hos solos vocat ad pœnitentiam. Sunt, qui *consilium* (Psal. 1: 1.) habent de justitia, & *viam* sibi deligunt. Quod tamen faciunt in *firmitudine cordis.* Deuter. 29: 19. Eos quoque jubet recedere *à via sua & cogitationibus suis.* Nam (vers. 8. 9.) *ipsorum vias à viis & cogitationibus Dei infinito intervallo discrepare. Nam* (vers. 10.) *ut imber & nix non in vacuum emittuntur, ita* (vers. 11.) *verbum suum non in vacuum exiturum, sed effecturum id, ad quod Deus id miserit.*

Quia falso gloriantur in lege.

§. 18. Scio, mihi dicturos Judæos, se Legem Dei habere. Quem-

Quemadmodum etiam Jeremias cap. 8: 8. dicit, illos jactare, *quòd sapientes sint & Lex Dei cum ipsis sit.* Sed, si vel paulum attendant, invenient, se à consiliis Dei longissimè abesse. Nam negari non potest, Deum cum Israële velle pangere fœdus perpetuum, gratias Davidis æternas, & Davidem (sive semen ejus) datum esse testem, principem ac præceptorem. Deinde, Esaiam omnes, qui ab illo fœdere alieni sunt, vocare רשעים *damnatos* improbos. Præterea Israëlem vocare ad sibi attendendum & auscultandum. Unde planissimè consequitur, nullam aliam esse pœnitentiam & conversionem ad Deum, nisi agnitionem gratiarum Davidis æternarum & fœderis, quod Deus super eis pangit, & subjectionem sub præcepta filii Davidis. Israëlem autem, qui obsequium fidei in filium Davidis detrectat, & legem Dei crepat, putatque, se factis suis & legis illius ritualis usu justitiam obtinere posse, propriis uti consiliis & à divinis consiliis diffidere. Ut qui etiam putent, Verbum Euangelii, de gratiis Davidis, non esse frugiferum & ad mundum convertendum inutile esse. Ergo, qui pœnitentiam agere vult, ut remissionem peccatorum à Deo impetret, eum imprimis oportet credere Euangelio: suæque & sapientiæ & viribus & justitiæ renunciare.

Quia murmurant contra Deum: & non faciunt statuta Dei.

§. 19. Ita Ez. 18. apertissimè cum domo Israëlis litigat Scriptura, & cum dicentibus, *Patres comedesse omphacem & filiorum dentes stupere.* vers. 2. Quale est, quod dicunt hodierni Judæi, se peccata patrum luere. Ergo domus Israël debet agere pœnitentiam: etiam ut non dicat hoc verbum, veque assignet calamitates suas patribus. Deinde, ut convertatur *à viis suis.* Quemadmodum & Esaias docuit. Tùm, ut *in statutis Dei ambulet.* Atqui statutum Dei est, non addendos esse satiatos sitientibus. Denique, ut *judicium & justitiam faciant.* Prima *justitia* est, Deum justificare, & quidem justificantem: atque adeò non sine justitia vel peccata remittentem, vel filios appellantem; neque id, quod est peccato coinquinatum, pro justitia habentem: eumque glorificare, ut sanctum, & gratiosum ac misericordem confiteri, ejusque justitiæ subjici. *Judicium* est, non facere cum idololatris, cum furibus, mœchis, & eos pro justis non habere, qui in litera externa Deum honorant, Deo autem confessionem non sacrificant: eos autem, qui Deo confessionem sacrificant, seipsos verò abnegant, justos & hæredes salutis reputare. Itemque inter facta, quæ bona sunt, & quæ Deo nos non commendant, distinguere.

Quia spem ponunt in sacrificiis & cerimoniis.

§. 20. Quemadmodum sanè hic noster Responsor non distinguit inter ea, quæ ad resipiscentiam Deo gratam faciunt, & ea, quæ apud Deum nullo sunt in precio. Vult enim remissionem peccatorum adjuvari cerimoniis diei *Kippurim* sive *expiationis*, & sacrificiis. Quæ Deus omnia, se rejicere, ostendit.

§. 21. Deinde, si cerimoniæ faciunt ad remissionem peccatorum; pœnitentia non est remissionis causa. Si pœnitentia est remissionis causa, sacrificia & ritus eam non conciliant.

Sacrificia umbræ.

§. 22. Quàm brutum est, non cogitare, non animadvertere, sacrificia & expiationes legis tantùm esse umbras veræ expiationis & sacrificii Deo grati, quod causa justitiæ est: quum tam luculenter Deus illa utraque ostenderit! Nam Psalmo 50. disertè distinguitur inter *sacrificium*, *super quo fœdus faciendum est* cum Deo: & *sacrificium confessionis*, quod nos Deo offerre possumus: itemque *sacrificia & holocausta* Israëlitarum. Neque minùs clarè Psal. 51. distinguit inter *sacrificia & holocausta*, quibus Deus non delectatur; sacrificium, quod Deo gratum est, quod est *cor contritum;* denique *sacrificia justitiæ*, *holocaustum & בליל munus* sacerdotale, *quod totum adoletur* (intellige de *justitia* offerenda à sacerdote vero) *& vitulos*, qui *inferendi sint in altare DEI.* Atque ita non manu factum. Quos *Vitulos* Hoseas cap. 14: 3. interpretatur *labia.*

Sacrificia Deus non respicit.

§. 23. Mirum est, Responsorem non videre, quòd David in Psalmo illo (cujus verba ponit) non respiciat sacrificia Judæorum, aut quæ ipse & sui similes offerre possint. Nam talia vers. 18. declaraverat Deo non esse grata. Quid opus erat, si talia innueret, mentionem facere murorum Hierosolymæ diruendorum & reædificandorum?

Sacrificanti quomodo dicantur peccata remitti? Ps. 51.

§. 24. Neque nos pugnamus Legi, quæ sæpe dicit, peccatum condonatum iri ei, qui sacrificium obtulerit, ut Lev. 4: 20. 26. 31. 35. Non enim ex eo efficitur, *Sacrificia esse media ad tantò faciliùs impetrandam remissionem peccatorum;* ut Responsor dicit. Revera enim sacrificia non fuerunt media & causæ remissionis peccatorum. Abrahamus credidit, Deum sibi esse clypeum, & in Semine suo benedictum iri gentes: & reputavit id ei justitiam. Eadem fides fuit in omnibus sanctis. Tamen Deus tandem per Mosen imposuit sacrificia & expiationes & purificationes, non ut essent *media & causa remissionis peccatorum* (Nam in fide justi erant) sed ut per ea ducerentur ad verum sacrificium & ἱλασμόν. Utque interim profiterentur se reos. Quod si in fide facerent, promisit eis Deus, remissum iri ipsis peccatum: nempe ut non acciperent damnum in hæreditate terrenâ, quæ ipsis pro pignore data erat. Nam in ea exspectabant Christum & prædicationem justitiæ & pacis & salutis. Quòd si enim nollent sacrificia pro peccato offerre, abnegassent spem Israëlis; & in Dei iram incidissent; quippe spernentes sigilla Dei & pignora, & confessionem reatûs edere nolentes. Non valet argumentum hoc, Si promittitur, sacrificanti remissum iri peccatum; ergo sacrificium est medium remissionis peccatorum, & nulla causa remissionis peccatorum melior ac potior exspectanda est, qua data fiat talis remissio, quæ excludat omnem oblationem pro peccato. Quia, etiamsi offerenti promittatur remissio, id tantummodò pro conditione illius temporis intelligi potest; quòd Deus gratum esset habiturus hoc exercitium fidei & confessionem tum reatûs tum spei ad gloriam suam factam. Nam Israëlitæ non poterant sacrificia Deo offerre bene & in fide, si non in ore ferrent promissionem Patribus factam, &, se *sacrificia justitia* aliquando post Hierosolyma instaurata offerenda expectare testarentur. Quemadmodum David clarè fecit in Psalmo 51. Et, si ita accipiamus, intelligemus, quare Deus alicubi sacrificia improbet, alicubi offerentibus veniam tribuat; nempe quòd sacrificia non in fide & amore Dei sanctificantis ipsos ita, ut justitia ipsorum esset, sed cum opinione ea, quasi *media ac causa remissionis peccatorum* essent, oblata ipsi essent pro nautea, non pro odore fragrantiæ; sed in fide oblata pro tempore essent grata, quia usus sigillorum in fide & amore Dei condonantis peccata Deo ingratus esse non potest. Velim hic aliquem Judæum apud se ipsum cogitare, uter gratior Deo fuerit & magis eum celebraverit offerens sacrificia; illene, qui apud Deum se sistit tanquam in manu sua habens tale medium remissionis peccatorum cum omissione peccatorum & externorum bonorum operatione: an ille, qui sibi nihil nisi peccatum attribuit, Deum verò amavit ut justitiam suam, & sacrificia pro sigillis & figuris obedientiæ ac passionum Filii Dei, quibus Deus justificans verè sanctificari possit, usurpavit? Quod si in animum inducant considerare, invenient, illum, qui sic animatus est, in offerendis sacrificiis, ut ipsi nunc sunt, nihilo meliorem esse gentibus, qui & ipsi justitiam suam in propriis operibus posuerunt, & sacrificia creatori cœli & terræ obtulerunt, ut media remissionis peccatorum: hunc autem revera Deum glorificare & cum Mosis & Prophetarum oraculis congruere & consentire.

§. 25. Quæ etiam causa est, quòd Amos dicit cap. 5: 26. Israëlitas in deserto non sacrificasse Deo, & Molochi tentorium portasse: non, quòd tentorium aliud habuerint, quàm tabernaculum Mosis, sed, quòd, quum ignorarent mysterium justificationis, & putarent, sacrificia esse medium remissionis peccatorum, non Deo dicantur obtulisse, quæ obtulerunt, verùm Molocho vel alii cuivis dæmoni. Nam Jehovah non est is, qui delectatur sacrificiis, aut ea ordinat *medium remissionis peccati*, aut in tentoriis templisque manu hominum factis habitat. De quo Israëlitas non rectè sensisse, testantur Moses & Prophetæ, & Dei judicia. Unde etiam Talmudici in Codice de Synedrio cap. 9. dubitant de salute eorum, qui in deserto ceciderunt.

CAPUT X.

An adventus Messiæ rectè negetur à Judæis?

QUÆSTIO VIII.

Quomodo probatur Scripturis Messiam non venisse? Iam ante diximus, idemque sæpius nobis data occasione repetendum est, eum qui has quæstiones proponit non observasse consuetum in scientiis processum, dum rationes postulat in tali argumento ubi ipse qui interrogat rationes proferre tenetur, eo qui interrogatur nulla probandi necessitate adstricto, cum nuda negatione defungi possit.

Judæi tenentur rationem reddere suæ negationis: & probare, Jesum non esse Christum.

§. 1. ABerrat Responsor, quòd putas, Judæos non teneri ad reddendam rationem suæ abnegationis. Si nullus venisset, qui Christus vel Messias nominatus prædicatusque ac creditus esset, rectè dicerent, Messias necdum venit: neque opus esset probatione negationis. At nunc venit, qui dictus, prædicatus creditusque est Messias: cui ipsi non credunt; quantumvis magna fecerit, & doctrina ipsius ab Apostolis sit tradita, & ita tradita, ut ad testimonium Mosis & Prophetarum provocaverint. Illi tamen non credunt. Debent igitur habere & reddere causam, quare non credant. Non possunt autem reddere aliam, quàm 1. quia certa argumenta exstent, propter quæ impossibile habeat, Christum venisse. 2. Quis is, qui creditur Messias, vel hæc non fecerit, quæ dicitur fecisse, neque docuerit, quæ dicitur docuisse: vel non rectè docuerit, quæ docuit; ideoque, etiamsi talia fecerit, tamen non probetur per ea, quæ fecit, esse Messias. Potuisse quippe aliquem ea facere, & tamen non rectè docere. Et primi quidem demonstrandi necessitatem effugere non possunt, quia Scriptura præ se fert, se per prophetiam ea, quæ Israël in posterum expectare debeat, explicare. Quæ certè prophetia non potest esse inutilis: ut per eam non possint scire, quid Deus egerit, & quid adhuc gerendum restet.

Nihilominus tamen quia veritatis viæ latissime se extendunt. Non omittemus argumenta aliquot pro negativa sententia adferre. Et in hoc argumento inter multa alia indicia quæ Scriptura & Prophetæ in adventu Messiæ appariturа prædicunt, quorum nullum hactenus completum est, quatuor duntaxat commemorabo, ne à proposita nobis brevitate recedamus. Primum sumemus ex pace universali, qua cum adventu Messiæ universus mundus fruetur, ut prophetæ tot locis testantur, ac præcipue Esaias cap. 2: 1. cujus verba Micheas repetit cap. 4: 1. 2. 3. dicens: Eritque in novissimo dierum, ut mons domini præparetur in vertice montium & in excelso supra colles, & gentes ad eum confugient. Et festinabunt populi multi dicentque, Venite & adscendamus in montem domini, & ad domum Dei Jacob, & de viis suis docebit nos, & in sententiis ejus ambulabimus. Nam è Sione exibit lex, & verbum domini Hierosolymis. Et judicabit inter multas gentes, gentesque multas arguet in longe dissitis regionibus, & enses recudent in vomeres & lanceas suas in ligones. Non capiet gens adversus gentem gladium, ac non discent ultra belligerare. *Hanc pacem promittit Scriptura multis in locis. Verùm non cernimus in mundo nisi bella ex bellis sata, & ducentis annis retro adhuc novæ repertæ sunt machinæ, tormenta & sclopeta, nedum ut priora arma cessaverint ac in nihilum redacta sint. Unde aperte colligitur necdum venisse Messiam.*

Argumentum Judæorum à promissa pace refellitur.

§. 2. Breviter possumus respondere ad hoc argumentum: si tamen id priùs in formam aliquam redegerimus. *Si universus mundus pace universali cum adventu Messiæ fruetur, Messias nondum venit. Atqui fruetur; ut Prophetæ tot locis testantur*, & Esaias. Responsio nostra est, quòd hujus argumenti nec Propositio nec Assumtio sit vera. Non propositio: 1. Quia illud, *cum adventu Messiæ*, sic potest intelligi, ut Messias in regno suo tandem pacem universalem faciat. Quo dato, non sequetur, Si pax universalis data necdum est, ergo Messias necdum venit. 2. Quia *pax mundi* potest intelligi de alio genere consensionis, concordiæ, amicitiæ, aut saltem cohabitationis & confluxus in unum; quod non ponat pacem politicam universalem, sine ulla persecutione populi Dei, aut motu bellorum inter principes & potestates. Non assumtio: 1. Quia, quæ prophetant Esaias & Michæas non sunt unius temporis, sed gradatim in longo temporis tractu futura intelliguntur. 2 Quia ea ipsa, quæ illi prophetant, non excludunt persecutiones & bellicos tumultus, sed ea includunt. 3. Quia de bellis sub Messiæ regno gerendis manifestæ exstant Prophetiæ.

§. 3. Sed, si aperiamus sensum verborum, & ostendamus, ea, quæ Esaias dicit, convenire cum Euangelio, & non pugnare cum illis, quæ facta sunt, sed per ea, quæ facta sunt hactenus, magnam partem esse impleta, quàm nugatorium sit hoc argumentum, planum fiet.

Locus Es. 2: 1. & Mich. 4: 1. &c.

§. 4. *Eritque in novissimo dierum.* Hæc verba poterant meliùs transferri, *in novissimo dierum horum.* Nam, ut הַיּוֹם est *hic dies*, ita הַיָּמִים potest verti *dies hi*. Et hoc explicatur Hab. 2: 3. *Adhuc est visio ad προθεσμίαν statum tempus: & Clamator sub finem*, visionis & præfixi temporis, erit. Secundùm analogiam illius loci tempus distinguitur in dies diversos. nempe *illos dies*, sua qualitate præditos, & *dies venturos*, sive הָעוֹלָם הַבָּא *τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα*; quod Hebræi indigitant per הֶעָתִיד לָבֹא *τὸ μέλλον*. vocant etiam יְמֵי הַמָּשִׁיחַ *dies Christi*.

§. 5. Non infitiamur tamen, hanc phrasin, בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *in fine dierum*, posse alicubi sic explicari, *aliquando tandem*. Sed hoc non impedit, quò minùs ad emphasin hoc in loco attendamus, &, ut res ipsa vel permittit vel postulat, pressiùs explicemus. nempe ut animadvertamus signum aliquod temporis, quo id gerendum erat, quod hîc prophetatur. Priores dies non erant præterituri, sive qualitas priorum dierum finienda non erat, antequam id fieret, quod prophetia ab initio dicit. nempe, ut *præpararetur mons* domus *Domini in capite montium.* Omittit Responsor vocabulum *domus*. Sed typographo aut festinationi hoc imputo. Tamen patet, quòd non satis ad eam vocem attenderit. Intelligitur enim, eum *montem*, de quo hoc dicitur, futurum fuisse *montem domûs Domini*, quo tempore hoc futurum erat, ut *præpararetur* vel *exaptatus fieret*. Hoc igitur primum est. Futurus erat *mons domûs Domini*, quum res ea gerenda erat. Atqui jam à mille & quingentis annis non fuit *mons domûs Domini*. sed in eo loco, ubi *domus Domini* fuerat, mera vastitas regnat. Certè primum est inter ea, quæ prophetantur, eum montem, ut montem domûs Domini, *exaptatum fore*. Exaptatio illius supervenit illius statui, quem habebat *illis diebus*. Dicant nobis Judæi, quare hic non debeamus intelligere continuationem statûs illorum dierum usque ad eum terminum: &, quod signum sit, interventuros dies dissipationis & talis vastitatis tum urbis, tum templi, tum populi, qualis nunc est.

§. 6. Abarbenel per נָכוֹן intelligit מתקיר *permanens*, ut *non destruatur amplius.* Sed, si hoc vellet Propheta, quid opus erat addere, *in capite montium?* Et quid sibi vult *ejus elatio & evectio supra colles?* Notum est, quod הָכוֹן notet *paratum, aptum, promtum esse.* Et ita hoc loco nihil aliud significat, quàm *καταρτισμόν*. Targum vertit מְתַקַּן. & sic R. Sol. מְתוּקָּן h. e. *ἡ τοιμασμένον*. LXX. *ἐμφανὲς*, & Mich. 4. etiam *ἕτοιμον*.

§. 7. *Exaptatus erit mons domûs Domini.* Ergo illis diebus, quum Esaias prophetaret, nondum erat exaptatus. Interventuram fuisse aliquam devastationem, dicit Michæas cap. 3: 12. *Propter vos Sion ager arabitur, & Hierosolyma acervi fient, & mons domûs celsa sylvæ.* Attamen *dies illi* non erant præterituri: & *mons domûs erat futurus exaptatus.* Si nihil amplius hoc significat, quàm quod jam tum erat tempore Esaiæ, poterat dicere, ut David dixit, Hierosolymæ muri reædificabuntur, templum fundabitur. Dicant sanè Judæi, quare non debeamus intelligere *majorem gloriam domus posterioris, quàm prioris.* Hagg 2: 10. quod illi de duratione longiore paucorum annorum interpretantur: At Esaias dicit, *Exaptatus erit.* Non in tempore, sed in gradu gloriæ differentia est. Prius tempus habuit defectum: alterum tempus habebit *exaptationem*. Et quidem *in capite montium.* Non erat *mons domûs Domini* se erecturus cum domo Dei in altiorem proceritatem, ut Olympum & alios montes superaret; sed erat insignior, illustrior & nobilior futurus omnibus montibus & collibus.

§. 8. Et in quo, quæso, debebat consistere ea *exaptatio* (*præparatio*, dicit Responsor) *montis domûs Domini?* Annon in divina manifestatione? unde *domus Domini* appellatur. Et, si supra omnes montes & colles erat futurus exaptatus; nonne etiam supra ipsum montem Sinai? nempe ut magis præsens ibi cognosceretur Deus, quàm in monte Sinai fuerat, & meliora ac suaviora verba ibi loqueretur, quàm in monte Sinai locutus erat? & omnia verba sua ibi loqueretur, quæ ad nomen suum glorificandum & bonitatem suam declarandam & populum Dei consummandum pertinerent? & spiritum suum non daret ex mensura, sed effunderet in omnem carnem? & ipse Rex ibi fieret populi sui? denique, uno verbo, *gloria Dei* ibi *manifestaretur?* Es. 40: 5.

§. 9. Hæc sub ea voce *exaptationis* intelligenda esse, docet universus prophetiæ tenor. Promisit Jehovah, se futurum esse Israëli in Deum, & ipsos sibi futuros populum. Fore ipsos

Deo

Deo populum peculiarem, tanquam labore & precio comparatum. Regnum sacerdotum eos fore. Se justitiam ipsorum fore. Eos visuros Deum. Gloriam suam manifestatum iri. Hierosolymam nuncupatum iri *Solium Jehovæ*. Arcam autem non fore; atque adeò nec שְׁכִינָה *σκήνωσιν* supra propitiatorium. Jerem. 3:16. 17. Se uncturum esse regem suum super monte sancto suo Sion. Effusurum spiritum suum in omnem carnem. Dictum iri civitatibus Judæ, *Ecce Deus vester*. Esa. 40:9. *Adducturum se justitiam*. Dan. 9. Esai. 42. Sacerdotes Sionis indutum iri salute & justitia. Psal. 132:9. 16. Prædicatum iri gratiam & veritatem, justitiam, pacem, salutem. Ps. 40. Esai. 52. Gloriosa dictum iri in Sion. Psalm. 87:3.

§. 10. Non potuit *mons domus Jehovæ* fieri *exaptatus* & *κατηρτισμένος*, nisi omnia illa fierent. Certè necesse erat, ut in eo monte revelaretur is, qui est חֶמְדַּת כָּל הַגּוֹיִם *desiderium omnium gentium* sive *delicium generis humani*, ad quem gentes accessuræ dicuntur, cui hæreditas gentium data est; qui ponendus erat gentibus *in vexillum*, *in lucem*, in doctorem, in salutem. Hæc autem erant futura in fine dierum priorum, quum adhuc domus Jehovæ in monte illo, in quo primitùs ædificata erat, & non in alio monte, staret, &, ut loquuntur, בִּפְנֵי הַבַּיִת *stante templo*.

§. 11. Quid igitur post illa futurum erat? *Et fluent ad eum omnes gentes*. Certè non sine præconio. Nam, ut modò ostendimus, ad *exaptationem montis domûs Domini in capite montium* & *exaltationem ejus supra colles* requiritur *Euangelium pacis, salutis, boni*. Quod & Esaias dicit vers. 3. *Nam ex Sione egreditur doctrina, & verbum Jehovæ ex Hierosolyma*.

§. 12. *Fluent*: paulatim accedent, instar fluvii aut fluviorum. Quærent habere communionem cum illo, qui in monte hoc revelatus fuerit; & cum illis, qui magna illa bona acceperint.

§. 13. Hoc accipio ut terminum & consummationem sive summam; quam deinde specialiùs explicat. Nempe, *omnes populos venturos, ut adorent coram deo, & nomen ipsius glorificent*. Psalm. 86:9. Idem est, quod Abrahamo promissum: *In te & semine tuo benedicentur omnes gentes*.

§. 14. Jam explicat Propheta, quomodo & quo ordine id futurum sit. Primum est, quod posteriùs dicitur. Dicitur enim tanquam ratio ejus, quod præcessit. *Nam ex Sione exibit doctrina*, demonstratio viæ justitiæ & vitæ; *& verbum Jehovæ ex Hierosolyma*. Non potest id aliud verbum esse, quàm de quo dicit Jeremias cap. 31:33. *Ponam legem meam* sive doctrinam de via *in medio ipsorum*. de quo Esaias. cap. 52:7. *Quam decori sunt pedes euangelisantis bonum, pacem, salutem?* de quo Psal. 40:10. 11. *Euangelisavi justitiam in cœtu magno... Justitiam tuam non texi in medio cordis mei: veritatem tuam & salvationem tuam dixi: non celavi gratiam tuam & veritatem tuam cœtum magnum*. Denique non potest esse alia *lex*, quàm *lex Christi*. de quo Esai. 42:2. *& ad legem ejus insulæ sperabunt*. Vocatur autem *lex Jehovæ*, quia nulla alia ab initio fuit lex vel doctrina monstrans peccatori viam, nisi illa. Vocatur *verbum Jehovæ*, quia est verbum Jehovah dignum, & à Jehovah coram auditum, quo is testetur, se revera populo suo factum esse Deum.

§. 15. Hoc igitur verbum *exibit ex Sione*. nunquid tantùm ad oppida Judæ? Non. Nam ita est Es. 49:6. *Et dabo te in lucem gentium, ut sit salus mea usque ad finem terræ*. Atque id requirit effectus, qui hic additur; quòd ad id verbum audiendum gentes confluent.

§. 16. Et hoc alterum est. *Ibunt populi magni* aut *multi*, *& dicent: Agite, ascendamus ad montem Jehovæ, ad domum Dei Jacobi; ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus*. Et possunt verba, quæ sequuntur, annecti huic cohortationi. *Nam ex Sione erit lex*. q. d. Hoc verbum, quod ex Sione ad nos venit, revera est *verbum Jehovæ*, & revera est *lex Jehovæ*, qua nobis monstratur via. Cohortationem in populis multis & magnis futuram dicit, ut accedant ad Deum, verbum ipsius audiant, in viis ejus ambulent.

§. 17. Non meminit ullius medii alius, quo gentes adducantur: non gladii, non arcûs, non currûs. Solo verbo attrahendos populos dicit.

§. 18. Jam verò exivisse ex Sione omne verbum Dei, & imprimis verbum Euangelii, verbum Deo dignum, quo prædicetur gratia & veritas, justitia & salus, quis negare potest? Apostoli enim in Sion induti Spiritu sancto exiverunt ad omnes gentes. Si quis dicat, Mosen quidem & Prophetas pervenisse ad gentes; sed Euangelium, quod prædicatum est, non esse verum Euangelium: is docere debet, 1. aliud Euangelium debuisse ex Sione egredi. 2. Mosen & Prophetas sine vero Euangelio fuisse exituros ex Sione, & recipiendos fuisse à gentibus. nempe ut gentes, abdicatis erroribus & idololatria & peccatis suis, audiant & recipiant Mosen & Prophetas, & Euangelium aliquod annunciatum, & id propter Mosen & Prophetas, ut Euangelium gratiæ & veritatis, in nomine Dei Israëlis recipiant; & quidem cum tanto ardore & amore cordis, ut etiam sanguinem suum libenter profundant: & tamen fallantur & aberrent à veritate. Nam fieri non potest, ut tanta res fiat & non prædicta sit, monitique non sint Israëlitæ, ut illum errorem caveant.

§. 19. Nunc porrò considerandus est etiam ordo rei gerendæ. Numquid statim omnes omninò gentes compellatæ per verbum, quod exiturum erat ex Hierosolyma, erant auscultaturæ? Hoc est, quod Judæus Responsor censet: ad quod probandum hunc locum profert. Qui locus id minimè probat. Sed hoc dicit Propheta. Dominus, quum exiverit verbum ejus ex Hierosolyma, & gentes se invicem cœperint cohortari ad accedendum, tum *aget judicium inter gentes* sive *populos magnos*. Quis dixit Judæis, intelligi judicium verborum, quo inter privatos disceptantes judicet, illis acquiescentibus judicio ipsius? Imò indicatur hîc judicium illud severum, quod descriptum est Deut. 32:19. 20. 21. 22. *Et vidit Jehovah & sprevit propter ægritudinem filiorum suorum & filiarum suarum. Illi me fecerunt æmulari in non Deo* &c. Ita Deut. 29:20. 21. *Non volet Dominus condonare, sed separabit eum ab omnibus tribubus Israëlis* &c. & Es. 66:5. 6. *Audite verbum Jehovæ, qui trepidatis ad verbum ipsius. Dicunt fratres vestri osores vestri, qui separant vos & ἀποσυναγώγους* faciunt; *Propter nomen meum glorificabitur Jehovah: &* (h. e. sed) *videbimus lætitiam vestram, & illi pudefient. Vox tumultus ab urbe, vox à templo, vox Jehovæ retribuentis pro merito inimicis suis*. Item Hos. 2:7-12. vel 10. 11. 12. 13. 14.

§. 20. Quod sanè insigne exemplum est judicii, quod egit Jehovah revelatus in Sione: quo ultus est blasphemationem Euangelii sui & oppugnationem regni sui in gentibus, & persecutionem ac diffamationem credentium ex Judæis & gentibus, & *fontem* paratum pro *menstruo & peccato retexit*, velo ablato. Zach. 13:1.

§. 21. Neque tamen hoc solum intelligere oportet. Nam generalis sententia est: *Qui non auscultaverit verbis meis, quæ ponam in ore ipsius, requiram ab eo*. Deut. 18:18. Et Es. 11:4. de Christo: *Et judicabit in justitia tenues, & redarguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet improbum*.

§. 22. Itaque secundùm hæc verba possunt exscindi civitates & respublicæ & regna & populi deleri in diebus Messiæ, per *judicium*. Neque de nihilo est, quòd Malachias *diem* illius vocat *terribilem*. Malach. 4:5. qui & significat, parum absfuturum, quin *percutiat terram anathemate*. Confer Mal. 3:2. ubi quærit, *quis sustinebit diem adventus ejus?* nempe *Dei judicii*. cap. 2:17.

§. 23. Quum verò inceperit *judicium agere* inter gentes, tum nihilominus perseverabit *arguere populos multos* h. e. docere & convincere de peccato, & justitia & judicio. ut est Johan. 16:8. Ex quo clarè intelligitur, inter gentes versaturum esse ἔλεγχον & coargutionem, aliis adhortantibus, ut ascendant Hierosolymam, aliis reluctantibus.

§. 24. Sed quis erit eventus? *Cudent enses suos in ligones & lanceas suas in falces*. Ergo *enses & lanceas* sumserant adversùs eos, qui eos excitabant, ut secum adirent Hierosolymam. Quamdiu autem eos persecuti sint vel edictis (de quibus Dan. 11:36. *Contra Deum Deorum loquetur mirabilia*) & Judiciis, vel etiam bello, in quo sumitur *lancea*; Propheta hîc non explicat. A Christo & Apostolis ea persecutio pleniùs prophetata est.

§. 25. *Gladios in ligones cudent & lanceas in falces*, h. e. potentiam suam, qua abusi erant ad persequendum ascendentes Hierosolymam & volentes ire in viis Dei Jacob, convertent ad culturam agri, non tam cibum corpori præbentis, quàm Ecclesiæ cibum pro animabus reddentis.

§. 26. Constantinum coercuisse idololatras, & potentiam imperii & bona idolis sacra Ecclesiæ subjecisse, quis nescit? Fuit tum pax.

§. 27. Sed dices, secuta sunt bella & compugnationes Arianorum cum Catholicis. deinde Persarum & Saracenorum & Turcarum. Quid tum? Tamen in magna parte mundi omnis potentia & potestas & dignitas Ecclesiæ & Christo servivit; & etiam hostes ipsius coacti sunt ipsi mentiri.

§. 28. Dices, Ecce pax est; si arma ferenda sint contra hostes? Etiam. Nam Scriptura appellat *pacem* Mich. 5:4. *Et erit hæc pax* (h. e. pax tanta, tam ampla & firma; cessante persecutione Christianæ religionis, & inimicis ipsi adulantibus & per abnegationem odii sui ipsi inservientibus) *Assyrius* (possunt autem Persæ, Saraceni & Turcæ per Assyrium intelligi: quia domini Assyriæ fuerunt & sunt) *quum veniet in terram nostram* (ut Palæstinam, Syriam & alias regiones) *& quum calcabit palatia nostra: constituemus contra eum septem pastores & octo unctos hominum: & depopulabuntur terram Assur gladio, & terram Nimrod in ostiis suis: & eripient ab Assur; quum veniet in terram nostram, & quum calcabit terminum nostrum*. Hæc tacta sunt in bellis cum Persis & Sarracenis. Confer Mich. 7:12.

§. 29. Pergit Esaias. *Non feret gens contra gentem gladium*. Hæc possunt ita intelligi. Deinde, quum cuderint enses suos in ligones, fient *gens & gens*. Alii deficient, alii pro veritate stabunt. Ex eo orietur persecutio. Ea persecutio hucusque exardescet, ut gens contra gentem jam stet quasi in procinctu sumtis armis. Sed tamen compescetur *gens* persecutrix, & cogetur gladium suum recondere.

§. 30. Tale quid actum esse, nemo negare potest. Compressi

sunt Pontificii superiori seculo anno 1552. ut egressis ex medio eorum pacem dare cogerentur. Quæ *pax religionis* appellari solet. Quæ pax ex Germania se ad reliquas Ecclesias extendit: quæ saltem per tempus ea pace usæ sunt aut adhuc utuntur.

§. 31. Quum igitur Prophetæ verba hunc sensum ferent, & talia facta sint, non possunt Judæi hinc probare, nihil nisi pacem & concordiam futuram fuisse in diebus Messiæ: nisi velint suas opiniones pro sensu Esaiæ nobis obtrudere.

§. 32. Superest adhuc, *Et non discent amplius bellum.* Id nos æquum est exspectare; quum cætera facta sint.

§. 33. Sequitur apud Esaiam invitatio *domûs Jacobi, ut ambulent una in luce Jehovæ.* Unde planum est, etiam, quum non discent amplius bellum, Judæos adhuc rogandos fore, ut tandem velint *lucem Jehovæ* in oculos suos admittere, & desinant in tenebris ambulare.

§. 34. Quæ apud Micham subjunguntur, suo loco explicamus, quantum nobis datum est ea intelligere.

§. 35. Tantum igitur abest, ex loco Esaiæ demonstrari, necdum venisse Messiam, ut is clarissimè ostendat, eum venisse.

II. *Secundum sumemus ex materia religionis & notitiæ divinæ, quam prophetæ unam fore prænunciant per totum terrarum orbem absque ulla divisione. Post Messiæ adventum dicit Jeremias cap.* 31: 34. Vir non docebit ultra proximum suum, nec vir fratrem, dicens, cognosce dominum: Nam cognoscent me omnes à minimo ad maximum eorum, inquit dominus. Nam propitius, ero iniquitati eorum, & peccatorum non amplius recordabor dicit dominus. *Et propheta Zophonias cap.* 3: 9. Dabo tum populis labium electum, ut omnes invocent in nomine domini, eique uno humero serviant. *Zacharias. c.* 14: 9. Et dominus rex erit super universam terram. in illo die dominus unus ejusque nomen unum erit. *Idem compluribus aliis locis legere est. Atqui palam animadvertimus mundum nullo unquam tempore adeo divisum fuisse sententiis de religione ut hodie. Non ergo venit Messias. Hæque ipsæ quæstiones & responsiones inter nos agitatæ apertè hanc veritatem demonstrant.*

Non probatur, Christo exhibito, statim unam religionem futuram fuisse per totum orbem.

§ 36. Unam absque ulla divisione per totum terrarum orbem fore religionem post Messiæ adventum, hi loci neutiquam probant.

§. 37. Jeremias tantùm loquitur de iis, cum quibus Dominus *faciet fœdus novum.* Ubinam locorum dixit, se fœdus hoc facturum cum omnibus omninò hominibus?

§. 38. Zophonias per vocabulum *omnes* tollit distinctionem. non dicit, nullos fore inobedientes. non dicit, nullam futuram defectionem. non dicit, Judæos hoc verbum audituros & recepturos. non dicit, hoc statim futurum amplissimo modo. non dicit, nullam fore Ecclesiæ probationem, persecutionem, castigationem. Nam dissensiones, odia, persecutiones, bella Christi adventum secutura fuisse, ea, quæ apud prophetam sequuntur, si modò legantur, clarissimè testabuntur.

§. 39. Quod attinet locum Zachariæ, insignis imprudentia est, quum capite 12. medio de Christi adventu propheta locutus sit, & de rebus insignibus eum secutis porrò sermonem habuerit, partem ex medio cap. 14. decerpere, &, quod ibi dicitur, cum adventu Christi conjungere; quum illud demum futurum sit, postquam cætera omnia, quæ antecedunt, fuerint impleta.

§. 40. Quod quum ita sit, & Zacharias demum post illa acta futurum dicat, ut *Jehovah sit rex super universam terram, & nomen ejus unum sit:* clarum est, non futuram fuisse unam religionem in mudo, donec illa omnia fiant. Non est necesse hic describere, quæ ad Zophoniam & Zachariam aliquando commentati sumus.

III. *Tertium petemus à populo Israëlitico ejusque præsenti conditione. Etenim Scriptura evidenter testatur quod Judæos Messias in pristinam suam magnitudinem restituet, inque terram suam reducet. de hoc sic propheta Esaias cap.* 11: 12. Et signum eriget in gentes, & colliget profugos Israëlis, & dispersos Judæ colliget à quatuor angulis terræ. *Nec est quod distinctos versus huic probando allegemus, cum huc pertineant integra capita. Videatur idem* 52. 54. 60. 61. 62. 63. *&* 66. *capitibus per totum. Similiter Jeremias capite* 30. *&* 31. *Ezechiel cap.* 36. 37. 38. 39. *ad finem usque prophetiæ suæ, & innumera alia testimonia, quæ omnia planum faciunt finem adventus Messiæ fore, felicitatem, pacem & prosperitatem populi Israëlitici. Videmus autem nunc dispersum & persecutionibus oppressum: quod judicio (l. indicio) est Messiam nondum venisse.*

Non probatur, quòd Judæi, exhibito Christo, non sint in judicium casuri.

§. 41. Cum hac thesi pugnant innumerabiles scripturæ loci. Imprimis Lev. 26: 42. 43. *Et recordabor fœdus meum cum Jacobo, atque etiam fœdus meum cum Abrahamo: & terram recordabor. At terra derelinquetur ab eis.* Dicit, se venturum ad ipsos, & tum postea ipsos ex terra ejectum iri. Bileam Num. 24: 18. 19. prædicit, *Idumæos fore hæreditatem, quum* aliquis *regnaturus sit de Jacobo,* h. e. Christus, *qui perdat superstitem ab Urbe.* & tum deinde vers. 24. dicit, *Naves à latere Chittæorum* ab occasu venturas, quæ & Assyrium, Persas, Græcos eorum successores, & *Heberum,* Israëlem, *subigent.* Eæ, quæ Heberum debilitarunt, Romanæ classes venerunt: & venerunt, postquam Edom facta esset hæreditas.

§. 42. Deut. 29: 19. & seq. ostenditur, post adductam *satietatem* fore *separationem in tribubus Israël,* & *satiatos* quidem cum *gentibus visuros plagas terræ.* Unde planum est, post Euangelium auditum terram derelictam inobedientibus eas plagas accepturam fuisse.

§. 43. Deut 32: 15. & sequentibus vaticinatur Moses, Rupem salutis venturam ad Israëlitas, quum essent maxima multitudine & pace uterentur & omnibus bonis. Sed eos eam contumeliosè tractaturos, & filios ac filias Dei vexaturos. Ideò Deum ipsos tantùm non excisurum.

§. 44. Sed hoc loco nostræ partes non sunt probare contrarium; sed considerare, quid probet Judæus Responsor. Caput undecimum Esaiæ nihil eum juvat. Utinam id vel attentè legisset vel intellexisset. Primò enim invenisset Christum hominem & Deum. Deinde judicem; qui nihil moratur ea, quæ oculus videt, vel auris audit. Eumque *judicaturum* ac vindicaturum *humiles.* & *percussurum TERRAM.* Præterea reperisset, regnum ipsius vi *justitiæ* & *veritatis* ita gerendum, *ut lupus cum agno stabuletur,* h. e. ut hostes & persecutores nomen dent Ecclesiæ & ipsi blandiantur. &, quamvis Basiliscus vel Aspis aliqua se patefaciat, tamen eam dandam esse parrhesian populo Dei, ut vel puero liceat apud cavernam ejus ludere & eam irritare. Quo notatur Antichristi contradictio & exagitatio facta quasi per pueros. Reperisset etiam pacem datam Ecclesiæ in loco certo; & abundantiam prædicationis Euangelii.

§. 45. Tum demum sequitur textus, quem citat Responsor; qui ita habet. *Et fiet illo die,* postquam hæc facta fuerint: *Radix Jessæ* (Nota: idem est *ex radicibus Jessæ & radix Jessæ.* ita Apocalypsis, τὸ γένος καὶ ἡ ῥίζα τοῦ Δαβίδ. Apoc. 5: 5. 22: 16.) *stans in vexillum populis* (Ergo, quum hoc futurum erat, jam staturus erat Christus in vexillum populis) *ei,* inquam, *gentes intendent: & erit quies ejus gloria.* Requies ei dabitur cum magna gloria h. e. vel multitudine populi, vel demonstratione potentiæ. *Et erit illo die, addet Dominus iterum manum suam ad comparandum reliquum populi sui; quod reliquum erit* &c. Item, *Et efferet signum ad gentes & congregabit propulsos Israëlis,* &c. Annon oportet nos exspectare, dum hæc quoque fiant, quum priora hucusque facta sint? An hic locus probat, Christo revelato, populum Israëliticum nullam dispersionem experturum fuisse? Atqui is contrarium probat.

Nam,

Nam, si colligentur, tot jam rebus sub regno Christi gestis, ergo erunt in dispersione etiam per magnam partem dierum Christi.

§.46. Responsor allegat porrò integra capita. Ita imponit consideranti necessitatem quærendi in illis capitibus & divinandi, quid Responsor putet in iis capitibus esse, quo probet suam hypothesin. Ita respondere est ignavorum & fastidiosorum hominum, & eorum, qui nihil pensi habent.

§.47. Caput Esaiæ 52. totum superiùs declaravimus: & ex eo probavimus, prædictam esse à propheta eductionem Ecclesiæ ex Hierosolyma & ablationem regni Dei ab ea.

§.48. Caput 54. agit revera de prima prædicatione Euangelii post Christi ascensionem in cœlum. Credentibus promittitur hæreditas gentium; eosque diligenter consolatur Scriptura. Ii autem contradistinguuntur *filiis Maritatæ*, vers. 1. itemque persequentibus & blasphemantibus vers. 17. Quantus stupor est, eos, qui non credunt illa, quæ istic dicuntur, & Euangelium, quod illic prædicandum dicitur, qui JUSTITIAM & FOEDUS PACIS (vers. 14 10.) & JEHOVAM solum DOCTOREM (vers. 13.) repudiant, & Ecclesiam *maritis* terrestribus orbam, & soli *Deo desponsatam* (vers. 5.) persequuntur ac blasphemant (vers. 15. 16. 17.) eos, inquam, sibi arrogare hasce promissiones & consolationes! Et quo argumento hoc faciunt? nullo alio, nisi quòd ipsi filii Abrahami sunt. Quid igitur, an Apostoli & fideles Christi non erant Israëlitæ; ut ad ipsos hæc consolatio & promissio pertinere non possit?

§.49. Quod attinet cap. 60. Judæus Responsor debebat probare, ea, quæ in eo capite dicuntur, esse prima, quæ in regno Christi geri debuerunt; & non, quæ in capitibus præcedentibus à cap. 54. leguntur, ordine debuisse agi, ut tandem etiam fiant, quæ leguntur cap. 60 Deinde nullum verbum est in illo capite, quo cognosci possit, vel nominatos Judæos, vel ipsam Ecclesiam Christi tum in nulla dispersione & persecutione futuram fuisse, quum illa debuerunt geri. Sed nobis, qui novimus, pleraque præcedentium capitum impleta esse eo ordine, quo debuerunt agi, etiam hujus capitis impletio exspectanda est.

§.50. Cap. 61. in initio revera agit de Christi adventu. Sed hic idem stupor se prodit in Responsore. Non credit, Christum talem esse, qualis ibi describitur: non recipit Euangelium, quod dicitur publicaturus: & tamen vult de se & sui similibus loqui Prophetam in bonum. Non animadvertit, Prophetam promittere *Euangelium mansuetis*, *obligationem fractis corde*, *& consolationem lugentibus*. Quemadmodum & D. Jesus prædicavit Mat. 5.

§.51. Vult docere, dissipationem Israëlis non fore in diebus Christi; & non observat, Christum fuisse *prædicaturum diem ultionis*. in quos? an non in non-mansuetos, non-confractos corde, non-lugentes? Numquid dicit, omnes Israëlitas lugentes & mansuetos futuros, qui distinctè dicit, *Lugentibus Sionis datum iri ornamentum pro cinere?*

§.52. Cap. 62. pergit agere de Ecclesia Christiana constante ex *lugentibus ac mansuetis Sionis* & ex gentibus. Vide cap. 61: 5.6. Non autem agit de illis, quos *Ultio* divina premit.

§.53. Cap. 63. etiam revera Christum patientem in medium producit, & quidem ex *Edom*. Unde patet, Israëlem vocari *Edom*. Si Responsor de eo dubitat, quare hoc caput allegat, tanquam loquens de diebus Christi? Sed non est, cur dubitet. Ex quo tempore *Edom fuit hæreditas*, à parte totum appellatur rectè. Maximè, quum animos Edomi gerunt: & Edomi posteri inter eos dominantur, Herodiadæ. Igitur & Hierosolymam *Botsram* vocari in ænigmate, ut arcem Idumæorum, minimè mirum est. Si potuit ea *Sodom* appellari, potuit & *Botsra*. Vers. 4. dicit: *Nam dies ultionis est in corde meo*. q.d. non ampliùs feram populum rebellem & contumacem: *& annus assertorum meorum venit*. quasi dicat tempus venit, quo prædicetur Euangelium & consolatio iis, qui mihi dati sunt, qui sunt sors & peculium meum, quos ego meos assero. Vers. 8. dicit Ecclesia: *Et dixit* Jehovah: *Certè sunt populus meus, filii, qui non mentientur; & factus esse ipsis Salvator*. vers 9. 10. *In omni angustia ipsorum non oppugnavit* quisquam, *quin Angelus faciei ipsius* (Gerundensis explicat, *Angelus*, *qui est facies ipsius*, in quo ipse præsens est & cognoscitur, qualis sit) *salvos eos fecerit*: *in amore suo & clementia sua ipse asseruit ipsos: & susceptos bajulavit omnibus diebus seculi. At illi inobedientes extiterunt & spiritum sanctum ejus exacerbarunt, & versus est ipsis in hostem; ipse pugnavit in ipsos*. Hæc fortè sunt illa, quibus probari potest, Israëlitas, quum Christus apparuerit, non futuros in dispersione. Nam coëgit nos Responsor divinare sensum suum.

§.54. Cap. 66. post ascensum in cœlum & rejectam domum & sacrificia; post commemoratam inobedientiam Israëlitarum & falsam gloriationem, cum persecutione fratrum; narratur vox audita à templo, ab urbe, vox Domini reddentis pro merito hostibus suis. Hæc nobis allegat Responsor, ut probet, in diebus Messiæ non fuisse futuram dispersionem Israëlis. Atqui nos in illis legimus pronunciationem Euangelii, quod audimus, & Judæorum pœnam ob id rejectum. Debuisset Responsor cogitare, etiam à nobis hæc capita legi, & non tam securè illa projicere.

§.55. Etiam Jeremiam pari fiducia, an vecordia? citat cap. 30. & 31. Nam cap. 30. quidem duobus versibus promittitur Christus; vers. 9. *Et servient Domino Deo suo & Davidi regi suo, quem suscitabo ipsis*. & vers. 21. *Et existet princeps ejus ex ipso & dominator* sive *potestatem habens ipsius ex medio ipsius exibit*. Utrobique etiam tempus indicatur, quo id futurum sit. nempe post liberationem populi ex angustia, quæ tum imminebat. Vers. 3. promittitur reductio Israëlis in terram; sine dubio ex Babylone. Vers. 5. 6. 7. angustia illa describitur & exaggeratur. tum dicit vers. 7. *& ex illa salvabitur*. Huic salvationi conjungit dationem libertatis in regno Christi. *Et fiet DIE ILLO, ait JHVH* Deus *exercituum*, *frangam jugum ejus de collo tuo & vincula tua rumpam*, *& non redigent eos in servitutem amplius alii* vel *alieni. Et servient Domino --- ac Davidi regi suo*. Vers. 10. confirmat suos Deus, ne ob imminentem calamitatem labefactetur ipsorum fides. Promittit, se reliquias conservaturum; sed non dimissurum ipsos impunitos, vers. 12. Nam peccatis ipsorum multis & magnis deberi eam castigationem. vers. 15. Deinde pronunciat pœnam in direptores Israëlis. vers. 16. Promittit autem, se sanaturum Israëlem, v. 17. urbem & templum reædificatum iri, v. 18. populum lætaturum & multiplicatum iri, v. 19. filios Israël, ut olim, futuros unum *cœtum* coram Domino: oppressores ejus visitatum iri: v. 20. Tum verò principem ex medio ipsius proditurum: qui accessurus sit ad Deum tanquam sacerdos. v. 21. ipsosque populum Dei fore. v. 22. Sed procellam, æstum, tempestatem protractam mansuram in capite *improborum*, hoc est; justitiæ Dei se non subjicientium. vers. 23. Eam iram non iri aversum, donec Deus effecerit decreta cordis sui. Hoc eos consideraturos in fine dierum. v. 24. Quis non videt in his pœnam longam improborum ex ipso Israële, & stuporem illorum usque ad ultimum tempus? His subjungit CAP. XXXI. promissionem conversionis & restitutionis, v. 1.--- 14. Rursus v. 15. resumit prophetiam ab exordio: & explicat cædem infantum in finibus Bethlechem & fugam Christi in terram hostis, cujus reversionem promittit vers. 16. ut & reversionem filiorum ad terminum suum post longam exspectationem vers. 17. Tum ὑστοτυκῆται pœnitentia defectorum ex Israël sub nomine Ephrajim. v. 18. 19. & miseratio erga illos significatur, vers. 20. Iidem revocantur in viam, vers. 20. 21. & quidem ad agnoscendum *novum*, quod Deus in terra *creaverit*, nempe quòd *virgo conceperit masculum*. vers. 22. Promittit manifestationem *justitiæ* & inhabitationem Dei, ut sit *mons sanctitatis*, vers. 23. & habitationem terræ in abundantia, v. 24. *cum exsatiatione animæ lassæ*, vers. 25. Introducitur Christus loquens de morte & resurrectione sua sub parabola *somni & evigilationis* & *revisionis*. vers. 26 Denuò vers. 27. promittit multiplicationem & benedictionem populi, & tum remissionem peccati patrum, cum distinctione illorum, qui in peccatis manent, vers. 29. 30. & introductionem Novi Testamenti, vers. 31. 32. 33. 34. Cui adjungit juramentum, quòd non sit totum semen Israëlis rejecturus, vers. 35. 36. 37. quinimò Hierosolymam reædificatum iri. vers. 38. 39. 40.

§.56. Hæccine sunt idonea ad probandum, quòd in diebus Christi magna pars Israëlis non sit versatura in induratione & pœna ejus? An verò potiùs confirmant manifestationem Christi & prædicationem Euangelii & plagam infidelium Judæorum ob oculos ponunt?

§.57. Vellem nobis indicasset Responsor, quid in Ezechiele à cap. 36. usque ad finem contineatur, cum quo pugnet præsens conditio Israëlis. Et nos quidem jam de cap. 36. egimus in superioribus; ubi demonstravimus, in eo capite prædictum esse, quòd Deus, post reductionem populi & sit sanctificandus in Israële, & aqua munda illos aspersurus, & spiritum suum in eos effusurus. quæ in Euangelio prædicantur.

§.58. Cap. 37. sub parabola resurrectionis mortuorum prænunciatur collectio Israëlitarum sub rege Christo. Dicamus, hoc ad illum modum nondum impletum esse: an inde sequitur, Messiam necdum venisse? an potiùs, Judæos nondum ad Christum congregatos esse, sed adhuc jacere in suis sepulchris?

§.59. Cap. 38. & 39. agitur de bello Gog & Magog. Ex quo non potest demonstrari, Christum necdum venisse. Johannes in Apocalypsi cap. 20. prophetat, bellum hoc futurum, postquam Christus venerit. Quod igitur gerendum est in diebus Christi, si id nondum factum sit, non probat, Christum necdum venisse; sed tantùm, illos dies & eum ordinem rerum nondum adesse, quo id gerendum est. Quanquam etiam nostra sententia est, magnam partem earum rerum gerendarum jam in rebus ipsis demonstrari posse.

§.60. Cap. 40. & reliquis agitur de quadam urbe & templo, quod vidit Ezechiel in spiritu. Hic Responsoris erat, probare, 1. quòd ea non possint intelligi figuratè & parabolicè. 2. quòd sensus illorum visorum figuratus nulla adhuc sui parte sit impletus.

§.61. Et nos quidem quod attinet, si maximè, quid mysterii ea visa significent, non assequamur propter tarditatem nostram aut

aut indiligentiam, tamen ſcire poſſumus, ea non eſſe literaliter intelligenda.

§. 62. Quippe locus hujus templi non eſt Sion neque Hieroſolyma, ſed mons altus propemodum in medio terræ ſitus ſecundùm latitudinem & longitudinem, ita ut ſeptem tribus, & inter eas tribus Judæ, verſus ſeptentrionem ſortiantur, quinque autem verſus meridiem. Ezech. 40: 2. & 48: 8. Atqui templum manibus factum non habet ſedem aliam, quàm Sionem & Hieroſolymam & tribum Judæ. Vide Pſal. 78: 68. 69. Pſal. 132: 13. *Nam elegit Dominus Sionem.* verſ. 17. *Ibi faciam germinare cornu Davidi.* Eſai. 2: 2. *Mons Domus Domini erit exaptatus in capite montium.* & verſ. 3. *Nam ex Sione egredietur lex, & verbum Domini Hieroſolymâ.* Jer. 3: 17. *Hieroſolyma vocabitur Solium Jehova, & confluent ad eam omnes gentes.* Hagg. 2: 10. *Major erit gloria Domus hujus --- & in hoc loco dabo pacem.* Dan. 9: 24. *Septimanæ 70. deciſæ ſunt ſuper populum tuum & urbem ſanctam tuam* &c. Malach. 3: 1. vel 3. *veniet ad templum ſuum.* nempe, quod nunc eſt.

§. 63. Præterea vidit Ezechiel gloriam Domini intrantem alio modo, atque in Solomonis domum gloria Domini deſcendit. Nam Ezechiel vidit gloriam Domini intrantem per portam Orientalem ſpecie humana. ſic enim viderat ad fluvium Chebar. cap. 43: 2. 3. 4. 5. confer cap. 1. & 10. Atque etiam ibi loquitur Dominus, ſe in loco illo habitaturum inter Iſraëlitas in ſeculum. verſ. 7. At quomodo id convenit cum Eſaiæ 66: 1. ubi repudiat domum manibus factam: ſi talis domus manibus hominum ſtruenda eſt?

§. 64. Ad hæc *lex domus illius* eſt, ut univerſus *ipſius terminus undequaque ſit ſanctum ſanctorum.* verſ. 12. Ex quo conficitur, omnes, qui intrant in terminum ejus, venire in communionem juris pontificis maximi. Quod innuitur etiam Zach. 14: 20. Hoc autem ſecundùm legem templi manu facti, in quo Aharonis filii inſtituti ſunt ſacerdotes, fieri non potuit.

§. 65. Accedit, quòd hîc ſacerdotium datur ſolis filiis Zadok cap. 43: 19. 44: 15. Quod ſi literaliter intelligendum eſt, reliquæ familiæ Aharonidarum, utcunque religioſæ, excludentur à jure, quod ipſis in lege Moſis datum eſt. Atque ita in diebus Chriſti erit quidem remiſſio peccatorum, ſed cum exceptione plurimorum filiorum Aharonis. Neque id valdè convenit cum eo, quod Eſaias dicit cap. 66: 21. etiam ex non Sacerdotibus & non Levitis *aſſumtum iri à Deo ſacerdotes & Levitas.*

§. 66. Taceo, quòd Ezechiel novas leges de feſtis videtur dare, quæ non ſunt à Moſe præſcriptæ. Vide cap. 45: 17. --- 25. 46: 4. 5. 6. 7.

§. 67. Quid verò, quòd fluvius ex ſanctuario ſtillare dicitur & ſanare aquas, cap. 47. numquid etiam literaliter accipiemus? an eo modo, ut apud Johannem in Apocalypſi, myſticè & parabolicè? De hoc Judæi ambigunt, ſitne literaliter an parabolicè intelligendus.

§. 68. Nomen Civitatis *ante diem* nuncupatum indicatur *JHVH IBI*, non *Hieroſolyma*, non *Sion*. Eſtne credibile, hîc tam magnifico elogio deſignari certum oppidum mœnibus cinctum, in quo Deus ſerò domum habeat materialem: in qua verè Deus habitare dici non poteſt: & non civitatem verè ſanctam, congregationem omnium filiorum Dei: & maximè in ſtatu illo gratiæ & libertatis, qui à prophetiis Novo Teſtamento aſſignatur, quum gloria Dei in carne revelata fuerit?

§. 69. Quod autem Ezechiel de ſacrificiis loquitur, ſi id literaliter & carnaliter intelligendum eſt, quomodo verant aliæ prophetiæ, quæ teſtantur, ea ceſſatura?

§. 70. Omitto, quòd in hoc templo nulla arca, nulli Cherubini tegentes arcam & propitiatorium; nulla menſa panum faciei, nullum candelabrum: item, quòd poſt ſanctum ſanctorum ædificium ponitur 90. cubitorum longitudinis, & latitudinis 70. cubitorum: cujus uſus non indicatur.

§. 71. Magiſtri Hebræorum Veteres, quod & Abarbenel teſtatur, dicunt, hanc prophetiam explicaturum Eliam, quum venerit. Quippe Judæos, qui hactenus fuerunt, eam non intelligere ſatis. Quæ igitur illa fiducia eſt & temeritas, pro certo ponere (quod ipſis incertiſſimum eſt, & cujus contrarium nobis ex tot argumentis certiſſimum eſſe poteſt) eſſe hæc ſecundùm literam intelligenda, & tale templum, quod nullo verbo dicitur, ab Iſraëlitis fabricatum iri: & ſignificationem hujus viſionis, quæ, ſi tale templum aliquando extitiſſet, negligi non deberet, rejicere?

In diebus Chriſti & beneficia promiſſa & judicia denunciata ſunt populo Iſraëlitico. Quæ & evenerunt hactenus.

§. 72. Sed, inquit Reſponſor, ex illis & infinitis locis manifeſtum eſt, *finem adventus Meſſiæ fore felicitatem, pacem & proſperitatem populi Iſraëlitici. Nunc autem eum videmus diſperſum & perſecutionibus oppreſſum. Quod indicio eſt, Meſſiam nondum veniſſe.* Quemadmodum patres ipſorum murmurarunt contra Dominum, dicentes, ſi Dominus eſt nobiſcum, quare non utimur carne, piſcibus, fructibus? ita nunc poſteri murmurant contra Chriſtum, dicentes, ſi is Chriſtus eſt, quare non dat nobis pacem, proſperitatem, felicitatem & opes totius mundi? De lege & verbo Dei, quod Sione exivit, non ſunt ſolliciti, ſed de regno ſuo. Regnum autem Dei & juſtitiam ejus penitus ignorant & in precio non habent.

§. 73. Sed ſatis ſit ipſis, omnia, quæ Iſraëli promiſſa ſunt optabilia, hactenus omnia eveniſſe credentibus in Chriſtum ex Iſraële & gentibus. Unde certum eſt, etiam cetera ipſis eſſe repræſentanda. Eccleſiam autem Chriſti, qui Iſraëlis filius eſt, cujus is caput eſt, quæ congregata eſt ex Judæis & gentibus, verum Iſraëlem eſſe, quomodo negabunt? Quomodo autem probabunt, ſe non haberi *inimicorum* loco, quum id eis evenerit, quod *inimicis* Deus comminatus eſt? veluti apud Eſaiam cap. 66: 6. *Vox tumultus ab urbe, vox à templo: vox Domini reddentis pro merito inimicis ſuis.* Confer Eſ. 63: 10.

Nomen Iſraël *non facit, ut de Judæis Chriſti interfectoribus debeant intelligi promiſſiones.*

§. 74. Atqui *Iſraël, Judæi, Hebræi* vocantur. Quaſi non & decem tribus *Iſraël* vocatæ fuerint, & tamen populus Dei non fuerint. Audiant, quid ſibi dicat Deus per Eſaiam, c. 48: 1. *Audite hoc, domus Jacobi; qui nuncupamini nomine Iſraëlis, & ex aquis Juda exiviſtis: qui juratis in nomine JHVH & Deum Iſraëlis commemoratis; non in veritate & non in juſtitia,* &c. & verſ. 8. *Defector ab utero vocatus es.* Tum convertit ſe ad aliam partem Iſraëlis verſ. 12. *Auſculta mihi, Jacob, & Iſraël vocate mi.* Et quis ibi loquitur? *Is, qui ab initio non in occulto locutus eſt;* quem poſtea *miſit Jehovah cum ſpiritu ſuo.* verſ. 16. is, qui cap. 49: 1. vocat *inſulas*, ut ſe *audiant; qui datus eſt à Deo in lucem gentium, ut ſit ſalus Dei uſque ad finem terræ.* verſ. 6. h. e. Chriſtus.

§. 75. Eſt igitur *Iſraël* duplex. 1. Is, qui vocatur à Deo: 2. is, qui vocatur ab hominibus, & nihil habet, niſi quod carnale eſt & ſecundùm literam, externum & conſpicabile.

§. 76. Audiant etiam, quid Deus loquatur de ſtatu illius Iſraëlis externi in diebus Chriſti. Eſa. 42: 18-24. *Surdi, audite, & cæci, intuemini videndo. Quis cæcus eſt, niſi ſervus meus? -- Vides multa & non obſervas. -- Dominus volens propter juſtitiam ſuam magnam faciebat doctrinam & ingentem. At ille* eſt *populus direptus & laceratus -- Quis dedit Iſraëlem lacerationi?* &c.

IV. *Quartum ſumemus ex eo quod concernit prædictiones & promiſſa prophetarum de urbe Hieroſolymorum & proſpero ejus ſtatu ſub Meſſia. Eſaias c.* 52: 1. Surge, ſurge, indue fortitudinem tuam Sion, indue veſtimenta gloriæ tuæ Jeruſalem civitas ſancta. nam incircumciſus & immundus non ultra per te tranſibit. *Jerem. c.* 3: 17. In illo tempore Jeruſalem vocabunt ſolium domini, & ad illum congregabuntur omnes gentes, nec ultro ambulabunt juxta perverſitatem cordis ſui peſſimi. *Ezechiel prius expoſitâ eminentiâ urbis Jeruſalem, cum amplitudine terminorum ejus libri ſui verſu ultimo ſic ait:* In circuitu octodecim millia, & civitatis nomen ab illo die: dominus ibi. *In hodiernum diem Hieroſolyma everſa, & in poteſtatem barbari hoſtis redacta videmus. Hactenus ergo nondum venit Meſſias.*

Inconſequens argumentum Judaicum ex Eſa. 52.

§. 77. Si Reſponſor ex his teſtimoniis faceret argumentum, appareret, quàm id elumbe eſſet. Ex Eſa. 52: 1. tale fiet argumentum. Sion aliquando tandem in diebus regni Chriſti erigetur & exornabitur, & impurus non amplius eam invadet & intrabit. Atqui nunc Sion, in qua templum ſtetit, calcatur ab hoſtibus impuris. Ergo necdum Meſſias venit. Si in majore Sion mons & urbs terreſtris intelligitur, quis non videt, majorem loqui de certa parte dierum regni Chriſti? Nam, non obſtante, quòd hic verſus nondum ſit literaliter impletus, ſed adhuc implendus ſit (nempe, ſi is verſus eſt jungendus capiti præcedenti) tamen ea, quæ ſequuntur, poſſunt eſſe jam magna parte impleta, & ſic poteſt jam Chriſtus veniſſe. Nos in ſuperioribus, quum latiùs cap. 52. & 53. explicavimus, oſtendimus, quàm accuratè omnia hactenus, quæ fieri debuerunt, ſint geſta.

Ex Jer. 3: 17. Solium gloriæ Hierosolyma.

§. 78. Ex Jeremiæ cap. 3: 17. tale argumentum fiet. Hierosolyma, Christo apparente, vocabitur solium Domini. Atqui Hierosolyma nunc eversa est. Ergo Christus necdum venit. Enimverò hoc ipsum est, quod in Euangelio annunciatur: Dominum in carne patefactum esse Hierosolymis: *Deum in cœtu Dei stetisse & inter Deos judicium egisse.* Psal. 82: 1. Tunc non templum, non arca & propitiatorium, sed tota Hierosolyma, etiam privatæ domus, solium gloriæ fuerunt.

Solium gloriæ in cælo.

§. 79. Sed non dicit Jeremias, *solium gloriæ* semper in terra mansurum fuisse. Psalmus 8. dicit, Deum posuisse majestatem suam supra cœlos. Confer Esa. 66: 1. Psal. 68: 19. Deum ascendisse in altum. Psal. 110: 1. dominum Davidis considere ad dexteram Dei. Ei rei respondet ingressus Sacerdotis summi in sanctum sanctorum.

Accessus gentium ad Hierosolyma quid?

§. 80. Alterum argumentum, quod ex verbis Jeremiæ formari potest, tale est. Gentes ad Hierosolymam confluent ad vel propter nomen Domini. Atqui Hierosolyma in potestate barbarorum est. Ergo Christus non venit. Non intelligit Responsor, quid sit accessus gentium ad Hierosolyma ad vel ob nomen Dei. Significat id gentium accessum ad communionem Christi, in quo Dei nomen revelatum est, & eorum, qui Christum viderunt & in nomen ejus crediderunt. Ea Hierusalem, ad quam accedimus, jam cœlestis est, non terrena. Christus enim, ad quem accedunt gentes, in cœlum intravit, &, qui primi crediderunt & Euangelium præconaverunt, in cœlum assumti sunt, quoad spiritum. Hæc est mater nostra; non ea Hierosolyma, quæ maritos & filios habuit, & ad servitutem peperit. Esa. 54.

Inobedientia Israëlitarum ex Jerem. 3: 19. ostenditur.

§. 81. Ipse Jeremias in eadem pericopa, ex qua Responsor argumentatur, accusat inobedientiam domus Israël. vers. 19. 20. *Et ego dixeram, quomodo te ponam in Filiis! & dabo tibi terram desiderii, hereditatem decoris exercituum gentium! & dicebam; Pater mi, voca me, & à me noli te avertere. Enimverò*, ut *perfidè* abit *mulier à socio suo*; *sic perfidè egistis mecum, domus Israël, ait JHVH.* De quorum pœnitentia, quam exspectamus, loquitur vers. 21. & sequentibus.

Ezechielis ultimo non intelligitur Jerusalem terrestris.

§. 82. Porrò quibus modis probabit Responsor, Ezechielis versu ultimo intelligi Hierosolymam illam, quæ in tribu Judæ olim fuit? aut omninò terrenam civitatem constantem domibus, foris, portis, fossis, mœnibus? Sed de hoc satis dictum est, quum de templo Ezechielis dictum est.

CAPUT XI.

An Judæi possint eludere demonstrationem veritatis Euangelii de Christo sumtam ex Esaiæ cap. 53. & Psalmo 22.

QUÆSTIO IX.

Quid respondent Judæi ad prædictionum propheticarum complementa à Christianis allata ex c. 53. Esaiæ & Psalmo 21.? Quæsitor hic, ut videtur, existimat me in gratiam ipsius integros libros conscripturum, quod minimè vacat. At si tanto veritatis studio ducitur, ut præ se fert, hanc viam sibi proponat quam principio indicavimus. Atque hoc sufficere poterat pro responso ad quæstionem.

Judæi tenentur respondere ad probationes Apostolorum & Christianorum.

§. 1. Semper subterfugit Responsor. Putat, se nec ad nostra argumenta ex Scripturis petita, nec ad demonstrationes Apostolorum teneri respondere. At verum est, quando & Apostoli Euangelium prædicarunt provocantes ad Mosen & Prophetas, Judæos, qui fidem non recipiunt, teneri satisfacere omnibus testimoniis, quæ ab Apostolis citata sunt: imò etiam demonstrare, hoc Euangelium, quod prædicatum est, non debuisse prædicari, & cum Mose ac Prophetis non convenire. Quinetiam tenentur nobis edere, quare, quæ in sacris literis sic scripta sunt, ut de rebus jam per mille sexcentos annos actis significanter & emphaticè pronunciari potuerint, de iis rebus non debeant intelligi.

Sed quoniam nobis objicit caput 53. Esaiæ & Psalmum 21. ad hæc quam potero brevissimè respondebo. Ut caput illud 53. recipiat explicationem istam quam Christiani volunt, diversa præstrui fundamenta necesse est, quæ si negentur primùm demonstrari ac deinde interpretatio istis accommodari debet. quo non nisi longo circuitu perveniri potest. Sunt & in eodem capite multa quæ interpretationi isti repugnent, ut cum dicitur à populi mei transgressione vulnus ***aut*** plaga illis ***numero plurali quod de una singulari persona intelligi nequit. Item***, Anima ejus videbit semen & prolongabit dies suos: ***quæ verba non quadrant nisi in eos qui filios è semine aut carne sua genuerint per quos longævi sint. Hæc multum discrepant ab expositione quam Christiani huic loco accomodant.***

Κριτήριον veritatis accommodationis prophetiæ ad prædicationem Euangelii.

§. 2. Nos superiùs capitis 52. & 53. Esaiæ explicationem dedimus accommodatam Euangelio & rebus gestis post Christi assumtionem in cœlum. Nihil tunc in verbis reperimus, quod non eas res, quas revelatas credimus, & gestas novimus, indicaret & ob oculos poneret. Nunc, quid Responsor invenerit expositioni & intellectui Christianorum minùs conveniens, considerandum est. Primum, quod excipit, illud est. *Fundamenta quædam præstrui, quæ necesse sit demonstrari priùs, & deinde iis interpretationem accommodari.* Sed Responsor ea fundamenta & hypotheses eas non indicat. Neque ego video ullam hypothesin vel ullum fundamentum, quod magno molimine priùs sit confirmandum, quàm ad Euangelicam veritatem & historiam rerum gestarum applicari prophetia possit. Nihil est in prophetia, quod non directè denotet, quod significari per verba ejus intelligimus. Non sumimus interpretationem ejus aliunde, sed ex ipsis textûs visceribus. Denique pro certissimo nobis veri intellectûs argumento est, quòd verba Prophetiæ de iis, quæ in Euangelio prædicata, & prædicta & postmodum gesta sunt, absque ulla contorsione & reluctatione ita pronunciari possint, ut, si easdem res prophetico more explicare studeas, non velis aliis verbis, ceu aptioribus, eas esse designatas.

Nihil illi accommodationi repugnat. Non, quòd v. 8. sit vertendum Plaga illis.

§. 3. Secundum, in quo impingere videri vult, hoc est: quòd *multa illi interpretationi repugnent.* Duo illorum multorum commemorat. 1. Quòd vers. 8. *plaga illis* non possit intelligi singulariter. Concedamus hoc: quid inde lucri? Eò magis Christianorum intellectus debet admitti. Quandoquidem tunc verba hoc dicent, quo totum negotium conficitur. nempe, Eum, de quo sermo est, qui ex omnibus prædicatis, tanquam nomine proprio, cognoscitur, qui *Servus Dei κατ᾽ ἐξοχὴν* appellatur, qui ad summam gloriam evehendus dicitur, excisum esse ex terra viventium per imperium & judicium (ex quo tamen assumtus est) *ob defectionem populi*, nempe ab ipso, ut rege suo; quem *populum suum* vocat is, qui loquitur. Loquitur autem is, qui *servum Dei* prædicat. *Ei* porrò *populo* hanc *defectionem* esse *plagam*, ut tanquam immundus projiciatur. Ejus populi factum explicatur, quòd *dederit sepulturam ejus cum improbis & cum divite*, quum tamen nec *injuriam fecisset*, *nec dolus in ore ipsius fuisset* repertus. h. e. quòd suspenderint illum in cruce cum damnatis

mnatis ob sua facinora, & deinde incluserint sepulchro divitis, apposita custodia, ne per mendacium diceretur surrexisse.

Non, quòd Christo semen promittitur.

§. 4. Alterum est, quòd verba, *Anima ejus videbit semen & prolongabit dies suos*, non conveniant nisi in eos, qui filios è carne sua aut semine suo genuerint, per quos longævi sint. Respond. Nemo rectè dicitur *prolongare dies suos per semen*. Nos intelligimus Semen Dei & Christi, quod prolonget dies suos, hoc est, quod vitam æternam possideat. Semen habet Abraham, quod non est ex carne & lumbis ejus. ut, *Patrem multitudinis gentium dedi te.* &, *In te benedicentur omnes familiæ terræ.* Deus habet semen natum non ex carne, sed ex spiritu ipsius.

Vera hujus capitis explicatio hæc est. Loquitur Propheta de populo Israëlitico, quem consueto Scripturis titulo servi Dei *nomine appellat. de hoc dicit reges & principes gentium visa tam insigni conversione hujus populi ab extremis miseriis in summam gloriam quæ toto præcedente capite narratur, attonitos dicturos: quis credidisset tanto miraculo, ut vetus truncus ex arido solo velut renascens viresceret qui nullam habebat speciem, ab omnibus contemtus, plenus ærumnarum, adeò ut dedignaremur eum vel semel intueri, sed nunc videmus eum mala quæ nos commeriti eramus sustinuisse. Existimabamus eum à justitia divina punitum, cum revera per manus nostras castigaretur ob peccatorum nostrorum malitiam, cum quisque juxta cupiditates nostras erraremus, afficientes eum plagis quas æquo animo pertulit, publicationem videlicet bonorum, temporaria magistratuum supplicia, contumelias. ob malitiam cujusque è populis nostris pœna & plaga illis. Sepultus est cum improbis, occisus instar divitis ut diriperent fortunas ejus alioqui insontis & nulli culpæ obnoxii. Hæc omnia dicit propheta reges mundi dicturos cum populi Israëlitici felicitatem conspicient, ac tandem concludit hanc calamitatem ejus causam fuisse quod Deus voluerit illum castigare, quod quando agnoverit tum semen ejus æternum semen fore, & quicquid præterea dominus illi promisit impletum iri. Hanc esse veram & literalem capitis hujus interpretationem, perspicuum erit cuivis sine affectu eam cum verbis contextus conferenti.*

Quis Esaiæ cap. 53. debeat exaudiri loquens? & de quo?

§. 5. Si hæc verba regum sunt stupescentium de Israële, & hunc sensum habent, quem Responsor eis affingit, rectiùs de fidelibus Christi intelliguntur, quàm de immorigeris Judæis.

§. 6. In fine capitis 52. aliquis loquens in nomine Dei consolatur fidelem his verbis: *Quemadmodum stupuerunt propter te multi (adeò res corrupta præ viri* forma *erat forma ejus) ita asperget gentes multas: super illo claudent reges os* &c. Ita factum esse in Ecclesia Christiana manifestum est.

§. 7. Est autem in ea consolatione agnoscendus is, cui consolatio intimatur; loquens; consolationis causa, sive tristitia, cui consolatio opponitur; ratio, unde consolatio petitur, sive bonum, quod tristitiæ opponitur. Is, cui consolatio intimatur, est quivis unus de iis, qui jubentur exire Hierosolyma, ne impurum tangant. Loquens est aliquis, qui Euangelium prædicat de regno Christi, & in nomine Dei ejus evectionem prædicit. Tristitia est inde, quòd multi super fidelibus stupeant, & consequenter fideles habeant pro ridiculis vel etiam abominabilibus. Ratio hujus judicii multorum est, quòd in *Servo Dei*, cujus superevectionem promittit, nulla esset species vel *Viro* digna vel *filio hominis*. Unde patet, iis consolationem intimari, qui in ipsum crediderint. Quid stultiùs potuit videri, quàm credere in suspensum. Hæc stultitia apud gentes, hoc scandalum apud Judæos. Bonum, quod tristitiæ opponitur, est sanctificatio & justificatio gentium multarum. *Asperget gentes multas*, easque expiabit, abluet & purificabit. Ideò & reges claudent os super ipso, qui jam os pandunt contra ipsum.

§. 8. Ex hoc versu sumendum est, quicquid in hac pericopa à regibus dictum videri potest. Demonstrent nobis Judæi, id de se dictum esse. Se esse illum *servum Dei efferendum admodum:* illum *Justum, servum Dei:* se esse *justificationem facturos multis*, & non sua sed gentium peccata ferre. cap. 53: 10. Demonstrent, nihil hic de *servo Dei* dici, de quo cap. 42: 1. & 49:6. ubi à tribubus Israëlis distinguitur. Demonstrent, illum *servum Dei*, qui accusatur *cæcitatis, surditatisque*, & dicitur direptoribus traditus propter peccata sua, cap. 42: 19. 24. hîc vocari *justum* antonomasticè; & de eo dici, quòd Deus in eum impegerit peccata gentium, ita ut ejus vibice sanentur gentes, atque adeò sit justificator gentium, & porrò lux gentium & salvator illarum.

§. 9. Omitto, quòd vim faciunt verbis, qui pro eo, quod Esaias dicit, *Et dedit sepulturam ejus cum improbis & cum divite in mortibus suis*, (quæ verba Christi crucifixionem & sepulturam exactè exhibent) substituunt, *Sepultus est cum improbis, occisus instar divitis, ut diriperent fortunas ejus.*

§. 10. Nam ex comparatione illorum, quæ supra ad Qu. II. diximus de sensu & applicatione hujus capitis, satis patebit, quantum absint hæc Responsoris à proprietate, emphasi, gravitate, simplicitate illius sensus, quem nos ex Euangelio dedimus.

§. 11. In hac quidem certè applicatione, quam facit Responsor, hypothesis assumitur, quæ nulla ratione probari potest: nempe, hæc esse verba *regum os claudentium*, & quidem de ea parte Israëlis, quæ Christum prædicatum gentibus crucifixit.

§. 12. Ita fiet, ut, quum gentes alibi introducantur judicantes de Israëlitarum infidelitate & inobedientia, tanquam causa plagarum terræ, quæ ei inflictæ sunt; hic contra introducantur reges gentium absolventes Israëlem. Ita, quos Deus ubique condemnat, hîc justificabuntur. Ita, quòd Israëlitarum respublica excisa est, quòd templum concrematum, quòd Hierosolyma eversa, est pœna peccati Neronis, Vespasiani, Titi & Romanorum. Israël enim luit pœnas peccati gentium & regum illarum. Non enim tantùm à peccato & malitia gentium profecta est illorum plaga, sed pro ea est irrogata & inflicta; si, quæ Esaias dicit, Judæis conveniunt. Nam Esaias facit eum, qui loquitur, confiteri, quòd Deus in *servum suum*, illum contemtum & humiliatum, impegerit peccata omnium, &, quòd ea exegerit, & is, quum ea exigerentur, se submiserit, & anima ejus sacrificium pro reatu ponat. Quis ista judicabit esse simplicia & vera?

§. 13. Denique quomodo fieri potest, ut eadem pericopa aptè accipiatur pro sermone Apostoli alicujus, ut Pauli, de Christo testantis, quæ in Euangelio legimus, & Judæorum ἀποςασίαν & rebellionem & plagam propterea ipsis inflictam testantis; & rursus pro sermone regum de parte Israëlis, quæ Jesum Dominum crucifixit, loquentium, & eis innocentiam attestantium?

§. 14. Certè, ut credamus, ita gentes & reges earum de Judæis, quorum templum & urbs eversa sunt, esse locututos aliquando, aliis testimoniis priùs effici debet. Nam hîc quidem locus id non probat. Sed Responsor id pro libitu assumit.

§. 15. Certa paraphrasis initii capitis 53. hæc est: Aliquando aliquis sic loquetur, & quidem de Servo Dei, & ad illos, quorum intererit, loquetur, *Quis credidit* &c.? Sed, ut illa subintelligantur, Reges gentium sic loquentur de Judæis, quorum templum, urbs & politia destructa erit, qua vi effici potest? Quum ex ipso sermone is, qui loquitur, tanquam ex suo charactere debeat intelligi, & ex prædicatis subjectum debeat cognosci: nonne melius est, nos eum audire, qui talia gentibus de Servo Dei secundùm verbum Dei prædicavit, Paulum videlicet Apostolum; quàm exspectare, donec reges gentium hoc de Judæis dicant, quod nunquam hactenus de illis dixerunt, neque ex alio testimonio constat unquam de iis dictum iri? Nam, si quid de eis boni scriptum extat, id est ipsorum conversio ad Deum & ad Davidem regem suum. Hos. c. 3: 5. Non convertentur autem, nisi confiteantur peccata sua & patrum suorum; ut est Jer. 3: 22. 23. 24. *Convertimini, filii contumaces; sanem aversiones vestras. Ecce nos, venimus tibi. Nam tu* es *Jehovah Deus noster. Enimverò in cassum* est exspectare *à collibus, multitudine, montibus: enimverò in Jehovah Deo nostro salus Israëlis. Pudendum comedit laborem patrum nostrorum à pueritia nostra* &c.

Eodem

Eodem modo Psalmus 22. *loquitur de populo Judaico captivo dicens.* Deus meus Deus meus cur me deseruisti? *Qui loquendi modus reperitur etiam apud Esaiam cap.* 49: 14. *ubi dicit*, dixitque Sion, deseruit me dominus, oblitus est mei dominus. *Cui dominus respondet.* Possetnè mulier oblivisci infantis sugentis ubera sua, ut non amaret filium ventris sui? Adhuc fieri posset, ut ejus oblivviscerentur, verum ego non obliviscar tui. *Imitatur hoc Psalmista in persona populi in ærumnis constituti. Et sic Psalmi sententia clara est ac expedita.*

De Psalmi 22. subjecto.

§. 16. Quis putaret, tam facile videri Judæo occultare & elidere sensum Psalmi vicesimi secundi! Quanta demonstratio! Esaias dicit, Israëlitas dicturos, *Deus deseruit me:* ergo is, qui dicit in Psalm. 22. *Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti*, est populus Judaicus, ille, qui Jesum, qui ipsis & gentibus prædicatus est Christus, interfecerunt & adhuc blasphemant. Satis apparet causa, quare ad meliorem mentem converti non possint. non dignantur verba Dei considerare. Neque Esaias cap. 49. vers. 14. loquitur de ipsis, neque Psalmus, quando dicit, *Quare me deseruisti?* Neuter locus agit de hostibus Dei & Christi. In Psalmo 22. loquitur, qui est *contemtus à populo.* vers. 7. h. e. à Judæis. Nam quæ *gens* solebat *populus* vocari, nisi Judæi? Ibi *homines* & *populus* totum genus humanum, in duabus classibus, gentibus & Judæis, exhibent. In *omnibus videntibus quatientibus caput* etiam Judæi comprehenduntur. Vers. 17. *Canes* sint Romani; ac *cœtus maleficorum* est concio Hierosolymitanorum clamantium, Crucifige illum. *Perfossio manuum & pedum* quid est nisi crucifixio? Etrestantur ipsi Judæi, scribendum esse כארי. Item *annumeratio ossium* est nudi in cruce pendentis. Partitio vestium, & jacta sors super toga in Christo acta est. Christi *anima à gladio erepta est & unica ejus è manu canis.* Priùs mortuus est, quàm confoderetur: & crus ei non fregit miles. Idem oravit Patrem, ut eriperetur ex ore leonis, & ereptus est. Nam suscitatus est ex mortuis & narravit nomen Dei fratribus suis, discipulis suis, & in medio cœtus celebravit eum, vers. 23. Is jussit *timentes Deum ipsum celebrare*, & *omne semen Jacobi ipsum glorificare & ipsum metuere omne semen Israël.* vers. 24. Unde apertum est, eum, qui clamavit, *Deus mi, cur me deseruisti?* non esse *fratres ipsius, timentes Deum, omne semen Jacobi, omne semen Israëlis.* Is gloriatus est in Deo. vers. 26. Is consolatus est mansuetos. vers. 27. Is exspectat, ut fines terræ convertantur ad Dominum, & coram ipso se incurvent omnes familiæ gentium. vers. 28. Nam Dominus regnum occupavit, & habet aliquem, qui potestatem habeat in gentibus. vers. 29. Gentes per ipsius gratiam *comederunt omnia pinguia terræ & adorarunt; coram ipso se incurvant descendentes in pulverem*, h.e. *morientes*, gratias ipsi agentes, ut Salvatori suo, & donatori vitæ æternæ; etiam, *qui animas suas non vivificant*, sed eas ultrò propter nomen ejus projiciunt. vers. 30. Ab hoc *justitia Dei* indicata est, *indicanda populo nascenti.* vers. 32.

CAPUT XII.

An Judæi fuerint Christo repugnaturi?

QUÆSTIO X.

Quis populus Messiam recipiet eique obtemperabit, Judaicusne an gentilis? Omnes populi recipient Messiam & obedient ei, cujus rei testimonia passim in Prophetis occurrunt. nos exempli gratia unum aut alterum recensebimus. Primum est Biliami Num. 24: 17. Videbo eum, sed non jam, intuebor eum sed non è propinquo. stella orietur ex Jacob & sceptrum ex Israële prodibit, quod percutiet principes Moabitarum, exscindetque omnes filios Seth. *Nam à Setho Adami filio universum genus humanum procreatum est. Esaias cap.* 60: 12. Regna quæ tibi nolent servire exscindentur gentesque quæ parere tibi recusabunt vastabuntur. *Psalmista.* Psal. 72. dominabitur ab uno mari ad alterum mare, & a flumine ad extremos terminos terræ. *& paulò post:* omnes reges se incurvabunt ei & omnes populi servient ei. *Daniel cap.* 7: 13. *de Messia duce quintæ Monarchiæ post excidium* 4. *bestiarum sive Monarchiarum:* videbam in visione noctis, & ecce veniebat in nubibus cœli instar filii hominis ad antiquos dierum, & coram eo adductus est, qui dedit ei potestatem, gloriam & regnum, ut omnes populi, nationes & linguæ ei serviant. Potestas ejus æterna, quæ non intercidit, nec regni ejus est finis. *Extant adhuc multæ aliæ prophetiæ, quibus docetur Messiam honorandum & recipiendum ab omnibus populis & nationibus.*

Explicatio quæstionis.

§. 1. Omnia subjectum iri Christo, extra dubium est. Non opus erat, ut Responsor id operosè probaret. Aliud, ni fallor, Quærens voluit. nempe annon plerique Judæi sint Christum abnegaturi initiò, & gentes contra majore numero nomen ipsius suscepturæ, donec & in gentibus ἀποςασία *defectio* contingat, & Ecclesia ex manu apostatarum liberetur, & Euangelium prædicetur in omni habitabili, atque tum etiam Judæi rursus assumantur? Nos de ea re aliquid dicemus ex prophetiis: sed priùs considerabimus, quàm bene & aptè Respondens citaverit ea, quæ in conspectu sunt, dicta.

Prophetia Bileami Num. 24: 17.

§. 2. Primùm dictum nihil ad rhombum facit. *Exscindet omnes filios Seth.* Aliud est *exscindere*, vel, *ut parietem evertere*, (hoc enim τὸ קרקר) aliud ad obedientiam adducere.

§. 3. Potest autem prophetia Bileami duobus modis intelligi. 1. Quòd Christus eversurus sit omne ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατ' αὐτοῦ, *omnem celsitudinem se erigentem contra ipsum* in omnibus filiis Sethi: imò omnem dominatum & potestatem & principatum. neque ineptè Abarbenel comparat Esai. 2: 17. *Et deprimetur altitudo hominum, & humiliabitur celsitudo virorum, sublimabitur Jehova solus in die illo.* 2. Quòd sit omnes omnino homines, quatenus caro sunt, prostraturus & subditurus pedibus suis. quorum quos volet erecturus sit & excitaturus ad vitam æternam.

Prophetia Esaiæ cap. 60: 12.

§. 4. Quod Esaias dicit cap. 60: 12. pertinet ad ultima tempora. Nam à capite 54. usque ad 61. continua prophetia est. Promissio autem illa concernit Ecclesiam Christi. Similis prophetia est Zach. 14: 17.

Prophetia Psalmi 72: 8. 11.

§. 5. Quæ ex Psalmo 72: 8. & 11. citat, eorum alterum significat, quale sit futurum initium regni Christi; nempe, quòd Israëlitæ ex omnibus tribubus & locis ipsi obedituri sint: Alterum autem significat Christi & Ecclesiæ victoriam.

Prophetia Danielis cap. 7.

§. 6. Quod Danielis 7. dicit per *quatuor bestias* intelligi *quatuor monarchias* (h.e. ea regna, quæ per Colossum cap. 2. significantur) id altioris est indaginis.

§. 7. Ita, quòd Christum facit *ducem quintæ Monarchiæ*, est ἄγραφον & abhorret à phrasi & sensu Scripturæ. Neque enim Christi regnum est de hoc mundo neque illis connumerari debet: neque hoc dicit Daniel. Hoc dicit Daniel, regna mundi servitura regno Dei & populo ejus: cui regnum æternum datum sit. Hoc potest fieri, etiamsi reges in suis thronis sedeant & prin-

cipes magistratum obtineant, neque Christus in terris appareat, neque rectores & præsides populi ipsius, h. e. fidelium, armis & brachio vel hostes coërceant vel gentes sibi subjugent. *Serviunt* Ecclesiæ, qui ad commodum fidelium & ad pacem ejus, & ut abundet institutione & ædificatione, opibus suis & potestate sua utuntur. *Obediunt* Ecclesiæ, qui verbum Dei, quod est in ore Ecclesiæ, recipiunt. Sic majestas potestasque regum, quæ antea data fuerat bestiæ & meretrici magnæ à regibus, Apocal. 17. vers. 13. potest transferri ad Ecclesiam. Confer Es. 60: 16. *Suges lac gentium, & uber regum suges.* Es. 49: 23. *Erunt reges curatores* & gestatores *tui, & principes eorum nutrices tuæ.* Sic Apoc. 21: 24. 26.

Quæstionis determinatio de ordine conversionis populorum.

§. 8. Quod verò ad quæstionem attinet, ea spectat ordinem conversionis & subjectionis mundi. Is hic est à prophetia definitus. I. Christus prædicatur Judæis primùm: recipitur à multis quidem ex omnibus tribubus, sed à populo repudiatur. II. Mox prædicatur & gentibus, & in gentibus paulatim eriguntur Ecclesiæ, ad quas & Judæi credentes accedunt. Sed Judaicus populus evertitur. III. Christiana Ecclesia exercetur persequutionibus gentilium: donec imperatores & reges ei incipiunt servire. Tum multi ad eam accedunt non in veritate. Oritur Bestia: hæretici eam exagitant. Sequitur *ἀποςασία*. IV. Revelatur *ὁ ἄνομος*. Ecclesia à communione ejus liberatur. Liberata habet pacem & postea incidit in bellum & multas angustias. Tandem plenitudo gentium intrat & cum eis Judæi. Hæc canunt omnes prophetiæ. Sed hujus loci maximè est, ut paucis testimoniis probemus, populum Judaicum, maxima sui parte, Christum & regnum Dei fuisse repudiaturum. Esaiæ cap. 8: 14. 15. *Et erit pro sanctuario, & lapis offensionis & petra scandali ambabus domibus Israëlis; laqueus & decipula habitanti Hierosolymam: & offendent IN ILLIS MULTI, & cadent & confringentur, & illaqueabuntur & capientur.* Cap. 10: 20. 21. 22. *Et erit illo die, non perget Reliquum Israëlis & Evasio domûs Jacobi niti percussore suo, & innitetur Jehovæ Sancto Israëlis in veritate. Reliquum convertetur, reliquum Jacobi, ad Deum fortem & victorem. Nam si sit populus tuus Israël ut sabulum maris, reliquum convertetur in eo. Consumtio decisa est exundans justitiâ*, &c. Mich. 4: 14. 5: 1. 2. 3. *Nunc legiones ducta, filia legionum. Obsidium posuit circa nos. Virga percutiunt in mala judicem Israëlis. (Tu autem, Bethlehem, Ephrata, parvus, ut sis in familiis Judæ? Ex te mihi prodibit, ut sit potestatem habens in Israële; & egressiones ejus* sunt *ab ante, à diebus seculi) Iccircò dabit illos, ad tempus dum pariens pepererit: & reliquum fratrum ejus convertentur ad filios Israël (Et stabit & pascet* [Judex Israëlis] *in robore Jehovæ, in elatione nominis Jehovæ Dei sui) & sedebunt. nam nunc magnus fiet usque ad terminos terræ*, &c. Sed non est necesse plura describere: quum de his integri libri testentur.

CAPUT XIII.

De caussis eversæ Judæorum politiæ.

QUÆSTIO XI.

Quænam ob peccata Deus Judæorum regnum evertit tali eversione quæ tam multis annis duravit?

Quamvis Judæi peccata sua hominum nulli sed soli Deo confiteantur, necessarium tamen est his & similibus casibus peccata nostra confiteri ad gloriam & comprobationem justitiæ divinæ, tum etiam quia publicata ea sunt ac divulgata per os omnium prophetarum. Et ne à proposita nobis brevitate recedamus, remitto lectorem ad 16. *caput Ezechielis, ubi peccata Israëlis prolixè ac particulatim persecutus ad hunc modum loquitur cap.* 16. *vers.* 48. vivo ego dicit dominus: Sodoma soror tua una cum vicis suis non sic fecit quemadmodum tu & vici tui fecerunt. *Hîc ergo cessat admiratio ob diuturnam nostram captivitatem, nam hanc patimur in locum integræ vastationis & excisionis quæ Sodomis accidit, à qua nos divina misericordia vindicat. Idem testatur propheta Esaias cap.* 1: 9. *dicens:* Nisi dominus Sebaoth reliquos nobis faceret paucos aliquot, facti essemus sicut Sodoma & Gomorra. *Nec est quod objiciat quis cum liberatione è captivitate Babylonica hæc peccata jam olim esse condonata, nosque diuturnam hanc perpeti captivitatem ob alia peccata secundi templi temporibus commissa. Nam liberatio è Babylone nihil aliud fuit quam exploratio quâ Deus experiri voluit, an cum restitutione templi & regni possent abbreviari & expiari enormia ista quæ commiserant adulterii, homicidii & idololatriæ peccata. Sed pro antecedentium debitorum solutione quam præstare debuerant, nova insuper debita accumulaverunt, & ne vel ratio vel prætextus ullus restaret, unde contrarium sibi quisquam imaginari posset, per manus Salmanassaris decem tribus in captivitatem passus est abduci in regiones nobis incognitas, sexcentis fermè annis ante destructionem templi secundi, hoc est ante præsentem hanc nostram captivitatem, necdum in hodiernum hunc diem in terram suam reversi, aut dominio suo restituti sunt. quæ omnia speciali Dei providentia ita nobis evenerunt, ne quis caussam hujus nostræ captivitatis speciali alicui peccato sub secunda domo aut templo commisso imputaret, cum decem tribus quæ tum abfuerunt captivitatem pati debeant sexcentis annis longiorem. In hoc ergo responso nostro quivis non præfractus aut affectibus excæcatus acquiescet, cum apertum sit peccata populi Israëlitici ita multiplicata esse, ut si quis alius populus tot & tam gravia peccata designavisset, cui Deus fidem suam non obligasset jurejurando nunquam futurum ut prorsus interiret, jamdudum ex hominum memoria deletus esset. quamobrem mirari nemo debet, si in locum meritæ excisionis diutina hæc captivitas nobis imposita fuerit, quemadmodum si facinorosa vita donaretur, morsque quam peccatis suis commeritus esset in longam captivitatem commutaretur.*

Confessio peccati insincera. Radix peccati Judæorum ignoratio justitiæ Dei.

§. 1. HÆc confessio non est sincera & integra: quia nec peccatum patrum, qui fuerunt ante captivitatem Babylonicam, nec peccatum eorum, qui excisi sunt per Romanos, distinctè fatetur. Bene quidem, quòd profert cap. 16. Ezechielis. Poterat etiam ad cap. 20. nos remittere, imò ad cap. 32. Deuteronomii. In eo aberrat, quòd primam labem & radicem peccati Israëlis ignorat. Ea est ignoratio *justitiæ Dei*, atque ita ignoratio officii & gratiæ Christi. Et hinc est, quòd, etiamsi Jehovæ nomen in ore haberent, tamen & gentiliter ipsi servirent, & gentiles de Deo peccata remittente & justificante deque ejus cultu haberent opiniones. Id testatur Psalmus quinquagesimus. Quum igi-

igitur gentiliter de Deo sentirent, non mirum fuit, quòd & Celsa ædificarunt, & in eis se Deo cultum exhibere putaverunt; &, quos Deos gentes adorabant, ipsi quoque, ut gentibus placerent, adorarent: quum opinio illorum de Deo & ejus justitia non multum à gentili opinione differret.

Causa eversæ reipublicæ ostenduntur ex Deut. 29. *&* 32. *Et Es.* 55. *&* 66. *& Hab.* 2. *Mich.* 4. *&* 5. *Es.* 53. *Ps.* 16. *Jer.* 31. *Ezech.* 20. *Dan.* 9.

§. 2. Cæterum, quod Responsor negat, peculiare peccatum commissum esse sub templo secundo, id valde pravum est. Moses Deut. cap. 29. excidium illud postremum assignat ei culpæ, quòd *satiatam sitienti addere* voluerint. Cap. 32. quòd *Rupem salutis turpiter & flagitiose tractaverint*, *Deum suum* rejecerint, *filios Dei & filias ipsius* vexaverint. Ita Esaias cap. 66: 1.---7. quòd vias Dei non elegerint, sed suas vias; nempe quòd Deo templum facere, victimas offerre & thus adolere studuerint: quòd, ipso vocante, non responderint; loquente, non audiverint: quòd fratres suos separaverint à se: quòd falsa gloriatione usi sint apud Deum, vel, gloriam Dei non rectè explicaverint: Deumque sibi revelatum exosi fuerint. Cap. 55. appellantur *improbi*, quia *gratias Davidis perpetuas* respuerint. Hab. 2: 4. opponuntur *justi ex fide Christi*, & *se subducentes ad clivum, quorum anima non est recta in ipso.* Mich. 4: 14. 5: 2. ratio tradendi Israëlitas est, quòd judicem Israëlis percusserint in mala. Esai. 53: 8. plaga populi refertur ad ipsorum defectionem, nempe à Deo & Servo ejus Justo, rege ipsorum. Psalm. 16. *Multiplicabuntur dolores illorum, qui alium dotant: non assumam nomen eorum in os, & non fundam fundi libamina eorum post Sanguinem.* Ezech. 16. vers. 61. promittit Deus, se pacturum cum Israële fœdus æternum, & daturum ei Sodomam & Samariam filias, sed *non ex fœdere ipsius.* intellige ex *Testamento novo*, de quo Jerem. c. 31. Hinc jam patet, non potuisse in plagam incidere, nisi illos, qui Testamentum novum respuerint. Cap. 20: 35. 36. 37. 38. dicit, *Se deducturum esse ipsos in desertum populorum, & disceptaturum cum eis ibi facie ad faciem; quemadmodum cum patribus disceptaverat in deserto Ægypti: & eos traducturum sub virga, & eos partim adducturum in vinculum fœderis, & selecturum ex ipsis rebelles & defectores*, &c. Daniel cap. 9. excidium templi & urbis per Romanos refert ad *stuporem.*

Sententia Judaica contraria Scripturis.

§. 3. Secundùm ea, quæ Responsor asseverat, verum est adhuc proverbium, *Patres comederunt omphacem, & dentes filiorum stupent.* Pii enim inter Judæos (nisi non sunt inter ipsos pii) luunt tantùm parentem culpas. Atqui & Jeremias & Ezechiel dicunt, hoc dicterium excisum iri ab ore illorum. Jer. 31: 29. Ezech. 18: 2. 3.

§. 4. Secundùm eadem idem status est resipiscentium & eorum, qui non resipiscunt. Atqui Deus prædixit, se separaturum rebelles à reliquis, & resipiscentes in requiem Dei intraturos, alios non. Psalm. 95. Deut. 29. Ezech. 20: 37. 38. Joël. 3: 5. vel 2: 32. Ezech. 34: 25. 16. 20. Mal. 3: 18. vel 20.

Liberatio ex Babylone preparatio ad adducendum regnum Christi.

§. 5. Errat Responsor, quòd putat, *liberationem è Babylone nihil aliud fuisse, quàm explorationem.* Non ita est. Reductionem ex Babylone sequitur circumcisio cordis, Deuter. 30: 6. revelatio gloriæ Dei, Esai. 40: 5. ablatio omnis jugi, redemtio, præconiatio justitiæ & pacis, Es. 52: 2. 7. Nulla non prophetia, quæ priora tempora cum posterioribus connectit, id testatur.

Decem tribus sunt illius liberationis participes.

§. 6. Similiter errat, quòd *decem tribus* ait *à Salmanassare deductas in terras nobis incognitas*; easque necdum reductas; & hoc indicio esse, quòd ad priscam culpam, propter quam in Babylonicam captivitatem deducti sunt Judæi, nulla nova accesserit. Nam, etiamsi vera essent, quæ de decem tribubus dicit, tamen inde non consequeretur, Judæos non commeruisse excidium alterum nova culpa. Deus enim poterat Judæis penitus condonare veterem culpam, & decem tribuum oblivisci: quemadmodum potuit Judæos (ut putat Responsor) per aliquot secula in terra sua explorare. Sed & verum non est, quòd decem tribus abductæ sint in terras incognitas nostris geographis. Scriptura enim nominat eas terras, 2 Reg. 18: 11. *Et deportavit rex Assyria Israëlem in Assyriam, & deduxit eos in Colchidem, & Chaboram, ad fluvium Gozan & urbes Mediæ.* An Assyria & Media sunt incognitæ regiones? Si non distinctè novimus, quæ sit *Chabora*, aut *Chalaeb*, aut quis *fluvius Gozan*, novimus tamen, eos locos Assyriæ & Mediæ vicinos fuisse.

§. 7. Item errat, quòd putat, eos non fuisse liberatos. Quum enim imperium Assyriorum occidisset & Babylonicum, quumque Cyrus earum terrarum dominus permisisset, qui vellet, de *omni populo Dei*, ascendere Hierosolyma; quid ipsos impedivit, quò minùs abirent ad sua? Fac, primos, qui cum Zorobabele profecti sunt domum, fuisse de tribu Judæ & Benjaminis; an deinde, & maximè sub Dario Notho & Artaxerxe Mnemone, & sub Macedonibus nulli potuerunt in suas sedes ex aliis provinciis reverti? Verum est: manserunt plurimi in Asia & ex Juda & ex aliis tribubus: an inde sequitur, illis non licuisse abire in Palæstinam, & nunquam quemquam eò reversum esse? Testatur Lucas in Actis cap. 2. in ea Pentecoste, qua effusus est Spiritus Sanctus, Hierosolymis fuisse religiosos ex omni loco: & nominatim Parthos, Elamitas, Medos, habitantes Mesopotamiam, Pontum, Cappadociam. Quis igitur dicet, decem tribus non fuisse liberatas ex captivitate?

Locus Jer. 3: 18.

§. 8. Non est nobis hîc omittendus locus Jer. 3: 18. *Illis diebus ibunt Domus Judæ ad Domum Israël & venient simul ex terra Aquilonis ad terram, quam hæreditandam dederam patribus ipsorum.* Quod ænigma iis rebus, quæ in Scripturis traduntur, significandis aptissimum est. Nempe 1. magnam partem domus Judæ, quæ reducta fuerat ex Babylone in terram, abituram à regno Dei & à terra sua in exilium & vagaturam inter gentes, tum alias, tum Aquilonares, in quas olim deductæ erant decem tribus à Salmanassare, & eodem cum illarum reliquiis loco fore. Ideò Hoseas dicit cap. 9: 17. *Spernit eos Deus meus, & erunt palabundi inter gentes.* Ideò subjicit Jeremias 3: 21. *Vox in culminibus auditur, ploratus supplex filiorum Israël: quia depravarunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui.* Quos affatur admonens eos de conversione. *Convertimini, filii contumaces.* 2. Id fore *in diebus illis*: dum nempe gentes accedent ad Hierosolymam ob nomen Jehovæ: postquam ea facta fuerit thronus Domini: & consequenter, throno Domini evecto supra cœlos, non jam amplius terrestrem, sed cœlestem. Nam, ubi thronus Domini est, ibi Hierosolyma est. 3. Deum aliquando utrorumque misersturum, ut, & ex aliis terris & nominatim ab Aquilone, colligantur & ad *fratres suos filios Israël*, hæredes fidei & benedictionis Israël, *redeant*, Mich. 5: 2. *ad Deum & Davidem*, h. e. Christum regem suum. Hos. 3. & 11. De qua conversione Jeremias loquitur vers. 23. 24. 4. Tum illos possessuros (cum Ecclesia Christiana, quippe sub Christo rege) terram, quam Deus patribus hæreditandam tradiderat. nempe, quum prædicabitur Euangelium in tota habitabili & Hierosolyma non amplius calcabitur à gentibus, sed fiet hæreditas Ecclesiæ Christianæ cum toto mundo.

CAPUT XIV.

De articulis fundamentalibus fidei Judaicæ.

QUÆSTIO XII.

Quinam & quam multi sunt præcipui articuli & fundamenta fidei Judaicæ? Articuli & fundamenta legis ac fidei nostræ sunt tredecim numero. I. ***Deum esse, causam omnium causarum, quo omnes indigent, cum ipse nullius alterius indigus sit.*** II. ***Hunc Deum unum, ejusque unitatem simplicissimam ac perfectissimam esse, nec ullum diversitatis modum admittere, qualiscunque etiam ille excogitari possit.***

§. 1. Possemus hunc articulum præterire. Sed sub voce *diversitatis* intelligunt etiam distinctionem Patris, Filii & Spiritus sancti. Quarum personarum nomen & divina gloria in sacris literis est testatissima. Et mirum est, quum articulo 6. dicant, quòd *Deus Spiritum suum communicet*, eos in hoc articulo negare, quod habeat Spiritum, quem mittere, dare, communicare possit. Nam, si nulla est in Deitate distinctio, Deus nec *Spiritum* habet, quem *communicare* possit. Est autem sine dubio *Spiritus Dei* vivens & volens & operans: & non est creatus: neque est *diversus* ab uno Deo: neque tamen is, qui *communicat Spiritum suum*, & is ipse *Spiritus*, quem *communicat*, est una persona.

§. 2. Nos non *excogitamus* illam distinctionem; sed audimus Deum de se testantem, quòd ipse sit Pater, Filius & Spiritus sanctus.

§. 3. Neque cogitationis nostræ modo ac mensuræ subjicimus eam distinctionem, sed contenti sumus, hoc pronunciasse & credidisse, quòd secundùm verbum Dei dicere intelligereque possumus: nempe, unam esse trium & gloriam, & voluntatem, & potentiam. Sed de ea re in superioribus actum est.

III. *Non esse corpus, nec formam aliquam corpus informantem, nec ulli accidenti corporeo subjectum.*

§. 4. Vera quidem hæc sunt, ut sonant. Sed putamus, eos in hoc articulo venenum occultare: nempe, quòd Deus non possit manifestari in corpore. Quippe quum non sit forma corporis. (Pro quo Moses Maimonides collector horum articulorum, qui eos recitat in commentario ad Misnam de Synedrio cap. 10. dicit, לא גוף ולא כוח בגוף *non corpus, non facultas in corpore.*) Id verò sublestum est & à ratiocinatione humana excogitatum, non verò à divino testimonio assumtum est. Deus autem non magis fit forma corporis à se assumti, quàm factus est forma sermonis, quem audivit Israël, aut nubis, in qua apparuit.

IV. *Esse æternum, qui ut nullum principium habuit, ita nullum unquam finem est habiturus, cum omnia præter ipsum principium habuerunt.*

§. 5. Altum hìc silentium de nomine Dei & virtutibus ejus, quas indicavit Mosi Exod. 34: 7. & alibi.

V. *Hunc solum esse adorandum, huic serviendum & obediendum, nec quenquam alium præter eum qui sit mediator inter nos & ipsum.*

§. 6. Mediatorem, qui non sit unum cum Deo, & nos non agnoscimus. Sed nec agnoscimus Mediatorem non adorandum. Quis autem præivit Judæis ad hunc articulum statuendum? Numquid Moses & Prophetæ, an patres illi, qui Hierosolymis judicati sunt, an propria ipsorum ratiocinatio? Mediatorem igitur abnegare primum in religione est? Itane peccatorem decet sine Sacerdote accedere ad Deum? Jer. 30: 21. Nullus igitur Angelus assertor, Angelus Testamenti, Sacerdos intercedens pro nobis, qui sit justitia nostra, nullus Propheta verba Dei loquens, nullus Dominus, nullus redemtor? In vanum igitur omne sacerdotium & omnis oblatio, neque quicquam significavit? Apud Maimonidem hic articulus verbis minùs suspectis conceptus est. *Ipsum τὸν εὐλογητὸν dignum esse, quem colamus, & magnificemus, & cujus magnitudinem notificemus, & ut faciamus præcepta ejus; neque similiter faciant ei, qui infra ipsum est in essentia de angelis, de stellis, de orbibus & elementis & quod ex illis compositum est: quippe quum illa omnia affixa sint operationi suæ sine judicio & electione: sed ipsi soli τῷ ὀνόματι τῷ εὐλογητῷ. Atque ita non convenit ea colere, ut sunt* אמצעים *media* (aut μεσῖται) *ad appropinquandum ad ipsum: sed ad ipsum solum contendent cogitationes, & omittent, quicquid præter ipsum est. Hoc fundamentum quintum est, quod monet vitare idololatriam. Pleraque lex hoc inculcat.*

VI. *Eundem spiritum suum communicare suamque voluntatem patefacere viris sapientibus & sanctis puta prophetis, quotiescunque sapientiæ illius ita visum fuerit.*

§. 7. Summa hujus articuli apud Maimonidem est, הנבואה *dari prophetiam.* Inepti sunt Judæi, qui putant, propheticam inspirationem pendere à bonitate ingenii & sapientia hominis.

VII. *Maximum omnium qui ullo unquam tempore fuerunt aut futuri sunt, prophetam fuisse Mosem, per cujus manum Deus legem suam dedit in monte Sinai.*

§. 8. Vetus est hic articulus, si loquatur de prophetis, qualium mentio facta est articulo sexto. Sed explicandum hìc fuerat, quis sit ille propheta, de quo est Deut. cap. 18. vers. 15. 18. qui Mosi præfertur. Nam de eo dicitur, quod de Mose dici non potuit: *Verba mea ponam in ore ejus.* Verba Domini loquetur, qui supra omnes est; non ex terra loquetur. Utile etiam fuerat, finem legis datæ non ignorare.

VIII. *Totam legem à prima ad ultimam usque literam à Deo Mosi esse datam, ejusque traditionem & interpretationem semper servatam & custoditam fuisse in consessu 70. seniorum.*

§. 9. Nos, Israëlitas legem accepisse per manum Mosis, credimus. Sed seniores non corrupisse interpretationem legis, sed eam integram servasse & custodivisse, quo argumento credemus? quum toties Scripturæ accusent Prophetas, Doctores, judices, legislatores, sacerdotes populi interversæ legis & in mendacium transmutatæ, &, quòd vanis præceptis populum oneraverint?

IX. *Legem quam Deus dedit per manum Mosis cum ejusdem traditione æternam esse, nec quicquam ei addi aut detrahi oportere.*

§. 10. Jam supra, quantum satis est, de differentia legis Christi à lege Mosis actum est.

X. *Scire Deum singulatim omnes hominum actiones, etiam cogitationes, nec quicquam eorum ei absconditum esse.*

XI. *Eundem legem suam observantibus præmia, & transgressoribus pœnas rependere, ac essentiam remunerationis in gloria animarum in vita æterna, pœnæ verò, in earundem abjectione in infernum consistere.*

§. 11. Nihil hic de remissione peccatorum, de justitia Dei, de salute. Velum scilicet in corde ipsorum jacet. Putant, peccatorem posse habere communionem cum Deo: & esse similem Deo, quum peccata sua confiteri cogatur: aut sine justitia justum esse: aut injustum esse sine pœna. Non minus peccatum est, quàm Deo attribuere corpus, ei attribuere similitudinem peccatoris.

§. 12. Peccat etiam Responsor, qui præmium *in* sola *gloria animarum in vita æterna* constituit. Oportebat etiam ipsum explicare, quid sit *animarum abjectio in infernum.* Nam, quid de interitu impiorum sentiat David Kimchi, videtur esse apertum.

XII. *Deum missurum liberatorem è domo Davidis, ex Salomonis stirpe; qui amplitudine honoris & dignitatis universos mundi reges qui ante ipsum fuerunt superabit, inque eo complementum habebunt omnes benedictiones & felicitates de quibus Prophetæ locuti sunt.*

§. 13. Quàm tenue hoc sit, quod de Messia exspectant, clarum est. Talis ferè est Messias Judæorum, qualem quidam, qui Christo nomen dederunt non verè, volunt esse Papam.

XIII. *Resuscitaturum mortuos eo tempore quod divina ejus sapientia præfinivit.*

§. 14.

§. 14. Numquid omnes mortuos? an solos justos? an omnes justos? Quare hæc non explicantur?

Hi sunt 13. articuli legis nostræ summatim comprehensi, unde multi alii oriuntur ac dependent, verum eos plenius tractare non est hujus loci.

§. 15. At in his articulis desit articulus fundamentalissimus, *Jesus est Christus & Dominus.* sine cujus fide nec Deus glorificatur, nec verè amatur; imò nec cognoscitur.

CAPUT XV.

An supersit Judæis spes Messiæ.

QUÆSTIO XIII.

Quo fundamento nixa est Judæorum spes & expectatio Messiæ tam diuturna? Quæsitor hic quæstione hac sua ostendit se parum versatum esse in sacris literis. Nam in his vix occurrit quaternio quæ non contineat solida, certa & perspicua fundamenta irrefragabilis verbi divini cui spes nostra innititur. & etiamnum quæritur quo fundamento expectatio hæc nostra nixa sit? Intelligere debebat quæsitor: etiamsi bis tanto majus quam elapsum est annorum spatium elaberetur, hoc in verè credentibus ne minimam quidem de verbis Dei diffidentiam gignere posse: meminisse etiam eum oportebat dicti Esaiæ cap. 40: 8. fœnum aret, decidit flos. Verbum autem domini nostri manet in æternum, *præsertim cum ista temporis prolongatio non præter opinionem nobis accidat, utpote quam dominus diu antea prædixit ne deficeremus animo. Sic enim propheta Oseas cap.* 3: 4. Filii Israël longo tempore erunt sine rege, sine præfectis, absque sacrificio, sine altari, absque ephod & sanctuario. *Propheta Jeremias in lamentationibus suis considerans longitudinem captivitatis ait cap.* 5: 20. Cur oblivisceris nostri in perpetuum, & deseris nos in longitudine dierum. Reduc nos ad te ut domum revertamur: renova dies nostros ut ab antiquis temporibus. *Ante omnia verò mirandum est quæsitorem hunc non attendere ad id quod Christiani dicunt, mundum expectasse adventum Messiæ per quatuor millia annorum. Tot enim anni sunt elapsi à peccato Adami ad illud usque tempus quo dicunt Messiam venisse. quæ expectatio fuit ad salutem animarum: & postea Judæos arguunt quod Messiam suam expectent à mille circiter & quingentis annis qui ipsos in terram suam & pristinam felicitatem restituat, cum tanta sit differentia inter utramque expectationem & tempora earundem. Sed hæc omnia divina providentia prævidit dicens per os Psalmistæ Psalm.* 89: 51. 52. Memento domine opprobrii servorum tuorum, quod ego porto in sinu meo à tot populis, quo te domine inimici tui lædunt, quo lædunt vestigia uncti tui, dicentes quod tam diu differat venire. *tandem velut profundo suspirio Psalmum concludens inquit. vers.* 53. dominus sit benedictus in æternum, Amen, Amen, *quasi diceret; dominus tamen in omnibus sit benedictus.*

Quæstio explicatur.

§. 1. RESponsor aut non videt aut dissimulat mentem Quæstionis. Neque enim hæc est mens Quæstionis, non esse omninò exspectanda Dei promissa, etiamsi in longissimum tempus proferantur: aut, non potuisse Christi adventum in longum differri: sed, an Judæi producere possint testimonia Scripturæ, quibus probent, nondum omnia signa præcedentia adventum Christi exstare, tempora omnia, quæ in Scripturis definita sunt, nondum esse impleta, qualitatem temporis, in qua debuit exhiberi, nondum præteriisse, & eum, qui prædicatus est Messias, ita prædicandum fuisse, quum tamen Christus sive Messias non esset, antequam verus Messias veniret, ut ita per verbum Dei cogantur illum ejurare & alium exspectare. Ad hæc debebat respondere Judæus vel sibi vel nobis. Sibi: quia fieri non potest, ut non audiverint Judæi, quod majores illorum jam questi sunt: בְּחַסְדָּאִי כָּלּ הַקִּצִּין וּבֶן דָּוִד לֹא בָא *impleta sunt omnia tempora, & filius David non venit.* Quod quum audiverint, debent magnam rationem habere, quare non tantùm filium Davidis, qui prædicatus est Messias & creditus à multis Israëlitis & à gentibus, non recipiant, sed etiam, quare adhuc Messiam exspectent. Nobis: ut nos non fallamur & decipiamur, qui quærimus Deum Israëlis cognoscere & legem ejus observare. Nisi non putant se nobis debitores esse, qui non tantùm homines sumus, sed jam salutem eò usque processimus, ut, legem Mosis & Prophetiam à Deo esse, ex animo confiteamur. Quod si non putant, profectò ipsi à lege Dei facienda longissimè absunt.

Falsa Judæorum persuasio de prolongatione temporis ex Esai. 60: 22.

§. 2. Solent Judæi, ut se in hac hæsitatione solentur, proferre locum Esaiæ cap. 60: 22. *in tempore suo accelerabo illud.* Id dividunt, quasi dictum esset, *Aut in tempore suo hoc fiet, aut accelerabo illud.* nempe, si Judæi mereantur, Deum ea promissa acceleraturum: si non, tamen in tempore suo venturum Christum.

§. 3. Atqui 1. nulla est hîc nota talis disjunctionis & conditionis. 2. Simplex autem sensus est, ea, quæ promissa sunt, singula, & imprimis illa proximè dicta, *suo tempore & celeriter* futura esse, copulativè, non disjunctivè. 3. Pugnat hoc cum illo vetusto: *Tempora impleta sunt, & filius Davidis non venit.* Qua querimonia qui utuntur, solent se aliter consolari. nempe venturum quidem fuisse suo tempore Messiam, sed propter peccata Israëlis adventum ejus ultra tempus protolli. Neque sanè potest quisquam meritò conqueri, quare Christus non ante tempus veniat: sed, quare non in tempore definito venerit; & quidem quum jam per mille sexcentos annos illa querimonia audita sit. quæ mendacii arguit Habacucum 2: 3. *Veniendo veniet, & non post tempus veniet.*

Locus Hos. 3: 4. 5.

§. 4. Unum tamen locum videtur Responsor protulisse, qui in speciem ad hanc Quæstionem referri possit, ex Hos. 3: 4. 5. ubi prædicitur, *Per dies multos sessuros filios Israël sine rege & principe,* &c. *postea autem se conversuros, & quæsituros Jehovam Deum suum & Davidem regem suum, & trepidaturos ad Jehovam & bonum ejus in fine dierum.*

§. 5. Hactenus bene, quòd agnoscit cum aliis Rabbinis, eum locum loqui de præsenti ipsorum statu, in quo constituti fuerunt inde à deletis Hierosolymis.

§. 6. Sed, dum hoc testimonium allegat Responsor, se ipse incredulitatis condemnat. Nam 1. Hoseas non dicit, post illos *multos dies*, quibus in illa conditione & in illo statu versati fuerint filii Israël, demum venturum Messiam: sed Israëlitas quæsituros Messiam & trepidaturos ad bonum Dei. 2. Hoseas, dum dicit, post illos dies Israëlitas se conversuros, apertè significat, Israë-

Iſraëlitas per illos multos dies non agnituros nec quæſituros Jehovam Deum ſuum & Davidem regem ſuum, nec bonum Dei: ſed à Deo & bono ejus & rege Meſſia averſos fore. Nam, ad quem quis convertitur, ab eo priùs averſum eum fuiſſe, neceſſe eſt. Quòd igitur ibidem comparantur cum *ſcorto*, quod emitur, cuique dicitur, *Non ſcortaberis, & non fies viri ſive nubes viro:* id non ſignificat Iſraëlitarum in cultu Dei rectitudinem; ſed tantùm, quòd non habituri ſint idola aut templum, cum quorum alterutro ſcortati fuerant antea; &, quòd Deum quidem Iſraëlis ſint nominaturi, ſed ita, ut eum revera non quærant, nec bonum ejus, nec regem ſuum Meſſiam agnoſcant.

Locus Thren. 5: 20.

§. 7. Non diffitemur, Jeremiam in Threnis cap. 5: 20. deplorare propheticè longitudinem iræ in Iſraëlitas. Sed, ex eo effici, non priùs veniſſe Meſſiam, quàm Deus illam iram effundat in populum: quum contra Chriſti repudiatio ſit cauſa iræ illius in longiſſimum tempus productæ. Sunt autem, quæ propheta dictat, verba vel reſipiſcentium ex Judæis poſtremis temporibus, vel credentium ex ipſis & pro carne ſua, quam vident in cæcitate & πώρωσει conſtitutam, intercedentium.

CAPUT XVI.

De reſurrectione mortuorum ut regnent cum Chriſto in terra.

QUÆSTIO XIV.

Quid boni in hoc mundo à Meſſia expectant, qui moriuntur antequam venerit? Eandem hanc quæſtionem propheta Eſaias domino proponit dicens cap. 26: 13. 14. domine Deus noſter, alii quidem domini præter te imperitant nobis, tui tamen ſolius memoriam tenemus domine: mortui non manent in vita, extincti non ſurgent: nam viſitans excidiſti eos, & memoriam eorum abolevisti, *perinde eſt ac ſi diceret, domine adverſa multa perpetimur, in miſeriis ac infortuniis morimur & in morte manemus. quo pacto ergo in hac vita fruemur bono, qui populum tuum afficies ſi mortui non reſurgant? huic dominus reſpondet verſ.* 19. Mortui tui vivent & in corporibus ſurgent. Vigila & gloriare tu quæ jaces ſub terra: Nam ros tuus eſt ros virentis campi, & terra mortuos eructabit. *Ecce hoc eſt bonum quod expectant certa fiducia in Dei verbum quicunque moriuntur ante adventum Meſſiæ. Malachias ſimili utitur dialogiſmo Dei nomine colloquens cum populo cap.* 3: 14. dixiſtis, ſupervacuum eſt ſervire Deo, & quid prodeſt præceptum ejus obſervare & duriter coram eo vivere? *Ad hoc reſpondet dominus,* Revertemini & videbitis quodnam ſit diſcrimen inter pium & impium, & inter eum qui coluit & non coluit Deum: *Et ſequenti capite dicit,* Revertemini in mundum ac tum intelligetis quod ſit diſcrimen inter bonum & malum. *Ita ergo huic quæſtioni ſatisfactum.*

Locus Eſ. 26: 13. 14. *Duplex reſurrectio.*

§. 1. Summa eſt, Mortuos ante Chriſti adventum reſurrecturos, quum Chriſtus venerit, ut cum ipſo regnent in terra. Ei rei citat Reſponſor Eſaiam & Malachiam. ineptè utrumque. Eſaiæ cap. 26. verſ. 13. & 14. nihil ad rhombum faciunt. Eccleſia verſ. 13. conqueritur, quòd *alii domini ipſi imperitaverint præter Deum.* Notat igitur id tempus, quo Eccleſia libera non debebat aliis dominis, præter Deum, ſubeſſe. Quod eſt tempus novi Teſtamenti. Commemorat autem, quòd homines præſumſerint ſe Eccleſiæ præponere, ut in eam dominatum exercerent. Confitetur interim Deo, quòd is ipſis dederit fidem, ſapientiam & fortitudinem, ut commemorarent nomen Dei. Nam homines ipſi imperitantes hoc non egiſſe, ut nomen Domini ipſi notificarent. Verſ. 14. deplorat contumaciam hominum mortuorum in peccatis, qui ad lucem vitæ videbantur perveniſſe. Negat, mortuos revixiſſe, reſurrexiſſe putrefactos. Tum commemorat judicium Dei, idque juſtificat. *Ideò viſitabas & profligabas eos, & abolevisti omnem memoriam illis.* Ex quo intelligitur, eos *mortuos*, de quibus loquitur, viſos eſſe vivere & in terra viventium, hoc eſt, in medio populo Dei, tanquam membra ejus, egiſſe. Verſ. 19. ſanè promittitur reſurrectio his verbis: *Vivent mortui tui, cadaver meum ſurgent. Expergiſcimini & cantate, procumbentes in pulvere. Nam ros olerum ros tuus, & terram orcus faciet cadere* ſive *enaſci.* Id verò accipiendum eſt de mortuis, qui per gratiam ſanctificationis excitantur ex morte ſpirituali & ex ſomno erroris. *Mortui tui*, qui dati ſunt tibi hæreditas. *Cadaver meum*, quos ego aſſumſi, ut eos membra mea facerem: qui nunc ſunt πτῶμα & cadaver. Ita, quando Iſraëlitæ convertentur, erit tanquam *reſurrectio mortuorum* Non eſt Novum Spiritui ſancto per mortuos intelligere homines in reatu & ignorantia veritatis & peccatis jacentes: & per mortuorum reſurrectionem idem intelligere, quod per illuminationem cæcorum, apertionem aurium ſurdarum, per ſanationem, per purificationem & renovationem juventutis. Ita David verbo Dei attribuit vivificationem. Nulla neceſſitas eſt, ut hic intelligamus eorum, qui ante Chriſti adventum mortui ſunt, reditum ad vivos, ut corporalibus & terrenis bonis fruantur. Id nemo negabit, qui totum caput rectè reſolvet. Quod exponi, niſi per prophetiam Novi Teſtamenti, non poteſt. Violenta interpretatio eſt, premere propriam ſignificationem verborum, ubi id non flagitat intentio loquentis & rei natura & cæteræ partes ejuſdem ſermonis. Ita violentum eſt, quod de ſalvandis ex mundo, qui in malo & in morte jacet, intelligi poteſt, contendere, de iis, qui in gloriam introducti ſunt, ſecundùm ſpiritum, intelligendum eſſe. Præſertim, quum Eccleſia de talibus loquuta ſit in præcedenti verſu. *Parturivimus, torminâ ſenſimus, tanquam peperimus ventum. Salutes? Non faciebamus terram, & non cadunt* (ſive *naſcuntur*) *habitantes frugiferam.* Ei querimoniæ quaſi de ſterilitate reſpondet Spiritus ſanctus: *Vivent mortui tui*, qui tibi filii & hæreditas dati ſunt, *& terram orcus pariet*, hoc eſt, Eccleſia nova ex portis inferni prodibit.

§. 2. Alioqui & nos ſperamus & firmiter credimus, omnes, qui in fide promiſſionis mortui ſunt, per Chriſtum vivificandos eſſe noviſſima die, ut ſint cum ipſo in æternum. Quæ ſatis magna erit remuneratio laborum, quos exantlarunt. Neque deſiderabunt filii reſurrectionis edere & bibere in terris, ſed ſaginabuntur aſpectu Dei. Pſalm. 17: 15. *SATIABOR, quum evigilabo, τῷ εἴδει σȣ ſpecie tua*, h. e. viſione tui, quemadmodum es, nempe quemadmodum dignatus es fieri Deus meus ac hæreditas mea. Qui *ſatiantur*, nihil deſiderant præter id, quo ſatiantur, & in eo acquieſcunt.

Locus Malachiæ 3: 14.

§. 3. Locum Malachiæ conturbatè citat Reſponſor. Sed potiſſimum vitium in eo eſt, quòd aliquid addit de ſuo. *Et revertemini in mundum.* Nos quidem non diffitemur, reverſuros filios hominum (Pſalm. 90. verſ. 2.) ſuo die in corporibus ſuis: ſed hoc loco nihil neceſſe eſt intelligi reſurrectionem mortuorum. Propheta enim nihil cogit nos intelligere, quàm, ſuperſtites in hac vita ſuo tempore *viſuros, vice verſa, quid interſit inter improbum & juſtum, inter eum, qui colit Deum, & qui eum non colit.* Nota eſt phraſeologia verbi שוב pro iterum vel viciſſim agere. Pſal. 71: 20. *Qui me feciſti videre anguſtias multas & malas,* תשוב תחייני *converſus vivificas me*, h. e. viciſſim vel vice verſa vivificas me: *& ex abyſſis terræ* תשוב *vice verſa aſcendere me facis.*

§. 4. Neque negamus, hoc pertinere ad defunctos. Quaſi illi non videant opera Dei. Nam, ut Apoſtolus dicit Epheſ. 3. verſ. 10. *nunc principatibus & poteſtatibus in ſupercæleſtibus notificatur per Eccleſiam multifaria ſapientia Dei.* Antè pudebat Jacobum filiorum ſuorum, quamvis ipſe non eſſet in terra; nunc verò non pudet eum ipſorum, quum videt eos opus manus Dei ſanctificantes nomen ejus. Eſai. 29: 22. 23. Confer. Malach. 4: 6. *Et convertet cor patrum ad filios.*

C A P. XVII.

CAPUT XVII.

De Messiæ partibus in ultimo judicio & vita beata.

QUÆSTIO XV.

Quid proderit Judæis Messias in extremo judicio, novissimo die; & postea in altera vita ubi cum Judæis commorabitur? Nam tandem illi sicut alii omnes morientur & mundus interibit. Quia quæsitor existimat Judæos de Messia suo eadem sentire quæ Christiani sentiunt, ideò multæ ei difficultates occurrunt, sed cum docuerimus liberationem Messiæ non spiritualem esse sed corporalem, ut in quinta diximus responsione, quæstio hæc non habet difficultatem. In die judicii & altera vita nullo est opus Messia, & quod hic præsupponit, mundum scilicet interiturum, non est res adeò expedita quin multa in contrarium argumenta reperiantur. ut non sit articulus fidei, & Deus solus novit quid futurum sit.

§. 1. IN hac responsione duo animadvertenda sunt. 1. Quòd negat, Messia in die judicii & altera vita opus fore. 2. Quòd dubium facit, an mundus hic sit interiturus.

Messias est judex in ultimo die.

§. 2. Quod primum attinet, contradicit Scripturis. Quomodo enim Messia non opus erit in die judicii, quum ipsi datum sit judicium? Psal. 72: 1. Ezech. 21: 27. vel 32. & ipse sit constitutus judex, Esai. 16: 5. sedens ad dexteram Dei, in throno Dei, Psalm. 110: 1. Zachar. 6: 13. habens principatum fine fine. Esa. 9: 6. 2 Sam. 7: 13. & sit sacerdos in æternum. Psal. 110: 4. pater æternitatis. Es. 9: 5. & proferat judicium ad veritatem. Esa. 42: 3. & sit Goël, Assertor, & Dominus, & hæres, & Angelus sive Mediator Testamenti, in quo habemus adductionem ad Deum, & sine quo non possumus neque decet accedere ad Deum. Jer. 30: 21. quum sit filius *primogenitus*, Zach. 12: 10. inter multos fratres: *cui dati sunt pueri* salvandi. Esai. 8: 18.

Christus Cœlum novum & novam terram faciet.

§. 3. Quod alterum attinet, non in eo difficultas est, an mansura sit cœli terræque substantia; sed in eo, quum Deus promiserit, se conditurum cœlum novum & terram novam, & quidem se conditurum æternitatem, Esai. 65: 17. 18. an non debuerint Judæi exspectare primùm quidem abrogationem illius status rerum, qui fuit ante Messiæ adventum, ut omnia fierent nova; deinde abolitionem omnis carnis, & omnis ejus, quod caro & corruptio vocatur in sacris literis, & omnis hostis, Psalm. 110: 1. ipsius adeò mortis & mortalitatis, Hos. 13: 14. & adductionem vitæ immortalis, sine cibis & potibus, per virtutem spiritus Christi? Quam vitam æternam, in qua homo deliciatur in Deo solo, quum non ponant in suis articulis fundamentalibus, videntur nec credere.

CAPUT XVIII.

De integritate Hebræi Codicis S. Scripturæ.

QUÆSTIO XVI.

An Judæi per hæc tempora Hebraicum Sacræ Scripturæ textum habeant ac retineant in pristina sua veritate & puritate? Ad solutionem hujus quæstionis sufficiebat solum illud annotasse, quod omnia Bibliorum exemplaria quæ usquiam extant non una syllaba aut litera differant. quod evidens est argumentum incorruptæ eorum veritatis, cum in nostrorum hominum licet toto orbe dispersorum, & diversis terrarum nationibus subjectorum codicibus nulla appareat differentia. Et ne quis scrupulus restet, adducam testimonia scriptorum qui pro fide dignissimis & sanctissimis habiti inter Christianos, hoc ipsum apertè profitentur. Augustinus in libris de civitate Dei scribit, non esse credendum quod Judæi ulla ratione S. Scripturam contaminaverint, & complures adfert rationes huic veritati firmandæ. I. Quia videtur impossibile esse ut omnes ita consentiant in una eademque voluntate & pravâ intentione, ut cum dispersi sint per universos terræ angulos nemo inter ipsos reperiatur qui tam insigni injustitiæ & sacrilegio sese opponat, cujusmodi est S. S. literarum depravatio. II. Quia codices authentici Hebræorum tam vetusti quam recentiores per omnia convenire deprehenduntur, quamlibet diversis temporibus & longè dissitis regionibus descripti. Hoc est manifestum integritatis eorum argumentum. Nec ullo modo putandum est tam innumerabilem populi multitudinem, cui in captivitate sua nullum majus bonum ac solatium superest codicum sacrorum puritate, eos depravare velle explendæ malevolentiæ, & odio adversus aliquem populum aut nationem concepto. Hæc ferme quoad substantiam verba sunt Augustini. Idem contendit Hieronymus libro Hebraicarum quæstionum; & Beda libro sexto de ætatibus mundi, & Thomas Aquinas super Epistolam Pauli ad Romanos cap. 9. Alexander de Imola in consulationibus suis eandem veritatem asserit. Idem Augustinus expositione in Psal. 40. appellat nos thesaurarios sacrorum librorum. Id ipsum quoque confirmat libro 18. de Civitate Dei cap. 43. Porrò quoniam confessio ipsa adversariorum plus valet quam centum testes, huic articulo satis solide videmur occurrisse.

Quia nos non facimus Judæis controversiam de integritate Codicum, quibus utuntur; neque negamus, fidelem fuisse Deum, qui ipsis concredidit oracula sua, atque etiam prædixit, verbum suum usque ad ultimos dies mansurum in ore ipsorum, ut testetur contra ipsos: Deut. 31: 19. 21. ideò hanc Responsionem transmittimus. Tantùm propter eum, qui Quæstionem hanc proposuit, aut alios, qui dubitant de veritate fontium Hebræorum, & putant, ex versionibus, ut Græca aut Chaldæa, non rarò lectionem esse corrigendam, hoc addo: Non posse nos acquiescere in ulla versione, utut vetusta, aut ullius versionis editione: quia in illis versionibus non reperimus eam interpretum peritiam aut prudentiam aut religionem, quæ possit nos *πιςῶν certiorare ad fidem*: atque, etiamsi eruditionem & attentionem maximam in illis reperiremus, tamen non sunt *θεόπνευςοι divinitus inspiratæ* hominibus Dei; neque possunt haberi earum verba pro verbis Spiritûs sancti: quin etiam versionum illarum editiones ita sunt conturbatæ & collutulatæ, ut, qui ex illis velit tanquam meliorem sensum eruere & eum scriptis sacri codicis verbis præferre, nonnisi ingenio suo possit niti. Deinde nos in omnibus partibus verbi Dei ad *ἱερὰ γράμματα sacras literas* & *γραφὴν*, כְּתוּב, *τὸ γεγραμμένον, quod scriptum est*, amandari, tanquam ad divinum medium, per quod erudiamur ad salutem: non verò ad interpretationem Judaicam sive Græcam sive Chaldaicam, atque adeò *βαρβαρόφωνον*. Denique de carmine contra Judæos testaturo mandatum esse, ut scriberetur, & promissum esse, hoc modo & hac ratione futurum, ut non per oblivionem tollatur ab ore illorum. quod *ἀναλόγως* de reliquo verbo Dei intelligendum est. Nam sine eo Carmen hoc non poterat testari contra eos, quòd *fœdus Dei* (quod in lege & prophetis explicatur) *irritum fecissent*. Deut. 31: 20. Non est verisimile aut credibile, Deum, volentem promissioni suæ satisfacere, vigilasse pro versione, quæ auctoritatem & *αὐθεντίαν* habere non potest, & incuriosum fuisse circa *ἱερὰ γράμματα*, quæ debebant nos sapientes facere ad salutem, & per quæ sermo Dei & mens ejus disci debebat, ut crederemus non hominibus sed Deo. Præterquam quòd religio & pudor necessariò inhibuit gentem, ne quid in litera mutaret & quidem in omnibus ubique codicibus: expositio autem fuit unicuique libera permissa, & variè fuit inter Græcos & Chaldæos pronunciata ab illis, qui Hebræis uti non poterant; ut Chaldæa interpretatio à Josepho Cæco, Græca versio ab Hellenistis.

C A P U T XIX.

De Interpretatione Scripturarum, & Traditione seu Catechesi.

Q U Æ S T I O XVII.

An solis Judæis licitum Scripturas interpretari & sensum eum sequi qui maximè ipsis arridet? Cum dominus benedictus promulgaret legem suam in monte Sinai, dicebat Moysi postquam populus decalogum ex ore ejus audivisset ut populum universum dimitteret in tabernacula sua, ipse verò maneret, percepturus divinam voluntatem ut populum deinde ex ea instruere posset. Sicut etiam scriptum est in Deuteronomio cap. 5: 30. Vade & dic eis, Revertimini omnes in tabernacula vestra: tu contra hîc coram me stabis ut edisseram tibi omnes leges, præcepta & instituta quæ docebis illos, &c. ***Itaque Moses in monte commoratus est 40. diebus & totidem noctibus. quo tempore dominus ei revelavit expositionem legis, quam legem mentalem dicimus, & hanc Moyses communicavit senatui ac nominatim Josuæ discipulo suo, idque ita continuo temporum successu per traditionem fuit observatum, Deo addita pœna sanciente ei ut obediretur, his verbis:*** Si qua difficilis aut ambigua controversia inter vos existat in judicio, adscendes in locum, quem dominus Deus tuus eliget, &c. faciesque secundum id quod vobis prædicto loco monstrabitur, &c. non recedes ab eo neque ad dextram neque ad sinistram, &c. & vir qui superbè egerit recusans obedire, morte mulctabitur, &c. ***Hæ traditiones comprehensæ sunt libris Misna & Thalmud dictis: secundum has necesse est S. literas interpretari, nulloque alio modo. Harum traditionum veram successionem per complures ordines generationum continuatam plurimisque authoritatibus testatam habemus. quas si cuilibet (l. quas quilibet) per occasionem inspicere & evolvere potest: & sic propositæ quæstioni abunde satisfactum putamus.***

Traditio vera.

§. 1. Mosi fuisse revelata arcana legis, non vocamus in dubium. Eum fideliter docuisse Josuam & alios Seniores ac discendi cupidos, etiam non dubitamus. Quin etiam Deum excitasse prophetas, qui populum ac principes ejus revocarent, ut converterentur ad Deum (quæ conversio consistit in fide promissionis patribus factæ) asserimus: & eorum prophetarum discipulos non fuisse extinctos, credimus: atque adeò usque ad Malachiam traditionem fundamenti non fuisse ablatam à populo, docemus; & timentes Deum, increbescentibus Pharisæorum & Saducæorum perversis studiis, inter se collocutos esse, propter Malachiæ prophetiam persuasi sumus; denique Zachariam patrem Baptistæ & Simeonem & Anneam inter eos fuisse, nobis liquet: & Johannem Baptistam cor filiorum ad patres reduxisse, novimus: post quem Euangelium magna vi prædicatum est. Unde certi sumus, nos in Euangelio veram *Cabbalam* sive *Traditionem* habere. Et nostræ Traditionis *διαδοχὴ successio* habet testimonium in Scripturis, Judaicæ in solo proprio ore & scriptis Talmudistarum.

Traditio incerta.

§. 2. Sed Deut. 17. judicem vel judices aut sacerdotem vel sacerdotes accepisse auctoritatem ad interpretandum legem sine demonstratione ex lege, aut contumaciæ reum fuisse, qui simpliciter dicto judicis aut sacerdotis non paruerit, negamus.

§. 3. Neque videmus, quomodo Responsor probet, Catechesin sanctorum mansisse integram omni tempore, ita ut *verba Dei non mutarentur in mendacium & sacerdotes non recederent à lege & multos non facerent impingere & offendere*: atque adeò quidem, ut ad interpretationem eam, quæ in Misna & Talmud continetur, adstringamur, neque liceat nobis quicquam eorum habere suspectum, & in eo libro censeamus totam interpretationem comprehendi. Hæc sanè sunt *μεγάλα αἰτήματα*. Quare propositæ quæstioni minimè satisfactum putamus.

Pharisæi corruptores legis.

§. 4. Imò scimus, Pharisæos *clavim cognitionis occultasse* & adhuc occultare, Luc. 11: 52. quia fidem Christi & justitiæ Dei non bene explicant: eosque *fermentum admiscuisse sua doctrina*, Matth. 15. & 23. Luc. 12: 1. & nec veram justitiam legis, neque veram resipiscentiam, in fide & charitate, docuisse. Matth. 5. & 23: 23. cum quo convenit Mich. 6: 8.

§. 5. Et quid opus est verbis? Totum Euangelium; quod in Mose & Prophetis reperimus, in Misnah & Talmud non reperimus. Quomodo igitur erimus adeò dementes, ut credamus, nobis interpretationem Legis ex Misna & Talmud esse unicè & in solidum hauriendam; quia Judæi dicunt, Catechesin integram mansisse in ore patrum, & eam in Misnah & Talmudesse inclusam? Quum illi, qui hoc dicunt, ubique in Scripturis corripiantur, quòd recesserint à via, & quidem non tantùm discipuli, sed & doctores; & in eo judicio positi sint, quod transgressoribus fœderis Deus est comminatus? Qua re nihil dementius fieri potest.

Locus

Locus Deut. 17.

§. 6. Abarbenel ad cap. 17. Deut. notat, judices Synedrii magni *Deos* fuisse appellatos, quòd divina majestas inter ipsos resideret. eoque fine citat Psalmum 82. *Deus stat in cœtu Dei, in medio Deorum judicat.* Certè sunt appellati *dii*, quia datum erat ipsis verbo illo, quod ipsis concreditum erat, homines obligare ad obedientiam: Deus etiam in medio illorum erat, quamdiu ipsum amabant & timebant; & non penitus recedebat ab ipsis, ut populo proponerent legem Mosis, & aliquam saltem partem priscæ Catecheseos. At Psalmus ille non tribuit ipsis infallibilitatem & fidelitatem: sed potiùs ostendit, Deum venturum ad populum Dei & illos Deos publicè correpturum, quòd injustè judicarent; & denique illos casuros, perinde atque reges & principes cum thronis suis cadere & interire solent.

§. 7. Abarbenel satis est subtilis in suo commentario, quærens, quam ob causam tribus modis dicatur: *Et facies secundùm hoc verbum, quod indicabunt tibi; juxta legem, quam docebunt te; & juxta judicium, quod dicent tibi, facies.* Dicit, per דָּבָר *verbum indicandum* significari *Cabbalam* sive Traditionem; per תּוֹרָה *legem docendam*, *interpretationem Scripturæ;* per *judicium dicendum* præcepta, quæ propter rationem temporis & loci, aut alioqui ad *sepiendam* obedientiam legis Seniores poterant dare.

§. 8. Sed observandum est, Scripturam primò in genere dicere, *& indicabunt tibi verbum judicii.* Quo significatur, ipsorum officium esse consulentibus indicare *rationem judicandi* sive decidendi. Deinde jubet, ut faciant secundùm *verbum* sive *rationem, quam indicaverint;* & specialiùs, *observare facere secundùm ea, quæ docuerint*, vel *commonstraverint.* Hoc enim est הורות. Id inculcat; secundùm *doctrinam*, sive *commonstrationem, quam facient tibi*, & *secundùm judicium, quod dicent tibi, facies*, q. d. Israëli non esse attendendum ad verba humana, sed ad *legem*, *commonstrationem*, *judicium*, quo verum à falso discernatur ad conscientiam. Tum redit ad prius: *Non recedes à verbo* vel *ratione*, *quam indicabunt tibi, ad dextram vel ad sinistram.*

§. 9. Fateor, statim etiam imperari obedientiam erga Sacerdotem aut Judicem, & quidem sub pœna capitis: sed hæc pœna non erat infligenda ei, qui simpliciter non obediret, sed, qui non obediret per זָדוֹן *ferociam & contumaciam.* Quòd si autem quis rectè & verè dicere potest: *Oportet potiùs Deo obedire, quàm hominibus:* tum non obedire, non est *contumacia.*

§. 10. Si concederemus Abarbeneli, per דָּבָר *verbum* intelligi *Traditionem* sive Catechesin, nihilominus tamen non liqueret hinc, potuisse separari Catechesin à תּוֹרָה *lege;* quam sine dubio dedit Moses & scriptis comprehendit.

§. 11. Nulla autem in eo dicto comparet Promissio de infallibilitate Senatûs sive Synedrii; sed tantùm præscribitur officium & respondentibus & consulentibus.

§. 12. Abarbenel putat, Synedrium nihil potuisse statuere & respondere, nisi quod verum & rectum esset. Allegat tamen & Veteres ex Siphri, qui dixerint, etiamsi Synedrium dicat dextram sinistram & sinistram dextram, parendum fuisse. De eo dicto inquirit, quem sensum habeat. Dicit, 1. Id posse accipi ratione judicii consulentis. 2. Alios tamen, ut R. Nissim, id simpliciter accepisse. nempe, quòd in plurimis quidem & præcipuis Synedrium non sit erraturum, sed tamen in paucis & minoribus errare possit: & nihilominùs ei sit obtemperandum. Quam sententiam ipse rejicit. Distinguit autem inter præcepta generalia, & ea, quæ propter tempus & locum oporteat aliter fieri, quàm præceptum generale dictat. Ita posse fieri, ut lævum sit dextrum pronunciandum, dextrum autem lævum.

§. 13. Satis apparet, Judæos vim facere legi, quæ præcepit in eadem pericopa cap. 16:20. *Justitiam, justitiam* prosequendam; & alibi vetuit quicquam addi ad ea, quæ scripta sunt, aut ab illis detrahi; & legi Dei attribuit, quòd sit clara, fatuum sapientem faciens; & scribas culpat, quòd legem Dei fecerint mendacium. Quomodo enim, his manentibus, credemus, Deum voluisse nos credere interpretationi Synedrii sine demonstratione; & id, quod ex Scripturis didicerimus, non admittere; quia Synedrium id non dixit, & in Misnah & Talmud non continetur?

§. 14. Dinde Scriptura dicit, quum excesserit aliqua res intelligentiam & captum tuum ut dijudicare non possis: כִּי יִפָּלֵא מִמְּךָ דָבָר לַמִּשְׁפָּט, *quum mirabilis fuerit aliqua res præ te ad judicium.* Numquid nihil planum, nihil apertum, nihil quòd intelligi possit, ut tota Scriptura reperitur, de quo ad conscientiam mens divina nobis possit patefacere? An omne judicium de sensu & interpretatione Scripturæ suspendendum fuit, usque dum consuleretur Synedrium? Et, si nemini licuit docere & mentem Scripturæ aperire, quomodo licuit Prophetis (qui, quum Prophetæ essent, tamen non loquebantur nisi auctoritate legis, & ex lege erant judicandi, an in nomine Dei loquerentur) in nomine Dei loqui, qui Senatores non essent; neque ulli fuit capitale, non consulto Synedrio, ex Mose & cum Mose loqui, imò ipsum Synedrium & reges in nomine Domini corripere?

C A P U T XX.

De potestate dispensandi & judicia exercendi.

Q U Æ S T I O XVIII.

Ad quem pertinet potestas dispensandi de præceptis & legis observatione, pœnisque transgressores afficiendi? Ex testimoniis Scripturæ superiore responso allegatis clarum est ad quem authoritas de præceptis legis dispensandi pertineat, cum dicitur, surges & abibis in locum quem Dominus ad hoc elegit. *quo significatur Synedrium magnum uno & 70. senatoribus constans ad similitudinem Mosi: & 70. seniorum ei adjunctorum. & de his accipiendum quod sequitur,* non deflectes à verbo quod eo in loco præcipietur tibi neque ad dextram neque ad sinistram. *Hic senatus aut quilibet etiam Propheta pro vero Propheta agnitus & receptus authoritate pollebat de omnibus præceptis & ritibus legis dispensandi ad certum tempus, præterquam in idololatriæ quæque illi annexa erant interdicto. Nam de hoc expressum est edictum quo occidere jubemur eum qui huc nos inducere vellet Deuter. 13. Huic etiam senatui aliisque judicibus per Judæorum oppida constitutis jus & potestas competebat plectendi facinorosos quemque pro delicto suo, ut in Talmude tractatu de Hane (l. Sanedrin) docetur & fusè declaratur. Verum ex quo tempore propter peccata nostra captivi abducti è patria, & in varias regiones dispersi sumus, Propheta cum prædicto illo synedrio cessantibus, nemini competit authoritas dispensandi de ulla præceptorum legalium parte, præterquam in casibus quos viri illi eruditione præstantes scripto consignatos nobis reliquerunt in Misna & Talmude, recitatis exemplis eorum quæ ipsorum temporibus acciderunt. & quod attinet transgressorum legis supplicia, solo mortis supplicio excepto, quod extra patriam degentibus non permittitur nobis ex lege, omnes aliæ pœnæ executioni mandantur per judices à congregatione delectos in omnibus urbibus & locis exilii nostri juxta potestatem à principibus & magistratibus concessam sub quorum imperio vivimus.*

Potestas, quæ in Veteri Testamento fuit data Synedrio.

§. 1. FUisse Synedrii, in quibusdam casibus & circumstantiis, explicare, mentem legis non esse, ut in talibus circumstantiis & in tali tempore quædam legis præcise observarentur, possumus concedere.

Ea non tollebat singulorum de singulis rebus judicium.

§. 2. Sed privatorum non fuisse ea, quæ sunt charitatis, præponere legi dogmatum, minimè admittimus. David cum sociis suis esuriens edit de panibus sacerdotum, & non peccavit.

Supervacua sub Novo Testamento potestas dispensandi.

§. 3. Nunc autem, postquam lex dogmatum non tenet amplius, tali dispensatione non est opus.

Nullum præceptum morale propriè est dispensabile.

§. 4. Inter præcepta autem dispensabilia solum præceptum de idololatria excipi, absurdum est. Nullum enim præceptum cotum, *quæ qui facit, in eis vivit*, est dispensabile aut mutabile. Ita, exempli gratia, præceptum de honore parentum non est dispensabile propter votum aut consecrationem rei suæ, quasi ullo tempore sacrilegium posset esse aut fieri per hominis religionem parentes honorare. Quod tamen senserunt Judæi, teste Christo Matth. cap. 15. vers. 5. & scriptis eorum. Ita homicidium nunquam est licitum: quemadmodum Cajaphas putabat, melius esse unum hominem mori, quàm totam gentem perire. Johan. cap. 11. vers. 50. Ita furtum nunquam potest fieri licitum. Aliud est distinguere inter furtum & non-furtum: aliud de lege dispensare, sive eam non observare in certo casu. Potest evenire, ut pro tempore actus externus cultus divini omittendus & differendus sit, ut præcepta secundæ tabulæ exsequamur membris nostris.

Potestate plectendi transgressores non semper rectè usi judices.

§. 5. Quod attinet pœnas & judicium, verum est. Deum imperasse populo & judicibus, ut interficerent eos, qui legem Mosis protervè transgrederentur, & alioqui homicidium committerent, aut ad falsos Deos colendum alios inducere conarentur. Illos tamen ea potestate rectè semper usos, non constat. Constat potiùs, eos sæpe ea abusos. Multos enim Prophetas & sanctos viros & ipsum Dominum & discipulos ipsius interfecerunt. Unde Zophonias cap. 3: 1. urbem Hierosolymam, & quidem illo tempore, quum *vidit assertionem* Dei & *audivit vocem ejus* (vers. 2. 5.) vocat הָעִיר הַיּוֹנָה *urbem persecutricem*; & vers. 3. *principes in medio ejus* vocat *leones rugientes, judices lupos vespertinos, qui manè non exossaverunt* ullum cadaver, hoc est, famelicos.

Judicia capitalia à Judæis ablata.

§. 6. Quod attinet capitales pœnas, earum irrogandarum potestas ablata est multis annis ante templi destructionem. ut testatur Talmud & historia Euangelica. Factum id sanè singulari Dei providentia: ut ita patesceret odium in Christum immane; qui quum potuissent contenti esse tali castigatione, quali contenti fuerunt in transgressoribus aliis, non desierunt sævire contra Christum, priusquam is morte affectus esset. Et debuit Christus coram Pontio Pilato externo judice accusari, & ab eo innocens pronunciari, & per manus canum sive peccatorum cruci affigi. Ita & celebrior facta fuit ipsius passio, & testatior resurrectio.

Quam potestatem hodierno tempore habeant Judæi.

§. 7. Cæterùm, quod Hoseas dicit cap. 3: 4. per multos dies sessuros Judæos *sine principe*; id fatetur Kimchius in hoc exilio ipsorum compleri. Quod Responsor gloriatur, Judæos *per judices à congregatione delectos in omnibus locis exilii omnes pœnas executioni mandare*, præter capitale supplicium; id ego non credo esse verum. Neque enim magistratus Christiani tam stulti sunt, ut permittant Judæis iram suam exercere in eos, qui Christi discipulos se profitentur, quam in Christum & discipulos ejus exercuerunt patres ipsorum; quorum ipsi judicia approbant & viam tenent.

Potestas, nisi ministrandi, docendi, arguendi, & scandalosos vitandi nulla est in regno Dei penes homines.

§. 8. Tamen quid ille, qui hasce Quæstiones proposuit, spectaverit in hac quæstione, non planè pervideo. Fortassis is homo somniavit aliquam potestatem supereminentem, quæ perpetuò debeat esse in Ecclesia; per quam dispensatio fiat, & pœnæ transgressoribus infligantur. Nos statuimus, in regno Dei, quod non est de hoc mundo, nulla opus esse tali potestate. Una enim sola lex fidei per charitatem efficacis obtinet in regno cœlorum; quæ non admittit dispensationem. nullam habemus legem cerimonialem, quæ dispensationi videatur subjacere. Transgressores autem legis Euangelicæ, quum ii manifesti fiunt, non capitali pœna afficiuntur ab Ecclesia, neque mulctis coërcentur, sed judicantur ab Ecclesia, quæ ipsos dedignatur fratres appellare: sæpe etiam semetipsos judicant, dum eos, qui ipsos reprehendunt, ferre nolunt, à se abigunt & expellunt, seque à congregatione sanctorum abscindunt.

CAPUT XXI.

De conversione & apostasia.

QUÆSTIO XIX.

Utrum Judæi Christiani facti & in ea professione defuncti ob legem Mosis neglectam salvandi an damnandi sint? Quandoquidem præsentem dissertationem modestis & bene compositis verbis exequi statuimus, huic quæstioni continens me intra modestiæ terminos ita respondebo, ut tantùm duos S. Scripturæ versiculos recitem. In quorum primo ostenditur æternitas fœderis Dei cum populo suo quamdiu generationes erunt. Verba hæc sunt Deut. 29: 14. Non enim facio hoc fœdus & juramentum solum vobiscum, sed una cum vobis qui hodie hic adestis, & nobiscum statis coram Domino Deo nostro & cum iis qui hodie nobiscum non sunt. *Secundus statuit æternum supplicium, venturum super omnes hujusmodi animas quæ fœdus Dei violaturæ, ab eoque deflexuræ essent, his verbis Num.* 15: 30. Et quando anima ex voluntaria malitia sive indigena sit sive advena Dominum aspernatur, excindetur anima talis è populo suo. Nam verbum Domini contempsit & præceptum ejus violavit. Anima hæc excindetur & manebit peccatum ejus super ea. *hæc paucula suffecerint pro multis aliis quæ hîc dici possent.*

Moses faciens fœdus nomine Dei cum populo, non stipulatur perpetuam observationem legis cerimonialis, sed rectam sententiam de Deo & justitia ac regno ejus, & causa salutis, & promissione & Euangelio & liberatione. &c.

§. 1. NEque ego aliud dicam, quàm quod Moses in duobus illis locis dixit. Tantùm, quod Moses pleniùs dixit, quàm noster Responsor, id repetam. Moses igitur Deut. 29: 14. protestatur, *Se non tantùm cum præsentibus facere fœdus*, h. e. stipulationem proponere illis tantùm, qui tum vivebant, & qui tum stabant coram Domino, sed etiam cum illis, qui ibi non erant cum ipsis. Hactenus rectè Responsor. Sed idem non attendit ad ipsam stipulationem.

§. 2. In ea stipulatione nullum verbum est de observatione institutorum, quæ per Mosen data erant populo Israëlitico. ut vel inde pateat, Mosen hoc in loco, in quo comprehendit absentes & omnes omninò, quotquot Deus visitaturus erat aut adducturus, non injungere perpetuam observationem eorum institutorum, quæ post irritum factum fœdus Dei per vituli adorationem populo imposita erant.

§. 3. Duo autem stipulatur Moses. 1. Ne respiciant ad Deos tales, quales viderant in Ægypto & apud Amorræos, & eos colant. 2. *Ne sit in ipsis radix fructificans veneno & absinthio.* hoc est, in ipsorum cordibus niduletur sententia habens pestiferas & amaras consequentias, eaque inter ipsos invalescat & corroboretur multorum consensu, antiqua traditione & ra-

& ratiocinationibus, atque ita abutantur lege Mosis & eam in mendacium convertant. quemadmodum à Judæis factum arguit Jer. cap. 8. vers. 8. Quod quum disertè dictum sit à Mose, non possunt in bona conscientia & ex certa scientia pronunciare contra *Judæos Christianos factos*, quòd non steterint in fœdere Dei, & radix venenata in ipsis fruticaverit, nisi priùs demonstrent, & fidem Christianam esse talem radicem, & velle perpetuò observari instituta Mosis nullamque Christianam libertatem dari, id demum esse radicem malam excludere. Atqui Christiani multò meliori jure dicere possunt & dicunt, hanc esse radicem pullulantem veneno & absinthio, opinari, Deum cum Israëlitis & tunc præsentibus & omnibus nondum præsentibus, sed imposterum futuris atque adducendis hac conditione fœdus de justitia pepigisse, ut eam quærerent ex lege, & per observationem omnium præceptorum carnalium, sive ceremonialium. Idque ipsis promtum est demonstrare. 1. Quia omnia illa, quæ à Mose instituta sunt post μοσχοποιΐαν, nihil ad justitiam conferre possunt. Atque ideò sacrificia Judæorum sæpe rejiciuntur. ut Psa. 40. & 50. & 51. idque in oppositione melioris sacrificii. 2. Quia Abrahamus justificationem consecutus est ex fide. 3. Quia gentibus promissa est benedictio in Abrahamo, atque ita in fide Abrahami. atque ita omnes credens justificatur. Hab. 2: 4. 4. Quia quamdiu instituta illa vigent, aliquo modo viget maledictio, & ab ea penitus liberati non sunt. Quippe quum omnis suspensus in ligno sit maledictio; & à peccatore exigatur quasi satisfactio & sacrificium pro peccato.

§. 4. Omitto alias demonstrationes. Nam pœna, quam incurrerunt Judæi, quæ in capite hoc Deuteronomii graphicè descripta est, ostendit, eos non abesse à culpa, cui hanc pœnam interminatur Deus: nempe, quòd in ipsis sit radix pullulans veneno & absinthio.

§. 5. Omitto & hoc. Ex ipso fructu radix cognosci potest. Nam & Moses specificat aliquem fructum. nempe hunc, *ut qui audiens adjurationem dicat in corde suo*, *Pax mihi erit, quum in obfirmatione cordis mei ambulabo*. q. d. Lex Dei nihil aliud postulat, quàm quod ego cogito. Quum tamen propriæ *cogitationes* & ratiocinationes sint à duro corde & cum cogitationibus ac viis Dei non conveniant. Es. 55: 7. 8. 9. Quantum sibi & suis consiliis fidant Judæi, non tantùm audientes adjurationem, & sæpe cordis duri & duræ cervicis accusati, sed etiam manum Dei sentientes, in aperto est.

§. 6. Sed, quia & hoc generalius est, & pertinet ad omnes, qui non per fidem verbi divini regenerantur & alii homines fiunt atque alia consilia suscipiunt, suis abjectis, Moses etiam specialissimè fructum amarum indicat. *Ad addendam satiatam* sive satiatum, hoc est, satiatos, *sitienti* sive sitientibus. Quid verò hoc est aliud, quàm postulare, ut satiati sic vivant, ut sitientes? Hic verò Judæi se ostendunt planè talpas. Nam, quæ sitis sit Veterum, quod desiderium, quæ exspectatio, quæ spes, penitus ignorant: neque igitur intelligunt, quæ sit sitis expletio, quæ consummatio, quæ consolatio, quæ lætitia satiatorum. Attamen hîc debebant sibi ipsi esse suspecti, &, quum nihil habeant, quod idoneum sit ad explicandum hoc ænigma (si modò est חִידָה *enigma* seu non nisi docto atque exercitato pervia oratio, & non קָלִיצָה clarus & rem exprimens sermo) non damnare eos, qui satiatos se gestiunt, quibus pax, bonum, justitia, salus prædicatur, quique ei prædicationi credentes Deo gratias agunt, & ejus nomen celebrant & omnibus modis ejus amorem testantur. & eos propterea damnare, quòd se putent non ampliùs obligari, ut ita vivant, quemadmodum olim vixerunt, qui id Euangelium exspectarunt. Quod quum faciunt, certè satiatos addunt sitientibus, filios nuptiarum compellunt ad tristitiam & ærumnam, eos, qui in sanctum sanctorum introducti & in eo uncti sunt spiritu filiorum, extrudunt in atrium & ad servilem operam adigunt. Palam est enim, qui desiderant audire Euangelium & non audiunt, esse *sitientes*; quique id audiunt, & ei credunt, & propterea lætantur, esse *satiatos*; &, qui eos cogunt esse in eodem statu & similiter vivere atque agere, eos addere satiatos sitientibus. De qua enim siti priùs aut citiùs intelligemus Mosen, quàm de ea, quæ tunc in populo Dei necessario erat? & de qua satietate, quàm de ea, quæ illam sitim tollit? Et qui innuuntur non conjungendi in statu & vitæ ratione, quàm quorum diversa debet esse conditio? Qua quidem re nihil planius excogitari potest.

§. 7. Neque huic sensui tam manifesto quicquam potest opponi. Nam vel hic sensus verus est, vel nullus hujus dicti sensus est. Quod non dico propterea duntaxat, quia omnes aliæ expositiones, qui afferuntur à Judæis aut ab aliis, ineptæ sunt: sed quia illis omnibus idem opponi potest, quod nostræ. Nihil enim nostræ opponi potest, nisi quòd aliquis Christianus eam indicavit, cujus nulla est auctoritas, obligans ad ejus expositionis fidem. Atqui hoc idem omnibus expositionibus opponi potest, sive illæ à Judæis proferantur, sive ab aliis. Si igitur non debet recipi sensus, quem non commendat auctoritas indicantis, nullus sensus recipiendus est. Nullus enim eorum, qui eos indicant, auctoritatem habet.

§. 8. Sed agamus demonstrativè. Satiati sitientibus addendi non sunt. Audientes Euangelium satiati sunt; qui id desiderarunt audire & non audiverunt, sitientes sunt. Ergo credentes Euangelio iis, qui id non audiverunt, addendi non sunt, ut faciant unum κεφάλαιμα & sine distinctione commisceantur. Si quis contra majorem excipiat, eam universalem non esse: is excipiet contra Mosen, eumque exinaniet. Quasi is dixerit, Aliquos satiatos aliquibus sitientibus non esse addendos, & id indeterminatum relinquens auditorem dimittat incertum & ambiguum: quum tamen magnum judicium intermineretur; nempe Deum non esse id condonaturum. Deinde ne dubitandum quidem est, non convenire eadem sitientibus & satiatis. Nam satiati nec sitire possunt, neque ea agere, quæ sunt sitis. Denique sitientes, qui satiantur, sunt tantùm ii, qui sitiunt, quod satiare potest; & satiati non conjungendi & confundendi cum sitientibus sunt tantùm illi, qui gustarunt & biberunt eam aquam, quæ sitim omnem plenè tollit atque interimit. Ita ex ipsis vocibus clarissimè patet, de qua re Moses loquatur.

Non Apostoli sed Judæi violarunt fœdus.

§. 9. Quum igitur hoc evidens sit, jam tempus erit, ut Judæus dispiciat, in quos competat illud verbum, *Dominus non volet remittere*: numquid in Apostolos & eorum discipulos, qui satiati sunt & ut satiati agunt, non ut sitientes; an Judæi, qui nobis imponunt omnia, quæ Moses imposuit vituli adoratoribus, ut in eis justitiæ & Euangelii desiderium ac sitim accenderet.

§. 10. Profectò, quum hæc se ita habeant, ii, qui credunt Euangelio, demum credunt Mosi: qui autem eis non credunt, ii nec Mosen nec legem audiunt. Quod & S. Paulus demonstrat Gal. 4: 21.--- 31.

C A P U T XXII.

De Judæis relapsis.

Q U Æ S T I O XX.

Quomodo excusare se possunt Judæi qui ad Judaismum resiliunt postquam semel fidem amplexi & religionem Christianam professi sunt? Multò justius quæri posset quam justam excusationem obtendent Tyranni qui liberos Judæorum animos tanta violentia & sævitia ad Christianam religionem amplectendam coëgerint. Nam immanis fuit eorum tyrannis ut descriptio ejus librum implere posset. Verum nunc contentus ero verba Episcopi Hieronymi Osorii quæ extant historiarum suarum de Manuele rege Lusitaniæ libro primo, ubi vim quam rex ille adversus Judæos exercuit appellat illegitimam, injustam, malam & crudelem. *quam igitur insulsum est quærere quam ob justam causam Judæi libertatem sibi sumant à tam aperta tyrannide deficiendi qua coacti sunt ad credendum id quod non credebant, & amandum quod penitus aversabantur. Imo quanto justius quæreretur, quomodo excusare se possint Judæi quod reliquerint legem majorum suorum quam in sempiternum observandam acceperant ex ipso ore Dei creatoris omnipotentis, qui legem tanta cum gloria & magnificentia dederat illis in monte Sinai; legem ab omnibus populis*

pulis pro vera agnitam. quo privilegio nulla alia religionum quæ in mundo obtinent fruitur. Hæ quippe approbantur solum à sectatoribus suis. quomodo excusabunt quod defecerint à lege, quam patres ipsorum per tot annos constanter retinuerunt? quomodo excusabunt quod acceperint novas leges & religionem quam non tradiderunt ipsis majores eorum? Hoc pacto objectio sive quæstio rectius formaretur, & non, quam rationem obtendere possint reversioni suæ ad Judaicam religionem? Etenim licet supra dictæ rationes pro nobis non militarent, expedita tamen esset ad hanc quæstionem responsio ex multis S. Scripturæ exemplis, veluti Jethronis, Ruthæ & Naamanis, qui cum gentiles essent vera Dei Israëlis notitia imbuti & ad Deum conversi legi se subjecerunt, quod & omnes gentes facturæ sunt Jeremia teste cap. 16: 19. Dominus est fortitudo mea & robur meum & asylum in die angustiæ. Gentes ad te venient ab extremis mundi finibus dicentque, certe majores nostri falsitatem & vanitatem hæreditaverunt, eorumque cultus nihil prodest. Nam quomodo homines Deum facient cum ipsi non sunt dii? *Hinc apparet hanc quæstionem nullo solido fundamento esse subnixam.*

Non nostra est hæc quæstio. Et prætermitterem responsionem, nisi duo hæc forent animadvertenda. 1. Quod Lusitani, qui dicuntur sævisse in Judæos, hoc didicerint à judæis, qui, quanta potuerunt immanitate sævierunt adversus Christum & ejusdem discipulos; & adhuc, si qui ab illis ad nos veniant, eos, quantum possunt, persequuntur: &, si quis existat vir fortis & temerarius, qualis Barcochebas fuit, isque felicibus utatur progressibus, profitentur se paratos esse ad exscindendum omnes, qui ipsis nolint obedire. 2. Quòd Responsor eos, qui Christiani fiunt, inexcusabiles dicat, quia accipiant novas leges & religionem, quam non tradiderint ipsis majores. Si Majores intelligit, qui Christum crucifixerunt, fatemur, nos aliam legem & aliam religionem accepisse: sed, si *majores* intelligit Mosen & Prophetas, negamus, nos novas leges & aliam religionem suscepisse. Credimus enim Apostolis, qui nihil extra Mosen & Prophetas, & quæ ii dixerant futura esse, dixerunt & docuerunt. Quod autem lex ab omnibus est agnita; id vel maximè Euangelio acceptum referri debet, per quod veritas legis & prophetarum patuit. Neque est, quòd Judæi gloriam legis transferant ad opiniones suas & abnegationem ac recalcitrationem suam.

CAPUT XXIII.

De Judæis Christianam religionem profitentibus non sincerè.

QUÆSTIO XXI.

An Judæi servari possunt qui non circumciduntur nec legem observant, in regionibus ubi hoc illis non permittitur, imò directe contrarium faciunt profitentes Christianam religionem contra conscientiam suam, adorantes statuas, missam frequentantes, & negantes se Judæos esse, quamvis animo sint? Duo sunt genera hujusmodi hominum qui hac quæstione delineantur. Primum est eorum qui habitant in provinciis ac regnis ubi non solum observare legem prohibentur, sed & portus exitusque omnes ad discessum eorum impediendum ipsis occluduntur. Hi homines coram Deo rei sunt quod non exquirunt rationes quantumvis cum vitæ suæ periculo conjunctas per quas in liberas regiones possint evadere. Vitæ siquidem dominus disertum dedit præceptum Deut. 6: 5. Diliges dominum Deum tuum ex toto animo, ex toto corde, cunctisque viribus tuis. *Unde patet dilectionem Dei omnibus aliis rebus prævertere & anteferri oportere. Exempla quoque Hananiæ, Misaelis, Hazariæ eandem veritatem manifestè confirmant, qui maluerunt in fornacem ardentem conjici quam simulacrum adorare aut venerari Dan.* 3. *Veruntamen quia dominus Deus est misericors & multæ longanimitatis, rationem habens humanæ infirmitatis, quæ tanta est ut manere eos faciat in regionibus ubi tantas persecutiones sustinent, mitigat lenitque severitatem suam & gratiam illis facit, quatenus videt animos ipsorum ad sui cultum esse propensos, sicut in multis casibus nos docuit experientia. Alterum genus est eorum qui in hujusmodi provinciis ac regnis habitant, unde non prohibetur illis exitus, sed liberum est proficisci quocunque libet. Isti homines prorsus sunt rejecti & abominati coram domino, dignique qui pereant, utpote veri adoratores aurei vituli, qui privati compendii sui causa & studio congerendæ pecuniæ Deo propter mundum & mundo propter Deum imponere se posse sperant. Hique miselli homines sibi ipsis persuadent, se pio scilicet affectu Deo placituros, neque considerant expressum Dei verbum dicentis Deut.* 30: 14. quod præcipio tibi prope te est in ore tuo ut facias illud. *diciturque ibidem exsertè ad legis observationem necessarium esse ut eam ore profitearis, corde credas & factis exequare. Itaque præstaret illos non habere notitiam veritatis, quam habentes eam contrarium simulare. Nam tum aliquem haberent obtentum quo nunc prorsus carent, siquidem perspicuè norunt quæcunque ad salutem ipsis sunt necessaria. docet hoc Propheta Es.* 26: 10. *dicens:* Miseratus sum malos qui justitiam non didicerunt in terra correptionum, damnabitur & Dei gloriam non videbit. *Cogitare deberent quam ingrati sint adversus creatorem suum, qui eduxit eos ex incendio Sodomæ, ubi ad similitudinem uxoris Lothi, cum iter suum persequi & ad liberum locum contendere debeant, retrò spectant, & in medio itinere consistunt, velut in lapidem salis conversi, seduci & excæcari se patientes prospero negotiationis successu, obliti providentiæ divinæ,*

qua

qua ut Propheta David testatur, impii graminis instar virescunt, omnesque operatores malitiæ bene agunt ut postea in æternum deleantur. & sicuti sapiens ait: felicitas malorum occidit eos & securitas impiorum interitum ipsis adfert. *His tertium adhuc hominum genus addi potest, qui simulationis specie primo generi haut absimiles sunt, iique tales qui cum genere sint Israëlitæ animo verò Christiani, nihilominus tamen tortura & capitalis supplicii metu, fatentur Judæos se esse quamvis non sint. His Deus hoc pacto viam aperit perveniendi ad veritatis notitiam modò attenderint, ut perpendant secum numquid veri in judicio inquisitionis reperire possit, dum tantum inoxii sanguinis profundunt, ipsosque vi cogunt contra conscientiam suam profiteri. De talibus Ezechiel juxta literam locutus est, inquiens cap.* 20: 32. quod cogitatis volumus facere ut gentes, & ut alii in terra adorantes lignum & lapidem, hoc frustrabitur vos. Ita vivam, inquit dominus Deus, volo vobis imperare in manu forti, brachio extento, & furore effuso. *Ita videmus homines istos manu valida captivitatis, extento brachio tormentorum & cruciatuum, & effuso furore sive æstu periculorum metuque amittendæ vitæ profiteri se Judæos esse ac Deum Israëlis pro rege suo agnoscere. quod si his rebus moti ab errore non resiliant, palam est quo reatu se obligent.*

§. 1. ET quæstio est inepta & responsio non per omnia est proba. Quæsitor *statuas & missam* putidè cum Christianismo conjungit: Responsor Christianismi professionem vocat *adorationem aurei vituli*. Quod tantùm de adoratione statuarum & panis in Missa dici rectè potest.

De loco Deut. 30: 14.

§. 2. Idem non intelligit locum Deut. 30: 14. Nam is agit de veritatis Evangelicæ notitia publica. Quod non opus sit aliquem ampliùs in cœlum ascendere, vel ultra mare abire & inde redire, ad afferendum verbum fidei, sive dilectionis Dei & circumcidentis corda à conscientia peccati (tanquam expiatione indigentis) & ab odio justi judicis & à timore servili: quum Christus de cœlo descenderit & à mortuis reversus sit ad id verbum proferendum, & per spiritum, quem is impetravit, qui est spiritus fidei, corda circumcidantur ad diligendum Deum.

De loco Es. 26: 10.

§. 3. Ita alienè allegat locum Es. 26. vers. 10. Qui ita vertendus est. *Gratiosè tractatur improbus, non didicit justitiam, in terra quaquaversum patente ad rectum aspectum & incessum injustè agit, & non videt erectionem Domini.* Vel, *Parcetur improbo*, qui *non didicit* &c? Hæc est pars Cantici, quod Propheta vaticinatur postremis temporibus canendum à populo Dei. Quo commemoraturus sit ea, quæ fuerint acta in mundo & Ecclesia per varia certamina, donec Deus visitet peccata terræ. In qua commemoratione exhibentur verbis aptis cogitationes Ecclesiæ, quas habitura erat distinctis temporibus, & alloquia spiritus ad eam Sed non hoc jam agimus: tantùm Judæi oscitantiam notamus.

De iis, qui se simulant Judæos, quum non sint.

§. 4. Qui & ubi sint homines tertii generis, Israëlitæ gente, animo Christiani, qui dicant se Judæos esse metu capitalis supplicii, quum non sint, equidem nescio. Nam, ubinam Judæi prohibeantur à gentibus fieri Christiani, ignoro. nisi forte indigitat eos, qui, quum didicerint veritatem Evangelii, propter inquisitionem se non audent Reformatos profiteri, sed simulant se Judæos esse. Quòd si tales intelligit, pravissimè illis attribuit consilium adorandi lignum & lapidem. Reformati enim non adorant lignum & lapidem, sed Deum verum rupem salutis. Locus ille Ezechielis non in tales competit, sed in Judæos. Ab omni tempore alieni fuerunt à fœdere Dei. Id negari non potest. Propheta enim id ipsis exprobrat, commemorans ipsis, quomodo in Ægypto, in deserto, in terra Canaan se gesserint. Deus declarat, se, ipsis invitis, regnum habiturum in ipsos. Ordine autem explicat, quomodo cum ipsis acturus sit. 1. Quòd ipsos collecturus sit ex populis & terris, quò dispersi erant. Id incepit facere Cyrus, continuarunt Darius, Artaxerxes Mnemon. Porrò deinde sub Græcis ea congregatio processit, donec cœperunt habere reges suos & terram suam obtinere. 2. Quòd eos sic collectos deducturus sit in desertum populorum. Id factum est, quando facti sunt pars ditionis Romanorum, & Romanorum multitudo habitavit inter ipsos cum potestate. 3. Quòd *ibi esset cum ipsis disceptaturus coram, facie ad faciem, quemadmodum cum patribus disceptaverat in diserto Ægypti.* Audituri igitur fuerant in illo statu, quum adhuc essent populus collectus, sed jam redactus in ditionem gentium (quæ ditio cum *deserto* comparatur) vocem Dei, increpantis ipsos: eamque non minus immediatè audituri fuerant, atque eam patres audiverant in deserto Ægypti. Hæc est manifestatio gloriæ Dei coram oculis omnis carnis, Esai. 40. vers. 5. sive *Φανέρωσις Θεȣ̃ ἐν σαρκί.* 4. Quòd, velut pastor oves virga discriminat, ita ipsos discreturus sit virga sua, & alios quidem introducturus in vinculum fœderis; sed *rebelles & defectores secreturus*, eosque *educturus ex terra peregrinationum suarum;* ex terra Canaan, dissipata republica Judaica: & quòd *in terram Israel*, h. e. terram, quam dat vero Israëli in toto mundo, & in Ecclesiam Dei, *non sint intraturi.* Hæc sunt, quæ videmus. Iis, qui crediderunt, datus est locus in mundo, non sine certaminibus, hactenus: sed victi non sunt. Judæi perdiderunt rempublicam & terram, & ad eos, qui crediderunt, quibus datur [illegible] *terra*, sive *κληρονομία τȣ̃ κόσμȣ*, non aggregantur. Cætera, quæ sequuntur apud Prophetam, non opus est hîc explicare. Sufficit, Judæo ostendisse, quòd ea testimonia, quæ allegat, non intellexerit.

C A P U T XXIV.

De decem tribubus in captivitatem abductis.

Q U Æ S T I O XXII.

Ubi nunc sunt decem tribus Israëlis quæ ab Assyriis captivæ abductæ sunt, & quid de illis futurum est? Propheta Esaias ad utrumque quæstionis hujus membrum exactè respondet, quando ita loquitur cap. 27. *vers. ultimo.* Et erit in die illo ut magna infletur tuba, ac tum venient perditi in regionibus Assur & ejecti in regionibus Ægypti, & Deum adorabunt in monte sancto Hierosolymis. *Nam cum eos qui in terram Assur captivi abducti sunt* perditos *vocet, indicat nemini compertum esse posse ubi nunc sint. Alias si sciri hoc posset quomodo* perditi *dicerentur? Cum ergo Scriptura eos* perditos *dicat, consequens est abditos & occultos mansuros, donec infinitæ Dei sapientiæ visum fuerit eos in apertum rursus producere, perinde ut Josephus duobus & viginti annis in Ægypto occultus fuit, antequam de illo quippiam innotesceret, Deo rem sic disponente. & cum propheta ait,* Et adorabunt dominum in monte sancto Hierosolymis,

mis, *respondet ad secundum membrum hujus quæstionis quid de illis futurum sit. Disertè enim dicit, eos Hierosolymam redituros ut ibi Deum adorent. Eodem modo Oseas refert cap.* 1: 11. Filii Judæ & filii Israëlis colligentur, & unum sibi caput præficient, èque terra proficiscentur. Magnus enim est dies Israëlis. *Ezech. cap. 37. à versu 15. ad finem usque fusè itidem describit decem tribuum reditum Hierosolymam, & ut se rursus subdituri sint regno alicujus è stirpe Davidis, cui non obedierunt ex quo adversus illud rebellaverunt, sicut ibi plenius commemoratur.*

§. 1. Etiam in his locis evidens est stupor Judæi Responsoris. Ponit, decem tribus non esse reductas, & alicubi in exilio esse, sed nesciri, ubi sint. Si nemo scit, ubi sint, quomodo ullus scit, eos alicubi esse & latere? Quis hoc ipsis dixit? Qui abducti sunt à Salmanassare, in eos locos abducti sunt, qui postea facti sunt potestatis Cyri. Quotquot essent reliqui de populo Dei, qui vellent redire in patriam suam, iis potestatem facit Cyri edictum. In captivitate unus populus fuerunt, quotquot adhæserunt legi Mosis; non fuit ipsis causa digladiandi de regno & templo. Omnes Judæi nominati sunt. Horum pars magna ex omnibus tribubus reversa est in terram Canaan, partim ducibus Zorobabele & Ezra, partim libertate proficiscendi usi privatim. Multi etiam manserunt in omnibus terris ditionis Persarum, Græcorum, & postea Romanorum ac Parthorum. Liberè in illis manserunt. Quoties libuit, Hierosolymam adierunt: donec urbs & politia eversa est: ex quo omnes sunt, ut Hoseas dicit cap. 9. vers. 17. נודדים בגוים *palabundi in gentibus.* Sed de ea re egimus etiam supra ad Quæst. XI.

De loco Jer. 3: 18.

§. 2. Ex quibus facile est intelligere, quod Jeremias prophetat cap. 3: 18. Cujus versus duplex esse sensus potest. Non ut relinquatur sensus incertus & ambiguus, sed ut sub iisdem verbis intelligantur diversa, quæ conjuncta sunt. Primò sic: *In diebus illis* (quum gentes adibunt Hierosolymam, ut est vers. 17.) *ibunt domus Juda ad domum Israël.* Hoc enim notat, etiam, postquam Christus revelatus fuerit, & gentes jam per Euangelium inceperint vocari, futurum esse schisma inter cæteros *Israëlitas* & veram *domum Jude. Domus Jude* enim revera sunt illi, qui Christi sunt, qui ex Juda est, & in eo censentur. Ab iis cæteri Israëlitæ nomine suo secernuntur. Sunt *Israël* & non *domus Juda*, h. e. deficiunt à regno domus Davidis & Judæ, quod Christus gerit. *Ibunt ad illos*, h. e. eos alloquentur toto tempore, quo gentes intrabunt. Tandem *venient una ex terra Aquilonis ad terram, quam hæreditatem assignaveram patribus vestris.* Speramus enim, Judæos conversum iri & cum Ecclesia possessuros, ut totum mundum, ita etiam terram Canaan.

§. 3. Secundum sensum jam supra edidimus ad Qu. XI. Gentes confluent ad Hierosolymam: at Judæi, postquam in terram reducti fuerint, palabuntur in gentibus; &, ut imitabuntur peccatum decem tribuum sub templo Solomonis, ita cum reliquiis earum per totum mundum exulabunt: donec tandem utrique & ab aliis plagis mundi & ab Aquilone revertantur ad possessionem terræ suæ, quam Deus dabit Ecclesiæ. Cui rei convenit, quod de inobedientia & pœnitentia Judæorum legitur vers. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Quam expositionem, ut à sequentium connexione confirmatam & magis literalem præterimus. Et Dei veritas attestatur hactenus.

De loco Es. 27: 13.

§. 4. Locum, quem promit Responsor ex Esai. 27. vers. 13. concedo loqui de recollectione, quæ adhuc futura est. Sed sciendum est, capita 23. 24. 25. 26. 27. cohærere. Quorum capitum explicationem per historiam Responsor nobis quum non det, nec certè dare ex suis hipothesibus possit, non est exspectandum, ut sani quicquam de hoc loco dicat. Est *Assur*, est *Ægyptus.* Principes Assur & Ægypti ii sunt, qui maximi habentur in mundo, & cum quibus negocium est Ecclesiæ. Assyrius est is, qui Assyriam tenet, & ii, qui ipsius sectæ sunt & ipsius socii sunt. Turcæ, Persæ, Tartari ad Assyrium regnum pertinent. Apocalypsis cap. 11: 8. monet, *Ægyptum spiritualiter*, hoc est, in stilo Spiritus Sancti, per ænigma, *vocari Civitatem illam magnam, in qua Christus crucifixus est.* Ea civitas est imperium Romanum. In eo Ægyptus fuit, quum Cæsarem dominum habere incepit. Post accessit Judæa. Ejus imperii summum caput nunc est Papa. Idem nomen retinet, quod olim habuit. Et verò Ægyptum ereptam calcaverunt etiam Pontificii exercitus. Neque iis, qui in ea jam rerum potiuntur, de dominio controversiam non faciunt. Habet is rex & Pharaonis instar. Et in eo imperio peregrinatur Ecclesia ut olim Israël in Ægypto, & partim persecutionem patitur, partim ex manu opprimentium educta est. Qui igitur sub illo sunt. *Ægyptus* sunt. In Assyria sunt, qui ad Ecclesiam pertinent, & *pereunt.* non quòd lateant & nesciantur, ubi sint, sed quòd malè habeantur & miseri sint, multis modis; ut constat de Græca Ecclesia. Sic Jacob fuit *Syrus periens*, h. e. *miser.* Deuteronom. 26. vers. 5. At in *Ægypto* sunt נדחים *propulsi*; qui coguntur patrias fugere & exulare, quia bestiam & imaginem ejus non adorant.

§. 5. Prius oportuisset Responsorem fidem Apocalypseos elevare, & ejus vanitatem ostendere, quàm confidat, se quid nobis persuasurum, carptis verbis prophetiæ, cujus filum & argumentum ignorat.

§. 6. Nos tamen & facile patimur, hunc versum sic explicari, quemadmodum modo vers. 18. c. 3. Jeremiæ exposuimus. Adorare autem Hierosolymis est Deum adorare in cœtu sanctorum collecto in nomine Christi, qui Hierosolymis revelatus est.

De loco Hos. 1: 11.

§. 7. Locus Hoseæ 1: 11. vel 2: 2. jampridem impletus est: quando omnium tribuum fideles miserunt Paulum & socios ejus ad gentes, & ipsi eos, ut communionem pœnarum populi effugerent, secuti sunt, relicta terra. Confer, quæ diximus ad Es. 52: 11. Si populus Dei jubetur exire Hierosolyma, ut inquinata, non potest dubitari, quid sit, quod dicit Hoseas, *Tribus Israël exire ex terra.*

De loco Ezech. 37: 15.

§. 8. Locus Ezech. 37. à vers. 15. cœptus est impleri, eo, quòd ex captivitate reducti sunt omnium tribuum homines; quodque illi unus populus extiterunt, unum Senatum, unum Sacerdotem, unum aliquando regem habentes; quodque ex omnibus tribubus crediderunt in Christum; à quibus separati sunt, qui ei inobedientes extiterunt. Deut. 29. vers. 21. Quod autem incepit fieri, id in posteris aliquando consummandum expectamus, quum Deus *claudicantem aggregabit, & propulsam colliget, & item eum, cui malè fecit* sive eos, quos malo affecit. Mich. 4: 6. Nam hæ prophetiæ parallelæ sunt: ut omnes illius partes indicant.

C A P U T XXV.

De peccato originis.

Q U Æ S T I O XXIII.

An Judæi agnoscant peccatum cum quo omnes nascimur, & si negent, quæ negationis causa? Judæi peccatum originis negant idque gravissimis de causis. Nam locus peccati in animo solum consistit, omnesque animæ originem suam ducunt non ex Adamo sed ex Deo creatore. unde sequitur animas posterorum Adami non potuisse peccare. Peccatum in anima consistere patet. est enim illud vitium seu delictum per animam vel intellectum perpetratum. Et Scriptura apertè dicit Anima ista exscindetur & peccatum ejus in ea. *Hinc jam perspici potest peccatum in anima consistere. Animas similiter à Deo creari absque ullo medio, testatur Esaias:* Spiritus

tus à me illigatur, & animas ego feci. *Idem Ezechiel confirmat dicens:* Omnes animæ meæ sunt, tam anima patris quam filii, meæ sunt. Anima quæ peccavit morietur. *Hinc ergo consequentia certa est ac evidens animas posterorum Adami in ipso non potuisse peccare, omne genus humanum nasci obnoxium pœnis peccato Adami debitis, quæ cum omnes corporales existant, ad omnes etiam liberos ejus secundum corpus attinent, quatenus corporales ejus liberi sunt. quemadmodum si quis in servitutem mancipetur, omnes illius liberi servi fiunt, utpote ex patre servo prognati. Atque hoc durabit usque ad illud tempus quo Deus promisit mundum in pristinam suam perfectionem restituere, dicens per Esaiam Prophetam c.* 25: 10. [8. 9.] Mors in æternum absorbebitur, Deusque lacrymas ab omnium faciebus absterget, & auferet opprobrium populi sui in universa terra. Nam dominus dixit: In illo tempore dicetur: Ecce hic est Deus noster in quem expectavimus & ipse servabit nos. hic est dominus quem expectamus. Gaudebimus & exultabimus in salute ipsius &c.

§. 1. NEscio, qui factum, ut hæc Quæstio agmen clauderet. Tamen ne hoc quidem incommodè evenit. ut pateret, Judæos, ut nec de Deo, nec de justitia, nec de lege, nec de Christo, nec de regno Christi, bene sentiunt, ita quoque suam ipsorum pravitatem & peccatum non cognoscere.

§. 2. Responsor duo dicit. I. Nullum esse peccatum originis. Quia peccatum in anima est. Anima autem est à Deo. II. Omne genus humanum nasci obnoxium pœnis peccato Adami debitis. Eas autem corporales esse. & ad omnes ejus filios secundùm corpus attinere. Est in dictione aliquis hiatus. Sed videmur hanc mentem ex responsione percepisse.

§. 3. Nos breviter 1. definiemus peccatum originis, non verbis nostris, sed Scripturæ. 2. Id probabimus, & argumento Judæi Responsoris satisfaciemus.

Quid sit peccatum originis?

§. 4. Peccatum igitur originis vocamus 1. Reatum, cum quo nascitur omnis homo; ut est filius Adami secundùm benedictionem, qua Deus homini addixit multiplicationem. qui, inquam, nascitur ex sanguinibus per voluntatem carnis, h. e. per voluntatem hominis liberos quærendis operam dantis.

Reatus.

§. 5. Reatum autem voco debitionem pœnæ peccati, quod commisit Adam. Is enim est omnium hominum pater.

Reatus quare ab Adamo?

§. 6. Quum Adamum nominamus, non tollimus jus Dei, quod habet in filios filiorum Adami ad *visitandum in ipsis pravitatem patrum.* Exod. 20: 5. 34: 7. Quòd suum jus Deus se exercere velle, clarè in iis locis dicit. Idque, ut filii Dei intelligant, quanta sit *gratia, per quam justi constituuntur:* & quæ illius gratiæ necessitas. Adami autem mentionem facimus; quia is omnium pater est, ut dixi, & omnes reos fecit, & per eum primò *peccatum* sive reatus *in mundum*, hoc est, totum humanum genus, *intravit & per peccatum mors.* Ita ut per eum steterit, quòd *omnes*, qui nascituri erant, jam tum, cùm ipse peccaret, & cum ipso & in ipso *peccaverint*, & per id peccatum *peccatores constituti sint.* Rom. 5: 12. 18. 19. 1 Corinth. 15: 21. 22.

Imputatio peccati primi.

§. 7. *Reatui* autem Respondet *κατάκριμα damnatio*, sive imputatio peccati; h. e. judicium divinum, quo indignum sanctitate sua judicat, per Adamum communicare imaginem suam filiis ejus, ut ipse Adamus sit caput & stirps seminis Dei; & filios Adami indignos communione sua, & justum & sanctum & se dignum judicat, filiis Adami imponere pœnam peccati Adami.

Impuritas.

§. 8. II. Peccatum originis intelligimus *impuritatem*, cum qua homo nascitur. Job. 14: 4. nempe, quòd talis non est, qualis primus homo factus est, nempe *rectus;* sed *caro* est & servus peccati, qui *legi Dei nec subjicitur, nec potest subjici.* Rom. 8: 7. ideoque nec Deum nec proximum amare potest: destitutus quippe sanctificatione Dei: utpote indignus communione Dei: quemadmodum dictum est.

Reatum fatetur Judæus, isque probatur.

§. 9. Jam, quod *reatum* attinet, eum diffiteri Judæus Responsor non potest. Nam disertis verbis dicit: *Omne genus humanum nasci obnoxium pœnis peccato Adami debitis.* Quod dici non posset, nisi rei essent omnes. Nam quid est *reum esse*, quàm esse *ἔνοχον τιμωρίας, obnoxium pœnis peccato debitis?* Nempe, quem lex condemnat, is reus est. At lex filios Adami condemnat. Quæ lex? Lex divinæ veritatis & sanctitatis. Siquidem enim merces parentum sunt filii sancti & recti; eam mercedem non assignat lex justitiæ Dei parentibus transgressoribus. Deus *unum faciendo*, marem & fœminam ex uno, *quærebat semen Dei.* Malach. 2: 15. Non enim passus est hominem quærere liberos nisi ex una conjuge, quam ut propriam carnem diligeret, & cui adhæreret, ut ex tali conjugio *semen Dei* proveniret. Nam, ubi non est casta conjugis dilectio, ibi nec *semen Dei* quæritur. At, quid justius est, quàm, quum homo non quærit semen Dei, ut nec semen Dei acquirat? Item, qui ad hoc nascitur, ut hæres sit paternorum bonorum, non habeat, quod pater abjecit? Accedit, quòd, qui nascitur, saltem corpus trahit ex parentibus; quod, ut Responsor fatetur, est *obnoxium pœnis peccato debitis.* Quomodo igitur homo, qui nascitur, secundùm alteram sui partem est reus, & secundùm alteram partem non? Aut, si anima rea non est, quomodo in corpore reo collocatur, ut homo sit partim reus, partim non reus? Quomodo, qui sanctus est & rectus &, ni fallor, non injustus, nec reus, ad hoc damnatur, ut corpus habeat in omni miseria, dolore, afflictione, vexatione; terra utatur maledicta; sit filius maledicti hominis; sit frater scelestorum & iram Dei provocantium; omnibus tentationibus carnis infestetur; nunquam interquiescat; temperamento corporis gravetur, morbis turbetur, & quasi transversus agatur, in delirium, in rabiem, in stultitiam, in varia vitia; in vanitatem demergatur; verbo Dei careat; ea, quæ spiritus Dei sunt, ignoret; denique ipso corpore, ad quod gerendum factus est, aliquando penitus privetur?

Objectio: & ejus solutio.

§. 10. Atqui, inquit Responsor, *anima creatur à Deo.* Etiam corpus, inquam ego. Nam quis format corpus, nisi Deus?

§. 11. Sed corpus, inquit, ex Adamo est, non anima. Imò & anima. Totum, quod habet filius Adami, habet ab Adamo, ut generante; à Deo, ut creante. Hominem generat homo, ad imaginem suam; hominem quærit, non simulacrum hominis. Sine voluntate carnis non nascitur homo; & ex voluntate carnis (per multiplicationem, quam Deus semel addixit benedictione) nascitur. Neque minùs decet Deum conservare genus humanum, idque propagare in reatu, quàm conservare peccatorem & ejus essentiam ac vitam protelare.

§. 12. Allegat Manasseh ben Israël in tr. de fragilitate humana ex tractatu Sabbat. c. 5. problema, quod exstat fol. 55. l. 5. à fine, nuperæ ed. l. penult. אין מיתה בלא חטא *non est mors sine peccato.* Opponunt hisce quatuor homines, qui mortui sunt בעטיו של נחש *consilio serpentis.* Et rursus huic enstasi opponit Tosiphta, quod dictum est: *Non est homo justus in terra, qui non peccet.* Ad quod respondent: *Id de plerisque dictum esse.* ברוב בני אדם קאמר. Id porrò refutat Manasseh. Sed concedit, sine *mortali* peccato reperiri. Atque ita dari mortem sine peccato mortali. Quid ineptius? Mors pœna peccati est, non natura. Vita obedienti promissa est.

§. 13. Sed sumamus hoc, quod dant: Etiam illos, qui non peccant ut Adam, mori: & eam mortem esse à consilio serpentis, h. e. ex eo, quod obedivit prima parens serpenti: igitur reatus mortis, & omnium malorum, quæ sub nomine *mortis* comprehenduntur, ab illa inobedientia, & quòd parentes primi paruerunt consilio serpentis, proveniunt. Quæro igitur, an illa mala animam afficiant, nec ne? Non potest negari, quin anima miris modis ab illis afficiatur. Quid igitur mali meruit pura anima, ut demitteretur in tale corpus? Aut non est rea, quæ in talem carcerem compingitur? Erat quidem celebratæ immanitatis, qui jungebat cadaveribus vivos. Non est pœna animæ jungi tam infelici corpori, imò revera cadaveri?

Mala anima à peccato primo derivari.

§. 14. Sed pergo: An non est in anima יצר הרע *cogitatio mala*, vel, ut Manasseh vertit, *appetitus malus?* Est, inquiunt. Numquid is etiam in Adamo fuit? Erat, ait, in Adamo recto כבוש *subactus.* Unde igitur is? A materia. Unde materia? A Deo. Unde etiam audent dicere, *Non posse attribui divinæ potentiæ creare hominem, qui non peccet.* Menasse pag. 61. Ergone concupiscentia à Deo? & tentatio à Deo? Ergo lapsus Adami Deo ascribetur? Ergo ne resurgentes quidem à mortuis erunt perfectè sancti? Sed an etiam filius Adami est rectus, & appetitus ejus malus est subditus? Non, inquiunt. neque verum est, quod Machiavellus dicit, *hominem nasci æquè ad virtutem atque ad vitia pronum. Id enim manifestè repugnat divinis*

vinis literis, *in quibus est Genes.* 8: 21. *Nam appetitus hominis malus est*. Quomodo igitur id fit? *Anima è superiori mundo descendens in corpus statim divini sui ortus obliviscitur*, *ac solùm adhæret objectis visibilibus ac corporeis. Planetæ habent influxum in corpus. Temperamentum mores sequuntur. Aër regionis*, *cibus*, *potus inclinant ad malum*. Menasse pag. 129. 130. 135. 132. Ergo hic status animæ numquid debetur peccato Adami, nec ne? Si non, à creatore est malum. Sin; habemus, quod volumus: Reum nasci filium Adami, & quidem totum, ut ferat pœnas peccati in anima & corpore. Manasseh ben Israël, postquam librum suum de fragilitate absolvisset, in præfatione (solemus autem præfationes post opus scribere) ita dicit: *Hæc verò vitiositas ex primorum parentum profecta CRIMINE CONTAGIOQUE invasit utramque animæ rationalis facultatem*: *intellectum*, *quo apprehendimus*, *& voluntatem*, *qua appetimus*.

Locus Psal. 51: 7.

§. 15. Ingenuè David Psal. 51: 7. *non excusantis in morem*, ut ait Manasseh pag. 6. sed χειρόγραφον contra se edens, Deum justificans, suam justitiam abnegans: *En in iniquitate formatus sum*, *in peccato fovit me*, five *concepit me mater mea*. Et hæc faciunt non ad excusationem, sed ad justificationem judicii Dei. de quo dicit vers. 6. *ut justificeris*, *cùm loqueris* & apologiam pro se institutis contra hominis querelam injustam, *& vincas*, *quum judicas*, accusas, condemnas. Fatetur David, se omnibus modis peccasse, & in ipsa nativitate peccatum & pravitatem habuisse; ideoque impurum esse coram Deo, & in judicio non posse consistere, sed divina gratia & justificatione indigere, quæ fit, secundùm *divinam sapientiam*, per divinam *aspersionem hyssopi*. vers. 8. 9. Confer Psal. 143: 1. 2.

§. 16. Nos cum Davide contra nos scribimus chirographum, & justificamus Deum, & judicium ejus laudamus, & amamus, quia etiam sapientia Dei nobis in intimo notificata est, qua aspergit nos à peccatis nostris non typici, sed vera hyssopo.

§. 17. At Judæi intricantur, operi Dei labem ascribunt, Deo impotentiam, & causationem tentationis hominis; judicium Dei criminantur; & rursus suam potentiam in impotentia extollunt; legem extenuant; peccata sua excusant; justitiam sibi spondent in suis operibus non secundùm regulam, *Qui fecerit ea*, *vivet in eis*, sapientiam Dei & justificationem abnegant; denique nec Deum, ut justificantem, amant, sed ut similem peccatori & blasphemant & oderunt & abnegant.

Locus Ezech. 18: 4.

§. 18. Obiter & quasi aliud agens aspergit Responsor dictum Ezech. cap. 18. *Anima*, *quæ peccavit*, *morietur*. Quod omittendum non est. Malè enim vertit verba Prophetæ. Is ita ait: *Anima*, *quæ peccat*, *illa morietur*. *Peccantem animam* dicit hominem, qui non revertitur à peccato ad amorem Dei.

Peccatum originis probatur ex necessitate conversionis, *circumcisionis cordis*, *vivificationis. Caro & pulvis homo. Corruptio.*

§. 19. Quo innuit, omnem animam indigere conversione ad Deum; & sic regeneratione per spiritum Dei. Quæ circumcisio cordis dicitur. Deuteronom. cap. 30: 6. Si omnis homo, etiam Israëlita omnis, indiget circumcisione cordis, ergo omne cor habet præputium. Si absque conversione nemo vivit, ergo omnes sunt mortui in præputio carnis. Et quid, quæso, est, quòd homo post peccatum appellatur *caro* & *pulvis*? nonne, quòd privatus Spiritus Sancti ductu & à vita Dei alienatus à membris suis, quæ carnea sunt & ex *pulvere*, & à sensibus suis seducitur: quos non malè, sed non solos, *proxenetas peccati* nuncupant Talmudici, in isto proverbio: עינא וליבא תרי סרסורי דחטאה נינהו *oculus & cor duo proxenetæ peccati sunt*. Cor enim intus denudatum à præsidio Spiritus Sancti in iis, quæ homo animalis novit, *φθείρεται corrumpitur*. Hinc est, quòd homo indiget *novo corde puro*, Psal. 51: 12. Ezech. 11: 19. 36: 27.

§. 20. Quando autem Scriptura de *corde* loquitur, quid, nisi *animam*, intelligit? Ut in illo Jerem. 17: 9. *Lamosum est cor præ omni re*, *& incurabiliter malum. Quis id cognoscit?*

Probatur à judiciis Dei.

§. 21. Non vident miseri mortales judicia Dei. Gentes tamdiu sivit Deus ire in viis suis. Et gentes Judæi vix meliores habent pecudibus. Numquid igitur gentes in ortu animas non acceperunt? & eæ non erant opus Dei? Et tamen nascuntur hi, qui animas illas acceperunt, ex improbis parentibus, & sine Deo & divino alloquio agunt in mundo, neque hæ animæ meminerunt ortus sui, & *appetitus noxius* (quem etiam *Satanam* & *Angelum mortis* appellant Hebræi) in eis dominatur. & tamen sub reatu non nascuntur? & tantùm corporales pœnas peccati Adami luunt?

Quæ pœna debita peccato Adami? Locus Genes. 3: 16. --- 19.

§. 22. Quanta verò est confidentia, quòd Responsor audet dicere, *pœnas peccato Adami debitas omnes corporales esse*. Credo, eum respicere ad Genes. 3: 16. 17. 18. 19. Sed non animadvertit, iis verbis non edi catalogum pœnarum peccato Adami debitarum. Quum vers. 14. 15. damnatus esset Serpens, hoc est, Satanas (qui per seductionem hominis ad obediendum sibi acceperat imperium mortis & jus servitutem peccati imponendi homini) in qua damnatione promittitur sanctificatio feminis electi & fractio potestatis Satanæ per semen aliquod, quæ est reconciliatio & impetratio omnis benedictionis; atque ita Testamentum gratiæ, cujus mediator est Semen mulieris, promulgatum esset: conveniebat Deo etiam cum homine loqui & eum commonefacere de afflictionibus, per quas cùm ipsius fides erat exercenda, tum vetus homo erat refrenandus & denique destruendus, ut spiritus ipsius esset vita. Roman. 8: 10.

§. 23. Præsupponit igitur, hominem non esse πνευματικόν, sed ψυχικόν, sed χοϊν, עפר, *pulverem*, *carnem*, h. e. talem, ut corporis cupiditatibus serviat (quæ sanè pœna est spiritualis, cui connexa est, nisi interveniat medicina Dei, æterna abjectio à communione Dei & regno gloriæ) atque ideò eum moriturum, ut desinat servire peccato. Rom. 6: 6.

Hactenus Responsorem egit Judæus. Responsionem suam ita claudit.

EPILOGUS.

Notandum est responsiones hasce quanta fieri potuit brevitate compositas esse, eoque studiosum & attentum requirunt lectorem, qui omnia Scripturæ testimonia suis quæque locis quæsita & perspecta expendat.

§. 24. Rectè. Et nos fortassè pluribus egimus; sed tamen verbis, sat scio, non abundamus. Studuimus ubique rem in pauca conferre. Quare & nos oramus lectorem, ut vel ab his abstineat, vel, quæ dicimus, omnia ordine legat, & locos, quos proferimus, in fontibus requirat & diligenter examinet. Nullibi prodest festinatio. Tanti est quæstio, de qua cum Judæis disputat Euangelium, & cujus judices Deus constituit *insulas maris*, Esai. 41: 1. ut ab iis audiatur, cognoscatur &, adhibito diligenti examine, decidatur. Faxit Deus, ut *Judicium* citò *ad justitiam* & victoriam *procedat*, *& id sequantur omnes recti corde!* Ps. 94: 15.

PRÆFATIO AD QUÆSTIONES.

Dehinc accingitur Responsor ad reponendum quæstiones altero tanto plures. Sic infit.

Ut curiosus hic quæsitor habeat quo acumen ingenii sui exerceat, quæstiones aliquot reponemus, quæ materiam ei præbebunt, opinor, omnes animi sui vires intendendi, & priusquam his respondeat multas somno suo horas subtrahere eum oportebit.

EXAMEN.

Videat, qui has quæstiones proponit & urget, ne inveniatur inter לצים *irrisores*, quorum mos est frivola quærere & responsare & Deo obloqui. Non est is status causæ, non id tempus, ut liceat Judæo incredulo à fidelibus gentium talia requirere. Neque enim à nobis prolatum est Euangelium: sed id ab eo est primitus dictum, qui à Judæis crucifixus est, & prædicatur filius Dei assertus per resurrectionem ex mortuis, ascensionem in cœlum, & effusionem Sp. Sancti in discipulos, quam secutæ sunt multæ virtutes, & fidelium passiones, & conversio mundi ab idololatria gentili, saltem ut se plurimæ gentes Christo subditas esse velle dicerent; tum judicium in Judæos, qui Euangelium repulerunt, & in gentes; quæ id non in veritate receperunt. Hæc enim omnia sic facta sunt & sic prædicantur, quemadmodum prædictum est. Unde non possumus de veritate eorum, quæ intelligimus, dubitare. Hic Judæi non debebant irridere nostram fidem, & nos quæstionibus (& quidem iis, quibus sæpiùs

piùs satisfactum est) exagitare: quum nos magnis argumentis compulsi nos tradiderimus Christo in disciplinam, quem novimus nobis, si opus sit, revelaturum esse ea, quæ ignoramus, si in illis, quæ intelligimus, sinceri simus & studiosè ambulemus: præsertim, quum ipsorum sint partes gentes erudire, & facere, ut in nomine Jehovæ jurent, *& sibi in eo benedicant & glorientur.* Jerem. 4: 2. Quod quum gentes faciant aut facere conentur tot jam seculis, Judæi eas vel rident vel eis irascuntur, & ne dignantur quidem ipsarum linguis laudes Dei gentibus explicare. Quum tamen de gentibus dictum sit, quòd, *quum didicerint in nomine Dei jurare, sint ædificandæ in medio populi Dei.* Jer. 12. vers. 16. Sed, quum ipsi non habeant veram explicationem verbi Dei & prophetiæ, non mirum est, quòd non audeant ad gentes cum fiducia loqui. Qui quando os aperiunt, comperiuntur nihil loqui, nisi somnia patrum suorum & hariolationes suas & temeraria dicta, quæ ipsi inter se invicem destruunt. Qui quum has quæstiones opponunt Euangelio, longè alium spiritum se habere ostendunt, atque Christiani. Nam & ipsi non ignorant, multas in lege esse difficultates: quæ tamen Christianos non movent, quin ex toto corde credant, Deum esse loquutum ad Israëlem & Mosen, & hunc fidelem servum Dei extitisse in tota domo ejus, & Deum per illa, quæ intelligunt, quæque ex lege & Prophetis discere possunt, se velle salvos efficere, ut veram doctrinam justitiæ: Deumque justificant & glorificant, qui secundùm promissionem suam verbum suum gentibus impertiverit.

CAPUT XXVI.

De demonstrabilitate S. Triados.

I. *Quibus argumentis demonstrari potest Deum non esse simplicem unitatem, sed tres personas esse in una essentia?*

§. 1. NAtura nobis constat, Deum esse, eumque majorem esse homine. Non debet igitur homo putare, se ex semetipso nosse, quomodo Deus sit aut non sit: sed debet credere ei, quod Deus de se ipso dicit. Ideoque nec demonstrationem debet requirere ab eo, qui credit revelatis, neque opponere revelationi suum præjudicium, tanquam demonstrationem. Nos credimus, Deum esse unum & simplicem; sed etiam credimus, Deum posse fieri redemtorem & justitiam hominis peccatoris, ita ut *in ipso sit justitia & robur, & in eo justificentur & glorificentur omne semen Israelis.* Esa. 45:24. 25. Et, quemadmodum credimus, non obstare divinæ unitati & simplicitati, quòd habet Sp. Sanctum, qui mittitur à Deo & habet voluntatem & potentiam & nomen idem cum Deo; ita etiam credimus, non pugnare cum unitate & simplicitate Dei, quòd habet Filium, qui est gloria Patris, & unum cum Patre, & eandem voluntatem, gratiam, dominium, potentiam & nomen habet; quem fecit nobis sapientiam, justitiam, sanctificationem, redemtionem; cui dedit regnum; cujus nos hæreditas sumus; qui dat Spiritum suum sanctum & per eum nos sibi unit. Et hæc sufficient huic quæstioni: quum de ea re etiam superiùs actum sit; præter ea, quæ à nostris tum in libris commentariis, tum in libris, quibus locos communes aut etiam hoc caput doctrinæ sigillatim explicant, demonstrantur.

§. 2. Uno verbo. Credimus, Deum esse Patrem, Filium & Sp. Sanctum; quia id docet Euangelium, & in nomen Patris, Filii & Sp. Sancti à Christo jussi sumus baptizari; & quia Christus se Filium Dei professus est, quum staret coram Sacerdotibus & Pontio Pilato, & propterea blasphemus est judicatus à Sacerdotibus, sed à Deo justificatus est, (juxta Esa. 50: 8.) excitatus à mortuis & collocatus ad dexteram Dei, & regno inter gentes ac hæreditate gentium donatus: idque potenter prædicatur in mundo, cum judicio evidenti in eos, qui non crediderunt, nominatim Judæos; quod ipsis prædictum est ab Apostolis & Christo: quorum sermonem Deus non est passus cadere in terram. Et hæc quum credimus, credimus Mosi & Prophetis; qui ea de Filio Dei loquuti sunt, quæ non possunt consistere & in liquido ac pleno sensu vera esse, vel etiam ad gloriam Dei facere, nisi hæc doctrina Euangelii sit vera. Nulla alia demonstratione indigemus.

CAPUT XXVII.

De morte Filii Dei.

II. *Quis pro Adami peccato mortuus est, Deitas an humanitas? Deitas? Hoc omnino impossibile. Humanitas? non ergo fuit mors coram Deo infinitæ dignitatis, eoque nec infinitum peccatum potuit expiare juxta hypothesin Christianorum.*

FIlius Dei, Deus, rupes salutis, Salvator corpus suum, inter animæ suæ dolores eximios, obtulit sacrificium boni odoris Deo, eumque sanctificavit volentem justificare improbos, & omnia illorum peccata remittere; & sic consummatus justitiam impetravit atque adduxit, causaque vitæ æternæ factus est obedientibus sibi. Et actiones obedientiæ & passiones sunt personæ in ea natura, secundùm quam ei competebat & obedire & pati: personæ autem ejus, quæ digna erat ut acciperet (postquam per passiones consummata esset, h. e. omnia peregisset, quæ ad expiationem peccati & vitæ impetrationem requirebantur) & gloriam & gratiarum actionem & honorem & potestatem & regnum.

CAPUT XXVIII.

De genere Christi.

III. *Quomodo ex eo quod Josephi genus ab Euangelistis ad Davidem & Judam referatur consequens est Jesum ex eodem genere prognatum esse, cum ex iisdem Euangelistis constet, Josephum non fuisse ut putabatur verum ac naturalem Jesu patrem?*

EUangelium exponit genealogiam duplicem: in quarum utraque refert Josephum ad Davidem: idque eo fine facit, ut ostendat, Jesum fuisse filium Davidis: quemadmodum is quoque Filius Davidis nuncupatus fuit, & in Talmud ipso cap. *Nigmar baddin* dicitur fuisse קרוב למלכות, h. e. συγγενὴς τῶν βασιλέων, propinquus regum, regiæ prosapiæ. Ex quo facile intelligere est, Josephum & Mariam ejusdem familiæ & cognationis fuisse, idque eo tempore fuisse notorium. Cujus rei & alia argumenta exstant: quale est, quòd Maria desponsata Josepho eodem profecta est, ut profiteretur nomen suum & se catalogis inferendam sisteret, quò & Josephus profectus est; nempe Bethleemum. Luc. cap. 2. vers. 4. 5. unde constat, eam fuisse בת יורשה ἐπίκληρον & propinquo nupsisse.

IV. *Quomodo omnes animæ in Adamo peccaverunt, cum eæ ex Adamo non habeant originem, sed à Deo creentur?*

De ea re diximus ad Quæstionem XXIII.

V. *Qui credibile est peccatum Adami remissum esse, manentibus adhuc omnibus illis pœnis quæ per & propter hoc peccatum mundum ingressæ sunt?*

Ad hoc tenetur Judæus ipse respondere. Sed nos de hoc etiam egimus ad dictam Quæstionem.

CAPUT XXIX.

De eo, quòd Christus debuerit esse Deus & homo.

VI. *Quibus argumentis probari potest Messiam Deum simul ac hominem esse debuisse?*

HOmo debuit esse, quia debuit fieri sub legem, & execratio, *servus Dei ad adducendum justitiam:* Deus, quia obedientia ipsius debuit esse digna ut pro sacrificio acceptaretur, & mereretur remissionem peccatorum, & ut ipse Dominus esse posset eorum, qui ipsi redimendi dati sunt, eisque Sp. Sanct. dare & eos vivificare posset; & quia tantùm in Domino justificari & gloriari debuit omne semen Israëlis. Es. 45: 24. 25. Sed & de persona Messiæ in superioribus actum est.

CAPUT. XXX.

De limbo patrum, qui dicitur.

VII. *Qui potuit fieri ut sancti Patres in limbo fuerint, quandoquidem Deus tam apertè dicit, præsentim Levit.* 16: 30. *Illo die Deus condonabit vobis ad expiandum vos ab omnibus peccatis vestris: coram Deo mundi eritis?*

§. 1. LImbum nec nos statuimus. Tamen de dicto Lev. 16: 30. aliquid monendum est. Mundicies, quæ ibi asseritur populo Israëlitico, tantùm carnalis est. Nempe, ut habeantur ii, qui terram Canaan inhabitare, ad templum Dei accedere, & sacramentis Dei uti possint. Nempe quia istis rebus agendis (post totius anni ritus observatos) testati sint, se spem reconciliationis & expiationis peccati per Christum habere, & interim indigentiam ejus expiationis professi sint, nempe, se impuros esse, & suis impuritatibus (necdum abolitis per sacrificium perfectum) tabernaculum ipsum Dei fœdasse. Quòd autem ea puritas tantummodò carnalis fuerit, inde patet. 1. Quia omnes isti ritus quotannis instaurandi & repetendi fuerunt, quasi nihil esset actum expiatione præcedente, sed semper tabernaculum sub impuritatibus Israëlitarum maneret. 2. Quia sanguis pecudum non potest tollere conscientiam peccati. Deus enim eis non delectatur. Psalm. 50. 3. Quia Abraham illis purificationibus non indiguit, ut & cæteri patres. 4. Quia melius sacrificium debuit offerri à Christo. Psal. 40. 50. 51. 69. Benè tamen procedit argumentum Judæi, non esse limbum, quia mundi dicti sint Israëlitæ, intellige, per fidem Abrahami fœdus Dei amplectentes. Nam immunditiæ commemoratio facta est tantùm in terra, & inclusa fuit annuæ periodo, ut per eam absolveretur singulis vicibus. Deinde per eas expiationes habuerunt Israëlitæ jus ad adeundum domum Dei. Qui per expiationes typicas habuerunt jus ad visitandum domum Dei typicam, ii per expiationem veram olim offerendam habuerunt jus intrandi in domum Dei veram, quum excessissent ex terra. Quomodo enim mundi vocari possunt, si non habent spem veniendi in conspectum Dei beneficio expiationis futuræ?

VIII. *Quo pacto credat quis sanctos non statim post mortem frui gloria Dei, quos constat ex Sacra Scriptura etiam in mortali hoc corpore tam eximiè ea fruitos esse?*

§. 2. Non debebat Judæus omnibus Euangelio credentibus imputare errores, quos quidam, qui Christiani nuncupantur, habent præter Euangelium. Nos cum Apostolo Paulo dicimus, *Corpus quidem est mortuum propter peccatum* (ut id planè exuatur) *spiritus autem est vita propter justitiam*, quæ conata est credentibus in Christo. Rom. 8: 10.

CAPUT XXXI.

De duratione legis Mosaicæ.

IX. *Quomodo demonstrant legem Mosis ad certum tantùmmodò tempus datam esse, cum Deus non sit sicut homo qui mutatur & pœnitentia ducitur, cumque tam multis Scripturæ locis expressè dicatur legem esse æternam?*

§. 1. ACtum de hoc in consideratione Responsionis ad Quæst. VI. Sed & hic aliquid addamus de rationibus, quibus utitur Judæus. *Deus*, inquit, *non est sicut homo, qui mutatur & pœnitentia ducitur.* Rectè. Ergo instituta Mosis non debent manere in omne tempus. Nam non sunt instituta ut populus justificaretur ex illis. Nam, si ex illis esset justitia, jam etiam Abrahamo & Noacho & Adamo fuissent imposita. Atqui non sunt illis imposita. Et tamen Deus justificavit Abrahamum. Deus autem unus est, & non mutatur. Quòd si nunc justificaret sine illis, nunc justificaret ex illis, mutaretur. Dicit apud Malachiam cap. 3: 8. vel 6. *Ego Jehovah, non sum mutatus*, non sum factus alius. Quemadmodum olim fui justificans ex fide, ita nunc quoque sum justificans ex fide. Quandoquidem igitur justitia est ex fide, & Deus mutari non potest, quin justificet ex fide, & tantùm ex fide, ut Abrahamum; consequens est, præcepta, quæ populo Israëlitico imposita sunt & accesserunt ad promissionem non esse perpetua. Quia, si perpetua essent, etiam in regno Christi, justitiâ jam adductâ, deberent observare. Si autem in regno Christi, justitiâ adductâ, observari deberent, non alia de causa observari deberent, quàm quòd ad remissionem peccatorum & justitiam faciant. Atqui, ut jam demonstratum est, ad justitiam facere non possunt: quia Deus non mutatur. Ante justitiam autem adductam locum & usum habere potuerunt, quia pote-

poterant inservire disciplinæ illius temporis, quo peccatum nondum erat abolitum per mortem Christi, ut per ea fieret confessio reatûs; deinde spes sacrificii melioris ostenderetur; denique populus externus, in quo Christus revelandus erat, cohiberetur & contineretur, & Christus visitans populum in tali statu fieret execratio pro populo. Quo usu legis cessante, cessare etiam ipsam legem necesse est. Atque ita docuit nos Jeremias argumentari cap. 7: 21. 22. ubi Deus provocat ad priora tempora, quum scil. populum eduxit ex Ægypto: quum nihil de holocausto & sacrificio locutus est. Nam certè in decalogo nullum sacrificium imperavit Deus. Quid? quòd illa omnia ad fœdus accesserunt? Nam fœdus est in Decalogo.

§. 2. Secundò dicit, *Multis Scripturæ locis dicitur, legem esse æternam.* Si hoc uspiam dicitur in lege, intelligendum est de præcepto fidei & charitatis, & de significatione ac veritate typorum. Ita filii Aharon non deficiunt, templum Dei semper est, altare Dei manet, offertur Deo sacrificium juge in veritate.

§. 3. Optandum esset, quæsitorem hîc expressisse aliquos illorum *multorum locorum*, qui dicant, *legem*, puta τῶν δογμάτων, *placitorum*, *esse æternam.* Scire enim poterat, hoc à nobis negari; saltem, à nobis non esse animadversum. Lev. 23: 14. dicitur de offerendo manipulo: *Statuto seculi, in generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris.* Sic vers. 21. Quòd si quæsitor hos & similes locos respicit, vehementer peccat, quòd vocem עוֹלָם accipit pro *æternitate*. Primò enim hoc clarum est, id non posse intelligi de *æternitate* simpliciter. Nisi putent, nullum esse regnum gloriæ, in quo non offerantur sacrificia & festa celebrentur per intervallum. Secundò, hoc non potest intelligi de regno Christi; quia satiati non sunt adjungendi sitientibus. Neque de tempore, quo fiet circumcisio cordium. Nam illa tollit conscientiam reatus & accusationem ejus, tanquam necdum expiati. Tertiò, hoc non potest intelligi de tempore hæreditatis mundi & *benedictionis gentium.* Legislatores sunt usque ad Christum, non ulteriùs. Gen. 49: 10. *dii nominati* moriuntur & cadunt. Psalm. 82. omnes dii eum adorant. Psal. 97. reges terræ ipsi subjiciuntur. Psal. 2. *Justus in fide ipsius vivit:* contra, *qui subducitur ad clivum, ejus anima non est recta in ipso.* Hab. 2: 4. Datur populo requies. Psalm. 95. Ergo per עוֹלָם intelligitur in hac re omne tempus illud, quod dici solet à Judæis ipsis (significantibus priores dies) עוֹלָם הַזֶּה ὁ αἰὼν οὗτος *seculum hoc:* usque dum veniret seculum aliud, quod dici solet ab ipsis עוֹלָם הַבָּא ὁ αἰὼν ὁ μέλλων, h.e. יְמוֹת הַמָּשִׁיחַ *dies Messiæ.* Quibus diebus obtinet N. Test. Jer. 31. & non V. T. Ezech. 16: 61. Atque ideò adjicitur à Lege, *in generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris.* Ut intelligamus, legem concernere Israëlitas, dum ipsi in posteritate sua soli sunt populus Dei, donec Jehovah ipsis fiat in Deum. Imo promittitur commotio cœli & terræ, Hag. 2. & cœlum novum ac terra nova, Es. 65. Confer Ps. 102: 26.---29. & Hebr. 12: 26. 27. 28.

CAPUT XXXII.

De eo, An Christiani vel Judæi decalogum in honore habeant? ubi nominatim de Simulacris & Quiete septimi.

X. *Quo jure gloriantur Christiani quasi decalogum in pretio habeant facientes simulacra, & septimum diem profanantes nec ut oportet honorantes?*

Christiani habent Decalogum in honore.

§. 1. Christiani meritò gloriantur, quòd Decalogum in precio habeant, 1. Quia astipulantur Christo ostendenti Matt. c. 5. quæ sit perfectio obedientiæ illorum præceptorum, quæ qui facit in eis vivit. Gratulanturque sibi, quòd longè absint à superbia Judaica, qui putant, se præcepta Decalogi ita facere, ut in eis vivant: atque, ut id sibi persuadere possint, vim Decalogi elevant. 2. Quia credunt, se perfectum δικαίωμα, secundùm illa præcepta, habere in Christo: atque ita non dubitant, se, propter obedientiam illius, in ipso habere vitam æternam. 3. Quia lætantur, verbum amoris, quod est antiquum & auditum ab initio, esse verum in se, idque cordibus suis inscriptum esse; dum credunt, omnes promissiones Dei in Christo esse Næ & Amen, Deumque adeò sibi factum esse Deum, h.e. Deum sibi omnia exhibuisse, quæ ad parandam justitiam necessaria erant, & omnia sibi donasse, quæ à *Deo suo* exspectari possunt: dum amant Christum, Redemtorem & Justitiam suam: dum amant Dei nomen & virtutes, quæ per Christum manifestatæ sunt: dum cupiunt virtutes Dei enarrare & Deum glorificare: dum se invicem diligere student, ut Christus ipsos dilexit: dum adversus carnem luctantur: dum spiritu ambulant, & mente legi Dei serviunt. Et hoc studium habent pro Sp. S. sibi dati opere atque effectu. Atque ita intelligunt, se Spiritum Dei ut arrhabonem accepisse. 4. Quia loco terræ, quam Decalogus promittit Israëlitis, se gaudent accepisse hæreditatem mundi, nec amplius adstricti sunt ad servitutem ejus terræ propter Sabbatum, quod Deus populo suo dedit.

Judæi violant Præceptum secundum Decalogi.

§. 2. Quod attinet *simulacra*, Christiani δόκιμοι non faciunt simulacra, quemadmodum facere simulacra pugnat cum gloria Dei: nempe ut simulacra ullarum rerum ullo honore afficiant; vel etiam Deum per simulacrum effigiare tentent. Judæus, dum hoc Christianis indistinctè imputat, ostendit, se cupere peccatum quorundam esse omnium. Sed Judæis cogitandum est, præceptum secundum non tantùm abominari, si quis Deum humana effigie præsumat sistere & assimilare, sed multò magis, si quis de Deo non habeat cogitationes altiores cogitationibus suis, & vias Dei non exaltet supra vias proprias: Es. 55. vers. 7. 8. 9. Qui enim postulat, Deum non posse esse aliter atque homo vel angelus est, vel nosse, quàm ipse novit; &, Dei consilium esse juxta consilium suum, & vias Dei juxta vias suas & cogitationes Dei juxta cogitationes suas, is necessariò Deum transformat in figuram humanam. Maximè, si quis putet, Deum esse similem peccatori. Quod aut de Judæis dicitur Psal. 50: 21. sacrificium quidem offerentibus, & nomen Dei usurpantibus, & fœdus ejus in os sumentibus, sed ignorantibus & nomen Dei & fœdus, & illud sacrificium, per quod fœdus cum Deo contrahitur, abnegantibus, & in proximum ignominiam imponentibus, sacrificium verò confessionis Deo non offerentibus; aut, de quibus dicatur, nescio. Quid verò est, putare, Deum delectari oblationibus pecudum, & arca, & auro, & formis Cherubinorum: & in iis velle habitare? Qua in parte melior & potior est sententia Judæorum hac in re, quàm gentilium? Jaroboam fecit templa & altaria & Deo adolevit cùm ipse tum alii, qui non erant filii Aharon. Ea re Deus graviter offensus est. At alio tempore non fuit offensus, quum הֻתְּרוּ הַבָּמוֹת *celsa fuerunt promissa:* ut Judæi loquuntur, h. e. quum omnibus piis permissum fuit in quovis loco sacrificium offerre. Quare igitur Jaroboamo succensuit & omnibus aliis, qui in celsis adoleverint? Dicent, Quia extabat בֵּית הַבְּחִירָה domus, quam elegerat Deus. Sed, si Deus sacrificiis delectatur, quare non potiùs permisit aut jussit ea offerri in omni loco? Hoc cogitabat Jaroboam, & omnes adolentes in celsis: ita rei effecti sunt transgressionis secundi præcepti. Quippe qui Deum assimilarunt non-Deo. Deus enim non delectatur talibus sacrificiis, si absit fides & תּוֹדָה *confessio*, non qua sacrificium pecuinum celebretur, sed sacrificium, per quod fœdus cum Deo fit. Sacrificium autem Deo placens non potest esse nisi obedientia. Placens verò Deo sacrificium ad remissionem peccatorum & donandam justitiam non potest esse nisi obedientia hominis, qui etiam dignus est, ut sit Dominus Ecclesiæ. Quæ quum ita sint, videant Judæi, an dignas Deo habeant cogitationes, & Deum non assimilent non-Deo, quem fingunt velle habitare in templo, manibus ipsorum structo, quod sustulit; & non velle habitare in templo, quod destructum à Judæis tertio die excitatum & in cœlo collocatum est: & delectari vel sacrificiis talibus, ut propter ea remittat peccata; vel voluntate talia sacrificia offerendi, qua Judæi se hoc tempore Deo placere rentur. Videant, inquam, annon ipsi quoque rei sint, quòd Deum colant in celsis, ad quæ Deus non venit, quum non velint Deum adorare in Filio & propitiatorio, in quo est.

De septimi diei sanctificatione. Judæi violant Sabbatum.

§. 3. Quod attinet *septimum diem*, eum Christiani, qui verè Christiani sunt, non *profanant:* quia norunt, nullum diem licere profanare: quemadmodum à Christo acceperunt libertatem, ut necesse non habeant diem à die distinguere: atque ita *Sabbatum Domini servant*, partim commemorantes Christi resurrectionem, qua justificatus est & ipse & nos ab omnibus, quibus Israëlitæ sub lege non poterant justificari: partim consequenter non subjicientes se umbris (data est enim requies ab earum servitute. Quam requiem Judæi dum spernunt, ejus etiam exsortes sunt, & Sabbatum Domini suis cogitationibus & operibus profanant) partim semper ambulantes secundùm spiritum, & regnum Dei ante omnia quærentes: partim crebrò Deum celebran-

lebrantes in cœtu magno, & ei rei atque ædificationi sui ac proximi ex amore Dei & proximi, ut liberi & non sustinentes accusationem impuritatis ampliùs, vacantes. Intuentur enim finem præcepti de ocio Sabbati; quod non patribus, sed Israëlitis datum est. Quod fatentur & Judæi: qui, licèt concedant, omnium esse meminisse diei absolutæ creationis, &, nonnullos veterum memoriam illius per liberam pietatem quiete sua celebrasse, levibus conjecturis ducti, ex quibusdam Sacræ Scripturæ verbis sibi videantur colligere; tamen, præceptum cessationis solis Israëlitis datum, agnoscunt. Vide Manassen de Creatione probl. VIII. Præceptum autem de ocio Sabbati hoc fine datum est Israëlitis, ut esset *in signum*, *ad cognoscendum*, *quòd Deus ipsos sanctificaret*. Ocium enim, quo Israëlitæ septimo die usi sunt, erat typus quietis, quam exspectare debebant. Quam spem eos profiteri oportebat non tantùm verbis, sed omni cura celebrandi nomen Dei. Quippe, qui ita ociabantur ab operibus suis, ut præ se ferrent, se hoc non facere, quasi ociari sit res in se placens Deo, sed testandæ spei suæ causa de requie, quæ relicta erat populo Dei, & in quam desiderarent intrare, qua requie usuri essent in libertate & lætitia Novi Testamenti sub Christo rege; & convenientia ei spei facerent ac dicerent per occasionem ocii: ii demum *Sabbatum sanctificabant*. Qui autem nunc sanctificationem Dei & tranquillationem seu σαββατισμὸν, quem Deus fidelibus dedit, non agnoscunt, & volunt umbræ servire, atque ocio suo ad justitiam nituntur; ii *Sabbatum Domini violant & fœdus ejus non retinent*. Es. 56. Hic est communis sensus Christianorum de Sabbato, fundatus in sacris literis V. & N. Test. Quem retinentes alii alios cohortantur ad plurimum temporis consecrandum Deo in Christiana libertate ex charitatis ingenuitate; idque ipso exemplo Dei, qui requievit die septimo, urgent. Hoc enim exemplum docet nos, sanctificationem Dei in homine, aut hominis sanctificationem, esse majus opus conditu cœli & terræ; & Deum in ea demum acquiescere: &, quemadmodum Deus satis habuit sex diebus fecisse res corporales, ita etiam nobis debere satis esse, quòd pro necessariis vitæ subsidiis sex diebus continuis, si fortè, laboraverimus.

Præceptum de sanctificando Sabbato perpetuum.

§. 4. Quibus positis, planum est, Judæos non debere postulare à Christianis, ut septimo die ocientur; neque debere *prophanationem* illius diei appellare, si quis Christianorum utilia & licita opera illo die faciat. Est quidem præceptum de *sanctificando Sabbato* perpetuum: quia, quod Deus sanctificavit & sibi vindicavit, id homo non debet prophanare. Deus autem, quum absolvisset opus suum die septimo, eum sanctificavit & sibi vindicavit, ut & omne tempus, ut ab homine in eo coleretur. Item, quum absolvisset opus redemtionis, vindicavit sibi & regno suo omne tempus, & hominem vult sibi servire ita, ut convenit ei libertati.

Cessatio septimi quo fine mandata?

§. 5. Antequam verò redemtio perficeretur, dedit Israëlitis *Sabbatum hebdomados*, quo jussit eum abstinere ab operibus suis, quemadmodum etiam aliis quibusdam diebus festis. Id dedit ipsis, 1. ut tentaret ipsos, an essent parati legem Dei facere. Exod. 16: 4. 2. Ut esset signum sanctificationis Dei. Exod. 31: 13. Ezech. 20: 12.

§. 6. Quod autem datur tentandi causa, & ut sit signum rei futuræ, atque ita ejus adumbratio, id non est perpetuum. Certum est autem, signum sanctificationis non præsentis habens analogiam cum futuro bono, esse typum & umbram ejus. Atqui *sanctificatio*, cujus signum erat cessatio Israëlitarum, futuri erat temporis: & cessatio ac requies Israëlitarum habebat analogiam cum statu Israëlis sanctificatione potiti. Umbra igitur erat & typus.

Sanctificatio, cujus signum est Sabbatum.

§. 7. *Sanctificatio* enim Israëlis non in eo perficitur, quòd Israël assumtus est ex gentibus. Nam id quoque malis ac rebellibus non sanctis contingit. Neque in eo, quòd verbum Dei audiverunt. Nam & peccator legem audire potest, per quam damnatur. Promissionem verò & sacramenta accipere possunt, qui non credunt. Nedum ut in eo consliterit, quòd data sunt ipsis præcepta, quibus coacti sunt facere commemorationem peccati & reatus sui. Per illa enim præcepta impuri declarati sunt. Et insigniter illo præcepto, quo vetiti sunt ad altare Dei accedere. Ut notat Ezechiel cap. 20 vers. 25. 26. Quemadmodum illo præcepto, quo, qui cadaver tetigerant, vel gonorrhœa laborabant, aut eo laborantem contrectaverant, aut vas impurum tractaverant, aut leprosi, impuri declarati & ad locum sacrum admissi non sunt. Non minùs enim à lege impurus declaratur, qui jubetur abstinere ab altari, aut aliquid tanquam ad expiandum peccatum facere, quàm qui vetatur stare in loco sacro.

§. 8. Tametsi enim omnia præcepta pertinerent ad sanctificationem eorum, h. e. ad exercendam ipsorum fidem & desiderium ipsorum accendendum, nihilominùs, dum ostendebant, aliam sanctificationem, cautam omnis boni & plenariæ benedictionis, & abolitionem omnis impuritatis & reatûs esse adhuc ipsis exspectandam, eo ipso testabantur, reatum æquè illorum ac cæterorum hominum nondum esse deletum & expiatum, atque ideò tam illos, atque alios, esse impuros.

§. 9. Ea autem *sanctificatio* est illa, quam Judæi ignorant, nempe abolitio reatus & omnis peccati per sacrificium Christi, & *adductio justitiæ*. Quam Judæos ignorare, vehementer mirandum est. Res enim est valde evidens, plana ac facilis. Dum Deus profitetur, se *sanctificare Israëlem*, ipsa illa vox ante omnia significat condonationem peccati: quia est sanctificatio peccatoris. Cui non remittitur peccatum, is non sanctificatur, sed impurus habetur, fœdusque & sordidus. Jam verò condonatio peccati, ut sit *sanctificatio*, necesse est, ut non sit simplex peccati oblivio, sed ejus, cui peccata condonantur, assertio, ut fiat res Dei; regeneratio, ut sit particeps Dei; & *justificatio*. nempe ut justo judicio secundùm legem & veritatem Dei declaretur non modò eximendus à pœna, sed etiam hæres vitæ & coronæ. Atque ideò Deus se Salvatorem, Assertorem, Emtorem, Renovatorem (scil. per spiritum suum) Justificatorem & Justitiam Israëlis vocat.

§. 10. Hac omni *sanctificatione* ut opus sit, facit tum peccati reatus, & jus, quod habet peccatum in peccatorem, ut ei dominetur; tum sanctitas Dei postulans demonstrationem sui per judicium peccatoris, ne Deus videatur similis peccatori & seipsum abnegare; tum aversio peccatoris à Deo ejusque vana & sordida studia, atque impotentia se convertendi ad Deum ipsique obediendi; tum impossibilitas satisfaciendi Deo & coronam vitæ promerendi.

Ocium septimi testatur, eam sanctificationem adhuc abesse. Sabbatum Israëlitis exspectandum.

§. 11. Quæ quum ita sint, planum est, 1. Quamdiu aliquid postulatur ab eo, cui promittitur justitia & vita, faciendum, quo testetur se peccatorem esse & jus prope accedendi ad Deum non habere, quove tanquam expiet peccatum, ut cum carnaliter puris ad sacros locos & res sacras in terra accedere possit; tandiu eam *sanctificationem* sive eam partem *sanctificationis*, (quæ est omnis communionis, quam habet peccator cum Deo, causa, & per quam peccator *justus fit*) adhuc esse exspectandam. 2. Tunc autem, quando *justitia adducta fuerit*, cessare debere omnia, quæ imperata fuerant ei, qui promissionem justitiæ habebat, & ejus adductionem exspectabat. Quum verò ea cessant, tum 3. dari requiem ab exspectatione & à desiderio, & ab angustia, & ab omni opere, quod imperatum erat ad professionem peccati faciendum & tanquam ad luendum peccatum; per quod tamen *justitia* parari non poterat. Quare est ὀφθαλμοφανὲς & perspicuum, sanctificatione à perfectâ (à qua maximè JHVH sanctificator & Deus Israëlis appellatur) dari *requiem* & σαββατισμὸν, ejusque 4. participes esse, qui in *sanctificantem* credunt; exsortes verò manere, qui in eum non credunt, sed opera exspectantium facere volunt, tanquam si in eis ipsorum sanctitas vel tota vel ex parte consisteret. Hos autem *Sabbatum Dei* non *sanctificare*, sed illos, qui in libertate Deo serviunt, non facientes ea, quæ sunt accusationis, & omninò, quæ sunt umbræ, quæque justificare non possunt, neque sanctitatis pars sunt. Nam *cessare per diem unum* sine dubio nec sanctitas hominis, nec justitia est, nec justitiæ causa.

Libertas Christiana tollit discrimen dierum, & occupationem circa elementa mundi.

§. 12. Est ea libertatis in regno Dei natura, ut homo accedens ad Deum non teneatur nisi præcepto fidei recumbentis in Deo, qui justificat peccatorem; & charitatis, per quam ambulet in iis statutis, quæ qui facit, in eis vivit. Quippe in his est similitudo Dei: sine qua in regno Dei esse & liberi esse non possumus. Cætera autem præcepta liberos non tenent. Nam ea subjiciunt servili occupationi circa res, quæ nullam vim aut efficaciam habent. Siquidem enim *libertas* est, ab iis libertas est, per quæ homo non juvatur, nec justificatur, nec bonus est.

§. 13. Atqui *libertas* per Christum debuit annunciari. Es. 61: 1 cum jure *filiorum*. Hos. 1: 10. vel 2: 1.

§. 14. Igitur, qui Christi sunt, & in ipsius regno sunt, tum ocium tum laborem administrant liberè ad utilitatem, probantes, quid melius sit agere aut non agere quovis tempore, & speciatim eo tempore, quod Ecclesia & cœtus publico cultui & ædificationi mutuæ consecrat: atque ita non faciunt opus suum, sed Dei: tempus autem suæ requietis, quod sanctum esse Domino debet, metuunt prophanare; quod fit non utilibus laboribus in tempore factis, nec tantùm peccatis aliis, sed vel maximè introducendo illa, quæ non sunt quietis, quæ decet eos, qui a Deo sunt consummati.

Sabbatum, de quo loquitur Esaias cap. 56. 58. 66.

§. 15. Hoc est *Sabbatum*, *sanctum Domini*, de quo agit Esaias cap. 56. Nam cap. 53. prædicationem Christi passi & resuscitati ex mortuis proponit; capite autem 54. de prima Ecclesiæ Novi Testamenti plantatione agit, cujus filios vocat filios ejus matris, quæ hactenus non pepererat, h. e. patrum, qui fuerunt

ante

ante legem, quibus promissio seminis multiplicandi facta est; qui sub lege, quoad statum terrestrem, sibi similes non genuerunt; quippe quum illi liberi fuerint ab onerosis legibus, filiis autem eorum eæ fuerint impositæ: nempe iis, qui ad montem Sinai steterunt, & inobedientes fuerunt, neque fœdus Dei receperunt. Qui, quum legem accepissent, mater altera facti sunt, qui populus Dei sunt appellati & seniores ac principes habuerunt; quæ mater toto tempore legis in servitutem peperit. Qua distinctione dissimilium matrum & dissimilium filiorum tam apertè filios Novi à filiis Veteris Testamenti distinguit, ut nihil dici possit significantius. Nam filii Dei postremi temporis indicantur esse filii alicujus matris, quæ hactenus non pepererat. Quid igitur? Annon fuerant filii Dei ante filios Dei postremi temporis? Fuerant sanè; sed filii fuerunt materis alius. *Mater* autem quid significat, nisi multitudinem patrum, promissionem habentium? Qui, ut dixi, reperiuntur in duplici ordine: patres, qui fuerunt ante legem; & ii, qui acceperunt legem. Utrique igitur Abrahami filii sunt; sed priores partim merè servi, secundùm carnem nati, partim filii Dei, sed servitute onerati. Posteriores autem sunt filii promissionis. Illi Veteris Testamenti, hi Novi. Illi Hierosolymæ terrestris; hi supernæ. Hæc enim inter se συςοιχῶσιν, & in illis Saræ & Hagaris typus replicatur. Cap. 55. invitat cùm omnem *sitientem*, tum omnem *improbum* sive sub condemnatione positum (nominatim illos, qui habent *consilium* de justitia, & *viam* salutis sibi elegerunt, hoc est, Judæos) ad amplectendum *fœdus gratiæ æternæ*, quæ Davidi promissa, & ad cibum potumque satiantem accipiendam gratis, ut delicietur anima ipsorum in opimis. His prælibatis, quis potest dubitare, quin c. 56. *Sabbatum* appellet tempus quietis ab onere legis & labore servili, & satietatis, & fœderis gratiæ meræ in Christo? &, dum omnia ponit in *non profanando Sabbato*, cum non intelligere cessationem ab opere utili per diem septimum, sed 1. studium sanctitatis per omne tempus illius quietis: 2. retentionem veritatis & libertatis; ne scil. Euangelii veritas corrumpatur & libertas in servitutem vel eandem cum prisca vel aliam similem commutetur. Quòd eò erit nobis certius, si etiam consideremus, Mosen crimen Judæorum dixisse *satiatam addere sitienti*, Deuteronom. cap. 29. idque in ea pericopa, in qua & promisit *circumcisionem cordis* post conversionem Israelitarum ad Deum in exilio, Deut. 30:6. & Esaiam, cap. 28: 12. quòd *non voluerint audire*, quum diceret, *Hæc est requies*, h.e. quum requiem ab onere & fatigatione annuntiaret; &, *date quietem fesso*, h.e. cùm præciperet, ne defessis servitute legis & exspectatione salutis promissæ onus imponerent: &, *hæc est tranquillitas*, h.e. iis sic facientibus promitteret conservationem, consolationem & pacem conscientiæ.

Christus nos absolvit à cessatione septimi Israëlitis imperata, ut Dominus Sabbati.

§.16. Denique, si non esset per se clarum, data *libertate*, cessare omnia, quæ patribus, ut Abrahamo, non fuerunt imposita, & postmodum demum imposita fuerunt, quæ umbræ usum habuerunt aut disciplinæ (quale est ocium septimi diei præcipere, ut occasionem habeant loquendi de promissionibus Dei) quæ non possint justificare (ut certè ocium septimi diei justificare non potest) neque sunt justitia aut bonum opus in se; (nam & Ezechiel præceptum de Sabbato, ut signo, distinguit à præceptis, quæ qui facit in iis vivit) certè, postquam Christus venit & libertatem prædicavit, & Apostoli indicarunt, *Sabbata umbras fuisse* (quod congruit cum veritate: quia fuerunt *signa* rei futuræ, nimirum liberationis à conscientia peccati & ejus accusatione & à servitute elementorum mundi, & eis, per quæ ut impuri tractabantur, habentia similitudinem illius rei futuræ; quæ est quies quædam & σαββατισμός) & non debere nos in iis judicari: summæ temeritatis foret, adhuc, eo nihil obstante, apud Esaiam cap. 56. & 58. & 66. (in quibus capitibus agitur de tempore illius promissæ quietis) non velle per *Sabbatum* intelligere eam quietem, sed diem septimum, & ejus prophanationem opus utile factum die septimo; quasi adhuc Deus nos & opera nostra impuritatis accuset (nam, quo *dies sanctus prophanatur*, id impurum est) & non potiùs intelligere, quòd prophanatio Sabbati Domini & *quietis ipsius* (Psal. 95.) sit reducere talem commemorationem impuritatis & umbras & servitutem, & sic ocium imperare extra causam ORDINIS & CHARITATIS Dei ac proximi.

Convenientia inter Esaiam & Paulum.

§.17. Quibus probè consideratis, apparebit, Esaiam cum Paulo non pugnare, sed ei probè concinere: & nobis per *Sabbatum* & *Sabbata Domini* non intelligendam esse *umbram futurorum*, sed ipsam rem, tempus quietis, & tempora omnia liberationum & consolationum, quæque Ecclesia libera facta Deo consecrat juxta præceptum charitatis.

§.18. Planè ut in capite eodem 56: 7. non *domum* neque *altare* manibus facta intelligimus, neque oblationes pecudum; sed *domum Dei*, in qua is verè habitat, & quam verè sanctificat; & *altare*, quod est in cœlo; & *sacrificia*, *precationis omnium populorum*. De quibus dicit Hoseas cap. 14: 3. *& rependemus vitulos labia nostra*. Ubi populi precantur, ubi *munus purum offerunt*; ibi est domus Dei. Atqui *in omni loco* precantur. Imò *in omni loco munus purum offerunt*. Malach. 1: 11. *Ubicunque Dominus commemorari facit nomen suum, eò venit cum benedictione sua*. Exod. 20: 21. vel 24.

CAPUT XXXIII.

De Genealogia Christi.

XI. *Quomodo conciliabunt Euangelistarum insignem illam ἐναντιότητα, qua Matthæus genus Christi ex Davide per Solomonem deducit, Lucas per Nathanem?*

§. 1. Non opus habemus alia responsione, quàm quòd sine omni contradictione quis possit habere duos patres; nempe unum, qui ipsum generavit, alterum in cujus hæreditatem & nomen succedit. Sic Ephrajim & Manasseh filii Jacobi nuncupantur, quum tamen sint Josephi. Ita Jechonjæ filius Zedekijas patruus. Ita frater fratri semen excitabat. Pone, aliquem de posteris Solomonis non habuisse nisi filias, & aliquem de posteris Nathanis duxisse aliquam earum filiarum, tum filius natus ex illis hæres fiet in familia Solomonis simul & Nathanis, & in utraque familia censebitur. Non est igitur ἐναντιότης & *contrarietas*, ubi ea dicuntur, quæ simul possunt esse vera.

XII. *Qui convenit quod Matthæus dicit ab Abrahamo usque ad Jesum 42. generationes fuisse cum Lucæ computo, qui intra idem tempus 56. numerat generationes?*

§. 2. Nescio, quid Interroganti in mentem venerit, cur in hoc difficultatem poneret. Fuerunt Israëlitæ in Ægypto longo tempore. Quarta generatione inde redierunt. Si eo tempore, quum egressi sunt, non essent nisi quartæ generationes eorum, qui intrarunt in Ægyptum, potueruntne egredi ex Ægypto sexaginta myriades? Ita nihil mirum est, quum quis ad distinctas sed tamen cognatas familias refertur, eum in una familia pauciores, in alia plures patres numerare; quum alii homines citiùs generent, alii tardiùs; vel, quum in una familia fortasse numeret avos plures primogenitos, in altera seriùs genitos.

CAPUT XXXIV.

De die Paschali, quo S. Cœna instituta.

XIII. *Quo pacto conciliari potest quod dicitur Matth.* 26: 19. Et fecerunt discipuli sicut præceperat eis Jesus & paraverunt pascha quum autem vespera facta esset discubuit cum duodecim:

decim : (*unde apparet antequam moreretur cœnam paschalem discipulis ut pararent jussisse cumque eis celebrasse*) *cum eo quod Lucas scribit pridie pascha in monumento repositum fuisse?*

§. 1. SAtis apertè constat, & Christum Cœnam Paschalem celebrasse vespera ea, quæ præcessit ipsius crucifixionem, Matth. 26: 17. 18. atque eam diem fuisse decimam quartam, *primam azymorum*, ibid. & Marc. 14: 12. τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον. Luc. 22: 7. ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Dies ea, qua mactabatur pascha inter duas vesperas, hoc est, die ad vesperam inclinante, est decima quarta. Joh. 13: 1. πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα. q. d. *pridie paschatis*. q. d. בערב הפסח. Dies enim antecedens festum, à cujus vespere festum init, vespera festi solet nominari. Porrò diem, quo Christus crucifixus est, à Senioribus non fuisse habitum pro sancto: quia eo Christum crucifixerunt. Et eo die solebat vinctus aliquis solvi, Johan. 18: 39. Constat item, Judæos, Sacerdotes, Seniores pascha comedere decrevisse vespera illius diei, quo Christus crucifixus est. Joh. 18: 28. 19: 14. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Quod videri possit mirum homini non Judæo. Nam Judæus non potuit ignorare, eo tempore, quo festa indicebantur à Senatu secundùm Lunæ Φάσιν sive apparitionem, accidisse, ut quidam Pascha iterarent: quùm alii à συζυγίᾳ sive conjunctione liminarium, alii ab apparitione computarent mensis dies. De qua ingeminatione festorum dierum ante annos triginta duos, quæ ex Talmud collegeramus, cum rerum Judaicarum studiosis communicavimus. Neque defuerunt docti, qui observationem nostram exciperent non illibentes; fuerunt etiam, qui naso suspenderunt adunco. Nunc non repetam, quæ alibi & ab aliis doctissimis viris, nominatim Cloppenburgio & Capello, dicta sunt. Tantùm monebo illos, qui aliquid nos adhuc discere posse non desperant & literas Hebraicas legere possunt, ut adeant Mosis Maimonii sive Ægyptii יד החזקה parte prima, libero tertio, de זמנים temporibus in sect. הלכות קדוש החדש cap. 3. §. 11. ubi illa leguntur: *ubicunque appulerint nuncii* (pronunciatæ numeniæ) *agebant festa uno die juxta scriptam legem: at in locis longinquis, quò non appulerunt nuncii, agebant duos dies festos, propter ambiguum, quia ignorabant, quem diem Senatus Calendas pronunciasset*. De iis rebus agit & glossa. Quis autem non videt, potuisse in tali casu, quum eveniret, ut Senatus occasionem haberet deliberandi de intercalatione & amplificatione superioris mensis, pios homines sua sponte festa conduplicare, & privatim suo computo eoque ordinario uti, publicè etiam cum populo facere. Nam, etiamsi, ut Maimonius docet, non privatæ computationi fuerint festa commissa, sed Senatui eorum indicatio fuerit injuncta, (quæ indicatio dicitur מקראי קדש quasi dicat, κήρυξις ἁγία) tamen non irreligiosi homines & ordinario ac privato computo & extraordinario principum præconio in faciendis sacris potuerint obsequi, scientes, se utrumque sine peccato facere. Neque id factum absque divina providentia arbitror, ut nempe verum Pascha in ipso legitimo die Paschatis *inter duas vesperas* (h. e. ea parte diei, quæ à meridianis horis supererat, antequam advesperasceret denuò, nempe post vesperam præteritæ diei) moreretur & mactaretur. Ita sentit etiam doctissimus Gerhardus Johannes Vossius *de tempore dominicæ passionis*. th. 15. duplex ex anno fuisse Pascha. Quanquam aliam duplicandi Paschatis causam assignat. Non aspernamur ea, quæ à doctissimis viris in hac quæstione afferuntur ex Judæorum Calendario de translatione festorum: quòd nempe non permittant, ut Pascha eveniat in בדו, hoc est, in secunda, quarta aut sexta die hebdomados. Nisi quòd nescimus, quæ sit antiquitas illius Calendarii: neque putamus, vel, quod Christus fecit, illegitimum aut inusitatum atque rarum fuisse, neque item, quod Principes; atque ità & Christum suo tempore Pascha in Cœnam mutasse, & figuram Paschatis implevisse.

§. 2. Hæc quum ita evenire potuerint, non est Judæorum dicere, ἐναντιότητα esse in ea narratione, quæ, ex his hypothesibus, potest esse vera. Illorum erat probare, non tale tempus tum fuisse, ut vel duplicandi festi vel transferendi occasio fuerit.

§. 3. Cæterum Lucam non videtur inspexisse Quæsitor. Non enim dicit, Christum pridie Pascha in monumento positum esse, sed cap. 23: vers. 54. dicit, καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. *Dies erat parasceve, & Sabbatum suboriebatur*. h. e. luce sequente futurum erat Sabbatum. Nihil aliud dicit, quàm fuisse ערב שבת προσάββατον.

C A P U T XXXV.

Quomodo dicatur, impossibile esse divitem servari?

XIV. *Qua ratione fieri potest ut Christianorum quispiam salutem speret, cum in Euangelio dicatur:* Ideò dico vobis facilius esse ut camelus transeat per foramen acus quam ut dives ingrediatur in regnum Dei?

NEmpe, quia ibidem dicitur, Homini quidem id impossibile esse, Deo autem omnia esse possibilia. Omni homini est impossibile, absque regeneratione divina, vel videre vel intrare regnum cœlorum. Multò magis est impossibile diviti. Quia impossibile est diviti non amare divitias, & eis non confidere. Multò maximè hoc erat difficile Judæo diviti in terra Canaan magna latifundia magnos reditus habenti. Quia illis, qui volebant Christum sequi, crux Christi suscipienda & illa relinquenda erant. Judæi autem non tantùm amabant eam terram & ejus bona, sed etiam eam hæreditatem à Deo sibi assignatam reputabant. Qualis erat juvenis ille, cum quo Christus erat collocutus. Relinquenda autem illa erant, quia ex Hierosolyma aliquando debebant exire, ut impurum non tangerent. Esai. cap. 52. vers. 11. &, quia terra erat ferienda anathemate. Deut. cap. 29. & gentibus tradenda conculcanda. Contra regnum Christi in mundo inter gentes erat plantandum & amplificandum non sine magnis certaminibus & afflictionibus. Deus autem potest efficere, ut homines mundum &, quæ in eo sunt, pro nihilo habeant, & ea, quæ supra sunt, quærant.

C A P U T XXXVI.

De circumstantiis quibusdam resurrectionis Christi.

XV. *Quam conciliationem recipit quod Marcus in Historia resurrectionis cap. 16: 5. unum mulieribus angelum visum narret cum Lucas de duobus referat Luc. 24: 4.?*

MAgna scilicet difficultas! Augenda tamen etiam. Matthæus dicit, *Mariam Magdalenam & aliam Mariam ivisse ad sepulchrum visendum*. Marcus cap. 16. vers. 1. *Mariam Magdalenam & Mariam Jacobi & Salomen venisse, ut Christum ungerent. Quippe ad hoc emta habuisse aromata*. ἠγόρασαν pro ἠγοράκεισαν per Hebraismum. Quemadmodum Lucas cap. 24: 1. ἃ ἡτοίμασαν pro ἃ ἡτοιμάκεισαν. Uterque Matthæus & Marcus unius *Angeli* vel *juvenis* mentionem facit. Lucas cap. 23: 55. indigitat *Mulieres, quæ ipsum comitatæ fuerunt ex Galilæa*, & cap. 24: 1. *quasdam cum ipsis*. Et is *duorum virorum* meminit vers. 4. Johannes cap. 20. narrat, *Mariam Magdalenam, quum vidisset ablatum lapidem, cucurrisse, & indicasse rem Simoni Petro. Postea vidisse duos angelos*. vers. 12. Si est difficultas in angelorum numero, forte etiam erit in numero mulierum, & in iis, quæ de *Maria Magdalena* narrantur. Sed, ni fallor, una difficultas alteram tollit, & hæc inter se comparata facilia sunt. Fuerunt fœminæ plures ejus consilii & propositi. Sparsim profectæ

fectæ sunt. Maria Magdalena, quum vidisset lapidem amotum, abiit ad Petrum: cæteræ progressæ sunt, non unâ tamen. aliæ illarum viderunt unum angelum, aliæ duos. An nescimus, in talibus narrationibus locum esse synecdochæ? Historicus aliquando omnia recitat, quorum meminit: aliquando ea, quæ satis sunt. aliquando loquitur de multitudine indefinitè, aliquando specificatè.

CAPUT XXXVII.

An Lucæ historia Canonica?

XVI. *Quomodo Lucæ historia pro Canonica haberi potest, qui in principio Euangelii sui fateatur; se nihil eorum, quæ viderit, scripsisse; sed solùm ab aliis audita collegisse?*

Lucas testatur, se scribere de iis, quæ inter Christianos certa erant, quæ tradidissent, qui testes oculati & ministri rei fuerant ab initio; & in quæ ipse diligenter inquisiverit, atque ita accuratè perceperit. Promittit autem, se ea ordine præscripturum, ut, sive Theophilus sive omnis Deum amans, possit cognoscere rerum auditu acceptarum certitudinem. Licèt autem his verbis non ostendat, se inter primos vidisse ea, quæ scribit, tamen non negat, se multis interfuisse. Sed esto, Lucas non sit oculatus testis. An ex eo sequitur, librum illum non esse in spiritu Dei scriptum & canonicum? Moses etiam scribit de iis, quæ ab initio facta sunt tot seculis, antequam ipse nasceretur? An propterea non est pars libri ejus θεόπνευστος? Quemadmodum scriptum ejus, qui interfuit rebus gerendis, de quibus scribit, non propterea est divinitus dictatum: velut Κύρυ ἀνάβασις Xenophontis: ita etiam abfuisse à rebus gerendis non est causa, quare scriptum de iisdem non sit θεόπνευστον. Potest enim Spiritus Sanctus ea verba pronunciandi & scribendi auctor fieri, quibus quis, quæ Deo revelante didicit vel diligenti studio ex charitate & zelo Dei inquisita sic percepit, ut de eorum veritate dubitare non possit. Sed Lucæ Euangelium meritò pro θεοπνεύστῳ habemus: quia constat, eum Pauli Apostoli eximium & fidelem comitem fuisse; & spiritu Dei præditum fuisse; & copiam habuisse testium, qui ea viderant atque audiverant; & quasi ex ore ipsorum potuisse scribere: quemadmodum Baruch scripsit ex ore Jeremiæ.

CAPUT XXXVIII.

De partu Mariæ, & fratribus Domini.

XVII. *Quomodo explicatur id quod Matthæus refert cap.* 1: 25. Et non cognovit eam donec peperit primogenitum suum. *unde liquet quod postea eam cognoverit, præsertim cum vox* primogeniti *declaret etiam alium secundo genitum fuisse, alias unigenitum dicere debuisset. Hæ rationes probant uxorem Josephi non semper virginem mansisse, sicut ex aliis etiam locis apparet: Matth.* 12. Ecce mater & fratres tui foris stant cupientes tecum colloqui.

Poterat hoc Christianis objici, si in fidei articulis ponerent, Mariam semper virginem mansisse. Sed, possunt tamen ea esse vera, etiamsi semper virgo mansit. Nonne & Laban Jacobum appellat fratrem suum? Proximi cognati, ut consobrini aut patrueles, etiam *fratres* appellantur.

CAPUT XXXIX.

De legis observatione, quam Christus commendavit.

XVIII. *Quo jure Judæos taxant Christiani ob legis suæ observationem, cum Christus ipse Matth.* 5: 17. 18. *neget* se venisse, ut solvat legem & prophetas, verum ut impleat. Amen enim dico vobis usque dum cœlum & terra pereant nullus apex de lege peribit donec omnia fiant. *Matth. item* 23: 2. 3. *ait idem:* In Mosis cathedra sedent scribæ & pharisæi: quicquid ergo præceperint vobis servare servate.

§. 1. Non taxant Judæos Christiani ob legis suæ observationem, sed, quemadmodum ipsi prophetæ faciunt, quòd eligant vias suas præ viis Dei, & nec Mosi nec Prophetis credant. Christus non venit, ut solvat legem; & tamen venit, ut redimeret eos, qui erant sub lege, ut spiritum filiorum plenè acciperent: quod effecit, implendo legem, sub qua factus est. Implevit legem Sponsoris, offerendo sacrificium dignum Deo volente justificare peccatorem, quo ipsum sanctificavit: adducendo justitiam æternam: impetrando dona, quæ acciperet in hominibus, imprimis Spiritum sanctificationis, quem daret suis, ut non in litera & umbra, sed in veritate Deo servirent.

§. 2. Si Christus hoc non fecisset & faceret, periret multum de lege, non tantùm unus apex. Tota enim promissio evacuaretur, figurarum significatio falleret, spes sanctorum interiret, imò nemo Deum amaret, atque ita lex non inscriberetur cordibus; imò ne legis quidem virtus & efficacia & nomen Dei ac veritas ipsius innotesceret.

§. 3. Nullibi ostendit Moses, nullibi Prophetæ, Deum esse Deum, qui delectetur sacrificiis, lotionibus, & aliis operibus, quæ & ii, qui Deum oderunt, facere possunt, & propriè non sunt actus imperati ab aliqua virtute, sive ab amore Dei. Nullibi ostendit ullus Propheta, Deum factum esse alium, quoad justificationem peccatoris.

§. 4. Mirum porro est, Judæum nobis objicere Christi dictum, quo testatur, nullum apicem de lege periturum; quum in eadem pericopa accuset Pharisæos & Scribas, tanquam veram justitiam nec habentes, nec docentes, nec agnoscentes. Quod & copiosè probat, κατήχησιν illorum cum perfectione legis comparans.

§. 5. Ex qua re clarum est, Pharisæos non posse habere justitiam ex lege, quam ne interpretantur quidem ex vero: neque etiam verè resipiscentes posse haberi; quum suam injustitiam non putent esse transgressionem legis.

§. 6. Unde planissimum est, qui ita, ut Pharisæi, volunt esse

sub lege, & in ea justificari, non posse effugere nomenclaturam רשע injusti & damnati.

§. 7. Matth. 23: 2. 3. non loquitur Christus de statu Israëlis aut gentium in regno cœlorum, sed de statu Israëlis, qui tum erat usque dum ipse per mortem suam finem imposuisset imperio Seniorum. Testimonium exhibet Pharisæis & Scribis, quòd inter Seniores ipsi, non verò Sadducæi, essent, qui in throno Mosis sedebant, successores Mosis, & verbum Dei retinentes, & sensum ejus veriorem; licèt non sine fermento. Quodque adeò ipsis in omnibus, quæ ad politiam populi Dei pertinebant, tanquam principibus & diis nominatis, parendum esset, in quibus scilicet contumacia accusari & non timor Dei, vetans hominibus magis parere quàm Deo, laudari posset. Atqui, quum dii illi nuncupativi aboliti sint, & Christus factus sit *princeps & dominus*, & *regnum Dei* advenerit, & *angeli Dei* Christo subjecti sint, diesque priores præterierint, non agnoscimus amplius מחוקקים & legis dictatores sedentes in cathedra Mosis: sed eos, qui jugum nobis aut ulli imponunt, hostes libertatis & sic regni Dei judicamus.

CAPUT XL.

De pace sub regno Christi.

XIX. *Quomodo dicit Christus se non venisse in mundum pacem mittere sed gladium Matth.* 10: 34. 35. *cum prophetæ uno ore testentur Messiam pacem orbi collaturum, nec bellum amplius fore in adventu ipsius?*

DE hoc egimus ad Responsionem Quæstionis VIII. Nulli prophetæ dicunt, omnibus hominibus pacem fore, quum Christus venerit. Est quædam *pax*, nempe cum Deo, Rom. 5: 1. quam afferet, ita ut רצון & ἀποδοχὴ detur; ablata omni זעם *ira*. Esa. 49: 8. Es. 61: 2. cujus multi erunt exsortes: nempe qui fœdus Dei non apprehenderint. *Non est pax improbis*. Esai. 48: 22. 57: 21. Nam super illos manet ira. Johan. 3: 36. Jerem. 30: 21. 22. 23. 24. *Et existet princeps ejus ex ipso, & dominator ejus ex medio ipsius exibit, & faciam illum accedere, & accedet ad me. Nam quis est*, qui *cor suum in fidem suam receperit, ut accedat ad me*, tanquam justitiam habens aut peccata sua expiaturus? *ait Jehovah. Et fietis mihi populus, & ego vobis fiam Deus. Ecce turbo Domini, ardor exivit: procella se protrahens in capite improborum manebit. Non avertetur æstus iræ Domini, donec fecerit & donec exstare fecerit decreta cordis sui. in extremo dierum considerabitis hoc.* Ita venit ad quietem prædicandam & promittendam accipientibus quietem. Esa. 28: 12. Sed & quidam non erant intraturi in quietem ipsius. Psal. 95: 11. nempe qui cunctaturi erant rupem salutis adorare. vers. 6. 7. Rursus, *secundò*, Christus pacem erat facturus in gentibus. Nam in semine Abrahami benedictio erat perventura ad omnes familias terræ. & ei parata erat obedientia populorum. & in ipsius regno montes oblaturi erant pacem populo. Ita factum est. Euangelium prædicatum est Judæis & gentibus, sublato intergerino pariete: & gentes crediderunt ac pacem populo Israëlitico obtulerunt. Nam ex multis populis iverunt, ut quærerent Dominum & vias ipsius discerent. Esai. 2: 2. 3. *Tertiò* effecturus erat, ut hostes sui ipsi mentirentur. Sed & dominationem exerciturus erat in medio hostium, & reges regumque exercitus prostraturus. Psalm. 110: 2. 5. 6. & interim daturus erat populo suo refrigerium & tandem victoriam. Quæ omnia à Judæis negliguntur. Qui tamen ex illis, quæ Christus, tum in dicto loco tum alibi, dicit, poterant colligere, eum veracem prophetam extitisse: quum Judæis & ipsorum rectoribus omnia contra spem evenerint, & ea, quæ evenerunt, verba ipsius justificaverint.

CAPUT LXI.

Quomodo Solus Deus bonus dicatur à Christo?

XX. *Quo pacto explicabunt dictum Christi Matth.* 19: 17. Quid me vocas bonum? nemo est bonus nisi unus, nempe Deus. *unde apparet quod ipse non fuerit Deus ille quoniam non patitur se bonum vocari.*

NEgo, Christum se *vetuisse bonum vocari*. Erat enim revera ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς *pastor ille bonus*. Johan. 10. vers. 11. Sed eum, qui se vocabat, & rectè quidem, διδάσκαλον ἀγαθὸν *magistrum bonum*, commonefacit Christus, ut cogitaret, quid diceret; ne scilicet in hypocrisi & per mendacium diceret, quod dicebat. Nam nullus est *bonus doctor* Israëlis, nisi is qui est *bonus*: nempe Deus. Esai. 54: 13. *Et omnes filii tui discipuli Domini.*

CAPUT XLII.

De Zacharia filio Barachiæ Matth. 23: 35.

XXI. *Quomodo Christiani excusabunt dictum Matth.* 23: 35. *quo dicitur Zacharias filius Barachiæ interfectus esse inter templum & altare, cum eum qui ita occisus est constet fuisse Zachariam filium Jojadæ pontificis 2 Chron.* 24: 22. *Zacharias autem hic filius Barachiæ inter minores prophetas undecimus non fuerit interfectus?*

IMò quomodo Judæi excusabunt homicidium Zachariæ filii Baruch commissum in templo paullò ante deletionem Hierosolymæ (ut testatur Josephus) quo facto impleverunt verbum Christi? Christus autem pro *Baruch* potuit de industria dicere *Barachias*, non plenè retinendo nomen patris, & tamen indigitando significationem & vim nominis; & ad vetus factum alludendo. Nempe, ut & in hoc cæspitarent Judæi adversus omnia recalcitrantes. Dico, alludendo. Quis enim nescit, simile per simile solere indigitari? Ita Isabel poterat videri Jehu venustè *Zimri* vocare. ita non una Babel, non una Tyrus, non unus Edom, non una Ægyptus à prophetis notatur. Quid igitur impedit, Christi verba sic interpretari. Vos occidetis aliquem, cujus nomen poterit videri idem cum Zachariæ filii Barachiæ; & eum interficietis in templo, quemadmodum Zacharias filius Jojadæ occisus est in templo: & is sanguis à vobis exigetur: sed non solùm is sanguis, verùm sanguis omnis effusus in terram, inde à sanguine Abelis justi.

CAPUT XLIII.

De veritate dicti Matth. 24: 34.

XXII. *Quid sibi vult quod Matth. 24: 34. dicitur* non peribit hæc ætas seu generatio donec hæc omnia fiant. omnia *nempe ista quæ prædicta sunt de solis obtenebratione, stellarum casu, virtutum cœlestium commotione, filii hominis in nubibus cœli apparitione cum majestate, comitatu angelorum buccinantium, congregantiumque omnes electos à 4. partibus terræ, cum videamus hanc pluresque alias post ipsam generationes transiisse, neque tamen ex prædictis quippiam accidisse?*

§. 1. QUod est apud Esaiam cap. 5: 19. *Qui dicunt, acceleret, festinet opus suum, ut videamus; & approximet ac veniat consilium Jehovæ, & cognoscamus:* id revera comperiuntur Judæi dicere. Non enim observant, quæ facta sunt & fiunt; &, quæ imminent, non credunt, tametsi antecedentia signa jam exstent. Si rem ipsam inspicerent, &, quid Christus prædixerit, considerarent, invenirent proculdio eorum veritatem; & non esset ipsis difficile rectè explicare verba Christi, *non prœterituram generationem illam donec omnia ea fiant.* Nunc malunt calumniari verba Christi, & rem ipsam negligunt. Quid enim? An nihil eorum, quæ Christus dixit, evenit hactenus? Annon *erecta est gens contra gentem*, vers. 7. Romana contra Judaicam, Judaica in Romanam? Non *visum est abominabile desolationis stans in loco sancto;* vers. 15. non visa est *Hierosolyma cincta exercitibus*, Luc. 21: 20. non in ipso templo castra sua constituerunt sceleftissimi homines, qui se pro *ala* & defensaculo gerebant, & erant *abominationi* & Deo & hominibus? Nonne Hierosolyma desolata est? Nonne belli Judaici tempus ἐκολοβώθη & intercalatione aliqua interruptum est per mortem Neronis & ea, quæ Romæ & in Romano imperio gesta sunt, donec Vespasianus imperator fieret? vers. 22. Nonne Christiani *in afflictionem traditi sunt?* vers. 9. Nonne multi hæretici *scandalisati sunt* in doctrina Christiana, *& se invicem tradiderunt, & se invicem odio habuerunt?* vers. 10. Nonne *pseudoprophetæ* venerunt? vers. 11. qui dicerent, *Hic est Christus?* vers. 23. Nonne ἀνομία & regnum τῆ ἀνόμυ obtinuit? vers. 12. Non *charitas multorum refrixit? ibid. Non erectum est regnum Anti-Christi in regnum Christi* & vice versa? vers. 7.

§. 2. Atqui, inquit, cætera nondum vidimus, quæ sunt vers. 14. & 29. 30. 31. Si oculos haberet Interrogator, aliquid etiam eorum vidisset. Sed quid tum? Nihil adhuc illorum factum sit. an propterea prophetia, cujus tot partes veræ comperiuntur, est rejicienda?

§. 3. Certè, ait; quia Christus dixit, *Omnia hæc futura esse, antequam abeat generatio illa.* Calumniatur verba Christi. Rectè sic verteris: *Non præteribit hæc generatio*, h. e. non omnes homines, qui nunc vivunt, morientur, *dum omnia hæc fiant*, h. e. fieri gerique incipiant. Cohærent enim illa inter se & connexa sunt, & id, quod præcedit, trahit id, quod sequitur. Bellum Judaicum & consecutam desolationem Hierosolymæ vidit Johannes Apostolus. Hoc *initium dolorum* aut *parturitionum.* Ex illo Ecclesia ὠδίνει *parturit.* Ab illo exordio pendent omnia. Neque tantùm prima intra id tempus facta sunt, quæ postrema trahunt, sed etiam omnium specimina contigerunt: Persecutio Christianorum, Hæreses, Pseudoprophetæ, Pseudochristi, qui se pro regni Israëlis restauratoribus gererent, & signum filii hominis visum est in cœlo, h. e. Christus, qui ponitur in signum, ut, quisquis salvus esse vult, ad eum accurrat, cognitus est sedens in cœlo per effusionem Spiritus sancti; & Euangelium prædicatum in mundo; & electi collecti, & vires cœlorum commotæ & vetus cœlum amotum in amotione cathedræ seniorum & politiæ Judaicæ.

CAPUT XLIV.

De ignorantia diei novissimæ in Christo Matth. 24: 36.

XXIII. *Quis est sensus verborum illorum:* de die illo & hora nemo scit, ne angeli quidem ipsi, excepto solo patre meo. *Matth. 24: 36. Si Deus erat qui fieri poterat ut quædam ignoraret?*

QUi idem est Jehovah & Angelus Dei, in quo est nomen Dei, & cui Pater monstrat omnia, quæ facit, in quo Deus ante jacta mundi fundamenta propositum fecit de regni sui erectione & gubernatione; idemque servus Dei, ut sit in fœdus populi: is simul novit omne consilium Dei; & scientiam, quæ per revelationem communicatur, potest non habere. Ita idem Christus Marc. 5: 30. sciens volens sanaverat hæmorrhousam, (Nam *potentia ex ipso exiverat.* Quæ enim potentia ab ipso exiit, à voluntate & imperio ejus profecta est) & resciverat, potentiam ex se prodiisse, & nesciebat, in quo potentia se exeruisset, & cui ea sanitatem dedisset. Non potest verbum illud δυνάμει... videri nisi ei, qui non credit, Jesum *esse filium Dei in potentia secundùm spiritum sanctitatis.* Rom. 1: 4.

CAPUT XLV.

De consensu Stephani & Mosis in numero capitum familiæ Jacobi: & sepulturis Patriarcharum: item Pauli & Samuelis in numero annorum Sauli.

XXIV. *Quomodo veritati consentaneum est quod scriptum est Act. 7: 14. Jacobum cum 75. animabus in Ægyptum venisse, contra quam Scriptura multis in locis testatur 70. duntaxat fuisse?*

§. 1. SCriptura Gen. 46: 15. numerat filios Leæ 33. & tamen sunt 35. connumeratâ Dinâ. Quæ & debet in 33. numerari. Dicit enim. *Omnis anima filiorum ejus & filiarum ejus* 33. Unde colligimus, ut is numerus triginta trium rectè se habeat, detrahendos esse *Er* & *Onan.* Tum vers. 18. numerantur filii Zilpæ 16. Deinde vers. 22. filii Rachel 14. connumeratis *Manasseh* & *Ephrajim* natis in Ægypto. Porrò vers. 25. filii Bilhæ 7. Hi numeri collecti faciunt 70. Sed Scriptura facit summam 66. vers. 26. detractâ scilicet Dinâ, & duobus filiis Josephi cum Josepho patre: qui jam erat in Ægypto. Mox vers. 27. integram summam capitum familiæ exhibet, nempe septuaginta. Stephanus numerum exhibet

hibet familiæ Jacobi præter Jacobum & *uxores filiorum ejus* (quas & Scriptura separat Gen. 46:26.) quotquot nimirum nomina in Catalogo Mosis recensentur. Lea, Zilpa, Bilha accensentur, quia vivebant. Et & Onan, quia ex Jacobo erant. Neque enim Stephanus dicit, tot homines descendisse in Ægyptum (Nam de descensu in Ægyptum demum vers. 15. loquitur) sed tantùm incrementa domûs Jacobi indigitat, quæ vers. 17. ostendit mirum in modum aucta. Innuit autem, potissimam promissionem, quam accepit Abraham, non esse possessionem terræ Canaan: quippe quum nec ipse vestigium pedis in ea posséderit, vers. 5. neque etiam familia & semen ipsius; quod quum augeri inciperet, inde egressum est, & in terra aliena est amplificatum. confer vers. 6. Notandum interim, quod Lxx. Gen. 46:27. pro *animæ duæ* legant *animæ novem*, & 75. pro 70. Hos Stephanus vel Lucas tutò poterat sequi, significans, summùm 75. animas fuisse.

XXV. ***Quo pacto consistit quod ibidem Act. 7. scribitur Jacobum cum Patriarchis Sichemi sepultum in sepulcro quod Abraham mercatus est à filiis Emmor filii Sichem. ubi triplex est error contra Scripturarum veritatem. 1. Quia non Abraham sed Jacob locum à Sichemo mercatus est. 2. Quia Jacob non sepultus est Sichemi, sed Hebrone in monumento quod Abraham mercatus est ab Ephrem. 3. Quia Emmor non fuit filius Sichem, sed Sichem filius Emmor.***

§. 2. Ad eundem scopum pertinent, quæ dicit Stephanus Actor. 7:16. Loquitur de sepultura Jacobi & Josephi. quòd ne sepultura quidem nisi emta gavisi sint. Loquitur autem ut de nota re, in qua narranda nihil ipsi propositum erat novare: quædam dicens, quædam innuens & in mentem revocans. *Et transpositi sunt* (quidam illorum; qui nempe leguntur transpositi) partim, &, ut exemplo utar, *in Sichem*, ut Joseph, Jos. 24:32. *& positi sunt in monumento, quod emit Abraham* (sive ipse Abraham, cui facta erat promissio, emerit, sive nepos Abrahami, nihil interest. Nam promissio facta est Abrahamo, quòd Deus ipsi daturus esset eam terram; nempe substituendo semen ipsius pro ipso. Sic Jacob se dicit arcu & gladio suo eripuisse terram Amorrhæis, Gen. 48:22. Et Abrahamus emendæ sepulturæ exemplum reliquerat. Neque magis absurdum est, emtionem Jacobi assignari Abrahamo, quàm parationem vel emtionem sepulchri Abrahami tribui Jacobo. ut fit Genes. 50:5. 13.) *precio argenti*, & quidem etiam *à filiis Emmor τοῦ Συχὲμ* nempe *patris*. Hanc enim relationem habere Emmor ad Sichem, notum erat. Aben Esra ad Psalmum 78. in quo non planè idem ordo retinetur, qui est in Mose, sic annotat: והנה הכתוב בלבל דבריו שאחר המוקדם והפך זה ולא חשש מזה כי מפורש הוא אצלנו בתורת משה / *Et ecce Scriptura confuse loquitur. nam præposuit sequentia & contra: neque de ea re sollicita fuit; quia rei ordo nobis constat in lege Mosis.* Adhibeant similem ἐπιείκειαν hîc, & cessabit γογγυσμὸς atque oblocutio.

XXVI. ***Qui consistit quod Actorum 13:21. scriptum est, Saulum qui primus fuit rex Israëlis, 40. annos regnasse, cum biennii tantum mentionem faciat Scriptura?***

§. 3. Possunt verba Pauli sic exaudiri, ut quadraginta anni regimen Samuelis & Sauli complectantur.

CAPUT XLVI.

De numero bestiæ.

XXVII. ***Quemadmodum Christiani interpretantur verba Apoc. 13:18.*** **Hîc est sapientia; qui intelligit computet numerum bestiæ; Nam numerus hominis est, numerus autem bestiæ est 666.** ***Nam neminem adhuc audivi qui hunc locum perspicuè sit interpretatus. Ego verò bonam illius interpretationem adferre possum.***

§. 1. Quid responderent Judæi, si quis gentilium dicat, se non credere Mosi & Prophetis, quia non audiverit aliquem Judæorum, qui perspicuè sit interpretatus omnia mysteria prophetiarum? Piget profectò cum irrisoribus loqui. Quod attinet eum locum Apocalypseos, in eo Spiritus dat potestatem omni prudenti computandi numerum bestiæ. Esse enim numerum, quem *homo* possit numerare: qui non requirat ulteriorem revelationem; dummodò quis habeat exercitatos sensus ad dijudicationem boni & mali. Credibile autem est, etiam non uno modo numerum hunc bestiæ inveniri posse. Satis autem est modesto homini, quum talem aliquem numerum invenerit, qui bestiæ fundamentum attingat. Est enim *Bestia* multitudo hominum carnalium sive spiritu Dei carentium, habens regnum in mundo, nomen Christi præ se ferens non in veritate, se subjiciens capitibus, rectoribus & potestatibus, ad dicendum, quod ii dicunt, & faciendum, quod decernunt & faciunt. Ii autem, qui eam multitudinem in potestatem redigunt, & volunt, ut ea dicat, quod ipsi dicunt, & agat, quod ipsi decernunt ac faciunt, vocantur *Pseudopropheta*; & primus illorum, qui habetur Vicarius Christi & dicitur repræsentare Ecclesiam & habere Spiritum sanctum, vocatur *Imago Bestiæ*.

§. 2. Ei *bestiæ* attribuitur *χάραγμα* aut *signatura*, quæ recipitur in manu & in fronte; h.e. lex profitenda & sequenda: opposita legi Dei, quæ est lex fidei ad justitiam, quam Deus jubet poni in fronte & in dextra manu. Deut. 6:8.

§. 3. Ei etiam tribuitur numerus adorandus. Quemadmodum Esaias cap. 65:11. quosdam abominatur, qui *struunt turmæ mensam, & implent numero crama*: ita Johannes dicit, ab incolis terræ adorari *numerum bestiæ* & *numerum nominis ejus* Qui sibi persuadet, eam multitudinem esse Ecclesiam, & eam non posse errare propter multitudinem, aut propter capita sive Pseudoprophetam & imaginem ejus, is revera *adorat bestiam*. Apoc. 13:8. *& numerum bestiæ*.

§. 4. Et habet Ecclesia numerum ænigmaticum, habet & Bestia. Ecclesiæ numerus est 144000. Qui numerus est factus à 12. Quo significatur multitudo concorporata duodecim tribubus Israëlis, & verbo, quod ad eas factum est, nominatim per duodecim Apostolos, inædificata, & per eam fidem unum facta. Hoc apertum est ex cap. 7. & 14. Nihil est proclivius, quàm cum hoc numero comparare numerum Bestiæ. Qui est 666. Minor numerus, quoad valorem: licèt bestiæ major sit numerus, quoad speciem. Sunt enim myriades myriadum. Quemadmodum 666. non possunt destruere 144000. quin relinquantur 144. ita bestia non potest tollere Ecclesiam sanctorum, quin superstit corpus repræsentans duodecim tribus Israël & fundamentum ac fidem ejus retinens. Quemadmodum 144000. oriuntur ex 12. ita 666. non oriuntur ex 12. sed senarius accedens impedit, quò minùs sit numerus factus ex duodecim. Quod homines perspicaces acceperunt de sex libris decretalium. Bonifacius VIII. eum numerum consummavit, & perfectionem legis bestiæ magnis encomiis extulit.

§. 5. Videndum etiam est, quid nominet Bestia? Nominat partim eum, qui locutus est ad duodecim tribus Israël, partim eum, qui suam legem per senarium consummavit: atque ita legem humanam legi divinæ & Euangelio admiscet. Quasi dicas, nominat & numerat se supra duodecim.

§. 6. Hæc nobis videtur simplex ratio exponendi hujus ænigmatis. Quæ expositio non est à cerebrino figmento, sed à reipsa dictatur; & est accommodatissima intentioni prophetiæ. Nam idipsum indicat, per quod Bestia est Bestia. nempe quòd loco veritatis, & unius Jehovæ, & unius nominis, & unius verbi, introducit multitudinem & ejus auctoritatem, & varium nomen Dei, & aliud verbum, & aliud fundamentum: illud ipsum videlicet, quo à duodecim tribuum fide, distinguitur.

§. 7. Debebat autem Judæus, qui hæc irridens dicit, prophetiam illam cum tremore recognoscere. 1. Quia Judæi in eadem culpa sunt: qui à fide patrum decedentes eligunt sequi, quod

quod principes illorum dixerunt & statuerunt; & cum populo quàm cum parvis Christi discipulis sentire maluerunt. 2. Quia in eo exemplo debebant animadvertere, quæ sit Dei severitas, qua plectit eos, qui Euangelium in vanum audiunt. 3. Quia debebant adorare prophetiæ illius divinitatem, cujus veritas in tam manifestis implementis demonstratur. 4. Quia ipsorum pœna est, quòd Ecclesia ad istum modum tentatur, & veritas per Antichristum absconditur, & ipsis scandala ponuntur. Hæc enim faciunt, ut ipsi eò diutiùs extra regnum Christi maneant, & in peccatis suis moriantur: quemadmodum per Mosen dixerat Deus: *Occultabo faciem meam ab ipsis.* Deuter. 32. verf. 20.

CAPUT XLVII.

An Christus habeat omnem potestatem?

XXVIII. *Quomodo explicant responsum quod dedit discipulis suis interrogantibus:* An hoc tempore restitues regnum Israëli? Et ipse dicebat illis: non est vestrum scire tempora aut articulos temporum quos pater posuit in propria sua potestate. *Act.* 1: 7. *Hinc apparet non habuisse eum omnem potestatem.*

§. 1. Apostoli etiam tum sine dubio haberunt cogitationes de regno temporali, quale fuerat Davidis & Solomonis. Christus non negat, se aliquando *regnum* daturum esse *Israëli Dei.* Sed tamen de eo non in specie respondet. Tantùm corripit discipulorum *περιεργίαν* & curiositatem: qui in eo exemplo ostendebant, se cupere amplius scire, quam per sacras literas revelatum erat: monens eos debere esse contentos iis, quæ Deus revelaverat, & non curiose inquirere in ea, quæ Deus non revelaverat. Quippe quum *ea Pater posuerit in propria potestate.* De multis enim rebus sic locutus est Deus, ut certa earum sit exspectatio: de aliis ita, ut interim locus esset promissionibus conditionatis & comminationibus & dilationibus tanquam per occasionem. Ita Abrahamo dixit, quadringentis annis semen ejus peregrinum fore in terra non sua, & quarta generatione reversuros. Ita factum est. Sed non statim introducti sunt in terram. Per quadraginta annos circumegit eos in deserto: &, quanquam dixisset, se ipsis daturum esse terram Canaan, tamen hoc non evenit nisi paucis eorum. Ita Deus tempus, quo decreverat ipsos introducere in terram, posuit in sua potestate, ut id aliquando in ipso opere cognoscerent. Ita sanè *regnum* promissum est Ecclesiæ: sed additum, *per multas afflictiones nos oportere ingredi in regnum.* Actor. 14: 22. Voluit Deus ad tempus ipsis quoque Judæis regnum offerre. ut patet ex Psalmo 81. Et Ecclesia quoque per negligentiam suam efficit, ut sibi regnum non repræsentaretur, sed ut id differretur. Nam quid est Apoc. 2: 5. *movebo candelabrum tuum ex loco suo*, aliud, quàm, ego te in gentes abducam & ex populo Judaico educam, & faciam te errare in deserto ad quærendum locum habitationis? Vide Hos. 2. Ps. 107. Apocal. cap. 12. Hæc autem multùm distant à *regno*, quod canitur in tuba demum septima. Apoc. cap. 11. verf. 15.

§. 2. Non tamen propterea non data est filio omnis potestas in cœlo & in terra: Matth. 28: 18. quia Patris & Filii unum est *consilium pacis*, Zach. 6. verf. 13. una voluntas, & unum Testamentum. Accepit filius à Patre etiam judicia Dei, Psalm. 72: 1. Ezech. 21: 27. vel 32. Joh. 5: 27. *Et potestatem ipsi dedit etiam judicium faciendi; quia filius hominis est.* In quo continetur potestas tum suos salvandi, & eos repurgandi, tum etiam inobedientes puniendi. Psalmo 2. verf. 9. 12. *Conquassabis eos sceptro ferreo & tanquam vas figuli eos confringes. Brevi exardescet ira ejus. Beatus, qui confugit ad ipsum.*

CAPUT XLVIII.

Quomodo falsi testes, qui dixerunt, Apostolos docere destructionem Hierosolymæ & sublationem legis?

XXIX. *Quo pacto explicabunt quod Actor.* 6: 13. 14. *dicitur falsos quosdam testes contra Stephanum insurrexisse, qui dicerent:* hic homo non cessat blasphema verba jacere contra legem & sanctum hunc locum. Audivimus enim illum dicentem quod Jesus Nazarenus hunc locum perdet mutabitque ritus quos Moyses nobis dedit. *Nam cum illi qui hujusmodi testimonium perhiberent falsi testes dicantur, consequens est Apostolos id non docuisse.*

Falsi testes sunt, 1. qui falsum imponunt innocentibus. 2. Qui, quod verum est, blasphemant. Falsi sanè hi testes erant, quia dicebant, Stephanum *blasphema verba jacere contra legem & sanctum illum locum.* Non enim erat blasphemia, dicere, Jesum Nazarenum perditurum illum locum & aboliturum servitutem legis. Id enim etiam Prophetæ dixerant. Deinde falsum testimonium erat, Stephanum id, quod perditionem illius loci attinebat, dixisse non ex hypothesi contumaciæ ipsorum. Stephanus quid dixerit, ex ipsius Apologia constat. Doëg fuit falsus testis (Psalm. 53. verf. 5.) quanquam verum dixerat, se vidisse Davidem cum Achimelecho. 1 Sam. cap. 22. verf. 9. 10. neque Achimelech quicquam illorum infitiatur, quæ Doëg dixerat. verf. 14. 15.

CAPUT XLIX.

An cum potentia Christi pugnet locus Matth. 20: 23.

XXX. *Quo sensu accipient verba Matth.* 20: 23. *ubi discipulis petentibus ut unus sederet ad dextram alter ad sinistram ejus respondet*, hoc non est meum dare, sed illis (competit) quibus à patre meo cœlesti paratum est. *hinc apparet non fuisse omnipotentem.*

§. 1. Quemadmodum Christus dixit, se nihil posse facere aut dicere à semetipso, tanquam discedens à voluntate patris (quo non impotentia sed unitas significatur) ita potuit dicere, non esse suum dare sedere ad dextram aut ad sinistram: nempe præter voluntatem patris. Sed tamen hoc in eo loco non dicit. Sic enim verba Christi vertenda sunt. *Sedere ad dextram & ad sinistram meam non est meum dare NISI quibus paratum est à patre meo.* ἀλλὰ pro εἰ μὴ. ut & 1 Joh. 2: 27. ponitur.

§. 2. Non debuit ignorare Judæus, in phrasi Euangelistarum esse

esse frequentes Hebraismos. Est autem Hebraismi species interpretamentum capere in latitudine vocis Hebraicæ, pro qua ponitur. כִּי אִם significat & ἀλλὰ discretivum vel adversativum, & εἰ μὴ limitativum. Hinc ἀλλὰ ponitur etiam pro altera significatione. Imprimis quia convenit cum sono Judaicæ vocis אֶלָּא, quod est pro אִין לָא, quod utrumque valet. Ea particula hîc bene utitur Syrus.

CAPUT L.

De maledictione ficûs.

XXXI. *Qua ratione nititur & quâ interpretatione defendent id quod legitur Marc.* 11: 13. *de ficu quam fructum non ferentem, quia necdum venerat tempus ficuum execratus est Jesus. quid meruerat misera illa ficus ut eam extra tempus non ferentem fructum execraretur?*

NOn erat tempus maturarum ficuum: tamen ea ficulnea ostendebat magnam luxuriem filiorum & frondium, præ cæteris. Solent ficus, quum abundant foliis, habere aliquem fructum. Nam & *fico serius folium nascitur, quàm pomum:* Plinius lib. 16: 26. & docent nos hortorum custodes etiam in his regionibus frigidioribus, ficos esse biferas (quod & Plinius testatur lib. 16: 27.) seros fructus per hiemem in arbore manere, & æstate, inter novas frondes & folia, maturescere. Columella de arboribus cap. 21. docet, quibus locis *præcoques* (ita appellat, quarum fructus ante hiemem maturescit) serendæ sint; quibus item *serotinæ;* quas & *feras* vocat. *Locis frigidis & autumni temporibus aquosis præcoques serito, ut ante pluviam fructum deligas. Locis calidis hibernas serotinas serito. At, si voles ficum quamvis non natura seram facere, cum grossuli minuti erunt, fructum decutito. Iterum alterum edet fructum & in hiemem serum differet maturitatem.* Eadem habet de re rustica l. 5 cap. 10. Plinius l. 15: 18. *Sunt & hiberna quibusdam provinciis, sed artis non naturæ. Parvarum genus arborum post autumnum fimo contegunt deprehensasque in his hieme grossos, quæ mitiore cælo refossa cum arbore atque in lucem remissa novos soles aliosque, quàm, quibus vixère, avidè tanquam iterum nata accipiunt: & cum venientium flore maturescunt, alieno præcoces anno, in tractu vel gelidissimo.* Quid igitur mirum, in arbore intempestivam & novam fertilitatem pollicente (habebat enim folia, quum tempus ficuum non esset) requiri fructum aliquem præcocem à serotino germinante cum novo flore, ut Plinius loquitur, maturitatem adeptum, in calidis regionibus? Hoc animo accessit Christus. At nullum fructum reperit. Execratus est eam, ne unquam ferret fructum. Et ficus quidem illa nihil meruit, sed populus, apud quem nata erat & fertilitatem mentiebatur, meruit, ut in fico admoneretur, ne in execrationem similiter incideret: qui fertilitatem mentiens omni fructu caruit. ut renovaretur in hoc facto parabola, qua & Spiritus sanctus usus est Mich. 7: 1. *Væ mihi, quia extiti tanquam* in *collectionibus autumni, ut* in *racemationibus vindemiæ! Non est botrus ad comedendum, præcox,* quam *desiderabat anima mea.* Qualis erat illa arbor, talis erat ille populus. Folia habebat arbor, fructûs ne spem quidem faciebat. Ita populus habebat verba Dei in ore & præcepta externæ ac carnalis observantiæ exercebat, quum totum adhuc mundum hiems ignorantiæ & vitiorum premeret: fructum autem fidei & pietatis non habebat. Quod etiam quæritur Deus apud Es. 5: 2. 7. *Exspectabat uvas, & tulit labruscas. Expectabat judicium, & ecce scabies: justitiam, & ecce clamor.* Ideò & populus ille maledictioni subjectus est, ut ea arbor. Nunquam is populus, ut populus, feret fructus. Rejectus est enim cum omni sua pompa, cum templo, cum cathedra, cum senioribus & principibus & sacerdotibus, & tota lege carnalis præcepti. Esaias cap. 28: 4. illustrat non parum hunc locum Marci. כְּבִכּוּרָה בְּטֶרֶם קַיִץ *ut præcox ante æstatem.* Marcus, οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, *non enim erat tempus ficuum. Æstas non erat,* diceret Esaias. Matth. 24: 32. *A ficu discite parabolam. Quum ramus ejus tenerescit & folia erumpunt, cognoscitis, quòd prope sit æstas.* Cant. 2: 13. *Ficus condivit grossos suas, & vites cum omphace dederunt odorem.* Tunc igitur quæritur πρόδρομος σύκη, ut LXX. habent in Loco Esaiæ. Cum vinea dat odorem, ficus condit grossos. Plin. l. 16: 26. *Ficus & præcoces habet, quos Athenis prodromos vocant.* At illa arbor alias prævenerat foliorum lætitia, & singularem fertilitatem spondebat.

CAPUT LI.

De Matrimonio sacerdotum.

XXXII. *Cur sacerdotibus suis non permittunt Christiani ut uxores ducant, quod cum naturali Dei præcepto pugnat, dicentis:* Crescite & multiplicamini: *quæ verba toti mundo dicta sunt?*

PApistas vocat Christianos; quasi non sint Christiani, qui Papistæ non sunt. Hic primus interrogantis error est. Ex eorum more nominat *sacerdotes.* Sed Christiani non habent sacerdotes, qui sacrificium pro peccatis Deo offerant ad peccata expiandum. Christiani enim sunt omnes sacerdotes, ut ad Deum accedant in Christo sacerdote, & super sacrificio illius cum Deo fœdus faciant. Qui autem sic sacerdotes in comparatione aliorum nominari possunt, quòd eos doceant & regant, & per ministerium suum præparent oblationem gentium, ut ea sit grata Deo sanctificata in Spiritu sancto: eis Christiani non interdicunt nuptiis: ut Judæus existimat. Facerent enim contra præceptum Apostoli. Ergo & in hac re Judæus Interrogator errat. Sed hæc errata sunt personæ. Superest error communis Judæorum: quòd putat *præceptum esse,* ut quis uxorem ducat & quærat liberos: quasi peccatum sit cœlibem manere. Nam, quod dicit Scriptura, *Crescite & multiplicamini,* si id præceptum est, quis finis erit & modus quærendorum liberorum? In eodem dicto legitur, *Implete terram & subjicite eam vobis.* Si & hoc præceptum est, jam non licebit abstinere ab ulla re, quæ in terra est; usurpanda. Quærendum igitur est omne aurum & argentum, arandus omnis campus; denique nunquam desinendum est à parandis rebus terrestribus, ut nobis inserviant. Fateor, pietatem aliquam esse, cupere videre liberos hæredes benedictionis, & vicem reddere majoribus, quorum voluntati & charitati erga nos, quum nondum essemus, debemus, quòd homines nati sumus, & Dei opera videmus & verbum ejus audimus, ex quo ad spem vivam vitæ immortalis regenerati sumus: sed tamen non ex eo sequitur, peccare omninò, qui se eunuchizat, sive id faciat propter regnum cœlorum, ut scilicet ei inservire faciliùs possit, sive id faciat, ne tentet Deum, se injiciendo in necessarias sollicitudines, sive quia Deus ei non dedit conjugem, quæ ipsi sit apta & conveniens. Habent etiam eunuchi promissionem. Es. 56. Ergo, quod Moses dicit, *Crescite,* est *benedictionis* verbum, non præcepti. Deus benedicendo jubet hominem multiplicari, h. e. declarat, se decrevisse hominis multiplicationem. Hæc nostra responsio sufficit etiam pro Quæstione XXXIII.

XXXIII. *Cur sacerdotes Christianorum non ducunt uxores, cum Paulus ipsemet velit episcopum* unius conjugis virum esse 1 *Tim.* 3: 2. *idemque de diaconis ait. & cap.* 4. *ejusdem epist. monet venturos nonnullos, qui in hypocrisi mendacia loquentur, quorum conscientia velut cauterio adusta est, prohibentes matrimonium.*

CAP. LII

C A P U T LII.

De argumentis, quibus probatur, Messiam venisse.

XXXIV. *Unde constat Messiam venisse, & quo pacto tum explicabuntur tot prophetarum prædictiones necdum completæ, quæ de ipso loquuntur, verbi gratia Es. 60. Jer. 31. Ezech. 37. aliæque complures?*

§. 1. DUo hic interrogantur. 1. Unde constet, Messiam venisse? 2. Quid dicendum sit de quibusdam prophetis necdum completis, si dicamus, Messiam venisse? Quod ad primum attinet, plurima responderi possunt, ita ut magis laborandum sit, quid maximè dicamus & ut quàm aptissimo ordine dicamus, quàm quid dicamus. Et nos quidem in examine Responsionum Judæi jam multa diximus. Sed tamen & in hoc loco libenter reddimus fidei nostræ rationem.

Christum venisse probant, quæ visa & audita.

§. 2. Et quidem eo potissimùm utimur argumento, quod promtissimum evidentissimumque est, quodque iis, qui in Christum credunt, omnibus obvium est & necessarium cognitu. nempe quòd ipse Dominus noster, Dei sapientia, commendavit discipulis Johannis Baptistæ interrogantibus, numquid ipse esset, qui venturus erat, an alius exspectandus. Sic enim iis respondit Math. 11. vers. 4. 5. 6. *Profecti renunciate Johanni, quæ auditis, &, quæ videtis. Cæci vident, & claudi ambulant, leprosi purgantur, & surdi audiunt, mortui excitantur & pauperibus Euangelium prædicatur. & beatus est, qui in me non offenditur.*

§. 3. Hoc argumentum est validum & convincens. Si, D. Jesu apparente, ea visa sunt, quæ videri debebant, & audita, quæ audiri debebant, Christo apparente, quæque non poterant videri & audiri, nisi Christo apparente, ergo Christus sive Messias venit. Atqui ea sunt visa & audita.

Visa.

§. 4. Quod visa attinet, primò opera, quæ Deus dederat Filio ut ea faceret, facta sunt. Nullus major ante D. Jesum & illustrior miraculis apparuit. Promiserat autem Deus prophetam parem Mosi, hoc est, Mose non inferiorem: eumque jusserat audiri. Deut. 18: 18. Sanatione morborum Israëlis demonstravit, se peccata populi gestanda suscepisse, ut eum à peccatis & omni miseria liberaret. Ita *potentia unctus fuit* à Deo, hoc est, demonstratum est, eum esse à Deo & constitutum regem. Actor. 10: 38. 2: 22. Es. 61: 1. Qui opera Salvatoris & Filii Dei facit, is à Deo est & à Deo venit, & Rex Israëlis ac Filius Dei est. Ad illa opera nos etiam porrò adjungere possumus ea, quæ fecerunt Apostoli in nomine ejus. Quia dictum est Es. 8: 14. *Ecce ego & pueri, quos dedisti mihi, in signum & prodigium in medio Israëlis à Jehovah, qui habitat in monte Sion.* Deinde ipsa illa humilitas ipsius, propter quam plurimi super ipso scandalisati sunt, inter visa, quæ Christum ostendunt, numeranda est & non ultimo loco ponenda. Non debuit esse instar Dei, non vir, sed habere speciem viro inferiorem, minorari infra eos, qui appellabantur dii, esse servus potestatem habentium, esse vermis, destitutus viris, rejici à populo & à principibus populi, non clamare in publico, non vociferari super injuria, non avertere faciem à sputo & à colaphis, denique nihil facere, quod resiperet terrenam majestatem & ejus affectationem, & acerbissima pati, ad mortem usque, etiam crucis. Hæc visa scandalo sunt illis, qui quærunt alta & ad illa respiciunt; sed ostendunt obedientiam, charitatemque dignam sacerdote se ipsum pro populo offerente seque victimam pro iis sistente. Atque hic quoque character in neminem quadrat, præterquam in Messiam. His succedunt alia visa, postquam ipse ex terra viventium excisus esset; nempe quòd populus Judaicus tali pœna affectus est, qualem merebatur populus rebellis & immorigerus, & quidem quemadmodum ab ipso D. Jesu & discipulis ejus prædictum erat: quodque nomen ejus prædicatum est in gentibus & dæmonum cultus ipsius prædicationi cessit, & cùm in mundo tum inter illos, qui nomen ejus susceperunt, omnia geruntur, quæ post Christum revelatum gerenda erant: ut ab ipso & antea à prophetis & postea à discipulis ejus prædictum fuerat. Inter quæ manifestissima sunt duo. 1. Apostasia. 2. Ecclesiæ conservatio inter seductionum & violentiæ omnis certamina. In quibus certaminibus visi sunt, qui, secundùm prophetias, libenter animas suas effuderunt pro nomine ejus.

Audita.

§. 5. Quod verò audita attinet, primò D. Jesus *Euangelizavit pauperibus.* Ad hoc mittendus erat Christus. Es. 61: 1. *ad euangelizandum mansuetis misit me.* Quod est ענוים *mansueti*, id sæpe in Psalmis per עניים *impotentes, inopes, pauperes*, explicatur. ita ut illa vocabula alternent. *Mansueti* non irascuntur, cedunt de jure suo, patiuntur, humiles sunt: &, quatenus humiles sunt, non ferociunt, non efferunt se coram Deo, non nituntur sua justitia, vel sapientia, vel viribus: at *justitiæ Dei* se subjiciunt, eamque esuriunt ac sitiunt. Eatenus *mansueti* etiam *pauperes* sunt. Debuit igitur mansuetis & pauperibus annunciari bonum: Et quodnam bonum illis annunciari potuit, qui sub lege & jugo gemebant, quàm, paratam adductamque esse justitiam?

§. 6. Illa annunciatio non potuit peragi nisi ab eo, qui ad hoc missus esset. Nam 1. nihil dicit Scriptura de Pseudoprophetis Euangelium falsò annunciaturis. 2. Pseudoprophetæ ignorant justitiam Dei & eam non possunt prædicare. 3. Qui annunciat Euangelium, etiam facit & patitur ea, quæ ad confirmationem & verificationem annunciationis justitiæ pertinent. Ea D. Jesus fecit & passus est. In mortem enim se sponte tradidit, eamque lubens subiit. In passionibus obedientiam & charitatem dignam sacerdote justitiam parante ostendit. In tota vita nihil fecit & dixit, quod reprehendi posset. Imò legem Dei & gratiam ejus prædicavit, atque ita Deum & timere & amare docuit. Et hæc fuerunt audita, quum ipse inter homines ageret.

§. 7. Postmodum verò fuerunt & alia audita: nempe quòd resurrexerit à mortuis & ascenderit in cœlum. Neque hoc absque sufficientibus argumentis testium, circumstantiarum, & operum. Testium, qui viderunt. Circumstantiarum; quia sepulchrum, quod custodiebatur, vacuum repertum fuit, & in eo fasciæ ejus: & corpus ejus non est ostensum ab eis, in quorum potestate fuerat. Operum; quia Spiritus sanctus in nomine ejus (& proinde ab ipso) in discipulos & credentes effusus est; & ii magna vi id testimonium annunciarunt Judæis & gentibus: qui antea erant dilapsi & diffidebant, metu & terrore perculsi. Et inter hostes suos potentiam suam exercuit; ex quibus Saulum prædatus est, ministrum suum fecit & in triumpho egit: Successit etiam abolitio eorum, quibus olim frustra serviverant. Atque ita patuit, justitiam ac libertatem non falsò fuisse annunciatam.

Hæreditas gentium.

§. 8. Data est etiam hæreditas gentium. Ita promissiones impletæ: ut illa: *In semine tuo sibi benedicent omnes familiæ terræ. Pelliciet Deus Japhetum*, &c. *Ad legem ejus insulæ sperabunt.*

Convenientia Mosis, Prophetarum & Apostolorum.

§. 9. His jam addatur, quòd ii, qui credunt Mosi & Prophetis, eorumque sermonem intelligunt, idem in sermone Apostolorum recognoscunt, quod legunt, 2 Cor. 1: 13. & sic non possunt dubitare, se cor unum habere cum patribus, & doctrinam Apostolorum esse ex cœlo.

Prophetia.

§. 10. Tum verò succenturietur argumentum à Prophetia. Idque non uniusmodi. 1. Quòd prophetia Christi & Apostolorum hactenus est ita verificata, ut, quæ hucusque facta sunt, in ea reperiantur prædicta. 2. Quòd Prophetia Christi & Apostolorum est eadem cum prophetia Mosis & reliquorum Prophetarum. Quod patet ei, qui eas debitè inter se confert. Non potuit autem utraque prophetia ita inter se convenire, nisi utrique per eundem spiritum loquerentur. 3. Quòd D. Jesus apparuit *tali tempore*, quali tempore eum apparitûrum esse prædictum erat. De qua temporis *qualitate* loquitur Petrus 1 epist. cap. 1. vers. 11. Ea autem *qualitas* temporis nascitur tum ex iis, quæ debuerunt antecedere ipsius apparitionem; tum ex iis, quæ non debuerunt fieri, antequam apparuisset; tum ex iis, quæ in ipsius apparitione debuerunt extare. Nam, quæ debuerunt fieri post ipsius ascensionem in cœlum, huc non refero. Ea enim pertinent ad veritatem prophetiæ de regno Christi: quam longum est explicare. Et integris libris ea res acta est.

Tempus.

§. 11. Præter illa etiam ostendit, Messiam venisse, ipsum tempus in prophetia designatum, quod jamdudum effluxit, ita ut מועד προθεσμία *tempus præstitutum* habuerit suum קץ *finem* atque

atque terminum, & τὸ πλήρωμα τῶν χρόνων *plenitudo temporum* jam ante multa fecula præterierit.

§. 12. Hæc autem omnia si diligenter confiderata fuerint, apparebit, Chriftianam fidem, quæ tenet, Jefum effe Chriftum, filium Dei, & in carne veniffe, omnibus prophetiis fecundùm omnia convenire: Judaicam autem incredulitatem efficere, ut de nulla prophetia certum aliquid pronunciare poffint. Sed hæc, prout dignum eft, paucis paginis explicari non poffunt. Tamen γεῦμα aliquod & inftar exhibendum eft hoc loco. 1. Quæ debuerunt antecedere Chrifti apparitionem, facta funt ante D. Jefu apparitionem. Ifraël deductus eft in captivitatem Affyriacam, Juda in Babylonicam. Deftructum eft babylonicum imperium. Ifraëli data eft libertas redeundi in terram, per Cyrum: quem propheta Efaias nominavit. Secundum templum ædificatum eft & urbs Hierofolyma. Venerunt naves à parte Chittæorum & domuerunt Affur. Duodecim tribus in terra & extra terram habitantes fuerunt unum, fub feniorum regimine. Factæ funt deinde liberæ, & multiplicatæ funt in immenfum, ut fabulum maris; & factus eft populus major patribus fuis, non tantùm numero fed & gradu. Nam fubegerunt populos, quos nunquam antea fubegerant; & Idumæos ad fœdus adjunxerunt. Et, ut cognofceretur ea libertas, atque infimul humiliatio domus Davidis & ablatio fceptri ab ea (quod in captivitate Babylonica factum eft) facerdotes diadema fumferunt. Sed mox Romani eos quafi indagine cinxerunt, domitis gentibus circumquaque vicinis, & ingreffi etiam in terram Ifraël: &, quum nafceretur D. Jefus, ἀπογραφὴν indixerunt toti habitabili & Ifraëli. Deinde etiam Judæa facta eft provincia Romani imperii. Ita totus mundus olim variis regnis & populis tanquam montibus & collibus diftinctus factus eft unum planum æquor, nullo parvorum & magnorum fub Romanis relicto difcrimine. Hæc debuiffe antecedere Chrifti adventum, & tum venturum fuiffe Chriftum, prænunciatum eft à Prophetis.

Num. 24: 18. 19.

§. 13. Legi autem hîc debent ifta loca Num. 24: 18. 19. *Et erit Edom hereditas* (Idumæi jungentur fœderi & pars populi fient) *& erit hereditas Seïr, inimici ejus, & Ifraël faciet ftrenue: & dominabitur ex Jacobo, qui perdet fuperftitem ab urbe*, h. e. qui perdet urbem rebellem Hierofolymam, & civitatem magnam, in qua Antichriftus regnabit, & omne regnum adverfarium. & verf. 24. *& naves à latere Chitteorum* (ab Occafu) *venient & domabunt Affyrium.* Græci Perfas fubjugabunt. *Et domabunt Heberum.* Romani Judæos.

Deut. 30: 1. -- 6.

§. 14. Deut. 30: 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Et fiet, quum fupervenerint tibi omnia hæc, benedictio* primùm fub Judicibus, Davide & Solomone, *& maledictio* in divifione regni, abductione decem tribuum & tribus Judæ, -- *& revocabis ad animum in omnibus gentibus, quò te propulerit Jehovah Deus tuus: & converteris* in captivitate Babylonica -- *& reftituet Jehovah jacturas tuas & miferabitur tui & rurfus colliget te ex omnibus gentibus -- & deducet te ad terram*, partim extraordinario modo per Cyrum, Darium, Artafaftam fecundum, five Mnemonem; partim ordinario modo, datâ libertate terram patrum adeundi: *& hereditabis eam* (populus Ifraël eam obtinebit) *& faciet tibi bene & majorem te facies præ patribus tuis: & circumcidet Jehovah cor tuum.* h. e. liberabit te à timore mortis, & fervitute, à terrore, à jugo, à fiti, ab accufatione peccati & ab omni confcientia peccati, quam habuit Ifraël antehac, quum reconciliatio non effet facta. Hæc circumcifio pertinet ad populum electum.

Jer. 3: 14. 15. 16. 17.

§. 15. Jer. 3: 14. 15. 16. 17. *Revertimini, filii averfi -- nam ego dominatum exercui in vos*, & non velut filios, fed velut fervos vos tractavi imponendo jugum & multas plagas. *& capiam vos unum de civitate & duos de familia & deducam vos Sionem: & dabo vobis paftores fecundùm cor meum & pafcent vos in cognitione & prudentia* (Hi non funt paftores, quos abolet Ezechiel cap. 34. & Zacharias cap. 11. fed alii meliores) *Et fiet, quum plures & majores eritis & fructificabitis in terra, IN DIEBUS ILLIS — non dicent adhuc: Area fœderis Jehovæ: & non veniet in mentem, & non commemorabunt eam, & non adibunt, & non fiet ampliùs. IN ILLO TEMPORE vocabunt Hierofolymam fedem Jehovæ* (Deus manifeftabitur & videbitur gloria ejus in omni loco Hierofolymæ) *& confluent ad eam omnes gentes ad nomen Jehovæ, Hierofolymam*, inquam. h. e. gentes cum filiis Hierofolymæ fe conjungent, & communionem habebunt cum Chrifto.

Hof. 2: 1. 2.

§. 16. Hof. 2: 1. vel 1: 10. *Et erit numerus filiorum Ifraël ut fabuli maris, quod non menfuratur, nedum ut numeretur; & fiet, pro eo, quòd dicebatur ipfis, Non populus meus eftis vos, dicetur ipfis, Filii Dei vivi.* hoc eft, accipient fpiritum υἱοθεσίας, & non tractabuntur ampliùs ut fervi, fed ut filii. Quod non poterat fieri, nifi dato Filio.

Efai. 40: 1. — 5.

§. 17. Efai. 40: 1. 2. 3. 4. 5. *Confolamini, confolamini populum meum, dicit Deus vefter: Loquimini ad cor Hierofolymæ, & præconiate illi, quòd impleverit ftationem fuam, quòd confummata fit pravitas ejus, quia duplum acceperit ex manu Jehovæ pro omnibus peccatis fuis.* Extat vox præconis, *in deferto* &c. *Omnis vallis elevabitur & omnis mons ac collis humiliabitur, & fiet lamofum planicies & tumores vallis plana: & revelabitur gloria Jehovæ & videbunt omnis caro unâ*, & quæ fequuntur.

Ezech. 21: 31. 32.

§. 18. Ezech. 21: 26. 27. vel 31. 32. *Auferam cidarim & tollam coronam. Hæc non hæc.* q. d. Hæc corona Affamonæorum non eft ea, quam fuftuli; non eft eadem. Atqui oportet reftitui eandem. *Quæ humiliata eft*, coronam domus Davidis, eam *exaltabo, & altum humiliabo. Corruptum, corruptum, corruptum ponam eam* coronam regni Ifraëlis. *Etiam hæc Non facta eft*, evanuit, τὸ μηδὲν ἐγενήθη (De futuro loquitur, ut in re præfenti) *dum veniat, cujus eft judicium, & dem illud.* q. d. ut cedat ei, qui advenit. Nam coronam hanc excipiet adventus ejus, cujus jus eft judicium facere, & tum condemnare peccatum, tum condemnare falfam juftitiam. Ergo Chriftus venturus erat, ut regnum & principatum fufciperet, paullò poft, quàm corona altera, diverfa à coronâ humiliatâ, fuiffet abolita. Herodes coronam illam fuftulit, interfecto Hyrcano: ita tamen ut ipfe illam aliquamdiu geftaret. Quo fenefcente, Chriftus natus eft, &, quum jam ab Archelao ablata effet corona, in Judæa docuit.

Ezech. 20: 35.

§. 19. Ezech. 20: 35. *Deducam vos in defertum populorum, & difceptabo ibi vobifcum facie ad faciem.* Mich. 4: 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Et tu turris gregis, clive filiæ Sion, ad te veniet* (nempe orbis afflictionum) *& veniet principatus priftinus, regnum filiæ Hierofolymæ. Nunc quare vociferaris? An rex non eft in te? Numquid confiliarius tuus periit? quòd te apprehendit dolor ut parturientis! Dole & erumpe, filia Sion: quia jam egredieris ex urbe, & procumbes in agro, & venies Babylonem: ibi eripieris; ibi afferet te Jehovah ex manu inimicorum tuorum. Et nunc congregati funt contra te gentes multæ dicentes, Hypocrifi fœdatur, & afpiciet Sionem oculus nofter. At illæ ignorant cogitationes Jehovæ, & non animadvertunt confilium ejus: quòd congregaverit eas ut manipulum in horreum. Surge & tritura, filia Sion. Nam cornu tuum ponam ferreum & ungulas tuas æneas, & conteres populos multos*, (per Affamonæos) *& devovebo Jehovæ quæftum eorum, & opes eorum domino totius terræ. Nunc ducta legiones, filia legionis*, Romani. *Obfidium pofuit circa nos. Virgâ percutiunt in mala judicem Ifraëlis.* Chriftum ignominia afficiunt, &c.

Quæ non debuerunt fieri, antequam Chriftus veniffet, teftantur, eum veniffe.

§. 20. Quod attinet ea, quæ non debuerunt evenire, antequam Chriftus veniffet, & quæ debuerunt ipfo apparente extare, fic habendum eft. Sceptrum & legiflator, qui effet ex medio pedum Judæ, non fuerat receffurus, antequam veniret Siloh. Genef. 49: 10. h. e. Judææ tribus habitura erat fceptrum aut faltem legiflatorem, legis interpretem & executorem & principes poteftate coërcendi & caftigandi præditos. Venturus erat ad templum fuum. Malach. cap. 3: 1. vel 3. ftante templo fecundo. Hagg. cap. 2. verf. 9. nondum abolitis paftoribus & principibus. Ef. 49: 7. qui tamen mox abolendi erant. Zach. 11: 7. 8. Non debuit Damafcus fieri caput Judææ, antequam nafceretur Immanuel. Ef. 7: 8. 14. Et debuit in pace nafci, & omnibus rebus bonis abundante terra. ibid. verf. 15. nominatim, Bethlehem civitate needum deftructâ, quanquam ita parva, ut inter familias Judæ non videretur numeranda. Mich. 5: 1. Ex quo liquet ftirpis Davidicæ depreffio & tamen familiarum aliarum integritas.

Prodromus. Qualitas temporis. Ignorantia populi.

§. 21. Debuit antecedere prædicationem ejus prodromus. De quo Ef. 40: 3. Malach. 3: 1. vel 3. 4: 5. In prophetis five doctoribus populi illo tempore futura erat magna ignorantia fœderis Dei & juftitiæ ejus ac regni, ipfiufque Chrifti. Ideò prædicitur, ipfum fcandalo futurum: Ef. 8: 14. Pfalm. 118: 22. &, eum ftaturum in medio deorum, ut cum illis difceptet, eofque coarguat. Pfalm. 82: 1. Ezech. 20: 35. & blafphematum iri nomen Domini jugiter. Ef. 52: 5. De qua re vide & Zophon. 3: 1. 2. 3. 4. 5. Cæterùm eos fub dominatu futuros fuiffe, apparet ex Ef. 52: 5. *Acceptus eft populus meus gratis, & principes ejus exulant.* Atque hic eft character temporis, quem & fupra cap. 4. §. 69. p. 19. notavimus. Nam is continet ablationem judiciorum capitalium à Synedrio. qui character, quanquam involutè, ex prophetiis fuperiùs pofitis, ut Ezech. 20. & Mich. 4. nofcitur; clariùs autem difcitur inde, quòd Pfalm. 2: 1. gentes & nationes in unum confpiraturæ indicantur contra Chriftum. Judæi foli fine gentium ope non erant Chriftum interfecturi. Atqui, fi licuiffet, feciffent. Pfalm. 22: 17. *canes* (h. e. gentes) *& ca-*

& cœtus maleficorum Christum circumstat. Es. 53: 8. *Ex imperio & judicio assumtus est.* Judicium est Senatus, potestas & imperium Romanorum. Non distinguerentur illa, si essent in eisdem. Atque hæc & similia sunt *σημεῖα καιρῶν signa temporum*, quæ Judæi non observarunt.

Temporis modus.

§. 22. Addamus his breviter aliquid de temporis determinatione, quam fecit Prophetia. Insignis hîc est Prophetia Danielis cap. 9: 24. 25. 26. 27. In qua prophetia ostenditur, quando futurum fuerit, ut Christus exscinderetur ad justitiam æternam adducendam & peccatum oblitterandum, & ad regnum capessendum resurgeret. Ostendit autem, urbem & populum & sanctuarium mansurum, usque dum ea fierent. Postea autem & urbem & sanctuarium & populum stupentem exscindendum esse. Summatim eis rebus dat septuaginta septimanas, hoc est, 490. annos observandos ab edicto Cyri. Quibus urbs partim ædificanda sit (intervenientibus quibusdam angustiis) partim habitanda: ita ut non exscindatur, nisi priùs exciso Messia, & in regnum evecto, & abrogato sacrificio & munere, & adjectis quibusdam patientiæ annis. Clarum autem est, annos illos angustiæ (si extra numerum sint) pauciores esse annis beneficentiæ & tolerantiæ numeratis.

§. 23. Quum igitur omnia illa facta sint, quæ fieri non poterant, antequam Messias pateretur justitiæ adducendæ causa & in regnum suum intraret; & sacrificia non tantùm cessarint in populo Dei, etiam præputiatis ad communionem Ecclesiæ admissis, sed & sanctuarium ipsum deletum sit, & ea deletio sit כָּלָה *consummatio:* contra Christus passus, resuscitatus & in cœlum susceptus prædicetur, & *sanctum sanctorum*, effuso cœlitus spiritu, & omninò dato spiritu filiationis, *unctum sit*, hoc est, Ecclesia traducta sit, per *spiritum gratiæ & precum*, in eum locum, ut habeat in justitia & libertate communionem cum spiritibus justorum consummatorum in cœlo, cui sanctum sanctorum respondet; & prophetiæ verificentur, imò obsignatæ sint, ut non ampliùs loquantur tanquam de futuris, sed testes fiant rerum extantium; & *peccatum* mundi sit finitum, prædicato anno gratiæ inter omnes; & *defectio* Judæorum sit coërcita, ut non ampliùs defectores nominentur populus & Ecclesia Dei: & præterea anni illi ante secula multa abierint, cum intercurrente angustia, sive illius tempora connumerentur, sive non; & urbs sancta *non minus* septuaginta septimanis gavisa sit: non possumus dubitare, illam prophetiam esse totam completam, & Christum sive Messiam venisse, & eum esse illum, qui prædicatur excisus & in cœlum, ut thronum gratiæ, sublatus.

Danielis vaticinium cap. 9: 24. 25. 26. 27.

§. 24. Neque deterius est, cum his conferre, quæ Judæi de hoc vaticinio dicunt; ut ita, quid distent æra lupinis, evidentiùs appareat. Nec necesse est, varios variorum sensus explicare. Sufficiet, quod nuper editor Michlol Jophi ad hunc locum addidit; vir inter suos doctus & non ignarus eorum, quæ ab aliis dicuntur. Ponemus autem primò verba Danielis cum nostra applicatione: deinde ipsius explicationem repræsentabimus.

§. 25. Sic igitur loquitur Daniel. *Septimanæ septuaginta decisæ sunt* (Hebr. *decisum est*) *super populo tuo & urbe sancta tua, ad coërcendum* (male Manasses *consumendum*. non enim est לְכַלֵּה sed לְכַלֵּא) *defectionem & ad consummandum* (vel secundùm literas, *ad obsignandum*) *peccata, & ad expiandum pravitatem, & ad adducendum justitiam seculorum, & ad obsignandum visionem & prophetam & ad ungendum sanctum sanctorum. Et nosces & animadvertes ab exitu verbi ad restituendum & ad ædificandum Hierosolymam usque ad Unctum principem septimanas septem, & septimanas sexaginta & duas*, quibus *denuò ædificabitur* quoad *forum & fossam. Et in angustia* erunt *tempora quædam. Et post eas septimanas sexaginta & duas exscindetur Unctus, & non erit ipsi: Et urbem & sanctum perdet populus Principis intrantis, & finis ejus* erit *cum inundatione; & ad finem belli decisæ* sunt (Hebr. *decisum est*) *vastitates* (*Sed faciet prævalere fœdus pro multis septimana una. & medio ejus septimanæ faciet cessare sacrificinm & munus. & super alam abominationum* erit *vastator*) *& usque ad consummationem ac decisum*, quod *destillabit in stupentem.*

§. 26. Nostra autem paraphrasis hæc esto. Daniel anno primo regni Darii Medi scrutabatur Scripturas loquentes tum de regno Babylonico, tum consequenter de vastitatibus Judææ & Hierosolymæ. Scrutabatur autem, quid Deus loquutus esset de iis vastitatibus, & de bono, quod Deus promisisset Israëli. Locus Jeremiæ est cap. 25. vers. 11. ubi dicitur, quòd omnes terræ, nempe Judæa & vicinæ, futuræ essent desolatæ à suis habitatoribus, h. e. derelictæ ab incolis exulibus & deportatis, & quòd omnes hæ gentes servituræ essent regi Babel septuaginta annos. Post annos septuaginta visitaturum Deum super regem Babel. Rursus cap. 29: 10. Deum visitaturum Judæos cum Jechonjah abductos, ut est vers. 1. 2. cùm impleti essent Babyloni septuaginta anni, & habere cogitationes de ipsis in pacem, non in malum. Ubi inter cætera etiam hoc dicitur vers. 12. *Et invocabitis me, & procedetis & orabitis me, & audiam vos.* Hac Dei παρακλήσει ἰσχυρᾷ & q. instigatione incitatus orationem fundit Daniel ad Deum, & confitetur sua & populi, regumque ac principum peccata.

§. 27. Vix absolverat, & apparet ei Gabriel missu Dei, & eum consolatur & consilium Dei ipsi exponit. Qua re Deus se testatur memorem promissionis suæ.

§. 28. Quæ autem Angelus ei revelat, sunt hæc. 1. Exiturum verbum de restituendo populo in terram suam, & restituenda populo terra, sive libertate redeundi in terram danda. Id esse *verbum* Cyri, evidens est. Quidam de tempore laborantes volunt esse *verbum* Jeremiæ, quod est cap. 29. Sed, si verbum propheticum hic intelligeretur, quare potiùs verbum Jeremiæ, quàm Esaiæ, hîc notari suspicabimur? Deinde, non potest in 70. hebdomadibus comprehendi tempus vastitatis.

§. 29. II. Secundùm hoc verbum redituros esse quosdam, qui incipiant constituere populum.

§. 30. III. Exiturum verbum de reædificanda Hierosolyma.

§. 31. IV. Ita Hierosolymam reædificatum iri. Paullatim autem reædificatum iri, donec ædificetur & forum & fossa, hoc est, donec nihil supersit vel intra civitatem vel extra eam ædificandum ad restitutionem ejus. Prima reductio est facta duce Zorobabele, & prima ædificatio sub ipso cœpit. Nam & templum & domos ædificarunt. Muros autem Nehemias circumdedit, facultate impetrata ab Artaxerxe, sive malis Artasasta, secundo.

§. 32. V. Ei populo & ei urbi decisas esse septimanas septuaginta, loco scilicet septuaginta annorum exilii & vastitatis: non ut minus sit tempus hujus beneficentiæ & tuitionis, quàm fuerit tempus exilii; sed ut sit majus. Qua ex re intelligitur (ut & ex eventu) ἑβδομάδα annorum pro uno anno dari. Nempe ut NON MINUS quàm 490. annis populus ille colligatur magis magisque & crescat, & urbs illa sit *urbs sanctitatis* & habeat Deum inhabitatorem cum populo & regno suo. Jachiades. לא גלה הזמן הקצוב בתחלה לכל דבר Hæc autem sunt intelligenda de populo & urbe terrestri, ad quem populum & urbem Daniel secundùm œconomiam illius temporis pertinebat: quemque populum & urbem aliquis poterat delere. ut ex vers. 26. patet. Nam est populus & urbs & sanctuarium, quæ deleri non possunt. ut ex vers. 24. apparet. Cæterùm, qui anni decisi sunt super populo & urbe sancta, non possunt videri lapsi esse, quum populus non esset reductus & urbs necdum cœpta ædificari. Ideoque & *verbum* non potest intelligi jam antea exivisse, sed paullò post exiturum.

§. 33. VI. Durante illa politia, & urbe illa stante, Deum insignia quædam operaturum circa populum suum. Nempe 1. *coërciturum defectionem*, ut fideles non amplius cogantur defectores appellare populum Dei & fratres suos. Nam defectores rejectum iri à populo Dei & nomine ejus. Nam in illo populo Danielis multi, imò plurimi, erant defectores, qui tamen vocabantur populus Dei: & postremo tempore insigni defectione se erant maculaturi. 2. *Consummaturum peccata*, non ut non fiant peccata in mundo, sed ut illi, qui vocabantur *peccatores, ἁμαρτωλοί*, & nihil nisi peccabant, desinerent peccare, hoc est, converti inciperent ad Deum; nempe gentes. 3. *Expiaturum pravitatem*, quæ incumbit & adhæret omnibus hominibus, ut ejus non *recordetur* nec mentionem faciat amplius. Jerem. 31: 34. quemadmodum per *sacrificia & munera*, quæ quasi ad impetrandam remissionem offerebantur quotidie, commemoratio pravitatis fiebat. Hebr. 10. vers. 3. Planum enim est, Angelum non loqui de *expiatione*, quæ secundùm legem per sacrificia fiebat. Est enim talis expiatio, qua data nec sacrificiis nec sanctuario amplius est locus. Quippe quæ tolli possunt & deleri, expiatione illa manente integra. 4. *Adducturum justitiam seculorum.* De qua justitiæ adductione etiam Esaias prophetat Es. 42: 6. *Ego vocavi te cum justitia.* Est autem *justitia seculorum* jus à Deo datum pariens victoriam omnium hostium & concilians hæreditatem vitæ æternæ. Es. 54. vers. 17. Planum est autem, eam justitiam sive id jus, quoad causam suam, non fuisse sub templo Solomonis, vel omninò antequam adduceretur, h. e. ejus causa in sua consummatione exhiberetur. 5. *Obsignaturum visionem & prophetam*, non ut non sit verbum Dei, sed ut visio mentalis convertatur in visionem oculi, spes in fidem, prophetia in testimonium. Sic *visio* & *præco* distinguuntur Habac. 2: 3. 6. *Uncturum sanctum sanctorum.* Quod sanè non est *sanctum perdendum.* Neque adeò manu factum. Sed populus habens jus intrandi in verum sanctum sanctorum, domum Dei constituens, & respondens in veritate sancto sanctorum, sive templo non habenti velum dividens sanctum à sancto sanctorum. Populus autem is, qui est similis sancti sanctorum, est is populus, qui per fidem & spem filiorum appropinquat Deo in justitia & libertate. *Ungitur* autem *sanctum sanctorum*, quando Spiritus filiationis effunditur. Quod fit, quum Spiritus sanctus fidem Euangelii operatur, cum lætitia & gloriatione, in populo Dei. 7. Eo fine *Unctum* (qui

antonomasticè *unctus* dicitur; qui unctus dicitur supra consortes suos, Psalm. 45: 8.) *principem* futurum & principatum suscepturum. Esaiæ 9. vers. 5. Nam per eum spiritum, quo ungitur sanctum sanctorum, ungitur Princeps, hoc est, princeps *Christus fit & dominus* sive demonstratur. Actor. 2. vers. 33. 36. 8. Sed, antequam fiat *princeps* & in throno regni considеat, eundem *servum* & *κατάραν* futurum & *excisum iri* ex terra viventium, & neminem socium & conjunctum (qui non dispergatur & fugiat ab ipso, Zach. 13: 7.) habiturum. Nam hoc est sacrificium, quo execratio tollenda, pravitas expianda atque obliteranda, justitia adducenda erat, ut, eo procurato, in gloriam & regnum intraret. 9. Post illa igitur Deum, imò *Unctum* (nam ad eum commodissimè verbum *abolebit* referri potest) *aboliturum sacrificium & munus*, hoc est, effecturum esse, ut incipiat cessare usus sacrificii & muneris, post pravitatem expiatam, justitiamque adductam; & antequam sanctuarium deleatur: hoc est, populo suo daturum libertatem ab accusatione & jugo legis. De qua libertate est Es. 61. vers. 2. Zachar. 9. vers. 11. Nam non omninò statim esse cessaturum sacrificium, patet, quia postea demum sanctuarium exscindendum erat.

§. 34. Hæc etiam ad hunc modum colligi possunt, ut historia & rerum ipsarum sequela clariùs noscatur. Venturum esse Messiam, eum excisum iri; ita ut nihil ipsi sit. Sic expiatum iri pravitatem, adductumque iri justitiam seculorum. Messiam capessiturum principatum. Tum unctum iri sanctum sanctorum: & sacrificia ac munera cessatura. Populum Messiæ fore apostatam. Eam apostasiam coërcitum iri. Contra autem peccata consummatum iri. In his esse obsignationem visionis & prophetæ.

§. 35. *Defectio* est à fœdere, quod Deus cum Abrahamo & post eis inivit; & sic à regno Dei. Qui regem manifestatum agnoscere nolunt, sunt פושעים *ἀποστάται*. Ubi *Unctus excisus* memoratur, constat, exscindi per *ἀποστάτας defectores*. Ubi *Unctus princeps*, & *defectio*, clarum est, filios regni regem suum non agnoscere. Ea *defectio* in Psalmo secundo vers. 2. 3. præmemorata est. *Assiterunt reges terræ & principes congregati sunt unà contra Jehovam & Unctum ipsius. Rumpamus vincula ipsorum, & projiciamus funes ipsorum.* & Psalm. 16. vers. 4. qui *alium dotarunt*. Quum vero Daniel etiam commemoret *principem advenam*, patet, quòd Judæi dixerunt, *Non habemus regem nisi Cæsarem*, *ἀποστασίας* professionem fuisse.

§. 36. Propheta igitur, quum dicit, *ἀποστασίαν coërcitum iri*, significat, quos oportebat Messiæ ab ipsos venienti obedire, & ejus justitiæ subdi, & consistere in fœdere patrum, eos regem & fœdus & justitiam, more antecessorum suorum, rejecturos; & ipsum occisuros. quod & Psalmus 118. dicit. *Lapis, quem reprobarunt ædificantes, factus est in caput Anguli.* Ita Daniel cap. 2. vers. 34. *lapidem* videt, qui *decidebatur*, & *non erat in manibus*, & affligebat statuam & evadebat in montem magnum. Nec aliter Esaiæ cap. 53. vers. 8. *quia excisus est ex terra viventium, ex defectione populi mei, plaga est ipsis.* Neque dubium est, quin פושע *ἀποστάτης* & שומם *stupens τεθαμβωμένος, super quo destillat consummatio & decisum*, vers. 27. idem sit. Et absurdè Jarchides per שומם intelligit עבודה זרה ועובדיה *idolum & colentes illud.* At magis ingenuus Jachiades: על עם ישראל שהוא שומם *super populum Israëlis stupentem.* Planè prout describitur Deuter. 32. vers. 5. 6. 21. Deut. 29. vers. 19. dicitur שרירות לב *firmitas cordis.* Vide & Esai. 53: 1. 65: 2. Psalm. 81: 12. 13. Es. 6: 9. 10. Denique non potest esse alius *ἀποστάτης*, quàm vel עיר *urbs*, quæ versu 26. dicitur destruenda: (Urbs enim regem suum & dominum non recipiens, & rupem salutis improbè tractans, Deut. 32: 15. quum vocaretur ab ipso [Mich. 6: 9. *Jehovah civitatem vocat.*] meritò exscinditur. confer & Zoph. 3: 1. 8.) Vel *populus*, quem vers. 24. *populum Danielis* vocat, & cum *urbe* conjungit. Nam apostasia non quadrat nisi in eos, qui regem habent, sed eum non volunt recognoscere.

§. 37. Quid igitur est *coërcitio defectionis?* Ne hoc quidem aliunde petendum. Pericopa enim hæc suppeditat *destructionem urbis, sanctuarii & populi* defectoris, & *vastitates* & *consummationem, quæ in stupentem destillet.* Quis dubitet, per hæc *defectionem* populi *coërcitam* esse? non, ut desinerent illi esse *defectores*, sed ut ipsorum *ἀποστασία* non grassaretur ulteriùs ad impediendum regnum Christi. 2. Ut nullam haberent suæ *ἀποστασίας πρόφασιν*, & nomen *populi* (cujus nominis prærogativa se opponebant populo fideli, maximè ei, qui ex *gentibus* colligebatur) amitterent.

§. 38. Est & alter modus (sed tamen in re ipsa conveniens) coërcendi defectionem, nempe in sublatione illius legis & fœderis, quæ lex & quod fœdus poterant teneri literaliter cum defectione à Deo & à justitia ipsius. In destructione templi, urbis & populi sive politiæ, est illius defectionis coërcitio. Nam illo tanquam velo ablato revelatur gratia Novi Testamenti, Zachar. 13: 1. & pudefiunt *οἱ ὑποστελλόμενοι*, quorum anima non est recta in teste, qui venturus erat, per fidem in ipsum. Habac. 2. vers. 4. & patefit, quòd Deus cum Israële pangat Novum Testamentum, non secundùm illud, quod pepigit cum illis, quum eos educeret ex Ægypto, quod Israëlitæ irritum fecerunt, sed ut legem suam cordibus ipsorum inscribat. Jer. 31. vers. 32. 33. Prioris fœderis usurpatio erat in plerisque *defectio*: secundi, quum lex cordibus inscribitur, observatio, obedientia & amor Dei non esse non potest.

§. 39. *Finitio peccatorum*, quæ secundo loco dicitur in climace ab effectis ad causas assurgente, quoad eventum præcedit coërcitionem defectionis. Gentes in mundo Deum oblitæ & ignorantes & extra regnum ipsius positæ, verbique ejus & Testamentorum promissionis exortes, Deum non habentes, *κατ' ἐξοχὴν* vocantur חטאים *peccatores:* quia nihil nisi aberrant à fine & rei fiunt. Ita Israëlem Esaias cum aliis gentibus comparans cap. 1: 4. vocat *gentem peccatricem*. Ita Paulus *Judæos* & gentes vocabulo *peccatorum* distinguit. Galat. 2. vers. 15. *Nos natura Judæi & non ex gentibus ἁμαρτωλοὶ peccatores.* Ita Rom. 3. vers. 7. *Finitio* igitur *peccatorum* est coërcitio Satanæ & regni illius in mundo, ut homines à tenebris ad lucem convertantur & à potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum & sortem in sanctificatis fide in Christum. Apoc. 20. vers. 2. 3. Actor. 26: 18. Quod ubi fit, Gentes, quæ antea nihil nisi peccaverant, desinunt peccare, hoc est, in peccato vivere & ei servire. Eam gentium conversionem intelligi, facile probat promissio. Christo enim data est hæreditas gentium. Psalm. 2: 8. Et quidem gentes, stante adhuc domo secunda, erant vocandæ & adducendæ ad regnum Dei. Jerem. 3: 14. 15. 16. 17. Hagg. 2: 8.

§. 40. Succedit tertium, quod est in executione prius duobus præcedentibus, & illorum causa. nempe *Expiatio pravitatis. Pravitas recto* opponitur. Job. 33. vers. 27. *Rectum* est, quod secundùm veritatem est, quod legi æternæ & Deo sive imagini ejus consentaneum est. *Expiatio* (si etymologiam spectes) est pravitatis, ne imputetur, deletio per כפר *ἀντίλυτρον, ἀντάλλαγμα.* Verum autem *ἀντίλυτρον* & *τιμὴ* est verum *δικαίωμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων*, Roman. 5. vers. 16. nempe ea justitia, qua Deus sanctus sanctificatur, & ut justè justificans impium justificatur. Ideò & Israëlitarum peccata non habebant כפרה & expiationem nisi per sanguinem victimarum, & quasi *τιμὴν pretium.* At in illis non erat *ἱλασμός*, sed tantùm externa & carnalis typicaque quædam purificatio. Et, quia quotidie repetebantur, & sic conscientiam peccati relinquebant, erat in eis accusatio & commemoratio peccati. Non diceret Daniel, futuram esse expiationem, si jam fieret per quotidianas oblationes. Indigitatur vera *λύτρωσις*, non relinquens vel accusationem vel recordationem peccati, secundùm illud: *Et peccatorum eorum non recordabor amplius.* Jer. 31. vers. 34. De qua & Zachar. 3. vers. 9. *Delebo pravitatem terræ illius uno die.* Nam propitiatio, quæ flagitat aliam propitiationem, sacrificium, precium, non est vera & solida propitiatio.

§. 41. Expiationi peccati jungitur *adductio justitiæ.* Per quod expiatur peccatum, per id adducitur justitia. Fides enim, quæ Deum respicit gratiosum & benevolum, sive remittentem peccata, imputatur ad justitiam. Genes. 15: 6. *Beatus, qui confugit ad Filium.* Psal. 2: 12. *Beatus, cui remissa sunt peccata, & cui Deus non imputat pravitatem.* Psalm. 32. 1. 2. Beatus esse non potest, qui non habeat jus expectandi & petendi vitam. *Hæc* autem *est hæreditas servorum Dei & justitia ipsorum à Deo, ut omne instrumentum, quod fingitur contra ipsos, non prosperetur, & omnem linguam, quæ cum ipsis in judicium surgit, condemnent.* Esai. 54: 17. Ita Deus est *justitia illorum* (Jer. 23: 6.) in *germine justo*. Nam *in cognitione sui justificationem conciliat Justus ille Servus Dei multis.* Esa. 53: 11. Et *justus in fide ejus vivet.* Hab. 2: 4.

§. 42. Hæc est *justitia seculorum.* Quia non est pœnitudini obnoxia, nec alterius succenturiationem admittit. Nam datur fœdere æterno, quæ sunt *gratiæ Davidis æternæ.* Esai. 55: 3. Ea excludit ulterius sacrificium; & omissionem, per quam justus recidat in damnationem. Sunt enim participes justitiæ *scripti in libro, & evadunt ex* omni *angustia;* &, qui *evigilant* per resurrectionem primam, sunt *ad vitam æternam.* Dan. 12. vers. 1. 2.

§. 43. Porrò, ut justitia æterna adducatur, *obsignabitur visio & propheta*, h. e. quicquid de salute per figuras fuit adumbratum & per prophetas prædictum, id verificabitur, & sic visioni ac prophetis fiet fides; simul visio & propheta desinet prophetare & incipiet testari. Matth. 11: 12. 13. *A diebus Johannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim facit. Omnes enim prophetæ & lex usque ad Johannem prophetarunt.* Habac. 2: 3. *Adhuc est visio usque ad fixum tempus: & Index erit sub finem, qui non mentietur.*

§. 44. Denique *ungetur sanctum sanctorum.* Non terrestre (nam illud destruetur. vers. 26.) sed id, quod terrestri, ut figuræ, respondebit (erit enim visionis & prophetæ obsignatio) domus non manu facta, in qua Deus habitabit perpetuò. Erit

in

in Ecclesia Arca fœderis cum tabulis legis, h. e. Christus, in cujus intimo est lex Domini, Psalm. 40: 9. ibi Cherubim, ibi σκήνωσις. Unctio est spiritus. *Unctio sancti sanctorum* est effusio spiritus *non ex mensura*, Joh. 3: 34. ita conveniens & capiti & corpori in statu τελειώσεως. Nam intimum sacrarii τελείωσιν significat; quæ partim in cœlis datur, partim in ἀνακεφαλαιώσει terrestrium & cœlestium. Ita, sacerdote ingrediente in penitissimum sanctuarii, primum tabernaculum & secundum fiebat quasi unum, aperto velo: ut, Christi carne rupta, & quasi velo ablato, nobis, qui in terra sumus, via patet ad cœlum.

§. 45. Non convenit, ut *Messiam* sive *Unctum* (vers. 25. 26.) alium intelligamus, quàm eum, qui est *oleo lætitiæ unctus supra consortes suos*, *super quo requievit Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & prudentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ & timoris Domini.* Cujus est *sanctuarium Domino ædificare*. Zach. 6: 13. *& ex cujus plenitudine nos omnes accipimus & gratiam pro gratia*. Johan. 1: 16. *in quo plenitudo Deitatis habitat corporaliter*. Coloss. 2: 9. Cujus *unctio* est notificatio officii ipsius & sacerdotalis, ad expiandum peccatum & adducendam justitiam sæculorum; & Prophetici, ad *verba Dei loquendum*, & sic *visionem prophetamque obsignandum*; & Regii ad struendum & *ungendum sanctum sanctorum*, h. e. domum, in qua ipse cum Patre habitet cum justificatione & vivificatione & consolatione perpetua.

§. 46. Et officii quidem sacerdotalis indicatio est in כְּרִיתָה *exscidio*. Justus enim & sanctus, qui exscinditur non ob suum peccatum, exscinditur ob peccatum fratrum, ut גּוֹאֵל *assertor*, ut agnus Dei portans peccata mundi, ut λυτρωτὴς, ut Testator testamenti æterni, utque sponsor ejus, & mediator; quò peccatum expiet eo lytro, & justitiam æternam adducat: (Nam omnis mors à peccato est. Et crucifixus est maledictio. Deut. 21. vers. 23.) & exaltatur tanquam serpens sive genimen viperæ, Num. 21. vers. 9. & ut agnus aberrans, Deo in ipsum conjiciente pravitatem omnium nostrum; quæ dum exigitur, ipse submittitur, & anima ipsius satisfactionis precium ponit, Esai. 53: 6. 7. 10. uno verbo, Serpens ipsi calcaneum terit. Gen. 3. vers. 15. Atqui potestas Serpentis & mortis est peccatum, peccati vis est lex. 1 Cor. 15: 56.

§. 47. Et regium officium & status rege dignus notatur per מָשִׁיחַ נָגִיד *Christum principem*. Opponitur מָשִׁיחַ לֹא נָגִיד עֶבֶד וְנִכְרָת *Christus non princeps, servus & excisus*. Cum hoc intelligitur sessio in throno Dei, sive ad dextram ejus. Psalm. 110. vers. 1. Zach. 6: 13.

§. 48. In quo regno nec sacerdotis officium deponit. Sedet enim ad dextram Dei, & in throno ipsius, ut sacerdos. Psalm. 110: 4. Zach. 6: 12. ut, quemadmodum omni tempore pro suis, tanquam Angelus faciei & Angelus fœderis, intercessit, Esai. 63: 9. Mal. 3: 1. vel 3. ita in perpetuum pro illis intercedat, donec ponantur omnes hostes ipsius scabellum pedum ipsius. Quorum ultimus abolетur mors. 1 Cor. 15: 26.

§. 49. Porrò, inter excidium Messiæ ejusque ὕψωσιν, ut sedeat in throno, parum intercedere temporis, Angelus designat, dum 62. septimanas & in principatum & in excidium Messiæ terminat. innuens, eodem anno & moriturum & regnaturum, & ex judicio atque imperio assumtum iri, & non visurum corruptionem.

§. 50. Sub Christo principe, & thronum tenente, fieri debebat ἀπέκδυσις ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν, *exutio principatuum & potestatum*; quibus vetus populus subjectus fuerat, per quos ad servitutem ferendam adigebatur. Nam illi jam erant triumphati in cruce, & lex dogmatum tanquam chirographum subcontrarium ei affixa erat. Et Christus *Princeps* solus est princeps, cum exclusione aliorum. Unus nobis Dominus. 1 Cor. 8. vers. 6. Principatus in humeros ipsius redit. Esa. 9: 5. Igitur & usus *sacrificii ac muneris* debuit cessare. Juxta Scripturas, Esa. 66: 1. 3. Psalm. 40: 7. 50: 8. 15. 23. 51: 18. 19. 20. 21. Hos. 6: 6. 14: 3. Psal. 69: 31. 32. Malach. 1: 10. 2: 12. Et, quanquam non statim tolleretur omnis illorum usus (neque enim statim templum voluit aboleri) fecit tamen, ut quidam, qui ad regnum Dei recipiebantur, nec uterentur iis, nec uti possent, nempe qui in præputio Sp. Sancto primò deinde & aqua baptizabantur, ut Cornelius. Id prædicit Daniel vers. 27.

§. 51. VII. Revelat ei, qualia illa tempora futura sint. Nempe pleraque plena benedictionis: sed tamen quædam tempora habitura angustias. Agnoscitur, 70. septimanas, & totum tempus, quod populo Danielis & urbi conceditur, esse tempus ἀνοχῆς ac tolerantiæ *defectionis populi*, sive *populi defectoris*. Esai. 48. vers. 9. Nam in celebratione cultuum Sanctuarii & servitute elementorum mundi, sive rerum terrestrium, quæ non sunt Deus, sine cognitione & fide Christi, est defectio à vero Deo. Tanto igitur tempore populus Danielis non est populus Dei. Hos. 1. vers. 9. *Vos non estis populus meus, & ego non ero vester*. & cap. 1: 10. vel 2: 1. *& erit vice ejus, quod dicebatur ipsis, Vos non estis populus meus, vocabuntur Filii Dei vivi*.

§. 52. Idem tempus est durantis Visionis & Prophetiæ, ut in fine ejus obsignentur. Hoc vocatur מוֹעֵד Hab. 2: 3. Daniel. 11. vers. 27. 35. προθεσμία Galat. 4: 2. Extrema verò ejus portio vocatur קֵץ *finis* Hab. 2: 3. Dan. 8: 19. לְמוֹעֵד קֵץ τῇ προθεσμίᾳ ἐς τέλος. עֵת קֵץ Daniel. 11: 35. אַחֲרִית הַיָּמִים Esai. 2: 2. τὰ ἔσχατα τῶν ἡμερῶν, Heb. 1: 1. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. Gal. 4. vers. 4. vel τῶν καιρῶν. Eph. 1: 10. Et propter *finem* hunc tempus in duo sæcula distribuitur: quorum alterum, quamdiu stabat templum, vocabatur ὁ αἰὼν οὗτος, ὁ καιρὸς ὁ ἐνεστηκὼς. 1 Cor. 2: 6. Heb. 9: 9. alterum ὁ αἰὼν ὁ μέλλων. Ephes. 1: 21. & Ecclesia ejus temporis ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα. Hebr. 2: 5. Hinc Scriptura distinguit diversos annos. *Annos*, in quibus (sive, quibus ad finem labentibus) manifestatus est, cujus vita est opus Dei, Hab. 3: 2. & שְׁנַת רָצוֹן ἐνιαυτὸν δεκτὸν. Esai. 61: 2. Luc. 4: 19. in oppositione rejectionis, qua Israëlitæ procul habiti sunt, ne accederent ad Deum, nisi in umbra & servitute, Ezech. 20: 26. & iræ, tum quam operabatur lex, Rom. 4: 15. (quum antea non imputaretur peccatum, lege necdum extante, Rom. 5: 13.) tum in defectores, qua usus est per tempus ἀνοχῆς καὶ πάρέσεως. Daniel. 8: 19. Esa. 10: 25.

§. 53. Patientia Dei, per hoc tempus decisum se ostendit affatim beneficiis multis; imprimis, α. quòd exivit verbum ad restituendum. Nempe edictum Cyri. Ezr. 1: 1. 2. 3. 4. 2 Chron. 36: 22. 23. secundùm Prophetiam Esai. 44: 28. β. Quòd Hierusalem fuit habitata à *populo* & *populi* metropolis fuit. γ. Quòd ea fuit *urbs sancta*, propter templum quidem typicam & literalem habens sanctitatem, sed sine שְׁכִינָה σκηνώσει & arca & Cherubinis: attamen propter Spiritum Dei ibi per tempora manifestatum, in Haggæo (Hagg. 2: 6.) Zacharia, Malachia: & exspectationem ac deinde adventum Messiæ, & unctionem sancti sanctorum. δ. Quòd ea fuit ædificata, quoad *forum* & *fossam*, h. e. interiùs domibus ornata, exteriùs muris munita, atque in eo statu fuit, quum Messias ibi revelaretur. Esai. 52: 1. 2. 3. 6. 7. 8. 9. 10. ε. Quòd, quum exhiberetur Messias, *fœdus* (vers. 27.) pacemque habuit populus cum gentibus. atque in ea pace abundavit omnibus bonis. Es. 7: 15. 25. ζ. Quòd id *fœdus prævaluit* ad tempus etiam post excisum Messiam.

§. 54. Quod ad modum temporis attinet, quo diximus obsignari implementum proprium, is commodissimè invenietur, si non audeamus aliquid nostrum addere Prophetæ verbis; &, si cogitemus, Deum non tantùm apprimè doctis & γενεαλογίας ἀπεράντους scrutantibus, sed etiam mediocriter in historia versatis hanc Prophetiam prodesse voluisse.

§. 55. Igitur Modus temporis sunt LXX. septimanæ. Constat, intelligi annos 490. & per septimanas has intelligi שְׁמִטּוֹת, quæ etiam שַׁבָּתוֹת nuncupari solent. Eos annos dividit in partes tres; septimanas septem, h. e. annos 49. item septimanas sexaginta duas, h. e. annos 434. denique septimanam unam. Præterea meminit *Arcti* quorundam *temporum*. Et, quum illud ita legi possit, *Et quidem in arcto temporum*, vel, *Et in arcto erunt quædam tempora*, dubium relinquitur, utrum ea tempora includantur in LXX. septimanis, an ab iis excipiantur. Et hoc ænigma est. Sanè verisimilius est, Deum non voluisse examussim indicare ipsum annum mortis Christi, sed paullulum relinquere fidelium scrutationi; nonnihil etiam occasionis infidelium oblocutionibus. Nam *gloria Dei est occultare sermonem*, ut indoles sermonis exerceat studium & fidem, Prov. 25: 2. Etiam illud cogitandum est, quando dicuntur LXX. septimanæ decisæ, ex eo non statim sequi, ut, quum tempus illud effluxerit, è vestigio sequatur res prædicta. Ezechiæ regis diebus adjecti sunt quindecim anni. Eo ipsi non est indicatus annus mortis. Nam, si sedecim vel septendecim annos supervixit, non potest negari; eum auctum esse accessione quindecim annorum. Ita tempus patientiæ hic definitur, ut constet, non esse minus, possit autem etiam esse prolixius. Id monemus, ne quis putet, ad fidem hujus oraculi necessariam esse exactissimam certitudinem chronologiæ, ut nulla in ea restet difficultas.

§. 56. Nominatim autem VIII. jubet à Daniele, si vivat, & à fidelibus observari *septem septimanas*, h. e. annos 49. & rursus 62. *septimanas*, h. e. 434. annos, *ab exitu verbi de restituendo* &c. Distributio autem septimanarum sexaginta novem in septem & sexaginta duas significat 1. non statim urbem ædificatum iri. Nam illius ædificatio ad septimanas 62. refertur. 2. Posse intercapedinem intervenire, qua sistatur ædificatio templi. Post illos 483. annos demum futurum, ut Christus sive Messias principatum & regnum capessat: neque id ante illos finitos exspectandum esse: neque, antequam venerit, urbem & sanctuarium deletum iri.

§. 57. IX. Neque statim, postquam is apparuerit, urbem & sanctuarium perditum iri, sed (saltem) *una septimana fœdus* & pacem (in ἀντιδιαστολῇ *belli* hoc dicitur. De eo fœdere est Zach. 11: 10. Vel etiam intelligitur *fœdus Dei* & promissio facta patribus) prævalituram, beneficio Christi, multorum causa: & sacrificiorum cessationem in Ecclesia, admissis ad eam præputiatis, ut Cornelio, necdum finita *illa heptaeteride*, sed circa illius medium, incepturam.

§. 58. X. Populum autem tum habiturum *Principem intrantem*, peregrinum, advenam. Is est ille, de quo dixit populus

tus, *Non habemus regem nisi Cæsarem:* quum reprobaret *Unctum principem.* Nam quis non videt hic oppositionem *Principis* & *Principis?* Qui ita discriminantur, ut alter sit verissimè מָשִׁיחַ *Unctus*; alter non: alter sit ex populo, ut est Jer. 30: 21. alter verò *intrans* & advena. Sic הַבָּאִים *intrantes*, *accedentes*, pro *peregrinis* venit Es. 27: 6. Cum eo autem, quòd in populo significatur regnaturus Princeps advena, convenit, quòd Messias excisus est per *canes*, Psal. 22. per *peccatores*, h. e. per externos & gentes.

§. 59. XI. Fore etiam *alam abominationum*, h. e. tegmen aut protectionem sive protectorem abominationibus abundantem. Si liceret כְּנַף masculinè accipere, dicere liceret, *alam desolatricem* intelligi. Quòd sanè idem esset cum eo, quòd *populus principis advenæ* sanctum dicitur deleturus. Princeps est *ala*. Et, qui *advenit*, sanctus non est. Et, cujus populus sanctum destruit, est *ala desolatrix*. Sed, quia כָּנָף genere fœminino venire solet, potiùs aliam *alam abominabilem* intelligemus. Quales *alæ* sunt Idumæi, Simon Gejoras, Johannes, Eleazarus, Zelotæ, impurissimi homines, qui templum occuparunt, tanquam id defensuri.

§. 60. XII. Fore, ut eam alam aliquis vastet. Ipsi inter se operam dederunt suæ destructioni, & fames illos consumsit, & Romani eos omnes vel interfecerunt vel ceperunt & vendiderunt.

§. 61. XIII. Populum principis advenæ denique & urbem & templum deleturum. Et populus fecit. Princeps ipse voluit conservare.

§. 62. XIV. Id excidium fore כָּלָה וְנֶחֱרָצָה *consummationem* & decisum. Sic Es. 10: 23. Quo notatur, nullam spem esse in posterum, ut talis respublica Israëlitica & urbs cum tali sanctuario & tales sacerdotes & legislatores aliquando existant. Ergo post 70. septimanas populo & urbi definitas venit consummatio. Confer Esai. 52: 11. 66: 6. Deuter. 32: 22. 23. 24. 25. 29. 21. 27. Zachar. 5: 3. 4. 11: 1. 2.

§. 63. XV. Hanc plagam *multos* evasuros; confugientes ad Principem unctum, pertinentes ad *sanctum sanctorum* ac spiritu Dei *unctos*: sed eam jugiter *destillaturam in stupentem*, h. e. in Judæos amentes & induratos, ne credant veritati, & Regi uncto se subjiciant ac justitiam ab eo adductam amplectantur. Quæ hic superest difficultas in verbis? qua in parte non convenit res gesta cum prophetia?

§. 64. Non quidem per omnia convenit Chronologia Judaica cum ea, quam nostri conficiunt ex bonis auctoribus & temporum signis. Attamen hæc prophetia & ejus veritas in complemento, quod Judæi fatentur, præjudicat ei Chronologiæ, quæ annos pauciores inter Cyri edictum & templi eversionem ponit.

§. 65. In Seder Olam magno hæc est temporum ratio, sumta ex Talmude. Annis 52. duobus post templi destructionem fuisse Judæos sub Chaldæis. Medorum ac Persarum imperium duravisse annos 250. Templum ædificatum esse anno Darii secundo, 19. annis post edictum Cyri. Et tamen in eodem libello refertur, R. Josen dixisse, quòd regnum Persarum stante templo manserit 34. annis. Regnum Græcorum 180. annis. Assamonæorum 103. Herodis & Herodiadarum 103. Exinde computandum esse ab eversione templi. Conficiunt inde, templum secundum stetisse 420. annis. Vide de his & Jacob. Capell. hist. sacr. & prof. p. 395. 396.

§. 66. In Seder Olam minori dicitur, Anno 103. regni proselytorum, anno 440. structuræ templi Vespasiani ductu templum eversum esse. Forte à fundatione templi æram illius incipit.

§. 67. Docti Christianorum alter censent. Cyrum emisisse edictum annis 537. ante Christum natum. Templum autem excisum anno Christi 70. Erunt anni 607. Sic Petavius. Quid enim attinet, aliorum computos proferre. In hoc tempore septimanæ septuaginta populo & urbi datæ facilè reperiuntur, siquidem non est necesse, ut statuamus, ipsos annos 490. incipere cum edicto & finire cum excidio, vel etiam septimanas septem & sexaginta duas præcise in Christi passione terminari. Joseph. lib. 7. cap. κζ. vel. x. secundo templo attribuit *ἔτη τριακονταεννέα πρὸς ἑξακοσίοις καὶ ἡμέρας τεσσαράκοντα πέντε*, *annos* 639. *& dies* 45. & cap. μζ. vel XVIII. postquam David Hierosolyma ceperat annis *τετρακοσίοις ἑβδομήκοντα καὶ ἑπτὰ μησὶν ἕξ*, vel, ut Latinus habet, *quadringentesimo sexagesimo quarto anno pòst ac mensibus tribus à Babyloniis eversam esse.* Rursus à Davide usque ad Titi eversionem esse *ἔτη χίλια καὶ ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἐννέα. mille centum septuaginta novem.* Quæ cum computatione Talmudistarum parum conveniunt.

Judaica glossa ad Danielis vaticinium.

§. 68. Sed nunc audiamus Judæum commentantem, Danielem, existimasse, quod Jer. dicit c. 29. totum esse promissionem. Jam verò, cùm anni 70. Babylonici imperii in morte Balthasaris essent finiti, & primo anno Dani Medi nihil fieret, extimuisse, ne peccatum obstaret impletioni promissionis. Idcirco orasse Deum, ut peccata condonaret. Angelum porrò ei renunciasse, aliam verborum Jeremiæ intentionem esse. Nempe visitaturum quidem Deum, post 70. annos à captivitate Jojakami, populum suum, ut eum reduceret Hierosolymam. Id primo anno Cyri factum esse. Hanc non fuisse assertionem perfectam: sed duntaxat *visitationem*, qua præpararetur cor eorum ad resipiscentiam. Quod si facerent, tum perfectius aliquid expectandum esse, nempe reductionem omnium exsulum. Ideò præcipi illis à Jeremia, ut orent. Septimanas septuaginta Deum tolerantiæ adjecisse. Qui fuerint ab excidio Nebucadnezaris usque ad eversionem templi per Titum: ut interim destituti prophetia & rebus illis, quæ sub templo priori fuerant, pœnitentiam agerent, ut justitia æterna adduceretur & omnis prophetia impleretur. Si enim pœnitentiam agerent, Deum adducturum justitiam mansuram in secula. Sed, quia homines domus secundæ futuri sint nequiores priscis, merituros esse, ut in exilium longius pellantur. Septimanas autem septuaginta sic transactum iri. Verbo Jeremiæ de templi destructione in actum exeunte usque ad unctum principem, nempe Cyrum, fore annos 49. Deinde per septimanas 62. ædificatum iri urbem. Postea excisum iri Agrippam, cujus regnum non erat. Annos septem pacem illis oblatum iri. Medio tempore obsessum iri civitatem & cessatura sacrificia. Vastatum iri templum, donec vastatio descendat in gentem, quæ vastavit Israëlem & terram ejus. Jam conferamus cum his Danielem.

§. 69. Daniel dicit, 70. *septimanas esse decisas super populo Danielis & urbe sancta.* Ex quo intelligitur, tantum tempus ei populo & urbi datum esse, & esse tempus restitutionis, collectionis, ædificationis, tolerantiæ. Judæus dicit, hoc esse tempus partim vastitatis, partim ædificationis. Quod planè ex suo dicit.

§. 70. Daniel dicit, Hoc tempus datum esse, ad majora beneficia; & nominatim ad adducendam *justitiam seculorum.* Judæus dicit, hoc tempus datum esse, ut terminetur in excidio & exilio longo: & ita, ut justitia seculorum non adducatur.

§. 71. Daniel facit mentionem *Messiæ* in emphasi, antonomasticè ac Φερωνύμως dicti: nempe ejus, quem necesse est ungi, ut ungatur sanctum sanctorum. Judæus, quasi nullum noster Messiam in emphasi dictum, de diversis *unctis*, quomodolibet dictis, interpretatur.

§. 72. Daniel distinguit ejusdem Messiæ duplicem statum; unum, in quo excisus est, & alterum, in quo princeps est. Neque enim ignorandum est, quod studiosi Hebraicæ linguæ sciunt, quod vers. 25. dicitur שַׂר מָשִׁיחַ נָגִיד id non posse verti, usque ad *principem unctum*, ut, מָשִׁיחַ *unctus* sit vice adjectivi vel epitheti. Sic enim diceretur, שַׂר נָגִיד מָשִׁיחַ, quemadmodum dicitur כֹּהֵן מָשִׁיחַ *sacerdos, unctus*, non מָשִׁיחַ כֹּהֵן *unctus sacerdos.* Ergo non simpliciter dicit Daniel, usque ad principem aliquem, qui unctionem habet, vel unctus appellatur: sed, *usque ad unctum*, h. e. eum, qui verè meretur nomen uncti, & ejus principatum; nempe post finitam servitutem. Judæus ad hæc non attendit, quasi nihil in Scripturis extaret de Christi passionibus & secuturis gloriis; sed intelligit principem aliquem, qui unctus sit aut vocetur. Eumque dicit esse Cyrum.

§. 73. Porrò Daniel dicit, *Nosce & animadverte ab exitu verbi de restituendo & ædificando usque ad Christum Principem septimanas septem.* Judæus dicit: *Nosce & animadverte à*, non *exitu*, sed à complemento *verbi* Jeremiæ de desolatione templi *usque ad principem* aliquem *unctum*, nempe Cyrum, *septimanas septem.* à quo prodibit verbum *de restituendo & ædificando.* Estne hoc interpretari an mutare textum?

§. 74. Ne Christus intelligeretur venturus, Cyrum oportuit intelligi. Et, ut is intelligeretur, necesse fuit *exitum verbi* in complementum verbi mutari, & quum dicatur *verbum de restituendo*, intelligi *verbum aliquod*, & Judæo permitti, ut addat *verbum de destruendo.* Et, quod de *restitutione* ac *ædificatione* dicitur in descriptione verbi, oportuit subjici *principi uncto*; quasi Daniel diceret: *Nosces septimanas septem à completione verbi* alicujus *ad principem* aliquem *unctum*, qui erit *ad restituendum & ædificandum.* Quid est ϛρεβλοῦν, si hoc non est?

§. 75. Neque verum est, aut à Judæo demonstrari potest, à destructione Hierosolymæ per Nabuchodonosorem usque ad Cyrum esse 49. annos. Supponit ipse, in morte Balthasaris & initio Cyri finiri septuaginta annos, ut regni Babylonici, ita & vastitatis Judeæ. Atqui à deportatione Jechoniæ usque ad excidium templi sunt anni undecim. Manent anni 59.

§. 76. Sed Cyro sanè in hac prophetia locus est (quippe *verbum de restituendo & ædificando* ab ipso *exire* debebat) at quis locus est alteri *uncto*? & illi quidem, *cujus non est* regnum? Et quæ illa excisio? Nam Agrippas non est excisus. Josephus in vita sua producit epistolas ab ipso ad se scriptas post excidium templi. In verbis sive rebus gestis regum domus secundæ lego: ולקץ ימים אחר שבת אספסיאנוס על כסא מלכותו הכה את אגריפס מלך ישראל ואת מנבז בנו לפי חרב ג׳ שנים ומחצה לפני חרבן הבית: *Tandem Vespasianus, postquam consedisset in throno regni sui percussit Agrippam regem Israëlis & Monobazam filium ejus gladio an-*

nis

nis tribus & dimidio ante destructionem templi. Si hæc vera sunt, nihil ad hanc prophetiam faciunt. Nam hic unctus dicitur interficiendus post septimanas 62. Ergo non medio ultimæ septimanæ. Neque tanti fuit id indicari. Nam ab ea re salus Israëlis non pendebat. Sunt antea interfecti alii, quorum prophetia non facit mentionem. Hyrcanus & Antigonus ab Herode interfecti sunt, & non memorantur; & memoraretur nepos Herodis? Atqui, inquit, regnum ab eo ablatum est. Aliud, inquam, est regnum ab aliquo auferri, aliud regem exscindi. Quare non fit mentio Archelai, à quo Augustus regnum abstulit, quem relegavit?

§. 77. Sed & vera non sunt, quæ dicit. Agrippas non fuit rex Israëlis; quia non fuit rex Judææ. Non fuit interfectus ante excidium templi: quia excidium vidit, & templo supervixit. Vespasianus non fuit factus Imperator annis tribus & dimidio ante templi excidium. Nam primo anno Vespasiani obsessa est Hierosolyma à Tito paullò ante Pascha, & mensis Augusti die 10. templum crematum est.

§. 78. Denique quantus est stupor, imò cordis ἀπολιθωθέντος audacia, quum Propheta disertis verbis dicat, *consummationem & ἀπορωμίαν stillaturam in stupidum*, & verba Esaiæ quodammodo repetat; ne populus Judæus stupidus, neque ea plaga plena exterminatio politiæ & sacerdotii Judaici esse videatur, vocabulum שומם, quod significat vastum, desolatum, attonitum, mente captum, & siquid simile est, mutare in משומם *vastatorem?* Quum apertum sit, τὸ ועד *& usque*, quod est vers. 27. respondere eidem particulæ jam in versu 26. positæ: quæ autem in principio vers. 27. dicuntur, veluti in parenthesi interponi.

§. 79. Ne id quidem verum est, sacrificia cessasse media septimana. Nondum plenus mensis à sacrificii jugis ablatione abierat, quum templum crematum est. πανέμῳ sive Julii 17. id defecit, ut testatur Josephus belli 7. c. 4. Augusti sive λώῳ decimo templum incensum est.

§. 80. Sed, quum Cornelius sine circumcisione accepit Sp. Sanct. & baptizatus est, atque ita porrò præputiati in populum Christi assumti sunt, incepit sacrificii & muneris usus in populo Dei cessare. Quod factum est, labente heptaeteride prima à morte Christi.

§. 81. Deinque septuaginta septimanæ ad hoc decisæ sunt, ut ante earum finem ungeretur sanctum sanctorum & adduceretur justitia æterna, atque ita sacrificia & munera, velut defuncta officio suo, cessarent, & deinde sanctuarium externum aboleretur. Nam quis color est, qui persuadeat, coërcitionem defectionis factam esse per abolitionem sanctuarii, & consummationem peccatorum & expiationem pravitatum? Numquid enim eò minùs defecerunt Judæi à lege Dei per sesquimille annos, postquàm sanctuarium destructum est, quàm antea? Numquid non clarè dicit Prophetia, simul illa omnia futura, antequam LXX. septimanæ finiantur? Nonne vident, ubi inhibentur sacrificia & munera, & deletur sanctuarium, ibi jam exstare expiationem pravitatis & justitiam adductam? Nonne David Psal. 132. prophetavit, Sacerdotes justitia & salute induendos esse in Sione? Et, quæ potest esse *justitiæ adductio*, nisi per Messiam? Es. 42: 6. *Vocavit te cum justitia.* Denique quæ *unctio sancti sanctorum?* Templi, inquiunt, Ezechielis. Fatemur, illud templum totum esse sanctum sanctorum, licèt & in eo distinguatur sanctum & sanctum sanctorum. Et, quum plurimis rationibus pateat, id esse spirituale & non materiale; inter eas non postrema est, quòd in id non intrant præputiati corde & sic præputiati carne. Ezec. 44: 7. 9. Inter quos sunt & Judæi, quamvis circumcisi carne. Nam, quorum cor præputiatum est, illorum circumcisio præputium reputatur. Roman. 2: 25. In templum materiale ingrediuntur semper multi præputiati corde, ac proinde carne. Id revera *sanctum sanctorum* est, in quod non intrant, nisi circumcisi corde, & sic carne. Phil. 3: 3. *Non sumus circumcisio, qui spiritu Dei servimus, & non carne fidimus.*

§. 82. Quare nihil reliquum est, quod possit testimonio Danielis opponi, quò minus tempus adventus Christi, ejus, cujus est peccata expiare, justitiam æternam adducere, sanctum sanctorum ungere, præterierit; atque ita Christus venerit.

§. 83. Testatur post Josephum Manasses in lib. *de termino vitæ* p. 175. tempore belli Judaici plerosque exspectasse adventum Messiæ; eumque in mediis ærumnis conspectum sui præbiturum, credidisse. Nempe sederat hæc sententia non priùs templum exscindi posse, quàm Messias venisset. Iccirco etiam, quum templum viderent flagrare, & Messias non appareret, ploratum & clamorem amarissimum extulerunt. Post illa commenti sunt, vel Vespasianum designari (& is sanè sub nomine נגיד הבא *principis advenientis* continetur; at non per *Unctum principem* vel *excisum* significatur) vel, Christum venisse quidem, sed latere. Sed Christus debuit venire, ut expiationem faceret, sanctum sanctorum ungeret, ut templum *terrestre* manu factum exscinderet, ut *principatum* ordiretur per manifestationem spiritus & potentiæ. Si saperent hodierni Judæi, potiùs cum vetustis sentirent, Christum omnino ante templi excidium venire debuisse: crederentque eum esse, qui & visus est omnibus Spiritus ornamentis ac signis Messiæ præditus, & opera Patris fecit, ac verba Dei locutus est, quem ἀνοσίοις χερσὶν, ut ἀπογᾶται, in *stupore* & πωρώσει τῆς καρδίας confoderunt (Zach. 12: 10. *Et respicient ad me, cum eo, quem confoderunt*) & ex terra viventium cruci affixum exciderunt. Quòd autem illum non vident amplius (quemadmodum Rabbini illorum dicunt, venisse, sed non videri) intelligant, cum ad dexteram Dei, in throno Dei sedere, & non apparere in terra, assumtum ex judicio; sed sceptrum ejus ex Sione emissum, & inter hostes suos ipsum dominari verbo, spiritu, divina potestate.

§. 84. Saadias, qui per *Unctum excisum* vult intelligi Templum, quod Uncti Domini Cyri jussu conditum est, excisum, ostendit, se quidvis maluisse dicere, quam veritati dare manum.

§ 85. Neque vident, se sibi contrarios esse, qui *excidium Uncti* interpretantur excidium sacerdotum, quum tamen iidem sperent, post longam hanc dispersionem sacerdotes Aharonidas ad actum sacerdotii esse reversuros. Nam, si sacerdotes excisi sunt, quomodo iterum possunt fungi terrestri sacerdotio? Si autem fungentur, non sunt excisi. Quidam sacerdotes sunt occisi, sed non sacerdotes excisi. Inter Christianos sine dubio sunt posteri Aharonis; & inter Judæos quidam se pro ejus semine venditant. Si autem sacerdotium excisum est, finitum est consummatumque sacerdotium, & non restituetur. Imprimis, quia כלה h. e. *consummatio* dicitur futura. Non quidem כלה *consummatio* & plenaria destructio facta est quoad homines, sed quoad statum & politeian & sacerdotium carnale. Unctio autem non poterat exscindi, nisi carnalis. Vide Jer. 33: 20. 21. 22. Quin unctio sanct. sanctorum intra terminum 70. septimanarum debebat fieri. At *Christus erat exscindendus ex terra viventium*, & denuò in terram habitabilem per resurrectionem introducendus, & *princeps* declarandus; cujus erat spiritum suum effundere in omnem carnem.

§. 86. Tangendus nobis obiter hîc & Johannes Marshamus Anglus, qui Londini edidit Anno 1649. Diatriben Chronologicam, in qua contendit, totam hanc Prophetiam finitam esse tempore Antiochi Epiphanis. Is non septuaginta septimanas numerat cum Angelo, sed sexaginta tres: iisque septimanas septem includit. Et septimanas septem orditur ab exitu verbi, quod Angelus attulit ad Danielem. vers. 23. non distinguens inter verbum sive oraculum, quo Daniel & Ecclesia eruditur, & verbum de restituendo & ædificando; quod Oraculum jubet observare. Præterquam quod temere Oraculum id dicat exiisse 49. annis ante solutam captivitatem; quum manifestè Daniel vers. 1. 2. ostendat, se orasse sub Dario Medo, & Angelum verbum accepisse, quum ipse orare inciperet. Simili temeritate orditur 63. hebdomades ab excidio templi per Nebucadnezarem sive initio 70. annorum captivitatis: quum septimanæ 70. sint septimanæ populi & urbis, non dissipationis & destructionis: & sint ab exitu verbi de restituendo putandæ. Sed supra modum absurdè de fine septimanarum 62. statuit. *Exscindetur Unctus* ex Eusebio interpretatur ἐξολοθρευθήσεται τὸ χρῖσμα. Idque vult factum, quando Antiochus vetuit juge in templo offerri. Atqui eo ipso sacerdotes non sunt excisi. Quin Jeremias cap. 33. vers. 18. expressè negat, *excisum iri sacerdotibus Levitis virum coram Domino, qui offerat holocaustum & adoleat munus & faciat sacrificium omnibus diebus*, puta usque dum Sacerdotes salute induantur, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec ad dextram Dei consideat. Absurditas vel eo ipso convincitur, quòd Angelus *excisionem Messiæ* apertè à *sacrificii & muneris desitione* distinguit intervallo mediæ septimanæ, & rursus *destructionem sanctuarii & urbis* distinguit ab excisione Uncti intervallo, minimum, unius Hebdomadis, & à desitione sacrificii ac muneris, minimum, dimidiatæ Hebdomadis. Sed & tota illius interpretatio emphasin vocum tollit. Nisi quòd bene נגיד בא interpretatur *principem advenam*. Cui significationi probandæ adducit Genes. 42: 5. 2 Chron. 30: 25. Neh. 5: 17.

§. 87. Quum igitur dubium non sit, tempus Prophetiæ hujus præteriisse, & ultima illius in excidio urbis per Romanos esse impleta; & apertum sit, *Christum* non alium hîc posse intelligi, quàm eum, qui Patribus, imprimis Davidi, fuerat promissus; atque adeò hîc ipsius & mortem & regnum *in medio annorum* à Deo decisorum designari: reliqua erit consideratio earum rerum, quas similiter Angelus intra hunc terminum includit, vers. 24.

§. 88. Aben-Esra hæsitat, utrum illa omnia sint accipienda לשבח *in bonam partem*, an לגנאי *in malam partem*. Eò tamen inclinat, ut *coërcitio peccati* significet pœnam imponendam peccatis, & *obsignatio Prophetæ* in malam partem accipiatur, vel *quia omnes Prophetæ vaticinati sunt de templo secundo*. Cæterum communem sententiam explicat Manasses *de termin. vit.* pag. 168. 169. 170. ubi hæc verborum Angeli paraphrasis. *Post consummationem 490. annorum sequetur ea populi tui captivitas*, qua

qua *purgabitur ab idololatria, homicidio & adulterio.* (Jachiades. *Peccatis cogitationum, oris & manus*) *& post peractam eam mundationem sequetur tempus justitiæ: tum complebuntur prophetiæ*, vel *ejus vis auctior erit;* juxta Joël. 2:28. vel 3:1. *prophetia & sacrificia instaurabuntur.* Volunt autem, longum hoc exilium esse *expiationem peccati.*

§. 89. Contra 1. Excidium urbis ac templi & populi non est expiatio peccati. (Nam expiatio est gratiæ & clementiæ, & condonationem efficit. Vide Deut. 21. vers. 8. 32: 43. Es. 6: 7. 22: 14. 27: 9. 47: 11. 2 Sam. 21: 3. Psal. 65: 4. 78: 38. Pr. 16: 6.) sed vindicta. Deut. 32: 20. &c. & quidem non tantùm peccati, quod per Babylonicam captivitatem non satis expurgatum fuerit, sed tum parentum infidelitatis & omnis sanguinis effusi à condito mundo inde à sanguine Abelis usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ sive Baruch, quem fuderunt inter altare & templum: idque propter רשע & *ἀποστασίαν* à rege suo & *stuporem*, per quem videntes non viderunt & audientes non audiverunt. (Esai. 6: 9.) & non crediderunt ei, quem Deus ad illos miserat, nempe Messiæ, & illius regno ac justitiæ noluerunt subjici: & filios ac filias Dei vexarunt. Deut. 29: 19. 32: 19. Es. 66: 1. 2. 3. 4. 5. 6. Et de *stupore* Judæorum loquitur etiam Habacuc cap. 1: 5. *Aspicite gentes & intuemini, & inter vos miramini, miramini. Nam opus molitur in diebus vestris, quod non creditis, quum narrabitur.* Ostendit, Israëlitas respicere ad gentes & inde pacem securitatemque exspectare. At contra eventurum, ut spes illorum frustra sit, & decepti à gentibus unus alterum cum stupore aspiciat, & mirentur, omnia evenire contra sua consilia & rationes. Eum stuporem refert ad *ἀπιστίαν infidelitatem*, qua non sint credituri narrantibus opus Dei factum, quod jam tum in captivitate Babylonica moliebatur. Id opus est resuscitatio ejus, qui suo tempore notificatus erat, cap. 3: 2. in cujus fide justus erat victurus. Hab. 2: 4. Atque ibidem rursus stupor & *ἀπιστία infidelitas* ponitur in ὑποστολῇ sive subductione sui ad clivum; quæ attribuitur ei, cujus anima non est recta in teste veraci ad credendum ei. Esaias clarissimè cap. 52: 14. & 53: 1. 2. 3. 4. 8. 9. 11. stuporem hunc describit, cumque ostendit peccare in rege Israëlis, cujus est gentium hæreditas (Es. 52: 13. 15. 53: 12.) humiliato ad ferenda peccata & justificationem efficiendam per sui agnitionem, id est, fidem, eoque exaltato per assumtionem ex judicio & imperio, & intercedente pro defectoribus: & illius excisionem *defectioni populi* ut causæ imputat, & hanc *defectionem plagam populi* interpretatur, vers. 8. Luculenter etiam Moses c. 29. agit de hoc stupore. Nam ibi agit de supplicio separatorum ab omnibus tribubus Israëlis (intellige veri Israëlis, qui est ex promissione) cujus supplicii causa sit maledictio, & locus ipse terra Canaan; quod ita irrogandum fuerit ipsis in terra, ut gentes multæ id videant, & justam Dei iram in eis recognoscant, gratias interim Deo agentes pro revelatione omnium earum rerum, ut facerent verba legis. Atqui hoc supplicium non est aliud, quàm id, quod postremò Judæis per Romanos irrogatum est. Hujus autem causa est vers. 25. quòd deseruerint fœdus Dei, quod Deus cum patribus ipsorum pepigerat, quum eos eduxit ex Ægypto. & vers. 19. quòd audientes verba adjurationis & exsecrationis sibi pacem & benedictionem arrogaverint ambulantes in firmitudine cordis sui, h. e. in suis opinionibus, consiliis, traditionibus, & conatu statuendæ justitiæ suæ ex propriis factis, adeò ut etiam eò procedant, ut *potatam addant sitienti.* quod, utut multis modis explicari & in ipsos convenire posset, nihilominus, si analogiam argumenti, de quo agitur, h. e. fœderis Dei, sequamur, & paralleliam phraseos, quæ est Jerem. 31: 25. ubi promittit Deus, *se potaturum animam lassam & omnem animam languidam impleturum*: non poterimus dubitare, quin examussim conveniat Judæorum conatui, quo Christianos (jam potatos & saturatos) voluerunt cogere ad observationem institutorum legis carnalium, quæ erant umbræ, & tantùm sitientibus salutem quadrabant: quasi filii nuptiarum possent cum esurie & siti conflictari. 2. Post illud non expectatur restitutio templi & populi in statu pristino: quia hoc excidium est כלה ונחרצה *συντέλεια & ἀποτομία.* vers. 27. confer Esai. 10: 22. 23. Rom. 9: 27. 28. Et promissio pacem, justitiam & conversionem gentium templo secundo deputat. Hagg. 2: 8. 10. consentiente Ab. Esra: *Omnes prophetas de domo secunda locutos.* & Zach. 8: 3. *Reversus sum ad Sionem & habitabo in Hierosolyma, & vocabitur Hierosolyma urbs veritatis*, propter exhibitionem promissionis & obsignationem visionis ac prophetæ *& mons Jehova mons sanctitatis*, propter præsentiam Messiæ Filii Dei. vers. 15. *in diebus his.* Sic Jer. 3: 14. 15. 16. 17. 18. *Quum majores facti fueritis & fructificaveritis, in diebus illis, in tempore illo, in diebus illis, vocabitur Hierosolyma thronus Jehova & omnes gentes ad eam agglutinabuntur.* Si tertium templum ædificaretur, nunquam obsignaretur visio & propheta. Nam lex ipsa prophetat, & est visio obsignanda, ut umbræ in corpus & in veritatem commutentur. Numquam fit Hierosolyma urbs *veritatis*, si semper manet visio & prophetia. Vana est prophetia, quæ non impletur. In restitutione sacrificiorum non est adductio justitiæ. Nam illa non foret major justitia, quàm priscorum, qui habuerunt sacrificia & amiserunt. Quod amitti potest, non est causa justitiæ æternæ. Si sacrificia justificarent, non promitteretur sacerdotibus, fore, ut *induantur salute.* Psal. 132: 16. non promitteretur hîc *justitia adducenda*, si foret præsens, quamdiu stetit templum. Nihil habuit lex nisi *ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα.* Heb. 9: 13. A peccatoribus *sancta carnes* inquinantur: tantum abest, ut illos possint justificare. Hagg. 2: 13. 14. *Sanctum sanctorum*, quod promittit Angelus *ungendum* spacio temporis decisi, aliud est à penetrali templi manu facti. Ita templum ædificandum à Tsemach distinguitur à templo Zorobabelis Zach. 6. vers. 13. Si templum tertium esset, esset Christi & pacis datio in alio loco. Nam templum tertium esset templum, quod Ezechiel describit. Atqui illud non est in Sione & tribu Judæ, Ezech. 45. vers. 1. 4. 5. 6. 7. 48: 8. 9. 10. Templum Ezechielis non est templum, ad quod venit Christus: quia Christus ad Sionem venit, Psal. 2. vers. 6. Psal. 78. vers. 68. Psal. 132. vers. 13. 17. Quia non exspectatur, nisi templum Ezechielis, non ædificabitur templum in Sion. Quia templum manu factum adstringitur ad Sionem, templum Ezechielis non est templum manu factum. Scopus Dei hoc oraculum dantis est consolari Danielem & cum eo omnes fideles, & illorum exspectationem alere & *ἀποκαραδοκίαν* excitare. Cum eo scopo minimè convenit, ut jusserit pios, exceptis paucis diebus angustiæ, attendere & numerare annos, quibus ad finem labentibus non inæstimabile bonum, sed indicibile exitium & dissipatio populi duratura in tantum tempus, ut nullus finis præstitutus inveniri possit, sequatur. Ergo annos parvæ *εὐημερίας* voluit numerari, & tantæ calamitatis non voluit? Et cur illos voluit, hos noluit? Judæorum vecordia & *ἀπόνοια* patet, quum exsecrantur eos, qui numerant tempora, dicentes: תיפח רוחן של מחשבי קיצין, *effletur spiritus eorum, qui computant terminos.*

§. 90. Et hæc cum Judæis disceptamus ex superabundanti; non quod necesse sit. Nam explicatio nostra habet fidem ex analogia promissionum & phraseon Scripturæ & ipsa re facta. Certissima est Scripturæ propheticæ expositio, quæ nec phrasi facit vim, & cum qua quoad phrasin & res ac rerum ordinem omnes prophetiæ conspirant, quamque rerum ipsarum historia approbat. Non præter mentem Spiritus Sancti verba ipsius implentur. Hoc significant, cujus rei signa prudenti esse possunt. Ejus autem rei signa sunt, cujus imaginem & cogitationem menti in omni pondere juxta intentionem loquentis exhibent.

§. 91. Ad hæc accedit, quòd Judæi, qui negant, Messiam venisse, id ideò dicunt, quia ignorant, quis sit Messias & quis finis missionis ejus, & sic comperiuntur justitiam Dei & regnum ejus ignorare.

§. 92. Qui in hoc palpabile absurdum incidunt, ut, quum constet, Deum omnia facere ad gloriam suam, cogantur statuere, hanc esse gloriam Dei, quod habeat populum sacrificantem & elementis mundi sive rebus terrenis (in quibus tractandis nullus est fructus) servientem. & tamen, Deum & ante Mosen talia non exegisse, & gentibus non mandasse, & jam per mille & sexcentos annos fieri noluisse. &, quum ad gloriam Dei pertinuerit, peccata non remitti absque sacrificio, pecuinum sufficere ad expiationem peccatorum, Messiæ autem sacrificium non esse necessarium. Ita, necessarium quidem fuisse sacrificium, sed tale, quod idoneum non est, quodque Deus se negat gratum habere; id autem, quod idoneum est ad Deum sanctificandum & justitiam æternam adducendam, non esse necessarium.

§. 93. Quod ad alteram partem Quæstionis attinet, ei satisfactum est supra ad Quæst. VIII.

CAPUT.

CAPUT LIII.

De Regno Christi.

XXXV. *Si jam venerit Messias cur ergo totus mundus ei non est subjectus quod Scriptura affirmat in adventu ipsius fieri oportere? ex adverso videmus multas olim in Africa & Asia Christianorum Ecclesias fuisse quarum jam vix exiguæ reliquiæ apparent.*

Regnum Christi non fine bello aut judicio.

§. 1. NOn dicit Scriptura, statim omnia Christo subjecta fore, & omnes sine exceptione homines ei obedituros: sed dicit, eum regnaturum inter inimicos suos. Ps. 110. 1. 2. quos etiam dicitur sceptro ferreo confracturus. Psal. 2:9. An igitur mirum videri debet, si Deus etiam in gentibus, quæ audiverunt Euangelium, judicium exerceat? Quod sanè fatemur Deum fecisse non tantùm in Asia & Africa, in quibus, ut Judæus dicit, *vix exigua reliquia Ecclesiarum apparent;* sed etiam in Europa: quam partim Turcis subjecit, partim Antichristo, partim ab hujus jugo & communione utcunque liberavit: si non & nunc multi *cum Tyro*, exoleto scorto, *fornicantur*. Es. 23: 16.

§. 2. Quod nobis mirum videri non debet: quia prædictum est semel, Deut. 18:18. Deum *vindicaturum esse in eum*, *qui non obediverit verbis Dei*, *quæ positurus erat in ore Messiæ:* & cùm Apostolus Paulus Rom. 1: 18. declarat, *Revelari iram Dei de cœlo in omnem impietatem & injustitiam hominum detinentium veritatem in injustitia;* tum Christus ipse omnia, quæ futura erant, explicavit, monens discipulos, ne deciperentur vel conturbarentur: & imprimis Apocalypsis omnium tentationum ordinem exhibuit.

§. 3. Sed agnoscit Judæus etiam in illis terris *reliquias*, quamvis *exiguas*, *Ecclesiarum*. Ita & Esaias c. 11: 11. dicit, *Dominum secundo admoturum manum ad requirendum reliquum populi sui*, *quod superfuturum sit ab Assur & Ægypto*, *& Pathros* Thebaide (Abyssinorum regno) *& Cusch* (tum Æthiopia, tum Arabia) *& Elam* (Persia) *& Sinear* (Babylonia) *& Chamath* (terris, quæ sunt ad Septentrionem Palæstinæ) *& insulis maris*. h.e. Occidente toto sive Europa &, quod ultra est. Hæc autem in diebus Christi futura dici, apertum est; quia *surculus ex radicibus Jesse procedens* sine dubio est Christus: de cujus regno loquuntur præcedentia.

§. 4. Omitto, quæ ipsi Judæi de bello Gog & Magog contra Christum & regnum ejus gerendo dicunt.

§. 5. Sed hoc nos latere non potest, etiamsi non tantùm in Oriente sed & in Occidente Ecclesiæ imminutæ esse videantur, tamen id factum esse per judicium, quo Christus regnum suum vindicavit, & hypocritas punivit & glorificatus est in gentibus. Hæc aliquo modo explicanda sunt.

§. 6. Apud Esaiam legimus cap. 56: 8. *Ait Dominus Jehovah colligens depulsos Israëlis: Adhuc colligam ad ipsum ultra collectos ejus.* Significat, se incepisse colligere electos, qui ad semen Israëlis pertinent, sub Christo. Nam de Christi regno jam cap. 54. cœperat loqui. Se verò non esse contentum, quòd hactenus multos collegerit. Enimverò se decrevisse plures adhuc colligere. Jam quod ostendit medium huic decreto exsequendo? Id, quod videtur comparatum esse ad dissipandas Ecclesias & diminuendas: siquidem homines consulas: sed, quod ad vindicandum regnum Christi ex manibus hominum est maximè idoneum. Dicit, *Omnia animalia agri*, *venite*, *ad comedendum omnia animalia in silva.* & tum addit, *Speculatores*, vel *Episcopi ejus sunt cæci* &c. Significat, Regnum suum, factum esse instar *silvæ*, h.e. habere celsitudines, principes sese præponentes populo Dei & eum obumbrantes, neque aliam lucem ei concedentes, quàm ipsis videatur, & ad nomen, auctoritatem, judicium & imperium suum omnes vocantes, tanquam qui sub ipsis tuti futuri sint. In illa silva verò etiam feras bestias & sævos tyrannos reperiri grassantes in gregem. Hos igitur ostendit se priùs velle abolere & quidem per sævas bestias extra illam Ecclesiasticam διοίκησιν & silvam illam sive rempublicam Christianam degentes. Velle igitur se, ut illæ feræ intrent in silvam & feras ejus devorent. Et quis negabit, tales feras fuisse Gothos, Longobardos, Hunnos, Saracenos, Turcas, qui consumserunt tyrannos, qui priùs inter Christianos grassabantur? Nam querimonia de Episcoporum cæcitate, de canum & custodum ignavia, de pastorum ineptitudine & luxurie atque avaritia in aperto est: quæ extat apud Esaiam vers. 10. 11. 12. Tum sequitur cap. 57: 1. indicatio diminutionis justorum. *Justus periit*, inquit, & nemo est, qui revocet ad animum. Quid hoc aliud est, quàm per tales tumultus & sequutam rerum conversionem effectum esse, ut pauci omninò appareant recti, quoad fidem & vitam? quemadmodum etiam Psalmus 12. conqueritur, *Finiti sunt recti ex filiis hominum.* De quo tempore autem loquatur Psalmus, non potest esse ambiguum ei, qui totum consideraverit. Sed Esaias deinde magnam illam meretricem introducit cap. 57. de qua cùm egisset, dicit Deus v. 13. quòd omnem illam multitudinem Meretricis magnæ *ventus sit ablaturus*, &, *quòd terram hæreditaturus sit confugiens ad Deum.* Quomodo autem id exsequuturus sit, sequentia declarant.

§. 7. Ex quibus perspicuum est, defectionem, quæ in Ecclesia Christiana exstitit, & oppressionem ejus per tyrannos ad hoc comparatam esse, ut separarentur *confugientes ad Dominum* à fornicantibus; qui deinceps primò probandi fuerunt, deinde etiam multiplicandi, ut terram possideant. de qua multiplicatione agit cap. 60. Hæc non possunt esse obscura ad rem & verba prophetiæ attendenti.

§. 8. Quamobrem minimè mirum debet nobis accidere, quod in mundo fieri videmus. Habebit Christus regnum, invitis omnibus dæmoniis & hominibus malis, & quidem, in quo ipse solus sit rex & verbum ejus solum sit lex.

§. 9. Notabile autem est, quòd omnes illæ gentes, quæ cum feris bestiis comparabantur, quæ in medium Christianorum invectæ sunt, omnes Christi nomen assumserunt. Ita enim Christus manifestatus est, ut gentes convictæ sint, non posse virum bonum esse, qui Christo maledicit. & Diaboli imperium, quo obtinebat gentes, apertam idololatriam exercentes in omnibus illis terris, in quibus Christi nomen prædicatum est (quemadmodum etiamnum in Japonia & aliis insulis) ita infractum est, ut cogatur venire in schemate angeli lucis, si velit seducere & decipere. Saraceni, Turcæ omnes fatentur, Jesum esse sanctum prophetam & spiritum Dei. Hoc enim Alcoranus de ipso dicit. Ideoque nec Judæos admittunt, utut circumcisos. quia Christo maledicerent. Anti-Christus verò non potuit oriri nisi sub obtentu nominis & regni Christi & quidem orthodoxiæ defendendæ adversus hæreticos, Christi personam & gratiam abnegantes. Adeò ut, ubi Antichristus regnat, nihilominus Christus nominetur Filius Dei & Deus & rex Ecclesiæ, per gratiam suam sanctificans & justificans.

§. 10. Cæterùm quod attinet oppressionem Christianorum per Sarracenos & Turcas, ea ipsa quoque comparata est in bonum Ecclesiæ. Nam illorum potentia est repressio regni Antichristi & ejus ἀντισήκωσις: *orbis plumbi impositus modio* ad *mulierem* illam, cui nomen הרשעה *injustitia*, coercendam. Zachar. 5: 7. 8. Sarracenorum verò regnum (quod Judæi vocant מלכות ישמעאל *regnum Ismaëlis*) videtur Esaias suis terminis inclusisse cap. 21. vers. 16. 17.

§. 11. Quod verò Turcas attinet, qui Assyriam tenent, & propterea in Scripturis *Assyrii* nomine veniunt (quemadmodum & Babylonii & Persæ *Assyrii* nominati sunt, quum eam terram tenerent) ipsorum progressum, post Persas & Saracenos (in quorum locum venerunt) non tacet Prophetia. Sit instar Mich. 7: 12. 13. *Dies ille est*, *quo ad te veniet ab Assyria ad urbes munitas*, *& ab urbibus munitis ad Fluvium*, *& ad mare à mari*, *& erit terra in vastitatem propter habitatores ejus à fructu operum suorum.* De quo loco velim consuli Dodecapropheton nostrum. Neque enim necesse est hîc eadem rescribere. Ibi autem Michæam loqui de diebus regni Christi, palam est. Nam in initio capitis de Christi adventu egerat. Quod indidem cognoscere est.

CAPUT

CAPUT LIV.

De causa permissi Judæis sceleris in Christo patrandi.

XXXVI. *Qua ratione servator mundo obtigisset, si Judæi ad fidem conversi, non occidissent Christum.*

§. 1. INsipida interrogatio. Eodem modo interrogaverit, Quomodo Jacobus & domus ejus in fame servati fuissent, si fratres Josephi pietate usi nec ei invidissent, nec eum vendidissent? Atqui Deus decreverat hoc modo domum Jacobi conservare. Igitur divinam providentiam irridet, qui ita interrogat. Deus non noluit Judæorum animis & gentium manibus Christum interfici, quum gentium & Judæorum peccata ipsum affigerent cruci. Et voluit Deus cumprimis Judæorum duritiem manifestari, de quibus dictum erat, quod & de se dictum quotide commemorant, *Obesus, opimus factus es, & recalcitrasti & flagitiose tractasti rupem salutis tuæ.* Deuteronom. 32. vers. 15. Ne placeant sibi, quod fecerint τὸ ὡρισμένον. Nam justè in illis fit, ad quod positi sunt.

XXXVII. *Qui cum justitia divina consistit, ut ad unius ordinarii peccati per unum hominem commissi remissionem Deus sive velit sive permittat tam grave & enorme facinus (cujusmodi est filium Dei interficere) patrari per manus unius intergri populi?*

§. 2. Jam videmur, quod satis est, ad hoc respondisse modò. Quomodo justitia Dei accusaretur, si, quum totus mundus in Adamo peccavit, etiam totus mundus suis manibus & opera data Christum crucifigeret?

CAPUT LV.

De terra Canaan, quomodo ad regnum Christi pertineat?

XXXVIII. *Qui fit ut Christiani terram promissionis, in qua est Christi sepulcrum, quamque tot impendiis & cædibus recuperare conati sunt, hodierno die non possideant?*

§. 1. QUia Christianis promissum non est, eos terram Palæstinam & locum sepulcri, in quo Christus ad tertium usque diem requievit, possessuros, neque imperatum, ut, eum locum armis repetant; sed, ut obliti eorum, quæ in terra sunt, ea, quæ sursum sunt, quærant: imò Christus dixit, Hierosolymam calcandam esse à Gentibus, donec explicantur tempora gentium, Luc. 21: 24. & ii, qui olim terram Palæstinam & locum sepulturæ Domini armis vindicarunt, terreno magis dominatui & superstitioni, quàm religioni inservierunt, & eodem tempore religionem in innocentibus Waldensibus persecuti sunt: ideò non est mirum, Deum ipsis in via Assur occurrisse ut immanem feram & pardum, (quemadmodum dicit Hoseas c. 13: 7.) & nec ipsos, nec eos, qui regnum Dei quærunt, eum locum hodie possidere. Tempora enim gentium nondum finita sunt: quia plenitudo gentium nondum intravit; sed defectio adhuc viget & increbrescit.

§. 2. Quod autem locum illum Hos. 13: 7. attinet, sive Aschur significet *Assyriam*, sive vertendum sit, *observabo:* videmur, eum non malè citare in hoc negocio. Si enim Christiani nominati intelligendi sunt in illo loco per nominatum Israëlem (quod convenit nostræ hypothesi, Jesum esse Christum) intelligitur, inter eos aliquando talia auditum iri & actum, propter quæ Deus ipsis adversetur, eosque dilaniet instar pardi. Quod in expeditione adversus Sarracenos & Turcas (qui per Assyrii vocabulum indigitantur) nominatis Christianis evenit.

§. 3. Sin dicant, hæc de ipsis Israëlitis dicta esse, &, cap. 14. vers. 1. de Samaria propria sermonem esse, velim, ostendant, quomodo evenerint ea, quæ cap. 14. promittuntur, & quomodo ea cum veteris Samariæ desolatione connecti possint: imò totum ordinem rerum explicent: denique, sub regno Christi non potuisse ea evenire, quæ istis Prophetiæ verbis explicari possint, doceant.

CAPUT LVI.

De Christianorum dissidiis.

XXXIX. *Si Christiana religio est vera, qui fit ut inter ipsos tanta sit religionum & sectarum se mutuo damnantium diversitas?*

IDem interrogari possunt Judæi: Si lex Mosis est vera, & Prophetæ locuti sunt, qui fit, ut Israëlitarum sensus non sit idem? Quare enim sunt inter ipsos alii Pharisæi, alii Sadducæi, & Caræi? Quare alii Pharisæorum cum Hillele faciunt, alii cum Sammæo? Quare eundem Mosen ac eosdem prophetas legentes & divinitatem illorum verbis absque dubitatione attribuentes alii D. Jesum pro Christo recipiunt, alii non? Neque enim ignorare possunt Judæi, divisionem olim factam esse inter ipsos illorum, qui Christo crederent, & qui non crederent. An propterea Deus non est verax, quia homines mentiuntur & in variis rebus aberrant? Imò, quia Christus verax est, ideò hæc inter Christianos nominatos fiunt. Ipse enim prædixit, id futurum esse. Atque etiam id signum est, Christi doctrinam veram esse, quia nemo illam recipit, nisi cujus cor illuminaverit & sanctificaverit Spiritus Dei, ut veritatem amet. Tantum verò in religione Christiana est splendoris, ut etiam illi, qui veritatem non amant, tamen cogantur fateri, verba Christi & Apostolorum ex cœlo esse, quæ tamen ipsi contorquent. Baptista olim dixit Joh. 3: 32. 33. *Et, quod vidit atque audivit, hoc testatur; & testimonium ejus nemo accipit. Qui accipit ejus testimonium, obsignavit, quòd Deus verus sit.* Nempe, qui Deum novit & nomen ejus, ei testimonium Christi acceptum est; &, cui acceptum est, is Deum noscit & veritatem ejus. Quum igitur mundus Deum non norit, nemo ex mundo testimonium

ejus

ejus recipit, quatenus contrait iis, quæ mundus fapit aut cupit, aut fupergreditur ea, quæ naturaliter cognofcit, aut etiam tam manifefta funt, ut vel ignorari vel certè negari non poffint. Quis mirabitur igitur, effe diffenfiones inter homines, quorum alii tantùm non poffunt ignorare vel Chrifti miracula, vel vanitatem idololatriæ, vel Dei in incredulos judicia, vel præcepta de moribus planè divina; alii tantùm eligunt dicere & facere, quod multi dicunt & faciunt, ut viri boni & honore digni ac non defperati habeantur: &, qui veritatem diligunt, alii funt rudiores atque imperitiores, five pueri, alii provectiores in Domino: quum etiam fpiritus Antichrifti exiverit in mundum, qui fe transfigurat in angelum lucis? Dicam ampliùs. Quomodo mirum eft, effe hæreticos inter Chriftianos, quum fint Judæi in mundo? Illi enim præeunt ad omnem ferè hærefin. Sive enim dubitetur de Chrifti perfona, Judaica difceptatio eft. Sive Chrifti regnum in humanam dominationem mutetur, Judæorum de fuo Meffia opinio præcedit. Qui falfam juftitiam introducunt, Judæorum difcipuli funt. Qui legem moralem enervant, illos imitantur. Qui vitiofitatem & impotentiam & reatum hominis abnegant, qui liberi arbitrii vires extollunt, eorum caufam agunt. Unde etiam Spiritus fanctus, quando contra hæreticos difputat, dicit, fe *cum nationibus* difceptare. Efaiæ 41. &, quum de regno Antichrifti loquitur, vocat *beftiam, quæ fuit, & non eft, tametfi fit.* Apoc. 17:8. intelligens talem rempublicam, qualis fuit Judæorum refpublica; quos Deus populum fuum vocabat. Qualem non vocat populum fuum. Et Nahum. 1:11. difertè dicit, ex Hierofolyma exiviffe, qui cogitat contra Dominum malum, qui confulit nequitias. Nonne compertum eft, Pfeudo-Apoftolos, cum quibus res fuit veris Apoftolis, Hebræos fuiffe? Nonne illi, qui Chriftum pro fancto, fed tamen mero, homine habuerunt, Judæi fuerunt? Sed, quòd Judæus aut quis alius miratur, inter Chriftianos effe diffenfiones, id non poteft aliunde provenire, quàm quòd non intelligant naturam regni Dei. Hoc enim volunt effe confpicabile ad eum modum, quemadmodum Civitas aliqua confpicabilis eft: nempe ut fub hominum poteftatem habentium nomine omnes idem dicant & agant: neque intelligunt fapientiam Dei, quam S. Paulus indicat 1 Cor. 11:19. *Oportet enim & hærefes in vobis effe, ut probi ac recti manifefti fiant in vobis.* Confilium quippe Dei eft, probos per tentationes manifeftare. Probi autem hi funt, qui Deum amantes ac timentes *retinent fermonem Dei & teftimonium Jefu Chrifti,* Apocal. 20:4. & nomen Dei, fi opus fit, commodis fuis ac ipfa vita potius habent, beftiamque non adorant, nec fignaturam, h.e. legem ejus recipiunt.

CAPUT LVII.

De prohibita lectione Scripturæ.

XL. *Cur plebejis Scripturarum lectione interdicitur? An quia non funt fatis apti aut induftrii intelligendis Scripturis? cur Judæi hoc five impedimentum five incommodum non fimiliter verentur?*

Refpondeant ad hoc, qui id faciunt. Hoc non faciunt ut Chriftiani. Quanquam nulli fint, qui velint videri penitus prohibere Scripturam. Concedunt enim aliquando quidam plebejis lectionem verfionum, quas ipfi fecerunt, Latinæ convenientem; quando certi funt, eos vel non lecturos aut faltem fcrutaturos, quum conceflerint, aut non aliter de fenfu Scripturæ judicaturos, atque ipfi decreverunt. quemadmodum & Judæi putant, non aliam lectionem Mofis ac Prophetarum licitam effe, quàm eam, quæ fiat cum hac inductione animi, verba Scripturæ fecundùm Talmud effe interpretanda. Quod fi Papiftæ efficere poffent, ut nemo vellet Scripturas legere, quin eas vellet torquere ad fenfus Papæ aut Ecclefiæ Papanæ & dictatorum ejus, omnibus eam fine exceptione permitterent.

CAPUT LVIII.

De Prophetia & miraculis.

XLI. *Si nunc eft tempus gratiæ, unde eft quod Chriftiani nunc prophetis evidentibufque miraculis carent, quibus Ifraël olim inclaruit?*

§. 1. DE duobus hic quæritur, 1. de Prophetia. 2. de miraculis.

Prophetia in Novo Teftamento abundat.

§. 2. Quod ad primum attinet, in tempore gratiæ *omnes difcipuli funt Dei,* h.e. tantùm verbis Spiritus fancti docentur & reguntur, Ef. 54:13. & quidem ita, ut *clavim cognitionis* à nullo homine aut cathedra aut nomine five auctoritate repetant; quum lex Dei fit in publico in ore & cogitatione omnium collocata. Jer. 31:33. quæ eft lex refipifcentiæ per fidem in Chriftum & charitatem & ftudium fanctificationis ac bonæ confcientiæ. Quæ lex neminem latet, quippe etiam hoftibus nota. Ideoque, qui credunt Euangelio, idque comparant cum Prophetiis, prophetant.

§. 3. Propterea, quum in Euangelio & in Prophetis antecedentibus contineantur etiam promiffiones de rebus futuris & de amplificatione regni Chrifti, rurfus etiam denunciationes judiciorum Dei & præmonitiones de eventuris fcandalis, quicunque eas Prophetias intelligunt, credunt, inculcant, etiam hoc modo prophetant.

§. 4. Qualis prophetia fuit olim inter Chriftianos vulgaris, Templum & Rempublicam Judæorum abolendam effe: quod etiam factum eft. Deinde, perfecutionem Romanorum aliquando ceffaturam, & tum Romanum imperium non manfurum; fed abolitum iri tyrannos: at rurfus Antichriftum tunc oriturum, & tempora peffima ante confummationem feculi fecutura. Atque id evenit. Sub Papatu fuit prophetia de Euangelii reftauratione. Ita evenit. Fuit prophetia deinde de imminentibus novis anguftiis. Evenerunt.

§. 5. Et funt, qui attendunt ad prophetiam & fpeculantur, quæ Deus facit, eaque ad verba Dei referunt, & Dei opera tanquam figna fequentium obfervant in patientia.

§. 6. Neque alia prophetia opus habet Ecclefia. Quid enim, fi nunc oriantur prophetæ, qui fe dicerent vidiffe vifiones aut audiviffe verba non ab hominibus prolata; & dicerent, Dominum hæc fibi dixiffe: quemadmodum Efaias aut Ezechiel fecerunt (& verò tales etiam exoriuntur) quid, inquam, aliud faceremus, quàm ut cogitaremus, nos vel tentari, vel faltem, ut fomnolentos, excitari ad fcrutandum Scripturas & ad animadvertendum opera Dei & ad concipiendum animo defiderium Regni Chrifti & falutis multorum & converfionis Judæorum, & ftudium charitate Chriftiana dignum ac omnem induftriam in Chrifti regno promovendo per verbum & bona exempla & patientiam, & fcandala de via tollenda; & ad ea vota noftra indefinenter coram Deo effundenda. Nam ii prophetæ vel idem dicerent cum illis, quæ legimus, vel aliquid dicerent fpecialiùs, quod vel ut bonum effet expectandum, vel ut malum fugiendum. Ea, fiquidem malum prænunciarent, timeremus, & ad normam verbi nos emendaremus, & ad patiendum meritas caftigationes animas compararemus. Si verò bonum prænunciarent, fi tale bonum etiam Scripturæ in idem tempus promitterent, id exfpectaremus; nofque compararemus, ut digni fimus, qui eo potiamur: fin autem Scriptura non faceret nobis fpem talis boni, eventum fpecularemur, ex eo judicaturi, an Deus effet illi Prophetæ locutus. nihil interim ageremus temere, fed intra officii limites nos contineremus. Quod neceffe fuit Ifraëlitas facere, quoties novi Prophetæ extiterunt.

§. 7. Sed &, quum per doctores populi clavis cognitionis fæpe occultaretur, neceffe fuit identidem Prophetas excitari, qui populum à perfuafione falfæ juftitiæ deducerent & ad μετάνοιαν voca-

vocarent. Nunc ea vocatio ad μετάνοιαν fit per verbum locupletissimum. Mosen, Prophetas tanto numero, Verba Christi & Apostolorum habemus, quorum chorum & quasi senatum, quoties libet, ingredimur & de regno Dei oracula pandentem audimus. Hæc non omnia audiverunt Israëlitæ per tempus expectationis Christi: &, quæ audiverunt, non simul audiverunt, nisi post Malachiæ tempora. Et, quum quoddam verbum audirent, ut Mosis, tamen tam obvium & facile ipsis non fuit id, quoties vellent, privatim consulere. Josiæ regi quædam, quæ ex Mose legebantur, nova accidebant. Ut liceat conjicere, vulgo non nisi frustula & fragmenta verborum Mosis in manibus hominum fuisse.

§. 8. Videant igitur Judæi, annon sit abundantior prophetia in Novo Testamento, quàm unquam in Veteri Testamento fuit; & tanta, quanta decet tempus gratiæ: dummodò non negligatur & contemnatur.

Miracula Novi Testamenti abundantissima.

§. 9. Quod verò attinet *miracula*, sufficiunt ea extraordinaria opera, quibus Christus & discipuli ejus debuerunt illustrari; & quibus Christus Salvator nobis debuit probari: quæ miracula sunt plura & majora omnibus, quæ facta sunt antea. Gloria Dei revelata est omni carni. Deus in medio deorum stetit & cum diis disceptavit. Deus visitavit filium hominis: & sic filius hominis minor factus diis ad tempus mox gloria & honore coronatus est, ut constitueretur dominus omnium, & omnia ponerentur sub pedibus ejus; quod paullatim fit, dum regnat inter hostes suos. Hierosolyma facta est solium gloriæ. Deus eam asseruit suam. Is, qui cœlum nubibus operit, tulit colaphos & sputum & cum defectoribus numeratus est. Qui fecerat cæcos videre, surdos audire, claudos ambulare, mortuos ex sepulchris prodire, mortuus est. Is resurrexit sua virtute, & templum Dei restauravit, in quo & in cœlum ascendit. unde spiritum suum in suos effudit. Hostem suum Paulum ministrum suum fecit. Virtute ex alto induit discipulos. Judæos, Romanos persecutores sustulit. Dedit electis suis fidem, qua vincerent omnia tormenta. Inimicos suos sibi mentiri coegit. Eosdem sibi mentientes punivit spiritu apostasiæ immisso. In omnibus tentationibus & furoribus Satanæ Verbum suum & Ecclesiam conservat. Mari tumultuante (h. e. mundi variis motibus excitatis) fluctus compescit, & gentes freno gyrante torquet. Es. 30: 28.

§. 10. Et nostra quoque sunt miracula vetera. Nam is, *quem Deus diligit* (in quem nos credimus) *fecit voluptatem suam in Babel, & brachium ejus fuerunt Chaldei.* Es. 48: 14. Is, qui in altum ascendit, eduxit populum ex Ægypto. Psalm. 68.

§. 11. De cætero Euangelium tam notum est, ut non amplius necesse sit homines novis miraculis excitari, ut id audiant, utque ei fama conciliettur in omni terra.

§. 12. Quinetiam Christus nos præmonuit, Pseudoprophetas extituros cum omni vi signorum. quibus vetuit fidem adhiberi. Et verò hoc etiam fit. Unde & Pseudoprophetarum miracula (sive fiant, sive fingantur) nomen quidem Christi illustrant (nam in nomine ejus fiunt, & ab ipso prædicta sunt) sed & fideles faciunt cautos & ad credendum hominibus timidos.

XLII. *Si arcam Dei in qua solum positæ erant tabulæ legis attrectans Aza veritus ne caderet, statim exanimatus concidit, qui ergo fit ut hostia quam Christiani pro ipsomet Deo ostentant, semel coram pontifice & alio rursus tempore rege Hispaniæ attrectata sit & pedibus conculcata ab Anglo, nec divina vincla eum apprehendit. Tum si hostia Deus est, cur situ obducta corrumpitur, cur à gliribus & muribus corroditur?*

Hæc quæstio Christianos non tangit.

XLIII. *Quomodo Christiani exponent & sensui suo accommodabunt 53. caput Esaiæ. nam verba illa* vir dolorum & in infirmitatibus excercitus, *in Christum illorum non quadrant, ut qui non legitur dolores aut infirmitates aliquas perpessus esse, præter eas quas mortis suæ tempore sustinuit. quomodo etiam explicabunt ista,* & mors ejus cum divitibus, *& quod sequitur,* propter populi mei rebellionem plaga & vulnus illis, *sicut habet verus Hebraicus textus?*

De eo responsum est superiùs ad Ref. 11.

CAPUT LIX.

De initio festorum dierum.

XLIV. *Cur Christiani festa sua celebrant initium facientes à diluculo, cum Deus in creatione ipsa tam apertè affirmet diem à vespera incipere, ut in unoquoque creationis die videre est?*

§. 1. Diei initium in prima creatione est mane, non vesper. Nam primus dies finitus fuit, quum alterum manè fieret. *Et factus est vesper*, h. e. lux præteriit, *& factum est mane*, h. e. nox præteriit: *dies unus.* Tum igitur, quando novum mane venit, prior dies absolutus censetur. Atque inde etiam in lege vespera, unde festum init, tamen dicitur vespera diei antecedentis festum. Veluti vespera Paschatis (quod est 15. Nisan) dicitur vespera diei decimi quarti. Id & aliis exemplis docere est.

§. 2. Sed præterea Christiani non distinguunt dies juxta legem. Id enim ipsis non licet. Sed in libertate Christiana tempora sumunt, quibus conveniant ædificationis ergo, tum ut una jejunent & orent & Dei virgas deprecentur, ac peccata sua confiteantur, tum ut Deo pro beneficiis gratias agant. Et ad hoc faciendum censent se obligari præcepto charitatis, & exemplo Dei tum operantis tum ordinem in populo Israëlitico instituentis. De cætero, qui Christiano animo sunt, unum perpetuum festum agunt.

CAPUT LX.

De menstruo.

XLV. *Quare menstruo se polluunt Christiani, cujus præcepti transgressio causa fuit eversionis Amorrhæorum, sicut Scriptura dicit in Levitico:* Ne ambulate juxta consuetudinem gentium quas ante faciem vestram expello. Hæ fecerunt hæc omnia, ideoque abominatus sum eas.

Quod

Quod fœdum & cum natura ac honestate pugnans est in concubitu cum menstruata, id Christianus sciens volens non facit. Legalem autem impuritatem, quam Israëlitæ victima & purificationibus legalibus expiabant, non agnoscunt. quia accusatio peccati & reatus per sanguinem Christi abolita est.

CAPUT. LXI.

De fundamentis fidei Christianæ.

XLVI. *Qui fit ut Christiani omnia fidei suæ fundamenta superstruant rebus impossibilibus, captum omnem exsuperantibus & rationi adversis, uti sunt unus & tres, Deus & homo, virgo & puerpera, panis & caro, vinum & sanguis, unum corpus in multis diversis locis uno eodemque temporis articulo.*

§. 1. Christiani non fundant religionem in rebus impossibilibus, sed veris & à Deo revelatis, quanquam homini incognitis.

§. 2. Unum Deum adorant, non tres Deos. Et, ut unum Deum adorent ac glorificent, credunt Deo testanti, Jehovam esse non tantùm conditorem & conservatorem omnium & legislatorem, sed etiam *justitiam Israelis*, idque in Filio, qui unum est cum ipso: atque adeò credunt, esse auctorem juris filiorum, quod datur ipsis.

§. 3. Causam verò hujus juris credunt esse sacrificium. Id autem consistere in obedientia & passionibus ac morte cum summa ignominia conjuncta. Ideò necesse fuisse Deum manifestari, clarum est.

§. 4. Neque id minùs possibile autumant, quàm mundum condi à Deo, & hominem ad imaginem ejus; vel etiam Deum loqui ad hominem.

§. 5. Et, quemadmodum unitati Dei non pugnat, habere Spiritum, ita persuasi sunt, non pugnare unitati Dei, habere Filium. Cæterùm, cui Scriptura divinam gloriam attribuit, eum esse unum cum Jehovah, firmiter tenent: ne gloriam Dei alienent.

§. 6. Virginem autem esse puerperam, non majus est, quàm hominem formari ex limo, vel mulierem ex latere hominis, aut etiam hominem ex semine humano concipi in utero. Quare enim non potest ex sanguinibus matris formari, per solam voluntatem Dei, quod occasione seminis virilis ex sanguinibus formatur per eandem potentiam:

§. 7. Quæ præterea adjicit Interrogator, non leguntur in Euangelio. Ideò de iis non respondemus.

EPILOGUS.

Ad has 46. quæstiones, duplum earum quæ mihi propositæ fuerant, peto ut curiosus hic quæsitor distinctè respondeat, cuilibet quæstioni suum subjiciens responsum, idque perspicuo & intelligibili sermone, ac tum ego bono ejus & subtili confisus ingenio quadruplo plures ei proponam quæstiones. Faxit Deus ut in diebus nostris tempus illud veniat, de quo dictum: Et homo non docebit proximum suum, nec vir fratrem suum, dicens, Nosce dominum. Nam omnes noscent me à maximo ad minimum, dicit dominus. Ego peccata eorum condonabo, & transgressionum eorum non recordabor amplius.

Epilogus Considerationis.

Omitto jactantias. Nec gloriabimur de nostris responsionibus. Judicium erit penes omnes, an satisfecerimus Interroganti, & quidem perspicuo atque intelligibili sermone. Voluimus id sanè. De industria nihil obscurè diximus. Tantùm ne putet Interrogator, id obscurum esse, quod requirit attentionem. Multi enim obscurum vocant, quod ut intelligant, eos oportet attendere, & in memoria retinere; atque etiam quædam, quæ non didicerunt, antè discere. Hæc autem putant se intelligere, quæ consueverunt audire; licèt ea non intelligant, neque etiam exponere ad intelligentiam & conscientiam possint. Sed, quicquid sit, nostrum tantùm fuit, cum Scripturis loqui, & Scripturas per Scripturas interpretari. Quod si rectè fecimus, & tamen non intelligimur, fortasse inde est, quòd putavimus verbis pluribus opus non esse apud lectores nostros: quippe sensus exercitatos in Scripturis habentes. Credo autem, evenire posse, ut non dubitaverim, lectores id statim percepturos, quod dixi; & in eo falsus sim. Quod si prævidere potuissem, sanè paratus fuissem omni conscientiæ satisfacere: & verò, quamdiu superstes sumus, parati sumus omnibus, qui alicubi hærent, pro viribus satisfacere, eò usque ut intelligant, nos Scripturæ soli docendi partes attribuere. Utinam verò Judæi intelligant, Propositum esse à Deo illum, in quo est remissio peccatorum, per quem credentibus gentium salus contingit: & non attendant ad dicta patrum suorum, sed velint fieri discipuli Dei, & ei gloriam dare. Quod si facerent, cessarent ipsorum tergiversationes & quæstiones; quibus putant se negocium facessere illis, qui salutem ipsorum desiderant; ne interim Verbum Dei scrutentur & Euangelio credant.

FINIS.

EXAMEN APOLOGIÆ EQUITIS POLONI.

Illustribus & Præpotentibus

DOMINIS,

Dominis Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ.

Illustres & Præpotentes Domini.

NOn tantum veritatis ea dignitas est, ut sermone celebretur (quid enim Dei sermo & opera aliud imperant, quàm ut homines, qui vident & audiunt, ea loquantur?) sed & fidei ea ingenuitas est, ut, quod quis credit, ad honorem Dei loquatur, & ad salutem proximi, quantum potest, demonstret: Mendacii autem proprium est, nec cogitari, multò minùs dici, certè quidem reprehensum obmutescere. Atqui contra evenit, ut vel, quia fides nostra tenuis est, de bono trepidemus loqui; vel, quia profectus in rebus & oraculis Dei non magnus est, metu ne non, ut oportet, loquamur, consilescamus: contra, mendacio & imperitia nihil sit loquacius, sive quòd, in quo alii, discere magis quàm docere parati, timent, stulti homines ad sapientiæ laudem pertinere putant loquendi temeritatem, sive quòd à veritate fodicati animi non quietem sed obfirmationem paralogismis, quibus se illudunt, & multiloquio, quo alios obtundunt, parare satagunt: putantes, si laqueos, quibus capti sunt, astringant, aut ineptos quos invenerint admiratores, aut simplices implicaverint, aut prudentes lassaverint, se sibi posse tutiùs credere. Nobis, Illustres & Præpotentes Domini, prima ad vos loquendi causa fuit vestra jussio: altera est, errantium garritus, quo non tam rationes Deputatorum à Synodis & nostras, sed, quæ à vobis approbata & statuta sunt, lancinant. Neque nunc, dum loquimur, obsequimur nostræ cupiditati, sed Ecclesiarum admonitioni. Vobis autem loquimur iterum, quia & Adversarius veritatis ad vos loquitur. Cujus & ora-

tionem totam retulimus, ut omnibus liceat, qui in meliore conſcientia loquantur, judicare. neque enim metuimus vim argumentorum ejus, ſed ex ipſius ore & veritatem adſtruimus, & mendacium coarguimus. Partim enim in eo eſt, ut ſuos immeritò accuſari conqueratur, qui idem nobiſcum loquantur, licèt non idem nobiſcum ſentiant; quæ ut veritatis confirmatio eſt, ita profeſſio fraudis: partim veras doctrinas, quas ex Scripturis didicimus, uſitatis & Eccleſiæ ſenſum promentibus verbis conceptas, ut non traditas in Scripturis, accuſat; in quo Scripturarum diſſimulatio & enervatio deprehenditur: in utroque autem cum ſuis comperitur extremæ audaciæ reus; quòd Eccleſiæ putant tutum vocabula tenere ſine ſenſibus, nihil dictitantes neceſſarium, niſi quod diſertis nullaſque ſtrophas patientibus verbis in Scriptura dictum ſit; (quod ad colluviem errantium in unum contrahendam comparatum eſt) & ſibi permittunt ſcripturam vellicare & torquere, Vetus etiam Teſtamentum corrigere, non, ut loquuntur, ex Euangelio, ſed ex ſuo *ſenſu*; quem *ſobrium* vocant. Atqui Eccleſia tuta non eſt vocabulorum recitatione, ſed fide; neceſſariumque eſt ſcrutari Scripturam, &, quæ ad conſcientiam demonſtrata ſunt, recipere; & Chriſtus ipſe, qui fundamentum eſt, futurus erat εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον *in ſignum controverſum*; & *juſtitiæ Dei*, in qua ſola ſalus eſt, cum *propria* confuſionem Judæi, & ipſi recitantes vocabula prophetarum, jam pridem graviſſima luerunt ira: Stilus autem corruptor Scribarum in prophetiis ipſis damnatus eſt. Enimverò, qui judicandus eſt Scripturas tenere, qui eas corrigit: aut partem ejus magnam, Prophetiam, cujus ſpiritus eſt teſtimonium Jeſu, negligit atque aſpernatur? Quas & inutiles faciunt, dum dictitant, eas non poſſe explicari niſi ab iis, qui ſpiritu prophetico, hoc eſt, ex ipſorum mente, nova revelatione ſine verbo, instructi ſint: quaſi non omnis ſcriptura per eundem ſpiritum, qui eas dedit, exponenda ſit. At illi, quum prophetica ab inſtitutione Chriſtiani hominis rejecerint, & de ſtilo ac ſermone ſacro protervè fuerint locuti, demum etiam permittunt ſibi definire, quid ſit Deus, &, qui ſe ipſi non intelligunt, de Deo, quem non viderunt, pronunciant; hoc eſt poſſibile, hoc eſt impoſſibile. Verbi cauſa, quod Deus primum facit fidei fundamentum; Tres ſunt unum, & Redemtor Eccleſiæ eſt Creator ejus, id illi, quia impoſſibile eſſe volunt, irrident: &, iis ſublatis, introducta falſi nominis juſtitia, in ea incurrunt, quæ ſunt rationi & apud conſcientiam & in Verbo Dei teſtatiſſima. Omnia autem illa eò collimant, ut, deletis iis, quæ in religione Chriſtiana inſunt, quæ Turcæ, & Judæi, & Pagani, omninoque animalis homo non recipit, ſed pro ſtultitia habet, cœtum conflent pro arbitrio philoſophantium ex omni errantium genere. Præter iſta hæc Apologia in duobus ſe præcipuè jactat. Primum eſt, quòd doctrina ſua ſit compoſita ad pietatem; noſtra autem non ſit pietatis nutricula. Alterum, quod Edictum Veſtrum conſcientiæ vim faciat. Quorum ut hoc apertiſſima calumnia eſt (neque enim Vos cuiquam fidem ſub pœna injungitis, aut ullum mentiri cogitis; ſed vetatis id fieri, quod malum eſt, quodque conſcientia vobis dictat in bona conſcientia fieri non poſſe) ita illud vetuſtis Judæorum de Chriſtiana religione querelis ſuccinit, & tum in orthodoxiam injurium eſt, tum in ipſis vana gloriatio eſt. quippe quum ipſorum doctrina de pietate & vera radice careat, &, quatenus recta præcipit officia, fortibus & efficacibus ſit deſtituta nervis; de cætero manca ſit, imò nec veram perfectionem doceat, nec peccatum, ut oportet, abominari & confiteri. Noſtra quidem ſententia eſt, nulla magis re Heterodoxiam iſtorum infamari poſſe, quàm talibus Apologiis, eaſdemque ad fideles confirmandum plurimum habere momenti. Neque Vobis hæc ego, cui à Collegis reverendis illa ſcribendi impoſita eſt provincia, offero, quaſi id vobis ambiguum

eſſe

esse suspicer, sed, quia ad vestrum tribunal adducti sumus. Operam verò dedi, ut & illis ipsis Adversariis nostris, & omnibus hominibus demonstrarem, neque à Vobis, neque à Nobilissima Hollandiæ Curia, neque à Synodis, neque à Professoribus, qui vobis super hac re responderunt, & partim ad beatos migrarunt, partim per Dei gratiam supersunt, & in eadem fide radicati stant, ea in re quicquam in rectam conscientiam esse admissum, aut quicquam factum, quod non conscientia, & timor Dei, atque amor nominis ipsius fieri flagitaret. Deum Opt. Maximum rogo, ut verbum ipsius etiam errantibus sit odor vitæ ad vitam, nobis autem & posteris nostris, Vobis feliciter rempublicam curantibus, tranquillè in omni pietate sub vestro tutamine vivere contingat. Scribebam Lugduni Batavorum d. 6. Junii A. D. 1656.

Illustr. & Præpotentum

DD. VV.

humillimus cultor

JOHANNES COCCEJUS.

Eerwaerde, Hoog-geleerde, vroome, discrete goede Vrunden,

WY senden U. Ed. hier nevens by Copie de Remonstrantie wegens de Gedeputeerden van de Noort-Hollantsche Synoden aan ons geaddresseert, houdende de selve doleantie over den aenwasch ende proceduren van de Sociniaensche Secte binnen dese Landen, ende insonderheyt over de Licentie van 't divulgeren ende debiteren der Sociniaensche Boecken ende geschriften binnen deselve Landen, ende is onse goede meyninge, ende begeerte, dat U. E. ons daer op sullen dienen van U. Ed. advijs, op dat wy het selve gesien vorder mogen disponeren soo als wy tot ruste van den Lande, ende naer de saecke gelegentheyt sullen vinden te behooren, ende sulx verwachtende,

Eerwaerde, Hoog-geleerde, vroome, discrete goede Vrunden, bevelen wy uwe Ed. de bescherminge Godes. Geschreven in den Haage den 16. Martii 1653.

Ter ordonnantie van de Staten.

HERB. van BEAUMONT.

Eerwaarde, Hooggeleerde, vroome, discrete goede Vrunden, de Professoren vande Theologische faculteyt inde Universiteyt tot Leyden.

Aen de Edele Groot-Mog: Heeren, mijn Heeren

de Staten van Holland en West-Friesland.

BEnevens de vervolginge der Tyrannen, ende verlokkingen des sondigen Werelts, waer tegen de Kercke Gods op aerden te strijden heeft, is geensints de minste, de samenkoppelinge der Ketteryen, die de suyverheyt der Leere verbastert, de Vreede stoort, ende tegen de Waere Religie conspirerende die na het herte steekt. Onder de Ketterijen zijn wel de meeste, die Gods eere roovende ende Ziel-verdervende dwalingen der Socinianen; geesten die de veroude dwalingen van Ebion, Cerintus, Samosatenus, Arrius, ende van dien grooten Gods-lasteraar Servetus, weder op graven, die de fundamenten des Christelijcken geloofs de Kercke ontrucken, de Heylige Dryeenigheyt, de Godtheyt des Soons, ende des H. Geests, de genoegdoeninge Christi, de toereeckeninge van Christi gerechtigheyt tot rechtveerdigmakinge, de kraeht des Geests inde weder-geboorte, de opstandinge der afgestorvene lichamen, ende hoope des eeuwigen levens, ja die de gantsche Christelijcke Religie om verre werpen, die gelijkse bestaet in wel te gelooven ende wel te leven, zy de voornaemste articulen des geloofs, te vooren gemelt, verwerpen, ende afdwalen van het objectum des waren diensts, de H. Dry-eenigheyt, die maer in schijn van een Godt, een ingebeelde Christus, ende inder daet een grouwelijken afgodt dienen, die de gront van ware vernederinge, de oorspronckelijcke ongerechtigheyt, de beste motijven tot ware Godtsaligheyt, de verdiensten Christi, ende bekeeringe door de werckinge des H. Geest, uytmonsteren, ende maken van de Godtsaligheyt maer een Heydensche zeden-konst, menschen, die gelijck zy van veel woorden zijn, ende liever een ander bestrijden als het haere verdedigen, ende benevens haer menschelijcke geleertheyt ende doortrapte archlistigheyt, stout ende hooveerdig zijn, wijs in haer eygen oogen, opgeswollen door waen van eygen gerechtigheyt, ende ingebeelde volmaecktheyt, ook vol sijn van lasteringen tegen Godt, sijn H. waerheyt, en menschen, die de Dry-eenigheyt voor een dry-hoofdig monster, ende een verçiersel van den Antichrist uytschelden, spotten mette vereeniginge der twee naturen in Christo, maken vande H. Doop een kinder-spel, ende van het H. Avontmael een krachteloose Ceremonie, die de belyders der waerheyt lasteren, als Atheisten, ende Antichristen, ende spreecken tegen haer een oordeel van verdoemenis, dat niemant, die de Godtheyt Christi belijt, kan salig worden; ja sijn selfs de O-

ver-

verheden van haer scherpe ende fenynige tongen niet vry. Zijn daerom niet waerdig te dragen den naem van Gods-dienstige, veel min van Christenen; als die Godt in sijn natuur ende eygenschappen, in sijn Heerlijke Dry-eenigheyt, en Christum in sijn Goddelijcke natuure ende ampt verwerpen, en wel te regt niet alleen van een groot Theologant halve Turcken, ende van een gaeuw Politicus haer dwalingen de slimste van alle Ketteryen genoemt werden, maer oock vande Theologische Faculteyt tot Leyden (door last van hare Ed. Hoog-Mog. gevisiteert zijnde de Boeken der Socinianen van Ostorodo en Voidovio in 't Lant gebracht) verklaert zijn, datse de Turcken naest komen, ende tegen de Godtheyt des Soons, ende des H. Geests, en de H. Dry-eenigheyt, sulcke Gods-lasterlijcke dwalingen voortbrengen, die sonder de grootste Godtloosheyt onder het volck niet konnen gestroyt, noch onder Christenen geleden werden. Dese lieden evenwel, Ed. Groot-Mog. Heeren, die te wenschen ware dat Italien in haer eerste uytbroeysel had gesmoort, ende Polen in haer opqueecksel het voortsetten had benomen, die verstouten haer in dese Vereenigde Nederlanden, ende bysonder in U Ed. Groot-Mog. Provintie over te komen, haer saet te saeyen, de gemoederen te ontrusten, de Kercke te scheuren, ende haer eenig aenhang te maken, tot groot nadeel van Gods eer, suyverheyt der waerheyt, ware Godtsaligheyt ende ruste der Kercken. De Kercke staet verlegen, de waerheyt, die als een suyvere maeght reyn moet bewaert werden, loopt perijckel van schendinge. Om dit voor te komen, waecken niet alleen de wachters in den Huyse des Heeren, om de lieden tegen dese dwalingen te waerschouwen ende te versterken, en de grootste Theologanten onder ons, de Heren Professoren, in alle Academien, hebben de penne bereyt, om met hare schriften dese dwalingen te wederleggen; maer dewyle de Kercke onder U Ed. Groot-Mog. bewaringe schuylt, als onder Voester-heeren ende trouwe Mombers, nemen wy onse toevlugt na U Ed. Groot-Mog. met versoek, dat U Ed. Groot-Mog. dese Vossen, die de Wijnbergen verderven, willen tegen gaen, deselve intoomen, ende de Kercke van het perijckel van verleydinge bevrijden. Hoe het Rakociaensche Huys in Transylvania tegen dese dwaelgeesten geyvert heeft, wat anno 1638. ende 1647. in Polen te Rakouw tegen haer is gedaen, hoe zy uyt Polen sijn verdreven, en haer Biblioteecq verstrooyt, haer vergaderinge gestoort, Tempel, School, Druckery haer benomen is, om datse een Boek onder de Pers hadden, met desen Titul, *Tormentum throno Trinitatem deturbans*, leyt noch in verscher memorie, ja selfs hare Ed. Hoog-Mog. hebben inden Jaere 1598. tegen Ostorodum ende Voidovium, ende hare ingebrachte Boecken seer geyvert, wiens persoonen te Lande uytgesecht, en de Boeken met vier verbrant zijn, gelijk blijkt uyt haer sententie van den 3. September 1598. ende noch onlanks 1639. op de Remonstrantie van den Heer Boswel, Resident des Koninckklijcke Majesteyt van Engelant, aen hare Ed. Hoog-Mog. over de komste van eenige Socinianen uyt Polen, trouwe waerschouwinge aen alle Provintien gedaen is, met aenmaninge van goede resolutien tot stuytinge van dit quaet te willen nemen, en, behalven dat particuliere Steden in Hollant, als Leyden, Amsterdam, Rotterdam, sulcke Boecken hebben opgesocht, in bewaringe gehouden, ja met vuur verbrant; Soo is, dat in den Jare 1640. in de Synode van Amsterdam dese Resolutie by hare Ed. Groot-Mog. genomen, is bekent gemaekt, Roerende het weeren van de Socinianen, ende haer Boecken is verstaen, dat nader kennisse ende openinge gedaen zijnde aen hare Ed. Groot-Mog. dat eenige Socinianen, ende Sociniaensche Boecken sich in dese Provintie soude mogen vertoonen, dat de selfde als dan prompte ordre, soo tegen de selve, als der selver Boecken sullen stellen, na exigentie van saken, ende na voorgaende goet advijs, door hare Ed. Groot-Mog. den 12. Julii 1651. ingebracht, is van hare Ed. Hoog-Mog. de Heeren Staten Generael, op de groote Zale den 17. Julii 1651. geresolveert, dat niet alleen de stoutigheden ende insolentie der Sectarissen, na behooren sullen gereformeert werden, maer ook behoorlijcke Placcaten tegen alle grove sonden, argerlijcke Boecken, ende Sociniaensche schriften, ende anders, te doen emaneren, en verkondigen. Het is nu, Ed. Groot-Mog. meer als openbaer, dat Socinianen ende Sociniaens-gesinde den wijnberg des Heeren onder ons door-kruypen, om met haer schadelijck vergift die te infecteren. Want, behalven datse schuylen onder andere Secten, Soo ist, datse op wagens en in schuyten, in de Steden ende ten platten Lande, by na in alle Provintien, insonderheyt in Hollant, Vrieslant, ende Groeningerlant, seer omloopen; om haer geloofgenoten te maken. Ja hebben alreede haer afgesonderde vergaderinge, daer in sy haer schadelijke leer-poincten onder alle soorten van menschen soecken voort te setten; en als haer Oogst (die na het schrijven van haer Sartorius Anno 1638. in dese Landen groot was) sal rijp geworden zijn, wie weet wat droevige scheure zy onder ons sullen maken, tot groote onrust van het Vaderlant, afbreuck van Gods Kercke, ende veeler menschen eeuwige onheyl. En benevens dit brengen sy veel van haer Sociniaensche Boecken in ons Vaderlant, als verscheyden Tractaten van Socinus, Dudithius, Smalcius, Moscorovius, Ostorodus, Volckelius, Crellius, Stegmannus, Slichtingius, ende meer andere, die te bekomen zijn in 't Italiaens, Hoogduyts, Pools, ende Latijn. Ende, of dit noch niet genoeg ware, soo worden veele van haer voornaemste schrijvers overgeset in de Nederduytsche tale,

le, en sijn Ostorodi institutien van de Christelijcke Religie, de Racousche Catechismus, kort begrijp van de leere der Socinianen, van de stant der doden, ende straf van de verdoemde, Socinus van de Authoriteyt der H. Schrift, sijn Theologische lessen, Toetsteen van de Kercke, en over het 7. Cap. tot de Romeynen, Smalcius van de Goddelijkheyt Christi, sijn 10. Predicatien over het eerste Cap. Johannis, Slichtingi Confessie, Crellii, of (gelijkse, om den naem te verderven, de letters versetten) Cirelli Seden-konst, ende meer andere: eyndelijck Crellius van Godt ende sijn eygenschappen, ende Volkelii vijf Boecken van de Ware Religie, ende om den yver van Godtsdienstige, ende voor Godts eere yverende richters ten toon te stellen, ende verkeerde menschen te meer te locken, hebben op het Titul-blat doen stellen, in Hollant, by Schepen Vonnisse gedoemt, openbaerlijck geëxecuteert, ende met vuur verbrant, Anno 1642. in Januario. Welcke alle by verscheyden Boekverkoopers of gedrukt of verkocht werden, die onder den gemeenen man gestrooyt ende gedistraheert werden, tot groote oneere Godts, schade van Godts Kercke, ende kleynachtinge, ja verachtinge van U Ed. Groot-Mog. Authoriteyt. Ed. Groot-Mog. voor niemant staet de Kercke meer te vreesen, ende van niemant meer schade te verwachten, als dese, om datse benevens haer loosheyt ende schijn van Godtsaligheyt, daer door de oogen verblint werden, een leere toestellen, die boven de natuur en reden niet en gaet, en wel licht den mensch sal toelagchen; te meer, dewijle de Inwoonders van ons Vaderlant vry wat tot nieuwigheyt in Religie genegen zijn. Derhalven versoecken gedienstelijck U Ed. Groot-Mog. dienaren, de Gedeputeerde des Zuydt- ende Noordt-Hollandtsche Synodi, uyt den naem der selver, dat doch in tijts dit quaet werde tegengegaen, dat tegen haer persoonen ordre mach gestelt werden, dat haer conventiculen en Boecken verboden, dat de Perssen ende Druckerijen met die vuyligheyt niet besmet, en dat de Winckels van sulck een schadelijcke koopmanschap gesuyvert werde. Wy vertrouwen, dat U Ed. Groot-Mog. dien wy weten niet meer ter herten te gaen als de eere Godts, ende welstant van sijn Kercke, de voorgenomen resolutie eenmael sullen in 't werck stellen, en dit groot quaet weeren. dit doende, &c.

Ende was onderteeckent

JOHANNES SPILJARDUS,

THEODORUS LEEWIUS,

VOLCKERUS AB OOSTERWYCK,

ABRAHAMUS à DORESLAER,

HENRICUS RULÆUS.

Edele,

Edele, Grootmogende Heeren,

WY hebben met reverentie ontfangen U E. G. M Missive, gedateert den 11. Martii, waer by U E. G. M. ons communiceeren Copie van de Remonstrantie wegens de Gedeputeerde van de Zuydt-ende Noordt-Hollandtsche Synoden U E. G. M. geaddresseert, inhoudende doleantie over den aenwas ende de proceduren van de Sociniaensche Secte binnen dese Landen, ende insonderheyt over de licentie van het divulgeren ende debiteren der Sociniaensche Boecken; ende daer nevens begeeren, dat wy U E. G. M. daer op sullen dienen van advijs, het welcke niet konnende weygeren aen onse van Godt verleende, ende voor den welstandt der Kercken ende des Landts getrouwelijck sorge dragende Overigheyt, hebben wy de sake in Godts vreese overwoogen, ende geoordeelt, dat U E. G. M. groote redenen hebben, om nae alle mogelijckheyt te waken, ende toe te sien, dat de Leere van Socinus niet gestrooyt ende voortgeplant en werde. Want daer niet schadelijcker ende schrickelijcker ter werelt kan bedacht werden als dese Ketterye. Met de Joden, die den Heere Christum om het belijden van de contrarie waerheyt gedoot hebben, loochenen sy de Godtheyt Christi, ende de Persoon des H. Geestes; de verlossinge, door de welrieckende offerhande Christi, om welcke ons Godt de sonde niet toe en rekent; het Priesterlijcke Ampt Christi, de ware gerechtigheyt, dewelcke in Godes gerichte alleen bestaen kan: en stellen de rechtvaerdigheyt met de selvigen in haer eygen doen; verydelende de Wet. ende daer mede nemen sy wegh de openbaringe der Heyligheyt Godts, in de Wet ende de conscientie geopenbaert, ende den yver, welcken Godt heeft tegens de sonde (waerom hy hem selven oock noemt eenen yverigen Godt, die de sonde straft, ende geensins sonder wrake laet voor-by gaen) de kennisse der sonden, de vreese Godes, ende de toevlucht tot Godes genade: versierende, dat Godt den ongerechtigen gerecht oordeele uyt eenigh doen, het welcke hy nae sijn welbehagen den mensche op-leght; het welcke eene lasteringe Godts is, ende de substantie van 't Jodendom, Pausdom, Heydendom, ende aller valsche Religien: want Godt kan hem selven niet verloochenen ende geene andere gerechtigheydt voor goet kennen, als alleene die, die na de Wet is, waer inne het beeldt Godts uytgedruckt werdt. Sy verloochenen het evenbeeldt Godts, ende seggen, dat de mensche van Godt gemaeckt is sonder natuerlijcke kennisse Godts ende des rechts, geinclineert tot dat, dat de mensche hem achtet goet te zijn. ende soo seggen sy in der daedt, dat Godt den mensche onwijs ende boos gemaeckt heeft. Sy stellen de oorsaecke van het goede te doen met de Pelagianen in de vryheyt des menschen: sluyten de genade der wedergeboorte ende der heylighmakinge uyt. nemen alsoo wech het gebedt ende de danck-segginge. Sy lochenen Godts voorsienigheyt, eeuwigen raedt, ende besluyt, ende de wetenschap der toekomende dingen. Sy willen, datmen den Heere Jesum als een bloot mensche adoreeren sal, met de Papisten ende Heydenen Creaturen vereerende. Sy seggen, men mach de Heere Jesum wel aenroepen, wanneer men wil; als of wy hem niet van doen en hadden, ende niet noodigh en ware van hem yets te bidden, ofte mogelijck ware tot den Vader sonder den Soon te komen. Dus nemen sy wech het geloove, ende alsoo oock de liefde, de welcke alleen uyt het geloove voorkomt, ende met eenen de hoope; dewelcke by haer niet meer en is als een vermoeden, dat sy mogelijck konnen saligh werden, ofte eene vermetelheyt van te hebben gedaen, watter ge-eyscht werdt. Sy loochenen, dat alle ware boetveerdige saligh werden. Met de Sadduceen loochenen sy het leven van de Ziele na de doot des lichaems, ende de opstandinge der Godtloosen. Is derhalven te recht geseyt, dat hare Leere ten naesten de Turckse Leere is, (het welcke sy selfs niet konnen loochenen, die staende houden, dat de Leere van Christi Persoon eene verhinderinge is van de bekeeringe der Joden ende Turcken) ende verschilt ofte niet ofte weynigh van het Heydendom; eene Leere uyt veele dwalingen t'samen gesmolten; een exstirpatie van het Christen geloove. Daer by komt, dat sy de Magistraten niet konnen beminnen, niet voor Christenen houdende dewelcke het sweert nae Godts woordt gebruycken. Sy zijn stout om de Schrifture, gelijck een wassche Neuse, te verdrayen ende te ontsenuwen, jae onder het voor-oordeel van haer verstandt te leggen; arglistigh de slechte ende eenvoudige te verwickelen ende te verstricken: waeromme dese Secte te periculeuser is. Wy hebben hier-nessens betracht de oordeelen, dewelcke Godt heeft laten gaen over die, die van alle tijden sich met dese ydele Leeringen van de alliantie Godes hebben afgesondert, te weten de Israëliten in de gevanckenisse van Assyrien, ende Babel, ende ten laesten de destructie der Joden door de Romeynen, het vervallen van de Kercken ende Koninckrijcken in Orient, de exstirpatie van de Arriaensche volckeren ende Koningen; het overgeven van de Christenheyt in de handen van de Sarracenen ende Turcken, ende des Paus, dewelcke in Occident ende Orient tegen malkanderen opgewassen zijn. Daer uyt men, regard genomen hebbende op het voorsz. Woordt Godes, oogen-schijnelijck sien kan, hoe dat Godt de ongelovigheyt aen Christum, als den eeuwigen Soon Godes, ende het vertrouwen op sijn eygen doen ende de kracht van sijn eygen wille, gestraft heeft met het overgeven in alle godtloosheydt ende grouwelijcke verwoestinge, ende een hart jock, waer door by na de gantsche Wereldt in duysternisse geleydt is. Konnen derhalven niet anders gelooven, als dat het inkruypen ende toenemen der Socinianen niet anders en soude zijn, als een sware Geestelijcke straffe over de onbekeerlijckheydt ende ondanckbaerheydt van dese Landen, welcken Godt de eere heeft aen gedaen, dat sy het Euangelium gehoort hebben, ende vele haer bloedt daerom vergooten ende groote swarigheden geleden hebben; dat sy van het jock des Paus ende des Konincks van Spangien tot verwonderinge van de gantsche Werelt verlost, met Victorien ende Rijckdommen gesegent zijn: waer van men, Godt betert, weynich vruchten tot voortbreydinge der Godtsaligheyt siet voort-komen. Nu achten wy ongetwijffelt te zijn, datter veel Socinianen in-sluypen; 't welck de vermenighvuldinge, het Oversetten, Drucken, ende Verkoopen der Sociniaensche Boecken, daer van de Gedeputeerde der Synoden doleeren, de Winckels niet onbekent zijnde, genoeghsaem betuygen. Wat het vergaderen van dese lieden aengaet; gelooven dat de Gedeputeerde der Synoden genoeghsaem daer van bericht zijn. Niet te min is bekent, dat sy tot alle tijden gesocht hebben by de Gereformeerde aengenomen te werden, ende staet haer soo wel by de Remonstranten als Menisten de deure open. Want boven dat de Remonstranten vele Leeringen met haer gemeen hebben,

soo

foo gevoelen hare Leeraren , als Episcopius Institutionum Theolog. lib. 4. Sect. 2. Cap. 34. dat het niet præciselijck nodigh is te gelooven , dat Christus de eeuwige Soone Godes is ; ende Prævostius wil, dat in de Kercke een generaliteyt van Leeringe zy, dewelcke van alle , die de Schrifture voor Gods Woort kennen, konnen verdragen werden: gelijck te sien is uyt de Præfatie van Curcellæus voor de Opera van Episcopius gestelt pag. penult. & ult. Waer uyt genoeghsaem blijckt, dat wel te gelooven staet, 't welcke van sommige Remonstrante Ministers by geloofwaerdige luyden geseyt wert, professie van Socini Leere te doen, ende dat by het inkomen der Socinianen de tot noch toe geblint-hockte Gemeente der Remonstranten in perijckel sal komen van gantschelijck af te vallen , ende niet te konnen geneesbaer werden. Aengesien nu Godt te desen tijde genoeghsaem schijnt de bedeckte ende onbekende sonde van desen Lande voor het licht sijnes aenschijns te stellen, soo ist wel noodigh, datmen omsie, ende ten minsten niet toe en late, dat de ingesetene van dien (in 't gemeene sorgeloos genoegh zijnde in 't stuck van ondersoeck der waerheyt) noch daer en boven met sulck een Zielen-gift aengesteecken werden; ende dat de Regeerders van dien door Connieventie van het inkomen van die geene, die soo schadelijcken Leere mede-brengen, ende tot het publijcke divulgeren van de selve Leer in schriften ofte predikingen , schuldigh ende deelachtigh gemaeckt werden aen sulcke lasteringen, ende het Landt, het welcke als een Herberge van de Kercke tot noch toe gestaen heeft, niet werde vervreemdt of stinckende gemaeckt , ende met een van het Woort Godes en andere zegen berooft, uyt de gemisbruyckte vryheyt in verdruckinge der conscientie ende slavernye des lichaems gebracht. Wenschen derhalven van herten, dat Godt U E. G. M. gelieve te geven een oprechten yver , niet alleen voor den tijdtlijcken welstant, maer oock voor de saligheyt Uwer Onderdanen ende voor de eere Gods, die het kostelijcke Juweel der Euangelische waerheyt alhier geplant heeft ; ende een wijsen Raedt tot weeringe van alle lasteringen, ende aboleeringe van soo schadelijcke Boecken: vertrouwende, dat die geene, die in rechtveerdigheyt wandelt , ende billickheyt spreeckt , die het gewin der onderdruckinge verwerpt, die sijne handen uyt schuddet datse geen geschencken behouden, die sijne ooren stopt, datse geen bloedt-schulden en hooren, ende die sijne oogen toe-sluyt dat hy het quade niet aen en siet , die sal in de hooghte woonen, de stercktе der steenrotzen sullen sijn hoogh vertreck zijn, sijn broodt werdt hem gegeven, sijn wateren zijn gewis. Sulcks met gantscher herten biddende ende verhoopende van den Almachtigen , Edele Groot-Mogende Heeren, beveelen wy U E. G. M. in de bescherminge Godts,

U E. G. M.

Onderdanige Dienaren

JACOBUS TRIGLANDIUS.

ABRAHAMUS HEIDANUS.

JOHANNES COCCEJUS.

Leyden den 3. *Aprilis*
Anno 1653.

Edele, Groot-Mogende Heeren,
de Heeren Staten van Hollandt
ende West-Vrieslandt.

P L A C-

PLACCAET.

DE Staten van Hollandt ende West-Frieslandt, Allen den geenen die desen jegenwoordigen sullen sien, ofte hooren leesen, Saluyt. Alsoo t'onser kennisse gekomen is, dat de Sociniaensche Secte dagelijcks meer ende meer is toenemende: Ende dat de Fauteurs ende Aenhangers der selver, tot verbreydinge van hare dwalingen, albereyts hebben begonnen op verscheyde plaetsen te houden haer t'samenrottingen, ende by-een-komsten, daer door sy niet alleen haer pernitieuse, ende Ziel-verdervende leerpoincten onder alle soorten van menschen spargeren, ende voortsetten; maer hebben oock onderwonden hier te Lande in te brengen, ende door den Druck gemeen te maken veele van hare Sociniaensche Schriften ende Boecken, alle vol van lasteringe tegens Godt, ende zijne eygenschappen, oock tegens de Godtheydt, en de voldoeninge Christi, ende de H. Dry-vuldigheyt: Mitsgaders tegen de fondamentele gronden, ende Hooft poincten van de ware Christelijcke Religie, niet tegenstaende veele derselver voor desen by ordre van regieringe, naer voorgaende visitatie ende examinatie door de Theologische Faculteyten deser Landen opgesocht, in bewaringe gehouden, ende verbrant zijn. Werdende daer door niet alleen den name Godts seer grouwelijcken onteert ende gelastert, maer de gemoederen van veele onser Ingesetenen ontrust, ende de Kercken geschapen, gebracht te werden tot scheuringe ende verwerringe. *Soo ist*, dat wy achtervolgende onsen plicht, ende naer het losselijk exempel van veele Christen Potentaten ende Overheden, niet meerder ter herten nemende, als de eere van Godts H. Naem, ende welstant van Christi Kercke, tot voorkominge van alle scheuringe ende vorder verwerringe, soo inde Kercke als inde Politie: Hier op gehadt hebbende 't advijs van de eerste, ende andere Raden van den Hove van Hollandt, interdiceeren eenen jegelijcken van wat staet ofte conditie hy zy, eenige van de voortsz. Sociniaensche dwalinge hier te Lande in te voeren, ofte gemeen te maken, ofte daer toe by-een-komsten ofte t'samen-rottingen te houden, op pene, dat die geene, die 't selve soude mogen gedaen hebben, als een lasteraer van Godes H. Naem, ende Perturbateur van de gemeene ruste, voor d'eerste mael uyt den Lande gebannen, ende voor de tweede reyse arbitralicken naer exigentie van saecken sal werden gestraft ende gecorrigeert. Verbiedende voorts wel expresselijck alle Boek-drukkers en Boek-verkoopers, eenige Sociniaensche Boecken, als Gods-lasterlijk ende pernicieus, in wat tale het ook soude mogen zijn, hier te Lande te doen drucken, ofte elders gedrukt herwaerts over te brengen ofte te verkoopen, op pene, dat de geene die eenige exemplaren van de selve gedruckt, ofte verkocht sal hebben, den Drucker voor de eerste male verbeuren sal boven de opsegginge van zijne Neeringe, een boete van 3000, ende den Verkooper een boete van 1000 guldens, te appliceeren d'eene helft ten behoeve van den Officier, ende d'ander helft ten behoeve van den Armen, ende voor de tweede reyse uyt den Lande gebannen sullen worden. Ordonnerende mede, dat alle Druckers ende Boek-verkoopers binnen 3 dagen naer de publicatie van desen alle gedrukte ofte geschreven exemplaren van soodanige boecken sullen hebben over te brengen in handen van de Magistraet van de plaetse haerder residentie, omme aldaer gesupprimeert ende bewaert te worden. Ende op dat deselve te beter souden werden achterhaelt, sullen alle Boeck drukkers ende Boeck-verkoopers, die verdacht souden mogen zijn van eenige der selver exemplaren achter te houden, gehouden zijn ter manisse van de Magistraet harer residentie, haer met Eede te expurgeren, gene van deselve onder haer, ofte verburgen te hebben, op pene by weygeringe van het doen van den voorsz. Eed, te verbeuren voor d'eerste mael een boete van 100 guldens, ende voor de tweede reyse met opsegginge ende verbodt van Neeringe, naer gelegentheyt ende exigentie van saecken gecorrigeert te werden. Gebieden daeromme de Præsidenten ende Raden van den Hoogen Rade, ende van den Hove van Hollant, den Procureur Generael, mitsgaders allen anderen Officieren ende Justicieren binnen onsen Lande van Hollandt ende West-Frieslandt respectivelijk, dat sy desen alomme doen publiceeren ende affigeren, daer het selve behoort, ende te geschieden gebruyckelijk is, op dat niemant daer van ignorantie en pretendere, ende alle ende een jegelijk weten mogen waer naer hem te reguleren, ook den inhoud van dien in allen deelen punctuelijk naer te komen ende observeren, ook doen naer-komen en observeren, want wy sulcks ten dienste ende voor den welstant van den Lande alsoo bevinden te behooren. Gegeven in den Hage, onder onsen grooten Zegel, hier op gedrukt den negentienden September, in den Jare onses Heeren ende Zaligmakers sestien-hondert drie-en-vijftig.

Ter Ordonnantie van de Staten

HERB. van BEAUMONT.

Reverendi, doctissimi, pii, prudentes, boni amici.

Mittimus N. V. hisce junctum exemplum Libelli nomine Deputatorum Synodi Australis & Borealis Hollandiæ nobis exhibiti: qui continet querelam de incremento & processione Sectæ Socinianæ in hisce terris, & nominatim de licentia divulgandi & divendendi libros Socinianos ac scripta in iisdem terris. Igitur nostra bona voluntas est, & postulatio, ut N. V. de ea re nobis suam aperiant sententiam: ut, ea cognita, porrò disponamus, quemadmodum ad pacem provinciæ pro re nata opus esse judicabimus. quod expectantes,

Reverendi, doctissimi, pii, prudentes, boni amici,

Commendamus N. V. divinæ protectioni. Scriptum Hagæ d. 11. Martii 1653.

Jussu Ordinum

HERB. van BEAUMONT.

Reverendis, doctissimis, piis, prudentibus, bonis Amicis, Professoribus facultatis Theologicæ in Universitate, quæ est Leidæ.

Nobilibus, Præpotentibus

D O M I N I S,

Dominis Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ.

Præter persecutionem Tyrannorum & illecebras mundi peccatis inquinati, cum quibus Ecclesiæ Dei in terris dimicandum est, neutiquam minima est complicatio hæresium, quæ puritatem doctrinæ corrumpit, pacem turbat, & adversus veram religionem conspirans ejus jugulum petit. Inter hæreses primas ferè sibi vendicant sacrilegi & animæ exitiabiles errores Socinianorum; hominum, qui rancidas Ebionis, Cerinthi, Samosateni, Arii, & magni illius blasphematoris Serveti opiniones refodiunt, fundamenta Christianæ religionis Ecclesiæ subducunt, sanctam Trium-unitatem, deitatem Filii & Spiritus sancti, satisfactionem Christi, imputationem justitiæ Christi ad justificationem, virtutem Spiritus sancti in regeneratione, resurrectionem mortuorum corporum, & spem vitæ æternæ: quinimo totam religionem Christianam, quæ in bene credendo & bene vivendo consistit, evertunt, dum præcipuos fidei articulos, modo dictos, rejiciunt, & ab objecto veri cultus, Tribus, qui unum sunt, aberrant; qui tantum simulacro unius Dei, imaginario Christo, & in rei veritate abominando idolo serviunt: qui radicem veræ humilitatis, originalem injustitiam; maxima motiva ad veram pietatem merita Christi, & conversionem per operationem Spiritus sancti reprobant, & de pietate tantummodo faciunt gentilem Ethicam. homi-

minum, qui ut multiloqui sunt, libentius alios oppugnant quàm sua defendunt, &, cum humanâ eruditione ac non vulgari calliditate, audaces & superbi sunt, sapientes in oculis suis, turgidi opinione propriæ justitiæ & præsumtione suæ perfectionis, ita etiam pleni sunt blasphemiarum in Deum & sacrosanctam veritatem. hominum, qui Triadem monstrum triceps & figmentum Antichristi vocant, irrident unionem duarum naturarum in Christo, ex sacro Baptismo ludicrum puerile, & ex sacra Cœna ceremoniam inefficacem faciunt. qui confessores veritatis pro Atheis & Antichristis traducunt, & contra eos pronunciant judicium damnationis, quod nemo, qui Deitatem Christi confitetur, salvus fieri possit. quorum nec ipsi magistratus linguam acrem & venenatam effugiunt. Quare indigni sunt, qui nomen piorum, nedum Christianorum, ferant; quippe qui Deum in natura sua & proprietatibus, in gloriosissima Triade, & Christum in divina sua natura & officio rejiciant: & bono jure non tantum à magno Theologo ipsi Semi-Turcæ, & sagaci politico errores habere pessimos inter omnes hæreses dicuntur; sed quos & Facultas Theologica, quæ est Leidæ (quum jussu Celsissimorum Ordinum Generalium libros Socinianos, ab Ostorodo & Voidovio in provincias illatos, visitasset) declaravit, ad Turcas proximè accedere, & adversus Deitatem Filii & Spiritus sancti & S. Triadem tam blasphemos errores procudere, qui absque maxima impietate in populum spargi, & inter Christianos tolerari non possint. Hi tamen homines, Nobiles & Præpotentes Domini, quos optandum fuerat vel Italiam in primo ortu suffocasse, vel Poloniam ad crescendum non fovisse, audent in federatum Belgium, & præcipuè in Vestram Provinciam venire, ut sementem faciant, animos inquietent, Ecclesiam scindant, & sectatores sibi adjungant, ad diminutionem gloriæ Dei, puræ veritatis, veræ pietatis & quietis Ecclesiæ. Ecclesia angitur, Veritas, quæ castæ virginis instar pura conservanda est, periclitatur de adulterio. Id ne fiat, non tantùm vigilant Excubitores in domo Domini, ut quosvis contra hosce errores muniant monelis suis, & primi Theologorum inter nos, D D. Professores in omnibus Academiis calamum exercent in iis refutandis: Sed, quia Ecclesia sub Vestra, N. & Præpotentes Domini, tanquam nutritiorum & Tutorum protectione suffugium habet, ad Illustres VV. DD. accedimus, petentes, ut vulpibus his, qui vineam corrumpere student, resistatis, easque frenetis, & Ecclesiam à seductionis periculo liberetis. Quemadmodum Rakociana domus in Transsylvania adversus hos errorum seminatores zelaverit; quid anno 1638. & 1647. in Polonia contra ipsos actum sit, quomodo ex Polonia sint ejecti, & ipsorum bibliotheca dispersa, ipsorum cœtus disjectus, templum, schola, typographeum, ipsis ademta, quod librum sub prælo haberent hac inscriptione, Tormentum throno Trinitatem deturbans, *in recenti memoria est. Imo ipsi Celsissimi Ordines Generales Anno 1598. adversus Ostorodum & Voidovium & libros illatos ab ipsis valde zelarunt. quippe homines ipsi Belgio exire jussi, & ipsorum libri publicè cremati. quod constat ex sententia in ipsos pronunciata 3. Sept. 1598. Nuper etiam ad suggestionem Domini Bothwelli Regiæ Majestatis M. Britanniæ legati ad Celsiss. Ordines Anno 1639. fideliter omnes Provinciæ monitæ sunt de adventu Socinianorum quorundam ex Polonia, addita exhortatione, ut seriis decretis isti malo obviam iretur. &, præterquam quod Civitates quædam in Hollandia, ut Leida, Amsterodamum, & Roterodamum, tales libros requisiverunt, asservarunt, imo cremarunt, Anno 1640. Synodo Amsterodamensi hoc decretum Illustrium & Præpotentum Ordinum intimatum est: Quod attinet Socinianorum exclusionem & librorum ejus Sectæ, scitum est, si accuratiùs Illustres Ordines doceantur, Socinianos aut libros ipsorum in hac provincia apparere, ipsos tunc promtè adversus ipsos & ipsorum libros, pro ut res exegerit, statuturos: atque etiam, præeunte suffragio Suarum Illustrium DD. die 12. April 1651. lato, à Celsissimis DD. Ordinibus Generalibus in magna Aula die 17. Julii 1651. decretum est, ut non tantùm protervia & insolentia Sectariorum, ut oportet, corrigatur, sed & idonea Edicta adversus omnia gravia peccata, scandalosos libros, & scripta Sociniana, & similia, publicentur & proponantur. Est autem plus quàm manifestum, Illustres & Præpotentes Domini, Socinianos & fautores eorum vineam Domini inter nos perrepere, quò eam veneno suo inficiant. Nam, præterquàm quòd sub nomine aliarum sectarum lateant, etiam in curribus & navibus, in civitatibus & agris, ferè in omnibus provinciis, præsertim in Hollandia, Frisia, & Groningano agro, multùm vagantur, ut faciant consortes fidei suæ. quin jam habent suos cœtus separatim, in quibus perniciosa sua dogmata per omne genus hominum student propagare; &, quum seges ipsorum (quæ, ut Sartorius Anno 1638. scribebat, in his terris magna erat) maturuerit; quis scit, quàm tristes scissuras inter nos facturi sint, ad magnam patriæ perturbationem, detrimentum Ecclesiæ Dei, & multorum hominum æternum exitium? Adhuc multos libros Socinianos in patriam nostram important: nempe diversos tractatus Socini, Dudithii, Smalcii, Moscorovii, Ostorodi, Volkelii, Crellii, Stegmanni, Schlichtingii, & plurium aliorum, qui haberi possunt in lingua Italica, Teutonica, Polonica, Latina, &, quasi id non satis esset, multi præcipui scriptores ipsorum in Belgicam linguam transferuntur: puta, Ostorodi Institutiones Christianæ Religionis, Racoviensis Catechesis, Epitome doctrinæ Socinianæ de statu mortuorum, & pœna damnatorum, Socinus de authoritate S. Scripturæ, ejusdem Lectiones Theologicæ, Lapis Lydius Ecclesiæ, & de*

de VII. *capite epistolæ ad Romanos, Smalcius de divinitate Christi, ejusdem* X. *conciones de primo capite Johannis, Schlichtingii Confessio, Crellii (aut, occultandi nominis causa transpositis literis) Cirelli Ethica, & plures alii. denique, Crellius de Deo & ejus attributis, & Volckelii quinque libri de vera religione: &, ad irridendum zelum piorum judicum pro Deo, perversosque homines eò magis alliciendum, in frontispicio posuerunt, in Hollandia sententia Scabinorum eum librum damnatum, & publicè combustum esse Anno* 1642. *mense Januario. Hi omnes libri apud diversos bibliopolas vel excusi vel venales sunt, & inter vulgus disseminantur & distrahuntur ad contumeliam Dei, fraudem Ecclesiæ ipsius, vilipendium & contemtum auctoritatis Vestræ. Illustres & Præpotentes Domini, nullos magis metuendos habet Ecclesia, à nullis majus damnum exspectare potest, quàm ab hisce: quia, præter astutiam & fucatam pietatem, qua oculi fascinantur, doctrinam fingunt, quæ supra naturam & rationis captum non ascendit, & homini facile arriserit; imprimis, quia incolæ patriæ nostræ aliquantum ad novitatem in religione propendent. Quocirca rogant submissè Illustrium VV. DD. cultores, Deputati Synodorum Australis & Borealis Hollandiæ, ipsarum nomine, ut huic malo in tempore obviam eatur, ut in personas statuatur, ut conventicula ipsorum & libri prohibeantur, ut prela & typographiæ isto stercore non contaminentur, & officinæ tam damnosa merce vacuentur. Confidimus, Illustres & Præpotentes DD. VV. quibus novimus nihil magis cordi esse honore Dei & Ecclesiæ bono, decretum jam factum tandem esse executuras, & grande hoc malum arcituras. Hoc facto, &c.*

Subnotatum erat

JOHANNES SPILJARDUS,

THEODORUS LEEWIUS,

VOLCKERUS AB OOSTERWYCK,

ABRAHAMUS à DORESLAER,

HENRICUS RULÆUS.

Illu-

Illustres, Præpotentes Domini,

REverenter accepimus literas vestras datas 11. Martii, per quas Illustres DD. VV. nobis communicarunt exemplum libelli, nomine Deputatorum Australis & Borealis Hollandiæ Synodorum vobis exhibiti, qui continet querimoniam de incremento & processione Socinianæ sectæ in his regionibus, & nominatim de licentia divulgandi & divendendi libros Socinianos; atque insimul postulant, ut de ea re sententiam nostram exponamus. Quod quum non possemus negare Magistratui nobis divinitus præposito, eidemque pro bono Ecclesiæ & Politiæ fideles curas gerenti, rem in timore Domini expendimus, & judicavimus, Illustres DD. VV. magnas habere rationes, cur, quantum fieri potest, advigilent & curent, ne doctrina Socini disseminetur & propagetur. Nam nihil exitiabilius & magis horrendum ista hæresi excogitari potest. Cum Judæis, qui Dominum Christum propter contrariæ veritatis confessionem interfecerunt, negant Deitatem Christi, & personam Spiritus sancti; redemtionem per boni odoris sacrificium Christi, propter quod nobis peccata non imputat; sacerdotale officium Christi; veram justitiam, quæ in judicio Dei sola consistere potest; & cum iisdem justitiam in proprio facto constituunt; exinanientes legem: & hac re tollunt manifestationem sanctitatis Dei, in lege & conscientia patefactæ, & zelum, quem Deus habet adversus peccatum, propter quem se nominat Deum Zeloten, qui peccata visitat, & sine vindicta abire non sinit; cognitionem peccati, timorem Dei, & sui receptum ad divinam gratiam; fingentes, Deum justificare improbum ex aliquo facto, quod juxta placitum suum homini imponat. quæ est blasphemia, & substantia Judaismi, Papismi, Paganismi, & omnium falsarum religionum. nam Deus se ipse abnegare non potest, neque aliam justitiam approbare, præter eam, quæ juxta Legem est, in qua imago Dei exprimitur. Negant imaginem Dei, & dicunt, hominem à Deo factum sine naturali cognitione Dei & recti, inclinatum ad id, quod homo sibi bonum putat; atque ita dicunt reipsa, quod Deus hominem insipientem & malum fecerit. Causam boni operis cum Pelagianis constituunt in libertate hominis: excludunt gratiam regenerationis & sanctificationis; atque ita tollunt preces & gratiarum actionem: negant Dei providentiam, æternum consilium & decretum, & scientiam futurorum. Volunt, Dominum Jesum ut hominem merum adorari, cum Papistis & Paganis creaturas honorantes. Dicunt, licere, ut D. Jesum invocemus, quando volumus; quasi ipso non indigeremus, & non esset necesse ab ipso aliquid petere, aut possibile esset ad Patrem sine Filio accedere. Ita tollunt fidem. Atque eadem opera & charitatem, quæ ex sola fide promanat; & simul spem. quæ apud ipsos nihil est nisi præsumtio, fieri posse, ut salventur, aut arrogantia, quasi fecissent, quod exigitur. Negant, omnes verè resipiscentes salvari. Cum Sadducæis negant vitam animæ post mortem corporis, & resurrectionem impiorum. Jure igitur dictum est, doctrinam ipsorum propemodum esse Turcicam. quod ipsi negare non possunt: qui putent, doctrinam de Christi persona esse obstaculum conversionis Judæorum & Turcarum. & ea nihil aut parum differt à Paganismo. doctrina ex multis erroribus conflata; exstirpatio fidei Christianæ. Accedit, quod magistratus diligere non possunt, non pro Christianis reputantes, qui gladio juxta Verbum Dei utuntur. Audaces sunt ad scripturam, velut nasum cereum, torquendum & enervandum, imo subjiciendum præjudicio suæ rationis; astuti ad simplices implicandum & illaqueandum. Quapropter hæc secta eò periculosior est. Cum hisce consideravimus judicia, quæ Deus immisit iis, qui ab omni memoria se per hanc inanem doctrinam à fœdere Dei separarunt: puta Israëlitis in captivitate Assyriaca & Babylonica: & tandem destructionem Judæorum per Romanos; collapsionem florentissimarum Ecclesiarum & imperii in Oriente, exstirpationem Arianorum populorum & regum; traditionem Christianorum in manum Saracenorum, & Turcarum, & Papæ; qui in Occidente & Oriente ex adverso creverunt. Ex quibus, perpenso Verbo Dei scripto, ad oculum claret, Deum, quod homines noluerunt credere in Christum ut æternum Dei Filium, & suis factis & viribus propriæ voluntatis confisi sunt, punivisse, tradendo eos in omnem impietatem & horribilem vastationem, & jugum grave, sub quo pœnè totus mundus in tenebras conjectus est. Quocirca non aliud credere possumus, quàm, si irrepant & crescant Sociniani, id fore severam pœnam spiritualem, ad puniendam impœnitentiam & ingratitudinem harum regionum, quas Deus eo honoravit, quod verbum ipsius, per multorum sanguinem & multiplices angustias, audiverunt; quod, à jugo Papæ & Regis Hispaniæ cum admiratione totius mundi liberati, victoriis & divitiis cumulati sunt. ex quibus, proh dolor, parum fructus ad propagationem pietatis provenire videmus. Nos quidem indubitatum remur, multos Socinianos irrepere: quod multiplicatio, translatio & vulgatio librorum Socinianorum, de qua Deputati Synodorum conqueruntur (neque ignorantur officinæ) satis testatur. Quod ipsorum congregatio-

nes attinet; credimus, Deputatos de ea re satis informatos esse. Nihilominus constat, eos semper quæsivisse recipi apud Reformatos; & apud Mennonitas & Remonstrantes eis janua patet. Nam præterquàm quod Remonstrantes multas doctrinas cum ipsis communes habent, judicant eorum doctores (ut Episcopius Instit. Theol. lib. 4. sect. 2. cap. 34.) non esse præcisè necessarium, credere, Christum esse æternum Dei filium. & Prævostius vult esse in Ecclesia quandam generalitatem doctrinæ, quæ ab omnibus, qui Scripturam pro Verbo Dei agnoscunt, possit ferri. ut patet ex præfatione Curcellæi præfixa operibus Episcopii pag. penult. & ult. Ex qua re satis liquet, credibile esse, quod de quibusdam Remonstranticis Ministris à fide dignis dicitur, eos Socini doctrinam profiteri; &, per insinuationem Socinianorum, cœtum Remonstrantium hactenus deceptum periclitaturum esse de insanabili defectione. Quum igitur satis clarè appareat, Deum tecta & incognita hujus regionis peccata in luce faciei suæ constituere; necesse est, ut nos circumspiciamus, & saltem non permittantur incolæ (qui vulgo satis incuriosi sunt ad scrutationem veritatis) insuper istiusmodi animarum veneno infici, neque ejus Rectores per conniventiam ad ingressum eorum, qui tam pestilentem doctrinam afferunt, & ad publicam divulgationem ejus doctrinæ in scriptis & prædicatione, rei ac participes fiant talium blasphemiarum, & Respublica, quæ ut hospitium Ecclesiæ hactenus stetit, alienetur aut fœtida fiat, atque simul Verbo Dei & aliis benedictionibus privata per abusum libertatis in oppressionem conscientiæ & servitutem corporalem adducatur. Quare ex animo optamus, ut Deus Illustribus DD. VV. dignetur donare sincerum zelum, non tantum pro temporali bono, sed & pro salute vestrorum subditorum, & pro gloria Dei, qui preciosissimum Euangelicæ veritatis depositum hìc collocavit: & consilium sapiens, utile avertendis omnibus blasphemiis, & abolendis tam noxiis libris: eâ fiduciâ, eum, qui in justitia ambulat, & æqua loquitur, qui lucrum fraudationum rejicit, & manus excutit, ne accipiant munus, auresque obturat, ne audiant sanguines, & oculos claudit, ne aspiciat malum, in celso habitaturum, & arces petrarum ei sublimen receptum fore, panem ei suum dandum esse, & aquas ejus esse perennes. Hoc toto animo petentes & sperantes ab Omnipotente,

Illustres, Præpotentes Domini,
VV. Illustres DD.

In tutelam Dei commendamus,

Illustrium DD. VV. submissi cultores

JACOBUS TRIGLANDIUS.

ABRAHAMUS HEIDANUS.

JOHANNES COCCEJUS.

Lugduni 3. Aprilis
Anno 1653.

Illustribus, Præpotentibus Dominis,
DD. Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ.

EDI-

E D I C T U M.

ORdines Hollandiæ & West-Frisiæ, Omnibus, qui has præsentes legent aut legi audient, Salutem. Quandoquidem nobis innotuit, Sectam Socinianam indies magis magisque gliscere, & fautores ejus ac sectatores, ad sui erroris dilatationem, jam incepisse diversis in locis conspirationes & congregationes instituere, per quas non tantum perniciosa & animabus exitiabilia sua dogmata in omne hominum genus spargunt & propagant; sed etiam ausi sunt in has regiones inferre & typis publicare multa ipsorum scripta & libros, plenos blasphemiarum adversus Deum, ipsius attributa, Deitatemque & satisfactionem Christi, & sanctam Triadem, atque etiam fundamenta & præcipua capita veræ Christianæ Religionis; non obstante, quod multi illius generis antehac auctoritate magistratus, prævia visitatione & examinatione Facultatum Theologicarum, quæ sunt in his regionibus, inquisiti, custodiæ inclusi, & cremati sunt: quo non modo nomen Dei horrendum in modum inhonor·tur & blasphematur, sed & animi multorum incolarum inquietantur, & Ecclesiæ periclitantur, ne in schismata & perplexitatem adducantur. iccirco, ita exigente officio nostro, juxta exemplum laudabile multarum Christianarum potestatum & magistratuum, nihil magis cordi habentes, quàm honorem divini nominis, & prosperitatem Ecclesiæ Christi, ad prævenienda schismata & turbas tam in Ecclesia atque in Republica; intellecto consilio primi & reliquorum Consiliariorum Curiæ Hollandiæ, interdicimus unicuique, cujuscunque status aut conditionis sit, ne ullum Socinianorum errorum in has regiones inferat aut aliis communem faciat, aut hoc fine cœtus & coitiones instituat; sub pœna, ut, qui id fecerit, tanquam blasphemus in divinum nomen, & publicæ quietis perturbator, prima vice extra provinciam relegetur, & secunda vice arbitrariè pro re nata puniatur & corrigatur. Interdicimus præterea districtè omnibus typographis & bibliopolis, ne ullos libros Socinianos, ceu blasphemos & perniciosos, in quacunque lingua, in his regionibus excudi curent, aut alibi excusos invehant aut divendant; sub pœna, ut, qui ulla exemplaria eorum impresserit aut vendiderit, typographus quidem prima vice mulctetur, præter commercii ademtionem, tribus florenorum millibus, & venditor mille florenis; cujus summæ dimidium cedat Officiario, dimidium pauperibus: secunda autem vice relegentur. Simul injungimus omnibus Typographis & bibliopolis, ut intra tres dies à publicatione hujus Edicti omnia exemplaria impressa aut scripta talium librorum tradant in manus magistratus ejus loci, in quo agunt, ut supprimantur & custodiantur. Et, ut eò meliùs deprehendantur, omnes typographi & bibliopolæ, de quibus suspicio fuerit, eos ulla exemplaria asservare, tenebuntur, ad jussionem magistratus sui loci, juramento se purgare, quod nullum istorum penes se habeant aut occultaverint. addita pœnâ, ut, si dictum juramentum renuant præstare, prima vice mulctentur centum florenis, altera verò vice commercio ipsis interdicatur, &, pro re nata, corrigantur. Quapropter mandamus Præsidi & Consiliariis supremi Senatus, & Curiæ Hollandiæ, Procuratori Generali, una cum omnibus Officiariis & judicibus in terra nostra Hollandiæ & West-Frisiæ respectivè, ut hoc Edictum ubique publicari & affigi curent, ubi id fieri oportet, & solet, ne quis ignorantiam obtendere possit, sed omnes & singuli norint, quid sibi faciendum sit; itemque tenorem Edicti in omnibus partibus exactè exsequantur & observent. Nam hoc ad bonum Reipublicæ fieri oportere judicavimus. Datum Hagæ sub magno sigillo nostro hisce appresso d. 19. Septemb. anno Domini & Salvatoris nostri millesimo, sexcentesimo quinquagesimo tertio.

Ad mandatum Ordinum

HERB. van BEAUMONT.

MENS

MENS PROCERUM BELGII

ſuper libertate conſcientiæ noſci poteſt ex ſubjecto Excerpto decretorum Celſiſſim. Ordinum Generalium de 3. Martii 1644.

DE Regeeringe der Vereenighde Nederlanden hebben van den beginne deeſes Staets, aen d'eene zijde altijdt vaſt geſteldt, niemant van de Ingeſetenen der ſelve, eenige Conſcientie-dwang op te dringen; maer in tegendeel van dien, aen eenen yegelijk der voorſchrevene Ingeſetenen toe te ſtaen in ſijne particuliere woninge ende Familien Conſcientie halven ongemoleſteert te laeten: ende aen de ander zijde heeft de ſelve Regeeringe noyt konnen goet vinden, dat de Pausgeſinden ſoude worden toegelaten plegingen van Superſtitien tegen Godts Heylig Woordt, oeffeninge van kennelijke ergerniſſen, ofte invoeringe van Pauſelijke Hierarchie, &c.

U*Niti Belgi Rectores ab initio hujus ſtatus ab una parte fixum habuerunt, Neminem incolarum ejus ulla in Conſcientiam vi onerandum eſſe; ſed contra, unicuique incolarum concedendum eſſe, ut in ſua privatim domo & familia Conſcientiæ cauſa à nemine inquietetur: ex altera verò parte iidem Rectores nunquam potuerunt bonum judicare, ut Papiſtis concedatur exercere ſuperſtitiones contra ſacrum Dei verbum, & ſcandala publica facere, aut Papalem Hierarchiam introducere, &c.*

APO-

A P O L O G I A
P R O
VERITATE ACCUSATA
Ad Illustrissimos & Potentissimos Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines.

Conscripta ab Equite Polono.

ANNO DOMINI cIↄ Iↄc LIV.

Illustrissimi & Potentissimi DOMINI.

NOn irrumpimus in quietem vestram, sed atroci criminatione ad tribunal ve- Pag. 3.
strum protracti, causam innocentiæ nostræ dicimus: proinde suppliciter peti-
mus, ut quas accusatoribus nostris præbuistis aures, easdem pari æquitate &
nobis, per summam injuriam accusatis, præbere dignemini. [1] *Inauditi enim* 1
& indefensi, tanquam innocentes pereunt. Et ne publica vestra negotia ul-
lis ambagibus moremur, protinus ad causam ipsam accedimus. Primum qui-
dem iis respondebimus, qui per supplicium, supplicia innocentum à vobis petere sunt ausi:
Deinde iis, qui à vobis super hoc supplice libello consulti, minime sunt obliti earundem sese
esse partium: Nimirum in atroci quondam [2] *luporum de ovibus querela, cum sententiam ro-* 2
garentur lupi, pessima esse oves animalia, & omnino dilanianda responderunt.

Querelam primum supplicantes contra hæreses instituunt, quod nulli fere alii magis facere pag. 4. Responsio ad accusationes libelli supplicis ministrorum. De querela quam instituunt contra hæreses.
solent, quam hæretici, ut sibi Orthodoxiæ & Catholicismi fidem & speciem tanto magis ad-
struant. Si Orthodoxi & vere Catholici sunt, quare contra hæreses à civili Magistratu au-
xilium petunt? quid [4] *civilis gladius & coactio facere debet in Ecclesia? Cur vero non me-*
minerunt insuper, in quà Republica vivant, quæ sub crimine hæresium, per similes accusa-
tiones, innumeris malis vexata, tandem Dei auxilio in plenam libertatem sese vindicavit?
Cur alios eodem crimine oppressum eunt, larvam supplicantium induti, sub quo majores il-
lorum gemuerunt? Iterumne Hispanicæ servitutis & [3] *inquisitionis jugum in liberrimam pa-*
triam suam inducere conantur, &, quod contra se iniquissimum putaverunt, id in alios æ-
quum putant? sed enim se hæreticos esse majoresque suos hæreticos fuisse negabunt. Id ipsum 4 3
& nos de nobis negamus. Verum ubi semel animis potestatum insederit hæreticorum persecu- pag. 5.
tio, [5] *res omnium nocentissima inducetur in Rempublicam: luent enim non qui hæretici sunt,* 5
sed qui hæretici esse putabuntur. Si hæretici sumus, cur Ecclesiasticis armis non contenti,
incitant in nos & expediunt [6] *arma civilia? an forte desperant nos spiritualibus armis posse* 6
superari? Id omnino verum est; sed simul argumentum certissimum est, nos hæreticos haud-
quaquam esse. Neque enim pugnamus [7] *armis carnalibus, ut arma nobis debeant opponi car-* 7
nalia; sed [8] *solis Scripturis & argumentis. Proinde qui pro suorum dogmatum defensione, con-* 8
tra nos Magistratus opem implorant, eo ipso ostendunt, se scripturis & rationibus superatos
esse. Nero in citharæ certamine, si quos citharædos pœna afficiebat, eo ipso sese arte & ci- pag. 6.
tharæ cantu victum esse palam faciebat. In conflictu enim hæresium cum catholicâ veritate,
si solæ & nudæ sint hæreses, quis dubitet de [9] *veritatis victoria? ideo legitimi veritatis divi-* 9
næ Professores, initio ab ipso Christo & Apostolis facto, haud unquam carnem & auxilia car-
nalia advocarunt; pollui iis & contaminari veritatem cælestem rati, non adjuvari: quin
potius nudam & inermem veritatem armatis & omni crudelitate sævientibus erroribus oppo-
suerunt, eosque devicerunt. Et sane, nisi nos tam tetris coloribus, & ipsius cacodæmonis
facie depingerent; si [10] *verum & genuinum fidei & confessionis nostræ vultum, accusatione* 10
suâ exhiberent, ne minimum quidem hæreseos vestigium in nobis appareret. Ideoque hic eo-
rum supplex libellus, neutiquam pro legitima & justa accusatione, sed pro famoso libello, &
meris calumniis reputandus est; daturque nobis contra illos ex jure actio.

EXAMEN.

Pag. 3. 1 §. 1. ¹ I*Nauditi enim & indefensi, tanquam innocentes pereunt.* Nemo sanè puniri potest, nisi antea fuerit auditus & defensus, ut constet, eum peccasse & à lege damnari. Omnis enim pœna, quæ ab homine irrogatur, exempli utilitatem habere debet: ut audiant alii & timeant. Atqui id hîc non agitur, ut hic vel ille pereat; aut puniatur: sed ut, quod lege Dei jam pridem sancitum est, id magistratus in Belgio agant; publiceque omnes moneant, sibi cordi esse, quod officii ipsorum est, facere: ne quis causari possit, se non monitum, atque ideo pœna afficiendum non esse. Mirum, inhibere velle magistratui, ne quid de falsarum religionum propagatoribus coercendis, & librorum noxiorum venditoribus decernat, nisi singulos priùs, qui in eo genere postea delicturi sunt, audiverit. Si id vult Eques, doctrinam Socinianam nondum examinatam esse; ideoque ejus propagationem non debere prohiberi: id absurdè vult. Perinde enim facit, atque si postulet, Christianos, quibus mandatum est, eum, qui illam doctrinam, quam ipsi acceperunt, quæque omnibus gentibus per Apostolorum vocem & literas secundum Scripturas prædicata est, non affert, ne domum quidem recipere, aut ei Ave dicere; quoties quis aliam doctrinam affert, toties dubitare, an veram doctrinam ipsi acceperint, nec ne, & an ipsis retinendum sit, quod habent. Quum tota Scriptura postulet, ut simus fundati & radicati, & non omni vento doctrinæ circumagamur. Una quippe veritas est, cui omnis veritas est consentanea; ex qua mendacium esse non potest.

2 §. 2. ² Parabola de *lupis* est admodum injuriosa. Non enim magistratus nostri ullum Socinianum discerpere aut laniare, aut illis eripere sua bona affectant; neque ad hoc à Synodo aut Theologis instigantur; sed cupiunt lupos arcere à gregibus & pacem inter populos conservare.
3 ³ Nihil in Belgio simile est *Hispanicæ inquisitionis*. Quis enim cogitur ad Reformatorum sacra accedere? Cui vis fit domi suæ, ut prohibeatur sibi, quam putat prudentissimè, consulere suisque? aut in quem inquiritur, quid apud suum animum sentiat, vel etiam domi loquatur? Quis punitur propterea, quod non se Reformatum vocitat? Feruntur etiam illi, quorum professio eos hostes Ecclesiæ Reformatæ & Magistratus eam tuentis esse cogit: neque propter eam professionem puniuntur. At Hispanica inquisitio cogit homines loqui, quod Papa loquitur, & recusantes vexat, fugat, trucidat. Sed de hoc rursus dicendum erit.

4 §. 3. ⁴ *Civilis gladius & coactio* non debent introduci *in Ecclesiam:* sed, ut Magistratus tenetur inservire populo suo, non tantum ut abundent omni bono terrestri, verum etiam omni bono spirituali, eaque gratia doctores in Scholis & Ecclesiis fovere, &, qui bonum hoc opus faciunt, honorare: ita tenetur omne malum id bonum corrumpens depellere, siquidem habet eam potestatem in populo, quam habet paterfamilias ad suam domum claudendam perturbatoribus. Non putat *Eques*, bonos mores corrumpi per sermones malos? Et quis pestilentior sermo esse potest, quam quo docentur hæreses exitiales? Ergone nec Dei interest, quid in terra sua dicatur? utrum id, per quod glorificatur, an id per quod blasphematur? Patresfamilias non recipient domum, qui aliam doctrinam afferunt: Magistratus, & quidem populorum, qui terras suas in Ecclesiæ hospitium consecrarunt Deo, & pro veritate Euangelii, ut scilicet vitam gravem & honestam in omni pietate agere possent, depugnarunt, alienis, quos non norunt, doctrinam, quam sciunt esse perniciosam, non tantum foventibus, sed & seminare volentibus, idque sibi propositum esse dictantibus, portas aperient, iis dabunt licentiam colligendi cœtus, turbandi minus cautos & ad nova prurientes; uxores, liberos, amicos sollicitandi? & pacis concessæ fructus erit, ut doctrina pietati infesta privatim publiceque sermonibus & scriptis propagetur, & pietas ex cordibus evellatur?

5 §. 4. ⁵ Lege Dei capitis pœnam fuisse serio irrogatam Apostatis & Pseudoprophetis, clarè constat. Quid occasione hujus præcepti consequutum est? Ut Prophetæ plerique, & ipse Dominus ac Servator noster, itemque Apostoli ejus occiderentur pro apostatis. Numquid igitur Deus non prævidit, quod Eques Polonus, *Si animos potestatum insederit hæreticorum persecutio, rem omnium nocentissimam introductum iri in Rempublicam, ut non luant, qui hæretici sunt, sed qui esse putabuntur?* Ut videat Eques, suum consilium & suam prudentiam rationibus Dei non omnino convenire. Voluit enim Deus aliquando certam gentem, Israëlitas, capitis pœna, à Deo alio colendo, & lege Dei mutanda, & seductione tentanda, absterreri. Tametsi hîc nullo modo quæstio est de puniendis Socinianis, quatenus Sociniani sunt; sed de non admittendis in provincias, in agros, oppida, domos, qui cum illa pestilenti doctrina, ut eam propagent, veniunt; Et de libris illorum non vendendis. Et quid æquius, quam ut illi, quibus ob causam pietatis & suam Deus pacem donavit, id honoris Deo rependant, ut ostendant se scire, à quo illam acceperint, & non faciant se adjutores sociosque eorum, qui Christi regnum demoliri satagunt? Nam Christo datæ sunt gentes in hæreditatem: cujus beneficio & verbum ipsius & libertatem conscientiæ, h. e. ipsi sine impedimento serviendi, obtinemus. quemadmodum & Synodus Ariminensis Constantium monuit, ut eum *custodem regni sui & sanitatis præsidem* recognosceret.

§. 5. ⁶ De *expediendis armis civilibus* quum interrogat Eques, primo calumniatur; ut jam demonstratum est: deinde eandem controversiam facere potuit Paulo, qui adversarios fidei cæcitate punivit & Satanæ tradidit, ut discerent non blasphemare. Atqui, quod Illustriss. Ordines faciunt, lenius multo est: non permittunt illis docere, & librorum venditoribus tanquam venenosæ sementis opitulatoribus mulctam dicunt & pœnam irrogant. An igitur & Paulus desperavit, adversarios suos *spiritualibus armis posse superari?* Nobis certum est, neminem nisi spiritu Dei & verbi illius potentia in Christum crediturum; neque adeo probamus eos, qui metu nostros se mentiuntur (si modo apud nos id fieri potest; ubi nemini vis intentatur, ut, quod nos dicimus, dicat) utinam vero & ab illis liberi essemus, qui sese ingerunt in Ecclesiam nostram spe potentiæ terrestris? A quibus quid boni exempli aut zeli sperandum sit, facile est videre. 6

§. 6. ⁷ Boni illi viri, Sociniani, *non pugnant armis carnalibus.* nempe quia Spiritus ille Anabaptisticus, qui in Munzero, & Johanne Boucholt, & multis eorum sociis fuit, occasionem non habet redeundi in proscenium. 7
⁸ Quod *solis Scripturis* se dicunt *pugnare & argumentis*, id accipiendum est, ut *argumentis* frivolis Scripturas elidant & distorqueant. Quæ pugna etiam nocentior est persecutione, quæ fit gladio carnali. Neque quis putare debet, minus esse periculi à Satana, quando se transformat in Angelum lucis, quam quando vultu & pompa Draconis omni instructus Ecclesiam oppugnat. Gravissimæ sunt tentationes Ecclesiæ, quibus sub obtentu verbi Dei apostasia à vero Deo quæritur. 8

§. 7. ⁹ Sane non est veritati à falsitate periculum imo Paulus apertè declaravit, oportere, ut hæreses existant, ut probi & ingenui manifesti fiant. Neque vero id agitur, ut veritas ne vincatur. Est ea victrix & erit, &, invito Diabolo, triumphabit. Aliud agitur, bone Eques; nempe ut nos veritatis depositum retineamus, &, justo Dei judicio per nostram socordiam eo non privemur: utque simplices & prurientes ad novas doctrinas laqueis Diaboli non irretiantur, neque, postquam Papisticus spiritus è domo ejectus est, in eam ingrediantur septem immundi spiritus illo nequiores: denique ne nos cooperarii fiamus Diabolicarum nequitiarum. Est quidem impossibile, ut non veniant scandala: sed & væ illi, per quem veniunt. Atqui etiam per illos veniunt, qui favent atque opitulatores sunt iis, per quos veniunt. In Daniele cap. VII. prædicitur, fore, ut omnia regna ac populi serviant Ecclesiæ. Alibi dicitur, Reges fore nutricios, curatoresque Ecclesiæ, qui eam in ulnis gerant. Id sanè fit, quando Reges, Principes, Populi pacem Ecclesiæ præstant, & iis saltem congregationum facultatem dant, & gladii potestate efficiunt, nequis audeat ædificationem ejus ac propagationem per verbum impedire. Quid igitur? Volumusne, ut iidem sint Reges, principes & populi nefariis hominibus, ministris Diaboli, & regno ejus? Et nec patresfamilias, nec conjuges, nec fratres ac propinqui, nec cives ac amici, doctores, pastores in- Pag. 6. 9

ar-

ardeſcant in eos, qui illos, qui ſunt ut anima ipſorum, perdere & hoſtes Dei efficere conantur?

10 §. 8. [10] Si ſupplex libel us Deputatorum Synodi & judicium Profeſſorum de Socinianis mentitur, eſt, quod non tam pudeat monitores, quàm quod ſeriò gaudeant; ſcilicet illos homines Socinianos eſſe immunes ab illis erroribus, qui in ipſorum doctrina videantur contineri. Sed videamus ſingula.

APOLOGIA.

PEſſimos hæreticorum omnium nos proclamant, nimirum ut appareat, erroneis eorum pag. 7. Nos S.
opinionibus, maximum à nobis eſſe periculum. An enim nobis unquam in mentem ve- Trinitatem non
nit negare [11] Trium Unitatem? Reſiliunt enim ipſi à communi voce Dreyfaltigkeit *; credo ne* negare.
triplicitatem in Deo videantur ſtatuere. Toto pectore credimus, & ore confitemur, Pa- 11
trem, Filium, & Spiritum S. unum eſſe. An quia illis Patris, & Filii, & Sp. Sancti
ſacratiſſima nomina, aliud ſonant, quam nobis; & unitas iſtorum trium, aliam apud il-
los, aliam apud nos habet interpretationem; idcirco nobis iſtorum Trium, Unitatiſque eo-
rum abnegatio, ſacris literis, ipſiſque rebus teſtatiſſima, debuit objici? Cur ſuam, de Tri-
bus iſtis eorumque unitate ſententiam, cum ipſius Scripturæ & Catholicæ veritatis dictis
confundunt; quæ nos non minore, quam ipſi, religione amplectimur? Sed illis [12] Filius & 12
Spiritus Sanctus ita accipiuntur, ut non minus quam Pater, Deum illum unum ſignifi- pag. 8.
cent, qui [13] nullum Patrem, nullam ſui habet originem, nec ſpiratur ab ullo, nulliuſve eſt 13
ſpiraculum. Nobis vero unus ille Deus, ex quô omnes & omnia, cum ipſe ſit à nullo, Pa-
tris ſolius nomine ſignificatur: [14] Filii nomine is, qui à Patre ante ſæcula omniumque re- 14
rum creationem præcognitus, & [15] ex mente illius genitus, & unice dilectus, deſtinato ſæ- 15
culorum lapſu, ſolius [16] Spiritus [18] Paterni [17] Virtute, [19] in utero matris, Puriſſimæ Vir- 16 18 17 19
ginis, conceptus & genitus, à Patre [20] deinde ſanctificatus, & [21] in mundum, [22] cum æter- 20 21
næ ſalutis nuntiô, miſſus, pro peccatis totius mundi [23] victima factus, à mortuis reſuſcita- 22 23
tus, ad dextram Dei Patris ſedere juſſus eſt, tradita ſibi omni in cœlis & in terris, ipſiuſ-
que adeo judicii ultimi [25] ſuprema [24] poteſtate: Spiritus vero S. nomine, [28] diviniſſimus ille 25 24
Dei [29] Patris [26] afflatus, quem [30] Filius à Patre acceptum, ſuis pro [27] Duce & Magiſtro, 28 29 26 30
& Paracleto largitur. An igitur Patrem, Filium, & Sp. S. non agnoſcere dicendus eſt, 27
qui quemlibet iſtorum hoc ſenſu agnoſcit? an tres iſti hoc ſenſu agniti, non erunt unum & pag. 9.
idem, imo unus [31] idemque inter ſeſe? An enim Filius & Sp. S. non totus erit à Patre, & 31
totus Patris? an ulla inter ipſos eſſe poterit [32] diſſenſio? an non omnia quæ Filius & Sp. S. 32
facit, vel loquitur, [33] auctorem habebunt Patrem, & omnia quæ Filio & Sp. S. tribuit, vel 33
tribuenda eſſe docet Scriptura, referentur & [34] redundabunt in Patris gloriam, in eaque tan- 34
quam ultimo fine ſuo conquieſcent? An talis Patris, & Filii, & Spir. S. unitatiſque eorum a-
gnitio, Sacris Scripturis teſtatiſſima non eſt? An non ipſa per ſe liquidiſſima? cum eorum, qui
nos accuſant, [35] ſententia, qua perſonarum quælibet à ſua diſtinguitur eſſentiâ, id eſt, à ſe i- 35
pſa; & eſſentia Filii; itemque Sp. S. illa ipſa, quæ Patris eſt, dicitur eſſe eſſentia; & tri- p. 10.
bus perſonis numeratis, quarum quælibet totam habeat eſſentiam, unica tantum numeratur eſ-
ſentia, à nemine [36] poſſit intelligi, & verborum quidem ſonum habeat, ſed in mente nullum 36
relinquat ſui ſenſum; quæ etiamſi intelligi poſſit, quibus tandem Scripturis, iiſque claris &
liquidis docebunt, ſuam eſſe Orthodoxam, noſtram vero hæreticam ſententiam? Deſperarunt
de Scripturis: ſed [37] ad totius Chriſtiani orbis conſenſum nos vocant; quem ipſimet contra 37
Græcam & Latinam Eccleſiam [46] flocci pendunt. Nobis vero ſufficit, hunc conſenſum A- 46
poſtolorum tempore in Eccleſiis non fuiſſe; cum is in Scripturis demonſtrari non poſſit.

EXAMEN.

pag. 7. 11 §. 9. [11] Primo inficiantur, *ſe S. Trinitatem negare*, h. e. *trium unitatem.* At ſtatim fatentur, *ipſis nomina ſacratiſſima Patris, Filii & Sp. S. aliud ſonare quàm nobis; & unitatem illorum trium aliam apud illos, aliam apud nos habere interpretationem.* Ex quo concludunt, *Non debuiſſe ipſis iſtorum Trium Unitatiſque eorum abnegationem ſacris literis rebuſque ipſis teſtatiſſimam objici.* Quid igitur? Si ſacris literis & rebus ipſis eſt teſtatiſſima abnegatio veſtra, non debuit vobis objici? Fateor, Equitem id dixiſſe, quod dicere ipſe non voluit, ſed quod dicere debebat; *Abnegationem ipſorum eſſe & ſacris literis & rebus ipſis teſtatiſſimam.*

12 §. 10. [12] In fide noſtra culpat, quod nobis *Filius & Spiritus Sanctus non minus quàm Pater Deum illum unum ſignificent.* Ergo ipſis Pater & Filius ita unum ſunt, ut non ſint unum, neque unus ille Deus. quum tamen ſcriptura dicat, *Verum illum & Filium illius, verum illum, in quo ſumus, eſſe verum illum Deum.* 1 Joh. 5: 20. & *Patrem filiumque unum* eſſe *manu* ſive potentiâ, Joh. 10: 28. 30. quod Smalc. coactus concedit, ſed in certis rebus, *adverſus Monſtra* p. 51. &, ut ſit potentia non una, ſed ejuſdem generis. p. 57. 58. quo exemplo omnem creaturam agentem unum cum creatore potentiâ dicere poſſemus. Nulla enim eſt, quæ non habeat aliquam potentiam, & non faciat, quod Deus facit; ſiquidem omnis creatura in Deo movetur, & omnia, quæ ſunt, à Deo ſunt. Eſt vero hoc argumentum, quod ſumimus ab unitate potentiæ ex Joh. 10: 28. tam potens, ut Smalcius id non potuerit diſſimulare. Qui eo abripitur inſaniæ, ut, quod ad ſummam diſcipulorum conſolationem à Chriſto dictum eſt, & ut ſe verum & bonum paſtorem probaret; id ad nos tentandos, & homines veritatis oſores illaqueandos & puniendos ſcriptum eſſe, non veritus fuerit aſſeverare. Sic enim ait *adverſus Monſtra* p. 49. *Ego ſanè perſuaſum habeo, apparentiam quidem aliquam eſſe in hoc argumento, quam Deus extare voluit, ut homines, qui magis amant tenebras, quam lucem, haberent, quo ſe tuerentur.* Chriſtum autem non tantùm potentiâ unum cum Patre Scriptura teſtatur: ſed & ſcientia, & conſilio, & operatione. Nam, quæcunque Pater facit, monſtrat Filio, & Filius videt Patrem facientem. & propoſitum fecit in Filio. &, quæ videt Patrem facientem, ipſe facit, & *ſimiliter*, voluntate, imperio omnipotente (quod Smalcius enervat, *adverſus Monſtra* p. 53.) facit. Joh. 5: 19. 20.

Eph. 3: 11. Testatur unum gratiâ, Rom. 5: 15. Joh. 5: 21. Marc. 1: 14. 15. Quæ certè est libera, independens, & αὐτοκρατορικὴ voluntas beneficia destinans, donans, jubens, repræsentans. Unum ita, ut Deus sit in ipso, & ipse in Deo. Joh. 14: 10. 17: 22. 23. & nomen Dei (atque adeo Dei cognitio exactissima, & amor, & perfectiones gloriosæ omnes) sit in ipso, Exod. 23: 21. (Quicquid enim ogganniant, Angelus ille non est infra Deum, cui tribuuntur illa; quæ, Socino fatente, sub Veteri saltem Testamento, solius erant Dei: neque porro est alius ab Angelo Testamenti, paracleto, & Assertore) imo plenitudo divinitatis corporaliter, Col. 2: 9. Unde & imago patris est, Col. 1: 15. ut, qui Filium vidit, & Patrem viderit, Joh. 14: 9. Quippe quum saltem in voluntate & amore ejus voluntas & amor Patris conspiciatur. Nam propter unitatem hanc non potest velle, nisi quod Pater vult. Qui si non ita unus esset, creatura mera esset, & à Deo deficere, & sic aliud velle, dicere, facere posset; ut quidam angeli & homo fecerunt. Igitur, quum Deus promisisset, se visitaturum esse populum, & coram cum ipso locuturum, id in Filio peractum est. Nam in eo sunt promissiones Dei omnes, etiam quibus semetipsum quid immediatè facturum, seque ipsis coram facie ad faciem (Ezech. 20: 35. collato Deut. 5: 4.) manifestaturum recepit, Naæ & Amen. Usque enim ad Christi exhibitionem *nemo vidit Deum*, quemadmodum promissum erat, visuros Deum; sed *Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, & videndum eum exhibuit* in se, ut *imago* naturalis, & ἀπαύγασμα τῆς δόξης, *fulgor gloriæ & character subsistentiæ* ejus. Adeo enim unum est, ut fulgor & lux; adeo æqualis, ut character & signum, ex quo character est. Æqualem enim se Patri non negavit, sed asseruit Joh. 5: 18. quam *æqualitatem* Smalcius prorsus perfectam & absolutè dictam non admittit. Refut. 2. libror. Smigl. p. 218. qui & *adv. Monstra* p. 99. τὸ ἴσος, quod significat *æqualem*, & in objectione Judæorum, atque adeo sermone Johannis, nihil nisi *æqualem* significare potest, in *similitudinis* significationem insolentissimam, ejusque imperfectæ & non absolutæ sensum enervare, contra Christi ipsius apodixes, satagit. Et profectò injurius in Judæos fuisset Christus, qui cum uno hoc offenderentur, quod ea, quæ de se dicebat, ipsis viderentur significare incommunicabilem creaturæ magnitudinem Dei, nullo apice hanc illorum opinionem destruxit, atque ita illis occasionem dedit ipsum tanquam blasphemum crucifigendi. Quod si enim, ut volunt Sociniani, blasphemia est, Christum dicere esse unum illum Deum, & hoc rectè judicarunt Judæi; & Christus sciens, hoc Judæos à se dictum opinari, hoc, quod blasphemum ipse quoque judicavit, nullo verbulo à se amovit, sed omni sermone opinionem ipsorum auxit: nonne justè à Judæis judicatus est, saltem ut scandalosus? Contendit Smalcius *adversus Monstra* p. 64. *Christum, si Deus fuit, debuisse illud disertè affirmare, ut ita homines, qui hominem esse videbant, ipsius testimonio convicti, crederent id, quod videre non poterant.* quasi non & in V. T. clarissimè de ipsius persona prædictum esset ad fidelem exspectationem patrum, aut quasi non clarè omnibus argumentis divinitatem suam astruxerit, aut quasi ipsum non fuissent crucifixuri, si etiam clarissimè dixisset. Sed nos majori jure contendimus, si non fuit Deus naturâ & veritate absolutâ, omnino integritatis ejus fuit, eos, qui hoc putabant eum dicere, disertissimis verbis ex scandalo, quod inviti patiebantur, eruere, atque extra suspicionem tantæ culpæ se ipsum collocare. Sed quomodo se negaret Deum illum Israëlis verum esse, cujus erat *verba Dei loqui*, Deut. 18. vers. 18. Joh. 3. vers. 34 non ut qui *ex terra*, (hoc est, ut ministri) *loquuti fuerant*, nempe cum præfatione; sed ut qui *ex cœlo venerat* & *supra omnia erat*, nempe verba Dei ut *sua*. Nam, ut exemplo utamur, cujus est dicere, *Spectate ad me & salvamini, omnes fines terræ*: &, *Per me juravi, Mihi jurabit omnis lingua, mihi se flectet omne genu*: nisi solius Dei, & *præter quem Salvator nullus est*? Atqui Filius hæc divina & Deo reservata verba suo jure dixit. Quippe *de ipso dixerat* Deus & qui in ipsius nomine locuti erant antea, *In Jehova est justitia & robur*; *in Jehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Esai. 45. vers. 21. 22. 23. 24. 25. Proinde & *vitam in se habet, quemadmodum Pater*; (naturaliter & independenter) Joh. 5: 26. & omnia, *quæ habet Pater, sunt ipsius*, & attributa & decreta & opera. Ita ut Spiritus sanctus ex iis, quæ sunt Filii, sumat, quæ nobis renunciat. Joh. 16: 14. 15. Denique unum est cum Patre gloriâ. Nam gloria Patris est ipsius gloria; quod fieri non potest, nisi omnia, quæ altitudinem & perfectionem Patris demonstrant, sint ipsius; & altitudo ac perfectio Filii, rebus Dei demonstranda, sit eadem quæ Patris; atque ita Filius sit finis operum Dei, & bonum & sic *vita* hominis, ut *veritas*. Joh. 14: 6. De gloriæ unitate vide Joh. 1: 14. 5: 23. 8: 50. 17: 1. 3. 5. Matth. 16: 27. 28. 25: 31. 26: 64. Apoc. 5: 13. Ipsum δόξα *gloria*, quod usitatè in Scripturis significat præstantiam, in his nihil nisi summam altitudinem & præcellentiam notare potest. Atqui Deus *gloriam* suam non dat *alii non-Jehovæ*. Es. 42: 8. 48: 11. Deuter. 32: 21. 27. In quibus locis de ipsa illa gloria, quam Pater Filio dedit, agitur. Estque hæc sententia tam valida, ut, priusquam se Smalcius ad ejus elusionem accingat, flagitet, verba prophetarum esse ex Apostolicis vel explicanda vel corrigenda. *adv. Monstra* p. 25. quibus similia p. 79. 84. tum vero sic torquet eam sententiam, 1. Gloriam Dei dari quidem alteri non-Deo, sed non hosti. Id jam est corrigere verba Dei. 2. Non dabo, i. e. dabo quidem volens, sed non permittam invitus, alium sibi sumere. Correctio & hæc est. 3. Non propriam dabo, sed similem dabo. Quasi possit esse gloriæ & summæ altitudini similis gloria, quæ non sit summa: aut quasi Deus gloriam Christi nulli alii à Deo sive non-Deo dandam non specificasset vers. 6. 7. cap. 42. Esaiæ. Et sanè est hujus unitatis fides adeo necessaria, ut sine ea, tanquam necessaria gloria Filii, in ipsum credere, eumque Servatorem nostrum habere non possimus. 1 Petr. 1: 21. Sed quid ego in hoc probando laboro, quod nostri plenis voluminibus probant: imo quod integris scripturarum partibus subinde demonstramus; ad quarum demonstrationum confutationem illos dudum provocavimus? Sed illis videtur facilius supremarum potestatum decreta, & fidelium Ecclesiæ doctorum monita ac responsa, libellis furtim in vulgus, aliis rebus occupatum, sparsis, calumniari. Si cupiunt audiri, ibi audiendi erant; nempe in sana & perpetuam ἀναλογίαν servante expositione scripturarum, nostram demonstrationem convellente, & eorum sententiam ubique firmante. Tamen vel in hoc omnes homines quantumvis occupatissimi statim cernent, quàm sint Sociniani Deo contrarii, quod eum, de quo dixit Esai. 40: 3. Est *vox præconis, in deserto evacuate viam Jehovæ, dirigite in vasto aggerem* DEO NOSTRO, & vers. 9. *In montem altum ascende tibi Euangelisatrix Tsijon, extolle fortiter vocem tuam, boni nuncia Jerusalem: extolle, ne timeas; dic oppidis Judæ:* ECCE DEUS VESEER: & in quo is, qui Deus Abrahami est, fecit, quod promisit, SE ipsum fore Abrahamo & semini ejus IN DEUM, Gen. 17. nempe secundum formulam novi fœderis, quo non angelis, non hominibus, non dictis diis subjicimur, ut Regnum sit Dei, quod tenet Christus: illum, inquam, se negare Deum Israëlis, & sic Deum Abrahami q. in fronte sua scribunt, dum se vocant eum cœtum, qui præ se fert, se fciscere, quod non alius nisi PATER sit DEUS ISRAELIS. Id nomen ipsorum præfert Catechismus, Racoviæ editus A. 1612. & versio illorum Polonica N. T. edita A. 1620.

§. 11. [13] Sed audiamus Equitem, qui satis pro innocentia suæ partis esse existimat, si Patrem & Filium 13
unum esse dicant, etiamsi *Deum illum unum* (contra apertam scripturam) *esse* negent. audiamus, inquam, suam sententiam comprobantem. *Deus ille unus*, inquit, *nullum Patrem habet, nec spiratur ab ullo, nulliusve est spiraculum.* Innocentes homines *scriptura & argumentis* agunt. Sed quænam illa scriptura est, quæ hoc dicit? Nam, ut illi nobis argumenta faciant sine Scripturis, & axiomata dictent, ipsis non damus. Nos vero in Scripturis legimus utrumque. *Deus erat Sermo.* Johan. 1: 1. *Dominus est Spiritus.* ὁ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. 2 Cor. 3: 17. Quibus dictis patet, verè, quando *Elohim, Deus*, aut *Jehovah*, vel *Adonai, Dominus*, in Scripturis V. T. legitur, verbi gratia, in commemoratione factorum in principio, vocabulum *Deus creans* significare etiam Sermonem, & in historia Mosis, ad Dominum retecta facie accedentis, vocabulum *Dominus* significare etiam Spiritum Sanctum. Falsum igitur est, quod dicit Eques; quia nomina hæc, Deus, unus Deus, Jehovah, Dominus, in Scripturis significant Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: aliquando simul, aliquando distinctè aliquem de tribus: quod ex characterismis naturalibus aut œconomicis intelligi potest. ut in illo: *Jehovah est Justitia nostra. Gloria Jehovah manifestata est. Jehovah solus Salvator & Goël* (h. e. frater & vindex) est. *Deus suo sanguine emit sibi Ecclesiam.* Mihique certum est, Socinianos nulla arte efficere posse, ut symbolum id Israëlis, quod extat Deut. 6: 4. *Jehovah, Deus noster, Jehovah unus* vel *unum*, non significet,

ficet, quod nos dicimus, Pater, fons gratiæ, Filius, redemtor, Spiritus, Arrhabo & Paracletus noster, unum sint aut ut primum præceptum Decalogi, quo *Jehovah*, *Deus Israelis*, dicit, *Non erit tibi Deus alius*, non valeat, eum, per quem in nobis efficitur justificatio & glorificatio nostri, ut Jehovah nobis sit in Deum, esse eundem, qui & Abrahamo dixit, Ego tibi & semini tuo fiam in Deum, & qui adeo & cœlum ac terram fecit. utque illud præceptum tantùm ad tempus tenuisse (quemadmodum volunt Sociniani) nunc autem sub Nov. Testam. ita correctum esse videatur, Me & alium habebitis Deum. ut Smalcius dicit *adversus Monstra* p. 77. *Nibil est Scripturis, præsertim Novi Testamenti, magis consentaneum, quàm, præter unum naturâ Deum, alium etiam colere, qui non sit natura & essentia Deus.*

14 §. 12. [14] Traditio Equitis de Filio nobis nudat innocentiam partis adversæ. *Filii*, inquit, *nomine is, qui à Patre ante secula omniumque rerum creationem præcognitus & ex mente illius genitus & unicè dilectus, destinato seculorum lapsu, solius Spiritus Paterni virtute, in utero matris, purissimæ virginis, conceptus & genitus, à Patre deinde sanctificatus, & in mundum, cum æternæ salutis nuncio, missus, pro peccatis totius mundi victima factus, à mortuis resuscitatus, ad dextram Dei Patris sedere jussus est, tradita sibi omnium in cœlis & in terra ipsiusque adeo judicii ultimi suprema potestate.*

§. 13. Rogo te, mi Eques, ubi legisti, *Filium ante secula præcognitum esse*, ut filium? Christum esse *agnum præcognitum ante jacta fundamenta*, legimus 1 Petr. 1: 19. 20. sed esse filium præcognitum, quasi non ante jacta mundi fundamenta fuerit, & filius fuerit, sed demum in ultimis diebus exstiturus esset filius; nusquam legisti. Hæc tu audes, & mendacia tua pro veritate jactas. Interim sicco pede præterveheris, quæ tam clarè de Filii æterna & indissolubili vita, ac gloria, quam habuit apud Patrem, in Novo & Veteri Testamento inculcantur. Qualia & nos in assertione & explicatione principii Euangelii Johannis protulimus.

15 §. 14. [15] Rursus, ubi legisti, *Filium ex Patris mente genitum*, nempe antequam nasceretur ex matre virgine, & ante secula? quod nihil aliud significat, quàm Patrem de eo creando cogitasse. Itaque tibi *genitus* dicitur, antequam esset. Idemque tibi est *genitus* & non extans. neque relinquitur, quare non & Angeli, & Adam, & omnes filii Adami eodem modo dicantur ante secula *geniti*. Falsumque tibi est, Melchisedecum Filio nec principium dierum nec vitæ finem habenti assimilatum. Heb. 7: 3. & habere eum processiones anteriores, à diebus seculi, antequam è Bethlehem procederet. Mich. 5: 1. aut *Angelum illum faciei*, in quo Deus videtur coram, & qui apud Deum intercedit (qui non potest esse alius, quàm *Angelus fœderis*) omni tempore pro Israelitis intercessisse, eosque potenti suo verbo bajulasse. Esa. 63: 9. Hebr. 1: 3. denique eum *in initio* & *ab initio fuisse*. Joh. 1: 1. 2. 1 Joh. 1: 1. Omitto alias clarissimas demonstrationes. Neque enim librum scribimus.

16 §. 15. [16] Quæro etiam, ubi legeris, *Spiritus paterni virtute conceptum esse*? Hoc enim tuum commentum est, eò excogitatum, ut *ab evidenter veris, brevissima mutatione, disputatio ad ea, quæ* si non *evidenter falsa sunt*, certè non sola vera sunt, *perducatur*. Id Jurisconsulti *cavillationem* nuncupant. de reg. jur. l. 66. & l. 177. de V. S. Verum est, quod Spiritus Sanctus Filio corpus fecerit, (Nam & à Spiritu Dei missus est, Esa. 48: 16.) sed quod sibi ipse Filius corpus non fecerit, id neutiquam verum est. Nam seipsum, quum in forma Dei esset, & esset Deus, & tanquam Deus in tenebris luceret (Joh. 1. vers. 1. 5.) evacuavit, dum assumsit formam servi, dum in similitudine hominum factus est, ideoque & similis hominum homo & non major servo, quatenus domini argumenta, quæ videbantur, fide prophetiarum dijudicanda erant, propria voluntate inventus est, Phil. 2: 7. ipse structor est templi Domini, Zach. 6: 12. 13. Hebr. 3: 3. 6. &, quia est assertor (ἐπιλήπτωρ) seminis Abraham sua gratia & dilectione, cum pueri carne & sanguine participarent, ipse quoque illa communia cum ipsis suscepit, Heb. 2: 14. Ideoque & dicitur venisse in mundum, in quo fuerat, & quidem ad propria, quorum conditor ipse erat. Joh. 1: 9. 10. 11. Col. 1: 16. Eph. 3: 9. 10. Heb. 3: 3. 6.

17 §. 16. [17] Prævaricatur itaque Eques, cùm in phrasi *conceptus ex Sp. Sancto*, quem *spiritum paternum* vocat, nihil nobis relinquit intelligendum nisi *virtutem spiritus*, qui procedit à Patre. quum tamen ea phrasis potius significet ἐπέλευσιν & descensum in Virginem ipsius Filii sive Sermonis, ut eam gloria cooperiret, & in ea habitaret, ut filius hominis. De qua ἐπελεύσει loquitur Angelus Luc. 1: 35. Nam quid impedit, Filium, Sermonem, Sapientiam, quæ est & erat in sinu Dei (Prov. 8: 30. Joh. 1: 18.) *Spiritum Sanctum* h. e. personam incorpoream, & sanctam h. e. ab omni vilitate & impuritate semotam, indigitari? Nonne in ipso est & *Caro*, secundum quam est ortus ex semine Davidis, & *spiritus sanctitatis* sive *sanctus*, (sive persona & natura non humana sed divina) secundum quem *definitus* & propriè ac singulariter denotatus compellatusque est (quod Smalcius vult constitutum factumque intelligi) *filius Dei in potentia*? Rom. 1: 3. 4. *Quo Spiritu vivificatus est* ex mortuis; & *in quo profectus est prædicatum .... in diebus Noë.* 1 Petr. 3: 18. 19. *in quo justificatus est*? 1 Tim. 3: 16. Nonne ipse est *spiritus vivificans*? 1 Cor. 15: 45.

§. 17. [18] Præterea annon, dum *Spiritum paternum* 18
dixisti, apud animum tuum negasti, Sp. Sanctum esse spiritum Filii, & quidem naturaliter, ut ex Patre, ita ex ipso esse? Quod quum nos doceant Scripturæ, vel hoc ipso docent, Filium per Spiritum suum sibi corpus & σκήνωμα fabricasse. Certè Sermo, dum factus est sive esse incepit caro, h. e. homo, eo ipso ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν h. e. in nobis habitare incepit. Joh. 1: 14. quod est voluntatis & potestatis, & promissionis antea ab ipso editæ impletio atque exhibitio. Vide modo Zach. 2: 14. 15. vel 9. 10. *Nam ecce ego agito manum meam contra eas & erunt præda servis suis, & cognoscetis, quod Jehovah* Deus *exercituum me miserit. Jubila & lætare, filia Tsijon, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui: dictum Jehovah.*

§. 18. [19] Non obscurè innuis, Eques, te nominis 19
Filii nullam propriam notionem & significationem *in potentia*, sed tantum eam, quod more non vulgari à Deo creatus sit, agnoscere. adeo ut non magis sit Filii Pater Deus, quam Angelorum. Idque tam forte argumentum visum est & Smalcio, ut censuerit, nisi dicamus, Deum seminalem naturam addidisse ad sanguinem Virginis, quo conciperetur D. Jesus, eum Patrem ejus appellari non potuisse. Id vero fœdum ipsius commentum est, ad religionem prorsus inutile, & ad gloriam Dei nihil faciens prorsus. Quid enim attinebat Deum Christi magis Patrem quàm creatorem nuncupari, ut propter eam caussam seminalem essentiam injiceret in uterum virginis, quò Pater nuncuparetur? De hoc commento vide Smalcium *adversus Monstra* p. 150. Quomodo igitur nomen *Filii*, in ejus compellatione, est nomen præstantius, quàm quod Angelis dari possit? Hebr. 1: 4. Quod nomen Solomo ultra hominis comprehensionem esse testatur, Prov. 30: 4. & Esaias פלא *mirabile* indigitat. Esa. 9: 5. Certe ea, quam tu fingis, ratione diceres eum filium Spiritus sancti. Numquid vero & hoc alicubi legisti?

§. 19. [20] Legimus, quod Filium *Deus sanctificaverit,* 20
& in mundum miserit, Joh. 10: 36. sed quod eum *deinde*, postquam ex virgine natus est, demum sanctificaverit, & in mundum miserit, non legimus. Id tuum figmentum est. Pridem sanctificavit eum Pater, antequam natus est. Nam & Gabriel testatus est cum ἅγιον *sanctum*: & prophetæ omnes eum declarant esse τὸν ἅγιον, *Sanctum illum*. Sit omnium instar Esaias, qui cap. 6. narrat, ei accinuisse angelos, *Sanctus, sanctus, sanctus*. Tunc enim vidit gloriam ejus, & de eo locutus est. Joh. 12: 41. Id quod ex ipsa visione Esaiæ perspicuum est. Omnes enim circumstantiæ testantur, vidisse Esaiam humanam speciem collocatam in throno: ut & Ezechiel vidit cap. 1: 26. Atqui in visione non videtur ut homo, nisi ὁ φανερούμενος ἐν σαρκὶ, qui *manifestatur in carne*, sive, *qui fit caro*.

§. 20. [21] Neque, postquam natus est, tum demum 21
missus est, sed quando *in carne venit*, sive dum natus est & in mundum venit, missus est, & quidem à Deo, ex cœlo. Quæ tu, bone vir, retices omnia. Malles scilicet ea non scripta. Nam quid est non confiteri, nisi palam negare? Imprimis in oppositione tuæ sententiæ ex adverso sententiæ orthodoxæ. *Mitti in mundum* verè est Filii descendentis ex cœlo, & venientis à Deo, apud quem, & in cujus sinu erat (Johan. 1: 1. 2. 17: 5. Proverb. 8: 22. 30.) unde & dicitur non ex terra, sed ex cœlo esse. Johan. 3: 31. 34. 8: 23. Quid istud monstri est, quod meminisli ascensionis in cœlum, & descensionem dissimulas? Nonne Apostolus ex hoc ipso, quod *ascendit*, infert, tanquam necessarium connexum, quod *prius descenderit*? Eph. 4: 9. Quod certè, si ex terra esset, nulla ratione dici posset. Vos autem hic Apostolo,

& ipsi Domino (Johan. 3: 13.) in os contradicitis. Apostolus dicit: *Si ascendit, ergo priùs descendit.* nempe quia *ex superioribus est*, hoc est, quia Deus & Dominus est is, qui ascendit in altum. Psalm. 68: 8. 19. Vos autem, *Si descendit, ergo priùs ascendit.* nempe quia ex inferioribus est. Ideoque fingitis, Christum aliquando in cœlum ascendisse ante prædicationem suam; quanquam id non sit scriptum. Estne hoc scripturam tradere, an Alcoranum? Plura de his egimus in Consideratione Princip. Euangel. Johannis §. 47. & 164.

20 21 §. 21. [20] [21] Quod autem non demum missus sit post nativitatem, id ex eo manifestum est, quia *missus est in similitudine carnis peccati.* proinde in nativitate. Rom. 8. vers. 3. & quidem, ut fieret sub legem, Gal. 4: 4. Atqui, quando ex muliere ortus est, tum factus est sub legem. Luc. 2: 21. 22. 23. Quare etiam, quando natus est ex muliere, missus vel potius *emissus* sive à Deo missus est, & à Deo venit. Sciunt Sociniani, syntaxin verbi & participiorum, quæ est Gal. 4: 4. non refragari nostræ expositioni. Ne tamen tergiversentur, insuper monet Apostolus, *à Deo missum esse Filium, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Non vero hoc fine missus est, postquam natus & legi obnoxius factus esset, sed cùm legi obnoxius factus est. Quod ipsa nativitate factum est. Tum igitur, quando natus est, à Deo exivit, & in mundum venit. Joh. 6: 46. 8: 42. 12: 46. 13: 3. 16: 27. 28. 30. 17: 8. Ubi Christus hujus rei fidem inter ea, quæ cumprimis necessaria sunt, commendat, dum id quasi unicum aut sanè primum inter credenda de ipso facit. Vide cap. 16: 27. *Credidistis, quod à Deo exiverim.* & cap. 17: 8. *Cognoverunt verè, quod à te exiverim, & crediderunt, quòd tu me miseris.* Quare & Johannes in principio Euangelii id, ut primum fidei articulum, inculcat, *Fuisse apud Deum, in tenebris lucere, propria in mundo habuisse, fuisse vitam & lucem:* tum *venisse in mundum*, vers. 9. non tamen, ut qui non fuerit in mundo. vers. 10. ad proprios venisse, &, à propriis repudiatum, iis, qui acceperunt eum, dedisse jus filiorum: vers. 11. 12. 13. nempe *carnem fuisse factum*, & sic *habitasse in hominibus.* eoque partim rejectum esse, partim gloriam ejus visam iis, quibus datus erat.

22 §. 22. [22] Ex eis, quæ diximus, apparet turpis dissimulatio finis missionis ipsius, nempe ad verè & propriè redimendum. Nam Eques noster *cum æternæ salutis nuncio missum dicit*, ut putemus, ejus missionem incipere à prædicatione & non à subjectione ad obedientiam legis. Quanquam autem Christus primus ex resurrectione mortuorum lucem nunciare debuerit populo & gentibus; tamen salutis æternæ primus ipse index & testis non fuit, quatenus in carne locutus fuit; sed Deus Pater de ipso & salute hac testatus est per prophetas, & ipse non in occulto ab initio locutus est. Es. 45: 19. 48: 16. Joh. 8: 25. *Tu quis es? Initio quod & loquor vobis.* q. d. Mirum est, me nunc interrogari à vobis, quis sim, quum id ipsum sim, & re ipsa esse inveniar, quod ab initio sermonis divini ad vos facti hactenus per prophetas meos vobis loquor & testor.

23 §. 23. [23] Impudentia est, quod audet Eques asserere, *Christum victimam esse factum pro peccatis totius mundi.* quum tamen revera loci ejus negent, eum victimam factum esse. Quam sibi hic constent, infra ad p. 11. 12. 52. & 55. cum Deo bono monebimus. Et, re ita postulante, ad pag. 51. de sessione ad dextram Dei dicendum erit.

24 §. 24. [24] *Potestatem omnem in cœlo & terra* quomodo Christo attribuent, quum ipsi adimant id, quod necessarium est, tum ut potestas omnis ei dari possit, tum ut eam possit exercere? Apostolus, ut Christus constituatur hæres omnium, præsupponit, quod Deus per eum secula fecerit. Hebr. 1: 2. quo non potest significari nisi productio partium mundi, de qua Hebr. 11: 3. *Fide animadvertimus, secula concinnata esse verbo Dei.* Nam & eæ עולמים *αἰῶνες secula* solebant ab Hebræis, ad quos Apostolus scribebat, appellari. Idem hoc ipsum enucleatius tractat & inculcat Coloss. 1: 15. 16. 17. 18. 19. Hoc, quod dixi necessarium fuisse ipsum habere, ut potestas omnis ei dari posset, Johannes *dignitatem* vocat: quam negat in ulla creatura repertam esse in cœlo & in terra. nempe dignitatem ad *aperiendum sigilla* libri, h. e. exhibendum factis, quæ in libro Dei scripta sunt, ut, paulatim repræsentatis implementis, prophetiæ mysteria cognoscantur: *& ad accipiendum potentiam, & divitias, & sapientiam, & vim, & honorem, & G*LORIAM, *&* BENEDICTIONEM. Apoc. 5: 4. 5. 9. 12. 13. *Accipit* autem, quando Deus, angeli & homines hæc ei *dant*, hoc est, ei attribuunt & testantur de ipso. Si verò Christus non est verè & propriè, h. e. non natura, sive illa Deitate, quæ unica est, sed nomine tenus, Deus, non potest accipere hæc omnia: quemadmodum illi dantur vers. 13. cum Deo. Dei enim hæc sunt. Et Deus gloriam suam alii & diverso nulli dat. Es. 42. & 44. Ita enim desineret esse unus. Ideo testatur Baptista & Christus ipse, quod diligat Pater Filium, eoque omnia in manum ejus tradiderit. Joh. 3: 35. & omnia ei ostendat, quæ facit. Joh. 5: 20. Quæ dilectio nihil est, nisi voluntas, qua quærit gloriam ejus, Joh. 8. 50. eumque vult glorificare, & honorari, quemadmodum ipse honoratur. Joh. 17: 1. 5. 5: 23. Col. 1: 18. 19. Uberius hæc explicandi facultatem nobis præbent Scripturæ, nempe omnes actus Filii Dei, ad quos agendos & exercendos potestatem accepit, esse planè divinos & creaturæ nullo modo convenire: nisi in hisce animadversionibus brevitas servanda esset. Quod si autem illius actus planè divini sunt (quod nec Sociniani prorsus negare possunt) quomodo eos patrandi potestatem habere potest, qui non est Deus? Scio, ridere Socinianos, quum dicimus, requiri ad potestatem accipiendam dignitatem Creatoris omnium. Solent enim sic cavillari: Qui accipit potestatem, non est Deus ille unus. Atqui longè falluntur. Pater dedit Filio omnia in manum, quia, postulante Filio, voluit, hoc est, cum Filio voluit per Filium omnia restitui & renovari. Filius in tempore accepit potestatem spiritum suum effundendi, & omnia faciendi, quæ de regno Dei & Christi ante scripta sunt; quando omnia præstitit, quæ ad consummandum principem salutis requirebantur, ut decenter & pulchre cum demonstratione virtutum Dei ea facere atque exequi posset. Sed & hæc, quæ ad consummandum principem salutis requirebantur, in quibus fundatur legitimus potestatis usus, sive ipsa potestas & faciendi jus ac decentia, tollunt; &, quasi accipere potestatem non possit, qui summus est, aut, qui summus est, possit aliter, quàm decenter agere, potestatem datam opponunt veræ Filii Deitati, per quam illa potius astruitur. Sed nec Filio dant Sociniani id, quod necessarium est ad exercendam eam potestatem: nempe potentiam, sive voluntatem efficacem. Nam Filio attribuunt sanè, quod vitam det; sed non, quod *vitam habeat in se, ut Pater vitam habet in se*, & quod ipse *vita* & *veritas* sit, neque quod *ipse faciat* ea, quæ *in nomine ipsius petimus.* Quid enim agit secundum ipsos Christus in regno suo, quod non & angeli & homines, qui norunt voluntatem Dei & eam approbant, similiter agere dici possint? Propterea, ut Apostolus miraculum aut effectum aliquem divinæ potentiæ pronunciat, & fit: ita secundùm ipsos Christus. Cujus voluntas ab ipsis, si suis volunt stare principiis, censetur esse creata & dependens, & sic nihil nisi approbatio imperii divini & postulatio effecti: non autem dominicum, herile, efficax ac forte imperium sibi subjiciens omnia; non *δύναμις*, non *ἰσχὺς*, non *κράτος*, non *δεσποτεία* aut *βασιλεία*, non in beneficiis *χάρις gratia*, non in pœnis *ira*. Qualia Christo ubique in verbo Dei attribuuntur.

§. 25. [25] Quid autem vocas, Eques, *supremam potestatem judicii*, quum non agnoscas pronunciationem verè judicis, sed indicis, tabellionis, nuncii, legati? Ita enim torquere soletis locum Joh. 5: 30. *Ut audio, judico.* Quanquam is verè *judicium* Filio assignet, & judicium secundum dicta Dei, & voluntatem Patris. Quæ *unita* est; quam vos in *dependentiam* (quanquam non sine dissidio, ut postea dicemus) convertitis. Sed, ne pudendum dogma patesceret, *supremam potestatem judicii* per ludibrium dixisti potestatem pronunciandi sententiam alienam, à qua nemo appellare potest. 25

§. 26. [26] Per *Spiritum sanctum* fatetur Eques se non intelligere Spiritum Dei, qui est in Deo, qui egreditur ex Patre & Filio ab æterno, atque adeo est Patris & Filii spiritus; qui creavit omnia, & hominem; qui locutus est per prophetas: qui est *Dominus*, ad quem accessit Moses; qui est Deus; qui misit una cum Patre Filium in tempore, ut hominem, Es. 48: 16. cui rebellarunt Israëlitæ, Es. 63: 10. Act. 7: 51. qui tentatus est ab ipsis, & ab Anania, & quem is fallere voluit: qui dat unicuique gratias, prout vult; qui habet potentiam, per quam operatur; qui est & datur alius Index, doctor & Paracletus juxta Filium, Zach. 9: 12. Joh. 14: 16. 26. 15: 26. 16: 7. 13. 14. 15. cujus templum nos sumus; qui habitat in nobis; qui nos unum facit cum Christo & Deo; qui manet apud nos; qui habet *Φρόνημα*, quod est secundum Deum; qui mortalia nostra corpora vivificabit. Rom. 8: 11. qui à nobis invocatur, 2 Cor. 13: 13. Apoc. 1: 4. per quem 26

jurat

jurat Apostolus, Rom. 9: 1. cujus est nomen, ut Patris, & Filii, in quod baptizamur; qui testatur in cœlo, & in nobis, & unum est cum Patre & Filio. adeo ut ipsius κοινωνία *communio* sit summum illud bonum & vita æterna, quam speramus. Hæc enim omnia nihil sunt, si Spiritus, divino & nobis imperscrutabili modo, non est persona & Deus, unum essentia cum Patre. Sine quo etiam illud, quod de eo videtur Eques confiteri, nihil est.

27 §. 27. Vocat eum [27] *Ducem*, *Magistrum & Paracletum*. Atqui Jehovah est rex noster, ipse est judex noster & vindex, ipse legislator. Es. 33: 22. Dux, Magister, Paracletus, personæ divinæ nomina sunt. Unica nostra consolatio est, quam nobis ereptum it Eques: propter quam id, quod in se totum imperscrutabile est, ut intelligi & credi à nobis potuit, revelatum est. Nempe fidem, lucem, amorem justitiæ & sanctitatis, preces, suspiria, etiam loquelâ destituta, in nostris infirmitatibus, quando nescimus, quid oremus, quemadmodum oportet, quæ in nobis existunt per prædicationem Euangelii, esse effecta Agentis potentissimi; ejusque voluntatis signa illa effecta esse, & tanquam voces, quibus suum Φρόνημα *studium* eloquitur; & id Agens operari in nobis propter voluntatem & meritum Filii; ex quo est & cum quo unum est: ut ita sciamus, Spiritum, qui hæc facit, revera cœlitus missum & nobis datum, & sic nostrum esse, factumque esse arrhabonem nostræ acquisitionis in hæreditatem Filii; & Paracletum, cujus voluntas, quia ipse noster est, revera est intercessio, & intercessio, quæ exauditur. Hæc est nostri *obsignatio*: quam Eques nescit, &, quantum in ipso est, in piis delet. A qua obsignatione ipsorum tota doctrina longissimè abest.

28 §. 28. [28] *Divinissimus afflatus* quid, quæso, est? Ubi id legitur? An ea vox melior & significantior est, quàm omnia illa nomina, imo magnificum illud nomen tot gloriis fulgens per totas Scripturas diffusum? Ego certè non video, quid *afflatus* ille ipsi sit. Alias solent dicere, *Spiritum* esse potentiam, inprimis sanctificantem; aliàs mediam virtutem; aliàs Euangelium; aliàs donum miraculorum; aliàs spem. Quidnam horum vocet *afflatum di-*
29 *vinissimum*, equidem nescio. [29] Sed est ipsi *afflatus Patris*. nempe non est Spiritus Filii. contra Roman. 8: 9.
30 1 Petr. 1: 11. Gal. 4: 6. [30] Sed, inquit, *Filius à Patre accepit*. Actor. 2: 33. legitur, quod *acceperit à Patre promissionem Spiritus sancti*, id est, quod Pater ipsi postulanti jure suo, quum consummatus esset per passiones, dederit potestatem implendi promissionem effusionis Spiritus sancti. Legimus item Ps. 68: 19. *accepisti dona in hominibus*. Quod enim in homines, qui sunt peculium Christi & membra illius fiunt, effunditur, id Christus impetravit, & id ipse pro merito suo accipit in suis. Sed ubi legitur, quòd Filius Spiritum sanctum acceperit à Patre, nisi qua Christus est? aut divinissimum afflatum? & quomodo secundùm vos Filius vel minimum donum accepit? Nam & satisfactionem negatis; qua negata, manet exsecrationi sua vis ad arcendum à nobis omnia dona Dei: & Christi potestas, quemadmodum demonstravimus, non est potestas quippiam propriè faciendi, aut dominium, sed potestas volendi, quod communis Dominus vult. Ita & angeli accipiunt divinissimum illum afflatum. Nam coram illis est lætitia super uno quovis peccatore resipiscente. Ita ipsi fideles accipiunt eum, ut sibi illum doneut: si tali expositioni fides est.

31 §. 29. [31] Verba igitur mera & inanes logi sunt, quæ Eques crepat p. 9. de unitate S. Trinitatis. In quibus etiam illam ταυτότητα licet castigare, quando dicit, Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt *unus idemque inter se*. Nam
32 & hoc non legitur. [32] Sed *unitatem* explicat 1. *negationem dissensionis*. Quæro rursus, quis te docuit ita Scripturam interpretari? Inter Deum & Angelos nulla est dissensio. Facit enim Deus pacem in excelsis suis. Job. cap. 25: 2. Sunt servi ipsius facientes voluntatem ipsius. Psal. 103: 20. An igitur nihil est, quod *Pater & Filius unum*
33 *sunt*, amplius? [33] 2. quod *omnia, quæ F. & S. S. facit vel loquitur, auctorem habent Patrem*. h. e. vel jussorem vel effectorem. Clarum est, Equitem adimere Filio & Spi-
34 ritui sancto dominatum. de quo jam diximus. [34] 3. quod *omnia redundabunt in Patris gloriam, in eaque tanquam ultimo fine suo conquiescent*. Rursus clarum, negari gloriam Filii & Spiritus sancti, quam Pater quærit & vindicat; negari Filio εὐλογίαν & gratiarum actionem; negari, eum esse finem nostrum; adeoque eum esse *vitam*. negari, Spiritus sancti communionem esse summum bonum. Rursus quæro ex te, Eques, ubi hæc, quæ Scriptura testatur, dissimulanda & neganda esse didiceris? Quis te docuerit, gloriam Patris esse finem gloriæ Filii, ita ut gloria Filii non sit eadem, quæ Patris?

§. 30. [35] Quæ Eques in orthodoxam sententiam dicit, 35
quibus conatus Theologorum in proponendo hoc mysterio exsibilat, non sunt digna cassâ nuce. Licet, tutum est, expedit, iis insistentem, quæ Deus de se revelavit, ignorare velle, quæ Deus non revelavit.

Nescire velle, quæ magister maximus
Nescire nos vult, erudita inscitia est.

Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quicquid non possis ratione attingere? Bern. ep. 190. Non enim licet ignorare aut negare, quæ Deus revelavit. Sermonem esse Filium Dei, non secundum carnem, secundùm quam ex semine Davidis est, sed secundum spiritum sanctitatis, quo est spiritus vivificans, est dictum Dei. Filium & Patrem esse unum, atque ideo à Patre dissentire non posse, neque adeo quempiam ex manu ipsius eripere posse, dictum Dei est. Eum esse Filium Dei in potentia, neque adeò minus unum esse cum Patre, quàm quivis nostrum cum suo Patre, cum quo naturam communem habet (sed similitudine & origine, non unitate) dictum Dei est. Filium à Patre mitti & donari, ac proinde non esse eum, qui est Pater, dictum Dei est. Filium habere & facere, quæ habet & facit Pater, dictum Dei est. In Filio Dei gloriandum esse, at in non-Deo gloriandum non esse, sed per gloriationem in non-Deo, in non-Jehovah, Deum offendi & ad iram provocari, verbum Dei est; neque tantum verbum, sed facto comprobatum judicium. ut Canticum Deuter. 32. demonstrat. Omnis gloriatio Judæorum in Messia non-Deo Dei provocatio est & à vero Deo apostasia ad dæmones. Deuter. 32: 21. 27. Non esse diversum Filium à Patre, ut gloriam Dei, quæ est gloria redemtionis & conversionis mundi, accipere non possit, verbum Dei est. *Jehovam, Deum nostrum, Jehovam* (qui sit, quod est, creando, Filium dando, redimendo, justitiam parando, nos regenerando, obsignando) *unum esse*, verbum Dei est. Nullum alium esse pro Deo unquam habendum, quam eum, qui Israëlitas eduxit ex Ægypto; & in Christo Deum nobis factum esse in Deum, sive *verum* factum esse, imo Deum Israëlis debuisse conspici revelatum in gloria sua, verbum Dei est. Vivere Filium propter viventem Patrem; & vitam in se habere, quemadmodum Pater vitam in se habet, verbum Dei est. Filium esse Deum, & non esse Θεὸν λεγόμενον *Deum nuncupativum*, sed deorum nuncupativorum dominum, conditorem, nominatorem, judicem, vindicem ac destructorem, verbum Dei est. Psalm. 82. & eum, qui ab angelis, item nuncupatis diis, adoratur, esse Jehovam, item verbum Dei est. Ps. 97: 7. Hebr. 1: 6. Sed esse *Deum quendam, impropriè dictum, nuncupativum, non-Deum Israëlis, non magnum illum Deum*, Socini dictum est. Unum *esse* Deum, cæteros *dici*, verbum Dei est. Socinianorum sermo est, Plures esse verè deos, sed inæquales. Nobis Christianis unum Deum esse, verbum Apostoli est. Socinianorum, nos habere Deum magnum & minorem. At quomodo tres *sint unum*, & sic habeant unam essentiam, nec revelatum est, neque revelari potuit. Nemo novit Patrem, nisi Filius; nec Filium, nisi Pater. Et revelat Filius, in quantum revelari necesse est. *Quod est nomen ejus, qui ventum colligit pugillis, & aquas constrinxit tunica, & quod est nomen Filii ejus, ut cognoscas*? Si interrogare libet, *quomodo hæc fieri possunt*, ut Nicodemus quondam interrogabat, Deus vobis interrogandus est, ut respondeat vobis. Quanquam nonne videtur vobis respondisse, quum Esa. 40. eos objurgavit, qui Deum, cujus gloria ibi manifestanda promittitur, suis cogitationibus homini similem faciunt, ut negent eum esse, qui oculis visus, auribus auditus, & manibus palpatus est? Nam quibuscum, quæso te, rixatur, quum dicit, *Et cui assimilabitis Deum*? postquam Dei immensitatem & omnipotentiam docuisset: ejus, inquam, cujus gloriam manifestandam, cujus os coram populo locuturum, quem quasi digito sine metu & trepidatione oppidis Judæ ostendendum prædixerat; nisi cum Judæis, qui, ne crederent, hominem illum Jesum aut Christum promissum esse Filium Dei in potentiâ, Patri æqualem, de Deo cogitationes humanas conceperunt, quales Sociniani; nempe, Deus unus est, Ergo Homo hic non est Deus ille unus, & Messias non potest esse is, qui Israëlem eduxit ex Ægypto? Nonne cum iisdem litigat cap. 45. & 48. & cap. 50. ubi is, qui os suum non subtraxit alapis, vocatur Jehovah, & de potentia sua & operibus

bus divinis protestatur, & ad Deum justificantem se provocat?

p. 10. §. 31. [36] Cui igitur credemus? Deo tam evidenter de
36 se testanti; an illi, qui, quia *à nemine* ille modus unitatis *intelligi potest*, ideo decernit esse negandum, quod diserte dictum est, & Deum ad modulos creaturæ reducendum? Si Eques alia omnia intelligeret, si suam ipsius animam &, quod illa imperium in membra habet, nosset; si sciret, quomodo possibile sit seipsum fieri & existere, cùm nihil aliquando fuerit; si sciret, quomodo Deus pugillo aquam metiatur, & cœlos spithama dirigat, & trientali mensuret pulverem terræ, & trutina montes collesque appendat; forte ferremus eum determinantem ex sui intellectus mensura, quid verum falsumve sit in Deo, qui major est omnibus rebus creatis, in quibus tantùm umbra est ejus, quod ipse est, adeo ut ad illum gentes sint tanquam stilla de situla, cum omni sua cognitione atque sapientia. Atqui Eques illa omnia juxta cum ignarissimis ignorat; neque sciet, etiamsi omnium hominum scientiam in unum conflatam combiberit. Quomodo igitur nobis dicet, quid sit Deus, & an is verum dixerit de se nec ne, qui nescit, quomodo aliquid sit præter Deum? Certè, unam esse voluntatem, cujus quasi momento (cum Ambrosio loquor) omnia facta sunt, tam palam est, quàm clarum est, Solem esse ad oculum, & oculum ad Solem; & tamen nec oculum sibi Solem, nec Solem sibi oculum fecisse. Itaque & illud perspicuum est, non esse aliam voluntatem, qua sanctificamur, ut simus ad ipsum, unde sumus; nisi eam, propter quam sumus. Ejus esse potentiam, & divitias, & gratiam, & regnum, & honorem, & gloriam. Esse vero necessario hanc voluntatem & sponsoris & sacerdotis, lex Dei & conscientia, Deo veritatem & sanctitatem attestans, vociferatur: & scriptura id universa pronunciat. Eam verò gratiam extare, & Deum decere, ipsa Dei tolerantia & mancipatio creaturæ in servitutem vanitatis & liberalissima beneficia inter plurima judicia & castigationes, præter verbum, quo vocamur ad pœnitentiam, demonstrant. Deus vero, quod natura scire non poteramus, verbo suo nobis revelavit, Sacerdotem nostrum, cui dati sumus, cujus hæreditas sumus, in quem credere, cui confidere, in quo gloriari, quem in nobis vivere & in nobis glorificari atque admirabilem fieri oportet, esse Filium suum, hominem per dilectionem suam factum, unum secum. Hoc non intelligit Eques, ideo negandum est, imo omnia, quæ cernimus & palpamus, quæque in intimis conscientiæ penetralibus recondita sunt, tollenda & eruenda sunt. Nondum vides, Eques, te non tantum Scripturam, sed ipsam conscientiam & Dei opera manifesta tollere, quia non vis credere, quod non intelligis? Sed estne hoc armis spiritûs pugnare, dicere, non intelligo, &, quod non intelligo, nego?

§. 32. [37] Nescio ubi nostri, *desperantes de Scripturis,* 37
vos ad Christiani orbis consensum vocent. Neque enim multitudine nitimur. Non tamen possumus vobis non objicere vestram novitatem, per quam ipsam vos confundi necesse est: quum appareat, id, quod nos credimus, ab Ecclesia Christiana, quæ verbum Dei secuta est, abinitio creditum esse; ut Justinus Martyr testatur: & Scripturæ prophetia inter illos, qui Deitatem Christi defendunt, & qui eam oppugnant (quos orituros sequentibus temporibus prædicit) clarè sententiam pronunciet. Certè, si prophetias adeamus, omnia, quæ de Ecclesia Deo charissima prædicuntur, & magnam partem impleta sunt, non in vestros sodales, sed in eos, qui Christum serio adorant atque invocant, conveniunt.

APOLOGIA.

Non evertere Christi & Spiritus S. divinitatem. *AJunt nos* evertere Christi & Spiritus S. divinitatem.
Atqui nos Christum Deum esse confitemur, [38] *divinitate, quæ Christo, quæ Dei Fi-*
lio, Dei [39] *Sermoni, quæ Regi & Judici omnium à Deo* [40] *constituto, propria est. Simi-*
liter Spiritus S. divinitatem, quæ spiritui, id est, Dei afflatui sancto, & virtuti sanctæ
pag. 11. *competit, agnoscimus; quam isti Orthodoxi ipsum Deum esse dicunt, cujus afflatus est;*
38 39 *cum tamen in universa Scriptura nusquam* [41] *Deus nominetur; sed Dei esse dicatur: quam-*
40 41 *vis, quia* [42] *Dei virtus est, merito ipsius Dei loco ponatur.* [43] *Ebionis, Cerinthi, Samo-*
42
43 44 *sateni, Arii,* [44] *Serveti, (quem Genevæ crudeliter exustum non sinet inultum is, quem me-*
diis in flammis invocavit, æterni Dei Filius) partim famosa, partim invidiosa nomina nil
moramur; quæ non ex vero, sed ex odio, & odii in nos concitandi studio nobis imponunt.
45 *Meminimus ipsum Dei Filium, ab adversariis odio & invidia cæcis,* [45] *Samaritanum, Dæ-*
moniacum, Insanum, NazaræNum, Galilæum fuisse appellatum.

EXAMEN.

38 §. 33. [38] Quæ *deitas* sit Filii Dei, jam explicatum est. *Filius* est ejusdem naturæ cum Patre.

39 §. 34. [39] *Sermoni Dei*, qui ita est in Deo & ex Deo, ut in mente sui cogitatio; qui loquitur verba Dei propria; qui imperat & sistit opera Dei; qui Deum edisserit, ut imago, verbis & voluntate sua sancta, misericordi, potenti; qui est Sapientia & potentia Dei; qui ab initio non in occulto locutus est; qui est המדבר *ille loquens*, Esai. 52: 6. qui in cordibus loquitur, illaque testimonio de Dei gratia illuminat, ut lux; de quo in toto volumine libri scriptum est; quem Deus loquutus est ad gloriam suam & ipsius, ut objectum fidei, spei, gloriationis; quemque solum nominavit, nominandumque ad justitiam & salutem proposuit; cui dedit nomen supra omne nomem; qui locutus est de salute nostra ad Patrem ut sponsor Testamenti, &, ut angelus faciei ipsius, pro populo Israëlitico, & omnibus salvandis ab ævo locutus est, potentique verbo suo sustentavit & sustentat omnia: ei, inquam, *sermoni vitæ*, qui est vita & lux, non competit imaginaria & nuncupativa Deitas, sed in ipso oportet habitare plenitudinem Deitatis corporaliter.

40 §. 35. [40] Etiam hoc in sermone tuo, Eques, periculosum est, quod Christum vocas *Regem & judicem constitutum.* quo non id significas, quod Scriptura; quæ dicit, eum à Deo esse *definitum* h. e. singulari compellatione definitè, nominatim & cum indigitatione denotatum *judicem*, aut ei *judicium esse datum*, ea datione, quæ consentanea est consilio Ecclesiam per eum salvandi, secundùm quod dicitur Hebr. 1: 2. *quem & heredem omnium posuit* h. e. esse voluit: sed, eum esse judicem delegatum; non dominum, non eum, in quem peccatum est, cujus lex spreta est, cujus est irasci aut remittere peccata; Exod. 23: 20. 21. verum judicem captum è plebe, cui, nullam dignitatem aut imperium habenti, potestas quædam cognoscendi & judicandi datur; vel, ut res ipsa in hoc negocio postulat, tabellionem, qui sententiam Dei pronunciet.

§. 36. [41] Tun' vero audes negare, Spiritum sanctum pag. 11.
appellari Deum? quum & Lucas id faciat, Actor. 5: 3. 4. 41
& Apostolus 2 Cor. 3: 17. Dominum appellet: imo ipsa vox *Spiritus Domini* aliquid tam intimum Deo significet, quam est homini suus spiritus. 1 Cor. 2: 11. Cui Scriptura omnia divina prædicata attribuit; quæ sunt totidem divina nomina, imo omnia unum nomen constituunt?

§. 37. [42] Quam *virtutem Dei*, quæ à Deo ipso distin- 42
cta sit, & *ipsius Dei loco ponatur*, somnies, nescio. Hoc scio, quod rursus cum Scriptura non loquaris; & in sanam rationem impingas. Illud, quia Scriptura Spiritui vim & potentiam divinam, & operationem divinam, qua agit, ubi & quemadmodum vult, attribuit; quod tu dissimulas: hoc, quia impossibile est, ut inter Deum & effecta ipsius virtus aliqua media, quæ nec sit Deus, nec creatura, inter-

tercedat. quemadmodum Crellius Institut. Volkel. lib. 1. cap. 22. pag. 158. de Spiritu, quem Christus accepit, dicit, *esse qualitatem intermediam inter potentiam Dei & effectus manifestiores, qui vel internis vel etiam externis hominum sensibus percipiuntur.* Ubi & eam *qualitatem* nominat *virtutem.* Si voluntatem Dei sanctam eandemque efficacem intelligas, quomodo habet Φρόνημα, sensum, &, ut vocabulum hoc dulcissimum aliquo modo elucidem, studium, quo est nostrarum partium, secundùm Deum & sic voluntatem ejus? Rom. 8:26. 27. Estne duplex in Deo voluntas? Ita, dum refugis agnoscere duarum personarum voluntatem eandem, distinctè denominatam, in alterum te impellis absurdum, ut duplicem facias in Deo voluntatem; siquidem Spiritus S. est voluntas Dei, & habet voluntatem secundùm voluntatem Dei. ut videris cogitare; si quid cogitasti, & non omnia potius inconsideratè projecisti.

43 §. 38. [43] Ebionis, Cerinthi, Samosatensis, Arii, Serveti nomina non *invidia* aut *odio* tibi tuisque objecta sunt, sed ut in illis te contemplareris. Non licet nobis in familiam vestram & patriarchas inquirere? Atqui id & Psalmus 49:20. suadet. *Veneris ad prosapiam patrum ejus: in perpetuum non videbunt lucem.* Nihil tibi pensi est, cum quibus communionem & familiæ & civitatis societatem habeas; utrum cum iis, quos ea Ecclesia, quæ testimonium habet in verbo Dei, per verbum Dei jugulavit, quique seipsos, dum aversi à veritate in alia alii mendacia incidunt, confodiunt; an cum iis, qui cum SANCTIS permanent fideles. Hos. 12:1.
[44] Nec tu adeo Servetum non agno- 44
scis, quem censes *Filium Dei invocasse in mediis flammis.* Utinam vero invocaverit, atque perditio carnis ipsi utilis
fuerit, ut spiritus vivat Deo! [45] Qui Filium Dei Samari- 45
tanum, &c. appellarunt, iidem fuerunt, qui, quod vos negatis, negarunt, &, sive bene sive malè intellexerint verba Christi, blasphemum judicarunt. Vide igitur, cum quibus te junxeris in hac causa. Nos libentiùs jungimur Justino, Tertulliano, Cypriano, & eis, quos Plinius testatur *carmen Christo quasi Dei dicere* solitos. neque enim, ut
injuriâ dicis pag. 10. verum est, [46] *Totius Christiani orbis* 46
consensum à nobis flocci pendi. Novimus enim, Ecclesiam, quando redarguit, ac docet per verbum Dei, audiendam esse: novimus, Euangelium esse prædicatum in mundo, creditum in gentibus; idque opus divinum & argumentum divinitatis & Scripturæ & Christi animadvertimus; quæque in gubernatione Ecclesiæ & in omni visitatione ejus futura in prophetiis antè scripta erant, annotamus, & ea ipsa prædictione, quando in nobis impletur, tanquam nominis nostri in libro viventium signatione gaudemus.

APOLOGIA.

[47] *Capite accusationis sublato, pergamus ad alia. Ajunt nos* negare Christi satisfactio- Nos Christi
nem. *Si de* [48] *voce loquuntur; hæc quoque in SS. Scripturis nusquam extat; si de* satisfactionem
re, quæ Scripturis sit consignata; firmiter credimus, ita pro nobis ad consequendam peccato- non negare.
rum remissionem [49] *divinæ voluntati à Christo satisfactum esse, ut nihil ad plenissimam sa-* 47 48
tisfactionem desit. Sed [50] *nimirum illi satisfactionem intelligunt, quæ debitorum omnium* pag.12.
condonationem penitus excludit; (quicquid contra disputent) nos [56] *satisfactionem, quæ con-* 49 50
donationis peccatorum [60] *post Dei gratiam causa sit. Namque tanta nos Deus gratiâ com-* 56 60
plexus est, ut non solum [54] *debita nostra omnia, quorum numerus iniri nullus potest, nobis* 54
condonaverit, à nemine sibi nostro nomine persoluta: sed insuper etiam, ut tantæ suæ gra-
tiæ [65] *jus &* [61] *pignus certissimum nobis daret, illiusque* [62] *fidem haud dubiam nobis face-* 65 61
ret, simulque & [64] *gratiæ istius* [63] *effectu ipso, & aliis ingentibus bonis nos bearet; Filium* 62 64 63
suum [66] *proprium (proinde quatenus verè & propriè Dei Filius fuit, non quatenus non fuit)* 66
[55] *victimam piacularem pro peccatis nostris dedit, & crucis* [60] *supplicio affici passus est: Ita* 55
quod omnium charissimum habuit, nostræ saluti impendit. O ingentem Dei erga humanum pag.12. 60
genus amorem! ex quo cum Paulo concludere licet; si Filio [67] *suo proprio non pepercit, sed* 67
eum pro nobis dedit, fieri ne potest, ut non omnia cum Filio nobis largiatur? Hæc cum nos
dicamus & sentiamus; utri magis Orthodoxi sumus, & magis ex Scripturæ & Apostolicæ
veritatis sensu loquimur? Nimirum [51] *debitorum exsolutio magis arridet, quam remissio &* 51
condonatio. An ut tanto impunius peccare liceat? Cur enim [67] *non peccemus, si nihil à no-* 67
bis unquam peccari potest, quod jam propriè persolutum non sit? ac remissio peccatorum [68] 68
morte Christi parta, commoriendi Christo, & crucifigendæ carnis [69] *conditionem requirit.* 69

EXAMEN.

47 §. 39. [47] *Capite accusationis sublato*, Eques se ait pergere. Potest Ecclesia Reformata cum Christo dicere, *Non à nobis accusamini. Est, qui accusat vos: Scriptura, ad quam provocatis.* Joh. 5:45. Neque id agitur, ut vos rei constituamini, & puniamini pro factis vestris: sed ut Ecclesia & populus à vobis non infestetur, inquietetur, corrumpatur. Neque tibi putandum est, id, quod jam non sustulisti, sed agnovisti, & in quo deprehensus es, esse unum & ita præcipuum, ut cætera omnia minora sint. Sunt enim cum primo capite connexa cætera ferè omnia,
48 & æquè perniciosa, vestra dogmata. [48] *Satisfactionis* vocem causaris in Scriptura non reperiri. Si alia vox à nobis usurparetur dubii sensus & λογομαχίας pariens, quæ scripta non esset: merito nos rejiceres. Sed cùm ea vox significantissime id dicat, quod Ecclesia ex verbo Dei didicit, & in quo ab hæresi dividitur, frivola ista causatio est. Didicimus, eos negare justitiam Dei, sine qua stare non possumus, qui *satisfactionem* negant. Id sufficiebat, ut vos non reciperemus, neque scripta vestra, ut ὁμιλίας κακὰς, publicanda esse judicaremus. At mox etiam videbimus, an verè dicas, vel *satisfactionem*, vel id, quod ea vox significat, in Scripturis non reperiri.

§. 40. [49] Fateris, *divinæ voluntati Christum satisfecis-* pag.12.
se. Teneamus hoc saltem. Nam ex Psalmo 40. vers. 8. 9. 49
sumtum est. *Veni. Facere voluntatem tuam volupe mihi fuit.* Noscendum igitur est, quænam fuerit voluntas Dei,
cui Christus satisfecit, & quo fine. [50] *Sed nimirum illi* 50
(sic pergit Eques) *satisfactionem intelligunt, quæ condonationem omnium delictorum penitus excludit.* & pag. 13. [51] 51
Debitorum exsolutio magis arridet, quàm remissio & condonatio. Ideoque & infra pag. 52. negat Eques, [52] *Mor-* 52
tem Christi esse *pœnam peccatorum à -- -- Deo exactam.* idque repetit pag. 55. [53] & pag. 12. [54] *Debita nostra, quo-* 53 54
rum nullus est numerus, nobis condonasse Deum *ex gratiâ, à nemine sibi nostro nomine persoluta.* Fatetur interim, quod
[55] *Deus Filium suum proprium (quatenus verè & propriè* 55
Dei Filius fuit, non quatenus non fuit) victimam piacularem dederit pro peccatis nostris, & crucis supplicio affici passus sit; nempe, *ut tantæ suæ gratiæ jus & pignus certissimum nobis daret, illiusque fidem haud dubiam nobis faceret, simulque & gratiæ ipsius effectu ipso & aliis ingenti-*
bus bonis nos bearet. Etiam [56] *post Dei gratiam satisfactio-* 56
nem Christi (quam scil. Eques in mente habet) *condonationis peccatorum causam esse. Protestatur* etiam pag. 52.

57 se [57] *ex animo credere, ob hanc tam gratam Deo victimam & oblationem nobis in Christum credentibus peccata à Deo*
58 *non imputari.* Inter [58] *pœnam & victimam* distinguit pag. 55. 56. *Pœnam scilicet fieri, quum peccatum non remittitur; victimam fieri, ut remittatur. pœnâ tolli victimam, victimâ tolli pœnam.*

§. 41. Necesse fuit, hæc, quæ sparsim habet Eques, in unum locum convehere, ut, quid de satisfactione Christi sentiat, appareat. Verbis scripturæ, quibus voluit, abusus est, sub iisque pessimam sententiam occultavit.

§. 42. Ante omnia id videndum, quod *satisfactionem*, quæ sit debitorum persolutio & pœnæ perlatio, præfractè negat: eoque negat, Christum factum esse sub lege, & quidem sub execratione, ut nos ab execratione legis redimeret. Gal. 4: 4. 5. 3: 13. In quo loco diligenter animadvertendum est, quod Christus sit factus execratio propter legem, atque adeo sic factus sit execratio, ut à legis exsecratione tota suos redimeret: non autem eo duntaxat dicatur factus execratio, quod aliquam pœnalem afflictionem sustinuerit; quod concedit Socinianus Smalcius. Negat, Deum peccata nostra in ipsum impegisse, &, cùm ea *exigerentur*, (verba sunt plana: נגש ריצה לזמר עון כלנו והוא נענה *exigebatur*, videlicet *peccatum omnium nostrûm, & ipse submittebat se.* Socinus dicit, *Nullo modo opus fuit, nec voluit Deus nostrorum peccatorum pœnas à quoquam repetere, seu, ut sic loquar, debita cum ipso nostra exigere.* Epist. ad M. Vadovitam.) ipsum *se submisisse*, atque ea in se suscepta tulisse & in corpore suo in crucem sustulisse. Es. 53: 6. 7. Joh. 1: 29. 1 Pet. 2: 24. Negat, in ipso fuisse מוסר *Musár, exemplarem pœnam* (id enim tantùm potest notare vox ea illo loco. Vide Prov. 7: 22.) *nostræ pacis* effectricem. Es. 53: 5. Negat, quod *Anima Christi posuit*, esse אשם *Aschâm lutionem reatûs.* Id enim Esaias appellat eodem cap. vers. 10. Et profectò in eo loco vox אשם *Aschâm*, quæ aliàs debitionem pœnæ, aliàs culpam, quæ debitum pœnæ importat, significat, nihil aliud, quam *satisfactionem*, notare potest: quemadmodum & in tota lege cerimoniali; unde à figura ad veritatem Esaias eam vocem transtulit. Ut vel ex his liqueat, quam immerito queratur Eques, nos *satisfactionem* & quidem *pœnalem* sine Scriptura dicere. Debiti vero persolutionem ipse Christus appellat Psal. 69: 5. Et quid, quæso, aliud notat, quod dicitur *Peccatum factus* 2 Cor. 5: 11. & *περὶ ἁμαρτίας propeccato*, Rom. 8: 3. & quod Christus conqueritur in Ps. 88: 17. *omnes æstus Dei in se transivisse*? Quid? quod *peccata* nostra sua vocat in Psal. 40: 13. Sacerdotis autem quæ ratio est, nisi ut portet peccata populi? Levit. 10: 17. Nam quid commemorem, quod nemo ignorare potest, Christum *se dedisse ἀντίλυτρον loco multorum*? Matth. 20: 28. 1 Tim. 2: 6. Id phrasi Veteris Testamenti כפר *Cópher* dicitur: (cui respondet *ἀντάλλαγμα* Matth. 16: 26.) cujus ea natura est, ut loco alterius noxæ dedatur. Prov. 21: 18. Quod ibi de improbo dictum satis ostendit, eum, qui iram Dei & exsecrationem & pœnam peccati experitur ad aliorum debita & culpas delendas, revera fieri *ἀντίλυτρον* & *cópher*; non autem, qui debitum non exsolvit & pœnas non experitur. Dum Eques ita *victimam* dicit, ut pœnam excludat, & ei victimæ tribuit avertere pœnam, dicit *ἀσύστατα* & quæ se invicem expugnant. Quod enim non in mortem datur loco peccatoris, atque ita non fert pœnam peccatoris, *victima* pro peccato esse non potest. Sophisma splendidum est, ejus generis sacrificia, quæ in confessionem & gratiarum actionem dabantur, confundere cum iis, quæ *pro peccato* fiebant. Harum pecudum anima pro animabus peccatorum dabatur, Levit. 17: 11. & iis imponebatur peccatum populi, Lev. 16: 21. eæque id diccbantur ferre. Idque eo ipso evidentius est, quia sacrificia illa & expiationes injunctæ impositæque sunt, postquam lex cum exsecratione in monte Sinai inter ignem, & fulgura, & terræ motum, & vocem tubæ, pronunciata esset. Adeo ut illæ omnes expiationes nihil aliud, quàm peccatorum commemoratio & accusatio, essent. Hebr. 10: 3. Unde & Apostolus *propter transgressiones* Gal. 3: 19. additam legem asserit, eamque *iram* in transgressionem, nondum ablatam, operatam fuisse testatur. Rom. 4: 15. Quippe lex ira lata testis & præco fuit transgressionis nondum expiatæ & deletæ, sed adhuc extantis; & exactrix satisfactionis. Quum igitur lex iram illam effuderit in pecudes Israëlitarum, tanquam cibum & vitam, atque ita velut corpus & animam ipsorum, imprimis sacerdotis, Levit. 10: 17. (in typo) & in ipsos Israelitas, quos illi molestæ & severis legibus atque judiciis astrictæ servituti subjecit: quomodo negabimus, Jesum Christum Dominum nostrum, agnum Dei, qui per omnia sacrificia ostensus & præfiguratus fuit, natum, lege illa adhuc *sæviente* (sic Eques pag. 55. loqui amat) & sub lege, Gal. 4: 4. quando *exsecratio factus* est, Gal. 3: 13. etiam *iram* & revera *pœnam* peccati nostri tulisse?

§. 43. [59] Neque id à justitia Dei alienum putandum 59
est, ut Equiti videtur, qui in hoc argumento paratragœdiat, &, desertis *scripturarum armis* (quæ jactaverat) ab eo, quod Illustrissimorum Ordinum legibus continetur, & in judiciis hominum publicis observari assolet, argumentum petit. pag. 55. Cœcus, qui non videat, quantopere illa judicia à Dei judicio & justissimo, & gratiosissimo, & sapientissimo, sint sejuncta. Sed nimirum Satanas, nactus homines audaces callidosque eo tempore, quo laquei dominatûs Papalis solvebantur, eos impulit ad eam doctrinam proferendam & omni fuco tegendam, ut, sub nomine Christi & Apostolorum, per quos Judæorum impietas & falsa justitia destructa est, eadem restitueretur, eaque capti homines in suis peccatis morerentur. Ideoque illa sapientia, quæ est in hoc judicio, quo *peccatum judicatum & condemnatum est*, Rom. 8: 3. ne nos amplius vel damnare vel accusare posset, præcipuè animadvertenda est. Et, ut inde exordiar, quod modo dixi, peccatum non potuisse remitti, nisi condemnaretur, & ab accusatione depelleretur; neque vero potuisse ab accusatione removeri nisi judicaretur in eo, qui *pro peccatis* esset, ex illo loco constat. Quia enim legi impossibile fuit, peccatum, quod peccatorem sibi mancipat, ab accusatione, actione ac postulatione dominii in peccatores depellere, ideo necesse fuit Filium Dei mitti pro peccato sive hostiam pro peccato. Quod si autem lex (quæ est potentia peccati dominantis, 1 Cor. 15: 56. & ita lex peccati & mortis, Rom. 8: 2.) non obstitisset sanctificationi nostræ & impunitati, nulla causa erat, cur Christus mitteretur *pro peccato*. Quare etiam nostræ condemnationi opponitur mors Christi, ut remedium, Rom. 8: 34. Quomodo autem potuerit peccatum in Christo judicari, si velimus paulum attendere, non difficile erit pervidere. Pono ante omnia Legem, quæ damnat peccatorem, & hominem non admittit ad præmium, nisi ut mercedem obedientiæ, sive propter veritatem Dei, sive quia non potest abnegare dominium illud, quod in ea ferenda exercuit, sive quia natura ipsius sancta non patitur, ut communionem habeat cum homine, qui, imagine ipsius deperdita, inceperit ipsius esse dissimilis, & hostis sui servitio mancipatus, & Deum creatorem, exemplar, doctorem, dominum, finem, bonum, judicem facto abnegaverit. Nam cum eo communionem habere, hoc esset similem fieri peccatori. Contra, potentiæ judicio illum persequi, & rebus ipsis ostendere, quid sit illam Dei veritatem abnegasse, id demum in judice omnium est fidelem esse & se ipsum non abnegare, 2 Tim. 2: 13. Certè non magis legem rescindere, quàm judex esse omnium desinere potest. Quid? An *ignis legis*, Deut. 33: 2. qui in Sinai visus est, testabatur, Deum relaxare (ut quidam quasi patronus Catholicæ fidei loquitur) & cassare legem, (quod vestrum potius est) an potius, iram Dei per peccatum accensam ad perenne supplicium hominem deposcere? Peccati autem commemoratio, quæ quotidie fiebat, locumne habebat, si maledictio esset dispuncta? Numquid inane & vanum est, quod *crucis supplicium* (excidit Equiti aliud cogitanti, ut, quum pœnam negaret, crucis
[60] *supplicium* diceret pag. 12.) execrationis commemorationem habet? Neque speres, te evasurum, si dicas, crucem suo ingenio & instituto esse supplicium, & quidem exsecrabile supplicium; in Christo non fuisse supplicium, qui justus fuerit. Dico, Christum non tantum justum, sed & Filium proprium, unigenitum, æternum, parem Patri, Deum fuisse; & hac ipsa de causa potuisse execrationem fieri, ut nos fieremus justitia, quia Deus Filius Dei fuit; & eo justitiam omnem implevisse, quod obediendo est ipse factus *execratio Dei.* Obediendo autem adeo, ut pars obedientiæ, & quidem legis, fuerit mori pro fratribus & pro iis execrationem Dei fieri. Novi, quomodo id Socinus elevet: qui audacissimè dicit: *Amavit Paulus esse suo more argutus.* de Servat. pag. 2. cap. 1. quod & Smalcio placuit. Quasi non Apostolus demonstrationem fecerit, sed vocabulis argutè consonantibus luserit. Quid enim est commune Christi crucifixioni & exsecrationi legis, quæ persequitur peccatorem, si Christus tantum *incidit in quandam*, nescio quam, *execrationem Legis*? Quasi justus in ullam cadere legis execrationem, nisi ex peccato alieno; aut ulla execratio non ex peccato, & sine voluntate id judicandi & debitum per *τιμωρίαν* exigendi esse possit. At nos facile perspicimus, Verè voluntatem Dei fuisse, ut Christus, & Filius & justus, subiret execrationem nostra peccata persequentem; & Christum, sub lege natum, ea ipsa perferenda justitiam legis implesse, & legis, sub qua natus est, mandato satisfecisse. Christus ipse dicit in Psalmo 60

mo 40. vers. 9. *Lex tua est in medio viscerum meorum.* & Matth. 5:17.18. *Non veni ad legem solvendam, sed implendam. Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non transibit de lege, donec omnia fiant.* Etiam Apostolus Paulus expressè protestatur, Per fidem se non derogare legi, sed eam stabilire. Rom. 3: 31. Legem porro subingressam esse, ut abundaret lapsus. Rom. 5:20. Et ipsa Lex, *Execratio Dei est crucifixus.* Deut. 21: 23. Quæ sententia clarissimè testatur, Non posse fieri, ut, vigente execratione, etiam justus, si crucifigatur, alia ex causa, quam propter vim exsecrationis, crucifigatur: & vero per aliquem crucifixum execrationem tollendam esse. Unde Lex non voluit cadaver suspensi in patibulo pernoctare, ne terra fœdaretur abnegatione spei exsecrationis in hoc supplicio aliquando tollendæ. Igitur Lex, peccatum, peccati exsecratio, ira, voluntas expetendi pœnam fuit mortis Christi causa. Neque, si absque peccato & exsecratione fuisset, Diabolus potuisset eum tangere. Atqui *Serpens Seminis* destructori operum Diaboli *calcem attrivit* h.e. eum interfecit, ac sanguinem ejus hausit. Gen. 3. vers. 15. Ita per mortem Diabolus imperium mortis, vi legis in peccatum irascentis, habens abolitus est, Hebr. 2: 14. 1 Cor. 15: 55. 56. Et, ne quid supersit ambigui, *Per corpus Christi mortificati sumus legi, & , moriente illo, cui detinebamur, à lege demum aboliti sumus.* Rom. 7: 4.6. Et à qua lege? quæ dicit, *Non concupisces.* ibid. vers. 7. &, *Quicunque fecerit ea, vivet in eis.* Gal. 3: 12. Qua in re cœcutit Eques. quod pag. 53. 54. ostendit. Planissimè igitur falsum & confictum est, *Gratiam Dei*, qua peccata remittit, esse *legis relaxationem*, multo minus *abrogationem*, ut Socinus sentit, &, ut Eques loquitur, condonationem sine solutione precii pro peccatis sive debitis nostris. Id Scriptura *legis solutionem* appellat; quam Christus, juramento interposito, negat à se faciendam esse. Ex quo liquet, Socinum id dicere, quod Christus jurans negat. Hoc posito, ut & gratiam Dei & justitiam ejus, & Christi obedientiam, & in toto negocio sapientiam Dei cognoscamus, id certum esse debet, Legem, cui Christus subjectus fuit, postulare Amorem Dei & Proximi: eamque postulationem justam esse. Atqui à Fratre etiam frater peccator amandus est. Et qui minor erga fratrem peccantem esse amor potest, quam ut, si per te stet, eum cupias per te à miseria sua liberari & Deo restitui? Qua in re quia & gloria Dei versatur, Amor Dei postulat, ut cupiamus, si possibile sit, Deum in nobis sanctificari, ne opus sit eum sanctificari per extremam pœnam fratris miseri. Hoc igitur est fieri sub legem, suo præcepto hunc Amorem mandante constitui: nec tantum, sed etiam sub illo pacto: *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Clarum autem est ex se, si reperiatur talis Frater, qui dignus sit atque idoneus, ut in eo Deus sanctificari possit, ne opus sit eum sanctificari per pœnam fratris miseri, atque is id vadimonium subeat, eo ipso in eum imponi culpas fratris & fieri ipsius; &, quodcumque is perfert ad sanctificationem Dei, id esse operationem iræ & exsecrationis; h.e. illius veritatis & juris illius, quod postulat Deo per peccatum ereptam gloriam restitui, & evidentissimo documento atque exemplo publico manifestari. Qui igitur exemplum fit severitatis Dei, is fit victima pro peccatis. In qua re est & obedientia & glorificatio Dei ejusque sanctificatio. Dum enim is homo facit legem Dei, omnem justitiam implet, & ea justitia Deum (ut possit justificare impium & damnatum) sanctificat. Id tondem verbis dixit Esaias cap. 5: 16. *Deus ille sanctus sanctificatur per justitiam.* Sive enim intelligas rectitudinem judicii, quo Deus persequitur peccatores; sive demonstrationem severitatis & sanctitatis suæ ad judicandum & condemnandum peccatum, & ad justificandum damnatum, cui cooperatur obedientia Sponsoris sive Sacerdotis, qui se victimam exhibet: res eodem redit. Deum enim sanctificari velle, & quidem per justitiam sive δικαίωμα, quod lex exigit (quod est in peccatore punitio, in non-peccatore sed Sacerdote exactio peccati alieni, &, ex illius parte, obedientia & justitia sive legis impletio) Esaias asseverat.

p. 55. 59 §. 44. Neque est, quod quem moveat puerilis objectio, justum pro injustis puniri non posse. Demus, hoc planissimè verum esse in judiciis humanis. quanquam scit Eques, id à doctis & politicis hominibus non omnino concedi. David peccavit, populus plexus est. Et quid frequentius, quam Atridas peccare, plecti Achivos? Sed omittamus ista. Nihil enim illis indigemus. Non injustum est, puto, creatori, amorem sui & proximi justè exigenti, creaturæ justæ atque innocenti injungere certamen dolorum atque cruciatuum, ipsiusque adeo mortis, exantlandum, ut illius obedientia exploretur, comprobetur & manifesta fiat. Si hoc injustum dicet Eques, negabit totum Euangelium, dicetque, aut Christum passum mortuumve non esse, aut non fuisse justum. Sed nos tamen, quod ab Adversario assumimus, in eo hanc cautionem apponimus, non videri (liceat nobis quasi minus certis de hac re loqui; ne trahamur in controversiam inutilem) non videri, inquam, conveniens, ita *tentari* obedientiam justi, nisi ubi causa sanctificationis Dei, ut justi judicis, intervenit: ut mors tantùm à peccato sit. Et profectò quid potest esse, quod alicui in animo doleat, ubi nihil est nisi similitudo Dei, & rectitudo, obedientia, amor, lætitia in Deo & exultatio? Et quid opus est corpus affligi, ubi animus bene habet? nisi forte animi in malis corporis constantia experiunda fuerit. Certè lex nullam homini obedienti dolorem injungit, vel mortem irrogat, sed meram vitam promittit. Jam vero, si homo justus, qui non est ἄνομος sed ἔννομος, potest obligari ad ita amandum proximum, ut ipse velit fieri pro eo anathema, &, ut Deus in ipso sanctificetur, omnia acerba experiri; utique potest etiam in illis πειράζεσθαι *tentari*, & ad *discendam in passionibus obedientiam* vocari. Neque ambigere possunt Adversarii, quin Christi passiones fuerint πειρασμοὶ, *tentationes*; quibus Deus periculum fecit amoris & obedientiæ ipsius. Quæ cùm certa sint & ὁμολογούμενα, id tantùm superest quærendum, an Deus hoc consilio eas tentationes innocenti imponere potuerit, & innocens ea hac voluntate & destinatione animi suscipere, ut Deus in iis glorificetur pro sancto, osore peccati, & zelota? Imprimis si maximi dolores, & horrores, angoresque spirituales (in quibus maxima tentationis vis est) ex certamine cum infernalibus potestatibus; ex intuitu gravissimi judicii Dei; ex miseratione fratrum periclitantium, contemplatione tentationum Ecclesiæ & singulorum electorum, graviumque lapsuum, & oneris peccatorum, numerum pilorum capitis excedentium, sensu; ex vi adamantina catenarum tartarearum (quibus peccatores constricti sunt) denique, immutabili Dei zelo in peccata, atque justi zelo pro gloria & domo Dei oriantur. Quod qua fronte negari possit, non videmus. Illud tantum considerandum est, si hæc ita justa & Deum non dedecentia sunt, quis *dignus* sit, ut ei *potestas detur* divinitus, ita Deum sanctificandi, ut justificatio improbi fiat absque labe, imo lege ipsa suffragante, & peccatorem ita reconciliatum à dominio peccati & mortis absolvente. Non enim certè hoc *potest* facere, nisi is, quem Deus *diligit*, ut scilicet *gloriam ejus quærat.* Nam imprimis opus erat, ut non frustra justus Dei servus vim suam impenderet, Esai. 49: 4. sed eadem impetraret vitam æternam (quo enim tanta & tam acerba sustinuisse, si ea non pertingant ad effectum vitæ; qui fraterni amoris unicus scopus est? quum non sufficiat, esse liberatum à pœna, nisi liberatus in jure filiorum collocetur; lege omnem peccatorem, qui sacerdotem se decentem non habet, & suppliciis addicente & à præmio in perpetuum arcente) imo illis impetraret spiritum sanctum, ex quo nisi regeneretur peccator, regnum Dei nec videre nec in id intrare potest. Joh. 3: 3. 5. utque in redemtore is spiritus sit, ut per eum, in redemtos effusum, fieri unum cum ipso & ipsius membra effici possint: vivatque in illis: ipseque redemtis proponatur in propitiatorium, in quo cum Deo habeant communionem: ut in ipsum credant, ab ipso dependeant, ipsi gratias agant, in ipso glorientur; atque etiam ejus hæreditas & peculium fiant, vicissimque ipse sit eorum vita, & hæreditas, ac hæreditatis, ut suæ, dator. Ante omnia vero ut tantus sit, ut nec ipsum mors retinere possit (Nam, quem mors detinet, quomodo aliis vita erit?) &, victa execratione, in gloriam intrare possit (Nam ut lex viget in punitione peccati; ita in remuneratione obedientiæ) atque adeo ipsa magnitudo personæ vel maximè palam faciat Dei iram peccatis inflammatam. Cujus iræ cognitio non minima pars est cœlestis sapientiæ & imaginis Dei sive rectitudinis. Nam qui negat Deum zeloten, negat Deum. Hæc paullo pluribus uno loco explicare oportuit, ut quivis intelligat, quantopere à cognitione Dei & legis & Christi & veræ salvationis (*in quo* MYSTERIO *omnes thesauri sapientiæ & prudentiæ* continentur) atque adeò à sapientia Dei se elongent Adversarii, dum satisfactionem impossibilem & non necessariam clamitant. Eæ autem conditiones, quas ex Scriptura ipsa recitavimus, monstrant Filium Dei, fratrem, *primogenitum omnis creaturæ*, atque adeo omnibus *filiis*, qui *creaturæ* & ipsius creaturæ sunt, propositum, creatorem omnium, fidelem creatorem hominum, Deum magnum, cujus *vita*, ad *Testamenti sponsionem* faciendam, & semen *perpetua intercessione* servandum, sit *indissolubilis*, qui sit *altior cælis*, qui sit *hæres omnium*, cujus sint illa, quæ sunt Patris, qui spi-

ſpiritum dare, vivereque in redemtis & ſibi unire poſſit, in quem credere poſſint, quem invocare, adorare, in quo gloriari: denique, qui poſſit accipere NOMEN, PRÆTER QUOD ALIUD NULLUM NOMINETUR in terris, ut in eo ſalvemur. Act. 4: 12. Quod nomen eſt, SANCTUS ISRAELIS, SANCTIFICANS ISRAELEM, DEUS ISRAELIS, DOMINUS & SALUS DAVIDIS, DOMINUS NOSTER & HÆREDITATIS DEI, גאל GOEL *ἐκδικητὴς* vindex & aſſertor miſerorum ſervorum ſuorum tanquam fratrum ſuorum, pro quibus invenit redemtionis precium, SALVATOR, GLORIA ISRAELIS & ſimilia.

§. 45. Ut autem ſemel concludamus hanc cauſam, adeo neceſſaria eſt ſatisfactio, & quidem quæ fiat DEI SANGUINE *proprio*, Actor. 20: 28. ut, ea quidem extante, PER LEGEM & legis ſententiam ac *δικαίωμα* LEGI peccatorem execranti & debitum exigenti MORIAMUR, ut Deo & Gratiæ ipſius vivificæ VIVAMUS (Gal. 2: 19.) ſine ea minimè ſalvi eſſe poſſimus. Si enim potuiſſemus, Chriſtus ſine cauſa mortuus fuiſſet. ibid. verſ. 21. Porro hinc & illud perſpicuum eſt, quia Chriſti obedientia non fuiſſet perfecta abſque ſolvendi voluntate, ita etiam non potuiſſe eſſe victimam boni odoris ſive cultum Dei & obedientiam acceptabilem abſque illa. Igitur S. Paulus Eph. 5: 2. eo ipſo oſtendit, eum victimam boni odoris fuiſſe, quia *dilexit Eccleſiam, ſeque pro illa tradidit.*

pag.12. §. 46. Dicit quidem Eques, [60] *ſe ſatisfactionem, quæ*
60 *condonationis peccatorum poſt gratiam Dei cauſa ſit*, agnoſcere. Sed hi fumi ſunt. Si enim Deus *legem relaxavit* vel *abrogavit* (ut illi ſine Scriptura dicunt) quid *poſtea* Chriſtus facere potuit, ut peccata condonarentur? Ipſa enim legis relaxatione condonata ſunt. Lex caſſata non valet ad damnandum. Illa *liberalitas*, qua Deus non vult ullam ſolutionem exigere, legis, quæ dicit, *Maledictus omnis*, &c. caſſatio eſt. Quâ relaxatâ, vel abrogatâ, etiam nulla vis peccati, nullum imperium mortis, nulla captivitas fuit, ex qua nos oporteat *ἀπολυτροῦσθαι precio ſoluto liberari.*

§. 47. Videamus, quid afferat. Chriſtus gratiæ illius
61 [61] *pignus dat.* nempe vitam ponit in martyrium. Ergo
omnium martyrum paſſiones erunt cauſa condonationis
62 peccatorum. [62] *Fidem facit.* miraculis, credo. Nec ipſe
ſolus fecit miracula. Neque, ſecundum ipſos, plus operatus eſt in miraculorum patratione, quam quivis Propheta vel Apoſtolus. Et aliud eſt *cauſa condonationis peccato-*
63 *rum*, aliud certioratio de conditione ejus. Quod de [63] *effectu gratiæ* dicit, minimè conſentaneum eſt cum hypotheſibus ipſorum. Non enim habet Filius, eorum ſententia, voluntatem jubentem, qua gratiæ effecta præſtari poſſunt, ſed dependentem ab imperio illius, qui ipſo eſt major & tanto major, quanto Creator creatura. De qua dependentia etiam poſtea dicemus. Ipſam *gratiam* (quæ *εὐδοκίαν* & *beneplacitum* includit) debebat Filio aſſignare. Rom. 5: 15. 2 Cor. 13: 13. & paſſim. Effectus autem gra-
64 tiæ qui credet is, cui [64] gratia nihil eſt, niſi legis relaxatio ſive abrogatio, & novæ conditionis præſcriptio cum promiſſione vitæ æternæ: neutiquam vero, quod vocabulum *Gratia* dicit, Amor, propoſitum, & enixum ſtudium ſanctificandi, juſtificandi, glorificandi? Ex quibus cernimus, Chriſto nihil relinqui, quo facto ſit cauſa condona-
65 tionis. Nam quod de [65] *jure* dicit, id ex facto proprio hominis, non ex Dei dono (niſi ut conditionem eligentis) pendet. Chriſtus autem tantum, ut ipſi volunt, hanc
66 voluntatem Dei annunciavit. [66] *Filium proprium* Eques non dicit ſine limitatione, *quatenus vere & proprie Filius Dei fuit.* Propriè enim ſecundùm ipſos eſt Filius, quatenus novo more creatus, ſed tamen creatus eſt, non aliter, & ad honorem miniſterii ſingularis aſſumtus & (nam & hoc vocabulum Smalcio arridet) *adoptatus* eſt. quod certè haberet in generali notione commune cum omnibus creatis & ad miniſterium quodvis aſſumtis, & filiorum nomine appellatis. qui in hoc ipſo dependent etiam à Deo. Igitur *Filius* eſt ipſis impropriè *proprius* non *in potentiâ*; non magis quàm ullus, qui *βουλήσει θεοῦ voluntate Dei* & ſic *contingenter* non vero *ἀναγκαῖος* neceſſarius filius eſt.

§. 48. [55] *Victimam piacularem* in ſpeciem dicit, non 55
ex veritate; qui negat, eum ſolviſſe pro debito noſtro. Ita *crucis ſupplicium* fucatè dicit. In ipſo enim non fuit *ſupplicium*: quia pœnam non tulit.

§. 49. Quid tu vero audes [67] Apoſtoli verba, quibus pag.13.
admiratur ingentem amorem Dei, ſumere in os, qui ne- 67
gas Filium Dei propriè proprium nobis datum? & ita datum, ut ex cœlo venerit? & ita nobis datum, ut unum perpetuo eſſemus? & talem, ut ab ejus dati communione neceſſario pendeat juſtitiæ & gloriæ poſſeſſio? (Nam quæ eſt conſecutio, ſi ſingularem quandam creaturam nobis dedit interpretem voluntatis ſuæ, ergo omnia nobis cum ipſa largietur?) & cum ipſo nobis dari omnia, quum non habere Chriſtum redemtorem, dominum, caput, & in ipſo eſſe, ſive communio ipſius, ſed operari *conditionem* nova lege dictam (quam dicis pag. 13. & pag. 24. ibi, *ſed accedente*, &c.) vobis ſit ſalutis cauſa?

§. 50. Ex [67] *debitorum ſolutione* non ſequitur, homi- 67
nem impunè peccare. Calumnia ea eſt, qua & S. Paulus petitus fuit. De quo poſtea.

§. 51. [68] *Remiſſionem morte Chriſti partam* cum irriſio- 68
ne eorum, ad quos loquitur, dicit Remiſſionem, cujus fides facta eſt morte ſubeunda & ex ea reſurgendo, ut crederetur teſtimonio ipſius. Ita pag. 12. declaravit. Non idem eſt *parare remiſſionem morte*, & *æternam juſtitiam adducere* (Dan. 9: 24.) quod remiſſionem peccatorum, nullo merito, nulla ſatisfactione ſive *ſolutione debiti* parandam,
ſub [69] *conditione* obedientiæ nunciare. quam *conditionem* 69
nulla agnoſcit Scriptura. quin per illud ipſum vocabulum, quo Eques hic uti voluit, jugulatur. Dicit enim: *Remiſſio peccatorum morte Chriſti parta commoriendi Chriſto conditionem requirit.* Quanquam enim Apoſtolus dicat 2 Tim. 2: 11. (quo credimus hic reſpici) *Si commortui ſumus, & convivemus*: id tamen non ſignificat *conditionem*, ſub qua ſit parata remiſſio: ſed connexionem communionis cum morte Chriſti, & communionis cum vita Chriſti. ut idem Apoſtolus docet Rom. 6. multis verſibus. Qui cum Chriſto mortui ſunt & crucifixi, illi etiam cum Chriſto reſurrexerunt. Igitur neceſſe eſt eos peccato mori, & in novitate vitæ ambulare. Hoc enim morte Chriſti iis, qui ipſi dati ſunt, impetratum eſt. Quare conſequitur, neminem ex morte Chriſti conſolationem capere poſſe, in quo vis mortis Chriſti non fuerit manifeſta. Ita, mortem Chriſti, deſtinatione Dei & impetratione liberationis noſtræ, noſtram eſſe, ut, Chriſto moriente, jam tum dicamur mortui peccato; & jus ea partum per fidem noſtrum fieri, imo in ipſa noſtra obedientia fidei mortis Chriſti effectum primum eſſe, cum deſinimus peccato ſervire; ubique inculcat Apoſtolus. Rom. 6: 2. 3. 4. 5. 6. 8. 11. 7: 4. 6. 2 Cor. 5: 15. Gal. 2: 20. Epheſ. 2: 5. 6. Col. 2: 11. 12. Qui ſolutionem debiti & impetrationem vitæ æternæ negat, neget neceſſe eſt, nos eſſe cum Chriſto crucifixos & reſuſcitatos. Quando autem peccato morimur, h. e. ſervire deſinimus, etiam tum commorimur Chriſto h. e. virtute mortis ejus à captivitate Satanæ liberamur.

A P O L O G I A.

Nos imputationem juſtitiæ nobis à Deo per Chriſtum factæ non evertere.

A*Iunt porro*, [72] nos imputationem juſtitiæ Chriſti evertere. *Homines Orthodoxi, cum*
Scriptura loqui nolunt; quæ nuſquam dicit, imo [73] *nec veterum Chriſtianorum ullus*
unquam dixit, quorum tamen conſenſum contra nos urgent, Chriſti juſtitiam nobis impu-
tari: ſed ſimpliciter [74] *juſtitiam nobis imputari, nempe à Deo per Chriſtum: tum ſcilicet*
72 73 *Deus* [75] *fidem* [76] *noſtram* [77] *in Chriſtum, vivam tamen, & per charitatem efficacem, tanti*
74 75 *ex ſuâ gratiâ & miſericordiâ ducit, ut propter eam nos, qui graviſſimorum peccatorum rei*
76 77 80 81 *ſumus, pro juſtis habeat; quæ propterea etiam* [80] *Dei juſtitia,* [81] *non noſtra eſſe dicitur; quod*
78 79 [78] *nobis, ſine* [79] *meritis noſtris, ſola Dei benignitate obveniat. Hoc Scriptura dicit, hoc A-*
poſtolus docet. Hæc Juſtitia ſi cuique noſtrum contigerit, credo non erit, ut deſideremus
71 *ullam aliam. Itaque accuſatores noſtri* [71] *diligentius Scripturam ſcrutari, & expendere di-*
70 *ſcant, ne hæreſes objiciant rectè ſentientibus, ipſi* [70] *hæreſibus affines.*

E X A-

EXAMEN.

P. 14. §. 52. De *Justificatione* respondet Eques non fine convicio, dum, qui justitiam Christi imputatam dicunt,
70 71 [70] *hæresibus affines* dicit, & jubet [71] diligentius scrutari Scripturam. Et Scripturam quidem ut diligentius etiam atque etiam scrutemur, grave non est moneri etiam ab illis, qui eas non scrutantur ut discant, sed ut enervent. qui putant, si verba quædam Scripturæ in ore ferant, id satis esse ad tuendum se: non cogitantes, eam in Scripturis *fraudem* dici, sub malè consutis vocibus Scripturæ mendacium propinare. Cujus generis est æs *dolus*, quando argento puro divini eloquii æs humanæ adinventionis miscetur. Cujus utriusque flagitii hîc reos deprehendimus Adversarios. qui nescio an unquam cogitaverint, *Deum loquentes mendacium perditurum*, & *virum fraudis abominari*. Psal. 5: 7.

§. 53. Si Deputati Synodi dixissent, à Socinianis negari *imputationem justitiæ*, mentitos diceret Eques. Nunc,
72 quum dixerunt, [72] negare eos *imputationem justitiæ Christi*, jubet legere Scripturas. Sciat Eques, Ecclesiam Reformatam ex verbo Dei didicisse, ita nobis *imputari justitiam*, ut Christi justitia, δικαίωμα sive *obedientia*, qua omne id præstitit, quod lex exigere poterat post multas prolapsiones *ad justificationem vitæ*, nostra fiat, tanquam χάρισμα καὶ δώρημα *largitio & donum*. Rom. 5: 16. 18. 19. Quod inculpatè hac phrasi enunciatur, *Christi justitiam nobis imputari*. Nempe, quum Christus nobis donatus sit, & caput nostrum sit, & dominus noster, ut peculii sui, factus sit, & nos participes Christi simus, ut vitis, radicis, fratris primogeniti, sponsi, capitis, sacerdotis; & nobis factus sit justitia à Deo; & cum ipso mortui simus ac crucifixi, sive, ipso pro nobis mortuo, mortui simus, (2 Cor. 5: 15.) & quidem legi, & anima ejus facta sit lytrum ac precium pro nobis expositum, & ipsius obedientiâ constituamur justi, in ipso simus justitia Dei, ac justificemur per ἀπολύτρωσιν *solutionem precii ad libertatem*; *quæ* ἀπολύτρωσις *est in Christo Jesu* (Rom. 3: 24.) &, ut Apostolus loquitur, habeamus *communionem corporis & sanguinis ipsius*, hoc est, mortis ipsius in unitate corporis mystici; quæ etiam manducatio carnis & sanguinis appellatur: quid desideratur ad illum sensum, quem important verba, *imputari nobis Christi justitiam*? Quam locutionem etiam Bellarminus, falsæ justitiæ assertor, coactus est agnoscere bonam.

73 §. 54. Certè, si [73] consensum requiris totius Ecclesiæ, omnibus seculis ea credidit, quod hactenus ex Scriptura recitavimus, antequam à Pontificiis & à Socinianis ad disputationes provocaretur. Conjungamus nupera antiquis. Bernardus in epistola 190. quam scripsit ad Innocentium adversus Patriarcham vestrum Petrum Abailardum. *Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret, homo servus peccati, vinctus Diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit sua*: &, *Nam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit. nec alter jam inveniatur, qui forefecit, alter qui satisfecit; quia caput & corpus unus est Christus.* Item: *Denique, qui factus est nobis, inquit, justitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta justitia. Et sanè mihi tutior donata, quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet ...... illa autem quum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi nisi in Domino.* Irenæus lib. 5. advers. hæres. pag. 468. edit. Paris. Anni 1545. in 8°. dicit, *In secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti.* quibus simile, quod sequitur, *nobis donans eam, quæ est ad factorem nostrum conversationem & subjectionem* h. e. obedientiam suam. Ubi clarè, quod Christi est, nobis attribuit, sed in ipso. Ita in Domino visitante filius hominis ad tempus parvum minoratur infra Deum ac nominatos Deos, v. g. angelos, & in eodem omnia ipsi subjiciuntur. Psalm. 8. Athanasius *adversus eos, qui damno afficiunt genus nostrum dicendo, quod Servator non ex natura nostra primitias assumserit.* edit. Commel. tom. 2. p. 269. 270. *Non est ex nobis caro assumta; qualem igitur salutis spem habemus? Adhuc lex nobis impleta non est; adhuc est accusatio transgressionis; adhuc est execrationis pondus; adhuc mortis imperium; adhuc generis damnatio est. Si nihil habuit ex humana substantia, qui legem implevit, adhuc accusationibus natura tenetur obnoxia..... Necessariam igitur, necessarium, credere sacris Scripturis, confiteri primitias, quæ sunt ex nobis, glorificare assumentis in genus hominum amorem, obstupescere magnæ œconomiæ miraculum, non timere exsecrationem legis (Christus enim nos à maledictione legis liberavit)* τὴν πλήρωσιν τοῦ νόμου τὴν διὰ τῆς ἀπαρχῆς γενομένην ὅλῳ λογίζεσθαι τῷ Φυράματι, *impletionem legis à primitiis factam toti massæ imputare.* Et Athanasius cum in sequentibus tum ubique sibi similis. Sunt autem hæc etiam ab aliis citata, nominatim à Polano in Symphonia Catholica, & nuper à Davenantio. quæ Eques quum ignoraret, ausus est negare, id antiquis dictum esse, quod nos dicimus.

§. 55. Neque absonum est & à Scripturis alienum dicere, *reputari nobis* obedientiam Christi. Si enim Christus Psal. 40: 18. postulat, ut Deus *sibi reputet*, quod ipse *patiens & egenus* exstitit, utique ad exauditionem sui id reputari petiit, & proinde ad salutem suorum. Nam salvatio fidelium est salvatio Christi.

§. 56. Neque tamen mirum est, cur non Scriptura veritatem, quam docet, omnibus eam eloquendi modis enunciaverit. Debebant hæreses existere, ut probi, ingenui, generosi, quos turba Christianum nomen gerentium occulit, in dijudicatione veritatis ac mendacii, illiusque retentione, hujus aspernatione, debebant fieri manifesti. 1 Cor. 11: 19. An vero, qui literam pronunciant, eo sunt existimandi innocentes, & vel Scripturam noscentes, vel verbum Dei in se habentes, dum veritatem, quæ ex veritate est, & vim sermonis Dei, ignorant vel negant? Matth. 22: 29. Joh. 5: 38. 46.

§. 57. In præsenti autem argumento fatemur sic locutam esse Scripturam: [74] *Imputari non operantibus justitiam*, 74
fidem imputari ad justitiam. Justitia enim in hac phrasi non significat τὸ δικαίωμα, h. e. id, quod justum facit, sive quod est causa juris petendi mercedem obedienti promissam; sed ipsum hoc *jus*, quæ est *hæreditas*. Esai. 54: 17. *Omne instrumentum, quod formabitur contra te, non prosperabitur, & omnem linguam, quæ surget tecum ad judicium, condemnabis. Hæc est* HÆREDITAS *servorum Domini, &* JUSTITIA EORUM (jus) *à Me: ait Dominus.* Ex quo patet, ipsam obedientiam Christi, propter quam ipse est & dicitur JUSTUS *servus Dei*, nobis imputari ad justitiam sive jus sperandi mercedem, quia FIDES, qua sumus in ipso, & sic accipimus eum & ipsius justitiam, nobis imputatur ad justitiam. Nam in tabulis Dei, cum in una quidem pagina scriptum esset magnum debitum nostrum; in altera scribitur, non opus nostrum, sed tum Christi obedientia ut δικαίωμα sive sufficiens causa juris ad mercedem; tum, quod Christus noster est, quem fide accipimus. Quod cum verum sit, scribit nos Deus *justos* sive jus habentes ad mercedem pro hæreditate petendam; h. e. ita de nobis judicat: & ut tales nos amat & tractat. Justum est autem hoc judicium, quia Jus hoc nostrum LEGE nititur. LEX enim, quæ sacerdotem obligavit ad satisfactionem, eadem illis, quibus ille datus est, non imputat peccatum, tanquam ipsis mortua, eosque addicit ei, qui pro ipsis mortuus est, & excitatus est, ut ei vivant: &, qui eum habent, eos neque accusat, nedum ut condemnet, imo hæredes Christi & filios Dei declarat. Ita in Christo Deus *justitiam suam* ostendit, tum ne videatur particeps & socius peccatorum, ad quæ connixit in tolerantia, inde ab Adamo usque ad Christum; tum ut intelligatur rectè & decenter justificare impium, justificando Mediatorem & sacerdotem, & Filii sui gloriam asserendo, & hæreditatem ab ipso impetratam & jure postulatam dando, & auferendo ipsam accusationem legis. Rom. 3: 25. 26. 1 Tim. 3: 16. Esai. 50: 8. 53: 10. Psal. 2: 8. Hebr. 10: 1. 2. 3. 4. 17. 18. 19.

§. 58. Pro hac justificatione vera, qua justificatur Deus P. 14.
& Christus, alia introducitur à Socinianis, lege relaxatâ & soluta (ut illi volunt) per misericordiam, qua is [75] *fidem* 75
nostram in Christum, vivam tamen & per charitatem efficacem, tanti ducit, ut propter eam nos —— pro justis habeat. —— Hoc Scriptura dicit, ait Eques. Ubinam vero? Quis legit, *propter fidem nos justos haberi, quod Deus fidem tanti faciat*? Et quidem ita, si illa sit *efficax per charitatem*. Nam id ita ab ipsis dicitur, ut intelligant, charitatem, quam fides operatur, etiam tanti fieri, ut Deus propter eam nos justos ducat. Ideo Crellius in ep. ad Rom. pag. 49. dicit *Quamprimum ea fides in homine incipit, incipit & justificatio, &, si spiritu suo, id est, bonis operibus, animata sit,* id-

idque constanter, *justificatio etiam penitus absolvitur*, & SALUTEM HOMINI PARIT. Et hæc ubi scripta sunt?

76 §. 59. Quod Eques dicit, [76] *Fidem nostram in Christum tanti ducere Deum*, id aliud mendacium tegit. Nempe, *fide quidem omnes justificatos fuisse*, *quotquot ab initio mundi fuerunt justificati*; *sed non omnes fide in Christum*. quod dicit Crellius in epist. ad Rom. pag. 199. & alii passim. Itaque Abraham jam non fuit justificatus fide in Christum: qui accepit promissionem de semine, in quo est vita & benedictio. Atqui nec primus Abraham hanc promissionem accepit. Nam & Eva verbum Testamenti audivit, ad quod alludit tum Esaias cap. 11: 8. & cap 27: 1. & 65: 25. & Psalm. 8: 3. & Baptista Matth. 3. vers. 7. & Christus Joh. 8: 44. Luc. 10: 19. & Paulus Rom. 16: 20. & Johannes 1. ep. 3: 8. 10. Apoc. 12: 7. 8. 9. 10. 11. quæ propterea citamus, quia Smalcius in paradiso nihil dictum esse de Christo, contendit, saltem quod intelligi potuerit aut intellectum fuerit. *De filio vero & naturali* pag. 266. 269. 270. Quasi verba Dei vel sensum non habeant, vel alium probabilem habeant, aut Deus non revelarit sanctis oculos, ad videndum mysteria verbi sui. Porro & Adam verbum Testamenti fide obsignavit: & Noach Deum Semi invocavit, ut Japheth in tentoriis ejus habitaret. Signum autem Circumcisionis, quod Abraham accepit Sigillum justitiæ fidei, ei, si Socinianis credimus, non significavit circumcisionem, quæ non fit manu, qua in Christo circumcisi sumus. quam S. Paulus describit Coloss. 2: 11. 12. 13. 14. 15. Nec Jacob invocavit *Angelum* assertorem seu recuperatorem, Gen. 48: 16. nec Israël credidit in Angelum faciei Dei, qui pro ipsis intercessit, & eos portavit, Esai. 63: 9. neque David agnovit Christum dominum suum, Psalm. 110: 1. Matth. 22: 43. ut scil. se ab ipso in peculium acceptum crederet: neque speravit, TOTAM SALUTEM *suam & omne beneplacitum tùm fore*, *quum domus ipsius non amplius erat germinatura*. 2 Sam. 23: 5. &, quum Psalm. 51. cecinit, fore, ut, postquam destructi essent muri Hierosolymæ & reædificati, Deo placeant *sacrificia justitiæ*, quæ sacerdos verus ut auctor justitiæ offert, *holocaustum & munus*, quod totum consumitur, quod est sacerdotis; & ut *tunc ascendant in altare Dei juvenci* h. e. labia pro juvencis offerantur; sibique sapientiam in occulto notificatam dixit, nempe eam, quod Deus ipsum expiaturus esset hyssopo; ignoravit, quid diceret. Ignoraverunt adeo Sancti *Rupem Salutis*, Psal. 95: 1. quam posteri ipsorum indignè tractarunt, Deut. 32: 15. aut, si cognoverunt, non pro rupe salutis suæ habuerunt. Psalm. 59. 2. Imo nec fuit illa; nec Sermo fuit vita, non fuit lux, non luxit in tenebris, antequam veniret in mundum, non venit ad suos, & quos ipse condiderat. Joh. 1. Col. 1: 15. 16. 17. Eph. 3: 9. 10. Ignoraverunt porro Testamentum Dei, & promissionem, cujus etiam fide ab Abrahamo adhibita id ratificatum & irrevocabile factum fuit; Gal. 3: 15. 16. 17. ignoraverunt Sponsorem & Mediatorem Testamenti, qui spiritu æterno se debebat Deo offerre. Hebr. 7: 22. 9: 14: 15. Psal. 110: 4. Ignoravit Jobus Assertorem suum vivum, qui triumphator sepulchri & mortis extiturus erat. Job. 19: 25. 26. & Elihu Angelum Paracletum, unum è mille, qui possit dicere, Inveni λύτρον vel λύτρωσιν. Job. 33: 23. 24. Nulli fuerunt προηλπικότες, *qui antè sperarunt*, & quidem σωτηρίαν, *salutem*, & exsolutionem pro *transgressionibus*, *quæ sub primo Testamento fiebant*. Eph. 1: 12. 1 Pet. 1: 10. Actor. 26: 7. 23. Heb. 9: 15. Rom. 3: 25. 26. Non jam est *una fides & unus Dominus*. Eph. 4: 5. Testamentum, ex quo Abraham justificatus est, non habuit Mediatorem Christum. Gal. 3: 15. 22. Gentes non benedicuntur cum fideli Abrahamo. Gal. 3: 9. Non est Deus idem Abrahamo, Israëlitis, gentibus: qui non eodem modo est omnium Deus; quia non per eandem fidem justificat. Rom. 3: 30. &, qui vetuerat alium habere Deum coram se, ille aliter atque aliter fit in Deum, & ipse mutatur, & invehit eum, qui Patribus non fuit in Deum, ut nobis fit in Deum. Exod. 20: 2. 3. Jer. 31: 1. 33. Malach. 3: 6. Quænam igitur fuit Φρόνησις δικαίων *sententia & prudentia justorum* Luc. 1: 17. *patrum*, Malach. 4: 6. ad quam *immorigeri filii* fuerunt *convertendi* per Johannem Baptistam, Eliam mysticum, nisi fides in Christum? Quem enim prædicavit Johannes præterquam Christum? Sed Eques noster dixerit, ministerium hujus Eliæ hoc fuisse, ut revocaret posteros immorigeros ad eam fidem, quæ non esset eadem cum fide patrum. Et profecto quæ fuit tum prudentia immorigerorum filiorum, quis immorigerorum Judæorum sensus de Deo & justitia, quam Deus, ut ibidem est comminatus, reipsa vindicavit anathemate terræ inflicto, nisi ea prudentia, quam Eques attribuit Patribus? Quæ certè etiamnum falsa fides Judæorum sub anathemate jacentium est: ut suo loco demonstrabimus.

§. 60. Novimus, in Novo Testamento demum nos posse in nomine Christi, ut Salvatoris in passionibus consummati, orare: sed id non impedit, quin crediderint Patres in eum, qui dixerat, *Ne* VENIAM & PERCUTIAM *terram anathemate*, Malach. 4: 6. & *abducam vos in desertum populorum*, q. d. spargam vos per omnes gentes, & terram vestram faciam partem imperii Draconis, (ut sub Romanis factum est) *ac disceptabo vobiscum ibi facie ad faciem. quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto terræ Ægypti* (cum ferretur Lex, & deinceps) *sic disceptabo vobiscum*. Ezech. 20: 35. 36.

§. 61. [77] *Fidem in Christum* quum dicit Eques, ludit 77
vocabulo, ut fascinet simpliciores. Nihil enim intelligit, nisi credere verbo Christi propter verbum Dei, quod de ipso factum est, & propter opera, quæ fecit. Socinus de Servatore part. 4. cap. 11. *Fides in Christum*, *quæ nos justos coram Deo constituit* —— *nihil aliud est*, *quam Christo confidere*, *id est*, *non solum*, *quæcunque Christus ad nos spectantia dixit*, *vera esse credere*: *sed etiam ea tanti æstimare*, *ut*, *si quid nos facere præcepit*, *id faciamus*; *si quid nos sperare jussit*, *id speremus*, *vel*, *ut significantius atque apertius dicam*, *quid boni nos*, *si aliqua fecerimus*, *consecuturos esse affirmavit*, *non modo id verum esse nobis persuadere*: *sed*, *ut bonum illud consequi possimus*, *ea facere non dubitare*. Nulla igitur inter Christum & Mosen, Prophetas ac Apostolos differentia est quoad fidem. Scio, quid dicat; nempe *inter Fidem in Christum & fidem in Mosem*, *quod attinet ad utriusque personam*, *multum interesse*; *Christum enim ea*, *quæ promisit*, *ipsum efficere posse*, *Mosem non potuisse*. Disput. de adorat. Christi cum C. Franken, &c. p. 181. n. 28. Sed illa vana sunt, si Christus non est unum cum Patre quoad potentiam. pro qua unitate Socinus substituit *Societatem potestatis & curæ Ecclesiæ*. Ejusd. libell. p. 94. quæ ipsi est *vicaria* potestas. Neque vero unum esse, quoad potentiam, potest, nisi sit unum essentia. Nam, qui non est Deus, non potest facere opus, quod solius Dei opus est. *Causa secundaria & à primaria pendens* (qualem fingit Socinus Christum eod. libel. p. 193.) non potest esse objectum aut fundamentum fiduciæ. Cæterum, in operibus Dei immediatis, ut est creatio, mortuorum resuscitatio, spiritus donatio, Ecclesiæ conservatio, glorificatio, locus causæ secundariæ esse non potest, nisi ad prædicandum verbum Dei, objectum fidei, aut illud, tabellionis instar, pronunciandum. Hoc facere, non est esse majorem Mose aut Apostolis. Talia opera non efficiuntur nisi voluntate imperiosa effectum sistente: quæ est independens & Dei solius. Quod quum agnoscere cogeretur Smalcius (qui fatetur, alios omnes fecisse miracula *potestate aliunde dependente*, Christum autem, *cujus nomen ad hoc invocatum*, *potestate in se manente*. in Refutat. duor. M. Smigl. libror. p. 219.) inter errores Smiglecii nonum facit, *Deum non posse facere rem à se aliquo modo independentem*. Cujus contrarium dicere cum Smalcio: qui *adversus Monstra* p. 23. dicit, *Christus est Deus dependens*, *quatenus potestatem accepit*; *quoad ipsum usum potestatis absolutè Deus dici potest*, & *est reipsa*: id vero dicere, est splendidè sibi contradicere. Nam quod à Deo fit, id ex se nihil est. Quod autem ex se nihil est, non est nisi propter voluntatem Dei. Apoc. 4: 11. Ita voluntas creaturæ independens à Deo esse non potest, & independenter à Deo opus sistere. Vel enim talis voluntas dominans & imperans eadem vult, quæ vult Deus & esse jubet: & sic jubet justa, & propter causæ primariæ imperium exstitura, & hactenus ὄντα; & non est dominans: vel jubet ea esse, quæ Deus non jubet esse. quod impossibile est, & Dei destructionem importat. Nam si non ut prima causa agit, sed opera sunt, ipso cessante; ne est quidem. Deinde implicat *est* & *non*, quia eodem halitu dicitur, Deum velle, ut existat res propter voluntatem creaturæ, & tamen non velle, ut ea existat. Præterea *fides* Socini non spectat eum, qui in cœlo & ante testatus est; qui ab initio non in occulto locutus est. Fides in ipsum est minor honor, quam qui debetur Patri. Tantum enim legatus & servus est. Nulla hîc *fides* propriè *in sanguine ipsius*. Rom. 3: 25. Non est ipse propriè *rupes*, ad quam confugiamus. quanquam & hîc implicantur. Socinus in prooemium Euan. Johannis dicit, Christum impropriè Deum vocari. Smalcius *propriè*, & sic rupem & similia dici, sed analogicè. Quasi norit Scriptura Deum, nisi vel propriè & summè, vel metaphoricè, vel fictè. Nam *deitas* analogica est figmentum Smalcii. Illa vero fides, qua quis credit, Christum non satisfecisse, non sanctificasse Deum sua justitia, non revera reconciliasse nos Deo,

Deo, h. e. effecisse, ut Lex non impediret, sed postularet Dei nobiscum communionem in spiritu, & gloria, inimicitiâ, irâ ac maledictione sublatâ, sed Deum legem relaxasse; neque putat, se habere in Christo nisi indicium, & martyrium pro indicio, non vero justitiam & salutem per ipsum partam, & justitiam suam pendere à proprio facto, non quidem quo præstetur lex exactè, Crell. in epist. ad Rom. p. 49. sed tamen quo mandata Christi, mandatis legis perfectiora, quanquam nec illa perfectè, suis viribus præstentur, ut causa qualicunque; neque credit, se in Christum credendo immediatè credere in Deum, aut eum videndo videre Deum: neque vera neque viva fides esse potest. quippe figmentis hominum nixa, & Deo ac Christo injuriosa, (quippe quæ dicit, *Non-Jehovah fecit hoc.* Deut. 32: 27. & vim hominis facit Deum suum. Hab. 1: 11.) & non habens Amorem Christi tantum, quantus is est, quem fides per charitatem operans habet. quo nempe diligimus eum, ut qui secundùm propositum & beneplacitum Patris dilexerit me, & se dederit pro me, ut ei sive in eo vivam, & hæres ipsius fiam. Neque potest ea fides sive opinio, ut mala radix, aliud gignere, quam absinthium & venenum: licet faciat eam habentes multas Dei voces deblaterare, multa in speciem bona agere, à multis malis abstinere. qualia & fecit Pharisæus ille, Luc. 18: 11. 12. & Saulus in Pharisaismo, nulla in parte Credente Sociniano inferiores; imo hic eo magis ingenuus, quod Christo non affinxit falsam verborum ipsius sententiam; quod nec reliqui Pharisæi fecère. Illa igitur fides est *consilium improbi* Psalm. 1: 1. sive adinventio hominis, qui in sua damnatione jacens, & mente abalienatus à Deo, aliquid quærit, quod Deo pro justitia imputet, & judicium evadat.

78 §. 62. Eques porro, quando dicit, [78] *hanc justitiam nobis sine meritis nostris sola Dei benignitate obvenire*, intelligit, non jus ad vitam nobis in Christo à Deo donatum esse, quod sit validum, & Legis examen sustinere queat (sine quo *jus* esse nullum potest) sed esse Dei benignitatem, ut tali quapiam *conditione* nos justos habere velit. Sola igitur benignitas est in mutatione legis. Sed Lex de justitia una est, quæ dicit, *Qui fecerit illa, vivet in eis*, neque est alia vel laxior, vel perfectior. Nam & Deus non est alius, neque imago Dei, quæ est rectitudo hominis, alia, neque judicium habet prosopolepsiam. Ideoque Apostolus, quamvis Judæis injuncta essent multa præcepta præter Decalogum (qui continet summam præceptorum, in quibus faciens ea homo vivit) tamen illa omnia post Ezechielem cap. 20: 25. inutilia, & ad justitiam ac vitam nihil in se facientia declarat.

§. 63. Pugna vero est dicere *conditionem justitiæ* & ne-
79 gare [79] *meritum*. qualem in verbis Crellii in ep. ad Romanos p. 54. clarius cernere est, ubi interpretatur verba prophetæ; *Justus ex fide vivet. Indicatur*, inquit, *justitiam illam non esse usquequaque perfectam, sed talem, qua nil obstante homo damnari posset, si Deus jure suo uti vellet: sed id Deum* OB FIDEM *illius hominis, quam in se collocavit, & ob quam sibi constanter paruerit, non facturum, verum pro sua benignitate vitam ei donaturum.* Potest igitur censeri illa justitia (& quidni etiam fides?) inutilis ad liberandum hominem à damnatione, sed tamen OB illam fidem, qua credit Deum non judicaturum, sed hoc credenti & sic constanter parenti vitam donaturum, servatur homo & glorificatur. Quid est ex non-merito meritum facere, si hoc non est? Quod in se Deo non placet, id Deus tanti facit, ut ob id vitam donet. Et vitam donat, sine merito aut causa, & tamen habet causam donandi. ita enim Socinus dicit, fragm. 4. de Justificatione p. 110. *Dari obedientiam, quæ possit dici causa justificationis nostræ propter Dei promissum.* quam tamen negat esse *meritum*, *quod* vel *ex solo Dei promisso oritur*; rursus Synopsi 11. p. 14. negat dici debere *causam efficientem*, sed *causam sine qua non* voluit Deus eam contingere. Smalcius tamen *ex ea nasci debitum ex promisso* asserit advers. 2. lib. Smigl. 258. Et, secundum hæc, ipse Deus fit auctor, ut credamus, hoc, quod ipsi placere non potest secundum legem, ipsi placere, ut quomodocunque causam vitæ æternæ. Quæ sanè manifesta pugna est.

§. 64. Neque minus secum luctatur, quod eo [80] *justitiam Dei* vocari contendit, quia Deus id *tanti facit*, quod placere non potest, si *juri* locus detur & legi, ut non homo, illo non obstante, damnetur & pereat. Nam quomodo Deus in *justitia sua* non ipse *justus* comperietur, & zelotes sui *δικαιώματος juris* aut *δικαιοκρισίας justi judicii*, (Roman. 1: 32. 2: 5.) & suæ legis? Quæ est verior Dei justitia, quam dissimilem & esse & videri peccatoris, peccatorem arguere, ei hostem esse & contrarium, ei non attestari communione sui danda, seque ipsum non abnegare, verum in omni suo opère fieri eum, qui est? Quæ justitia in Christi vera & propriè dicta *λυτρώσει redemtione* (quæ adeo vera est, ut sit ἀπολύτρωσις sive absoluta & perfecta redemtio: quam vocis emphasin docet Chrysostomus ad Rom. 3.) & justificatione ejus, qui est ex fide Christi, per eam redemtionem verè & luculenter conspicitur, Rom. 3: 25. 26: sed in dogmate Sociniano prorsus nec apparet, imo per id negatur. De quo ad pag. 54. 80

§. 65. Quomodo vero à rixa liberabit Eques, quod justitiam, qua salvi sumus, vocat [81] *non-nostram*, quum tamen sit ex qualibuscunque causis, quæ in nobis sunt; pro vi promissi certis conditionibus annexi? 81

§. 66. Infra pag. 25. Eques justitiam illam componit ex [82] obedientia nostra, quæ imperfecta est, & Christi obedientia, tanquam supplemento. Ubi rursus ἄγραφος garritus. Et gemina pugna: Christi quidem obedientiam nobis non imputari, sed tamen per eam suppleri defectus nostros. Et obedientiam nostram esse imperfectam, quum, secundum ipsos, oporteat respondere conditioni salutis, quæ per Christum dicta est. Atque illa duplicis causæ juris ad vitam æternam conferruminatio, quam est absurda, & scripturæ contraria! quippe quæ expressè doceat, Christo totum esse assignandum, Rom. 5: 15. 16. 17. 18. 19. & opus, si gratia indigeat, non esse opus, aut gratiam, si opere, non esse gratiam. Rom. 11: 6. 82

A P O L O G I A.

VIrtutem *porro* Spiritus in regeneratione à nobis tolli, *à vero abest quam longissime;* Non tollere virtutem
cum ex ipsius Servatoris ore discamus; quemlibet qui salvus esse velit; [83] *ex Spiritu re-* Spiritus in rege-
nasci oportere. Quis nostrum ignorat, mortificatione carnis ejusque operum, ad vitæ ade- neratione.
ptionem opus esse? quis vero carnem & carnis opera mortificaverit, sine filiali illo Spiritu,
quem à Christo per illius [84] *sermonem hausimus? hoc* [85] *sine, semper habebit locum illud;* P. 15.
Non quod volo, istud ago, sed quod odi, hoc facio: Volenti mihi facere bonum, ad- 83 84 85
jacet mihi malum: mente servio legi Dei, carne vero legi peccati. Miser ego homo, quis Rom. 7:
me eripiet ex corpore mortis hujus? *Sed qui hausit Christi Spiritum (quem qui non habet,* 16. 21. 24. 25.
illius non est) huic dicere licet cum Apostolo; [87] Gratias ago Deo, per JESUM CHRI- 87
STUM Dominum nostrum. Caro *enim* mortua est propter peccatum: at Spiritus est vi- Cap. 8: 9. 10.
ta propter justitiam.

E X A M E N.

P. 14. 15. §. 67. Perpetua stropha est, quod Eques Socinianam innocentiam ponit in usurpatione verborum quorundam Christi. quum vim omnem verborum exhauriant. Quæ non innocentia est, sed opus Satanæ, se transformantis in Angelum lucis. Christus dicit, [83] *nos ex Spiritu sancto renasci oportere:* hoc verbo tenus recitat Socinianus, sed reipsa abnegat. Nihil enim novit nisi [84] *sermonem Christi & filialem* spem, quem illi *spiritum* nominant, quem di- 83 84
cunt

cunt se *à Christo haurire per sermones Christi.* Atqui non spes nos regenerat, sed *ad spem vivam regeneramur.* 1 Pet. 1: 3. Christus ait, omne, quod gignitur ex carne, carnem h. e. à Spiritu Dei alienum esse: ideoque nec *posse videre regnum cœlorum*, h. e. agnoscere regem Christum & justitiam ejus; & verbum ejus recipere, atque ita *intrare in regnum cœlorum*, sive particeps Christi & corporis ejus fieri. Ex quo sanè evidens est, nos non regenerari per aliquid, quod nos nostra prudentia ac pietate vel *probitate* haurimus ex Christi sermonibus. Nam ut Christi sermones recipiamus, regenerari, mutari, & alios homines nos fieri oportet. Quippe lege spiritûs vitæ in Christo Jesu oportet nos liberari à lege peccati. Non minus enim homo tenetur lege peccati, ei potestate & vigore Legis addictus in servitutem, quam mulier tenetur lege viri viventis. Quæ lex non potuit solvi, nisi interficeretur in corpore Christi. In quo ita interfecta est, ut fieremus illius, in cujus corpore lex peccati interfecta est: atque ita vigore ejusdem Legis sic Christi essemus, ut is nos tanquam hæreditatem suam, precio acquisitam, occupare posset. Occupat autem Spiritu suo: qui est *Spiritus vitæ in Christo*, h. e. qui facit nos vivere in Christo, ut vitæ. Ejus igitur lege liberamur à lege peccati, ut desinat nobis dominari. Proinde spiritus Christi, à quo est, ut in Christo vivamus, est auctor regenerationis nostræ, faciens ut Christo obediamus. Ita & Deus testatur, se circumcidere cor, ut ipsum amemus; se tollere cor lapideum, & dare cor carneum in medio nostri, ut in lege ipsius incedamus. Idcirco illud, quod nos regenerat, necesse est esse id, quod nos non sumus, sed quod potentius est & diabolo & nobis: nempe Deum ipsum: & quidem Spiritum sanctum, qui, eo quod ex Patre & Filio est, donatur, ut fiat eorum, in quibus operatur, & in illis sit paracletus & arrhabo.

§. 68. Itaque regeneratio attribuitur ei Spiritui, qui, cum Christo, *testatur*, quæ *vidit*, & *novit*, *quæ loquitur*, & sic in Prophetis & Apostolis loquitur. Joh. 3: 11. 16: 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. qui unicuique distribuit dona, prout vult. 1 Cor. 12: 11. quique mortalia nostra corpora, ut spiritus vitæ, vivificabit. Rom. 8: 9. 11. ut sint spiritualia. 1 Cor. 15: 44.

§. 69. Hanc divinam virtutem & potentiam negare Socinianos, tam manifestum est, quàm Solem lucere in meridie. Propriæ enim hominis voluntati assignant sui conversionem. Deo nihil dant nisi sermonem de relaxatione legis & novis præceptis & vita æterna. Idque evidens est ex pag. 26. ubi Eques homini (qui tamen caro est) dat æquè *obtemperandi Spiritui sancto* (ibi Euangelium intelligit) *& repugnandi facultatem.* De quo etiam p. 64. 65. agit. Hæc ita pronunciat Socinus de Servatore p. 4. c. 12. *Fides in Christum non ita Dei donum est, ut singulari & interiori quadam virtute divina, cui resisti non possit, in hominum cordibus inscribatur; sed potissimum per externa quædam eis etiam, qui non credunt, communia in ipsis generatur.* Igitur mox tribuit homini *plenissimam accipiendi*, ut *non accipiendi, facultatem.* & declarat, fidem esse donum, *quia prædicatione offertur.* Quæ si vera sunt, ruptum est Testamentum Dei, quo Christo hæreditatem mundi assignavit, quam postulandi à se jus ei fecit, Psalm. 2: 8. evanuit promissio facta Abrahamo, cujus nos filii sumus: nulla est circumcisio cordis, qua faciat Deus, ut in præceptis ipsius ambulemus, & ipsum diligamus; nihil est inscriptio legis fidei in cor per Spiritum sanctum, Jer. 31: 33: 2 Cor. 3: 3. non operatur Deus & velle & operari; non dat oculos ad videndum, aures ad audiendum, & cor ad intelligendum; denique non excitat nos ex morte peccatorum & præputii carnis: neque regeneramur ex Christi *obedientiâ usque ad mortem crucis*, quæ est revera Aqua illa pura & purificans, ex qua nos regenerari necesse est (quæ vis mortis ejus declaratur Joh. 3: 14. 17.) non sumus ei concrucifixi, aut conresuscitati, aut in supernis cum ipso collocati. Ephes. 2: 6. denique, Euangelium non est *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1: 16. sed *facultas hominis accipientis.*

85 §. 70. Pergit, [85] *Sine hoc spiritu* (spe) *semper habebit locum, Non quod volo, istud ago*, &c. Rom. 7: 16. 21. 24. 25. Igitur Equiti id dicere est non regenitorum: eorundem nempe, *in quibus lex operatur omnem concupiscentiam*, Rom. 7: 8. & qui *serviunt impuritati atque rebellioni.* Roman. 6: 19. qui sunt servi *peccati & liberi justitiæ*, vs. 20. *& in peccato mortui.* Rom. 6: 13. Ephes. 2: 5. Coloss. 2: 13. ut ii revera *condelectentur legi Dei secundum interiorem hominem, velint bonum, nolint malum, mente serviant legi Dei, & anhelent ad liberationem è corpore mortis.* Unde

86 & pag. 16. & 17. ad [86] *bene agendi* (feriam, quam nos docemus) *voluntatem* (id est charitatem) *& conatum*, *nullo Spiritu opus esse*, dicit. Ex quo illud efficitur, ut iidem, dum iidem sunt & in eodem statu manent, possint tamen dicere, NUNC NON AMPLIUS EGO FACIO. vers. 17. 20.

§. 71. Quis vero non planè perspicit, si id, quod dicere omnium sanctorum est, qui in *corpore mortis sunt*, & ex eo *liberati* nondum sunt, quantumvis profecerunt, amandetur in statum irregenitorum, qui spiritum Dei non habent; & *homini animali* id asseri, quod in eo non est; & hominis superbiam inflari, ut sibi *libertatem* assumat, qui est *servus corruptionis*, (2 Pet. 2: 19.) neque adeo in metu & tremore salutem operetur; Philipp. 2: 12. 13. dumque *vires suas* putat *Deum suum*, Habac. 1: 11. quasi possit *seipsum discernere*, atque *habere*, *quod non acceperit*, 1 Cor. 4: 7. non confugiat ad Deum rupem & auxilium suum, atque interim à Diabolo præripiatur, & induretur, maximè autem persuasione propriæ sanctitatis & justitiæ infatuetur. Quo peccato nihil injustius fieri potest.

§. 72. Taceo, quod verè regenitis adimitur ea consolatio, quod, *in infirmitate carnis suæ*, intelligunt, divinitus se esse ex mortuis excitatos, cum Christo crucifixos, vivere Deo ipsos excitanti & conservanti; & propterea cum Christo victuros & regnaturos esse Rom. 6: 6. 8. 11. 19. 5: 17. 21.

§. 73. Certè, quod sine exinanitione legis Dei, & excæcatione conscientiæ fieri non potest, hæc doctrina præscribit homini typum falsæ gloriationis apud Deum, quasi ea sit regenitorum; ut dicant, non (quod tamen Pharisæus dicebat) *Gratias tibi ago, Deus*; (quod & Apostolus nobis dicendum præit. Rom. 7: 25. 6: 17. quodque falso assumit Eques ex Rom. 7: 25.) sed, Ego, ô Deus, „ *animi mei probitate credidi* (Socinus de Servat. pag. 4. „ cap. 12. p. 580. col. edit. Lubberti) jamque delector le„ge tua, eique servio, &, quod volo, bonum, id facio; „ quod autem nolo, id non facio, malum, neque video „ in membris meis legem peccati, quæ bellum faciat legi „ mentis, & me captivum agat legi peccati. ea enim non „ est in membris meis. neque malum mihi adjacet. tan„tum abest, ut carne serviam legi peccati. Neque igitur „ est, ut ad te suspirem, petamque liberari ex hoc corpo„re, quasi corpore mortis. Nam ita ingemiscere non est „ meum, sed illorum, in quibus ille spiritus non est, qui „ ex Euangelio hauritur.

§. 74. O quantos sanctos esse oportet, qui, quod volunt, faciunt; quantam cognitionem legis, & sanctitatis Dei, & voluntatis ejus, quamque ardentem voluntatem esse convenit in iis, qui ita faciunt, ut volunt, & pugnam spiritus & carnis non sentiunt! Gal. 5: 17. Possint hi sanè etiam dicere eadem animi firmitudine, *Peccatum non habemus.* 1 Joh. 1: 8. &, *Dives sum*, *inveni mihi*, *quod satis est: omnes, qui se fatigent in me* discutiendo, *non invenient in me pravitatem, quæ* sit *peccatum.* Hos. 12: 9. Idque tam proprium est Socinianis, ut eos, qui deplorant sua peccata, & verè se in corpore mortis captivos sentiunt, **Sünd-Christen** h. e. *Christianos peccati*, in libellis suis vocitent. quasi non pars rectitudinis nostræ & veritatis sit confiteri peccatum & defectum atque etiam ἀσθένειαν h. e. *impotentiam carnis nostræ.*

§. 75. Regenitus igitur Socinianus *gratias* non *agit Deo*, quod *liberatus sit à lege peccati*, sed suæ *facultati* hoc deputat: neque *per Jesum Christum agit Deo gratias*, quia non agnoscit veram *unitatem* Filii & Patris *omnino & universè* (sine qua Deo per Filium gratiæ agi non possunt) sed tantum *in hac vel illa re particulari* (Smalcius ad Smigl. de erorib. novor. Arrian. Errore Smigl. 19.) nec dominium Christi, propter quod hæreditas ipsius sumus, in qua ipse vivat, glorificetur & regnet. quæ est vera causa omnis nostræ libertatis & salutis.

§. 76. Absurdè assuit Eques [87] vers. 10. cap. 8. ad Roman. qui versus de regeneratione non agit; sed ostendit, 87
Corpus hoc (quod Apostolus & *mortale corpus*, Rom. 6: 12. & *corpus mortis*, Rom. 7: 24. nominaverat) mori *propter peccatum*, ut nempe *vetus homo* plenè destruatur, &, concupiscentiis corporis (Rom. 6: 12) cessantibus, omnis omnino servitus peccati Rom. 6: 6. 7: 23. 25.) cesset. Innuit enim, in eo corpore usque ad mortem concupiscentias ejus & impotentiam carnis superesse. Unde & id *Corpus peccati* appellat Rom. 6: 6. Col. 2: 11. Cujus depositio (ea fit in morte) circumcisio quædam ἀχειροποίητος, & effectus crucifixionis Christi indigitatur. Tum vero, quando corpus moritur, *spiritum* illum, qui est pars nostri melior, quo cogitamus, intelligimus, volumus, cor-

pus

pus movemus, esse *vitam* h. e. vita & lætitia frui apud Deum *propter justitiam*, quam Christus nobis donavit per fidem. Deum autem, qui excitavit Christum, hoc idem corpus mortale, quum mortuum fuerit, suscitaturum *per Spiritum*, (sic legimus, non tantum propter auctoritatem Athanasii, qui diversam lectionem *propter Spiritum*, quæ est in vulgata & Tertulliano, corruptelæ arguit, & Basilii, sed etiam juxta analogiam Scripturæ, & ne Paulum tautologum faciamus, & quia non potest esse arrhabo, nisi præster id, propter quod sperandum est arrhabo) *qui in nobis habitat.* non sanè per Euangelium, aut spem nostram, sed per potentiam Spiritus, qui cum Patre & Filio in cœlis est, & nos ac corpora nostra, ut templum suum, sanctificat. Quæ verba Apostoli si sobriè considerarent, è multis erroribus eriperentur.

APOLOGIA.

Hinc simul patet, eadem injuria nobis objici, quod ex [88] Christiana pietate moralem Eth- Injuria nobis objici, quod ex Christiana pietate moralem Ethnicorum disciplinam faciamus.
nicorum disciplinam faciamus. Absit ut ulla hominum Ethica, cum cælestissimâ Christi doctrinâ comparanda putemus, sive perfectionem, sive vim & efficaciam spectes. Nam qui [95] per fidem in Christum Spiritum illum adoptionis hauserunt, non lenta quadam bene agendi assuetudine opus habent, ut semiboni fiant: sed virtute accepti Spiritus, [90] protinus vere boni nasci possunt. Quin & ipsa divina lex per Mosem tradita, quid aliud fuit quam [94] litera (id est, præcepta literis consignata) quæ mortis pæna transgressoribus apposita,
cum carnem domare non potuerit, ob quam Nitimur in vetitum semper cupimusque nega- P. 16.
ta, *meritò Apostolus scriptum de Lege reliquit, Litera occidit: at* Spiritus *ille Christi, quia* 2 Cor. 3: 6.
carnis penitus edomandæ vim habeat, vivificat. *Qui propterea & [89] servili illa, ac damna-* 88 95 90 94
toria lege nos exsolvit, cum longè exactioris in nobis obedientiæ effector sit. Sanè si regene- 89 91
ratio intra solam [86] bene agendi [96] voluntatem & conatum consistit, ut adversarii, egregii 86 96
Christianæ pietatis interpretes & assertores docent; nullo [86] ad eam Spiritu opus est: hoc so- P. 17.
la mens & ratio in quolibet, qui volet, efficiet. At, si [92] mores malos, & omnes vitio- 86 92
rum habitus, & actus habitibus respondentes, penitus excutere; ea demum vera & solida regeneratio est, quis ad eam sine Spiritu Christi virtute possit adspirare? Et tamen isti homines totam Christi religionem à nobis funditus everti dicunt; cum ipsi [93] nondum ad ve- 93
ram & solidam illius cognitionem pervenerint: imo ob id ipsum dicunt, quod ad eam non pervenerint.

EXAMEN.

P. 15. §. 77. Negat Eques, *Socinianos Christianam pietatem*
16. 17. *facere moralem Ethnicorum disciplinam*, eo argumento, quod cœlestem doctrinam & perfectiorem ipsa lege Mo-
89 sis (quam vocat [89] *servilem* & *damnatoriam*) & efficaciorem statuant. Esse enim Spiritum Christi. 2 Cor. 3: 6.
90 &, qui [90] *per fidem Spiritum adoptionis hauserint, protinus non semibonos sed verè bonos nasci posse*. Eum spiritum
91 [91] *longè exactioris obedientiæ*, quam in lege Mosis præcepta est, *effectorem esse. Sine virtute Spiritus Christi neminem posse ad veram & solidam regenerationem aspirare*;
92 *quæ* sit [92] *mores malos, & omnes vitiorum habitus, & actus habitibus respondentes penitus excutere.* Interim etiam do-
93 ctores Ecclesiæ Reformatæ exsibilat, ut [93] tantarum rerum ignaros.

§. 78. Et quidem, quod me attinet, ego me fateor istius doctrinæ adeo ignarum, ut mihi homo, illa loquens, non sensu communi uti sed furere videatur.

89 §. 79. Mosis legem vocat [89] *servilem*. Fatemur de *lege præceptorum in placitis*, h. e. ceremoniali. Sed etiamne illam, quæ dicit, *Amabis Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum tuum ut te ipsum*; *servilem* dictitabimus? à qua sententia tota lex & prophetæ pendeut? Quis hoc Equitem docuit? *Servile* igitur est Amare Deum suum, & proximum? Mi Eques, resipisce. *Servitus* simpliciter in Scripturis, ubi agitur non de civili conditione, dicitur status illorum, qui serviunt peccato. Joh. 8: 34. 35. aut subjiciuntur legi, quæ non justificat; qualis est lex ceremonialis. Rom. 8: 15. Gal. 4: 7. 24. Ita *liberi* simpliciter, qui serviunt Deo & justitiæ. Joh. 8: 32. 36. Rom. 6: 18. 7: 6. 26. Peccas igitur, quando *servilem* legem vocas eam, quæ continet præcepta Dei, quæ qui facit, vivit in eis; quæ ipsa præcepta Deus inscribit cordibus eorum, quorum Deus est. Jer. 31: 33. Deut. 30: 6. 8. 10. quam S. Jacobus appellat *legem regiam libertatis*, Jac. 1: 25. 2: 8. 9. 10.
89 11. 12. Peccas, quod [89] *damnatoriam legem* vocas: & hoc sine Scriptura. quam Apostolus dicit esse *bonam & ad vitam*. Rom. 7: 10. 12. Gravissimè peccas, quando dicis,
91 [91] *Longè exactiorem obedientiam* eâ, quæ lege præcipitur, *in nobis effici*. Nam & hoc nullibi legisti: & Christi obedientiam hoc ipso deprecias, qui *factus est sub Lege*, & *legem implevit*. Gal. 4: 4. Matth. 5: 17. quam Psal. 40: 9. protestatur esse in visceribus suis. Sufficit nobis, si δικαίωμα τοῦ νόμου h. e. id, quod lex promittit justis, *in nobis impleatur* in Christo. Rom. 8: 4. Sufficit charitas, quæ est impletio legis, Rom. 13: 10. sufficit ea, quam efficit circumcisio cordis, Deut. 30: 6. quæ est facere id, quod scriptum est in libro legis Mosis. ibid. vers. 10. Non audimus novum præceptum, sed id, quod auditum est ab initio. 1 Joh. 2: 7. quanquam *idem* accipimus *novum*, *quod verum est in ipso*, per impletionem & satisfactionem, & *in nobis*, per donationem justitiæ, agnitionem peccati, damnationem propriæ justitiæ, & initium obedientiæ. Per hæc enim in nobis obsignatur & verum est.

§. 80. Nescis, cur lex vocetur [94] *litera*; nempe quia so- 94
la, sine promissione aut Euangelio, non est organon spiritus ad convertendum peccatorem. Manet igitur litera, & non facit ex peccatore epistolam Christi scriptam non atramento sed spiritu; quia cordibus non inscribitur. Et hæc est causa, quod occidit. Non enim potest vivificare propter impotentiam carnis. Rom. 8: 3.

§. 81. Qui vero Euangelium prædicant, dicuntur *ministri spiritus* (cujus vocabuli abusus est inter præstigias vestras) quia Spiritus illud, & cum eo præceptum credendi & amandi Deum ut Servatorem suum & justitiam suam, &c. inscribit cordibus, 2 Cor. 3: 3. h. e. facit, ut idem præceptum nobis dictet non tantum conscientia nostra, sed & Voluntas nostra, & Amor noster. Deut. 30: 6. Ezech. 11: 19. 20. 36: 27. Psal. 27: 8. *Tuam vicem dicit cor meum: Quærite faciem meam.* Non igitur ipsum Euangelium Spiritus, sed Euangelii prædicatio est ministerium Spiritus, sive potentia Spiritûs ad salutem.

§. 82. Quando dicis, qui [95] *per fidem Christi Spiritum* 95
adoptionis hauserunt: peccas. Nam, quamvis verum sit, credentes accepisse, quod promissum erat patribus, ut effunderetur in ipsos Spiritus sanctus, secundum prophetiam Joëlis; atque etiam, dona spiritus indies precibus impetrari, vel etiam filiationis declarationem in credentibus factam esse per Spiritum sanctum: tamen locus epistolæ ad Galatas, quem in mente habes, fert, ut ipsa fides effectus & donum Spiritus sancti habeatur, quo dono accipiendo Spiritus sanctus accipitur. Certè Spiritus Domini, per quem cœlos creavit, idem est Spiritus cognitionis & timoris Domini. Esai. 11: 2. Spiritus fidei, 2 Cor. 4: 13. 1 Cor. 12: 9. & precum, Zach. 12: 10. & sine eo nec judi-

dicantur vel examinantur ea, quæ ſunt Spiritûs, 1 Cor. 2: 14. neque Chriſtus Dominus appellatur, 1 Cor. 12: 3. & is clamat, Abba, Pater, Gal. 4: 6. Rom. 8: 15. quæ eſt vox fidei: & per gemitus intercedit, & infirmitatibus ſuccurrit, Rom. 8: 23. 26. 27. & ut paucis abſolvam, ſcribit prædicationem Euangelii & legem Dei in cordibus: 2 Cor. 3: 3. 1 Theſſal. 1: 5. & ſanctificat ad obedientiam ſive fidem veritatis. 2 Theſſ. 2: 13. 1 Petr. 1: 2. & fide purificat corda. Act. 15: 8. 9. Si Euangelium vel Novum Teſtamentum eſt ſpiritus (ut volunt Sociniani. quanquam non juxta emphaſin loci 2 Cor. 3: 6.) quomodo fides Euangelii Novi Teſtamenti non eſt ſpiritus, ſed demum medium accipiendi & hauriendi ſpiritus?

§. 83. Quam vero abſonum eſt, motum animi quendam, videlicet ſpem, ſpiritum Chriſti & Dei appellare, & in eo non intelligere metonymiam! & non diſtinguere inter *novum cor novumque ſpiritum* h. e. novum motum cordis & *ſpiritum Dei*, qui omnibus diſtribuit gratias, quemadmodum vult. Ezech. 36: 26. 27. 1 Cor. 12: 11.

§. 84. Nam, quod Eques regenerationem poſtponit fidei, ut & Spiritum, præpoſtere agit, & contra Scripturam, quæ regenerationem requirit, ut homo vel videre regnum cœlorum revelatum queat, Joh. 3: 3. vel in id intrare. verſ. 5. Intramus autem fide. Per eam enim ſumus in Chriſto & ipſius corpore, regno ac populo. Deinde ſermo veritatis auditus, & in corde receptus, eſt ſemen novi hominis, & initium novæ vitæ. 1 Pet. 1: 23. 25. Jac. 1: 18. Rom. 6: 17.

§. 85. Vide autem, quo vos adigant veſtra dogmata! Negare non poteſtis, regenerationem eſſe ex virtute Spiritus Chriſti: & vos *nullo ſpiritu opus eſſe* putatis, ut obediatis, & *bonum velitis.* Igitur comminiſcimini abſurdiſſimas expoſitiones Scripturæ: dicentes, Regenerari nos, & novos homines naſci virtute ſpei, quæ eſt in nobis. Ubi, ut cuivis patet, *regenerationem*, quæ eſt *ad ſpem vivam*, 1 Pet. 1: 3. facitis effectum ſpei: & regenerationem, ſive productionem novi hominis, facitis effectum motus voluntatis veſtræ, quæ eſt effectus voluntatis divinæ & promiſſionis. Jac. 1: 18. Gal. 4: 28. 29.

§. 86. Ita, ne *gratiam Chriſti* videamini negare, fingitis, eum legem perfectiorem protuliſſe cum promiſſione vitæ æternæ. Et rurſus, quum *noſtra juſtitia* in Scripturis negetur, dicitis, intelligi exactam obſervationem legis: & pro *juſtitia Dei* ſubſtituitis obedientiam præceptorum novorum.

§. 87. Tu quidem irrides, Eques, noſtram confeſſionem; quod [96] *regenerationem noſtram intra bene agendi voluntatem & conatum conſiſtere* dicamus; quod, ſi Legem ſpectes, verum eſt. Quicquid enim etiam Paulus fecit, nihil niſi *conatus* eſt. qui non putabat ſe aſſecutum, ſed, oblitus eorum, quæ retro erant, ad ſcopum ſupernæ vocationis contendebat. Philipp. 3: 12. 13. 14. Sed infra quem *conatum* illa ſolida & vera regeneratio Socinianorum, qua illi ſe jactant, qua *mores malos, & omnes vitiorum habitus & actus habitibus reſpondentes penitus excuſſerunt*, plurimum deſidit. Quâ jactantiâ tamen nihil aliud efficiunt, quàm ut oſtendant, ſe non habere niſi doctrinam de moribus, de virtutibus & vitiis, qualem Plato vel Ariſtoteles habuere; quæ virtutes ſint, in imperfectione multiplici, cauſa beatitudinis, ut ille quidem conjectabat, etiam poſt mortem. quod vos Chriſti morte & reſurrectione confirmatum eſſe dicitis. Utrique commune naturam bonam, ut virtutis feracem agrum, laudare: ita ut & ignorantia recti, & appetitus ſpecioſi boni (quod *ſibi bonum* falſo dicit Socinus) pars naturæ & operis Dei ſit. Quare ipſis & concupiſcentia pro malo eſſe non poteſt. In neutra vero doctrina eſt glorificatio Dei in agnitione cœleſtis illius ſapientiæ, qua ira & gratia ejuſdem legis inſtrumento niſi ſe commendavit. In neutra gratiarum actio de bono, quod facit homo. Sibi enim id debet & facultati pleniſſimæ. In neutra ſanctificatio Dei. Nam talis in utraque Deus, qui & poſſit eſſe, qualis peccator eſt, h. e. peccata ſine vera & propriè dicta apolytroſi diſſimulare. Utrobique Deus, qui indigeat nomine hominis ad gloriam ſuam. Contra Eſai. 66: 5. Ubi Symbolum Phariſaicum & Socinianum eſt: Credo, quod *Deus propter nomen meum glorificabitur.* Utrique deficit quæſtio Dei, ut finis: nempe ut ipſe non modo ut conditor, ſed tanquam Servator, ſanctificator, juſtitia noſtra, hæres noſtri, caput noſtrum & vita noſtra celebretur.

APOLOGIA.

Nec corporum mortuorum reſurrectionem, nec ſpem æternæ vitæ à nobis tolli. 1 Cor. 15: 44. 46.

NAm & corporum mortuorum reſurrectionem & ſpem æternæ vitæ à nobis tolli, *ajunt.* [97] *Corpora quidem, proprie loquendo, non moriuntur, ſed homines: proinde ſi hominum mortuorum ſimiliter, proprie loquendo, reſurrectionem crederemus, non corporum mortuorum; an idcirco æternæ vitæ ſpem tollere dicendi eſſemus? Sed enim dicimus cum Apoſtolo;* ſeminatur corpus animale; reſurgit corpus ſpirituale. Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale: at non prius ſpirituale, ſed animale; deinde ſpirituale? *Credimus igitur corporum mortuorum reſurrectionem; ſed & ſimul credimus,* [98] *corpora quæ fuerant animalia, in reſurrectione futura ſpiritualia; quod vel maxime ad ſpem æternæ vitæ facit;*
97 P. 18. *cum apertum ſit, idque etiam Apoſtolus diſerte moneat,* [99] carnem & ſanguinem *(qualia*
Ibid. *nunc ſunt noſtra corpora)* regni Dei hæreditatem capere non poſſe; neque corruptionem,
verſ. 50. 98 99 *(quæ* [100] *carni & ſanguini ineſt)* incorruptibilitatis hæredem fieri. *Ipſi ſunt, qui vitæ æ-*
100 *ternæ poſſidendæ veram rationem, atque ita & rationalem ejus ſpem tollunt; qui* [101] *car-*
101 *nem & ſanguinem, & tamen immortalem, & ſpiritualem, & cæleſtem; qui ventrem &*
P. 19. *omnia corporis noſtri mortalis membra, omni eorum uſu ſublato, in regni Dei poſſeſſionem inducunt; qui Dei Filium vere fuiſſe mortuum, proinde & reſurrexiſſe negant: quippe*
102 *qui* [102] *ſeipſum vivus mortuum ſuſcitaverit; id eſt, qui contradictoria ſimul eſſe vera credere nos jubent.*

EXAMEN.

P. 17. §. 88. [97] Corpora moriuntur, quæ vita privantur:
18. ideo & *mortalia* appellantur & *mortua.* Homo moritur
97 τῇ σαρκὶ 1 Petr. 3: 18. 4: 6. ſecundum corpus. [98] Per-
98 mutationem corporum vos opinari, ſcimus: ſed ea non
99 eſt corporum eorundem, quæ mortua ſunt, reſurrectio. [99] Paulus 1 Cor. 15: 50. ab hæreditate regni Dei non excludit *hoc mortale corpus* (quod Chriſti corpori glorioſo, in quo frater noſter eſt, conformabitur, quodque nunc eſt templum Spiritus ſancti, & ad corpus Chriſti myſticum pertinet, in quo & ſymbola vitæ & communionis Chriſti, baptiſmum & S. Cœnam, accepimus) ſed ſtatum & conditionem hujus corporis, quæ eſt cibis nutriri, vel corrumpi. Oportet enim hominem etiam integrum mutari, & corruptibilem vivificari, ut Deum videat. [100] *Carni & ſanguini*, ut ea habuit Adam in prima creatione, 100
corruptio non *ineſt*, h. e. mors: ſed vitæ terreſtris ſuppeditatio. Mors non eſt à natura: ut veſter magiſter extra Scripturam delirat.

§. 89. [101] Nos non introducimus in poſſeſſionem glo- 101
riæ, quæ cum gloria non conveniunt (de qua re vos temere diribitores ſedetis, quaſi bene ſciatis, quid cum gloria conveniat, quid non) ſed, propter juſtitiam, & commu-

munionem Christi, & quia ipsius sumus peculium & hæreditas, & propter inhabitationem Spiritus ejus, & quia Conditor omnium est Deus noster, hujus corporis glorificationem, qua fiet cœleste & *spirituale* sive spiritu vivificante impletum, exspectamus.

102 §. 90. [102] Abnegas Scripturam, Eques, quum negas, quod Christus se vivus excitaverit ex mortuis; aut, si id verum sit, non fuisse mortuum, concludis. *Mortuus* fuit, quia corpus ejus sine sensu & vita de cruce detractum in sepulchro conditum est. *Vivus fuit*, quia & spiritus in Paradiso fuit eodem mortis die, uti dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso* (quem locum mirificè discerpitis) & est Filius Dei non initium dierum aut vitæ finem habens, sed vitam in se habens, quæ indissolubilis est; unde est absolute *ὁ ζῶν vivens ille*, ipsa *vita*; qui *spiritu* (qui *æternus* est, Hebr. 9: 14.) eo nempe, quo prædicatum iverat in diebus Noe, *vivificatus est* sive resurrexit ex mortuis, 1 Petr. 3: 18. 19. 21. animâ resumtâ, templo, eoque suo, excitato, cujus ipse structor est, spiritus vivificans. Sed hæc Eques *contradictoria* h. e. mendacia nominat: dicens etiam p. 21. eum, qui æternus est, *verè & propriè morti subjici nunquam* potuisse, h. e. non potuisse infra angelos, assumto corpore, ad gustandam mortem minorari.

APOLOGIA.

Nos imaginario Christo & abominando idolo non servire.

QUin & eo tenebrarum devenerunt, ut dicere non exhorrescant, nos specie cujusdam
Dei, imaginario Christo, & reipsa abominando [103] idolo servire. *Itane? Filius ille*
hominis & Dei, quippe non ex viro, sed ex [104] *Spiritu & Virtute illius conceptus; quem*
Deus ducem & Servatorem exaltavit dextera sua, & Judicem vivorum & mortuorum
constituit; Vobis imaginarius est Christus, & abominandum idolum? ille, cui propter obe-
dientiam usque ad mortem, eamque ignominiosissimam, id est, crucis, adeo sublime nomen 103
& majestas donata est, ut propter eam omne genu, & cœlestium, & terrestrium, & infe- 104
rorum, ei sese flectere debeat, & omnis lingua Dominum eum confiteri, ad Dei Patris, qui
tantæ Majestatis & Divinitatis ejus autor est, gloriam? Hæccine est illa gloria, quam Deo P. 20.
Patri tribuitis? siccine ipsi Christo genua flectitis, & linguis Dominum eum confitemini! Et
tamen Christiani volunt appellari! & isti, qui Jesum abominandum idolum appellant, *à*
Christianorum nomine eos volunt depellere, qui [105] *Jesum Dominum & Christum a Deo fa-* 105
ctum esse agnoscunt! qui fit igitur, ut [106] *Lutheranis communionem Ecclesiæ offerant, &* 106
ad eam tantopere ipsos invitent, si eorum sententiâ idololatræ sunt? Lutherani siquidem,
humanæ Christi naturæ; non tantum propter unionem, quam dicunt, cum divinâ persona-
lem: sed etiam propter eam, quam diximus, exaltationem, Apostolorum prædicatione & li-
teris celebratam, cultum cœlestem deferunt, & deferendum esse docent. Hic vos habent con-
fitentes reos, nempe nos in hunc ipsum Christum credere, eique servire, quem isti fictum &
imaginarium Christum & horrendum idolum appellant. *Simus apud ipsos idololatræ,*
quandoquidem apud ipsos Christus Dominus noster idolum est. Hæc non nostra, sed ipsius P. 21.
Christi, & in Christo ipsius Dei atrox & infanda contumelia est. [107] *Experientur suo tem-* 107
pore, ni resipuerint, quid sit ex Christo, altissimum illum Deum, cujus Christus est, face-
re; ipsum autem Christum, qualis est, & qualem eum Deus fecit, non dedignari tantum;
sed insuper tanta ignominia, quâ nulla fœdior cogitari potest, afficere. Hanc scilicet gra-
tiam referunt Dei Filio, qui verè & propriè pro peccatis ipsorum crucis morte sese affici pas-
sus est: qui profectò is esse non potuit, qui verè & propriè morti subjectus nunquam fuit.
Ita dum fidei per Christum in Deum sese referentis objectum pro idolo ducunt, penitus sese à
rectâ fide exerrasse ostendunt.

EXAMEN.

P. 19. §. 91. Ipse Socinus (Inst. p. 97.) [103] *idololatriam* esse
20. 21. docet, *Christum majore honore afficere quàm illi debetur.* &
103 ne id fiat, verum esse debere, quod Spiritus sanctus de
ipsius *potestate* loquitur. quasi non potestatem solius Dei Scriptura vetet tribui non-Deo, & eam illi attribuere non sit idololatria; & propter periculum idololatriæ verum quidem esse oporteat, Christum habere divinam potestatem, & non oporteat esse verum, *eum esse Deum.* Smalcius de divinit. Christi c. 12. dicit: *Si .... deos subordinatos, & Jesum Christum, fingeremus ex nostris cerebris, possemus jure idololatriæ & ethnicæ impietatis accusari.* Quid si igitur non tantum fingatis, & Deo indecora fingatis, sed & contra Dei verbum, & verbum Dei refingatis, ut vestro figmento videatur patrocinari? Tu vero, Eques, quando in reddenda causa adorationis Christi nihil affers,
104 nisi [104] creationem substantiæ Filii, & corporis ejus formationem ex utero virginis, & potestatem (quæ sine verâ Deitate esse non potest, &, Deo teste, non est) quantumcunque exaggeres honores Christi, tanto magis vel idololatra vel irrisor reperieris. *Idololatra*, si, ut *Illustris* ille *Eques Polonus Aulicus Regius*, in charta A. 1649. edita, *qua regi rationem reddit*, &c. p. 9. 10. dicit, *hominem .... in cultu divino Deo Patri .... æquas* (quod certè faciendum est, ut vel ex Joh. 5: 18. 23. & Philipp. 2: 6. constare potest) dumque id, quod est solius Dei, quodque in nullo nisi in solo Deo æterno agnoscendum est, non-Jehovæ attribuis: quum Deus gloriam suam, hoc est, id, quo ipse creaturis, quæ sunt & esse possunt, præstat, alteri non det, neque dare possit, Esai. 42: 8. & immutabili præcepto vetuerit alium Deum haberi, (quod est sanè virtutem, & opus, & gloriam, & nomen solius Dei proprium creaturæ attribuere) & promissione infallibili nobis receperit atque juraverit, seipsum solum, sine (ut Socinus dicit de ador. Christi p. 94.) socio (Deut. 32: 12. Esa. 43: 10. 11. 12 44: 6. 45: 5. 6. 21.) nobis futurum in Deum, & nos ipsi futuros in populum LIBERUM; cujus est, in solum Deum æternum credere, & ei soli servire. quod Smalcius tuus alius esse temporis dicit, *adversus Monstra* p. 84. Imprimis, quum idem ille, qui SE SOLUM SERVATOREM, & DEUM, & RUPEM, & ASSERTOREM sive RECUPERATOREM appellavit, etiam jusserit *ad se nos respicere, ut salvemur*, & *juraverit*, *sibi omne genu se flexurum*, & *omnem linguam juraturam*, & *justitiam ei tantum accepto laturam*, & *in eo gloriaturam*. Esai. 45: 21. 22. 23. 24. 25. Unde patet, divinum esse reservatum ejus, qui SOLUS est Deus verus; *& post quem nullus formatur Deus, Salvator, Dominus*, &c. qui solus est sapiens, 1 Timoth. 1: 17. & dynasta, & rex regum, & immortalis, 1 Timoth. 6: 15. quod Eques tamen (quia Apostolum vidit præeuntem) coactus est etiam Filio dare.

Agnoscit Socinus, eos *errare*, *qui putent se posse effugere, quin cogantur fateri, multa, aut certe aliqua, quæ in propheticis scriptis de uno illo Deo apertè dicuntur, ad Christum in scriptis Euangelicis & Apostolicis accommodata fuisse, idque secundum ipsam spiritus sancti mentem, qui ista protulerat, factum esse.* epist. 1. ad Ostorodum. Quod sanè non tantum inde manifestum est, quia Apostoli, spiritu Dei præditi, ista testimonia Christo applicarunt; aut quod in Christo completa conspiciuntur: sed partim quod eadem de Deo unico & Filio Dei non uno nomine indigitato sunt prædicta, quodque inter ea quædam talia sunt, ut non sine humana natura potuerint peragi. Quid igitur impedit, quo minus Filium unum illum Deum esse dicamus? Socini effugium est, quia potuit Deus per hominem ea præstare: non videns, etiam Filio in prophetia attribui ea, quæ excedunt creaturæ captum, & illa, quæ Filio accommodantur, esse divina *ἀυχήματα* & reservata; in quibus *socium* habere nec potest & se habiturum apertè negavit.

§. 92. *Irrisorem* autem dico, si cum Socino per hæc omnia magnifica aliquid impropriè dictum & longè minus intelligis. Nam is distinguit inter religiosam adorationem propter se & propter alium; in disputat. de adoratione Christi cum Christiano Franken p. 11. excellentissimam & non excellentissimam. pag. 46. in manu ascriptis. (quomodo & Smalcius inter *divinum & supremum*, adverss. nova Monstra p. 7.) quam & *nullam* dicit Socinus. Nam ita dicit p. 52. *Christus revera nullam propriam adorationem habet.* Quod rectè dictum videri posset, si ita dictum esset, ut illud Christi, Johan. 12: 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me:* quo significatur, fidem in Christum non esse aliquid separatum à fide mittentis, quia ipsam credere missionem, est credere unitatem & mittentis & missi; atque ita credere in Christum est recumbere in potentia, voluntate, gratia, amore, decentiâ mittentis & missi. Ita enim intelligeremus, una adoratione vera & propriè dicta, quæ est vera exaltatio & glorificatio, adorari Patrem & Filium. Sed quum Christo dant adorationem non excellentissimam sed inferiorem, & tum dicunt, adorationem illius propriam nullam esse, & separant adorationem Christi & Patris, & veram adorationem Christo negant. Nam nec communis adoratio Christi ac Patris esse potest, in qua est distinctio excellentissimi sive gloriæ incommunicabilis, & non excellentissimi, quæ *gloria* absolutè dici non potest; primarii & secundarii; causæ primæ & secundæ (Smalcius pagin. 102.) causæ & effecti, creatoris & creaturæ: nisi velimus dicere, honorem, quem parentibus mandato Dei & flagitante natura exhibemus, esse cultum divinum, qui ipsis cum Deo communis sit. Atqui, inquit Smalcius *adversus nova Monstra* pag. 57. potentia & potestas, quam Christus accepit, etiamsi non sit illa ipsa potentia Dei incommunicabilis, tamen est *ejusdem generis, cujus est ea, quæ in Deo naturaliter est. neque sequitur, eam, quam* Deus *communicat, necessario imperfectam & in immensum distantem à divina esse.* Certè, si esset imperfecta, non esset ejusdem generis. Sed mirum est, quæ sit illa ejusdem generis cum divinâ potentia & potestas, ob quam divino cultu adorandus est. *Est*, inquit, *singularissima, quam Christus solus* (Ergo sine Patre) *habet in Ecclesia sua, potestas*, quæ *non potest non efficere, ut Christus unum sit cum Deo.* & pag. 58. *Christus non est à Deo exaltatus, ut mundi semel creati curam gerat, sed ut populum suum servet. Unde constat, potentiam Christi esse eandem*, hoc est, *ejusdem generis cum Dei potestate.* Confundit sanè *potentiam, δύναμιν & potestatem, ἐξουσίαν*, jus: quæ & Crellius novit distinguere. & de utraque quæritur, quomodo sint divinæ, & potentia & potestas. Sed Smalcius ejusdem generis eas cum divina potentia & potestate esse hoc respectu videtur dicere, quia versantur circa Ecclesiæ salutem. Addit pag. 59. *Christus ita à Deo est exaltatus, ut nihil nunc habeat cum rebus creatis commune, sed loco Dei nobis sit, & unum cum Deo effectus.* In illis videmus vicariam substitutionem. Pag. 90. dicit, *Hominum & angelorum potestatem non esse ejusdem generis, cujus ea est, quæ est in Deo.* quasi non omnis creaturæ potestas versetur circa res Dei, & in quas Deus potestatem habet, & in quibus potens est. Pag. 147. *Falsum porro est, nos Christum talem Deum facere, qui in omnibus à Deo absolutè dependeat, & cujus potestas omnis ministerialis sit. Etsi enim Christus nihil ex seipso habeat, tamen, postquam à Deo potestatem divinam consecutus est, dicimus, eum non amplius à Deo dependere. Omne enim judicium ita habet, ut Pater neminem judicet. Itaque propria Dei notio in Christo relinquitur.* nempe (ut est pag. 52.) *Pater vult, quæ ipse* (independenter, intellige, secundum priora) *vult.* Adeo ut jam Filius Patri non sit subjectus: neque Deus ex persona sua, sed Christus Ecclesiam gubernet, in eaque divina judicia exerceat, & aliquo modo ac secundum quid Christus in honoratiore loco nunc sedeat, quam ipse Deus. Socinus Christ. relig. Instit. pag. 95. Itaque jam nec conservus noster simpliciter dici potest, quod nec unquam potuit, sed ne Dei quidem ipsius servus propriè dici posse videtur. Disp. cum Christ. Franken p. 37. sed Dominus noster & unus Dominus noster appellandus est. Smalcius dict. lib. pag. 147. credo, quemadmodum Pater secundum excellentiam ipsis est unus Deus, ita Filius jam secundum excellentiam est unus Dominus.

§. 93. Ex quibus qui non videt, Socinianam opinionem esse defectionem à Deo, & tamen in conscientia ipsorum veram unitatem Patris & Christi, quam negant, demonstratam esse, ille nihil videt. Lex, quam Deus per Mosen tulit Israëlitis, primo loco declarat, eum, qui eduxit populum ex Ægypto, esse Jehovam, & eum esse *Deum Israëlis*; & vetat, alium haberi Deum juxta ipsum aut in conspectu ipsius & quasi ipso vivo. In quo id perspicuè continetur, Neminem unquam recipiendum esse pro Deo Israëlis, pro Deo Abrahami, atque ita *sanctificatore* Israëlis (Nam hac voce maximum, quod ulla promissio significat, exprimitur) præter eum, qui eos eduxerat ex Ægypto. Et ratio in propatulo est, quia, ut supra dictum est, nullus alius Deus, Servator, Deus Abrahami vel Israëlis post illum unum formatur: nullus à Deo liberatore ex Ægypto alius cognoscitur. Consequens autem evidens est, non posse, non debere ulli hanc prærogativam ac gloriam attribui, cui non & æterna vita sine initio, & omnipotentia, & omnia alia Dei vera attributa dentur. Non igitur esse aut esse posse potestatem aut potentiam ejus generis, sive similem illius potestatis & potentiæ, quam habet Deus. ac proinde adorationem & servitutem illi soli deberi. *Cui assimilabitis me, ut congruam ei*? dicit Deus Esai. 40: 25. Est igitur non legis sed Dei ipsius eversio dicere, hic *distinguenda esse tempora*; *Vetus Canticum esse: Soli Deo servies. novum esse*; *Sedenti in throno & agno*, &c. Smalc. adverss. nova Monstra p. 14. quasi hoc sit illius *παλαίωσις* atque abolitio, & non, qui in N. T. in mari vitreo stant cum citharis Dei, canant Canticum Mosis servi Dei & Canticum Agni. Apoc. 15: 3. Præceptum autem secundum, ut vetat gloriam Dei mutare in similitudine rei debilis, corporalis, visibilis, mortalis; nonne etiam perspicuè vetat in æternum eredi, potentiam potestatemque, quæ sit similis divinæ & ejusdem cum ea generis, esse in re creata palpabili, visibili, & sua natura mortali? Fateor equidem, independenti voluntate aliquid efficere, esse divinæ potentiæ; sed & solius divinæ potentiæ, quæque non possit communicari, esse dico. Quare absque idololatria æquè non posse rei creatæ attribui, atque sine insania. quippe quum, ut jam supra demonstravimus, contradictionem manifestam includat. Fateor, Christo tribuendam esse potentiam potestatemque independentem, quia est *Κύριος καὶ Δεσπότης*, & quia ipsi *κράτος, δύναμις, ἰσχὺς, ἐξουσία* in Scripturis attribuuntur: & agnosco vim veritatis, quæ adversarios ad illud saltem aliquo modo & verbis agnoscendum compulerit: sed nego, secundum id, quod non tantum recta ratio, sed etiam lex Dei dictat, eam posse vel sapienter vel justè absque natura divina & increata cuiquam attribui. Quin nego, à Socinianis revera hoc, quod dicunt, Christo dari. Christus enim ne potest quidem aliter judicare, quam audit, aut non quærere voluntatem ejus, qui misit ipsum, aut quicquam facere à se, aut quod Pater ei non monstraverit, se illud facere. Joh. 5: 19. 30. 12: 49. Apoc. 5: 5. Quanquam autem Pater omnia vult, quæ Filius vult, non tamen id ita verum est, ut prius sit, quod Pater cum Filio vult, Filii voluntas quàm Patris (quod necesse esset, si Filius naturâ diversus à Deo esset, & tamen in usu potestatis acceptæ ullo modo independens esset) sed quatenus Filius exequitur propositum seculorum, quod in ipso fecit Pater, Eph. 3: 11. atque ita una est Patris & Filii voluntas & potentia. Nam & hoc absurdum ex isto figmento consequitur, ut Pater à Creatura consilium accipiat, aut tanquam Domino subjiciatur. quod non obscurè innuit Socinus, quando dicit, Filium honoratiore sede sedere, quam Pater, quasi non glorificetur Pater in Filio, ut verus Joh. 14: 13. 3: 33. Pater neminem judicat, nempe ita, ut non Filio judicium dederit, quia filius hominis est, Joh. 5: 22. 27. h. e. ut non sit Voluntas & Testamentum, secundum quod Filius, quibus vult, vitam det. vs. 21. 30. Ex quibus effingere Dependentis Independentiam, quum nos doceant duorum

uni-

unitatem, propter quam Patri Filius par est, nescio utrum sit stuporis, an impudentiæ extremæ.

§. 94. A Christianorum nomine non depellimus,
105 [105] qui credunt, quod Deus *Jesum Christum & Dominum* (quod erat) *fecerit*, h. e. factis esse voluit, ἀπέδειξεν, ὥρισεν, demonstravit, definivit, singulariterque coram toto mundo compellavit, & ipsius in cœlum ascensione ac secuta effusione Spiritus sancti esse testatus est, & sic ei nomen supra omne nomen donavit. Nam ut hic homo Jesus nasceretur, & Filius Dei & sacerdos, rex, propheta noster summus esset, gratiæ erga nos & humanam naturam fuit; uti &, quod eum voluit parare & acquirere hæreditatem, & potestatem eam sanctificandi, justificandi, glorificandi, & omnia pedibus subjiciendi (quæ potestas voce *domini* in respectu ad peculium significatur) acquisitam exercere. Sed eos fugimus, qui Jesum verè *Christum & Dominum* negant, quod vos facitis; quia nihil ei nisi *factum* & creatum tribuitis, & negatis *spiritum* illum *sanctitatis*, (quem transformatis in *spiritum sanctificationis*, qua ipse tantum sanctificetur; quum sit φύσις θεία *natura divina*, cujus potentiâ cum carnem suam, tum totum corpus mysticum sanctificat) *secundum quem* est & *definitus est Filius Dei*, & *plenitudinem Deitatis*, *quæ in ipso habitat*, (quæ vobis est *divina quædam sapientia*; *Une sagesse divine*, dicit Confessio Gallica edita Anno 1646. p. 63.) & adorationem ejus propriam; & dicitis, quod, *collocatus ad dexteram Dei*, *ejus* (non suam igitur) *Ecclesiam gubernet* NON UT *principalis autor* & DOMINUS, *sed ut* VICARIUS. Quæ sunt Socini in prœmium Euangelii Johannis. quæ notavimus nostræ considerationis §. 77. Smalcius Christum vocat *Dei generalem vicarium*. refut. 2. libr. Smigl. p. 333.

§. 95. [106] Lutheranos, quos malè loquentes reprehen- 106
dimus iisdem principiis, quibus idololatras, non tamen damnamus pro idololatris, quia, Personam Christi divinam agnoscentes, speramus, ex illo principio melius sentire, quam loqui.

§. 96. [107] Judicium severum, quod nobis interminaris 107
pag. 21. ostendit, non esse de nihilo id, in quo dissentimus; neque posse nos vobiscum securè conjugari. Sed nos bonam habemus conscientiam, qui scimus, nobis, ut Israëli, in æternum dictum esse; *Non erit tibi Deus alius*: tu sequeris vestrum illud; HOC CONTRADICTORIUM EST, HOC INTELLIGI NON POTEST.

APOLOGIA.

A*Junt*, Christianam religionem in bene credendo & in bene agendo consistere: *nihil unquam verius ab illis dici potuit. Ea igitur credere, quæ* [108] *nihil ad bonam vitam fa-* 108
ciunt, tanto vero magis, quæ eam destruendi vim habent, bona fides esse non potest: quo- p. 22.
rum alterutrum de plerisque omnibus fidei vestræ articulis planum facere non foret difficile: at in nostra fide, quilibet ad hunc scopum, ut bene vivamus, unice collimat: quæ sana doctrina est.

EXAMEN.

p. 21. §. 97. [108] Fidem Christi & justificationis fidei, quam te-
22. net Ecclesia reformata, accusari ut infrugiferam ad pieta-
108 tem, non est novum. Etiam Apostolus calumniam hanc vidit & elisit Rom. 6. Quod si non omnia argumenta, quibus Apostolus demonstrat, cum justificatione conjunctam esse sanctificationem, propter utriusque causas easdem, & in justitiæ donatione esse veras, solidas, efficaces, proprias rationes ad studium sanctitatis impellentes, tenemus & tuemur; & ea in Sociniano dogmate insunt: causa nos cadere, certum est. quod si autem aliter se res habet, non possunt effugere, quin sint pietatis destructores, qui & causas & motiva ejus tollunt; & veritatis calumniatores, qui sanctam doctrinam, quæ est secundùm pietatem, sterilem esse clamitant, & per hoc diabolo assignant.

APOLOGIA.

A*T enim objiciunt*, Peccatum originale veræ humilitatis fundamentum à nobis exagitari. De peccato originali, quod exagitare nos dicant.
Homines isti Orthodoxi subinde nos iis nominibus oppugnant; quæ in [109] *Scripturis nusquam extant. Sed si hoc nomine, veræ humilitatis fundamentum intelligunt, habent nos sibi consentientes: quid enim aliud magis ad veram coram Deo* [113] *humilitatem facit, quam nos*
miseros homunciones, eosque peccatores esse, & extrema omnia commeritos? nos [110] *nasci, si* 109
vita ad ætatem peccati capacem suppeditet, peccaturos? ipsaque nascendi sorte morti subje- 113
ctos esse? quippe ex Adamo progenitos, qui delicto suo non sibi tantum, sed & posteritati, 110
[111] *privilegium in æternum vivendi amisit. An qui hæc novit, veras sese coram Deo hu-* 111
miliandi, & misericordiam ejus concelebrandi, causas non habet? qui & peccatorum omnium p. 23.
reatu, idque per Filii sui sanguinem, nos solvit, & servituti peccati per Spiritum suum exemit, & æternæ vitæ, illiusque cœlestis, jus nobis largitus est? Hæc eadem si accusatores nostri dicunt, causam nos accusandi nullam habent: sed si veræ humilitatis fundamentum in eâ opinione collocant, quæ Deo summam injustitiam ac pravitatem objicit, utpote primorum
parentum delictum innocentibus illorum posteris [112] *imputanti, atque inde & pravitatem il-* 112
lis incutienti, & pœnam infligenti; quæ vitiosos in nobis mores, etiam post acceptum Chri-
sti Spiritum, [113] *hæreditarii mali prætextu, excusat: proinde ad superbiam potius, quam* 113
humilitatem in nobis excitandam facit; profitemur hanc opinionem non minus, quam nomen illius à Sacris Literis exesse.

EXAMEN.

§. 98. [109] *Peccatum originale* non difficile fuerat in
p. 22. Scriptura invenire, quum id reperiamus in nobis. Quid
23. enim est *peccatum originale*, nisi *in quo concipimur & na-*
109 *scimur*? Quod in nobis inesse, omnes peccati primi fructus ostendunt. Sed vobis id est opus Dei, quod à diabolo & exsecratione est: &, ne Deum faciatis *injustum* scilicet, facitis conditorem hominis mali, ut malus est.

§. 99. [110] *Nasci in peccato* tibi est *nasci peccaturum*. Ri- 110
des, quum dicis, Adamum [111] *peccato suo privilegium in* 111
æter-

æternum vivendi amisisse. Nam, ex magistri tui sententia, hoc is non habuit. Is enim magister, tum libro advers. Puccinum id negat, tum in sua Institutione quæst. 2. *Numquid naturaliter & per se non habet homo quicquam commune cum immortalitate?* Resp. *Non habet. Cur vero?* Resp. *Quia & de terra ab initio formatus, ob idque mortalis creatus est*, &c. Quo quis non videt etiam animæ immortalitatem negari? De qua in epist. V. ad Volkelium. *Nec in ipsa creatione quicquam immortalis vitæ agnosco.* & paullo ante: *Post hanc vitam, animam* sive *animum hominis non ita per se subsistere, ut præmia ulla pœnasve sentiat vel etiam ista sentiendi sit capax .... mea firma opinio* est. Qualia recoquit Schlichtingius in epistolam ad Hebræos.

112 §. 100. [112] Adami delictum actu quidem esse Adami, reatu vero posterorum, clamat ipsum judicium, quo homines premuntur, & universa Scriptura, quæ ex illo dicit nos peccatores, imo *peccasse omnes*, etiam qui nondum nati erant, eo peccante; & peccatum per ipsum *in mundum*, h. e. in omnes homines (Nam primum exemplum peccati in hoc creaturarum universo non fuit peccatum Adami. Prius enim peccavit Satanas) intrasse; & illam ruinam esse in condemnationem, ut peccatores constituti sint per illam. Quod tu negas, dum negas *imputatam esse*; quum tamen magister tuus cogatur fateri, *idem judicium factum esse de Adamo & posteris*, in lib. de Servat. p. 4. c. 6. Sed is nullos agnoscit fructus peccati, nisi *mortis necessitatem*, quæ tamen & sine peccato intrare potuerit (quum Apostolus dicat *per peccatum intrasse*) certè non agnoscit *maledictionem*, & *servitutem peccati*, quæ est in captivitate Satanæ.

§. 101. [113] *Hæreditarium malum* non *excusat malos mores*; sed hominem, qui sibi confidit, & suæ *plenissimæ* 113
facultati, ut Socinianus facit, reddit inexcusabilem. Certè David, quum se in *peccato natum* dixit, non superbivit coram Deo; neque suum peccatum excusavit; sed se depressit, ut *Deus esset victor, quum postulat; justus quum se defendit.* Psalm. 51: 6. 7. Quod nos eo ducit, ut, abnegata NOSTRA JUSTITIA, quæ non potest esse nisi LEGIS, Philip. 3: 9. cum timore & tremore Dei Justitiam quæramus, & *servi* illius *justitiæ*, hoc est, per eam ipsam devincti legi gratiæ sanctificantis, comperiri desideremus & studeamus.

§. 102. Vos autem, qui *impotentiam* (*fragilitatem* dicitis) quæ est *carnis*, vultis esse opus Dei, & non à peccato, & vos ad amandum Deum vires habere jactatis, & *plenissimam facultatem* ad obediendum etiam *perfectioribus* Lege mandatis, & *causam conditionemve justitiæ* vestra opera putatis, quæ Deus *tanti ducat*, ut ea remunerari velit, dicite porro, quid possit *superbia* vocari, si hæc non est.

APOLOGIA.

p. 24. De Christi merito. OPrima, *objiciunt porro*, ad veram pietatem motiva, similiter à nobis exagitari, *nempe*
Christi meritum, & conversionem per operationem Spiritus S. *Vix unquam cessant*
in exprimendis fidei suæ articulis iis vocibus uti, quibus Spiritus S. nusquam usus legitur.
Credo tam commodas voces ad rerum significationem reperire non potuit, quam homines. An
quia ad nova & Spiritui S. incognita dogmata, nova quoque vocabula reperire fuit opus?
114 *Nam si per* [114] Christi meritum *intelligunt perfectam illius obedientiam & justitiam; quare*
his ipsis vocibus non utuntur, quibus utitur Scriptura? quæ etiamsi numeris omnibus abso-
115 *lutam Christi celebret obedientiam; tamen* [115] *simul donata illi dicit omnia, quæ propter*
118 *obedientiam suam à Deo consecutus est. Fatemur omnino,* [118] *Christi tantam obedientiam,*
in nos, ad æternæ salutis adeptionem, redundare; non minus, imo multo magis, quàm
116 *Adami delictum redundavit in posteros, ad eorum mortem: sed* [116] *accedente & nostra, pro*
p. 25. *cujusque modulo, qui fidem & Spiritum Christi habet, obedientiâ. Nimirum* [82] *obedien-*
82 *tiæ nostræ defectus (quam ita perfectam esse, sicut Christi fuit, imperfectio nostra non si-*
117 *nit) quia Christi sumus, exactissima Christi* [117] *supplet ob Dei gratiam obedientia. Sed si*
Christi meritum *sic accipimus, ut nobis impune carnis opera facere, & in vitiis hærere*
119 *liceat, dummodo nobis Christi applicemus obedientiam; dicant ipsi, quale hoc sit* [119] *ad ve-*
ram pietatem, quod tamen optimum esse volunt, incitamentum? Christi ducis nostri obedien-
tia, excitat nos ad consimilia facta capessenda; si sciamus aliter nos æternæ vitæ præmium
participare cum ipso non posse, nisi totis viribus, divino Spiritu adjuti, ad illius imitatio-
nem connitamur: sed si animis nostris inditum fuerit, posse nos longe leviori labore defungi,
p. 26. *ut in alienorum meritorum præmio aut mercede collocemur: cur supervacuis laboribus, us-*
que tantis, quantos vera pietas requirit, nosmet fatigemus?

EXAMEN.

p. 24. 25. 114 §. 103. Per [114] *meritum Christi* intelligimus ipsum δικαίωμα (Rom. 5: 16. 18.) τοῦ νόμου, hoc est, id, quod lex requirit, ut agnoscat jus vitæ, & eam ut mercedem assignet; & vitæ cum Christi obedientia connexionem; quâ fit, ut, quæ *accepit*, *donet* nobis, imo *in nobis accipiat* eadem, ut suis, à se impetrata & acquisita. Psalm. 68: 19. Ephes. 4: 8. Act. 2: 33. In quo præcipuè id continetur, quod, secundùm pactum inter Deum & filium (quod exprimit Es. 53: 10. & in voce *sponsoris* Testamenti Hebr. 7: 22. recognoscitur, & *consilium pacis* appellatur Zachar. 6: 13. unde ipse *testator*, Heb. 9: 17. & *postulandi hæreditatem* habet jus. Psalm. 2: 8.) sanguine suo acquisivit dationem hæreditatis sibi assignatæ, id est, Ecclesiæ ex Judæis & Gentibus, in qua & cum qua viveret & glorificaretur. quæ ipsius *merces* dicitur, pro qua laboravit. Esa. 49: 4. 5. 6. unde & emisse illam dicitur. 1 Cor. 6: 19. 20. Apoc. 5: 9. 14: 3. & populum peculii sibi redemisse. Tit. 2: 14. A quo merito omnis benedictio profluit. In eo vero includimus dignitatem personæ, sine qua nec merendi potestatem accipere potuisset.

§. 104. Utrumque horum vos negare, in propatulo est. Dignitatis negationem etiam pallias, quum dicis,
[115] *Christo, quæcunque propter obedientiam consecutus est, simul esse donata.* Alludis, proculdubio locum Phil. 2: 9. 115
non intelligens, hominis, ejusque nostri vadis, publicam προσαγόρευσιν sive *compellationem*, qua *definitus* est Filius Dei in potentia, & sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, esse χάριν *gratiam.* quo non negatur, quod fuerit in *forma Dei*, hoc est, divina majestate clarus apud populum Israëliticum, cui in Sinai locutus est; & sine *raptu* potuerit esse *instar Dei*; sed præsupponitur, quod *se exinaniverit formam servi accipiens*, & *obedientiam* præstans propter nos.

§. 105. Potestatis merendi negationem non dissimulas,
dum [116] nostram obedientiam ad obtinendam vitam æ- 116
ternam requiri pronuncias. quanquam & [117] *suppleri de-* 117
fectus Christi obedientia, & eam [118] *redundare in nos ad* 118
salutis æternæ adeptionem fatearis, *non minùs, imo magis quam Adami delictum ad mortem posterorum redundavit.*

§. 106

§. 106. Non novum est, errantes contraria dicere. Si à Christi obedientia pendet nostra vita, non minùs atque mors nostra à delicto Adami, sola Christi obedientia nobis vivendi causa est; non propter fidem & ejus opera, quasi Deus ea tanti faciat, ut vita æterna remunerari velit, justificamur. Si Christi obedientia nostra est, non tantum est nostra, ut tegat defectum nostræ obedientiæ, sed ut sola per se conciliet vitam. Si tegitur defectus obedientiæ nostræ, exigitur meritum, sive *opus*, quod pariat *debitum*. Rom. 4:4. Ubi autem exigitur meritum; quod tegit defectum meriti, est vitæ meritum & causa perfecta. Hebr. 5:8.9.

§. 107. Nostra obedientia requiritur, partim ea, quæ est fides, ut in Christo simus; partim illa, qua porrò Deo vivimus, ut in Christo gloriemur, & spem illam certissimam vitæ æternæ non in nobis sed in Christo, quæ sola homines ad pietatem fortiter incitat, excitemus, Deum glorificemus, eique gratias agamus, nostram & Dei hæreditatem augeamus, denique obedientiæ & justitiæ illius, cujus servos ad vitam gratia facit, hæredes inveniamur.

119 §. 108. [119] Quod beneficium qui se putat adeptum in lascivia & servitute peccati, tam non est noster, quàm is, qui relaxationem Legis, nullam satisfactionem, nullam perfectam impetrationem, suum debitum, plenissimam facultatem, perfectiora præcepta, opus, quod Deus ut quomodocunque causam justificationis possit æstimare, somniat, alienus est à viis Dei, & Dei amore, ac gloriatione in eo.

114 §. 109. [114] In Compendiolo Socinianismi, quod D. Cloppenburgius p. m. edidit, cap. 8. §. 3. hæc leguntur de *merito Christi*. *Meritum tamen Christo non derogant: quatenus sua obedientia sibi gloriam & potestatem cœlestem, ac consequenter, nobis credentibus æternam salutem obtinuit ac veluti mercedem laborando comparavit.* Philip. 2. Esaiæ 53. *Sic tamen, ut meritum hoc gratiæ Dei non opponatur, sed subordinetur.* Smalcius refutat. 2. libror. Smigl. pag. 258. *Finiti ad infinitum nulla est proportio. Unde constat, Christum, etiamsi perfectissimè Deo obediverit, non tamen meritum esse, propriè loquendo, suam exaltationem. cum dici nequeat, tanti ponderis fuisse Christi obedientiam, quæ adæquaret præmium, quod consecutus est, & quo nunc fruitur.* Schlichtingius in epist. ad Heb. cap. 9. vers. 14. pag. 376. *Sanguine suo fuso omnem in cœlis & in terra potestatem, omne judicium nostræque salutis arbitrium adeptus est. Atque ad hoc obtinendum sanguis à Christo fusus non qualiscunque conditio fuit, quæque natura ac vi sua propria nihil eo conferret: sed, cum tam arduum virtutis, obedientiæ, Deoque tam gratum ac summa cum ejus gloria conjunctum contineat opus, ex natura quoque sua vim quandam habuit ad conciliandam Christo tantam potestatem, adeoque ad pariendam nobis conscientiæ emendationem.* Hæc, ni fallor, summa sunt, quæ Sociniani de *merito Christi* sapiunt; per quæ etiam emendari videntur ea, quæ Socinus dicit Justif. Synops. 1. pag. 5. *non quia morte sua id solverit, quod nos debebamus; aut quia merito tam insignis obedientiæ suæ iram Dei adversus nos placaverit, siquidem neque his rebus quidquam opus erat, neque ea ullo modo fieri poterant.*

§. 110. Sufficiat, his veritatem opposuisse: quæ dolum istorum facile ostendet. Peccatorem legis exsecratio vocabat ad pœnam, ut Deus, per peccatum abnegatus, per pœnam sanctificaretur. Itaque lex obstabat, quo minùs communionem cum Deo habere posset. Imo lex peccatum faciebat efficax ad hominem faciendum servum suum. Igitur nos legi mortificari oportebat, ut lex illa addicens in servitutem peccati (quæ *lex peccati* vocatur) nobis moreretur, neque amplius impediret nostri sanctificationem. Id factum est in corpore Christi, quando id oblatum est & mortificatum pro nobis, id est, ut ἀντίλυτρον. Cæterum lex non poterat nos non addicere redimenti, ut ejus fieremus. Quare, ut & lex impediens communionem Dei interficeretur, & fieret lex alterius Sponsi ac domini, necesse erat Redimentem tantum esse, ut in sanguine ipsius fuso esset clarissima demonstratio sanctitatis & severitatis Dei, & ut illius peculium & hæreditas fieri possemus (Non possumus autem esse hæreditas nisi Dei) quique nos, ut hæreditatem acquisitam, spiritu suo sibi incorporaret, & ea re hæredes vitæ æternæ constitueret, atque in nobis viveret ad gloriam Dei. Hæc tibi Deus, ut supra demonstravimus, soli reservavit, & in ea re nullum socium se admittere protestatus est. Gratia igitur revera est, talem Pontificem, qui Deum deceret, ordinare ac dare; quique *posset* eo munere fungi. Ante omnia igitur requiritur in Christo sufficientia ad hæc omnia facienda, & *dignitas*, ad gloriam hujus muneris accipiendam. Nulla est creatura tanti, nullus est frater, qui id possit præstare. Solus Filius est is, quem Pater diligit, & cujus gloriam quærit. In eo *εὐδόκησεν*. Ei omnia dedit in manus, etiam antequam passus est. Johan. 3: 35. 5: 20. 22. 23. 27. nempe tum, quando in ipso elegit populum hæreditarium, & propositum fecit, ipso spondente; ante jacta mundi fundamenta; tum, quando Deus ipsi aures perforavit, hoc est, cum sibi voluntarium servum fecit, aptando ei corpus. Et hæc potestas, quam ab æterno accepit spondens, habuit cum effectum, ut bajularet Israëlem. Esa. 63: 9. Nam eadem voluntas, quæ est sponsio, ratione oblationis olim præstandæ, est etiam intercessio, quoties propter eam peccata remittuntur, aut peccatores sanctificantur. Quum verò Christus etiam passus est, *τιμὴν precium verum* (quod Socinus disertè negat *Justific. Synops.* 1. pag. 8. *non quia verum precium sit*) & λύτρωσιν, imo *ἀπολύτρωσιν*, hoc est, *perfectam redemtionem invenit*, quum, inquam, *mactatus est, & emit nos Deo sanguine suo*; quemadmodum tum accepit potestatem postulandi gentes hæreditatem suam jam statim repræsentandam, ita accepit potestatem solvendi sigilla libri, hoc est, non visas hactenus res aut intellectas, quæ in regno Dei sub N. Testamento (cujus mediator & sponsor erat) debebant exhiberi, in libro prophetiæ scriptas, ordine exhibendi, atque ita prædictiones in aprico statuendi: inter quæ est præcipuè punitio Judæorum, vocatio gentium efficax, donatio meliorum promissionum (ad quas Veteribus non licebat per totum vitæ tempus aspirare; consummationis scilicet quoad justificationem & libertatem) Ecclesiæ liberatio ex omnibus tentationibus, & electorum denique glorificatio. Agnoscimus igitur & credimus, ut verum salutis nostræ fundamentum, divinam dignitatem personæ, quæ & valorem addit ipsius oblationi; (quippe quum illustrius exsecrationis vis noscatur, quando Deus nec filio suo pepercit, & Deus sanguine suo, ut *ἱλασμῷ*, Ecclesiam voluit acquirere) & perfectam obedientiam, citra quam lex vitam non adducit; satisfactionem, qua mortua est lex addicens peccato; & meritum, ut lex nos addiceret illi, domino novo, qui nos fide donaret, & cum fide justitia, & servos justitiæ ac hæredes vitæ efficeret. Quæ obedientia legis se habet ut meritum ex pacto ad mercedem vitæ; eaque Christo peperit nomen justi servi & perfecti salvatoris; ita ut non tantùm jure Filii, ut dives, humanitatem suam in gloria habeat, sed etiam jure servi justi: dignitas autem personæ est causa proculdubio maxima & efficacissima cur potuerit id munus sustinere, & nos suos facere. Gratia autem est erga nos, & humanitatem ipsius, quod illi, quia filius hominis est, & judicium & regnum dedit, & illum Filium suum, regemque & sacerdotem æternum compellavit, atque id eo fine & omnino eventu ac effectu potentiæ ipsius, ut omne genu se ei flectat, & omnis lingua ipsi juret.

§. 111. De quo dicit Smalcius, dicta refut. 2. libr. Smigl. p. 255. *Celebritatem nominis Deus absolutè & effectu ipso Christo donare non potuit. Ad hanc enim requiritur etiam hominum voluntas & assensus, qui scilicet Christum talem agnoscant.* Si igitur hoc efficere Deus non potuit, & Christo non donavit, ut scilicet crederent in eum vel Judæi, vel gentes, & eum celebrarent, & in eo gloriarentur, non acquisivit Christus sibi populum sanctificandum, & vana est postulatio hæreditatis, & nullum est Testamentum, nulla promissio Christo dicta, nihilque reliquum est, quod Christus propriè meritus sit, & revera actum est de spe nostra. quæ in eo sita est, quod Christo à Deo donati sumus, quodque is nos Deo emit, & ipsius, ut domini nostri, oves & peculium facti sumus.

APOLOGIA.

120 Et conversione per operationem Spiritus Sancti. Gal. 5: 16. 18. 25 26.

CONversionem per [120] Spiritus S. operationem, *quis nostrum exagitavit, aut impugnavit unquam? nisi si quis operationem Spiritus S. ita sumat, ut homines truncos putet, id est, virtutem & vitium, præmium & pœnam, ex Christianâ religione penitus auferat: quod tamen si verum est, profecto id, quod nobis ipsis omnem in pietate motum adimit, nullum ad eam incitamentum nobis esse potest.* Spiritu ambulate, *inquit Paulus*, & cupiditatem carnis non perficietis. Si spiritu agimini, non estis sub lege: si Spiritu vivimus, Spiritu & incedamus. Ne sitis vanæ gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes. *Hæc qui dicit ad eos, qui Spiritu Christi sunt præditi, opinor non stipites eos esse credidit, sed homines, quibus & obtemperandi & repugnandi Spiritui S. facultas relicta sit.*

EXAMEN.

120 P. 26. §. 112. De [120] *Operatione Spiritus sancti ad conversionem* res confessa est. Nihil intelligunt requiri ad homines convertendos nisi Euangelium, &, ut Socinum supra dicentem audivimus, externum illud, quod illis, qui convertuntur, & qui non convertuntur, commune est. de Servat. p. 4. c. 12. Iis addi possunt, quæ Smalcius dicit ad 2. libr. Smigl. pag. 254. *Falsum est, omnia, quæ Deo pro beneficiis offerimus, in Dei esse potestate simpliciter, vel magis esse in potestate Dei quam nostra. Cor enim nostrum, quod præcipuum est eorum, quæ Deo pro beneficiis offerimus, & ex corde manantia omnia; in nostra potestate Deus esse voluit, ut scilicet religioni locus esset.* Cum quo si jungas, Deum Christo *celebritatem nominis ipso effectu donare non potuisse*, quod modo posuimus ex sequenti pagina, nescio, an inveniri possit, ad quod ultra procedant. Nobis de ea re dictum & ad pag. 14. Et contra Socinum tenemus, Hominem esse mortuum in peccatis, & habere cor lapideum; esse quidem figura homines, sed homines malos, servos peccati, & quidem Lege peccato in servitutem mancipatos, quæ nisi esset *mortua in Christo, ut fieremus alterius*, à sanctificatione Dei essemus penitus seclusi. Credimus, *ἁγιασμὸν sanctificationem* esse verè *sanctificationem*, hoc est, effectum Dei sanctificantis & purificantis cor ad obedientiam primam, quæ est fidei. Atque adeo scimus, nullam posse esse pietatem in iis, qui Spiritus sancti operationem hanc, quia scil. illi *homines* & non *stipites* sunt, respuunt & irrident; quum sint *servi corruptionis*, & *bruti* à Scriptura appellentur. Psalm. 92. & alibi. Scimus, non pugnare Spiritus sanctificationem cum conversione per verbum. Spiritus enim hoc facit & *δυνάμει* sive *virtute* & *verbo*, 1 Thess 1:4. 5. *Scientes, fratres dilecti, vestram electionem à Deo; quia Euangelium nostrum non factum est ad vos tantum in sermone, sed & in potentia, & in spiritu sancto, & certitudine multa.* Hæc non sunt sejungenda. Deus non tantum præscribit nobis verbum, sed & inscribit cordi, ut fiat λόγος ἔμφυτος, *sermo implantatus.* Jacob. 1. vers. 21. *qui quia spiritualiter examinatur*, ideo *animalis homo* & spiritu Dei destitutus eum ne quidem cognoscere potest. 1 Corinth. 2. vers. 14. Neque Spiritus convertit absque verbo; neque verbum absque spiritu. In Verbo est, ut intelligi veritas & sapientia ejus, & rationes ejus amandæ perspici possint. Spiritus facit, ut attendamus, ut abjiciamus ratiocinationes & murmurationes, ut obediamus veritati, eamque amemus & in ea ambulemus. Quando igitur obedimus; non tantum secundum verbum, sed magis secundum Spiritum (qui est *spiritus vitæ in Christo*, hoc est, faciens, ut in Christo vivamus, cujusque Lege effecti sumus, ut lex ipsius nos devinctos teneat, ut lex viri viventis mulierem, quæ ei nupsit) ambulamus, neque nos soli mortificamus actiones corporis, sed per Spiritum hoc facimus, non ut stipites, sed ut homines *lege* & jure *Spiritus*, quo nos tenet, in libertatem veram à Creatore nostro, *in quo vivimus, movemur & sumus, asserti.* Rom. 8: 2.

APOLOGIA.

121 De invectiva in mores nostros. INvehuntur dehinc in [121] *mores & opera nostra: quanquam methodi suæ obliti, relabuntur iterum ad dogmata. Quæ de moribus nostris dicunt, tantisper pro detractionibus haberi debent, donec ea vera esse probaverint. Ex uno argumentum capere licet de cæteris.*
P. 27. *Aiunt nos* libentius oppugnare aliena, quam nostra tueri: *Porrigimus igitur vobis, Illu-*
122 *strissimi & Potentissimi Domini*, [122] *confessionem omnium fidei nostræ articulorum: in quâ nostra tantum asserimus, aliena non tangimus, nisi quatenus, ut aiunt,* Rectum index est sui & obliqui: *Ex quâ simul longe certius & verius, quam ex delatoribus nostris, intelligere potestis, quis noster in fide Christiana sit sensus.*

EXAMEN.

121 pag. 26. 27. §. 113. [121] De *moribus* id dicit libellus supplex, quod libri Socinianorum produnt. nempe in illis reperitur non nulla diligentia in omnis generis autoribus & commentariis pervestigandis, ad ea ex iis convectandum, quæ ad scopum ipsorum faciunt; quæ multis eruditio videri possit; quum nihil sit aliud, quàm curiositas & calliditas negligentiam hominum vertendi in præjudicium veritatis: itemque ingenium versatile ad comminiscendum ea, quæ nulli fortasse ante Lælium Socinum venerunt in mentem. quodque iis rebus confisi audeant omnibus insultare, & Scripturarum eversionem aggredi. Deinde merito notatur arrogantia, quæ non tantum ex confidentia ipsorum apparet, sed quæ cum dogmate ipsorum conjuncta est. Væ mihi, si unquam ita à Deo relinquar, ut statuam me posse aliquid facere, quod sit causa justificationis meæ, & id meum esse & meæ potestatis: aut illa, quæ in carne mea sentio, Deo creatori ascribam, & bona vocem.

§. 114. [122] Quod confessionem vestram attinet, quam Illustrissimis & Præpotentibus DD. Ordinibus destinasti, credo eam esse, quæ cum Exemplari Belgico circumvolitat, impressa A. D. 1652. cujus similis Gallicè edita habetur A. 1646. Eam recensere operæ precium non est. Exhibet illa confessio exemplum versutiæ vestræ, & conatus vestri; qui est, Ecclesiam reformatam & Belgium disceptationibus replere, & facere, ut pro sermonibus ædificationi inservientibus vitilitigationes, tergiversationes, controversiæ, dubitationes, irrisiones sanæ doctrinæ, & calumniæ verbi Dei & fidei orthodoxæ, ferantur & increbrescant. Norunt Illustrissimi & 122 P. 27.
Præ-

Præpotentes Ordines, quam confessionem defendendam susceperint, ad quam ex verbo Dei se & Ecclesiam norunt pervenisse: quam quum vos ejuretis, quomodo vos vel Ecclesia ut fratres, vel Respublica non ut hostes accipere possit, ipsi judicate.

APOLOGIA.

AJunt nos plenos esse blasphemiarum in Deum & ejus S. Veritatem [123] *Etiamsi veritas de Deo & aliis fidei dogmatibus penes illos esset, injuria tamen hoc nobis objicerent; qui ab omni contumelioso in aliena dogmata dicto abstinendum esse, ex Christi disciplina novimus: cum per talia offendi soleant homines, non emendari. Ipsos, horrendum in modum, contra Christum Dei blasphemantes, paulo ante audivimus: sed quæ in nos dicunt de Tricipiti monstro, de Antichristi invento, pro* [124] *nostris non agnoscimus.* Nos non esse reos blasphemiarum in Deum & ejus veritatem. 123 124

EXAMEN.

123 Pag. 27.28. §. 115. [123] Veritatem divinam vocare mendacium aut falsitatem, & illa dicere, quæ ad contumeliam Dei vergunt, *blasphemare* est. Vocare *idololatriam* adorationem non-Dei, non-Jehovah, tam non est blasphemia, quàm non fuit blasphemia, quod Amosus & Stephanus dicit, Israëlitas in deserto portasse scenam Molochi: aut Israëlitas illos, qui sacrificia obtulerunt in Cellis, serviisse dæmonibus, vitulosvè adorasse, aut quod Christus dicit, Samaritanos adorasse, quod nescirent, in monte Garizzim.

124 §. 116. [124] Quid pro vestro agnoscatis, nescio. Hoc scio, ipsam Racoviensem Catechesin, editam Germ. Racoviæ 1612. in præfatione ad Academiam Wittebergensem, ter illa capita doctrinæ, in quibus jure vos putatis à nobis dissidere, *Antichristi corruptelis, Antichristi intricationibus & obscurationibus, Antichristi adinventionibus* assignare. Qualia Smalcius marginibus suorum librorum alleverit, in conspicuo est.

APOLOGIA.

UNionem duarum in Christo naturarum, *id est, unicam Christi personam, esse simul, & Deum illum unum, & hominem; hominem esse illum unum Deum, & illum unum Deum esse hominem; hominem singularem esse, & tamen eo ipso personam non esse, non irridemus: sed ista à* [125] *contradictione vindicari, & in Sacris Literis ostendi nobis petimus, parati credere, si aliquem, eumque à Scripturis assertum, proinde verum sensum habeant.* Unionem duarum in Christo naturarum nos non irridere. 125

EXAMEN.

125 P. 28. §. 117. [125] *Unionem duarum in Christo naturarum* Eques *contradictionis* insimulat, *paratus credere, si ab illa vindicetur, & aliquem, eumque à Scripturis assertum, proinde verum, sensum habeat.* Egregia sanè demonstratio innocentiæ, reipsa id apud Illustrissimos Ordines, & libello in omnium manus sparso negare, de quo negato querela instituitur. Hæc sunt enim illa ipsa verba, quæ in Belgio fœderato audiri non debebant, nempe, *Deum in carne manifestatum* non sine contradictione, nullo sensu, eoque tradito in Scripturis, doceri. Ea vult liberè prædicari, ut pro simplici subjectione ratiocinationum in obedientiam Scripturæ introducantur in animis hominum dubitationes, & fides labefactetur, & religio Christiana derideatur, & adoretur, qui nescitur, imo Dei in Christo adoratio aboleatur. Si Equiti animus esset discere, extant plurima scripta Veterum & Novorum tractatorum, & quos legisse non pœniteat, Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli, aliorum: si cuilibet Sociniano vel docto vel indocto libet experiri vim veritatis, & in Academia libera est omnibus modesta ac placida interrogatio, & sunt tot doctissimi præcones Euangelii, qui illis satisfacere possunt. Si autem semper idem illud, *contradictio, contradictio, sensus nullus est*, repetetur, quid illud est, nisi inemendabilis libido contradicendi? De quo genere hominum dicit Apostolus: *Hæreticum hominem post unam alteramque admonitionem rejice; sciens, quod aversus sit talis & peccet, cum semetipsum condemnaverit* (Tit. 3: 10. 11.) *& non dignum vita æterna judicaverit.* Actor. 13: 46.

§. 118. Nulla est contradictio, habere eandem personam divinam naturam ab æterno, & humanam in tempore assumtam, quam sibi fecit templum & tabernaculum, ad habitandum in nobis, ut videamus gloriam ipsius, manibus eum palpemus, auribus eum loquentem audiamus, & ipse tanquam sacerdos noster eam pro nobis offerat, & in ea exaltetur. Non magis, inquam, ista est contradictio, quàm, Angelum Gabrielem (qui est spiritus invisibilis) à Daniele & Maria virgine fuisse visum, & verba ejus audita: vel hominem esse & spiritum & animal sive corporeum: vel ipsum Deum invisibilem locutum esse Adamo, & Noacho, & Abrahamo, & Israëli in monte Sinai, atque ibi de facie ad faciem cum illis disceptasse, & cum Mose collocutum esse; vel etiam habitasse in templo, & in nube super propitiatorio apparuisse. Qua apparitione non minus immediatam promittit Scriptura Esai. 40. & 52: 5. 6. 7. 8. Psal. 102: 17. Ezech. 20: 35. 36. Psal. 82: 1. Quam visionem Dei Christus demum in sui exhibitione Israëli repræsentari protestatur. Joh. 5: 37. 38. collato Joh. 1: 18.

§. 119. Verène igitur dicitur apud Esaiam *germen Jehovæ & fructus terræ.* cap. 4: 2. & Dominus narratur visus ut homo, Esa. 6. Ezech. 1. & 10. isque æternus, Dan. 7: 9. & *filius virginis* vocatur *Immanuel*, Esai. 7: 14. & Jehovah prædicitur futurus in sanctuarium, Es. 8: 14. &, cui, ut vindici, sunt dati pueri in populum, non est Deus ipsius? Es. 8: 18. 19. Non est ille *puer, qui natus est nobis, filius*, idemque *Mirabilis, Deus omnipotens, & fortis* sive *Victor, Pater æternitatis*? Es. 9: 5. *Virga*, quæ est *ex stipite Jessæ*, & ex radicibus ejus, non est *radix Jessæ.* Es. 11: 1. 10. & *Davidis*, Apoc. 5: 5. *radix & genus* sive soboles, h. e. idem Factor & Filius *Davidis*? Apocal. 22: 16. Non verum est, Johannem Baptistam prodromum esse Jehovæ? Esa. 40: 3. *revelatam esse gloriam Jehovæ, & omnem carnem vidisse, quod Os Jehovæ locutum sit*? vers. 5. Non est civitatibus Judæ Deus ipsorum monstratus conspiciendus? vers. 9. Sanctus Israëlis non est redemtor Israëlis, & *vindex* jure fratris? Esa. 41: 14. 43: 14. 44: 6. 48: 17. Non est functio & potestas, quæ servo Dei datur, pars gloriæ Jehovæ, quam nemini communicat? Esa. 42. vers. 5. 6. 7. 8. Non est verum, eum, quem Dominus & spiritus ejus in tempore misit, ab initio locutum esse? Esa. 48: 16. Eumque, qui venit, ut Sponsus Israëlis, & tergum suum præbuit percutientibus, esse Jehovam, & maxima illa in cœlo & terra opera facere? Esa. 50: 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. Sed quid ego hæc recenseo, quasi non in Scripturis sit mysterium hoc decantatissimum? aut quasi aliud Sociniani possint opponere, quàm illud, *Homo non potest esse Deus, Deus non potest esse homo*? Quod quidem si ita dicerent, ut intelligerent, Personam divinam non simul posse esse personam non-divinam, fateremur, rectè dici; nunc, quia

id

id ita intelligunt, ut afferant, Deum non posse sibi facere corpus ex sanguine humano, quo tanquam organo utatur, & in quo, tanquam templo, in nobis habitet, & à quo homo & frater noster, & sic GOEL, *assertor legitimus*, sit & nuncupetur, non nos contradictionis, sed se impietatis reos faciunt. Estque illa Sociniana assertio planè istiusmodi, atque si quis sic diceret, Homo non potest esse animal, quia intelligit; aut, non potest intelligere, quia comedit: quippe quia videt bovem comedere, & non intelligere. Estne mirum, si Deus homini, quem fecit ad quærendum se, velit innotescere & loqui? aut peccatorem visitare, ut ab ipso conspiciatur, & ipsius virtutes percipiantur, imprimis sanctitas & misericordia? quarum neutram vos integram agnoscitis. Si vero nobis potest facere vocem articulatam, non potest sibi, quæ scilicet immediatè sua sit? non & linguam, quæ sua sit, & membrorum contextum, & voluntatem, & animam voluntate præditam, per quæ agat, patiatur, cognoscatur, probro atque honore afficiatur? ut in ipsius, qui, quum unum cum Patre sit, etiam imago Patris verè esse potest, dictis veritatem, in operibus potentiam, in passionibus amorem, cùm Deo tum proximo debitum, & divinam sanctitatem; in resurrectione ipsius, & ascensione in cœlum, tanquam pignore, propositum salvandi & suum & Patris, & absolutam potestatem suos sanctificandi, & justificandi, & glorificandi, non tam sagaciter deprehendamus quam oculis intueamur, &, ejus veritatis amore sanctificati & ad imaginem Dei refecti, ea, tanquam Spiritus Sancti obsignatione, consummemur in unum? Venit mihi hîc in mentem, quod Socinus in disputatione de Adoratione Christi pag. 99. quando agit de invocatione Stephani, Franciscum Davidis, verba Stephani torquentem, hoc argumento confutat; Lucam (si ejus ea mens fuisset, quam ei affingebat Franciscus Davidis) aliter *scripturum fuisse*, *ne tantam aliis in cultu divino gravissimè peccandi occasionem daret*, *quantam* (si vera esset sententia Francisci) dedisset. Id jure optimo maximo in Socinianos torquemus telum. *Si deceptus sum*, *Deus me decepit*, ait alicubi Hilarius. Sed Deus deceptor non est. Non potuit igitur Spiritus Sanctus aliter loqui, nec Christus, ut nec Judæi putarent Christum sibi arrogare divina, neque Christiani in eundem errorem laberentur, atque hi quidem, Christum Deum prædicando, Deum unum violarent, Judæi autem ipsum interficerent? Judæi fabulantur, à Mose, quum scribere juberetur, *Faciamus hominem*, Deum monitum, id hæreticis scandalo futurum; sed à Deo jussum esse ita scribere, etiamsi hæretici scandalisarentur. Certè ita est, si, excepto Paulo Samosatensi, Photino, & Lælio Socino, tota Christiana Ecclesia, etiam Arriani, etiam Judæi, verbis Dei & Christi sunt ædificati ad ruinam, quis non dicet, plus esse in verbo Dei ad pestem, quam ad cautelam?

A P O L O G I A.

Non facere nos ex baptismo sacro ludicrum puerile.

EX Baptismo sacro facere nos ludicrum puerile, *nullam veri speciem habet*: *siquidem eo*
127 *ritè susceptos*, [127] *initiamur Christo*, [128] *abluimus præterita peccata*, [129] *professionem faci-*
128 *mus moriendi cum Christo*, *& ad vitam novam resurgendi*, *utque id opere ipso compleamus*,
129 P.29. [130] *nos obstringimus*: *nisi forte illi ipsi sint*, *qui ex tam sacro lavacro*, *non puerile tantum*,
130 126 *sed &* [126] *infantile ludicrum faciant*; *qua de re nunc non est dicendi locus.*

E X A M E N.

126 P.28. 29. §. 120. [126] Pædobaptismum Eques pro modestia sua *ludicrum infantile* appellat. credo, quia *Signaculum justitiæ fidei*, quod infantibus datur, non potest esse nisi *ludicrum*. Quid igitur erat Circumcisio octavi diei? De Baptismo adultorum videtur aliquid dicere. [127] *Initiamur* (Ostorodo *initiare & consecrare* idem est, Inst. cap. 39. n. 8.) *Christo*. quare non cum Scriptura dicis, in Christum, in mortem ipsius, in resurrectionem & vitam ejus baptizamur, ut clariùs intelligamus, te credere communionem, quam habemus cum Christo, ejusque morte & vita; adeo ut illa nostra sint, sive causa nostræ mortis; tum ejus, qua definimus servire peccato; tum ejus, qua definimus peccare: & vitæ, qua incipimus vivere Deo, & qua spiritus triumphat, & corpus ad gloriæ hæreditatem induendum est?

128 §. 121. [128] *Abluimus vetera peccata.* Actor. 22: 16. dicitur Saulo, *Ablue peccata tua.* Tu quare facis distinctionem, addendo *vetera*? Quasi non plenaria remissio credentibus baptismo obsignetur. Quam *obsignationem* vos negatis, licèt Baptismus non minùs sit σφραγὶς *signaculum*, quàm circumcisio. Roman. 4: 11. Ita enim dicit libellus de officio Christiani hominis, Irenopoli h. e. Franekeræ impressus, A. 1610. c. 4. p. E 1. *Per Baptismum non quidem obsignatur*, *sed tantum adumbratur peccatorum remissio.* Socinus in epist. ad Smalcium 10. judicat, quod dicere, illos, qui à puero Christi nomen professi fuerint, debere baptizari, sit *jugum fratribus imponere*; qui autem tales non sint, quosque constet non esse baptizatos, offensionis vitandæ causa, non nisi baptizatos debere ad S. Cœnam admitti.

§. 122. [129] *Professionem facimus moriendi cum Christo.* 129
Imò ipsi *consepelimur*. Rom. 6: 4. Col. 2: 12. h. e. habemus baptismum ἐπερώτημα & *obsidem fiduciæ interrogandi* Deum in bona conscientia, quod ipsius mors & fructus ejus, remissio peccatorum, & abolitio vetusti hominis, & resurrectio, & vita æterna, nostra sint: quam interrogationem ac stipulationem instituere possumus *per resurrectionem ipsius ex mortuis*, eaque nixi. 1 Petr. 3: 21.

§. 123. [130] *Nos obstringimus.* nempe ut profitentes fi- 130
dem votum suscipimus, & ei juramus, & nomine ejus sacramentum dicimus: sed non hoc tantum. Deus nobis credentibus jurat, ut redemtis & obsignatis Spiritu ipsius, æternam gratiam. Et in hoc juramentum (quod est idem cum promissione, se Deum nostrum fore) baptizari, est in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizari.

A P O L O G I A.

Nec ex ritu cœnæ Dominicæ inefficacem ceremoniam.

R*Itum cœnæ Dominicæ*, *quo sacer panis frangitur*, *neutiquam esse dicimus* inefficacem ceremoniam. *Nam si dignè peragatur*, [131] *efficax omnino est*, *ad id præstandum*, *ad quod institutus ab ipso Christo est*; *ad memoriam mortis ejus celebrandam*, *ad Christi corporis & sanguinis*, *proinde eorum*, *quæ nobis Christus corporis sui fractione*, *& sanguinis sui fusione peperit*, *bonorum communionem*; *ad nostri*, *ex uno pane participantium*, *in unum corpus*
131 *consociationem*: *si vero indignè*, *nec ea*, *qua par est*, *religione peragatur*, *efficax est ad judicium*: *quæ omnia Sacris Literis sunt celebrata. Sed nimirum ista accusatoribus nostris non*
132 *sufficiunt. Id volunt*, *ut ipsi aquæ in Baptismo*, *& ipsi pani & vino in Eucharistia.* [132] *oc-*
P.30. *culta quædam vis insit*, *comparandæ nobis salutis*: *quod*, *si certo & evidenti S. Literarum testimonio probare possunt*, *næ expeditam nobis dabunt consequendæ salutis rationem*, *& erit profecto*, *quod nobis imputent.*

EXAMEN.

131 §. 124. Quod Eques dicit, [131] *S. Cœnam esse efficacem 1. ad memoriam mortis Christi celebrandam, 2. ad Christi corporis & sanguinis, proinde eorum, quæ nobis corporis sui fractione peperit, bonorum communionem.* id videtur amplius esse, quàm quod Smalcius in Catechesi Germanica pag. 222. 223. dicit: *Qui simul benedicunt calicem, &c. palam testantur, se habere communionem corporis & sanguinis Domini, h. e. omnium bonorum, quæ Christus morte sua peperit.* Sed, quicquid videantur dicere, quum veram *communionem* cum Christo, qua nos ipsius participes simus, eique indivulsè conjungimur, ita ut mors ipsius & satisfactio nostra sit, & hæreditas Novo Testamento destinata nostra fiat; & Sacram Cœnam esse sigillum ac pignus, minimè fallax, quo fides nostra in spem certissimam & exspectationem hæreditatis magis magisque erigatur, non admittant: &, quæ dicit de *bonis morte Christi partis* (quemadmodum supra demonstratum) non dicat sensu pleno, sed subdole: non tam magnificè sentiunt de S. Cœna, ut debent.

P.29.

§. 125. [132] Quæ ille incusat de *occulta vi, quam aquæ, & pani ac vino inesse putemus, comparandæ salutis*, invidiosè à Papistis in nos transfert, ad exsibilandam spem nostram, Deum omnino nostri, qui in fide ea signa accipimus, ut corporis Christi rationem habiturum, &, propter hujus signaculi traditionem, non posse jam erga nos aliter unquam affectum esse, atque erga Christi membra. 132

APOLOGIA.

PRofessores veritatis tantum abest, ut Atheos & Antichristos appellemus; ut ne illos ip- Nos professores veritatis Atheos & Antichristos non appellare.
sos quidem, hac contumelia afficiendos putemus; modo ipsi sese Antichristos non faciant;
dum Christum Dei, Idolum abominandum *vocant; dum eos, quos hæreticos putant; im-*
primis eos, qui Christum pro Deo, ab uno illo Deo in suam gloriam exaltato, colunt, ferro
& flammis, quod Antichristi proprium est, persequendos docent. Nunquam nobis in men-
tem venit, damnatoriam sententiam pronuntiare in eos, qui errore mentis inducti, Christum
pro uno illo & summo Deo colunt: hoc Deus ipse per Christum judicet. Nos perpetuo fra-
ternam tolerantiam iis obtulimus, dummodo & ipsi vicissim nos non damnent, & Christum,
quem colimus, Idolum *ne dicant; quod in iis, qui Christiani haberi volunt, intolerabile est.* P.31.
Ipsi sunt, qui mox crudele de nobis decretum faciunt; [133] Nos indignos esse nomine servo- 133 Indignos non esse nos nomine Servorum Dei & Christianorum.
rum Dei, multo minus Christianorum; *adduntque causas falsas; quasi* Dei naturam &
proprietates *(nam de Trium Unitate jam egimus)* & Christum in sua divina natura & mu-
nere rejiciamus. *An qui Deum esse credit, non eo ipso naturam illius & proprietates cre-*
dit? [134] *An Deus sine natura sua & proprietatibus esse, aut mente cogitari potest? Divina*
item Christi munera, & naturam iis convenientem agnoscimus: quod videant accusatores 134
nostri, ut ipsi bonâ fide faciant; qui Christum summum Deum esse dicunt; & tamen mune-
ra Prophetæ, Mediatoris, Sacerdotis, Regis, Judicis, ei commissa esse statuunt. Novimus
quid responsuri sint: Ex summo Deo hominem facient, ut illi munera ista committi possint:
quod quia nos facere non audemus; sed [135] *homini Christo, divinam, tantorumque mune-* 135
rum capacem, naturam à Deo tributam esse credimus; triste illud [136] *decretum in nos ferri* P.32.
audimus. Tu vero quis es, qui alienum famulum judicas? Domino suo stat aut cadit; sta- 136 Roman. xiv. 1;
bit vero: potens enim est Deus statuere ipsum.

EXAMEN.

133 §. 126. [133] An *dignos* eos *servorum Dei nomine* judicare possimus in bona conscientiâ, & ipsis *Ave dicere* tanquam fratribus, ipsi judicent: siquidem verè ex verbo Dei didicimus, & vera esse credimus ea, in quibus jam visum est eos sanæ doctrinæ contradicere. Non verba & nomen Christi in os assumta Christianum faciunt, sed una & æquè preciosa fides. Atqui jam etiam vidimus, plurima à vobis non ita dici ut scripta sunt, & totum ὕφος Scripturæ lacerari, & multa, quæ scripta minimè sunt, dici. Magnum est omnino peccatum, Dei nomen temere ferre; quod fit, quando verba Dei in fraude ventilamus, nobis Dei cognominationem falso imponimus, aliis in societate mentiendi & peccandi attribuimus, denique dicimus & facimus, tanquam fideles & in Deo, quod non in Deo dicimus, facimus.

P.31.

§. 127. De *proprietatibus Dei* forte non brevis sermo esset. Et infra quædam tangenda sunt. Id vero est perineptum, quod dicis, *An Deus sine natura sua & proprietatibus esse aut mente cogitari potest?* Certè Deus sine proprietatibus suis esse non potest: At non sequitur inde, vos ei suas proprietates attribuere. Mens vero stultitia & malitia depravata potest etiam talia de Deo cogitare, quæ cum proprietatibus Dei minimè conveniunt; ita ut talis de Deo cogitatio sit Dei abnegatio. ut docet Psalmus 14. Ad ea vero pertinet, cogitare & docere, Deum esse similem peccatori. Psalm. 50: 21. à qua insimulatione non potest vestrum dogma se liberare.

135 §. 128. Quod [135] *homini Christo* in tempore per ejus creationem dicis *divinam, tantorumque munerum capacem; naturam à Deo tributam esse*, id extra Scripturam dicis; & seipsum evertit. Natura humana non est divina. Divina non est humana. Christus venit in similitudine carnis peccatricis. Talem habuit naturam humanam, qualem nos: sed eam habuit, ut templum suum & deitatis suæ. *Potestatem divinam*, sed *subordinatam & secundariam*, quam soletis dicere, non debetis vocare *naturam*. Aliud est *natura*, aliud *potestas*. Et *potestas*, quæ summa non est, & prorsus atque absolutè perfecta, & in omnibus, (hæc negat Smalcius) non est *divina*. Nos non credimus in eum, non servimus ei, qui non est *natura Deus*, Gal. 4: 8. sed credentes in Deum per Christum (quatenus is natura unum est cum Deo) habemus *communionem divinæ naturæ* h. e. veri Dei, qui non est Deus nuncupatione, ut λεγόμενοι θεοὶ (ad quorum ordinem vos Christum relegatis. Nam & Socinus impropriè *metaphorico loquendi modo* Deum appellari dicit, in prooem. Evang. Johannis: quod notamus Considerationis nostræ §. 246. & passim apud vos audit *Deus quidam*; & Joh. 10: 36. vultis, Christum se accensere iis, quibus dictum est, *Ego dixi, vos estis dii.* quanquam Smalcius Christum medium statuat inter illum unum Deum & illos plures Deos. *adversus nova Monstra* pag. 19. & 81.) sed natura 2 Petr. 1: 4. Quam *divinam naturam* perperam & ineptè Socinus vult esse aliquid in nobis, potissimum *spem immortalitatis*. epist. ad Smalc. 7. Fateor, alios quoque ei præivisse hac interpretatione: sed examinanda sunt, quæ ab hominibus dicuntur. Falsæ glossæ lapsu seculorum in vul-

 gus

gus projectæ multis erroribus causam præbuerunt. Josephus ἀρχαιολ. 8. cap. 2. p. 264. ed. Genev. θείαν Φύσιν pro Deo dixit & ejus præcellentiis; his verbis: ἐποιήσατο λόγους πρὸς τὸν θεὸν, ὥς τῇ θείᾳ Φύσει πρέποντας ὑπελάμβανεν καὶ καλῶς εἶχεν αὐτῷ λέγειν.

136 §. 129. [136] Nostrum judicium, de quo queruntur, (perperam adducto loco Rom. 14: 4.) est altera pars officii à Deo injuncti. *Justitia & judicium* omne officium complectuntur. Es. 5: 7. & 56: 1. Id vero est, verum à falso distinguere, bonum à malo, fratres à non fratribus; & eos, qui dissensiones & scandala præter doctrinam, quam nos didicimus, faciunt, vitare, atque ab illis se longè abstinere, neque illos domum admittere. Fidelem, servum Christi, infirmum, ut libertate sua uti non audeat, vel utentem ea, & Christo gratias agentem, non esse judicandum, scimus. Utinam vos inter eos numerare possemus! Quanquam & judicium de vobis & de nobis Christo relinquimus, hoc interim studentes, ut bonam conscientiam retineamus, ne animæ eorum, qui aliquam sui curam nobis commendarunt, & pro quibus vigilare & magistratibus & rectoribus Ecclesiarum præcipuè mandatum est, à nostris & magistratûs manibus reposcantur.

APOLOGIA.

TAndem veriti, ut arbitror, ne istis suis criminationibus, coram Magistratu civili parum proficerent; adjungunt crimen; quod fatemur dignum fore, ut à civili coerceatur
137 *Magistratu pœnis gravibus. Ajunt enim,* [137] Magistratus ipsos immunes non esse ab aspe-
Nos Magistratui non conviciari. ris & virulentis linguis nostris. *Utinam ab ipsis eo honore haberentur civiles Potestates, quo nos eas habere à Christo didicimus.* Principi populi tui ne maledixeris, *Lex divina inquit. Novimus eas à Deo ordinatas, & illius ministros esse: ideoque omnem adversus eos injuriam*
1 Tim. 11: 2. *& contumeliam in Deum ipsum redundare. Novimus pro iis ante omnia preces ad Deum fun-*
P. 33. *dendas esse: Iis enim sublatis, omnis pax, omnis pietas, & honestas ex humano genere tol-*
De Theologo, qui nos vocavit semi-Turcas: & Politico, qui nos dixit hæreticorum pessimos. *leretur. Proinde desinant nos onerare criminibus, quæ nunquam probaturi sunt.*
Authoritatibus dehinc nos premunt. Magnus iste Theologus, quem dicunt, & cujus de nobis judicium approbant, nos scilicet [137] *semi-Turcas appellandos esse; miror ni fuerit unus ex ipsorum grege. Nobis cum Turcis, qua Turcæ sunt, & Pseudo-prophetæ sui amplectuntur disciplinam, nihil est commune. Non tantum enim unum illum Deum, quod Turcæ & Judæi faciunt; sed etiam regem cœlestem à Deo constitutum, Jesum Christum, & per eum Deum ipsum colimus; quod Turcæ & Judæi abominantur: ad quorum societatem an non ac-*
137 *cedunt, qui hunc ipsum regem, abominandum Idolum esse statuunt? Prudens iste politicus, quem huic magno Theologo adjungunt, fallor an nos hæreticorum pessimos esse dixerit, quod delatores nostros Orthodoxorum optimos tum, cum hoc diceret, esse crediderit.*

EXAMEN.

137 §. 130. [137] De *Magistratu* melius ad pag. 79. 80. respondebimus. & ad pag. 77. comparationem doctrinæ Socinia-
P. 32. næ cum Turcica defendemus.

APOLOGIA.

138 [138] T*Heologorum Leidensium, in causa Ostorodi & Voidovii; hominum quos non lucrum,*
P. 34. *non ullum privatæ rei commodum, in tam longinquas egit oras, à domo, à conjugibus,*
De Judicio Theologorum Leydensium in causa Ostorodi & Voidovii. *& liberis; sed recte agendi, & de humano genere bene merendi conscientia; tale fuit judicium, ut plane immemores fuisse videantur dicti illius Apostolici;* Omnem, qui Jesum credat esse Christum, ex Deo genitum esse; & qui diligit eum, qui genuit; diligere etiam eum, qui genitus est ex ipso. *An enim talem Confessionem,* Turcarum impietati proximam esse *dixissent, &* quæ sine maxima impietate in populum spargi, & in populo Christiano tolerari
1 Joan. v. 1. non possit? *Quæ tamen, si tam impios & intolerandos errores, ipsis continere videbatur; erat vera ratio populum contra istiusmodi errores muniendi, & hæreticos arcendi. Magistratui certè, acerrime tum pro libertate conscientiæ pugnanti, auctores esse non debuerunt, ut alio-*
P. 35. *rum conscientiam, libro exurendo, & ipsis hominibus aqua & igni interdicendo oppugnaret.*

EXAMEN.

138 §. 131. [138] Theologis Leydensibus, qui in Ostorodi
P. 34. & Voidovii causa Illustriss. Ordinibus responderunt, improperat Eques, quod *immemores fuisse videantur dicti Apostolici: Omnem, qui Jesum credat esse Christum, ex Deo genitum esse; &, qui diligit eum, qui genuit, diligere etiam eum, qui genitus est ex ipso.* Idque eo probat, quia alioqui *talem confessionem Turcarum confessioni proximam esse non dixissent.* Sophisma tale est. *Qui credunt, Jesum esse Christum, ex Deo geniti sunt: neque Turcicam fovent impietatem.* Atqui Sociniani credunt, Jesum esse Christum. Idem occeniant, qui negant, Papam jure ac merito vocari Antichristum, quum is, Jesum Christum esse, confiteatur. Quasi non & Mahomed Jesum appellet *Messiam.* Socinus in libro ad Jac. Palæologum, p. 3. contendit, nisi quis *retineat cognitionem mandatorum Christi, id est, nisi Christo ea ipsa præcepta tribuantur, quæ verè ipse dedit, nunquam verus Christus habebitur.* Quod si VERUS CHRISTUS nunquam habetur sine fide de præceptis Christi, & potestate præcepta dandi; quomodo apud eos erit *verus Christus*, qui veram Christi potestatem non agnoscunt, & fundamentum potestatis naturam divinam, & satisfactionem ac meritum tollunt? S. Johannes, quum dixit, *Qui credit, Jesum esse Christum, esse ex Deo genitum*, non ista verba dicere, docuit esse notam regeniti, vel Christiani hominis insigne, sed credere illud, quod illa verba significant, idque ipsum & nihil aliud docere, docet esse id, quod à Deo genitum discernit ab Antichristo.

APO-

APOLOGIA.

[139] OPtandum fuerat, *inquiunt de nobis*, ut iſtos homines Italia in primo eorum ortu ex- 139 De voto quo nos in primo ortu extinctos fuiſſe optant.
tinxiſſet, & Polonia in educatione progreſſum iis ademiſſet. *Quid dicunt, quod non in Lutherum, in Calvinum, & in ſeipſos dictum fuerit prius? imo in Chriſtum ipſum & Chriſtianos? Atqui & Italia, quantum in ſe fuit, extinguere voluit, & Polonia nihil reliquum fecit, quominus progreſſum adimeret: ſed Herodi difficile fuit Chriſtum infantem interimere, & Judæorum principibus progreſſum illius impedire. Si quæ dicimus ex Deo ſunt, ſi errorum fece ſublata, tuta ſunt, & ab ipſis Apoſtolis tradita veritas, ſicut plane perſuaſum nobis eſt; ne irritis molitionibus cœlum Accuſatores noſtri laceſſant.*

EXAMEN.

139 P.35. §. 132. [139] Optare licet, ut errores non exſtiterint, aut, ſi exſtiterint, non fruticent. Malum eſt, eos ſerpere, gangrænæ inſtar. Mors, cujus inevitabilis neceſſitas omnibus incumbit, eo terribilior eſt, ſi fiat peſtilentia, & plurimos ſimul abigat: ſi ad ignorantiam Dei, qua homo laborat naturaliter, etiam hoc accedat, ut populi imbuantur ea opinione, Dei ignorantiam eſſe veram ſapientiam, verbo Dei traditam, quid illa, niſi *mors ſecunda* erit, & immedicabilis animarum peſtilentia? Quæ ſi invehatur in reſpublicas, quid aliud exſpectandum eſt, niſi ut Deus ab illis abeat cum ſuis benedictionibus?

APOLOGIA.

PRovincias veſtras adire nos *dicunt. Neſcimus de aliis* [140] *præter adoleſcentes quoſdam, gloria Gentis & Reipublicæ Veſtræ allectos; ſtudiorum cauſa: Credimus enim ad liberrimam Gentem, liberum omnibus eſſe acceſſum.* Ad ſementem, *inquiunt*, in ditionibus veſtris faciendam: *Si tritici, non habent quod indignentur: ſi lolii*; [141] ſinite, *inquit Servator*, lolium creſcere, uſque ad meſſem.

De noſtris qui Hollandiam adeunt. Matth. xiii. 33. 140 P.36. 141

EXAMEN.

140 P.35. 36. 141 P.36. §. 133. [140] Si nulli ſunt, qui ad nos veniunt, ad ſuam doctrinam ſpargendam, quid eſt, quod ita tumultuatur Eques? [141] *Sinite zizania creſcere:* inquit paterfamilias ſervis ſuis, *ne fortaſſe, ſi eradicetis zizania, etiam triticum extirpetis.* Matth. 13: 29. 30. Inter Chriſtianos tolerandi erant, qui errores fundamento addiderant, atque ita ſimilitudinum *tritici* hoc eſt, verorum fidelium non integram habebant. Vetat paterfamilias Chriſtus ſervos ſuos hoc operam dare, ut eos colligerent & ejicerent; quia inter errantes poterant inveniri fundamentum verè tenentes, & ignorantes opinionum ſubintroductarum periculum. Prædicit autem, & Meſſem fore, & ſe miſſurum angelos, qui zizania in faſciculos colligant. Ni fallor, ita fit. Quum ſuccreviſſet in Eccleſia Chriſtiana ſuperſtitio, ut jam immineret error fundamento, & neceſſario pro fundamento pugnandum eſſet, factum eſt, ut anathema diceretur veritati, & falſum principium fidei ac fundamentum ſtabiliretur. Ibi errantes ſe à credentibus abſciderunt. Alii vero aliud fundamentum ſtatuentes in ſuos faſciculos abierunt. Ita unus faſciculus Socinianorum extitit. Quem cum colligi videamus ad ignem (Nam doctrina illorum non eſt doctrina vitæ) quare pateremur ſimpliciores innecti colligationi injuſtitiæ?

APOLOGIA.

AD inquietandas hominum mentes. [142] *Si erroribus & peccatis ſopitas; bene de illis meremur. Si in veritatis notitia, tanquam in portu quieſcentes, nullum eſt quieti earum ab obſtrepitantibus periculum.* Ad Eccleſiam ſcindendam. *Non illi ſcindunt Eccleſiam; qui tolerari ſe petunt, & alios tolerare parati ſunt; ſed qui* [143] *conſcientias hominum intra ſuas formulas cogunt, &* [144] *Magiſtratum ad vim conſcientiis inferendam incitant, ſciſſores Eccleſiarum ſunt.* Ad aggregandos ſibi homines; *ſed non alio modo, quam ſi veritatem videant; nec ad turbandum Reipublicæ ſtatum; ſed ad homines meliores & ſanctiores reddendos.*

142 Non id facere ad inquietandas hominum mentes; & Eccleſiam ſcindendam. 143 144

EXAMEN.

142 P.36. §. 134. [142] Fallit nos Eques, quum, homines diſtinguens in duo genera, *erroribus & peccatis ſopitos, & in veritatis notitia velut in portu quieſcentes*, negat eſſe *periculum his ab obſtrepitantibus.* Corrumpunt bonos mores ſermones pravi. Apoſtolus ſerio vult Timotheum conteſtari, ne verborum pugnas admittamus; quas & inutiles dicit; & ad deſtructionem audientium facere. 2 Timoth. 2. verſ. 14. ibidemque verſ. 18. dicit de Hymenæo & Phileto; *quod quorundam fidem evertant.* monens, talium ſermones habere paſtum inſtar gangrænæ, & homines ad impietatem deducere. Nocent credentibus ratiocinationes & obmurmurationes: quarum fertiliſſima eſt doctrina Socinianorum. Aliis obſtant ſophiſmata, quo minus ad cognitionem veritatis pervenire poſſint: quos melius erat ſaltem non blaſphemare, & ædificationi Eccleſiæ non obſtare. Neque poſſunt litigia & factiones arceri, ubi admittitur doctrina inſalubris. Creſcente iniquitate, minuitur charitas. Matt. 24. verſ. 12. Pax Eccleſiaſtica & politica ſervari non poteſt. Novimus, hæreticos imprimis inſidiari poteſtatibus. Ariani veteres, imperatorum animis occupatis, in quas non

non vocaverunt Ecclesiam pericula? Si rerum potirentur Novi, etsi forte servent dogma suum de non occidendo homine, tamen in sua schola reperirent, qui doceret dissentientes *carceribus* & *mulctis* coercere, & magistratum, si non ad fundendum sanguinem, tamen nec frustra gestare gladium. Socinus epist. ad Vadovitam. *Status Reipublicæ* tutus non est, ubi tanquam optimo jure cives admittuntur, quorum ea sententia est, *Conscientiæ libertatem* illam, quæ nullis frenis coerceri debeat, esse sentire, quæ velis; quæ sentias, loqui, docere, inculcare; *congregare homines* per suam doctrinam tanquam doctrinam veritatis: capessere magistratus, &, quantum potest, solos occupare, nihilque *magis in votis habere*, *quam nullos magistratus alios esse*, *quam verè Christianos*, (Apolog. pag. 80.) territare denique illos, quos verè Christianos non putent esse, & pertinaces esse in sua opinione declaraverint.

143 §. 135. Quod dicis, [143] *illos*, *qui conscientias hominum intra suas formulas cogunt*, *& magistratum incitant ad vim conscientiis inferendam*, *scissores Ecclesiarum esse*, præterirem, si non hanc invidiam in Ecclesiæ Reformatæ ministros imponeres toto libro. Ego vero ajo, hanc esse splendidam calumniam. Confessiones, quibus confessamur, non sunt vincula conscientiarum. Nemo nostrum cogit alterum credere (quod fieri non potest) quod nos credimus, aut dicere, quod dicimus. Neque confessio aut formula propter illos homines, qui eam composuerunt, aut magistratus, qui eam recipientes defendunt, sunt nobis causa credendi, aut regula loquendi. Quicquid homo credit aut loquitur, si rectè credit & loquitur, est obedientia, non lex. Dum igitur recipimus confessionem, testamur, nos Deo hoc revelanti paruisse, & illius confessionis sermonem accipere pro sermone fratrum & Deo obedientium. Si id, quod confessio dicit, didicimus; quomodo ab eo dimovebimur, quasi non didicissemus, ut Ave dicamus aliud loquenti? Ergo nos in cœtibus nostris non loquemur idem, sed de tantis rebus fratres loquentur contraria? 1 Corinth. 1. vers. 10. Et, quod nos didicimus, id non obligabit nos, ut arceamus à nobis, qui dissensiones invehere conantur, præter ea, quæ didicimus? Rom. 16. vers. 17. Magistratus nemo [144] *incitat ad vim conscientiis inferendam*. Nemo cogit Socinianos abnegare sua dogmata, aut nostra 144
profiteri. Hoc enim esset cogere mentiri. Quæ vis fit tuæ conscientiæ, si ego mihi non permitto id loqui, quod tu sentis? aut si ita loquentem non recipio domum, ut fratrem? aut non patior domi meæ cœtum facere ad illud aliis instillandum? aut libros tuos nolo esse in manibus meorum? eosque illis non promo aut commendo? Si ego privatus sic agens in te & conscientiam tuam non pecco; quid peccabit magistratus in te, si similia faciat in puro conservando hospitio Ecclesiæ; hoc est, ea Republica, quam non aliter Deus voluit facere Rempublicam liberam, quàm asserendo Ecclesiæ & veritatis causam, ut ita populus hîc prius veritati quam libertati, & libertati propter veritatem initiaretur.

A P O L O G I A.

Veritatem non esse in periculo ne violetur.

VEritas, *inquiunt*, quæ tanquam pura virgo, impolluta conservari debet, est in periculo, ne violetur. *Quid est* [145] *veritas? Verbum Dei. Hoc à nemine violari potest, semper in se manet, & manebit inviolabile. Habet puritatis suæ custodem Deum & Christum. Non est, ut illius castitati quisquam metuat. Neque nos quicquam aliud, vel ipsi*

P. 37. 145 *docemus, vel doceri ab aliis volumus, quam ab omnibus hominum commentis & additamentis repurgatum Dei Verbum. Ideoque non Verbo Dei, non Veritati, sed suis dogmatibus metuunt, quæ sub nomine tam specioso venditant. Nihil tanquam ad salutem necessarium doceant, nisi quod clare & aperte in Verbo Dei dictum est, & omnis timor illico cessabit. Sed quid hic nobis objiciunt, quod non & ipsis olim ab Adversariis objectatum fuerit? Ajunt*, se diligentes excubias agere pro Ecclesia, monitis & stylo in nos prompto: sed ta-

P. 38. men & ad vestram opem tanquam Ecclesiæ Educatorum & Tutorum confugere. *O miseros veritatis divinæ defensores, qui oris gladio, & manus suæ stylo diffisi, edicta & arma Civilium Potestatum expedire conantur, contra eos, qui solis argumentis & Scripturis pu-*

146 *gnant! an non eo ipso sese Scripturis & rationibus haudquaquam pares confitentur?* [146] *Apostoli, credo, & primi Christiani, ad Prætores & Proconsules ibant, ut se contra Philosophorum & Judæorum argumenta defenderent! quin imo Divinæ Veritatis tanta vis fuit, ut adversus omnes mundi sese oppugnantis vires, enisa sit; nedum ut sine iis, adversus nudos & inermes errores tutari sese non possit, &, non debeat! Verum est, Civiles potestates*

147 *Ecclesiæ Educatores & Tutores esse: sed* [147] *adversus illos, qui Ecclesiam armis, & externa vi invadunt; non qui solas Scripturas & rationes afferunt, parati aut Ecclesiam melius*

148 *erudire si erret; aut ab* [148] *Ecclesia, si ipsi errent, erudiri. Hos si lædat, si potestate sua*

P. 39. *oppugnet Magistratus, ipsi Ecclesiæ, quam defendere voluit, vel maxime nocet.*

E X A M E N.

145 P. 37. §. 136. [145] *Veritas*, Eques, est *Verbum Dei*. Sed potest etiam Verbum Dei in mendacium verti stilo falsitatis. Jer. 8: 8. Verbum Dei nihil nisi veritatem docet: igitur, qui veritatem abnegat, & falsum sub Verbi Dei cortice docet, Verbum Dei abnegat & corrumpit. Hoc, quod credimus, docti à Verbo Dei, non possumus in vestram gratiam dicere non esse doctrinam verbi Dei. Contra nos idem dictum esse, ex parte fatemur, ex parte non. Major cum Papistis nobis controversia est de iis, quæ scripta non sunt, & de ipso verbo scripto. Neque mirum est, in veritatem hoc idem dici à mentientibus, quod dicitur à veritatis assertoribus in mentientes. In nullo non etiam civili judicio injustitia legibus pugnat.

146 P. 38. §. 137. [146] Non fuit sine terrore etiam prima Euangelii prædicatio, Anania & Saphira punitis; & Elyma mago cæcitate percusso. & Apostolus hostes veritatis Satanæ tradit, ad afflictionem carnis, ut discant non blasphemare. Miraculo nobis amplius opus non est. Tamen ordinaria via blasphemias coërcere, & seductiones procul habere, ne possint *pervertere vias Domini rectas* (Actor. 13: 10.) Christianas potestates oportet; idque optandum est fieri, & ita nec populum corrumpi, nec alienis peccatis omnes per dissimulationem coinquinari. Nam quis te docuit, [147] *Civiles* potestates tantum esse Tutores Ecclesiæ 147
adversus arma inferentes, & non adversum illos, qui sine armis rempublicam in se transferre, & populum ab Ecclesia alienare, & institutionem liberorum nostrorum, atque amicorum, aut rudium omnium impedire, denique eam tollere de medio satagunt? [148] Ut veritatem discatis 148
(*paratos* enim vos dicis *erudiri*) non opus est, ut admittamini velut grati hospites, cum licentia cœtus agendi, & libros publicandi ac vulgandi. Si vero putaremus vobis doctoribus nos indigere, fateremur, nos nescire, quid credamus.

APO-

APOLOGIA.

Exempla afferunt, quæ imitemini, vel potius pro summa Vestra prudentia evitetis. Illustrissima Racociana Domus in Transsylvania Zelo quidem efferbuit; sed contra Semi-Judaizantes, quos vocant, id est, Christum, si unus ille Deus non sit, colere nolentes, & contra Sabbatarios, non contra nostros, quos istic locorum Unitarios, id est, Unius Dei, non plurium in Deitate Personarum, & Unius Domini, id est, Christi ejus cultores, appellant: quibus hæc Illustrissima Domus pacem & libertatem conscientiæ ac religionis Juratam, sacrosanctè custodivit semper, & etiamnum custodit. Et tamen istum quoque adversus Semi-Judaizantes & Sabbatarios Zelum, nemo probavit, præter eos qui sententiam
[149] Calvini de persequendis Hæreticis integro libello defensam, & martyrio Serveti abunde 149
testatam, calide amplectuntur: qua sententia nulla unquam hæresis capitalior fuit, & quæ P. 40.
justo Dei judicio, sæpe in autorum suorum capita recidit. Nam qui conscientias hominum externa vi ad obsequium cogunt, divinæ Majestatis jura invadunt, & se magis timeri quam Deum volunt; id est, omnem ex animis hominum religionem, & conscientiam, quantum in se est, tollunt.

De exemplo Racocianæ domus in Transsylvania.

EXAMEN.

P. 39. 149 §. 138. Quæ, occasione Zeli Illustrissimæ domûs Racocianæ, dicis in [149] Calvinum, hujus temporis non est examinare. Neque enim hîc de ulla vi conscientiis inferenda, aut punienda animi sententia agi, jam demonstravimus. Interim non dubitas iterum Servetum martyrem laudare, & eo ipso Serveti blasphemias, quas ipse detestabaris pag. 28. adoptare. Serveti enim sunt ea dicta, quæ & nominare tremo. Qui vult, videat ea in opusculis Calvini pag. 817. 853. lin. 30. Non potuit in rebus publicè gestis mentiri Calvinus. quem longè abfuisse à consilio conscientiam vi constringente, vel ista verba testantur, quæ sunt pag. 822. *In tuendo Ecclesiæ statu alius est gladii usus, quam ut ad fidem quis cogatur. Nam ut demus, in principium manu & arbitrio non esse, edictis suis penetrare in hominum corda, ut obedienter salutis doctrinam amplexi Deo se subjiciant, hoc tamen postulat eorum vocatio, ne impuris & petulantibus linguis lacerare permittant sacrum Dei nomen, ejusque cultum pessundari sinant.* Sed audiamus, quæso, etiam tui Socini sententiam, in epistola ad Martinum Vadovitam pag. 599. *Quemadmodum furiosos & mente captos,* &c. *sic cum ejusmodi hæresiarcha non modo quam sævissimè agendum non est, verum illius potius miserendum, & tantummodo curandum, ut ejus conatus suam doctrinam propagandi impediantur, idque si aliter fieri nequeat, carcere & catenis. De pertinaci hæresiarcha loquor.*

APOLOGIA.

Poloniam [150] deinde, infausto omine commemorant, patriam nostram; quæ dum non tan- 150
tum nobis, sed etiam Euangelicis, & aliis, contra jurisjurandi & fœderum fidem, templa adimit, exercendæ religionis libertatem labefactat, & variis pressuris ob diversum in sacris sensum, infestam sese præbet; vindicem Dei manum in se provocavit, & iis sese cladibus & calamitatibus involvit, quarum necdum finem videmus ullum: quæ quamdiu sar-
tam tectam cuivis servavit conscientiæ & religionis libertatem, altissima pace, & omnium P. 41.
bonorum fælicitate cumulata floruit; sed ubi vinculum illud, æquabili lege omnes de rebus divinis dissentientes continens, solvi cæpit, omnia

Ex Polonia.

In pejus ruere, & retro sublapsa referri.

EXAMEN.

150
P. 40. §. 139. [150] Poloniæ calamitatibus jam non libet crisin nostram adjicere.

APOLOGIA.

Eversum nobis fuerit Racoviæ templum; quanquam de eversione templi decretum nihil habet, eo quo dicunt anno: sed eodem exemplo eversum est & Vilnæ Euangelicis biennio post suum templum. Pulsi fuerint Ministri Racovia; quanquam Ministri Racovia decreto pulsi non sunt, sed soli Professores; pulsi sunt & Vilna: proscripti fuerint illi; proscripti sunt & isti; & quidem illi ipsi, qui paulo ante Racoviano casui ex ambone insultaverant. Sic in nobis cæptum, in Euangelicis, qui permiserant, ulterius progressum est exemplum. Exempla enim tramites quærunt, nec ibi consistunt, ubi cæpere. Occasio & prætextus utriusque injuriæ & calamitatis innocentibus inferendæ fuit idem, nempe imago juvenili quorundam temeritate violata. Et ne fortuita quoque signo carerent, Vilnensis Ecclesiæ cladem in pœnam proditæ communibus Adversariis Racoviæ evenisse; is, qui eam temeraria jaculatione accersivit, gentilitio nomine Racovius appellabatur. Nam causa disturbationis Racovianæ;

De eversa nobis Racovia, & ejus occasione.

quam

quam Accusatores nostros coram Vobis pro vera venditare non pudet, ipso Decreto Comitia-
151 *li manifestæ vanitatis coarguitur. Ajunt enim causam fuisse, quod* [151] *librum habuerimus sub prælo, hoc titulo,* Tormentum throno Trinitatem deturbans. *Nullus liber unquam hoc titulo inter nos exstitit, nedum ut sub prælo fuerit. Commentum hoc fidem sibi ipsi aperta contradictione derogat. Nam si credimus Trinitatem in throno vere collocatam esse; an eam deturbatum iremus? si non credimus, nullus deturbationi locus est. Auctor istius commenti fuit Lætus quidam, Moravus; qui profugum sese ex Moravia, religionisve an rebellionis causa oblitus; sed odii in nos ex suorum disciplina concepti non immemor, in ipsa Patria nostra, quæ exulem benigne suscepit & fovit, eo proterviæ progressus est, ut nobis patriæ civibus insultare ausus fuerit, edito fumorum pleno libello; inter quos & hæc de libro isto fabula est. Et tamen hic ipse, quamvis vanus Auctor, dicit quidem illo ipso tempore, quo res Ecclesiæ nostræ Racoviæ sunt eversæ,* desudasse nostros in extrudendo isto pestifero, *quem ait,* libello: *sed hanc fuisse causam Adversariis illarum evertendarum non dicit:* Juventus, *inquit,* Scholæ ansam præbuit, quæ effigiem crucis dejecerat. *Sed narrationi illius per se vanæ, quo speciosior esset, assuendum aliquid fuit ab Accusatoribus. Fuit sane illo ipso tempore sub prælo typographei Racoviani liber Novi Testamenti, Polonice versi, & præter hunc alius tum nullus: cujus editio incidente isto casu interrupta, ad hunc usque diem manet imperfecta. Hunc librum, si Tormentum erroneam de Trinitate sententiam deturbans*
P. 44. *appellavit, in modum Caiphæ Pontificis, vatem, ignarus & aliud spectans, egit. Nam & Lætus eo anno, cum hæc scriberet, Pontifex erat. Ex hoc exemplo discere licet, quam caute narrationibus istorum fides habenda sit.*

(Margin: Joan. Læti Compend. Histor. Leidæ 1643. pag. 766. P. 43.)

EXAMEN.

151 P. 41. §. 140. [151] Quam causam habuerint Poloni eripiendæ vobis Racoviæ, non disputo. Certum est, eo tempore vulgatum fuisse rumorem, tale, quale libellus Deputatorum memorat, scriptum sub prelo sudasse.

APOLOGIA.

(Margin: De Ostorodo & Voidovio Belgio pulsis & libris eorum crematis.)

DEprædicant tertio loco majorum vestrorum factum adversus Ostorodum & Voidovium, quod fuerint ex ditionibus vestris pulsi, libri cremati: quam placent accusatoribus nostris hominum expulsiones, [152] *exilia, librorum, ipsorumque hominum, si sui arbitrii res sit,* [153] *combustiones! quid mirum? in Hollandia vivunt, in qua persecutionum securi sunt. Sed aliam vobis, Illustrissimi & Potentissimi Domini, spero, mentem Deus dabit, & Theologis*
152 *vestris longe sapientiorem; qui cum* [154] *præclaram vestram Rempublicam elegerit, quam pro-*
153 *prius ærumnis exercitam, ad hoc summum libertatis & fœlicitatis fastigium, admirabili sua*
154 *providentia & potentia perduceret; eandem etiam custodiet à peccato, quod omnes Respubli-*
P. 45. 155 *cas & regna iræ ejus præcipuè involvit, nempe, cogendi homines, ut* [155] *contra conscientiam agant; vel si nolint, pro conscientia patiantur. Nam & quod à majoribus vestris, improvido Zelo, in causa Ostorodi & Voidovii olim peccatum fuit, vestra constanti tot jam annorum moderatione correctum est.*

Porro, ut auctoratam sibi jam pridem esse fidem vestram ostendant; commonitionem vestram, ad Provincias alias, super adventu quorundam Socinianorum, (sic enim appellare nos libet) ex Polonia; similiter & Declarationem Ill. D. D. Ord. Generalium adversus Sectarios factam, commemorant; obliti non alios magis ab adversariis Sectarios appellari, quam ipsos.

(Margin: De nobis objectis concursationibus in Hollandiam.)

His præmissis, adjungunt jam rumores, nescio quos de nostris in ditionibus vestris [156] *concursationibus; ut tandem, quo intendunt, orationem deducant.*

156 P. 46.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

Nos sane ignoramus istos, qui ex nostris in Provinciis vestris ad faciendos circumeant discipulos. Statorius ante complures annos in Ditionem Vestram, tanquam ad certissimum oppressarum conscientiarum ab ipso Deo erectum asylum, confugerat; sed ad breve tempus, donec aliquantulum tempestas illa in Racoviensem Scholam effusa deseviret. Mox in patriam reversus est, in eaque satur ærumnarum animam de Ecclesia Dei bene meritam Christo Servatori reddidit.

EXAMEN.

152 P. 44. §. 141. [152] Ostorodus & Voldovius exilium passi non sunt. Belgæ non erant. In Belgium venerant corrupturi Ecclesiam. Atque ita, invitis iis, quibus Ecclesiæ tutela
153 commendata erat. Domum remissi sunt. [153] *Hominum combustiones* nobis gratas esse, petulans stilus Equitis scribit: quasi charitas & virtus sit strophis, versutiis, calumniis, mendaciis viros probos, & salutis multorum cupidos, & falsarum doctrinarum hostes, cum magistratibus de officio loquentes, & ab iis jussos sententiam dicere, eamque liberè dicentes adoriri, iisque convicium dicere. Hæc scilicet sunt præcepta Christi, hæc arma spiritus, qui-
154 bus pugnatis! [154] Si Deus, quum in hisce provinciis verbum suum innotescere voluisset, & amorem veritatis hominibus instillasset, eorumque fidem persecutionibus exercitasset, & vim veritatis in passionibus eorum reddidisset manifestam, voluit etiam ope aliqua sublevari vim in libertate animi & civili patientes, & violentiis non subesse amplius; quid æquius est, quam eam veritatem, cujus assertio tantum auxilium experta est, quæque servandæ libertatis obses est, posteris eorum, qui sanguinem fortunasque suas pro ea libertate profuderunt, non eripi, & ex terris liberis non exterminari hominum ingratitudine, oscitantia, dolo? Nam, qui novam doctrinam admittit, incipit de ea, quam habet, periclitari; imo ostendit, se eam jam omisisse. Quomodo nuncium remittemus Christo, qui contra Antichristum nos tam potenter defendit, tamque mirabiliter ex illius manu liberavit? Quomodo deseremus causam, quam ipse suam esse ostendit? Nam, qui tanta passi sunt, nobiscum eundem Christum invocarunt. Socinus contra Palæologum p. 261. dicit: *Ex quo intelligi potest, quam præposterè ii se gerant, qui arma adversus eos, qui dominantur, capiunt, ut (quemadmodum ajunt ipsi) Dei cultum & religionem tueantur.* Ita Socinus A. C. 1581. locutus est. Neque est, puto, qui credat, eum non harum provinciarum proceres designasse. Nunc Eques laudat scilicet Illustrium Ordinum pro præsumta illa libertate conscientiæ gestum bellum, & Deum hanc præclaram Rempublicam elegisse dicit, ut illius libertatis, imo licentiæ, sedes esset. Ita enim putat *certissimum ab ipso Deo erectum oppressarum conscientiarum asylum* (p. 46.) fore. nempe ut, quod Jehovah populo suo dedit, id hæreditet Chamos h. e. *non-Jehovah.* Judic. 11: 24. Nam & Amos non veritus est, eum, qui ab Israëlitis in deserto gentili mente colebatur, Molochum appellare; &, ubi introducitur licentia sentiendi & docendi, quod velis, non potest dæmoniorum doctrina & cultus excludi. [155] Ostorodus & Voi- 155
dovius nihil coacti sunt contra conscientiam agere; neque pro conscientia quicquam passi sunt; sed tantum prohibiti sunt id facere, quod bona conscientia facere non poterant, quodque, vel contra conscientiam, vel saltem sine scientia, facere nitebantur.

§. 142. [156] Fama concursationum Socinianæ turbæ non 156
potest esse de nihilo, quum in hisce terris, ut videtur, o- P. 46.
riatur Eques Polonus, qui tanta cum phantasia Apologiam innocentiæ accusatæ instituat; & exempla tum Latina tum Germanica momento per omnium manus volitent, clam iis, quorum sinceritas in ea lancinatur. quod citra multorum congerronum operam vix videtur posse fieri. Quid? quod illi tam propinqui sunt deliberationum de Republica conclavibus, ut, quæ à Ministris Ecclesiæ Illustrissimis Ordinibus reverenter insinuata, quæ à Professoribus modestè & obsequiosè responsa, illa typis expressa inter manus illius secreti sociorum versentur, nesciis Proceribus, insciis auctoribus, antea quam ipsi Proceres aliquid super tota causa decernant. Quod hæc Apologia fatetur, pag. 102.

APOLOGIA.

UBi, *inquiunt*, messis eorum maturuerit, quis scit quas tristes inter nos scissiones facturi sint? *Nihil istorum, quæ metuunt ex nobis sequeretur. Hoc sequeretur haud du-* P. 47.
bie, ut cives optimos, pacatissimos, vobis obsequentissimos, nec ullius conscientiæ molestos esse setis habituri.

Invehuntur dehinc in libros nostros: quos si tantopere noxios putant, [157] *rationibus & argumentis refutent. Nam libros, quia eos concoquere non possunt, comburere, & in chartas sævire, aut captivos, velut hostes quondam, includere; rerum desperatarum argumentum est.* *Ajunt* hoc in contemtum Autoritatis Vestræ fieri. *Nobis vero, longissime à Vobis* 157
eam abesse mentem, plane persuasum est, ut Vestram [158] *Autoritatem, quam post Deum in* 158
terris Vestris summam agnoscimus, Divinæ præferri velitis.

Libros nostrorum non esse noxios.

EXAMEN.

157 P. 47. §. 143. [157] Misera profecto sit conditio nostra necesse est, si oporteat ad omnium hominum somnia respondere: miserior Ecclesiæ, si ædificari non possit, nisi propositis, & in utramque partem ventilatis omnibus omnium novaturientium opinionibus & paralogismis. Veritas revelatione Dei, ut certa radice, nititur, & analogia revelatæ veritatis; in eaque sincerissima sapientia per demonstrationem Scripturarum facile patescit conscientiæ. Fidem bene ædificatam non movent scrupuli & ratiocinationes. Si Sociniani vellent assentiri Deo, superest ipsis ingenium ad nodos suos solvendos. Apud discentes est necessaria refutatio adversariorum dogmatum, quando illis turbantur. Melius est non turbari, quam illo remedio opus habere. Quod etiam qui diligentius adhibent, ipsi præcones fiunt errorum ignoratorum. Hoc nimirum quærunt Sociniani, ut videantur digna laboriosa refutatione protulisse, & ut semen doctrinæ perversæ per nos feratur, dum eradicamus. Multum valet apud petulantia ingenia exemplum ad irrisionem veritatis: sunt, qui se scire putant, quæ nesciunt; sunt, quibus, ne, quod verum est, dicant, satis est ad causam, quod utrinque aliquid dicitur: sunt, quibus volupe est, fatigare doctores veritatis, ut, quum omnia egerint, nihil videantur egisse. Nos quidem non desumus nostris partibus: neque possumt gloriari, sibi per nos causam datam esse & traditam. Habent libros, quos dissimulant, quibus perpetua analogia Scripturarum ipsis adversa demonstratur. Sunt alii, qui paralogismos ipsorum enervant.

§. 144. [158] Non est autoritatem suam divinæ præponere, prohibere, ne quis audeat Deo contradicere. 158

APOLOGIA.

AJunt, Ecclesiæ à nemine magis metuendum esse. *Quamobrem vero?* quia talem, *inquiunt*, doctrinam proponunt, quæ naturam & rationem non excedat, & facile hominibus arrideat. [159] *Accipimus quod ultro dant, ut ex hoc ipso doctrinam illorum coarguamus. Licet enim res ipsæ, quæ in Christiana Religione credendæ sunt, magnitudine suâ naturam omnem & rationem longissime exsuperent, tamen earum captus, quatenus credendæ* 159
sunt,

Quomodo doctrina quam proponimus naturam & rationem non excedat, & facile hominibus arrideat.

sunt, naturam & rationem humanam nullo modo superare debet: alioquin enim nemo sciret, quid crederet, si quod credit, non caperet, nec intelligeret; certe non magis sciret, quam si idiotæ exotica & peregrina lingua, cujus penitus ignarus est, narrarem aliquid, & post hanc narrationem interrogarem, an quod sibi dixissem, crederet? Responderet, se quidem mihi, de cujus fide, quia vir bonus sim, non dubitet, credere; sed quid credendum sit, prorsus ignorare. Et quorsum res credendæ nobis revelatæ essent; si à nobis non magis post revelationem, quam ante ipsam possent intelligi? Cum igitur adversariorum nostrorum dogmata sint talia, ut intelligi non possint, quod fatentur ipsi, profecto inter credenda nullum habent locum. Multo vero minus, si secum ipsa pugnent, & sese invicem evertant, id est, non tan-
P. 49. *tum in intellectu nostro, sed etiam in seipsis nullum sensum habeant; qualia itidem ipsorum dogmata esse, vel manibus cuique palpare est: quod cum de nostris illi ipsi non dicant; sed contrarium de illis fateantur; si præterea ex ipsis S. Scripturis hausta sint, & clarissimis earum dictis testata; quid restat ad illorum certissimam veritatem? Si dogmata nostra homini-*
161 *bus arrident, quod [161] peccatis blandiantur, & rationem adipiscendæ salutis ullâ ex parte commonstrent iis, qui post fidem vitia non exuerint, cum vita suppeditaret; fatemur ea merito falsi suspecta, imo plane falsa esse: sed si ideo arrident, quod præter aperta Scripturæ*
160 *dicta, etiam à simplicissimo quoque [160] intelligi possint; quod nullum absurdum contineant, nec in sese ipsa incurrant; quod ipsi lumini naturali, sine quo nulla datur cognitio, omni ex parte congruant: profecto vim conscientiæ suæ inferant oportet, qui ea repudient.*

E X A M E N.

159 P.47. 48. 49. §. 145. [159] Accipis, Eques, pro magno, quod vobis *ultrò* scilicet *datur, doctrinam vestram non excedere naturam & rationem, & facile hominibus arridere:* sed id est charactere vanitatis triumphare. Id quod facile est ostendere. Ita sentio, quod & tute poscis, quod credendum est, oportere, esse revelatum: quod revelatum est, intelligi posse, quatenus revelatum est. Nihil porro revelatum esse, quod non hominem perficiat in sapientia & sanctitate; adeoque testem habeat hominum conscientiam. Sed quum id, quod revelatur, perficiat hominem in sapientia, necesse est, eum, qui non nisi revelatione sapientiam discit, non antea id scire, quod revelatur: &, quum sapientia Dei supra humanam sit, non esse id, quod homo comminisci possit. Deinde, quia sanctitatem in homine efficit, sequitur, contrarium esse hominum appetitui, quia is malus est. Iccirco & Baptista Christi doctrinam hoc tanquam charactere divinitatis ornabat, quod *nemo reciperet testimonium ipsius.* Joh. 3: 32. Et Apostolus testatur, Euangelium homini animali, & spiritu Christi carenti, esse stultitiam. 1 Cor. 2: 14. Viæ Dei sunt supra vias hominis, & cogitationes ipsius supra illius cogitationes sunt, ut cœlum à terris dividitur. Esai. 55: 7. Quod Judæis, Christi justitiam & regnum rejicientibus, dictum esse præcipuè, facile ex serie dictorum constare potest. Non est igitur doctrinæ Christianæ objiciendum, quod non omnia in iis rebus, de quibus nobis revelata sunt ea, quæ à nobis intelligi & credi necesse est, omnes, vel etiam ulli homines intelligant; quodque Turcis, Judæis, Arianis, Photinianis, Socinianis, aliisque multis non arrideat. Nam & *mysterium* est, quod in cor hominis non venit, & consiliis atque adinventionibus humanis, ut stultitia, adversatur. Nusquam videmus sacram doctrinam commendari in Scripturis, ut aptam omnibus ingeniis & voluntatibus: licèt revera sit comparata ad faciendum ex stulto sapientem. Hominum enim stultitia non potest nisi divina ope expugnari. Doctrinam igitur Christi dicimus ita revelatam, ut intelligi possit, quatenus revelata est: licèt Dei natura & operatio, prout illa in se est, intelligi aut comprehendi ab homine nequaquam possit. Quid enim, quod nobis cognitum est, assimilabimus Deo? Imo quid nobis cognitum est, ut planè in se est, & quidem ut ex nihilo est? Liceat igitur Deo de se testanti, quod supergreditur naturam nostram, esse veraci. Nam si natura creata non sit, in qua sint tres unum; ideo id in Deo verum esse non potest. Neque enim id ideo in creatis verum non est, quod sit contradictio; sed quia est perfectio, creaturæ rationem & statum, quantum fortasse homini cognitum est, excedens. Atque etiamsi nesciamus, quomodo Tres sint Unum; tamen esse Tres Unum, sive habere, unam essentiam, non autem, ut singuli homines, essentiam similem quidem sed diversam habere, & sensum habet, tum negativum, tum affirmativum (quatenus novimus, Filium eadem voluntate velle & efficacia voluntatis operari cum Patre & S. S.) & ad sapientiam Dei in salute nostra conficienda noscendam, & ad fidem ac gloriationem nostram necessarium est. Unam enim oportet esse voluntatem creatoris, redemtoris, Paracleti sive Arrhabonis; & eandem efficaciam, idem nomen & gloriam.

§. 146. [160] De Sociniano dogmate fateri Ecclesiam 160
Reformatam, quod intelligi possit, aut sapientia sit, conscientiam testem habens, aut nulla contradictione laborans, aut quod utilis sit ad pietatem, immensum quantum à vero abest. Quid enim? An nulla est contradictio; Habere potestatem ac voluntatem independentem, & esse facturam? Esse adorandum ut Deum, & esse habendum pro non-Deo? Nam Deus metaphoricus & nuncupativus, est non-Deus: & Deus inferior Smalcii non est adorabilis. Esse justitiam nostram, & non quæsivisse jus vitæ juxta sententiam legis, quæ præmium obedientiæ assignat? Subjectum fuisse legi, pœnam reposcenti, & non satisfecisse? Legem relaxatam vel abrogatam esse, & tamen Filium ei subjectum esse? Legem Dei esse perfectam, & fieri perfectiorem? Relaxata lege minus perfecta, imponi legem perfectiorem ad justitiam? Eum, qui non est Deus, dicere, Ego sum Deus tuus, Non habebis Deos alios in conspectu meo? Esse Deum appellativum in regno Dei solius?

§. 147. [161] Nam quid ad studium sanctitatis facit, ut 161
homo credatur ita factus, ut natura & peccatum illum in perpetuam mortem, & statum omni vita & sensu carentem, præcipitet? Cur enim quis timeat magis non esse, quam non fuisse? At præmium immortalitatis, quod Deus dat obedientibus Christo, nutricula pietatis est. Non puto equidem, si habendum est opus, ut causa justitiæ qualiscunque. Quomodo enim conscientia nostra tranquillabitur coram Deo, ut, peccato & lege (cui etiam Christus subjectus fuit, scil. in exemplum nobis, non ut acquireret nobis hæreditatem; ut vos vultis) extante, non metuamus iram? Quomodo ipsa abstinentia ab hoc & illo malo, aut opus aliquod, erit justitia nostra, aut illius causa, si peccatum est, sua qualiacunque opera habere pro justitia, aut ejus causa? Si autem nec opera nostra respondeant votis, quomodo ad amorem Dei faciet, & non fugam & odium ipsius, conditione non præstabili esse illigatum? Quem non fucum, dolum, hypocrisin generabit in factorum cum requisitione Dei comparatione præceptorum Christi ad hominis cupiditates interpretatio? Certè comperietur minus & insincerius esse, quod Sociniani ponunt causam justificationis sine qua non, eo, quod fides & justitia operatur in iis, qui verè Christo, ut perfecto Redemtori & Justificatori confidunt, & spem gloriæ fundatam, ac Spiritus arrhabone munitam habere satagunt.

APOLOGIA.

COlligunt tandem æra sua in summam, & iis, quæ præstruxerunt, id inædificant, ut, P. 50. De conclusione in qua petitur ut conventicula nostra & libri prohibeantur.
scilicet à Vobis, contra homines ipsos certus ordo constituatur, ut conventicula eorum & libri prohibeantur, typographiæ istis sordibus non inquinentur, bibliopolia à tam perniciosa merce expurgentur. [162] *Carceres intelligunt, expulsiones, graves mulctas, librorum, (atque utinam ne hominum) cremationes, bonorum publicationes, hastam, & sectorem, & inquietam urbem actionibus, & quæ sunt his similia. Id ipsum plane volunt, quod contra*
majores illorum, olim Hispanicæ [163] *Inquisitionis ministri, ex similibus accusationibus infere-* 162
bant, & ad effectum deduci eadem contentione postulabant. Sed hoc ipsum, quo confidunt, 163
fore, ut obtineant quod petunt, nempe quia sciunt, nihil Vobis magis cordi esse, quam Dei gloriam, Ecclesiæque fælicitatem; nobis haud dubiam spem facit, nullo modo Vos eo, quo i-
sti volunt, inductum iri. Neque enim vel Dei gloriæ, vel Ecclesiæ fælicitati, vel publicæ P. 51.
libertati & utilitati, magis adversum quicquam esset, quam si eorum improvidæ & inconsultæ cupiditati obsequeremini.

EXAMEN.

162 P. 50. §. 148. [162] Si carcer, mulcta, librorum cremationes, & omnis coërcitio mala est; eliminetur ex Republica; ut, quo quisque violentior atque audacior est, omnia sursum deorsum volvat, ordinem disturbet, bonos inquietet, nihil non audeat, denique modestiores viros devoret. Sin autem rectè atque utiliter earum rerum terror in Republica habetur, perversè invidiam faciunt, qui, ut ipsis omnia liceant, mallent nullas esse Respublicas. [163] Nemo 163
hîc in conscientiam alterius Inquisitionem instituit. Utinam vero & protervia hominum patiatur se adiri cum lenitate & mansuetudine, ut ex peccatis suis eripiantur. Utinam tantum per ipsos liceat Ecclesiæ esse pacatæ!

APOLOGIA.

[164] *VEnimus nunc ad inclytæ Academiæ Vestræ Theologos, qui dum rigidam censuram in* 164 Responsio ad criminationes epistolæ Professorum.
fidem nostram exercere volunt, ostenderunt profectò, sese [165] *non tantum veræ, sed etiam nostræ fidei, ignaros esse. Nam primum, dum nos cum* [166] *Judæis injuriâ summa componunt, ipsi se* [167] *Judæorum affines esse manifesto produnt. Neque enim Judaicum est, si quid cum Judæis quod falsum est; sed si quid cum iisdem, quod verum & salutare est,*
non credas. Cum igitur Judæi Jesum blasphemiæ damnarint, & occiderint, quod Filium 165
hominis à dextera Majestatis divinæ sessurum, & in nubibus cœli maxima cum Virtute & 166
gloria venturum, asseruerit: quod ipsum etiam Protomartyri Stephano evenit: relinquitur 167 De eo quod nos cum Judæis componunt.
illos omnes cum Judæis facere, qui idem de Filio hominis asserere, impium & blasphemum putant: è quorum numero sunt [168] *Censores nostri, quandoquidem nos ob ipsissimam hanc con-*
fessionem impietatis & blasphemiæ condemnant; nec ullam aliam ob causam, Christum, i- 168
psum Altissimum Deum esse dicunt, quam quod illis blasphemum & impium una cum Judæis P. 52.
videatur, de Filio hominis tam divina confiteri.

EXAMEN.

164 P. 51. §. 149. [164] Ad alterum scomma ventum est, Criminationem judicii Professorum. qui, cogente officio, jussi, summo magistratui sententiam suam explicarunt: non criminandi obtrectandivè causa, sed ut Magistratui ipsi, qui eandem nobiscum fidem colit, ex ipsis dogmatibus, sintne bonum semen annon, constare posset. Et vero res dicenda erat, nisi vellemus Socinianis dextras jungere.

165 §. 150. [165] Summa Criminationis est; Professores *ostendunt, sese non tantum veræ, sed & nostræ* (Socinianæ) *fidei ignaros esse.* Ita & Belgicus interpres transtulit: **getoont hebben / dat sy niet alleen van het ware / maar ook van onse geloove onkundig zijn.** Bene habet. Tuam fidem rectè à vera distinguis. Deo benedicente, proficiemus in vera; dummodo ne ad tuam avertamur.

166 §. 151. [166] Ægrè fert Eques, suos cum Judæis comparari in quibusdam opinionibus. Fateor, est aliquod discrimen. Pharisæi, ignorantes sermonem Dei, habebant zelum Dei contra blasphemos: Sociniani in primo pares, in altero sunt impares, Dei honorem in creaturam transferentes.

167 §. 152. [167] Neque porro dissimulamus, nos cum Judæis tenere, Dei gloriam violari, si id, quod solius Dei est, & non potest esse, nisi solius Dei, aut creaturæ dari sine exæquatione cum Deo, atque ita multiplicatione divinæ essentiæ, creaturæ detur. In ea enim re Legem, & verbum Dei, & Christi ipsius habemus astipulans. Quare & Apostolus *Zelum Dei* in illis quodammodo laudat. Pharisæi dicebant: Nemo, nisi Deus solus remittere peccata potest. Nec mentiebantur. Qui se facit Deo æqualem, quum non sit æternus Deus, blasphemus est. Nunquam id dictum refutavit Christus aut Apostoli. Quin Deo cultum & servitium soli, ut in lege, ita Christi verbo vindicatum videmus. In quo igitur errabant? Numquid in hoc, Christus filius Davidis veniet; is erit singularibus donis Spiritus sancti unctus; is erit rex Israelis; is est aliquis filius Dei & filiorum Dei primus; ei obedientia & honor reddendus est, ut primo ministrorum Dei? Nihil istorum: sed, Christus est filius Dei proprius; est æqualis Patri; fuit ante quam Abrahamus esset; ex cœlo venit, & non est ex terra; est major Angelis, & is ipse, quem adorant Angeli, nempe Jehovah; Dominus Sabbati; est Deus; veniet in nubibus, ad dextram majestatis sedens, cum gloria Patris, ad judicandum vivos & mortuos. Hæc enim rectè intelligebant esse Dei solius; sed non rectè Filio Davidis negabant. Ideo & Christus Matth. 22. Pharisæos interrogat, quomodo Christus Davidem Dominum vocet, cum sit filius ipsius? Smalcius de hoc, in libro *de filio vero & naturali* p. 42. *Christus valdè argutè quæsivit ex adversariis, & illi nulla ratione se potuerunt ex illa difficultate expedire, quia tunc nondum id re-*

velatum erat, quod ad quæstionem illam decidendam requirebatur, & non nisi ab ipso Christo sciri poterat, quem tunc Pharisæi repudiabant. Egregiè! Ergo & David ignoravit, quid diceret, quum filium suum vocavit Dominum suum; & Christus tantùm tunc ostentavit, se aliquid scire, quod ipsi nescirent. scilicet. S. Paulus laudat pulcherrimam Christi confessionem coram Pontio Pilato editam. 1 Tim. 6: 13. At quænam illa est? Matth. 27: 11. *Interrogavit eum Præses, dicens: Nunquid es Rex ille Judæorum? Jesus dixit ipsi: Tu dicis.* At quomodo? *Jehovah*, inquit Psalmista, *rex factus est*, i. e. Jehovah, pastoribus priscis depositis & abdicatis, solus regnum occupavit. Et Johannes cap. 18: 33. 34. 35. 36. 37. id declarat: *Tu es rex ille Judæorum? Respondit ei Jesus: A temetipso hoc dicis, aut alii tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua & sacerdotes tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est ex hoc mundo.* Quid hoc aliud, quam, Ego cœlitus veni, ut regnem? & quidem, ut regnem quemadmodum Deus, non ut homines. *Si regnum meum de hoc mundo esset*, & esset regnum non ex cœlo & Deo ipso solo, sed etiam ex mediis causis efficaciam habens, *ministri mei* Angeli *certarent, ut non traderer Judæis. nunc regnum meum hinc non est. Dixit igitur Pilatus: Ergo rex tu es? Respondit Jesus: Tu dicis. quia rex ego sum. Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum*, nempe ex cœlo, unde regnum meum; *ut testarer veritati. Quicunque est ex veritate, audit vocem meam.* Christus est ex cœlo, & ex terra. Descendit de cœlo, & natus est, ut regnet. Regnat, testimonium dando veritati. Veritati, inquam, Dei, qui se promiserat fore in Deum. ut, quicunque in ipsum credit, obsignet, quod Deus sit verus. Joh. 3: 33. Cap. 19: 7. increbuit accusatio: *quod secundum legem ipsorum deberet mori, quia seipsum fecisset Filium Dei.* cum quo conf. Joh. 10: 33. *Propter bonum opus non lapidamus te, sed quod tu, homo cum sis, facias teipsum Deum.* & versu 36. *Vos dicitis, Blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum.* Certè non poterant Judæi simpliciter dicere, eum à lege damnari, qui diceret se Christum, aut Christum esse filium Dei. Quid igitur? Eum, qui se solum appropriatè Filium Dei appellabat, quomodo id nec de hominibus nec de Angelis dictum est, aut dici potuit, cum omni significatione emphaseos, ut *unum esse, unam manum habere se & Deum, Patrem in ipso esse*, & sic operari, *& ipsum in Patre esse*, ita ut cum Patre similiter operetur, & Pater sine ipso nihil operetur; &c. eum judicabant se Deum facere. Hoc autem esse blasphemum. Numquid igitur vel hîc vel coram Pilato Christus negat esse blasphemum, si quis creatura & homo merus de se talia dicat; ut volunt Sociniani: aut se Filium Dei dixit esse, quia natus sit ex virgine, Deo in uterum ejus immittente seminalem substantiam, & sic officium patris implente? aut negat, se propriè Deum esse? aut se dicit esse ex appellatis diis, ac habere potestatem independentem quidem sed dependenter; aut alia istiusmodi respondit? Neutiquam. Saltem Pilatus quomodo ea verba accepit? *Pilatus eo magis timuit; & ingressus prætorium dixit: Unde tu es?* Et quid hoc aliud, quam *Numquid ex cœlo tu es?* Et Christus, post silentium, increpitus à Pilato potestatem suam allegante, respondit; *Non haberes potestatem ullam contra me, nisi tibi esset datum desursum. quare, qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Siluit Christus, quia, quod interrogabat Pilatus, ex Scripturis discendum erat. Siluit in judicio, ubi periclitabatur totus populus, ubi scandalizatus erat populus, & poterat scandalizari Pilatus, siluit, inquam, & nulla voce corrigere errorem Judæorum, quem putant Sociniani, induxit in animum. Nonne hoc silentium est διαχρύσιος βοὴ & καλὴ ὁμολογία? Denique cum se declarat, in quem, sine singulari Dei decreto, nec Pilatus, nec alius haberet potestatem. quippe qui non ex mundo esset, sed in mundum venisset ex cœlo. Christus igitur, tum verbis ad Pilatum habitis, tum ipso silentio, coram Pilato, cui agnoscit datam cœlitus potestatem in se, litem contestatus est, non negativè, ut quis loqueretur more Sociniano, sed assertivè. q. d. Quod me dixisse dicitis, id dixi, & verum est. In hac igitur tam pulchra ὁμολογίᾳ & litis contestatione Sociniani etiam audent versutè statum quæstionis mutare: An natus ex virgine Filius Dei appellari possit, & præcipuè sanctificatus à Spiritu sancto, & Messias, & potestatem habens non minorem Mose, ad annunciandam vitam obedientibus sibi, & miracula patrandum voluntate dependenter independenti, & sic excitandum mortuos? Quasi Judæi nescivissent, per homines edita esse miracula, & excitatos mortuos, & Messiam regem ipsorum fore, & filium Dei in Scripturis appellari: imo etiam posse *sedere ad dextram Dei*, quum id ipsi vel de Christo illo tempore, vel de Davide aut Abrahamo dictum postea senserint, ex Psal. 110: 1. Quare &, quod Pontifex vestem laceravit, & de blasphemia audita protestatus est, quum Matth. 26: 63. 64. Christus se fateretur *Filium illum Dei*, & prænunciaret, fore, *ut videant* deinceps *filium hominis sedentem ad dextram Potentiæ, & venientem in nubibus cœli*, id eum non pro maximo inter creaturas honore, sed pro summi honoris & potestatis summæ significatione (quam & res ostendit à Christo significatam fuisse) accepisse, apertum est. Sudant hîc Socinus & Smalcius, qui putant se rimam invenisse, per quam elabantur, dum dicunt, Christum non fuisse à Synedrio accusatum & damnatum crimine blasphemi, & lege in blasphemum statutâ; sed crimine pseudo-prophetæ & lege, quæ illum damnat, Deut. 18: 20. Smalcius *de filio vero & naturali* p. 47. ita de Smiglecio dicit: *Advertere debuit, nullam in accusatione Judæorum blasphemiæ mentionem fieri.* Aperto mendacio. Nam & Cajaphas Matth. 26: 65. ita pronunciavit, *Blasphemavit. Quid adhuc opus habemus testibus? Ecce nunc audivistis blasphemiam ipsius.* Et socii ipsius, ipso rogante, *Quid vobis videtur? responderunt, Reus est mortis.* Sic Marc. 14: 64. Et Marcus perspicue docet, Quæsitum fuisse in ipsum, non, an tanquam propheta locutus esset, sed annon aliquid locutus esset, quod blasphemum videri posset. quale erat templum non manibus factum triduo excitare. vers. 58. Cui testimonio defuit conformitas. vers. 59. Smalcius *adv. Monstra*, p. 156. ait, potuisse blasphemum videri, quod se Filium Dei appellaret, quia nimis humilis esset. Non ita est. Non poterat in hoc blasphemus judicari, nisi visus esset per hoc sibi *ἰσότητα æqualitatem* cum Deo attribuisse. Vide Joh. 5: 18. & 10: 33. 19: 7. Interim damus, alios potuisse eum damnasse, ut vanum prophetam: sed blasphemiæ crimen in sententia fuisse, clarè constat tum ex Euangelio, tum ex Talmude in cod. Sanhedrin cap. 4.

Vide Athanasium orat. 4. contr. Arianos. p. 271. 272 edit. Com. ubi dogma Judæorum cum Ariano comparat.

§. 153. [168] Vide, quo protervia hominum procedat. 168
Non ii similes Judæorum peccato, inquiunt, qui negant Christo veram divinitatem (ut Sociniani) sed qui negant homini competere talem potestatem, qualem nos ei asserimus. quasi vel ullo signo constet, Judæos ab omni tempore unquam vel somniasse hanc Christi de seipso dictorum mentem fuisse; vel nos negemus, creaturæ posse dari voluntatem sanctam, & quam sequatur effectus omnium, quæ secundum Dei decretum petit, in sua dependentia & subordinatione. Quæ sanè mira est insimulatio. nempe nos majus dicere, quia minus, & quod in creaturam cadit, de creatura negemus. Quum clarissimum sit, nos toto die clamare, Vim fieri verbis Christi, si divina illa non ad modum divinitatis, sed ad modum creaturæ accipiantur. Quod autem dicta ad modum divinitatis, quæ sola in agendo est independens, & impletionem promissionis, Fore Jehovam semini Abrahami in Deum. Personam divinam arguere dicimus, Deo auctore facimus.

A P O L O G I A.

Nos oblationem Christi bonæ fragrantiæ, atque munus Sacerdotale non negare.

PAri injuria asserunt, [169] Nos negare oblationem Christi bonæ fragrantiæ. *Imo vero*
[57] *ex animo credimus, ob hanc tam gratam Deo* [170] *victimam & oblationem, nobis in*
Christum credentibus peccata à Deo non imputari. Ipsi sunt, qui hoc negant. Mortem [52] *e-*
nim Christi, peccatorum pœnam, ab irato Deo exactam putant; non pro peccatis nostris,
169 *Deo propitio acceptam & suaveolentem victimam. Nosne* Sacerdotale Christi munus nega-
57 170 mus? *Nosne, inquam, negamus Christum per* [171] *sanguinem proprium intrasse in Sancta illa*
52 *cœlestia, & coram Dei vultu apparere, & interpellare pro nobis, unde peccatorum omnium*
171 P. 53. *consequitur expiatio? Ipsi sunt, qui Christum Sacerdotem esse verbis dicunt, rebus tollunt:*
172 *quid enim attinet ipsum illum* [172] *Altissimum Deum, Sacerdotem constituere?*

EXA-

EXAMEN.

169 P. 52. §. 154. [169] Non *injuria* dictum est, vos *oblationem boni odoris* negare: qui negatis, Christum tulisse pœnam peccatorum nostrorum, & iratum Deum placasse, h. e. Deo volenti demonstrare odium & meritum peccati, & non citra eam demonstrationem peccata remittere, satisfecisse; & verè proprieque precium pro nobis exsolvisse, quo non tantum liberaremur à malo captivitatis, sed etiam revera emeremur Deo & Christo in peculium, quod & infallibiliter acciperet, per spiritum ipsius sibi coalescens, & acceptum non perderet, & in hæreditatem, ab æterno promissam, quæ ab ipso non tolleretur.
170 [170] Nam *victimam* dicere, quæ *pœnam* non sustineat, neque solvat debitum; quæ non fiat exemplum exsecrationis ac vindictæ in peccatum; est dicere *victimam non victimam*. Et quid victima opus est, quid ea facit, si gratia præcedit, quæ legem relaxet, & solutionem debiti abdicet? Frustra Christus mortuus est, si lex non impedivit, quo minus cum Deo haberemus communionem. Gal. 2: 21. De quo superius dictum est.
171 [171] De *Sacerdotali munere* Christi sic loquitur Eques, ut clarè ostendat, *fusionem sanguinis* ad id non pertinere, nisi ut præparationem aliquam. Dum igitur ab ingressu in cœlum sacerdotale munus Christi ordiuntur, id, quod primum est in eo, omittunt, sponsionem Testamenti factam voluntate æterna, quia spiritu æterno; intercessionem pro omnibus electis à seculo, ut Israële; solutionem precii, ut precii; redemtionem & emtionem, & jus dicendi apud Deum, מצאתי כפר *inveni precium* & ἀπολύτρωσιν. Quid? quod vobis *sacrificium* est *liberatio*. nempe ea, qua peccator liberatur à pœna per potentiam, à peccatis per exemplum obedientiæ & glorificationis in ipso extans, hortationes, munitiones, opem & castigationem. Vide Catech. Racov. pag. 324. 325. edit. Germ. 1612. Ita mira metamorphosi *intercessio* est *potestas absoluta cum voluntate bene faciendi* (subintellige, sub conditione obedientiæ) & *conservandi*. (Smalc. Ref. 2. libr. Smigl. pag. 285.) quæ est voluntas propter satisfactionem & meritum suum ex voluntate Patris sanctificandi electos, & sanctificatos ac justificatos glorificandi.

§. 155. [172] Qui tollit naturam divinam à sacerdotio, nescit, quis Pontifex Deum & nos deceat: tollit altare h. e. id quod victimam sanctificat & ei precium addit: tollit voluntatem Sponsoris, qua ab æterno spopondit, sive in se recepit præstationem legis ad consummationem Testamenti. ideoque Socino Christus est sponsor apud nos, non apud Deum; quasi Deo credatur propter hominem, & non Christus juramento Dei auctoratus sit. Non potest recuperatio institui nisi ab eo, à quo alienati eramus: hæreditas dari, nisi ei, cujus sunt omnia. In nemine possumus ad Deum adduci, nisi in Deo. In nullius corpore potest interimi lex servitutis peccati, nisi in illius corpore, cui etiam possumus pro hæreditate addici, ut is in nobis glorificetur, & nos in eum credamus, & in eo gloriemur, tanquam causa salutis nostræ, & bono nostro, & eum ut finem quæramus. Non dedecet Deum fieri auctorem justitiæ nostræ, quem decuit creare, qui possent à Diabolo intercipi. Imo decuit eum, per quem & propter quem omnia, Salutis principem (per quem & propter quem salus est) per passiones consummare. Hebr. 2: 10. Qui sine passionibus non fuit consummatus princeps salutis, & in eis consummatus est. Ita in morte Christi est vera causa justitiæ nostræ, in resurrectione obligatio, præbens fiduciam omnibus credentibus in ipsum interrogandi Deum, & hæreditatem expectandi & petendi. Intercessio quoque, licèt sit & amor fraternus, quo nos perseverat diligere in cœlis, maximè tamen est postulatio hæreditatis suæ, tum ut destinata & promissa detur, tum ut data conservetur. quæ postulatio est voluntatis divinæ Filii, ut Mediatoris, denominatio à negocio œconomico. Schlichtingius in comm. ad epist. ad Hebr. cap. 5. p. 221. dicit, Christum in terris pro se obtulisse, in cœlo pro nobis. Et quid tandem est, quo in cœlo Sacerdos est? Quod apud Deum est cum potestate independenti. Smalc. adversus 2. libr. Smigl. pag. 303. 172

APOLOGIA.

[173] Veram justitiam, quæ sola in Dei judicio potest consistere, *quo pacto tollimus, cum eam nobis, licet immerentibus, à Deo,* [174] *propter fidem in Christum vivam & per charitatem efficacem, gratis imputari credamus.* 173 Non tollere nos veram justitiam. 174

EXAMEN.

173 P. 53. §. 156. [173] De *vera justitia* verba vestra audimus, veritatem verborum requirimus. Nam quæ est illa vera justitia, quæ in judicio Dei consistat, ubi nullum judicium est? Quæ est contradictio, si hæc non est, *Immerentibus*, & nihilominus *propter quicquam*, *justitiam imputari*? Justitia non potest esse sine jure ad id, quod promittitur. Jus non potest esse sine eo, quod Lex ut causam juris requirit vel à peccatore vel à Fratre primogenito. Id vero apud Socinianos non est Christi obedientia & satisfactio (quemadmodum visum est) neque nostra perfecta obedientia. Quid igitur? Conditio aliqua & causa sine qua non justificationis; & quidem nullo modo talis justificationis, quam lex ipsa sua sententia firmet atque roboret. Si nulla est causa juris vitæ æternæ, neque in nobis, neque extra nos ac nobis donata; nulla est justitia in judicio Dei subsistens. Si autem sine merito, & solutione debiti, & ulla causa juris, donatur merces, nullum est judicium. Si autem est causa sine qua non, propter quam imputetur justitia, illa imputatio erit judicium sine judicio. [174] Neque consentaneum est ipsorum hypothesibus, quod dicunt, *propter fidem justitiam imputari.* Nam, cui justitia imputatur, is scribitur hæres sine conditione. Apud ipsos credentes inchoatè justi sunt, sub conditione perseverantiæ & operis. Absque eo si sit, justificatio rescinditur. 174

APOLOGIA.

Justificationem, *inquiunt*, cum Judæis collocant in propriis suis operibus. *Absit à nobis* [175] *Judæorum ista cæcitas. Agnoscimus* [176] *nos peccatores esse, & longissime à* [180] per. fecta *justitiæ norma abesse; proptereaque* [177] *ad Christum confugimus, ut* [178] *sine legis operibus justificationem per ipsum consequamur.* Nec cum Judæis justificationem collocare in nostris operibus. 175 176 180 177 178

EXAMEN.

175 P. 53. §. 157. [175] Ægrè fert Eques, se aggregari Judæis. Atqui de Judæis in verbo Dei pronunciatum est: neque certior est demonstratio similis judicii similitudine causæ. Solent quidam dogmata Christiana elevare, dicentes, ad salutem non esse credita necessaria. Quomodo igitur excitabimur, ut retineamus, quod habemus, & non communicemus cum Judæis in causa, si judicium de Judæis sumtum nos excitare non potest? Jam vero patet, Judæos in justificationis negocio peccasse capitalissimè. *Ignorantes justitiam Dei, propriam vero justitiam stabilire quærentes,* ju-

justitiæ Dei non subjecerunt se. Rom. 10: 3. Ut igitur videamus paralleliam & similitudinem Judaici & Sociniani dogmatis, considerandum est, primo, Socinum omnia eadem dicere de fine legis, quæ Pharisæi, &, secundo, Pharisæos non potuisse rejicere dogma Socini, si id Christi foret. Socinus igitur statuit, Veteres non fuisse justificatos ex fide in Christum: & sanè Pharisæi, qui tempore Christi fuerunt, eum justificatorem ignorarunt. Deinde, legem non fuisse perfectiorem opinionibus Pharisæorum. ideoque Matth. 5. non corrigi opiniones horum, sed legem ipsam perfectiorem fieri à Christo. Porro, Judæos habuisse, non tantum legem moralem, sed & cerimonialem, qua sacrificia præscribebantur, cum promissione remissionis peccatorum. Verè autem illa sacrificia expiasse sive pœnam peccatorum avertisse, statuit Socinus, non obstante, quod Apostolus testetur, sanguinem pecudum non potuisse tollere peccata. Id enim sic interpretatur: Sanguinem pecudum non potuisse penetrare ad animum, & efficere, ut homines desisterent à peccando. negatque eam mentem verborum Apostoli esse, quasi *nullam vim peccata expiandi, pro quibus offerebantur, habere illa sacrificia possent. quod tamen multi adversus manifestissimam veritatem putaverint*. De Servat. pag. 2. cap. 6. pag. 237. ed. Sibrandi. Quid igitur ex mente Socini & Pharisæorum fuit debitum hominis in V. T.? Primum quidem, non peccare contra legem. Secundum, peccata confiteri, de iis pœnitere, & sacrificiis ea expiare. In quo est fides illa, Deum ex sola gratia, quam Abrahamo declaraverit, sine propriè dicta solutione debiti, vel exactione pœnæ, velle remittere peccata; bona autem opera, & oblationem sacrificiorum, inprimis observationem jejunii anniversarii, esse, non propriè dictum meritum, sed tamen causam sine qua non justificationis, qua tunc justi habebantur. Nam & illi agnoscunt gratiam & misericordiam, & remissionem & expiationem, & se peccatores fatentur. quæ cum propriè dicto merito pugnant. Pharisæos autem non caruisse spe vitæ immortalis, & resurrectionis, vel ex Euangelica historia, & Actis Apostolicis clarissimum est. Neque diffitentur Sociniani, justos sub V. T. immortalitatis participes futuros esse; aut homines potuisse habere spem illius; aut etiam in lege & prophetis extare quædam judicia, quod vita æterna justis parata esset: licèt lex in ipsa conventione fœderali eam non expressè promittat. Ita Pharisæi habuerunt spem, secuti in ea traditionem Patrum, & indicia quædam prophetiæ; licèt nescirent, in ipsa conventione vitam æternam contineri. Quare equidem non video, quid Sociniani possint in Pharisæorum dogmate, de justificatione, admodum reprehendere.

§. 158. Quod alterum attinet, si Dominus Jesus & Apostoli ea docuerunt, de *justitia Dei*, quæ Socinus, rursus non video, quomodo id Judæi rejecturi fuerint. Quare enim non crederent, Deum ex pura puta gratia, legis scil. relaxata condemnatione, velle condonare peccata, quum hoc jam crederent? Aut vitam æternam daturum obedientibus sibi; cum eam sperarent? Aut eam obedientiam, quæ in *spirituali quodam sensu* Decalogi continetur (quod Socinus fatetur de præceptis Christi, in libro adv. Palæolog. pag. 117.) esse Deo gratiorem vulgari illa externa obedientia & omni victimarum oblatione: quod etiam scriba quidam de præcepto Amoris Dei & Proximi fassus est, Marc. 12: 33. Si vero porro Christus de se nihil aliud dixit, quàm quod & in Davidem ipsum potuerit competere aut Mosen; quantumcumque magnum id esset: quum & Solomonem ipsis spiritibus imperasse dicant, & suos Rabbinos per Schem-hamphorasch miracula facere, & vitam mortuis dare potuisse credant: quid ipsis novi accidit, in quo scandalizarentur ratione vel justitiæ, vel potestatis? maximè, quum jam Christus crucifixus esset, & ab oculis ablatus, & in Apostolis nihil invidendum conspicerent? imo quum ipsis obedientibus omnem benedictionem & καιροὺς ἀναψύξεως tum Scriptura tum Apostoli promitterent? Dices, Hoc illos offendisse, quod sacrificia cum templo & politia abolenda doceret Christus & Apostoli. Responsio, Id Johannem Baptistam in ænigmate comminatum fuisse inobedientibus, deinde vero denunciatum, fuisse refractariis & rebellibus; & quidem propterea, quia de victimis illa persuasi erant, qualia Socinus de illis credit. Quæ certè non inobedientia, sed obedientiæ nimis perseverans continuatio fuerit, satis acerbè punita. Quinimo, dixerim ego, si in victimis fuit aliqua vis ad expiandum, quare opórtuit illas cessare? Melius fuerat, eas manere: neque injuria Judæi pro illis contra Apostolos videntur certasse. Nam nihil erat, quare non victimæ cum Christi potestate conjungerentur. Imo etiam Veteres, qui ante captivitatem Babylonicam multis in locis voluerunt adolere, non fuerunt stolidi, qui voluerunt abundare expiationibus.

§. 159. [176] Ex quibus patet, quàm nihil ad rem dixerit Eques, quum eo se dissimiles Judæorum probare satagit, quod se *peccatores agnoscant*, *& longissime à perfecta justitiæ norma abesse*, quasi Judæi se negent peccatores, aut nulli spem vitæ faciant, nisi qui nihil à perfecta justitiæ norma absit. 175

§. 160. [177] Quod autem picis, *ad Christum vos confugere*, ne hoc quidem vos dissimiles Judæis facit. Nam & illi exspectabant Christum, & quidem Deo charissimum, & servatorem ex omnibus malis. 177

§. 161. [178] Quod autem *sine operibus legis* vos dicitis sperare justificationem, id fucatè dicitis. Nam obedientia præceptorum Christi constat bonis operibus: & præcepta Christi in sensu mystico Decalogi, ut dicitis, continentur. Ergo reipsa traditis, obedientiam Decalogi in sensu mystico esse causam sine qua non justificationis. Idque ipsum tu dicis ipse, Eques, pag. 59. *An ipsius operis peractio, una cum fide, causa non erit, ut nobis Deus justitiam imputet, & suæ promissionis effectum præstet*? Si autem rejicitis opera externa, & vitationem externorum flagitiorum, id non humiliandi vos ergo facitis, sed vos extollendi. Quasi diceretis, legis opera non sufficiunt nobis in sensu promiscuo & plebejo; sed *in sensu spirituali* habenda sunt, si non perfectè, tamen cum depositione omnis habitus & consuetudinis adversantis. Smalc. adv. 2. libros Smigl. pag. 22. Igitur & Eques mox, pag. 54. dicit, se *legem respectu præceptorum moralium, id est, veram justitiam, non tollere per Christi fidem, sed statuere*. Quod quid est aliud dicere, quàm *fidem in Christum obedientiam præceptorum moralium, tanquam veram justitiam* peccatoris credentis, quærere *statuere*? 178

A P O L O G I A.

Nec legem nos annihilare.

ITerum dum nos Judæis aggregant, *ipsi* [179] *cum Judæis conspirant*. Legem à nobis annihi-
179 180 lari, *ajunt*. [180] *Mosis legem haud dubie intelligunt: quid aliud Judæi de nobis quererentur.*
P. 54. *Imo de Apostolis, & imprimis de Paulo, deque Christianis omnibus questi sunt? Legem respectu præceptorum moralium, id est, veram justitiam, non tollimus per Christi fidem;*
181 182 *sed statuimus. Illud solum ex Mosaicâ lege per Christi fidem deperiit, quod ad* [181] *umbras*
183 [182] *futuræ gratiæ*, [183] *libertatis &* [184] *perfectionis spectavit*. Lex enim per Mosen data
184 est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Joan. 1. 17.

E X A M E N.

179 §. 162. [179] Quum querimur, *vos legem evacuare*, vel,
P. 53. ut tu transtulisti, *annihilare*, dicis, nos *conspirare cum Ju-*
54. *dæis*, & eos de Apostolis, & imprimis de Paulo, & Christianis omnibus, idem questos esse. Verum est, illos hoc questos: sed & Apostolos querelam non agnovisse; &
180 criminationem retorsisse. [180] Neque opus est, ut dubites, quam legem à vobis evacuari queramur. Totam, inquam, evacuatis, & omnem. Nam *legem naturæ* tollitis. De quo postea. Legem Dei moralem (quam Deus vocat *præcepta, quæ faciens homo vivit in eis*, Lev. 18: 5. Ezech. 20: 11.) vos dicitis esse imperfectam, neque adeo præcipere obedientiam, quæ possit esse δικαίωμα sive causa justitiæ ad vitam immortalem. negatisque adeo, quod *Præceptum sit ad vitam*. Rom. 7: 10. & *spirituale* Rom. 7: 14. quum dicatis, *sensum* legis *spiritualem* demum ad Novum Testamentum pertinere. Quanquam enim pag. 53. nomina-

naveris *perfectam justitiæ normam*, non videris tamen eo ipso *legem Mosis perfectam justitiæ normam* significasse, sed, quum cogamini etiam vos confiteri, vos ne Mosis quidem legem implere, ideo longissimè à perfecta justitiæ norma (quæ ab alio scilicet sit proposita) abesse. Deinde, vim legis ad peccatorem mancipandum peccato in servitutem, quam Apostolus *legem peccati* nominat, & cum lege mariti vivi in mulierem comparat, Rom. 8. & 7. nemo vestrûm agnoscit. Nemo vestrûm agnoscit vim legis ad arcendum peccatorem à communione Dei: quæ vis legis demum in corpore Christi interemta est, & in ejus solius corpore interfici potuit. Vos enim ex vestro corde effutitis relaxationem legis pro gratia, qua donatur vera & propriè dicta *ἀπολύτρωσις redemtio*, & *ἱλασμὸς propitiatio*. Nemo vestrûm agnoscit vim legis, qua, si exstet voluntas divina, decernens hæreditatem salvandam, fratrem primogenitum obligat ad se subjiciendum pro iis iræ divinæ, demonstrationem sanctitatis flagitanti. Nemo vestrûm agnoscit vim legis, qua fratres datos redemtori, eidem addicit mancipatque, ut ipsius hæreditas fiant, quos ipse vivificet ex morte peccati, & in vita conservet. Quam Legis vim Apostolus docet, quando nos dicit *factos esse alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut Deo fructificemus.* Rom. 7: 4. cui simile Gal. 2: 19. Quum Lex dixerit, Nihil addendum esse, Christum introducitis, qui addendo hanc legem destruat, & se prævaricatorem constituat. Deinde, quod legem in dogma & rem adiaphoram commutatis, quantum sacrilegium est! De quo ad pag. 58. Quid? quod lex, secundum vos, neque sub Veteri neque sub Novo Testamento est contraria appetitui illi *Sibi boni*, cum quo *Appetitus recti* altercatur; h. e. ut Apostolus loquitur, Carni & concupiscentiæ ejus, cum qua Spiritus bellum gerit. Nam si eam agnosceretis *ἀνομίαν* & *rebellionem*, Rom. 6:19. & *καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν excessivè peccatum* & à lege accusari & manifestari; utique non putaretis, vel *naturâ in homine esse voluntatem faciendi, quod Deus exigit*; & *hominis vires non esse tam parvas, ut, si auxilium Dei* (quod vos in verbo & promissionibus, earumque obsignatione per spem, collocatis) *accedat, ipseque sibi vim facere velit, non possit Dei voluntati obedire* (Catech. Racov. pag. 288.) vel justum omnem habitum vitiositatis delevisse.

§. 163. [181] Quod attinet legem Mosaicam, ei tu tribuis 181
umbras futuræ gratiæ, libertatis & perfectionis. [182] Si per 182
futuram gratiam intelligis legis relaxationem vel abrogationem, ut, sine solutione debiti, peccata remitterentur, quomodo ejus umbra in lege fuit, quæ peccata accusavit,
iram operata est, & satisfactiones imposuit? [183] Libertatis 183
verò umbra quæ est in servitute? [184] *Perfectionis* vero *um-* 184
bram quum dicis in lege fuisse, intelligis sine dubio, præcepta Decalogi non fuisse spiritualia, neque perfecta, sed habere se ut umbram ad perfectionem. Vide Catech. Racov. pag. 189. Illa vero quum dicis de lege Mosis, satis ostendis, tibi non placere, ut, cum Scriptura, in lege ceremoniali dicamus esse umbram, quæ ad Christum referatur tanquam ad corpus: & in illis fuisse typos, in Christo autem veritatem. Non enim potestis ferre, quod docemus, Veteres in Christum, tanquam sponsorem & sanctificatorem suum, ipsa lege ceremoniali fuisse jussos credere.

A P O L O G I A.

TOllunt, *inquiunt*, severitatem Dei. *Si adversus impœnitentes, falsum hoc est: si er-* Nec tollere Dei severitatem.
ga pœnitentes, [185] *severitas gratia per Christum publicata, & sanguine ejus sancita &*
parta, sublata est. Nam quod ajunt, Deum sine vindicta peccatum, nullo modo posse di-
mittere, *est Deo, sub specie sanctitatis & justitiæ, bonitatem, gratiam, clementiam, longa-* 185
nimitatem, misericordiam, res in S. Literis celebratissimas, & longe magis quam severitatem
justitiæ nomine nuncupatas, adimere, & Deum longe infra homines mortales, qui de suo jure
cedere possunt, quantum volunt, abjicere. Sed cum hæc dicunt, miseri & ipsi peccatores, P. 55.
quid tandem cogitant? Hoc nimirum: iram Dei à fontibus, in Filium insontem, idque tum
cum maxime Deo obediret, fuisse conversam, in eoque deseviisse. O egregios justitiæ Dei
defensores! Hæccine Dei justitia est, nullum peccatum impunitum dimittere; [53] *pœnam ta-* 53
men proprie dictam, dimissis nocentibus, ab innocentissimo exigere? quid [59] *injustius, quam* 59
eum, quem ipse scias nullam pœnam esse commeritum, imo commeritum esse omnem gratiam,
nihilominus punire, in eumque iram & furorem omnem, ex alienis delictis conceptum, quo-
rum ipse nullo pacto fuerit particeps, effundere. Opportune hæc coram Vobis summis Reipu-
blicæ Judicibus dicimus, qui nobis hac in parte calculo Vestro haud dubie suffragabimini. In-
nocens pro nocentibus victima esse potest, & Christus haud dubie fuit: sed pœnam, proprie
loquendo, juste subire non potest. Aliud [58] *enim est pœna, aliud victima; pœna fit cum pec-* 58
catum non remittitur: victima fit, ut remittatur; pœna tollit victimam, victima tollit pœ- P. 56.
nam: quod quia Censores nostri distinguere non didicerunt, in gravissimos istos errores, &,
si intelligant, blasphemias inciderunt: dum talia de Deo justissimo, & tam Christi, quam
humani generis amantissimo, idque tum maxime, cum Christus crucis ignominiam, dolores &
mortem, innocens pro nocentibus ipsius jussu pateretur, enuntiant. Sic Deus dilexit mun- Joan. 3: 16.
dum, *(non iratus fuit mundo, multo minus Christo)* ut Filium suum unigenitum *(proinde sibi charissimum)* daret; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.

E X A M E N.

185 P. 54. §. 164. [185] De *gratia*, qua *severitatem Dei sublatam esse*, dicis, jam diximus: nempe vos non agnoscere Deum Zeloten, qui peccata non dimittat impunita. Quod quum apertè hic pag. 54. 55. 56. tueris multis verbis, non est, quod queraris, tibi tuisque injuriam fieri. De reipsa & satisfactione Christi diximus superius. Summa huc redit, Deum se abnegare non posse. Eo enim ipso, quod hominem ad imaginem suam fecit, se constituit exemplar omnis rectitudinis. Quare nihil cum homine & coram homine, atque adeo omni rationali creatura, agere potest, quo non ipsius virtus eluceat; & per facta ipsius nulla rectitudo ejus potest occultari. Quamobrem non, quod Socinus dicit, de Servatore part. 1. cap. 1. *non resipiscentibus veniam non concedere, id demum naturæ divinæ & decreti ejus, & propterea rectitudini & æquitati debitum & consentaneum est*, sed etiam omnes peccantes in vincula & dominationem peccati, & imperium mortis includere, ipsius justitia, jus, rectitudo, decentia, & æternæ veritatis lex est, adeo ut servitus peccati & æterna mors à lege peccati & mortis pendeat; donec peccatum illud dominans & occidens in corpore ejus, cujus lege fieri possimus, & qui lege spiritus vitæ in ipso nos à lege peccati & mortis liberos facere possit, interficiatur; non secus ac lex mariti prioris, qua tenetur uxoreo vivo, illo moriente moritur atque extinguitur. Neque verum est, eam demum esse *veram iniquitatem; in qua quis persistit*, (quo colore Socinus

cinus abutitur) siquidem peccati ea natura & fœditas est, ut statim hominem reum faciat, & sibi mancipet, atque adeo non nisi misericordia Dei, & *lege spiritus*, qui est autor *vitæ in Christo*, ab illius lege liberari peccator possit. Quid? quod Deus se, ut zeloten, negavit impunitum dimissurum, qui nomen ipsius, sive ut creatoris, sive ut sanctificatoris, in vanum usurpaverit, Exod. 20: 7. quod facit omnis, qui creatura Dei haberi vult, & peccat, atque ita facto illum dominum abnegat. Eumque zelum nomini suo adscripsit, Exod. 34: 7. Num. 14: 18. Nahum. 1: 3. Smalcii philosophia de Dei Zelo hæc est, in libro *de Christo vero & naturali Dei filio*, &c. pag. 162. *Odium peccati de natura Dei est, & tale quid, quod Deus nunquam potest non facere, ubi est peccatum: ira autem vel pœna est actio voluntatis liberrima, quam Deus, salva sua justitia, potest inferre aut deponere.* & pag. 166. *Deus, quia omnia peccata in eum tanquam privatum committuntur, & ipse est absolutissimus Dominus, potest, quæ vult, punire, quæ non vult, impunita dimittere.* & honestum addit Epiphonema. *Tales opiniones pepererunt satisfactionem Christi illam fictitiam.* Imo, inquam ego, tam absurdas sententias de Deo peperit persuasio eorum, qui non volunt credere, quod non intelligunt; quique justitiæ Dei non volunt subdi. nempe *in Deum peccari ut privatum.* (*Privatus* autem sine dubio is est, qui judicium non habet; & cujus virtus & decentia non est judicare.) Peccato nostro non violari omnem rerum naturam. Non committi peccatum in Deum, ut dominum, ut exemplar rationalis creaturæ, ut finem. Ideoque Deum posse esse Exemplar sapientiæ & sanctitatis, etiamsi non judicet peccatum, & sic tacendo, fortassis etiam legem, quæ est typus sanctitatis suæ, mutando in conditionem modulis peccatoris congruentiorem, fiat similis peccatori. Quid porro? Odiumne esse potest, ubi nec displicentia est, nec fuga communionis? Nam qui dicit peccatori, Ego tanti facio factum tuum, ut te pro justo habeam; is testatur, sibi nec displicere peccatum, nec se à communione peccatoris abhorrere. Imo, si Deus potest non punire peccata (quod Smalcius generalius dicit, quàm Socinus) quo jure potest punire? Neque enim decenter videtur & rectè punire, qui sine necessitate punit. Nam ea voluntas, quæ punit, quod non puniri potest, malevolentia videtur esse dicenda.

APOLOGIA.

Nec peccati cognitionem, & Dei timorem. QUeruntur, [186] nos tollere cognitionem peccati. *Utinam vero ea tolli possit! sed extante Dei lege difficile est eam tollere. Quid præterea?* [187] Timorem Dei. *Atqui nos credimus nemini sine Dei timore, eoque vero, qui factis ipsis & operibus probetur, peccata re-*
186 *missum iri: quo pacto igitur eum tollere dicendi sumus?* [188] *Ipsi sunt, qui Dei timorem om-*
187 *nem ex hominum animis vi suorum dogmatum tollunt. Si enim Christus omnium quæcunque*
P.57. *peccare possumus pœnas dependit, quid Dei timore est opus? Cum & hoc ipsum, Deum non*
188 *timere, abunde jam à Christo compensatum sit, nec quicquam aliud restet, quam ut arcta*
189 *fide nobis id* [189] *applicemus: quod profecto sine omni Dei timore fieri potest. Ita Censores nostri, pro Lege & Legis Justitia loquuntur, ut nullus Judæorum possit gravius & severius, crederes illos Legis observationem à quolibet exigere: ne terrearis non exigunt: jam illam pro se à Christo ita exactam volunt, ut obedientiæ Christi non imitatione, sed applicatione tantum sit opus. Huc severitas istorum, & omnis Dei timor redit.*

EXAMEN.

186 §. 165. [186] *Cognitionem peccati* à vobis tolli, meritò
P.56. diximus. 1. quia non agnoscitis, peccatum Adami trahere ad corruptionem & mortem æternam. 2. quia negatis peccatum dominans omnibus Adami posteris; & impotentiam hominis ad obediendum Deo. 3. quia appetitus sibi boni in oppositione recti, h. e. concupiscentia est vobis res naturalis, & sic bona. 4. quia apud vos peccatori nulla est pœna, nisi res naturalis; vel potius damnum in non-extantiâ. 5. quia, non obstantibus multis pravitatibus, putatis vos habere, quod Deus habeat pro causa justificationis.

187 §. 166. [187] *Dei timor* non est is, qui suadet odium & fugam Dei, sed is, qui in amore est, ex æstimatione Dei, & nostri, & gratiæ ipsius.

§. 167. Sociniani non volunt timeri Deum ut sanctissimum & Zeloten; sed volunt haberi pro eo, qui omnia peccata & possit & velit remittere absque ulla satisfactione, etiam non obstante *Lege* ejus & *Præcepto*, quod *sanctum*, sanctitatemque ejus decens est, tum quoad indicationem exactionemque recti, tum quoad promissionem præmii, tum quoad vindicationem peccati; *& justum:* Rom. 7: 12. quique possit ex *placito*, sub quavis conditione, proinde etiam nullâ, vitam æternam dare; & fortasse etiam velit, modo cum Libertinis credamus, Deum nulla conditione vitam daturum illis, qui credunt, sibi omnia licere. Quàm facilis enim est transitus ab uno istorum errorum ad alium! Certè facillimum est, sibi persuadere, abstinentiam à flagitiis publicè infamibus esse id, quod Deus pro conditione posuerit.

§. 168. Imprimis vero *timor Dei* imminuitur per fiduciam virium suarum, & abnegationem gratiæ potenter in nobis operantis sanctificationem, nosque rebelles Deo subjicientis. Quod Apostolus docet Philipp. 2: 12. 13. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Deus est enim, qui in vobis operatur & velle & operari propter beneplacitum.* Certè si nos mali sumus, si immorigeri, si rebelles, si legi Dei obedire non possumus, & hoc exsecratio nobis intonat, & conscientia testatur, quid hoc in nobis secundum rectam rationem aliud operari potest, quàm timorem nostri & peccati dominantis? Quo igitur argumento alio efficiet in nobis eum timorem Spiritus sanctus? Quis prior effectus Spiritus sancti esse potest, quàm is cautissimus, purissimus, humillimus, sollicitissimus Timor Dei, seipsum in verbo suo, & in Christo, & in cordibus nostris nobis ut reconciliatum & mercedem nostræ obedientiæ ostentantis; idemque alacerrimus ad hunc magnum thesaurum occupandum? Quare prorsus timorem Dei extinguere dicendi sunt, qui efficacem & potentem hanc gratiam tollunt: & suo libero arbitrio, absolutissimæque facultati transcribunt obedientiam. atque eo sibi ansam dant tentandi quotidie Deum; imo avertunt se à quærendo & in seipsis animadvertendo illo signo, quod primum in electis operatur Spiritus sanctus.

§. 169. Profecto, quum Sociniani ubique præcepta Christi crepent, minimè videntur attendere ad vim Christi præceptorum. Quid enim est *abnegatio nostri* nisi abnegatio nostræ dignitatis, & justitiæ inhærentis, (quæ ex lege sola esse potest) & virium; ut serio, & sincerè, & ad omnia impetranda Deum quæramus? Catechesis Racoviensis eam in *sola voluntatis suæ, & concupiscentiarum malarum, carnalium, mundanarum abrenunciatione* collocat, pag. 207.

§. 170. [188] Eques hic, ut & alibi, asperrimè in doctrinam Ecclesiæ nostræ invehitur, immemor se Apologiam scribere. Primo, *Ipsi sunt*, inquit, *qui omnem Dei timorem ex hominum animis vi suorum dogmatum tollunt.* 188
Deinde, *Severitas istorum & omnis timor Dei huc redit, ut sibi applicent, non ut imitentur, obedientiam Christi.* Poteram hic irasci. Sed non respondebo tibi, ut tui similis fiam: nempe *maledicus.* quod de Socino tuo Marcellus Squarcialupus judicavit.

§. 171. Vetus calumnia est, Si nos in Christo gratis justificari credamus, id esse incentivum manendi in peccato. De qua re etiam supra ad pag. 22. Socinus, scilicet, ut doctrina Christiana liberaretur à calumnia ista, eam mutare, & pro ea aliam voluit substituere, quæ esset ab ea im-

unmunis. Qualem, noster Eques, suam doctrinam esse, ubique cantat. Quo magis nobis suspecta esse debet. Nos vero eisdem rationibus, quibus Apostoli, eam calumniam depellimus, & ad pietatem incitamus. Quæ Apostolicæ rationes prorsus ex nostra doctrina, & non ex Socinianorum dogmate, sunt deprompta. Id vel lectio cap. 6. ad Romanos probare potest.

189 §. 172. [189] *Applicationem satisfactionis & meriti Christi* tu quidem irrides: Nos autem eam habere potentiam maximam ad studium pietatis novimus: nempe ut *electionem*, & *vocationem* illam, qua cœpimus obedire, & *περιποίησιν* sive emtionem nostri in peculium, & coalitionem cum Christo ita firmam certamque efficiamus, ut de illa non dubitemus, sed per experimentum vitæ Christi & Spiritus ejus in nobis ad spem, qua Charitas Dei in cordibus nostris effundatur, invalescamus, ut in Deo gloriari, & ei gratias agere possimus pro electione nostri in Christo.

§. 173. Tenuiter sentit Eques de applicatione Christi, quum putat, eam posse esse infrugiferam. quæ certè non est opinio, quod Christus, pro nobis mortuus, effecerit nobis *ἄδειαν* & licentiam peccandi. Illa non fides sed impietas fuerit: quam sententiæ Reformatorum injuriâ impingit. Est enim fames & sitis justitiæ, amor Christi ut amantis nos; & quasi verbum Dei ad diligentes ipsum per spiritum suum, quod ipsorum Pater sit in Christo. Neque verò aliter hoc verbum applicat Deus per spiritum suum, quam dum nos facit in bona conscientia animadvertere & sentire, nos habere eum amorem veritatis, & amorem Christi amantis nos; qui non est nisi à Spiritu sancto: quæ obsignatio est *Radix Verbi* (Job. 19: 28.) sive parrhesia apud Deum.

§. 174. At timor Socinianus est ejus, qui Deum reputat pro domino severo, qui colligit ubi non sparsit, metit ubi non seminavit, & Deo ostentat talentum suum tanquam sua diligentia asservatum. Quanquam timor esse non potest, ubi, expectoratâ ex animo opinione sanctitatis Dei, flagitantis vindictam, & quidem æternam, eamque *sensûs* non tantum *damni*, & propriæ fœditatis, & impotentiæ, aliquid assumitur tanquam causa justitiæ; si rectè proveniat: sin, quod malo non succumbat.

APOLOGIA.

E*Tiamne* refugium ad Dei gratiam tollimus? *atqui nobis omnis* [190] *spes & beatitas in pec-* Nec refugium
catorum remissione & condonatione sita est; non in debitorum nostrorum ab alio facta dis- ad Dei
solutione. gratiam. 190

EXAMEN.

190 P. 57. §. 175. [190] Vobis spes fallax est in eo, quod non sit judicium; & quod habeatis aliquid à vobis ipsis in vobis, quod fortasse sit causa justificationis vestræ: gratiam vero electionis, veræ & efficacis redemtionis, regenerationis per vim meriti Christi & spiritum ejus, & conservationis potentis propter justitiam, abnegatis.

APOLOGIA.

A*Junt nos falso asserere*, Deum pronuntiare injustum pro justo, propter aliquod fa- P. 58. Non esse falsum, blasphemum in Deum, Judaicum, Papisticum, Paganicum, &c. quod asserimus Deum pronuntiare injustum pro justo propter aliquod factum, &c.
ctum, quod secundum suum placitum homini imposuerit. *Hoccine falsum est?* Fal-
sum, *inquiunt*, & blasphemum in Deum, Judaicum, Papisticum, Paganicum, & om-
nium falsarum religionum proprium. *En quo isti veræ Religionis Defensores devenerint,*
ut [191] *omnem veram religionem sustulerint! An non enim Deus justificat injustum, quod*
sibi aliquid [192] *promittenti credat? an non ob istam causam pro justo pronuntiavit Abraha-*
mum, Patrem omnium credentium? quæ præter spem, in spem credidit, ut fieret pater
multarum gentium; secundum quod dictum est ei; sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli
& arena maris. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum,
cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam
Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime per-
suasus, quia isti quæcunque promisit Deus, potens est & facere: Ideo & imputatum est
illi ad justitiam. *Quid ergo? an Deo ardua promittenti credere, non est aliquod factum,*
quod secundum suum placitum à nobis requirit? quid si præterea opus aliquod peragendum 191
nobis imponat, si promissionis effectu potiri velimus, quo fidem nostram exploret; an ipsius 192 Rom. 4:
operis peractio, una cum fide, [195] *causa non erit, ut nobis Deus justitiam imputet, & suæ* 18. 19. 20. 21.
promissionis effectum præstet? [193] Vin' scire ô homo vane, quoniam fides sine operibus mor- 22. P. 59.
tua est? Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaacum fi- 195
lium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operi- 193
bus fides consummata est? Et impleta est Scriptura, dicens; Credidit Abraham Deo, & Jacob. 2: 20. ad
reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis igitur, quoniam ex fin.
operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Similiter & Rahab meretrix, nonne
ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & alia via ejiciens? sicut enim [194] corpus 194
sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est [198] *Phineæ nonne factum* 198
suum Deo probatum placitumque ad justitiam fuit imputatum? Psalm. 106. *vers.* 30. 31. P. 60.
Quid aliud dicit Apostolus Paulus, cum fidem, sed per charitatem efficacem in Christiana
religione solam æstimari pronuntiat? an igitur charitas, & opera charitatis, & [196] *regene-* 196
ratio, & nova creatura, & secundum spiritum ambulatio, & carnis, operumque ejus mor-
tificatio, & quæ alia eodem sensu dicit Scriptura, [195] *in causa non erunt, ut nobis Deus* 195
justitiam imputet, seu justos nos pronuntiet? Nam quod [196] *Paulus ex operibus quemquam* 196
justificari negat, opera intelligit Legis, plenè & ad amussim servatæ; quæ nulla gratia,
nulla justitiæ imputatione indigeant; de quibus Judæi gloriabantur, iisque justos sese coram

Deo fore inaniter confidebant. Obruere possemus Scripturis Adversarios, si istius rei nunc
199 *tempus esset. Solem meridie lucere negant, & plane in* [199] *alium orbem delati videntur,*
197 *qui tam liquidis Scripturæ dictis contradicunt, & Deum* [197] *propter aliquod factum volun-*
P.61. *tati suæ conforme homini justitiam imputare, falsum esse assertum, pronuntiant. Nec pro-*
200 *pterea id cuiquam falsitatis suspectum esse debet, quod in eo conveniant* [200] *omnes Religio-*
nes; cum tam unanimis consensus indicio sit illud in naturæ lumine esse fundatum; quod Deus nunquam passus est exstingui penitus per peccatum, & instar facis est viam ostendentis hominibus, quo Deo placere & iram ejus effugere queant; testimonium illis reddente conscientia, & cogitationibus ipsorum sese invicem accusantibus, aut etiam defendentibus.

EXAMEN.

191 P.58. 59. 60. 61. §. 176. [191] Quum ostendimus, eos putare, causam justificandi esse aliquod factum ex placito impositum, videmur OCULUM SOCINIANISMI pupugisse, ita excandescit Eques. Clamans, hoc negato, omnem religionem tolli. Et vero pag. 63. *medullam pietatis* vocat. Nos vero dicimus, hoc posito, tolli religionem & Deum. Paulus Apostolus manifestè distinxit inter præcepta, *quæ faciens homo vivit in eis*; & *δόγματα placita.* Ephes. 2. vers. 15. *Solvens inimicitiam in carne sua; legem præceptorum in placitis abolens.* Colossens. 2. vers. 14. *Deleto chirographo, quod contra nos dogmatibus* factum erat. Dogmata illa erant tanquam tabella debiti à debitoribus subsignanda. Fiebat illa subsignatio, quoties Israëlitæ secundum illa dogmata sacrificia, expiationes, purificationes instituebant. Ea est *lex præcepti carnalis*, quo Aharon sacerdos constitutus est Hebr. 7. vers. 16. Cui tribuit *impotentiam & inutilitatem.* vers. 18. De iis igitur præceptis dici non potest, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Nam talia fecisse nihil prodest, quanquam obedientia prosit. Unde & Apostolus Galat. cap. 3. vers. 21. serio negat: Legem datam per manum Mosis potuisse vivificare, aut justitiam conciliare. Nempe Lex ostendens, quid debitum sit, & accusans peccatum, & dans pecudes in expiationem, non potest vivificare & justificare. Si posset, contraria esset promissioni, & vel eam faceret supervacuam, vel ipsa esset supervacua. Neque hoc Apostolus primus docuit. Deus apud Ezechielem cap. 20. clarè distinguit inter præcepta, quæ facta vivificant, & Sabbathum, ut signum, quod Deus sit sanctificator ipsorum (quod in Filio Dei verificatur) & præcepta non bona, & in quibus non vivitur. ad quæ refert sacerdotium Aharonicum, quo instituendo reliquum Israëlem tanquam impurum cum oblationibus suis ab altari suo rejecit, imo ipsas oblationes non purificare, sed, esse peccato maculatas, ostendit. vers. 11. 12. 25. 26. Nam vers. 26. agi de consecratione primogenitorum, pro quibus tribus Levi, ut serviret altari & sanctuario, assumta est, clarè liquet ex comparatione Exod. 13. vers. 12. Ex quibus perspicitur, errorem Judæorum capitalem fuisse & esse, quod putarent, se talibus præceptis *sanctificari* (ita adhuc quotidie in sua liturgia loquuntur) *& justificari, & vivificari.* Cui errori Socinum affinem esse, jam ante demonstratum est. Porro manifestum est, quum præceptorum alia sint *ζωοποιὰ vivificantia*, & alia non; quæ *dogmata* appellantur: illa, quæ sunt *ζωοποιὰ*, non esse dogmata seu *placita.* & super *placitis* non posse fieri fœdus de vita. Et ratio in manifesto est. Præcepta, quæ qui facit, vivit in eis, faciunt hominem sanctum, quemadmodum ipse Deus sanctus est. Nam quis dicet, sanctos esse, ut Deus sanctus est, qui victimas cædunt, adolent, à certis cibis abstinent, lavantur, & alia similia faciunt, quia talia faciunt? Igitur & Servator Marc. 12. vers. 34. Scribam, qui prudenter pronunciaverat, Dilectionem Dei ex toto corde, &c. pluris esse omnibus holocaustis & sacrificiis, affirmavit, non longè abesse à regno cœlorum: significans, ad cognitionem regni cœlorum (cujus rex Christus & populus Ecclesia Novi Testamenti est) plurimum referre, ut ea quis bene noverit distinguere. Jam vero quis non videt, præcepta, quæ faciens homo vivit in eis, esse perfecta, & facere hominem sanctitatis Dei effigiem; & eorum præstationem integram vivificare & justificare; omnem vero circa illa lapsum justificationem & vivificationem ex illis impedire, & exsecrationem inducere? Quod ferè perpetuo Apostolus in ore habuit: ita ut omnis ipsius doctrina ex hoc videatur principio esse deducta. Quamobrem, si quis dicat, factum aliquod eligi, quod imputetur ad justitiam, is, præterquam quod dicit, nos ex operibus justificari (quod Apostolus clarissimè damnat) evidenter negat, ad justificationem nostri ex factis requiri sanctitatis divinæ integram imaginem: negat, Deum talem esse, ut remuneratione non attestetur non-sancto velut sancto: imo asserit, Deum talem esse, ut vel sacrificantem, aliave similia facientem, possit ex eo opere justificare, vel eum, qui credat, peccatum non obesse aut potentiam habere ad hominis damnationem, nihilque requiri ad justitiam. Et quàm facile hoc erit persuadere ei, qui audiverit, nos gratis justificari? Qui est purus putus Libertinismus: adeoque planum est, opinionem Socinianam Libertinismi matrem esse. Nimirum si id agitur, ut in hac vita causam justitiæ inveniamus, visa pedum est via ad fidem, quæ credat, nec pœnam metuendam esse, neque meritum requiri, esseque omnia indifferentia, modo ne scandalo simus iis, qui non putant esse omnia indifferentia. At, si intelligimus, Christum nobis quidem peperisse veram & perennem justitiam, & quidem ut vivamus Deo, vitam Dei in nobis requiremus & colemus, non patratione operis manuum, & dogmatis exsecutione, sed sanctificatione cordis & corporis, ut simus sancti, quemadmodum ipse sanctus est, de Deo vera senticmus, eumque rectè glorificabimus, & in eo gloriabimur, proximumque, ut filium Dei, & hæreditatem nostram, diligemus, & etiamnum hostem Christo ac nobis lucrari studebimus.

§. 177. [192] Deo promittenti credere, est factum, sed 192
non justificat ut factum. Fides, quæ justificat, non est ea, quæ credit, Deum justificare peccatorem ex facto (ea enim Dei justitiæ abnegatio est) sed quæ credit, Deum justificare impium per gratiam suam & redemtionem, quæ est in Christo Jesu. Si ex ullo facto potuit justificari homo, Christus frustra mortuus est.

§. 178. [193] Jacobus non exigit opera ut causam impu- 193
tationis justitiæ (quemadmodum Eques loquitur) sed ut impletionem verbi de justificatione fidei facta: hoc est, stabilitionem ejus & confirmationem ejus in cordibus nostris. Quemadmodum verbi de justificatione fidei *πλήρωσις* (*impletio*) est in glorificatione, ita & in continuata sanctificatione, quæ perducit ad gloriam. Non animadvertit Eques, esse justificationem justificati, quæ aliud est quàm non imputatio peccati & imputatio justitiæ; nempe absolutio & tranquillatio conscientiæ coram Deo. Hæc fit non tantum per fidem (per quam sumus in Christo) sed etiam per fructus fidei & justitiæ & spiritus vitæ in Christo.

§. 179. [194] Dum lego pericopam Jacobi, quam Eques 194
citat, circa ultima verba recordor, Socinum dicere, quod opera sint fidei justificantis forma & anima. quod & Papistæ solent dicere. qui non animadvertunt, Jacobum vers. 22. dicere, *Fidem cooperari operibus*, atque ita *fidem ex factis consummari.* Anima igitur operum est fides; non contra: & fides operans per charitatem est consummata. Ut arbor consummatur & frugifera ostenditur in fructu, ita fides. Et, ut se habet respiratio, ad ostendendum corpus *ἔμψυχον*, animatum & vivum; ita opera, ad ostendendam animam fidelem, vel fidem non mortuam ac hypocriticam, quæ nomine, non re fides est.

§. 180. [195] Falsum igitur est, illa omnia, quæ Eques 195
recenset, esse causas justitiæ imputandæ. [196] Inter quæ 196
miror poni *regenerationem*, ut opus nostrum; quum Deus nos regeneret & novos homines faciat pro voluntate sua, per spiritum suum, qui, quæ vidit, loquitur. Paulus removens opera, removet sanè perfecta, quia non nisi perfecta in justitiam imputari possunt. Nostram vero fidem non potuit considerare, ut opus, quum fides credat, nos non justificari operibus, & sola opera perfecta posse im-

imputari ad justitiam, & nos fieri justitiam Dei in Christo: novam porro vitam à causa justificandi insuper vel hoc ipso exclusit, quod, eam esse justificationis effectum, ubique docet.

§. 181. Quum nos increpat, quod negemus, *Deum propter aliquod factum, voluntati ipsius conforme, homini justitiam imputare*, Deum nobis exhibet, cujus voluntati sit conforme factum peccatoris, peccatum habentis, & legem non implentis: secundum *modum humanæ justitiæ*, intra captum *naturæ, quæ non potest omnis peccati exsors esse* (pag. 62.) & qui propter talem conformitatem justitiam imputet, h. e. fiat testis mendacii. Cujus, quæso, est id dicere, nisi ejus, qui dicit, Deus est ut ego? Psal. 50: 21.

198 §. 182. [198] Quod Phineasi factum attinet, de quo Psal. 106: 30. 31. certum est, Phineasum non aliter justificatum fuisse atque vel Abrahamum vel nos. Rem explicat Moses Num. 25: 12. 13. *Propterea dic: Ecce ego do ipsi fœdus* sive testamentum *meum, pacem* (vel *pacis*) *& erit ipsi & posteris ipsius post ipsum Testamentum sacerdotii seculi: pro eo quod zelavit pro Deo suo & expiationem fecit super filiis Israël.* Declarat Deus Phineasum hæredem Testamenti pacis, & eum ac semen ejus facit hæredem Testamenti de sacerdotio. eaque declaratione attestatur zelo ejus, ut bono, & ex fide in *Deum suum* & ejus amore profecto. Nihil igitur restat, quàm ut phrasin Davidis juxta hæc interpretemur: Fides Phineasi fuit reputata in justitiam: factum Phineasi fuit relatum inter ipsius δικαιώματα sive justitiæ testimonia.

§. 183. [199] Nisi cæcutirent Eques & socii ipsius, non videremur ipsis *in alium orbem delati*; sed seipsos viderent in Antichristianismum pejorem eo, quem putant se reliquisse, prolapsos. qui, pro mediatoribus secundariis, & capitibus vicariis, introducunt deos subordinatos, secundarios, vicarios, dependentes, & independenter volentes atque agentes, uno honore cum Deo afficiendos; prò libero arbitrio per communem gratiam sustentato ad sui dispositionem, absolutam plenissimamque facultatem; pro merito Christi per opera applicando, nullum Christi meritum, & proprium meritum, & possibilem imputationem justitiæ propter quodvis factum, quod Deus pro placito liberrimo (scilicet ut indifferens) eligat. 199

§. 184. [200] Non dissimulat Eques, opinionem Socinianam esse acceptam omnibus Religionibus: excepta Reformata. Quod nos putabamus ad pudorem Socinianis incutiendum facere, nempe in hypothesi cum omnibus falsis Religionibus convenire: id Eques laudi ducit, & certissimum argumentum facit testimonii conscientiæ. Ergo, ut veram religionem inveniamus, præsupponendum est, mundum de Deo & justitia Deo grata bene sentire, non vero evanuisse cogitationibus suis, & obscuratum esse cor ipsorum imprudens & inconsideratum. Ni fallor, hic se aperit radix Socinianismi; nempe Propositum cudendi, sub prætextu Evangelii, religionem omnibus hominibus congruam & acceptam. Atqui Baptista Argumentum divinitatis Christi & præconii ipsius facit, quod nemo recipiat testimonium ejus. Johan. 3, vers. 32. 200

APOLOGIA.

AT enim, *inquiunt*, Deus seipsum abnegare non potest: qui nullam aliam justitiam pro bona agnoscit, quam solummodo istam, quæ secundum legem est, in qua imago Dei expressa est. *quid tum postea? Hanc ipsam nobis imputat, quod suis promissionibus in Christo Jesu credamus, & hausto per hanc fidem filiali spiritu, toti in amorem ejus & in dilectionem hominum, non in odium & persecutionem eorum, qui nullius sibi mali sunt conscii, effundamur. Mitto, quod Censores nostri, Legem Mosis, cum Lege Christi* [201] *(qui solus* P.62.
vera Dei imago, & substantiæ ejus character est) Legem servitutis, cum Lege Regia, & 201
Lege libertatis, [202] *spiritum cum litera,* [203] *spiritum servilem cum spiritu filiali confundant:* 202
quod ignorent Dei [204] *justitiam per Euangelium revelatam esse; de qua etiamsi Legis &* 203 204
Prophetarum prænuntia testimonia extarent, tamen sub Lege servitutis illo tempore, fuit occultata. Vidit nimirum Deus, [205] *supra humanæ naturæ vires ire, omnis peccati &* 205
transgressionis exsortem esse; propterea apud se constituit, si quis promissionibus suis firmiter credat, sibique confidat, & propterea totum sese Deo dedat, & secundum humanæ justitiæ modum justus *sit; huic quantum ad plenam justitiam deesset, gratuita imputatione supplere, vitamque æternam tribuere; sicut scriptum est,* Justus ex fide vivet. *Sed hæc omnia, quæ Christianæ pietatis, & divinæ gratiæ medulla sunt, ab oculis Censorum, mirabilibus* P.63.
sententiis fascinatis, tecta sunt.

EXAMEN.

201 P.62. §. 185. [201] Non ideo, quia *Christus solus vera Dei imago & substantiæ ejus character est*, Etiam Christus aliam legem moralem dedit: Sed, quia imago Dei est, eam sanctitatem, quæ in Lege per Mosen promulgata continetur, in se verificatam, cum sanctificatione Dei per passiones suas, in se exhibuit; eandemque nobis in se & verbo suo proponit agnoscendam, eamque sui amore à nobis amari facit. Nam Deus, cujus ipse imago est, est auctor illius legis; non alius. Eadem Lex fuit lex peccati, quamdiu nos peccato (propter Dei sanctitatem & zelum) mancipavit; & servitutis, quamdiu de peccato needum expiato, sed extante, accusavit; donec in corpore Christi nobis mortificaretur; &, dum nos Christo redemptori mancipat, est lex spiritus vitæ in Christo, lex regia, lex libertatis. Nam quæ est *lex regia & libertatis*, nisi illa, quæ dicit; *Diliges proximum tuum sicut teipsum*? Jacob. 2. vers. 8. 9. 10. 11. 12.

202 §. 186. [202] *Spiritum* cum *litera* non confundimus, quia voluntatem, potentiam, efficaciam, missionem Spiritus Sancti, ut Spiritûs Patris & Filii, credimus, per quem, quod est litera in se, scripta atramento in membrana, fit scriptura Dei in cordibus. 2 Corinth. 3. vers. 2. 3. 6. Quem Spiritum, ut & effectum ejus, vos ignoratis. Vultis enim, Legem Mosis esse minus spiritualem; & affingitis Christo legem spiritualiorem: manifestè contradicentes S. Paulo, qui Legem vocat *spiritualem*, Roman. 7. vers. 14. ut quæ Spiritu legislatore digna sit, opus Spiritûs, nempe rectitudinem spiritualem, in homine, ut est opus Dei, præsupponat, & requirat obedientiam, quæ opus Spiritûs sit. Apostoli sunt *ministri Spiritûs non literæ*, quia sunt ministri, non ejus verbi, quod potest carne præstari (ut multi Israëlitæ faciebant) sed eius, quod est instrumentum Spiritûs ad convertendum hominem, ut lex Dei fiat vera in ipso. [203] *Spiritus servilis* nuspiam legitur. *Spiritus servitutis* est spiritus sanctus, operans servitutem in hæredibus, Galat. 4: 1. idemque est *spiritus filiationis*, quando in nobis efficit fiduciam clamandi, Abba, Pater, propter Christum filium Dei donatum nobis. Hæc nihil faciunt ad justificationem ἐκ δόγματος, sive *facto per placitum injuncto*. 203

§. 187. [204] *Justitiam Dei* (quam vos totam ignoratis) novimus in Euangelio revelatam, quoad manifestationem omnium causarum in re extantium; sed eandem novimus in lege & prophetis promissam, & Veteres ejus spe justificatos. quod vos negatis. Nam & *occultatam* quum dicitis, ignoratam intelligitis; quum nihil ipsis defuerit, 204

 nisi

nisi consummatio Salvatoris, per quem, post servitutem hujus vitæ, in gloriam introducebantur & consummabantur. Hebr. 2:10. 15. 12:23.

Si homo justus est secundùm humanæ justitiæ modum, quid ei deest ad plenam justitiam? Nam non potest esse justus, ut Deus, sed ut homo.

205 §. 188. [205] Si naturæ vires supergreditur, esse exsortem peccati, quomodo bonus est auctor naturæ? ita & in cœlo peccabimus; quia superat vires naturæ, sine peccato esse? Quænam autem est justitia, quæ non potest esse sine peccato?

Et quæ est illa combinatio justitiæ propriæ & alienæ, ut Christi justitia non sit integra nostra justitia per imputationem & donationem (cui refragamini) sed gratuita quædam imputatio sive acceptilatio (extra Christum) nostræ fiat justitiæ supplementum?

A P O L O G I A.

Nos Dei imaginem in homine non negare.

*O*Bjiciunt, negare nos Dei imaginem in homine. *Nos vero* [206] *ad hoc usque tempus in homine Dei imaginem restare,* [207] *Scriptura teste, credimus; non vero ab initio tantum, & ante lapsum fuisse. Sed Censores nostri, quæ sit ista Dei in homine imago ne-*
206 *sciunt. Non enim Scripturæ attendunt. Dei enim imago* [208] *dominatu in omnia quem Deus*
207 *homini concessit potissimum continetur: eum autem dominatum ut recte gereret, simulque in*
208 *aliis, quoad humana fert natura, Deo similis evaderet, creavit ipsum Deus* [209] *ratione præ-*
209 *ditum, quo ipsum illiusque voluntatem cognoscere, & facere posset; natura ad id, quod sibi bonum esset, inclinatum; dummodo propria sua culpa, malum pro bono non arripiat. Quid*
P.64. *hic culpari potest? quid est, quod non ipsa hominum natura loquatur? An sententia nostra, insipientem hominem Deus creavit, si creavit ratione & mente præditum? an malum, si ad Dei voluntatem faciendam habilem? sed nimirum aliud ipsis in animo est; volunt ut homo per lapsum, omnem Deo obtemperandi facultatem, & sibi & posteris amiserit; quo Deum quidem accusent, ipsi vero in peccando & Deum offendendo excusatiores sint.*

E X A M E N.

206 §. 189. [206] Quia creditis, imaginem Dei in homine
P.63. ad hoc usque tempus (ergo post lapsum Adami) restare, ideo imaginem Dei negatis. Nam hoc, quod est in homine post lapsum, extra Christum, non est imago Dei, sed Diaboli: siquidem homo revera est peccator, malus, impotens, servus, maledictus, mortuus in peccatis, filius iræ. Si est imago Dei in homine, quid opus habet, exuto veteri homine & mortificato, ut novum induat, qui est ad imaginem ejus, qui formavit eum? Coloss. 3. vers. 9. 10.

207 §. 190. [207] Jacobus, cap. 3:9. dicit, homines *γεγονότας καθ' ὁμοίωσιν θεοῦ, factos ad similitudinem Dei*, tum quia in Adamo hæreditas imaginis Dei illis fuit præparata (cujus rudera sive vestigia in ipso exstant; in dictamine conscientiæ, & peccato ipso) tum quia per spiritum Christi ad imaginem Dei reparatur. Ob quas causas non convenit homini, ipsi maledicere. Est enim Dei.

208 §. 191. [208] Dominatus in bestias non est imago Dei; quia, quum imago Dei in ipso erit perfectissima, non indigebit usu bestiarum. Sequitur is dominatus imaginem Dei in illo statu, non eam efficit. Nullibi dominatus hic vocatur imago Dei. Quum crearet hominem, dixit: *Faciamus hominem cum imagine nostra, ad similitudinem nostram; & dominentur*, vel, *dominabuntur.* Dominatus præsupponit imaginem & similitudinem. Et, amissa imagine, amittitur dominium. Ideo homini omnia impura. Testis lex, quæ impuros dicit cibos, ut homines accuset impuritatis, quæ omnia fœdat & usum rerum Dei. Matt. 15:11. Tit. 1:15. Ideoque ea subjectio, qua homini impuro subjiciuntur res Dei, est servitus vanitatis. Roman. 8:20. In Christo autem, qui noster, & justitia nostra est, restituitur dominium. Psalm. 8. vers. 7. 1 Timoth. 4. vers. 3. 4. 5.

209 §. 192. [209] Eques pro imagine Dei substituit rationem, qua homo voluntatem Dei cognoscere posset, & sic Deo similis evadere. Ergo non est similis factus, sed rationem accepit, per quam se similem Deo faceret. Hoc primum.

Deinde, cognitionem Dei & recti natura esse in homine, negatis. Et id vobis objectum est. Quare hic obmutescis, mi Eques?

Cæterùm, ubi dividitur appetitus recti (incogniti) & sibi boni, quod præ manu est, quid nisi Φθορὰ *corruptio* & servitus peccati est? Socinus in epistola ad Philippum B. p. 53. 54. sic loquitur. *Quemadmodum sunt in nobis duæ potentiæ, ex quibus tanquam ex duobus diversis fontibus diversæ actiones nostræ originem ducunt,* MENS *seu ratio superior, &* APPETITUS, *qui in homine, quatenus menti opponitur, inferiorem rationem complectitur... sic unusquisque, cum aliquid agit, modo hujus, modo illius ex prædictis duobus bonorum generibus* (Recti, & quod à recto distinguitur) *prout vel mente, quam nos, plerosque alios secuti, rationem simpliciter appellabimus, vel appetitu ducitur. Illa enim ad prius genus, hic vero ad posterius nos impellit; quæ cum sæpe inter se aut pugnent, aut certe pugnare videantur, & necesse sit, si alterum eligatur, alterum omitti, magna vel saltem aliqua in nobis ipsis, dum quid eligere volumus,* ALTERCATIO *oriri solet, appetitu videlicet ad hoc, ratione vero ad illud nos trahente... cui qui obsequitur, peccare dicendus est.* An igitur *bonum* dicunt hominem factum & *rectum*, qui dicunt à Deo esse, quo *trahitur ad peccatum*, & sic *tentatur*? Jacob. cap. 1. vers. 13. 14. Utri parant peccanti excusationem, illine, qui dicunt, esse in homine opus Diaboli, dominationem peccati, legis sententiâ justâ roboratam, & in omnes diffusam, quam humiliter agnoscere, vigilanter cavere, fortiter supprimere debeat per Spiritum Sanctum à Christo impetratum, precibus vigentem, timore prudentem, amore validum: an hi, qui *concupiscentiam* vocant *rationem inferiorem*, & opus Dei? Sed de originali malo superiùs jam actum est. Ut & de libero arbitrio, & bene agendi causa.

A P O L O G I A.

Nec male causam bene agendi in libertate hominis ponere.

*C*Ausam, *inquiunt*, bene agendi, cum Pelagianis, in libertate hominis ponunt. *Sem-*
per isti odiosum aliquod nomen sententiæ allinunt, quam improbant, ut [210] *ex nomine*
210 *consequantur, quod ex ipsa sententia non possunt. Hoc enim quid est? an cum nos Deus, verbi*
211 *causa, ad credendum vocat & invitat, & justissimas credendi causas præbet,* [211] *liberum no-*
212 *bis non est credere? an* [212] *necessario credimus, necessario non credimus? quorsum ergo tot*
213 [213] *exhortationes ut credamus? tot objurgationes, si non credamus? quorsum præmiis ad fidem*
&

& obedientiam excitamur, & pœnis à contumacia deterremur? quis ipsis præmiis & pœnis P. 65.
relinquetur locus? Ludus omnia & jocus erunt, quæ tam serio Deum & Ministros ejus, agere testatur Scriptura, & quisque in seipso experitur & agnoscit.

EXAMEN.

210 P. 64. §. 193. [210] Agnoscit Eques, quod culpamus; societatem Pelagii non inficiatur. Solum hoc indignatur, odioso nomine dogma onerari, in se bonum. Nos vero non tantum Pelagianum dicimus tuum dogma, sed & Pharisæum & Judæorum. quanquam Pharisæorum optimus sic dicit: *Ago tibi gratias, Deus, quod non sum ut cæteri homines.*

Ne dicas imposterum, causam tuam inauditam repudiari, quæ in Judæis, Sadducæis, Pharisæis, Photinianis, Arrianis, Pelagianis, aliisque cognita, agitata, & damnata est.

§. 194. [211] Liberum est credere, quia non vetamur: 211
sed homo non est liber ut credat, nisi liberetur sanguine & Spiritu Christi. Est enim servus injustitiæ, & liber justitiæ. Rom. 6: 20. [212] Non necessario credimus, 212
sed ultro; attamen Testamenti æterni efficaciâ. Necessario per inobedientiam non credit, qui est servus inobedientiæ. [213] Hortationes, dehortationes, sunt id, quod 213
credimus, & medium, quo refingimur, Spiritu per id in nobis operante; judicia vero non credentium: non vero argumenta facultatis.

APOLOGIA.

EXcludunt gratiam regenerationis & sanctificationis. *Nequaquam excludimus hanc* [214] *gratiam; sed tanquam principium & fundamentum regenerationis & sanctificationis nostræ supponimus. Hic quoque locum habet illud;* Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. *Nisi nos gratia Dei præveniret, & sublevaret, nunquam ad regenerationem & sanctitatem perveniremus; præsertim cum ea tam tenuis & exilis non sit, quam Censoribus nostris videtur.*

Nos gratiam regenerationis & sanctificationis non excludere. 214

EXAMEN.

214 P. 65. §. 195. [214] *Gratiam regenerationi* dum mutat in Cassationem legis, & ostentationem novam vitæ æternæ, qua excitetur Spes immortalitatis, quam vocat Eques *divinum afflatum*; quod simulat se agnoscere, negat, nempe Potentiam Spiritus Sancti; & Efficaciam ejus, qua cor lapideum in cor carneum mutetur, & homo novus fiat. Sed & de hoc superius, pag. 14. 15.

APOLOGIA.

AUferunt sic, *inquiunt*, preces & gratiarum actiones. *Si sine Dei gratia, nihil nec incipere nec perficere possumus; quo pacto* [215] *preces &* [216] *gratiarum actiones tollimus? Ipsi sunt, qui utraque tollunt;* [217] *quorsum enim precemur, & gratias agamus, si ne hoc quidem nobis facere liberum est? quid precemur, si omnia necessario fiunt?*

Nec auferre preces & gratiarum actiones. 215 216 217 P. 66.

Desine [218] fata Deum flecti sperare precando. 218

EXAMEN.

215 P. 65. §. 196. [215] *Preces* tollit, qui sibi fidit, & plenissimæ absolutissimæque facultati suæ; negatque, Deum velle aut posse efficere, ut in Christum credamus, ejus nomen celebremus ac glorificemus, Deum amemus, & malum oderimus, & in bono perseveremus, aliaque maxima δωρήματα.

216 §. 197. [216] *Gratiarum actionem* tollit, qui censet, hæc sua esse, & non à Deo data certa voluntate ac proposito miserendi. Nam & in gratiarum actione primum est & maximum, quod Deum amamus ut eum, qui nos ante secula in Christo electos, præagnitos, prædestinatos, à Filio redemtos, per Spiritûs sanctificationem sibi separaverit & seposuerit in hæreditatem perpetuo conservandam. Hoc Eques aspernatur. adeo quidem, ut putet P. 66.
[217] *precibus & gratiarum actioni contrarium esse* hoc Testamentum Dei: quod ille inimicum libertati putat, 217
quum sit emancipatio nostra & liberationis à servitute peccati causa: [218] *fatumque* vocat, adjecto oraculo non 218
Dei, sed Diaboli, quod ab hujus vate, non à propheta editum est. *Spiritus gratiæ* est *spiritus precum*, datus Testamento, quo & hæreditas nobis scripta est. Ideo novimus, preces nostras audiri, quia sunt à Spiritu precum; atque etiam gemitus nostros scimus esse interpretationem Spiritûs, quippe signa *φρονήματος αὐτοῦ sensûs ipsius* & voluntatis, quæ secundum Deum est. Rom. 8. vers. 26. 27.

APOLOGIA.

NEgare, *ajunt*, Dei providentiam. *Dixissent eadem opera, nos Deum & religionem omnem negare; cum utrumque istorum,* [219] *negata Dei providentia, haud possit consistere. Quid ultra?* Æternum Dei consilium & decretum. *Hoc fortassis est, quod Censores providentiæ nomine intelligunt.* [220] *Æternum Dei consilium & decretum, de omnibus in Christum credentibus servandis, credere nolentibus damnandis, & quæ cum eo connexa sunt; asserimus omnino cum Scriptura & amplectimur. Sed* [221] *fatum illud Stoicum, & omnium, quæ fiunt, necessitatem immutabilem fugimus ac detestamur, tanquam omnis pietatis &* [222] *probitatis pestem & perniciem certissimam; & omnium scelerum, quæ patrantur, omnisque*

Nos Dei providentiam non negare. Nec æternum Dei consilium & decretum. 219 220 221 222

P. 77. *omnisque humanæ miseriæ causam, ad Dei consilium & decretum revocantem. Profecto cum ista dogmata non Scripturæ tantum, & omni probitati, sed etiam ipsi naturali lumini mentis à Deo indito, infesta, considero, minime miror, Doctores eorum trepidos, & causæ suæ diffisos, à Magistratu suppetias petere.*

EXAMEN.

219 §. 197. [219] Quam vero vos *providentiam* statuitis, qui
P. 66. negatis, Deum efficere posse, ut nomen Filii ipsius sit celebre; quia id ab homine pendeat: qui non tantum Christum, quem dicitis meram creaturam, facitis independentem, sed & hominem quemvis in sua indifferentia & am-
221 plissima facultate cum Stoicis (quorum nobis [221] *fatum* falso improperatis) à jure, & dominio ac directione sive determinatione Dei, absolvitis.

220 §. 198. [220] Æternum decretum superficiale & de eo, quod fortassis non erit, faciendo, tribuere vos Deo concesserim; sed id decretum divinum non est, verum humana cogitatio. Certè non agnoscitis decretum, quo Deus *omnia fecit pulchrè tempore suo*, Eccles. 3. vers. 11. quemadmodum fecit hactenus & facit: non Testamentum de hæreditate Filii. quod Solis radio in omnibus Sacris literis, & in conscientia non cauterio adusta scriptum est, quodque tanquam in luculenta tabula ab Esaia propositum est Esai. 49. vers. 4. 5. 6. *Ego dixi: Frustra laboravi, in cassum ac vanè vim meam consumsi. Veruntamen judicium meum est penes Jehovam, & operæ precium meum penes Deum meum. Et nunc dixit Jehovah, qui me formavit ab utero, servum sibi ad reducendum Jacobum ad ipsum (& Israël non recuperetur? Atqui preciosus sum in oculis Jehovæ, & Deus meus factus est robur meum)* & *dixit* (inquam) *Vile est, prout sis mihi servus, erigere tribus Jacobi, & retentos Israëlis reducere; & dabo te in lucem gentium, ut sit salus mea usque ad fines terræ*, &c. Jam in Paradiso auditum est: *Ponam inimicitiam inter te & fœminam, & inter semen tuum ac semen ipsius.* quod verbum quam calumniosè & impudenter ac petulanter laceret Smalcius, qui cognoscere vult, videat, quæ is scribit *de vero & naturali Dei filio*, pag. 266. 269. 270. 271. Operæ precium non est, ea refutare: ita futilia sunt. Patribus, præsertim Abrahamo, id repetitum: *Sic erit semen tuum. Patrem multarum gentium dedi te. In te, in semine tuo, benedicentur & sibi benedicent omnes familiæ terræ.* Ex qua *promissione & Testamento* (ita enim nuncupat verbum hoc, & propositum hoc verbo indicatum) Apostolus conficit, Scripturam prævidisse & præeuangelizasse Abrahamo, quod Deus justificaturus esset gentes ex fide, Galat. 3. vers. 8. 15. 16. [222] Hoc decretum, quod tu 222
impiè *pestem pietatis* appellas, nos esse causam diligendi Deum & proximum, Deumque invocandi, & ei gratias agendi, Scriptura docente, novimus & experimur.

Quid tu? Impiumne dices, qui Deo adhærescit ut amanti se ante jacta fundamenta mundi? & hujus amoris in se effecta quærit? & suas preces, suspiria, timorem, ardorem, zelum, studium Deo donanti ascribit? & ei, ut custodi suo, confidit? Frustrane is erit, qui sic amabit, sic quæret? Imo an amabit, qui non sic amabit?

Vos autem etiam voluntatem salvandi hunc illum horariam facitis, prout justus est vel justitiam suam amittit. Imo pleraque Dei decreta ex tempore facta sciscitis. Nempe & ab initio, quum hominem faceret Deus, nondum decreverat, velletne eum in vita conservare. ut Socinus dicit in libro contra Puccium. Sed Deus in horas decernens quomodo æternus est? Nova in eo decreta sine momentis temporis esse non possunt: momenta autem numerum habent; numerus principium; principium æternitatem excludit; & negatio æternitatis Dei abnegatio est.

APOLOGIA.

Nec Deo auferre prænotionem futurorum.

PRænotionem futurorum *quis Deo auferret,* [223] *nisi qui simul ipsum auferret Deum? Hoc dicimus, Deum prænosse futura, prout futura sunt: nam si aliter præsciret, eo ipso*
223 *non præsciret.*

EXAMEN.

223 §. 199. [223] Rectè. Deum aufert, qui prænotionem
P. 67. futurorum. Sed dum eam restringis, negas. Nempe, secundum vos, hæc novit, quæ omnino facere decrevit; inter quæ etiam sunt peccata hominum antè prædicta. Cætera vero, quæ contingenter & liberè fiunt ab hominibus, non prænovit. Talis enim prænotio sive æterna notio pugnat libertati, & sic pietati. Ita vobis *Facultas vestra Deus est*, ut cum Habacuc loquar, cap. 1: 11. ut propter eam Deum faciatis non-Deum. Res contingentes indigent ordinatione Dei, eoque contingentes sunt: sciuntur à Deo, ut opera sua. Scientia Dei non officit libertati, sive voluntariæ hominis inclinationi; quia nec gubernatio hominis & causæ primæ operatio vitæ & motus in omnibus, quæ vivunt & moventur. Scit igitur Deus contingentia futura, ut talia, sed & à se ordinata novit non contingenter.

APOLOGIA.

Non adorari à nobis D. Jesum tanquam nudum hominem; & nos cum Papistis & Paganis non colere creaturas.

VOlunt D. Jesum, tanquam nudum hominem adorari, & sic cum Papistis & Paganis co-
lunt creaturas. [224] *Nudus homo non est, qui ex Spiritu Sancto & Virtute Altissi-*
mi sine viro conceptus & genitus est. Nudus homo non est, qui Virtutem in se habuit,
Divinæ similem, cunctis rebus imperandi, & opera plane divina patrandi. Nudus homo
non est, qui supra omnes cælos evectus, immortalis & Divinæ naturæ particeps, seu
[225] *spiritus vivificus est factus, tradita sibi omni in cælo & in terra* [226] *potestate. Sed si*
Papisticum & Paganicum est [227] *colere creaturas, ut sane est, ab ipso Deo in cultu sibi non*
224 *conjunctas: quale erit, quod ab ipsis fit, Christum, qui creatura est, ipsum illum Altissi-*
225 1 Cor. 15: 45. *mum Deum esse dicere? Deus creaturam in cultu sibi conjungere potest, & Christum conjun-*
P. 68. *xit, ad suam gloriam, & hominum bonum. At* [229] *Creator ipse, an creatura fiet? &*
226 *creatura, an pro Creatore colenda est? Hoc vere Papisticum & Paganicum est.* [228] *Potuit*
227 *Deus arcam illam Fœderis, præsentia quadam suæ Majestatis, ad cultum & adorationem*
229 228 *consecrare: potuit Pharao Josephum ad similem sui venerationem sine ulla diminutione Ma-*
gni-

gnitudinis suæ, imo majore sua cum gloria attollere: an quod Deo in arcâ illâ licuit, quod Pharaoni in Josepho, id Deo non licuisse dicemus in Christo, Filio suo, quem totius mundi Dominum, & Servatorem, & Judicem æterno suo destinaverat decreto? [230] Hic est lapis ille 230
offendiculi, & petra scandali; Lapis quem reprobarunt ædificantes, factus est in caput an- P. 69.
guli; à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis vestris. *Nimirum*, [231] Non 231
habebis Deum alium coram me, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: *sed ratione cultus, adorationis & servitii, alius non est à Deo, cui & per quem ipse sibi cultum exhibere voluit: quin si quis hunc colere detrectet, ipsi Deo contrarius sit, ipsumque Deum nolit colere.*

EXAMEN.

224 §. 200. [224] De *nudo homine* Eques verborum præstigiis
P. 67. ludit. Eâdem operâ dixerit, nec mendicum, nec impe-
68. 69. ratorem esse nudum hominem, quia uterque non est tantum homo, sed ille homo mendicus, hic homo imperator. Ita D. Jesus vobis est homo potestate præditus.

225 [225] *Spiritum vivificum factum esse* dicit Apostolus 1 Cor. 15. vers. 45. *Extitit primus homo Adam in animam viventem: postremus Adam in spiritum vivificantem.* Quo non significat, quod Crellius pag. 224. explic. cap. 15: 1. ad Corinth. docet, Christum, exuto corpore, quod ex utero matris acceperat, aliud *corpus spirituale* h. e. corpus incorporeum *& præstantiorem vitam ac naturam adeptum esse:* quemadmodum nec *Adamum primum extitisse in animam viventem* significat, Adamum, priore natura deposita, induisse meliorem vel aliam: sed, ut hoc significat, Adamum simul atque extitit homo, extitisse præditum anima, ut homine dignum est, vivente; ita hoc significat, simul atque secundus Adam ortus fuit, fuisse, & comprobatum fuisse *spiritum vivificantem*, h. e. Deum vivum.

226 §. 201. [226] De potestate subordinata, vicaria, dependenter independente, imperfectè divina, inæqualiter æquali Patris potestati, vidimus supra. Res eo redit, ut D. Jesus sit vobis & maneat non-Deus, sed Deus aliquis, h. e. dominus & princeps aliquis. Eum igitur adorari vultis, & æquali eodemque cultu affici, quo Deum. Sed & de hoc supra visum est ad p. 19.

227 §. 202. [227] Creaturas colere Papisticum & Paganicum fateris, sed fraudulenter: addita ratione, *quia Deus sibi illas in cultu non conjunxerit.* Deus sibi nihil conjungit in cultu. Cultus Dei est incommunicabilis. *Creatura* nec *pro Creatore*, nec *præter Creatorem colenda* est. Honor Altissimi non competit nisi Altissimo. Mendacium est, pro Altissimo vel Altissimo *æqualem* habere, & *æquali cultu* afficere non-Altissimum. Quale quidque est, tale habendum est.

228 §. 203. [228] Vestrum est, & Papistarum, dicere, *Arcam fœderis consecratam ad cultum & adorationem.* Quidni & Cherubinos aureos, h. e. Bovis, leonis, aquilæ, hominis vultus? Ergo Deus sibi conjunxit vitulos adorandos, ex sententia Equitis. Honor civilis est regum, & qui à rege missi sunt, ab ipso Deo mandatus. Quem dictat conscientia, Parentes honorare jubens. In eo honore mendacium non est. Major civili honor est solius Dei. Is in templo adoratus est, & adorari voluit: non templum, aut ulla ejus pars. Ita Christum in cœlo adoramus, non cœlum: & in carne nostra Filium Dei, non τὸ λῆμμα, *quod assumsit.* Id pro tabernaculo habemus, & re oblata, & jam cœlesti pignore nostri Amoris. Ita eam spectat fides.

§. 204. [229] Vos ii estis, qui Arcam & Vitulorum formas Deo conjungi potuisse putatis, ad cultum & adorationem; Angelis cultum divinum in Vet. Testam. attributum fuisse, traditis. Smalcius *adv. nova Monstra* p. 18. Angelos creatos introducitis loquentes verba Dei; *Ego sum Jehovah Deus vester, qui vos eduxi è domo servitutis, Non habebis Deos alios in conspectu meo:* Christum hominem non-Jehovam Deo in potestate & cultu sociatis: & tamen negatis, Filium æternum potuisse in carne nostra habitare, eamque facere sibi organon, & sic fratrem nostrum, & Recuperatorem legitimum fieri. Minusne est, divinam potestatem & honorem creaturæ attribuere, quam concedere, Deum manifestatum in carne? Potuit Deus homines creare, & non potuit iis se manifestare? Potest habitare in nube & igne, & non in humana carne? Potest loqui sine lingua ad aures Israëlis, & non potest lingua sua? Nisi forte, quia ipse loqui non potest, Angelum creatum dedit vicarium, qui nihil præfatus diceret, *Ego sum Jehovah.* Ne Filius sit Jehovah & Deus Israëlis, qui, ut in cœlum ascendit, ita fecit Sinam contremiscere; Angelum creatum nominis Jehovæ usurpatorem sacrilegum facitis. 229

§. 205. [230] Aperite oculos, & videte, vos in *Rupem salutis* impegisse. Nam *quæ est Rupes, nisi Deus noster* inquiebat Psaltes, Psal. 18. Et Esaias cap. 8. unde tu partem profers: *Jehovah erit sanctuarium, & in rupem scandali.* Negare, Christum esse Deum Israëlis, id est lapidem reprobare, qui est factus caput anguli. Qui lapis Israëlis est, est & Deus Israëlis. 230

§. 206. [231] Deum alium secum habere qui vetat, negat, se ullum non-Deum sibi in potestate & cultu conjunctorum. Deum habere, est Servatorem, Redemtorem, Sanctificatorem, Dominum, justitiam suam, vitam suam, & gloriam recognoscere. Dixerat Jehovah Abrahamo: *Ego fiam tibi in Deum.* Id promissio N. Test. facto patrandum asserit. Non potest igitur Deus noster, & illa omnia nobis fieri, nisi qui se ea Abrahamo futurum promisit. Nempe Pater & Filius & Sp. Sanctus, Deus unus & verus, benedictus in secula. 231

APOLOGIA.

DOcere nos ajunt, Dominum Jesum posse invocari à nobis quoties volumus. *Quid ergo? num hoc falsum est? Etiam Deus ipse invocari à nobis potest, quoties volumus. An inde sequitur, eum invocari non debere? Christus invocatur non solum tunc, quando ad eum nominatim preces diriguntur, quod nobis facere licet, quoties volumus; sed etiam tunc,* [231] *cum ad Deum orationem convertimus per Christum. Significamus enim, nos credere omnia in Christi manu esse; proinde quæ petimus à Deo, petere simul à Christo. Quomodo* Non male nos docere, Dominum Jesum posse invocari à nobis quoties volumus.
igitur verum est, nos auferre fidem, & quæ ex fide oritur charitatem, & cum utraque 231
spem? *Nobis* [232] *fides est, confidere Deo per Christum, fore ut secundum promissionem ejus* P. 70.
vitam consequamur æternam, si fratres & proximos diligamus; hac fide posita, dilectionem & charitatem ex ea consequi necesse est. Quis enim fratrem & proximum non diligat, ut vita potiatur sempiterna? addita vero ad fidem charitate, oritur [233] *spes certissima salutis; quæ istius syllogismi, ex fide, tanquam prima positione, & charitate, tanquam secunda,* Nos fidem, charitatem, & spem non auferre. 232
formati, legitima conclusio est. Tali spe exultavit, & veluti epinicion sibi cecinit jam 233
jam

2 Tim. 4:7.8. *jam moriturus Apostolus;* Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi.
In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die, ju-
P.71. stus judex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus. *Non igi-
tur spes nobis est, opinio quædam nos posse servari, neque confidentia nos fecisse quod exigi-*
234 *tur. Spes enim* [234] *innititur charitati, charitas fidei, fides non meritis nostris, sed Dei gra-
tiæ; qui sibi credentibus, & fratres, proximosque diligentibus, temperanter, juste, pie, in*
Tit. 2: 12.13. *præsenti sæculo viventibus, justitiam imputare, & vitam æternam largiri decrevit. Sed*
235 *Censores nostri dicant,* [235] *quid rei sit Fidei illorum cum charitate? Fides illis est, Christum
pro nobis charitate jam satis superque defunctum esse. Quid igitur nos ipsos ea defungi ne-*
236 *cesse est? Imo necesse est non defungi; si ultra* [236] *conatum bene agendi & diligendi nihil no-
bis relictum est? Dicant quam spem salutis habere possint, verâ fide & charitate sublatâ?
Ad decretum illud æternum & immutabile, quo quisque nominatim vitæ vel morti destina-*
237 *tus sit, confugiunt: sed cum* [237] *tale decretum nullum sit, relinquitur & spem illorum nul-*
P.72. 238 *lam esse: quod etiamsi esset, cum* [238] *nemo scire certo possit, quid de se ab æterno sit constitu-
tum, necesse est unumquemque semper anxium inter spem metumque fluctuare.*

E X A M E N.

231 P. 69. §. 207. [231] Paullo rectius de *invocatione Christi* loqueris, quam Socinus solebat: cui nihil familiarius, quam Christum adorari debere, invocari posse. Quo satis innuebat, non esse necesse ut invocaretur. Deum invocare possumus, sed & debemus, & ut eum invocemus, necesse est. Ne nunc quidem putandum est, vos à mente Socini recessisse, quamvis modum loquendi tolerabiliorem usurpetis. Vultis, Deum posse invocari, non in Christo, non ut unum cum Christo. Ita à Patribus invocatum esse. Hoc falsum est. Neque omnia, quæ petere à Deo possumus, putatis esse licitum à Christo, sive in nomine ejus, petere. Audiamus Socini observationes in libro de Ador. contra Christ. Francken, p. 193. 194. 195. *Deum invocamus tanquam omnium bonorum solam & primariam causam, Christum vero tanquam secundariam causam, & à primaria illa planè pendentem. Christi invocatio ipsius Dei invocatio est; non autem contra Dei invocatio est Christi invocatio. Deum quisque omnino in omnibus invocare potest, ab eoque quæcumque bona & ad quemcunque pertinentia petere: Christum vero in iis tantum nos Christiani invocare possumus, quæ ad nos tanquam Christianos adque ejus Ecclesiam quoquo modo spectant. Cum Deum ipsum rogamus, nisi Christi quoque, ad quem preces dirigamus, aperta mentio fiat, Christum nequaquam invocamus. Si in*vocandi *verbum cultum & fiduciam declaret, omnes, qui Christiani esse volunt, quibusque Christi notitia, quæ in sacris literis explicatur, divinitus concessa fuerit, omnino & semper Christum invocare debent.* Hæc omnia sequuntur Separationem Filii à Patre: ut fiat Deus secundarius & vicarius; dependens; qui non invocetur, quum Deus Pater invocatur; qui habeat potestatem limitatam; quem indiscretè possimus adire precibus nostris, petendo, quod ab eo peti non debet, quodque is dare non potest; cui confidamus, ut quid à Deo obtineamus, & propter quem, & nomen, verbum, & auctoritatem ipsius, quum nihil nisi creatura sit, credamus creatori. Eques, ne quid magistri sui turbet, cautè nobis permittit, vel Christum invocare, vel *Deum per Christum.* Sed, quod addit, eos, qui ita orant, significare, se credere *omnia in Christi manu esse*, id non universaliter intelligendum esse, ex præmissis patet. Nos credimus, omnia, quæ nobis donari possunt, quæque petere possumus, nobis cum Christo esse donata; eaque in nomine Christi, ut illius, qui petitiones nostras facturus sit, esse petenda; & *per eum* nos invocare Patrem, quia Pater & Filius unum sunt; & Patrem *per Filium* nobis largiri omnia, quemadmodum & *per Filium secula fecit*, hoc est, in unitate essentiæ, voluntatis, & potestatis; &, si quis Filium non invocet, nec Patrem invocare, quum is, qui Filium non habet, nec Patrem habere possit, & Pater sit in Filio, Filius in Patre; quo monstrante, quæ ipse facit, omnia Filius similiter facit.

232 §. 208. [232] Nemo nescit, vos de fide, charitate, &
P. 70. spe verba facere: etiam Judæi & Turcæ de illis virtutibus
71. loquuntur. Ne Antichristus quidem venire potuit absque pulcherrimorum illorum nominum pompa. Sed quis nescit, ab eo illas virtutes exstingui? Id in vobis etiam comperimus, & vestra doctrina. Vestra fides, ut vidimus, est, eos consecuturos vitam æternam, qui *secundum humanum modum* (p. 62.) justi sunt, ex absolutissima potestate, Deo peccata non curante, sed tamen, quia ita ipsi placet, talem obedientiam exigente, quæ sit depositio omnium habituum malorum. ideoque necesse esse, actu quodam satis longo talem obedientiam præstari à nobis ipsis. In ea fide non invenimus imaginem fidei veritatis: neque etiam causas diligendi Deum. Quæ dilectio includit gaudium in Dei perfectissima sanctitate, & natura immutabili, & sapientia, & donato Christo, ac Spiritu ejus, ac vita æterna; ut sit Christianismus perpetua gratiarum actio, & in Deo, & spe gloriæ ejus gloriatio. Hæc charitas, quæ est sensus & reciprocatio amoris divini, est vera causa & gubernatrix amoris proximi in veritate & justitia. Nam, qui nescit, quod sit bonum proximi, quæ salus, quæ justitia, quomodo diliget proximum? Certè, qui de justitia non sentit, quemadmodum oportet, non potest rectè de justificatis judicare; sed habebit justos pro injustis, injustos pro justis. Quod & Judæis contigit, & Pontificiis. Igitur consequenter amat, quem Deus odit; odit, quem Deus amat: honorat, quos Deus aspernatur; qui Deum honorant, eos aspernatur. contra id quod præceptum est Psalm. 15. Quæ est, ut ab ἀδελφότητι, ita à φιλαδελφίᾳ aberratio. Neque hinc aliud, quam ἀνομία, & scandala, & corruptio, provenire possunt. Quæ certè non
sunt amoris. Vestra autem [233] *spes*, quæ est *conclusio* ex 233
falsa propositione, & incerta assumtione, qui spes erit?
Certè non ante finem vitæ erit. Si enim [234] *innititur cha-* 234
ritati, ut causæ justitiæ imputandæ, eique integræ & perseveranti, vel erit *confidentia facti*, quod exigitur, vel *opinio possibilis salutis.* Dicam amplius. Spes vestra tota in hoc dilemmate pendet: Si bene credidimus, & fecimus, vivemus; sin, non erimus.

Atqui spes nostra in Deo, in justitia ab ipso donata, in Spiritu obsignante, fundata, non dubia in præsumtione possibilis salutis fluctuatio, sed est certa salutis expectatio. quæ & quotidianam δοκιμὴν quærit, nec confundit.

§. 209. [235] Quid fides Ecclesiæ Reformatæ cum chari- 235
tate commune habeat, Tu cum tuis ubique occentas. de quo tibi respondeat Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 5. 6. 7. 8. Et nos aliquoties jam respondimus, & modo. Christus nos dilexit, non ut nos relinqueret nobis, sed ut suos faceret, ut in nobis viveret, ut justificatos glorificaret. Omnino igitur fides cum charitate connexa est; quum & ipsa fides nihil sit, nisi charitatis Christi effusio in cordibus nostris, & ejus sensus, & ὁμολογία, & reciprocatio. Jam amat, qui credit: &, nisi amet, nec credit. Vos, qui *functionem charitatis*, ad vitam requisitæ, inter Christum & vos dividitis, & vobis *justitiam*, Christo *sup-plementum imputatis*, quomodo potestis Christum dilige-
re, ut justitiam vestram? [236] Si plus, quam *conatus*, ad 236
justitiæ imputationem requiritur, certè perfectio requiritur: qui hanc non præstiterit, spe caret. Quæ ista superbia est; initia novæ vitæ & beatitudinis nostræ indignari *conatum* appellari? Quicquid citra perfectum est, *conatus* est. sed conatus, qui oritur ex obedientia in typum doctrinæ nobis traditæ, ex effusione charitatis Dei in cordibus nostris, ex legis Dei inscriptione in cor, ex Spiritu fortitudinis, dilectionis & modestiæ, tanquam sigillo animum firmante, qui est cum studio & zelo, cum sui exploratione ad δοκιμὴν, cum deploratione lapsationum, cum fastidio nostri, quod non facimus, quod & quem-

quemadmodum volumus, cum timore, cum corporis sugillatione, cum precibus & gemitibus ad Deum adjutorium nostrum. Ita Christum didicimus, ita profitemur. Hoc vitæ Christi in suis deputamus: qui sic sunt, ὁσίως, חסידים appellamus, non humano modo justos, sed Dei beneficio, & Christi obedientia.

237 P. 71. 72. §. 210. [237] Spem vos tollere, vel inde perspicuum est, quod Testamentum Dei (ita Scriptura *decretum* Dei *æternum* de hæredibus salutis & filiis promissionis appellat) *nullum* dicitis: & *sigillum acquisitionis* Spiritum sanctum, qui per opera sua in cordibus se prodit, animisque nostris affirmat, nos esse filios Dei, pro nullo habetis. Negas enim, quenquam [238] *scire posse*, *quid de se ab æterno sit constitutum.* 238 Quasi amans Deum ignoret, se ex proposito vocatum esse, Rom. 8: 28. Vos, legis accusatione sublata, & judicio, & merito, & potentia sanctificante, & custodia divina, acquiescitis in eo, quod animus vester dicit, nescientes, Deum esse majorem cordibus vestris.

APOLOGIA.

Non negare nos omnes vere pœnitentes salvatum iri. 2 Cor. 6: 2.

AJunt, nos negare omnes verè pœnitentes salvatum iri. *Hoc si negaremus, universum negaremus Euangelium: sed scio quid in re sit;* [239] *in definitione veræ pœnitentiæ inter nos non convenit. Vera pœnitentia, primum in iis locum non habet, qui cum pridem occasionem Christo sese aggregandi, & vitam emendandi habuerint, in exitu demum vitæ actionum suarum pœnitudine ducuntur: hæc sera pœnitentia est, propterea nec vera.* Dicit enim: tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Ecce nunc est 239 tempus acceptum, ecce nunc est dies salutis: *antequam scilicet veniat ingratum illud tempus, & calamitosus dies, quo Deus, propter neglectam à nobis salutem, lachrymas nostras non respiciet. Deinde nec in istis vera pœnitentia locum habet, qui pœnitere se anteactæ vitæ dicunt, cæterum facta arguunt, eos nequaquam pœnitere, siquidem ad pristinos relabuntur semper mores, ac plus tristitiæ in ipsis est, quam pœnitentiæ, & morientes demum, non relinquunt peccata, sed ab illis relinquuntur; quod sane mirum non est, si credant, vera vitæ emendatione ad salutis adeptionem haud opus esse. Fucatam igitur pœnitentiam, si discreverint Censores à vera & genuina, & huic, non illi, salutem attribuerint, nulla hic inter nos & inter ipsos erit dissensio.* P. 73.

EXAMEN.

239 P. 72. 73. §. 211. [239] Si Eques & socii ejus tantum docerent, tempus inveniendi non esse negligendum, ne fortasse Deus occultet faciem suam à nobis, & subsannet nos in angustia nostra; neque ipsi jactatione absolutissimæ facultatis, & virium sufficientium, &, abnegatione necessitatis interioris operationis Spiritus sancti, ansam sibi darent differendi auscultationem verbi divini, & timorem recessionis Dei tollerent; cæteraque, quæ ad fidem necessaria sunt, integra relinquerent: laudaremus ipsos. Nunc, quum audent, pœnitentiam senum & ægrotorum negare veram esse, imo, qui apertius loquuntur, etiamsi vera sit, seram dicere; minimè ipsos laudamus. De ea re sic loquitur Schlichtingius in epist. ad Hebr. cap. 12. pag. 608. Esavus *frustra fuit, nihil profuerunt illi lacrymæ jam seræ. Hoc ipsum cogitandum relinquit D. autor profanis omnibus; nihil fletus, nihil lachrymas illis post amissum æternæ salutis adeundæ jus profuturas, si nimirum vel* SERÆ *fuerint, quales eæ sunt, quæ tum demum funduntur, cum tempus emendandæ vitæ præteriit, & judicii ac supplicii tempus jam advenit; vel non satis fuerint seriæ & in novam vivendi rationem veramque sanctitatem, qua jus illud amissum iterum recuperetur, efficaces.* Et, *Facile hinc liquet, quid de illa morientium pœnitentia & animi contritione, ut vocant, sentiendum sit, qui, dum viverent ac valerent, peccatis indulserunt seu voluntariè post acceptam veritatis notitiam peccaverunt. Jam enim veræ fructuumque bonorum feracis pœnitentiæ tempus illis præterlapsum est, & ad judicis tribunal vocantur ac veluti sistuntur. Quanquam enim satius est tum quoque fletu & lachrymis Dei misericordiam ambire, quam omni planè spe abjecta de ea consequenda nihil laborare: tamen vi Novi Fœderis, si mors consequatur, nec ullum ad veterem hominem cum operibus ejus exuendum novumque induendum tempus concedatur amplius, salvari nequeunt. Ideo extraordinaria quædam Dei gratia illis opus est, quam paucis admodum, iisque non talibus, qui, Esavo similes, profani fuerint, obventuram esse, credere consentaneum est.* Nostrum non est, ulli homini spem facere, si differat pœnitentiam. Nam, qui in peccatis vivunt, ad illos nullum verbum consolationis habemus. Et certum est, multos à Deo relictos in peccatis suis mori. Cujus rei integræ gentes exemplo sunt. Atque etiamsi in extremis pœnitentia detur, in hoc tamen seculo nullo fructu Deum glorificabit serus pœnitens, aut regnum Dei locupletabit, neque adeo, nisi singulari gratia, in ipso sigillum Spiritus tantam præbebit sui experientiam & sensum, & suspectus manebit hypocriseos. deinde necesse est, illorum conscientiam angustiari & excruciari vehementius. denique, sentient cum magno pudore jacturam eorum, in quæ vitam impenderunt. Quare semper nobis cogitandum est: *Justus vix servatur; & ubi improbus manebit?* Nihilominus tamen negamus verum esse, ulli verè pœnitenti, quia tempus non conceditur ad fructus pœnitentiæ copiosos ferendum, salutem negandam esse. Negamus, hoc ex Fœdere Novo, quæ est legislatio Novi Testamenti, Hebr. 8: 6. consequi. Dicimus, omnem, qui verè & serio in Christum credit, eumque credendo amat, &, quantum potest, confitetur, mundumque & concupiscentias ejus abdicat, ac peccatum odit, & ad Christi consortium anhelat, verè pœnitentem & salutis esse consortem. Hæc Christi vox est. Huc nos ducunt sigilla, Baptismus, & S. Cœna: quibus omni tempore credentibus communio Christi, & justitia, & salus obsignatur. S. Petrus asserit, *etiam mortuis Euangelium prædicatum esse, ut secundum homines quidem judicarentur in carne, viverent autem Deo spiritu.* 1 Petr. 4: 6. notans, ante diluvium Christum per Noachum in spiritu suo prædicasse, ut homines in ipso diluvio etiam salvari possent fide Noachi hæredis & præconis justitiæ Christi. Christus nunquam destituit aut frustratur amplectentes se. Est vera rupes. Beatus omnis, qui confugit ad illum. Socinianum dogma ex illo fonte scaturit, quod putant, Facta idonea ad justitiam imputari. Nempe germen hujus doctrinæ est, Verè credentibus (atque ita verè pœnitentibus) quibusdam salutem negare, & secundum humanum & Socinianum modum justis Christi abnegatoribus & hypocritis vitam æternam adjudicare. Nam quomodo non sunt hypocritæ, quibus homo sine sapientia & sanctitate, & appetitus inclinans ad non-recta, videtur esse ex Deo, &, ut homo nascitur, non videtur nasci in peccato, & Patriarchæ sanctique Dei homines videntur non habuisse nisi suspicionem vitæ æternæ, & putant, Deum posse omittere exactionem solvendi debiti, & præcepta, quæ necessario facienda sunt propter voluntatem Dei, posse non exigi à Deo, inque Deo nullam sanctitatem esse, qua peccatores à sui communione arceat, aut non sine complemento legis homini vitam donet; cumque vitam dare, non quidem sine causa justitiæ imputandæ, sed tamen eam causam esse justitiam secundum humanum modum, nempe, quod ex eo consequitur, non modum hominis ingeniosissimi & sapientissimi, ociosissimique, sed uniuscujusque. Hanc Eques *veram pœnitentiam*; eam vero, cujus initium & radix est fides in Christum, Filium Dei propriè proprium, & ejus meritum, & liberale donum justitiæ, quæ fides Deo gloriam dat, & nihil dubitat, justitiamque

& ejus fructus sanctitatem, glorificationem Dei in nobis, vero desiderio, fame ac siti, amplectitur; *fucatam pœnitentiam* arroganter & petulanter appellat. Nam quum dicat, *nos in definitione pœnitentiæ non convenire*, quid *fucatam pœnitentiam* dicet, nisi eam, quæ à nobis ex Scripturis definitur?

A P O L O G I A.

Nos cum Sadducæis non 240 negare vitam animarum post mortem corporis.

240 [240]NEgant, *inquiunt*, cum Sadducæis vitam animarum post mortem corporis. *Nos ve-*
ro [246] credebamus hominem proprie loquendo vivere, & hominem mori, non animam,
non corpus. Sed [245] contra animarum corpore solutarum vitam contendere, quid interest?
quis non cupiat animas etiam corporibus carentes vivere, agere, intelligere; Dei conspectu
& gaudiis cœlestibus perfrui, pro nobis, in corpore adhuc, tanquam in carcere agentibus,
Deum orare, nostrique curam gerere? quis non pedibus in hanc sententiam eat? tanto vero
246 *magis, si non Philosophorum conjecturis, (nam hæc Ethnicorum Philosophorum fuit opinio)*
245 *sed Dei verbo, quod solum veritas est, solide comprobetur. Sadducæos, quos dicunt, legi-*
P. 74. *mus resurrectionem mortuorum negasse; sed [241] vitam animorum à corporibus secretorum a-*
241 *perte negasse, non legimus. Quia ob id ipsum resurrectionem mortuorum negare poterant,*
quod crederent corporum restitutione, quia animæ sine iis vivant, nihil opus esse. Nam &
Ethnicis Philosophis irrisui fuit resurrectio mortuorum, quod ad vitam animorum corpori-
243 *bus nihil opus esse putarent. De [243] Judæis vero historicus:* Animas, *inquit*, prælio aut
suppliciis peremtorum æternas putant; hinc generandi amor, & moriendi contemptus.
242 *Sed nimirum & hic [242] infame aliquod nomen præscribendum fuit, quasi non perinde infame op-*
P. 75. *poni possit, Ethnicorum [244] Philosophorum, quam Sadducæorum. Non quis dicat, sed quid*
244 *dicatur à sapientibus spectari debet. Non caret tamen ratione, quod Censores de Sadducæis*
247 *affirmant. Si enim [247] credidissent animas sine corporibus vivere, facile negassent consequen-*
tiam argumenti à Christo contra se allati: Deus sese Abrahami, Isaaci & Jacobi, qui pri-
dem sunt mortui, Deum appellat: igitur à mortuis resurgent. Si enim non resurgerent, per-
petuo mortui manerent: at Deus non est mortuorum Deus, sed viventium; (mortuos viven-
tibus Christus opponit) omnes enim, etiam mortui, Deo vivunt, quatenus nimirum eos vi-
vos facere & potest & constituit. Hanc consertam rationum Christi aciem, nullo negotio
disjecissent, si dixissent, nihil istorum consequi, siquidem animæ corporibus liberatæ vivant,
P. 76. *& maximis Dei beneficiis perfruantur, & in æternum perfruituræ sint. Hoc ipsum & A-*
1 Cor. 15: 3. *postolo regerere poterant, qui resurrectionem negabant, dicenti;* si non datur resurrectio mor-
tuorum, edamus & bibamus, cras enim moriemur. *Etiamsi non detur mortuorum resurre-*
ctio, respondissent tamen, se post mortem absque corporibus vivere, & in perpetuis gaudiis ac
240 *voluptatibus esse posse. Sed nos [240] animarum, quamdiu sine corporibus sunt, statum, Deo*
relinquimus, certissima fide, quæ propria Christianorum est, mortuorum resurrectionem com-
plexi.

E X A M E N.

240 P. 73. 74. 75. 76. 241 §. 212. [240] In margine infitiatur Eques, se *negare vitam animarum post mortem corporis* cum *Sadducæis*. in sermone Apologiæ ait, *se Deo relinquere earum statum.* [241] Disputat, an ea fuerit Sadducæorum sententia. quum Lucas Act. 23: 8. id Sadducæis asserat. *Sadducæi*, inquiens, *dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum.* Atqui *animam* hominis illam, qua intelligit & vult, solet Scriptura *πνεῦμα spiritum* appellare. Neque alius est *spiritus* creatus præter *angelos*, qui sunt boni & mali. Atque id in dogmate Sadducæorum continetur. Illi negabant (ut Talmud narrat) mercedem post hanc vitam. & Josephus ἀρχαιολ. lib. 18. cap. 2. σαδδουκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. *Sadducæorum dogma animas cum corporibus extinguit.* Eques queritur, [242] *infame Sad-*
242 *ducæorum nomen* à nobis *præscribi*. Id ea causa fit, ut quisque sciat, cum quibus consortium habeant, qui talia statuunt. S. Paulus se Pharisæum vociferatur in consessu judicum, & Sadducæos declarat adversarios. Dices, Apostolum tantum pro resurrectione mortuorum pugnare, & in ea causa se associavisse Pharisæis. Atqui Paulus nuspiam dogma hoc abnuit: & Lucas memorat, Pharisæos, secundum Paulum pronunciantes, etiam *spiritûs* fecisse mentionem, ad urendos Sadducæos. vers. 9. *Nihil invenimus malum contra hunc hominem. Si autem spiritus aut angelus ipsi loquutus est, ne Deo bellum faciamus.* Hoc est affirmantium, Deum per spiritus hominum mortuorum æquè atque per angelos posse loqui. Ibi nec Paulus nec Lucas testati sunt, Pharisæos errasse.

Non est igitur, quod Eques nobis objiciat societatem Judæorum, intellige Pharisæorum, quos nobiscum sentire ex Josepho probat. Pharisaica secta fuit optima & accuratissima. Actor. 26: 5. Pharisæi & Scribæ tenuerunt cathedram Mosis. Matth. 23: 2. Fuerunt illi doctores populi usque ad Christum. Multum de catechesi Veterum retinuerunt.

§. 213. [244] Neque pudet hîc nos sentire cum optimis Philosophorum. quos natura docuit, hominem non posse esse conditum nisi ad optimum finem, sive ad demonstrationem Dei in ipso gloriosissimam. ergo ad quærendum & inveniendum Deum. proinde ad vitam immortalem. 244

§. 214. Porro Eques negat, [245] sibi nolentibus esse, ut animæ vivant, post mortem corporis. Quasi id quæratur, & non, quid à Deo doctos asserere, credere, defendere nos oporteat, & in dubium minimè vocare. 245

§. 215. [246] Etiam disputat contra nostram sententiam. Primo, Hominem propriè vivere & mori, non animam, non corpus. Imo Scriptura asserit, *corpus mortale, corpus mortuum, animam interfici non posse*; (quod Socinus pravissimè mutat in *vitam restituendam impedire*. Vult, Christum dixisse: *Corpus interficere possunt; quo minus vita restituatur, efficere non possunt:* quum dixerit, *Corpus occidere possunt, animam non possunt.* Vide ep. ad Volkel. 5. pag. 490.) adeoque Hominem & mori, quia corpus moritur; & non mori, quia anima vivit. & quidem filiorum Dei anima post corporis mortem sincerissimè est vita. Joh. 11: 25. 26. Rom. 8: 10. 246

§. 216. Secundo, [247] obliquè, dum probabile facit, Sadducæos ita, ut nos dicimus, sensisse, arguit argumentum Christi & Pauli contra ipsos, resurrectionem negantes, invaliditatis, si animæ post mortem corporis vivant. In quo & ipse & Socinus magister ipsius fallitur. Utrumque enim probatur eodem argumento, & eos, quorum Deus est, Deo omnino vivere, hoc est, ipsius potentia, 247

&

& exhibitione suavitatis suæ vivere, non vero vitæ & sensus expertes esse: deinde, qua parte sunt mortui, olim esse victuros, ut & illa Deo vivant; quia illorum, qui animam & corpus habent, Deus est. Et Apostolus, docens abnegationem resurrectionis esse incitamentum ad profanitatem, præsupponit, eorundem esse negare & animæ superstitationem, qui negant resurrectionem corporis. non quod non sint, qui alterum velint retinere, etiamsi hoc rejiciant: sed quod eadem ratio & causa sit, quare & animi vivant, & corpora resurgant, atque ita unum non possit tolli, quin & alterum tollatur. Quod evidenter etiam intelligere est ex 2 Timoth. 2: 19. ubi doctrinam *Resurrectionis mortuorum* vocat *fundamentum Dei firmum.* idque duplici argumento, tanquam sigillo divinæ fundationis illi doctrinæ impresso, comprobat: 1. quod *Dominus suos novit.* atque adeo semper ipsorum Deus est, & peculium suum curat, & ex manu sua non omittit. 2. quod *Christi nominatio postulet abstentionem ab injustitia.* Quia enim nemo impune Christi nomen maculare, & gentibus profanandum propinare potest; necesse est, esse resurrectionem; & multo magis animæ superstitationem, ut judicentur, qui Christi nomen in vanum assumserunt. Nam si animæ cum corpore extinguuntur, & resurrectio non est nisi eorum, qui crediderint, ut glorificentur: patet, judicium de illis non fieri.

§. 217. Cæterum, quid Socinus sentiat, aperit ipsius Epistola 5. ad Volkelium. pag. 489. *Tantum id mihi videtur statui posse, post hanc vitam animam sive animum hominis non ita per se subsistere, ut præmia ulla pœnasvè sentiat, vel etiam ista sentiendi sit capax. quæ mea firmâ opinio facile potest ex disputatione illa* (cum Puccio) *colligi.... cum in ipso primo homine totius immortalitatis rationem uni gratiæ Dei tribuo, nec in ipsa creatione quicquam immortalis vitæ in homine agnosco.* Igitur & Schlichtingius ad cap. 11. epist. ad Hebr. ubi Apostolus dicit: *Nunc autem meliorem desiderant. Quare & non illorum pudet Deum, ne Deus ipsorum vocetur. Præparaverat enim illis civitatem.* Ibi dicit Schlicht. sanctos in *statu* esse *vita sensuque carentium.* Smalcius ad 2. libr. Smigl. 148. etiam Christum, quum crucifixus esset, vixisse negat, illum, qui non tantum est via, sed & vita, & quidem vita hominum fuit ab initio.

§. 218. His consideratis, prorsus non credo, ei volenti esse, [245] ut probentur animæ vivere post corporis de- 245
positionem. Nam si animæ sunt immortales; sic factæ sunt, & homo sine sapientia & sanctitate, ad vitam immortalem eamque beatam ducente, fieri non potuit. Ita promissio legis fuerit, vitæ immortalis beatitudo. Ergo lex ad eam vitam. Ergo non Christus primus hanc immortalitatem & beatitudinem promittit. Ergo propter hoc non venit, ut legem perfectiorem faceret, & conditionem vitæ æternæ proponeret: sed propter aliud; nempe ut legi satisfaceret, nosque sibi emeret in peculium. Verum est, quod Apostolus dicit, 2 Timoth. 2: 17. doctrinam illam Sadducæam instar gangrænæ serpere: & veritatem contrariam merito fundamentum Dei divinis signaculis munitum appellari, cuivis prudenti perspicuum esse potest.

248 Nos impiorum resurrectionem non negare. Act. 24: 15. 2 Cor. 5: 11. 12. Vide Confess. vindic. cap. 20.

APOLOGIA.

[248] NEgare nos *ajunt*, impiorum resurrectionem. *Nos vero cum Apostolo*, spem habemus in Deo, resurrectionem fore mortuorum, justorum & injustorum; *justorum ad vitæ æternæ gaudia; injustorum ad ignis æterni supplicia. Et* hunc terrorem Domini, (*qui haudquaquam vanus in ullis futurus est*) scientes, homines suademus, Deo autem manifesti sumus, speramus vero etiam conscientiis vestris fore manifestos.

EXAMEN.

248 P. 76. §. 219. [248] Negari à suis impiorum resurrectionem, negat Eques. Citat in margine Confess. Vindic. cap. 20. Ipsa confessio Belgica, quæ Apologiæ adjungi solet, in capita distincta non est. Quid libri sit *Confes. Vindic.* adhuc ignoro. Tantum scio, alicubi illos socios locum Actor. 24: 15. sic depravare, ut *injustos, qui* resurrecturi sint, interpretentur eos, qui non pleroque vitæ tempore justè vixerint. Ita in Compendio, quod edidit D. Cloppenburgius: cap. 8. §. 1. *Docent, fideles in illo novissimo die resurrecturos esse, non autem impios, inde ab initio mundi mortuos.* Ibidem §. 4. dicunt, *Peracto judicio, impios, qui tunc vivi erunt, in ignem æternum, una cum diabolo, iri detrusum*, Matth. 25. *Ita videlicet, ut semel omnes isto igne absumantur. qui æternus propterea dicitur, quia nulla unquam liberatio ex eo continget.* & §. 5. *Negant cruciatus impiorum & diabolorum duraturos esse in æternum: verum omnes simul esse penitus abolendos.* Eques noster σοφὸν φάρμακον invenit: *Resurrecturos impios, ad ignem æternum*, hoc est, abolitionem. Socinus non tantum sapuit; qui in epistola ad Volkel. 6. pag. 492. fatetur, in disputatione cum Puccio ita agi de *impiorum morte* (æterna nimirum, & sic absque resurrectione) ut lectores *prius sentiant sibi eam doctrinam persuasam esse, quam suaderi animadvertant.* Quare subdola sunt & versutiæ plena, quæ tum Eques hîc, tum confessio dicit. Nos tenemus fundamentum Dei, ejusque sigilla agnoscimus, & terrorem æterni judicii cum Socini sociis non minuimus, quo infideles conjicientur in tenebras exteriores, ubi erit planctus & frendor dentium, non autem ἀναισθησία & ἀνυπαρξία sive status sensus & extantiæ expers.

APOLOGIA.

[249] REcte igitur, *inquiunt*, dictum est, doctrinam illorum prope Turcicam esse. *At ex* P. 97.
iis, quæ adhuc pro defensione nostra attulimus, patere arbitramur, valde perperam 249 Valde perperam dici, doctrinam nostram esse prope Turcicam.
id dictum esse: quod illi ipsi, *inquiunt*, negare non possunt, utpote qui asserunt doctrinam de Christi persona, impedimentum esse conversionis Judæorum & Turcarum. *Hoc perinde est, ac si dicerent, doctrinam de* [250] *idolis abolendis, esse Turcicam & Judaicam, eo quod idolorum cultus, conversioni Turcarum & Judæorum plurimum obstet: similiter doctrinam de uno Deo, Turcicam & Judaicam esse, quod doctrina de Tribus in Deitate personis,* 250
quarum quælibet sit Summus Deus, Turcas & Judæos à Christiana Religione aversos reddat. Non omne quod Turcæ, vel Judæi agnoscunt, protinus Turcicum est vel Judaicum. Nam si quid veri agnoscant, verum omnibus, & maxime Christianis, commune est. Non P. 98.
item omne, quod Turcæ vel Judæi improbant, protinus Christianum est. Nam si jure & merito improbant, multo magis id improbandum est à Christianis. Nulla alia re magis discriminantur Christiani à Judæis & Turcis, quam quod illi unum Deum agnoscant, sed unum Dominum, qui Dei gratia in omnia dominatum obtineat, ab ipso factum, proptereaque divino honore colendum, non agnoscant: Christiani vero unum agnoscun Deum, & unum

Dominum ab ipso factum, Jesum Christum. Ex hac regula discrimen inter Judæos, Turcas, Ethnicos, & inter Christianos petendum est; & hinc æstimandum, utri nostrum, nosne an Censores, propius ad Turcarum & Judæorum Religionem accedant.

EXAMEN.

249 P. 77. §. 220. [249] De similitudine Turcismi excusat Eques. sed in vanum. Non, quicquid Turcæ dicunt aut Judæi, falsum est: nec quod Sociniani quidem. Non hoc vos præjudicio gravamus. Hoc est, quod dicimus, *Doctrinam prope Turcicam esse*, hoc est, in plerisque partibus & fundamento cum ea convenire. Nam Jesum & Christum nominant, & Euangelium bonum esse asserunt, & Deum ex placito mundum ad tempus gubernavisse per ipsius doctrinam. Requirunt autem fidem & obedientiam ad vitam. Partem vero fidei faciunt, non credere Filium esse summum illum Deum: & Deum ita proprium Filium habere non posse. Impossibile est, ut honorem inferiorem verè divino illi negent, cui credendum, & obediendum, & quem à Deo gloria affectum credi volunt.

§. 221. [250] Judæis & Turcis sunt etiam scandalo idola, fateor. Sed hoc vos non sanatis; quum statuitis, quæ Deus sibi conjungit, illis adorationis consortium impertiri. p. 68. Sed primarium scandalum ipsis est Christus ipse, ut ab Ecclesia Christiana hactenus creditus est, & ipsius justitia. In qua re vos illis sociamini. Neque opus est hîc plura addi, quum & ipsius doctrinæ ostensione, & cum doctrina Judæorum collatione, & demonstratione, ob quid Christum damnaverint Judæi, & quid Christus confessus sit sub Pilato, demonstratus sit syncretismus cum Judæis. 250

APOLOGIA.

Illam ex multis erroribus non esse compositam. 251 P. 79.

DOctrina, *inquiunt*, ex multis erroribus simul junctis composita. *Hoc verum esse non potest; cum* [251] *ne unus quidem fidei articulus apud nos sit, qui ipsis expressis Scripturæ verbis non sit proditus: ut vel ex Confessione nostra, Symboli Apostoli explicatione expressa, constat. Dicere igitur debebant, doctrinam esse, quæ nil nisi id quod expressis Scripturæ verbis demonstrari queat, pro fidei articulo recipiat: proinde omnes errores fidei Apostolicæ appositos repudiet.*

EXAMEN.

251 P. 78. 79. §. 222. [251] Questi eramus, Socinianismum esse farraginem & centonem multorum errorum. Id ex dictis probatisque perspicere est. Apologia veterem plagam novo ulcere aut vulnere solidare satagit. nempe, quod nihil apud ipsos sit pro articulo fidei, quod non expressis verbis Scripturæ demonstretur. unde sequitur, ut plures falsitates, contrarias Scripturæ, non putent in fidem impingere, aut scandalo esse; sed omnes, qui expressum verbum loquuntur, & aliud non ponunt principium fidei (quod nec faciendum est) pro fratribus suscipiant, quamtumvis aberrent à sensu Scripturarum, atque eas distorqueant. quasi non Apostolus dixisset, *Adhortor, fratres, ut spectetis eos, qui dissensiones, factiones & scandala præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & recedite ab illis.* Roman. 16: 17. quasi non alius dixisset, *Si quis hanc doctrinam non affert, ei ne Ave quidem dicite.* sed vel hic dixisset, *Si quis modo sonum verborum ad vos attulerit, ei Ave dicite:* aut ille, *Si quis χρηστολογίαις & εὐλογίαις noverit seducere corda simplicium, eum amplectimini.* Aut S. Petrus: Si quis callidissimè torserit Scripturas, is præcipuus inter vos esto.

§. 223. Quis vobis, Eques, qui solis Scripturarum armis & argumentis invincibilibus pugnatis, dixit, Ea tantum esse credenda, quæ verbis expressis traduntur? In aliis errare, seducere, & παραχαράττειν τὰς γραφὰς non esse contra fidem. Verbum, juxta quod articulus fidei à non-articulo fidei discernendus est, non erit articulus fidei? Ergo, si verum est, sola expressè dicta facere articulum fidei, id expressè dictum esse oportet. Ubi igitur, re quæso, illud legisti? Resurrectio est articulus fidei, &, quod tu nescis, erat articulus fidei patrum. Eum Christus demonstratione divinæ sapientiæ, non verborum tinnitu, confirmat & statuit, Matth. 22. Non idem & nobis faciendum est? Sed de hoc non est necesse plura addere. Disputamus ea de re copiosius in libro de Potentia Scripturæ; quem Pontificiis nuper opposuimus.

APOLOGIA.

Nec exstirpationem esse fidei Christianorum. 252

EXtirpatio, *inquiunt*, fidei Christianorum. *Si omne id quod Censores nostri fidem Christianam putant, fides Christiana est,* [252] *non male profecto conjectant: sed si opinione sua falluntur; id quod de nobis immerito dicunt, in se ipsis invenient.*

EXAMEN.

252 P. 75. §. 224. [252] Ingenuè fatetur Eques, si nos veram doctrinam didicerimus ex verbo Dei (quam nos didicisse scimus & profitemur) *non malè nos conjectare*, quod ipsorum doctrina sit *exstirpatio fidei Christianorum.* Hac igitur in parte non est, quod luctemur cum ipso. Quod tamen dicit, *Si opinione nostra fallamur, id, quod de ipsis dicimus, in nobis inventuros*, nempe nos extirpare Christianismum; id neque ei congruit, quod solent fraternitatem Euangelicarum Ecclesiarum ambire, (de qua re loquitur Eques, pag. 92. 93.) quodque modo dixit, nihil nisi expressa verba Scripturæ pro fidei articulo habendum esse. Quid enim? An nos ulla verba expressa Scripturæ negamus? At vobis contradicimus, & vobiscum misceri tutum nobis non putamus. Quid tum? Numquid eo peccamus contra expressum verbum Dei.

§. 225. Vide, quæso, quam stulta sit illa ratio conciliandæ concordiæ per sola expressa verba Scripturæ. Nam juxta hanc regulam concordes erunt, & fratres habebuntur, etiam ii, qui se mutuo pro fratribus habere metuent. Nos enim dicimus, Vitandos esse, qui doctrinam eandem non afferunt; vos dicitis, non esse vitandos, qui eadem expressa verba afferunt. Utrique eadem verba citamus, quibus injungi putamus conscientiis nostris, nos recessionem, vos commixtionem. Verba expressa, juxta vos, conjungent nos, quos sensus dividet.

Deinde, quæ est illa tanta audacia vestra, ut nostram doctrinam non vereamini dicere exstirpationem doctrinæ Christianorum? Numquid nos de Christo, de præceptis ejus, de fide, de necessitate charitatis, de certissimo fructu pietatis, de spe, de Christi potestate minus dicimus ullo vestrûm? Quum igitur illa, quæ vos dicitis, meliora & sinceriora sint apud nos, quam apud vos; quî dicis, nos extirpare Christianismum? Hoc quidem est à bile tua, non à ratione.

APO-

A P O L O G I A.

Falso nos accusari quod Magistratum non possimus diligere.

AGgerunt ſubinde & coacervant nova crimina; Magiſtratum, *inquiunt*, non poſſunt di-
ligere; quandoquidem Chriſtianos non putant eos, qui gladio ſecundum Dei verbum
utuntur. *Nos vero diligimus ex animo Magiſtratum, & pro eo aſſidue vota fundimus.*
Scimus enim quantum humani generis interſit, illum eſſe incolumem. Scimus hanc ordina-
tionem à Deo inſtitutam eſſe: ſcimus eandem ſine gladio non poſſe conſiſtere: tantumque P. 80.
abeſt, ut eos, qui in Magiſtratu ſunt, Chriſtianos non putemus, ut [253] *nihil magis in vo-* 253
tis habeamus, quam nullos alios Magiſtratus eſſe, quam veros Chriſtianos. Sic enim fieret,
ut [254] *& gladio uterentur ſecundum Dei verbum, non illud, quod per Moſen ſoli Iſraëlitæ,* 254
cum ſerviliter haberentur, audiverunt; ſed quod per Chriſtum, Dei Filium, omnibus gen-
tibus, ad filiorum Dei libertatem vocatis, publicatum eſt.

E X A M E N.

253 P. 79. 80. 254

§. 226. [253] Amor veſter erga Magiſtratum, Eques, tua confeſſione hic eſt, ut velitis nullos eſſe magiſtratus niſi Chriſtianos, hoc eſt, Socinianos; quique gladio utantur [254] non ſecundum legem Moſis, ſed ſecundum legem à Chriſto publicatam. id eſt, qui neminem gladio percutiant, ut occidant. neque bella gerant cum quoquam. Nam hoc Chriſtiano apud vos non licet. Venitis ergo ad nos, non tantum, ut doctores Eccleſiarum ſoli ſitis, ſed etiam magiſtratus. Ad hoc votum ſtudiumque vos conſcientia obligat, ut pag. 99. oſtendit: &, ut inſigni beneficio Rempublicam juvetis, quum magiſtratus facti eritis, arma, gladios, naves bellicas, munitiones multiplicabitis vigilias, ſtationes agetis, furcas erigetis, judicia conſtituetis, tum deinde publico edicto ſancietis, vos illa omnia facere animo Chriſtiano, nempe in ſpeciem mendacem, ad terrores, ut, ſi quis vos fortaſſe neſciat Chriſtianos eſſe, aggredi non audeat, de cætero nec fur cum telo veniens à domibus arceatur, nec latro de viis, nec hoſtis à portis, ſi vis facienda ſit: idque ipſum ita ſe facturos, jurejurando affirment magiſtratus, cives, duces, milites, vigiles. Ita tu te *Equitem*, hoc eſt, militem *Polonum*, & ad hoc natum auctoratumque jactas, ut juſto duello cives tuos patriamque defendas; nempe ut inſignibus obſtrictus beneficiis, quæ atavi tui ad te cum obligatione devolverunt, cum gladio armatus in hoſtem exieris, ei non reſiſtas. quale conſilium Socinus tuus affini ſuo Equiti dedit.

Numquid Moſes ſolis Iſraëlitis dixit, an Deus omnibus filiis Noachi, *Qui ſanguinem hominis fuderit, ejus ſanguis per hominem effundatur*? Imperativi enim vim futurum ibi habet. Nam quod Deus ſe facturum dixit; alia parte illius ſermonis continetur. Et ni ita eſt, qua fide Abrahamus exercitus alienigenarum, qui Sodomitas & una Lotum fratrem abduxerant, cæcidit? Geneſ. 14:15. Porro quibus verbis Chriſtus jus illud gentium reſcidit? Numquid illis; *Qui iratus fuerit temerè fratri ſuo, obnoxius eſt judicio*? An illis: *Qui gladium ſumit, gladio cadet*? An illo: *Impoſterum, qui gladium non habet, vendat tunicam, & emat gladium*? An illo: *Poteſtates ſunt vindices ad iram*? *fruſtra gladium non gerit*? *Date locum iræ*?

Nos, quemadmodum non niſi maximo metu, circumſpectione, condolentia, miſericordia, ſi neceſſitas fuerit, ullum ulla in re gravandum, vel ignominia indelebili afficiendum, vel occidendum, & bella non-niſi juſta & neceſſaria ſanctè gerenda eſſe putamus, & vulgarem procacitatem ad fundendum ſanguinem, quæ ferè ſola virtus reputatur, (cujus primarius *exſufflator* eſt Antichriſtus, *belli* & perſecutionis *doctor*, Eſa. 2: 4. orbis incendiarius) ita Magiſtratui incumbere credimus eam legem charitatis, ut nulli, quantumvis nobili, latroni ac furi civium ſuorum bona, pacem, corpora, vitam violare & lacerare per ipſos liceat.

A P O L O G I A.

Non eſſe nos audaces Scripturæ quaſi naſum cereum affingere.

AUdaces ſunt, *inquiunt*, Scripturæ quaſi naſum cereum affingere, eamque [255] enerva-
re. *Ecquis tandem erit criminationum modus? Utri vero id facimus, noſne, an Cen-*
ſores noſtri? Nos [256] *obſcuriora dicta Scripturæ, per clariſſima interpretamur: Cenſores*
noſtri, clariſſimorum per obſcuriora vim omnem eludunt. Quid clarius in Scriptura Sacra,
quam Chriſtum hominem fuiſſe [257] *ex Spiritu S. conceptum, & ſic Patrem habuiſſe Deum,*
Matrem, à viro intactam Virginem: fuiſſe à Deo unctum in Prophetam, in Sacerdotem, 255
in Regem, & Judicem cæleſtem, [258] *in Deum denique (quo* [259] *ſenſu Reges & Judices Scri-* 256
ptura Deos vocat) ſecundum illud Pſalmi de Chriſto, Unxit te, O Deus, Deus tuus? 257 P. 81.
quid clarius, quam Chriſtum dici [260] *Dei Altiſſimi Filium, non vero Deum illum Altiſſi-* 258
mum ipſum? quam Dei Filium [261] *vere & proprie mortuum eſſe? quam à Deo ex mortuis* 259
reſuſcitatum eſſe? quam [262] *Unum tantum Deum eſſe? & tamen ut hæc clariſſima dicta,* 260
obſcurioribus quibuſdam abuſi, cum ſua concilient ſententia, quid non ſunt commenti? Unum 261 262
ſole clarius Chriſti oraculum proferam, ut ex hoc judicium feratur de cæteris. Chriſtus di-
cit, [263] de die autem illa nemo ſcit, neque Angeli, neque Filius, ſed tantum ſolus Pater. 263
Hoc Chriſti dictum, nonne æquipollentem prorſus vim habet, ac ſi totidem verbis Filium, Matt. 24: 36.
Unum illum Deum eſſe negaſſet? Et tamen flectunt reflectuntque hanc clariſſimam Scriptu- Marc. 13: 32.
ram, ut ſenſus plane contradictorius, ſimul verus eſſe poſſit, nempe Filium quoque, ipſum
illum Altiſſimum Deum eſſe, & diem Judicii ſciviſſe, non minus quam Patrem, & neuti-
quam ſolum tantummodo Patrem.

EXAMEN.

255 P.80. 81.82. §. 227. [255] Enervatores Scripturarum Socinianos dicimus non injuria. Id confirmat Apologia, perpetua interpretatio fatetur, qua nihil relinquunt neque in mysterio pietatis neque in verbis Scripturæ solidi. Principium Euangelii Johannis legatur, & cum ipsorum inani expositione conferatur, res erit in propatulo. ad cujus pericopæ detorsionem non accinxit se Enjedinus, nisi prius *obscuritatem concisam, abruptam, minime sibi cohærentem, & ex allegoriis constantem orationem* Johanni affingeret. Ita
256 [256] Eques præjudicat, ea, quæ ab ipsis proferuntur, etiam non scripta, clarissima esse; quæ à nobis, obscura. Atqui Scriptura, si partes partibus conjungantur, & analogia perpetua servetur, non est obscura, nisi illis, quibus est difficile eam evertere.

Quid clariùs dicitur & crebriùs, quàm Christum esse ex cœlis, & non ex terra, prius descendisse, quàm ascendit, & ideo, quia ascendit, necessario sequi, quod prius descenderit? Atqui id Socinianis est obscurum. Contra, Christum prius ascendisse, quam descenderit; quanquam nullibi scriptum sit, est clarissimum. Sexcenta istiusmodi sunt. Delio natatore, aut Oedipô plerumque opus est, ut, quid possint dicere ad manifesta dicta, sciamus: vel ipsorum dicta pernoscamus.

257 §. 228. [257] Causam, quare D. Jesus sit Filius Dei, clare dici asseris, conceptionem & nativitatem ex virgine. Atqui id nusquam dicitur. Et Smalcius affirmat, quo Deus inde à conceptione Pater Christi verè dici possit, substantia seminalis in uterum virginis à Deo (paterno veluti officio) immissa, vel in eo creata ut fuerit, necessitatem magnam fuisse; &, quod Christus non ex virili semine conceptus sit, dicere, communem errorem censendum esse. *adversus nova Monstra* pag. 150. & 158. Ex loco autem, quem innuis, qui est Luc. 1: 35. clarè intelligitur, non, modùm nascendi ex virgine esse causam, cur filius ipsius sit & nominetur Filius Dei, sed superventionem Spiritus sancti. quæ est inhabitatio Sermonis, personæ divinæ & sanctæ, *spiritûs vivificantis*, in ipsa per assumtionem ejus, quod ex Davide erat, cum Spiritu sapientiæ & prudentiæ, consilii & fortitudinis, in carne illa manifestando, & plenitudine, ex qua dona in omnem carnem effundat. Ita per inhabitationem deitatis, & ejus demonstrationem, ac quasi diffusionem, & in nos effusionem, unctum esse Filium Davidis, planum est. Eo enim ipso quod est *Filius Dei secundum spiritum sanctitatis*, noscitur, juxta promissionem, is esse, qui nobis datus est in Sacerdotem, Regem, & Prophetam. Pro his vos dicitis, quod nullibi legitis, *Deus per Spiritum suum sanctum genuit Filium*. Schlicht. de SS. Trin. adversus Meisner.
258 præf. pag. 8. Filium [258] *unctum esse in Deum*, & quidem eo sensu, quo homines quidam appellati sunt Dii, (quales, quum θεοὶ λεγόμενοι nominantur, intelliguntur non id esse, quod vocantur; sed impropriè ita appellari) nusquam dicitur.

§. 229. Enervationis instar est, nomen [259] *Dei* de Sermone dictum, eximanire per metaphoram, quod facit So- 259
cinus, vel, mutato nomine Dei in appellativum & commune, ad inferiorem gradum detrudere. quod facit Smalcius. [260] Filius Dei Altissimi *verus* & *in potentia* non potest esse nisi Deus Altissimus, h. e. habere es- 260
sentiam Patris. [261] Filium Dei verè & propriè mor- 261
tuum fuisse credimus, quia & flagellatum esse, & vidisse, audivisse, ambulasse, edisse, dormivisse; quæ omnia de persona dicuntur, ratione eorum, quibus illa competunt. Nihil hic est commenti. Sed quemadmodum verè manducavit, mortuus est, ad inferos descendit, ita verè idem erat in cœlis, quum loqueretur in terris; & fuerat in mundo, antequam in mundum veniret. [262] U- 262
num Deum dicimus, ut ipse Deus, Deut. 6: 4. Nempe *Jehovah*, qui fecit nos, qui Filium dat, & Filius, qui fit *nobis in Deum* redundando, & *Jehovah*, qui obsignat nos, ut fiat nobis consummatè, quod est, & sic plenè ipsius virtutes cognoscamus, unum, &, quia una deitas est, unus Deus est.

§. 230. [263] Marci 13: 32. Filius non negat, se esse 263
unum illum Deum, sed negat cuiquam revelatum esse diem judicii. Igitur de se negat scientiam revelationis, quæ competebat in humanitatem. Ita Marc. 5. vers. 30. quum sciens volensque sanasset hæmorrhousan secundum spiritum sanctitatis scil. (nam virtus ex ipso exierat) sensit (carne scil. sive humanitate) virtutem à se exivisse, &, quam sanasset, ut ignorans adhuc, quæsivit. Ut nescientia humanitatem, ita potentia, & opus, & dispensatio revelationis operis deitatem indicat. Nulla est contradictio, *Solus Pater scit*, & Filius scit. quia Filius scit scientiâ Patris. Alioqui diceremusne falsum esse, quod Pater monstrat Filio, quæcunque facit? Solus Pater scit, quia non extat nisi scientia primaria & originaria determinantis diem illum. Ex eo non sequitur, Patrem esse extra Filium, extra Filium scite, extra Filium propositum fecisse. Sufficiant vel hæc exempla, quàm audacter, & protervè, ac sine pudore Scripturam enervent, eamque in sonos turgidos mente cassos convertant. Et quid aliud facerent, qui dicunt, verba prophetarum ex verbis Apostolorum (quasi ea discrepare possint) esse corrigenda; parum curandum esse, quid dicat de cultu Dei propheta Veteris fœderis: Verba Mosis ex Novo Testamento limitanda esse: nihil mirum esse, duros loquendi modos in Scriptura reperiri, quæ illis delectari quodammodo & affectare eos prorsus videatur; nimirum ut Sociniani per sobrios suos sensus eam ecstaticè loquentem emolliant. qualia legere est apud Smalcium *adversus nova Monstra* pag. 25. 79. 84. 269.

APOLOGIA.

264 NosScripturam rationis nostræ præjudicio non subjicere. IMo, *inquiunt*, Scripturam præjudicio rationis suæ subjicere. *Si commune* [264] *illud omnis intellectus principium*, nihil simul esse & non esse, *præjudicium rationis nostræ appellant, falluntur; cum hoc sit omnis rationis, non nostræ tantum, præjudicium; cui nequaquam est opus Scripturam subjicere; quia, cum Scriptura ipsa sit veritas, per eam ubique hoc principium diffusum est. Si aliquid aliud per istud præjudicium rationis nostræ intelligunt, nos id verum esse quod objiciunt, non agnoscimus. Neque enim ullas ad Scripturam præconceptas opiniones afferimus, & ad has Scripturam cogimus, quod faciunt ipsi; sed ex*
P.83. *Scriptura, quæ credamus & faciamus, accipimus. Nam si objiciunt, nos in Scriptura intelligenda ratione & judicio uti, eadem opera quod homines simus, non pecudes, nobis objiciant, simulque doceant, quo pacto quidquam sine ratione & judicio, possit intelligi & statui; cum ne ipsi quidem sua dogmata, nisi ratione & judicio aliquo adhibito agnoscant. Si qua igitur in re opera danda est, ne ratione & judicio labamur; profecto in iis, quæ ad salutem nostram pertinent, id omnino cuique curandum est.*

EXAMEN.

264 P.82. 83. §. 231. [264] Claritas revelationis, sapientia, conformitas, decentia mysterii revelati subjiciunt animum in obedientiam, ratiocinationes excludunt, bonam conscientiam efficiunt: sed dicere, *Hoc non intelligimus*, Ergo non est verum, id sane est præjudicio suæ rationis sive potius ratiocinationis Scripturam subjicere. Exemplum vide pag. 10.

10. & per totum libellum. Vos nempe scitis, quis Deus sit, optimeque intelligitis; saltem scitis, vos Deum intelligere posse, & eum cum aliqua re vobis cognita & *χαράγματι ἐνθυμήσεως ἀνθρώπε* assimilari, ideoque scitis, quæ vos non intelligitis, nec vera esse, nec vera esse posse, quum tamen hoc ipsum, quod revelatum est, quatenus revelatum est, intelligi possit, & in eo divina mysterii sapientia manifestetur.

APOLOGIA.

[265] AStuti sunt ad simplices constringendos. *Fortassis, quod simplices, apertas contradi-* 265 De astutia quam nobis objiciunt.
ctiones conciliare, & clarissimis Scripturis tenebras offundere, non æque norint, ut
isti docti, & [266] *mille distinctionibus Scholasticis,* [267] *essentialitatum, personalitatum, sup-*
positalitatum, humanitatum, modalitatum, & similium instructi. 266 267

EXAMEN.

265 P. 83. §. 232. [265] Si nihil aliud unquam à Sociniano homine scriptum esset præter hunc libellum, astus, fraudis & doli teneremini. Quid enim ubique nisi captiones, sophismata, cavillationes, meræque præstigiæ sunt, quæ loqueris?
266 [266] Vim vocabulorum, quibus utitur Scriptura, proprietatemque & emphasin, quam quoque loco habent, vestigare, non est res ridenda, sed valde necessaria. Idque vestrum studium satis arguit. Toti enim in eo estis, ut, si quid alicubi minus genuino pondere significetur, id in præjudicium ingenuæ explicationis sententiæ afferatis.

267 §. 233. [267] Vocabulis illis, quæ affers, Scholasticis veritatis traditio non indiget; quæ multo felicius simplicitate phraseos Spiritus Sancti exponitur. Sed vestra importunitas efficit, ut, quum vobiscum conserendæ sunt manus, & quando vos contradictiones crepatis in iis, quæ non vidistis, easque divinis testificationibus opponitis, barbaris illis vocabulis, quæ natura nota sunt, cogamur indigitare. quæ tamen sensu non sunt barbaræ, imo in ipsis Scripturis continentur. Qui enim *essentiale* dicit, id dicit, quod Scriptura *φύσιν*, *naturam*, & sic *φυσικὸν naturale*, vel *τὸ εἶναι θεὸν* aut *ἄνθρωπον*, vel *nomen*, vel *μορφὴν formam*, תמונת אלהים *εἶδος θεοῦ* & similiter vocat. *Personalitas* est *τὸ τί ἦν εἶναι προσώπῳ*. ut jam ab Aristotele mutuer id, quo is maximè se probat docendi peritum. Quemadmodum si quis interroget, videns nescio quid, quid rei id sit? quum responsum tulerit, Equum esse: si porro roget, Quid sit esse equum? ei *λόγος τῆς ὀσίας* & definitio aut descriptio equi, sive quid sit equus, reddenda erit. Idipsum si Scholasticus una voce *Equinitatem* vel *Equitatem*, diceret, certè nec inutiliter id faceret, nec abluderet ab analogia. Si enim *bonitas* dicitur ratio boni, qua quid bonum, & *malitas* ratio mali, quâ quid malum est, similiter & alia dici, saltem cum venia, possunt. Ita *humanitatem* dici, quod Græci *ἀνθρωπότητα* appellant, minimè ridendum est: imprimis, quum Apostolum videamus simili exemplo *θεότητα* & *θειότητα* dixisse, & inter id, secundùm quod ex Davide ortus est Christus, nempe *carnem* (qua totum hoc, quod ad hominis naturam, & formam, & proprietatem pertinet, comprehenditur) & id, secundum quod non est filius Davidis, sed Dei, nempe *Spiritum sanctitatis* (cui respondet *θεότης deitas* Col. 2: 9.) accuratè distinxerit. Rom. 1: 3. 4. Quapropter talia in vulgo, apud simplices, imperitos, & discendi non cupidos, in foro, etiam in Consessu Procerum, qui, quanquam horum plerique non rudes, non solent tamen his vacare, & res ipsas integriùs sinceriusque in se ipsis, quam in illa balbutie sermonis, videre assueverunt, sub obtentu *Apologiæ pro veritate accusata* irridere, & elementa eruditæ institutionis exsibilare, non est hominis prudentis aut pudentis, sed astuti, præstigiatoris, cavillatoris.

APOLOGIA.

HIc tandem finem censurarum, seu verius criminationum suarum faciunt; quæ si veræ sunt,
verum est quod inferunt, [268] sectam istam tanto periculosiorem esse: *sed quia sive censu-* 268 P. 84.
ras, sive criminationes istas, longe à vero alienas esse ostendimus: sequitur istos tanto longius
à veræ Religionis cognitione abesse, quanto deterius de ea judicant.

EXAMEN.

268 §. 234. [268] Conclusionem nostram, *sectam hanc eo periculosiorem esse*, fatetur Eques, dummodo vera sint, quæ de ea diximus. Vera autem esse, etiam nobis tacentibus quæ ipsa Apologia testatur cuivis, qui novit, cui credat.

APOLOGIA.

DIgrediuntur deinde [269] *ad judicia Dei, eorumque exempla; eo rem deducere conantes,* 269 De judiciis Dei metuendis quæ commemorant.
quasi secta ista, adeo secundum ipsos detestabilis, in [271] *pœnam deserti Fœderis Divi-*
ni, impœnitentiæ & ingratitudinis erga Deum, provinciis & regionibus istis sit immissa.
Sed primum, quid Dei judicia commemorant, quid [270] *Vobis desertum Dei fœdus, aut ab*
eo separationem, quid pœnitere nescium, & ingratum erga Deum animum objiciunt? Aliter 271
hæc, si doctoribus istis fides habenda est, [272] *evenire non potuerunt. Omnia ista ab æterno,* 270
non tantum à Deo prævisa, sed etiam immutabili ejus Decreto fixa sunt. Deinde, si sectæ 272
istius, quam dicunt, dogmata, pœna sunt separationis à fœdere Dei, sequitur provincias Ve-
stras, etiam citra & ante ista dogmata, [273] *à Dei fœdere sese separasse: fortassis, quia Vos* 273
multo moderatiores & æquiores præbetis erga diversum sentientes, quam isti vellent: sed hanc P. 85.
ipsam moderationem, æquitatem, charitatem, Christi fœdus omnibus vel maxime instillat.
Tertio nullum istorum quæ afferunt [274] *exemplorum; docet dogmata nostra pœnam fuisse se-* 274
parationis à Dei fœdere, & peccatorum. [275] *Israelitæ puniti sunt per Assyrios, &* [276] *Baby-* 275
lonios, & Romanos, non opinionibus, sed cædibus & captivitate. Ecclesiæ & regna in 276

[277] Orien-

277 [277] Oriente similiter gladiis & vastationibus interierunt. Extirpatio populorum & Regum
Arianorum, armis itidem est facta, non dogmatis, usque nostris. Propter dogmata tamen
inquient, eadem. At ostendere nunc debent, dogmata nostra pœnam fuisse, non causam pœ-
næ. Sed perierint propter dogmata sua Ariani, quid illorum exemplum ad nos pertinet? Nul-
P.68. li infestiores nobis & sententiæ nostræ de Christo hostes fuerunt, nulli magis sententiæ istius
Professores persecuti sunt, quam Ariani; ut merito quæ in alios machinati sunt, in illos ip-
277 sos reciderint. Traditio Christianitatis in manus [277] Sarracenorum & Turcarum, servitute
corporum continetur, non dogmatum nostrorum susceptione. Ejusdem in manus Papæ tradi-
278 tio, quid cum dogmatis nostris habet commune? [278] Papa enim non nostris dogmatibus pre-
mit populos, quos suæ auctoravit servituti; sed nostris plane contrariis. Ideo nos ministri
Papæ, vel maxime oderunt & persequuntur, cum possunt. Porro suæ theseos obliti, cau-
sam Judiciorum Dei in Oriente, per Sarracenos & Turcas, in Occidente, per Papam, re-
279 jiciunt in nostra dogmata. Atqui universus Oriens, & Occidens, [279] jam in fidem istam de
Filio Dei, quam volunt, concesserat, nostram fidem persecutus fuerat, antequam Sarraceni
P.87. & Turcæ & Papa dominatum invasisset, eandemque fidem sub Turcis & sub Papa, ad hunc
280 usque diem retinet. Nam quod addunt, punitam fuisse fiduciam in [280] propriis operibus, &
in viribus propriæ voluntatis collocatam, id ad nos non pertinet; qui in Dei misericordia &
gratia confidimus, delictorum nostrorum nobis conscii, non in propriis operibus; sicut nec in
281 viribus nostræ voluntatis, quam nisi [281] cælestis virtus excitaret, foveret, adjuvaret, ne
velle quidem possemus, nedum perficere. Sed si pœna digni sunt, qui fiducia suorum operum,
282 & propriæ voluntatis peccant; quid de istis censendum est, qui [282] nihil ipsi de bonis operi-
bus, & voluntatis suæ ad bonum flexione solliciti, & exinde bonorum operum necessario ste-
riles, nihilominus præfidenter sibi cælestis regni possessionem despondent, & alios, ut idem
283 faciant, instituunt? Qui omnia quæ peccant homines, [283] fatali necessitate fieri existimant &
docent? Denique horribilium Dei Judiciorum, super Christianis, tam Occidentis quam O-
P.88. rientis Ecclesias, nulla alia fuit causa; quam quod à [284] simplicitate fidei Apostolicæ descive-
284 285 rint, & Jesum Christum [285] talem Dei Filium, qualem vox Apostolica docuit & prædica-
286 vit, dedignati, [286] nova sibi symbola condiderint, & puram illam castamque Christi religio-
288 nem, in varia [288] hominum instituta transformaverint, &, si quis [287] veritatis non imme-
287 289 mor, contra hisceret, eum omnibus modis [289] persecuti fuerint. Evenitque quod prædixit
2 Thess. 2:10. Apostolus, & cujus initia suo jam tempore fieri vidit, ut, quia amorem veritatis non susce-
perint, quo salvi fierent, propterea illis Deus miserit efficaciam erroris, ut crederent men-
291 dacio; quod [291] mendacium profecto sententia nostra de Deo, de Filio Dei, de Spiritu San-
cto esse non potuit; quia post Apostolorum tempora, mendacio cito creditum fuit: at senten-
290 tia nostra errorum admixtione cito [290] corrumpi cœpit. Religionis nostræ dogmata, non tan-
P.89. tum divinitus pro peccatis immissa pœna nunquam fuerunt, sed etiam esse non possunt; siqui-
292 dem homines non [292] pejores & deteriores, sed meliores & sanctiores reddendi vim habent.
Experitur quisquis illa hausit, inesse illis cælestem quendam spiritum, quo animi in amorem
Dei & hominum, in sobrietatem, castitatem, modestiam, patientiam, & omnis generis bona
opera, incitati & inflammati rapiuntur. Proinde istorum dogmatum in Provincias Vestras
adventum, non pro iræ Dei, sed pro singularis gratiæ effectu ducere debetis. Deus est, qui
Vestrarum calamitatum, & oppressionum misertus, quas propter Euangelium, ad idola &
servitutem Papæ redire nolentes, constanter sustinuistis, non solum victoriam Vobis dedit ex
potentissimis hostibus, cum totius mundi admiratione, & in plena libertate, conscientiarum
imprimis, inclytam Rempublicam Vestram collocavit: sed etiam clariorem veritatis suæ lu-
cem, tanquam ad peculiarem suum populum misit, quo Vos sibi tanto sanctiores & chariores
redderet. Quam si recipitis vere, ut isti dicunt, in justitia ambulabitis, & aures Vestras
294 obturabitis, ne [294] accusationem sanguinariam, qualis istorum est, audiatis, & oculos clau-
detis, ne malum aspiciant; proinde, in excelso erit habitatio Vestra, fortitudo petrarum
erit sublime refugium Vestrum, in quo nec panis, nec aqua unquam deficiet. Erit pax
Vestra sicut flumen, & justitia Vestra, sicut fluctus maris: sed si, quod absit, hanc tantam
Dei gratiam agnoscere, & uberiorem Divinæ veritatis cognitionem admittere nolletis, tanto
295 vero magis, si ei vim & potestatem Vestram opponeretis, & [295] libertatem conscientiarum,
tanta mole adepti, iterum in aliis premere, & constringere conaremini; incumberet haud
293 dubie nox atra animis, &, quæ [293] spretam & exagitatam cælestem veritatem sequi solent,
tristitia: quæ avertat à Vobis clementissimus Deus!

P.91. De sanguine pro Euangelio effuso, & querela ingratitudinis erga Dei beneficia.

Verum est, quod dicunt, multum sanguinis à Vobis pro Euangelio, contra oppressores,
effusum esse. Igitur, non pro iis, quæ Euangelium non sunt, quamvis Euangelii nomen
præferant; tantum abest, ut ab oppressoribus liberati, ipsi, pro non Euangelio, oppressores
aliorum agere debeatis, quod ne pro ipso quidem Euangelio facere fas est. Conqueruntur,
parum sese ex tantis in Vos à Deo collatis beneficiis, qui Vos ex jugo Papæ & Regis Hi-
spaniarum liberaverit, & victoriis ac divitiis cumulaverit, videre fructum ad pietatis ampli-
fica-

ficationem. *Hoc si verum est, nulli alii rei acceptum ferri debet, quam istis dogmatis, quibus ab his doctoribus animi imbuuntur; quorum ea est vis & indoles, ut insigni quadam naturæ bonitate, quam in gente Vestra agnoscere est, præditum esse oporteat, quem in vitia & pravos mores non dissolvant; quod sane,* Deus vertet in melius, *ut isti vovent, si det, ut erroneæ istæ opiniones, tanquam scoriæ ab Euangelii puritate separentur.* P.92.

E X A M E N.

269 §. 235. [269] Non sine gravi causa judiciorum Dei men-
P.84. tionem facimus. Quid enim suavius & commodius, quàm, ante experientiam (quæ stultorum magistra est) exemplum ab aliis capere, nobis quid ex usu sit? Quod in primis prudentiæ deputat Solomo Prov. 1: 3, Nam *accipere disciplinam* est accipere exemplum. Prov. 24: 32. Quid vero stultius, quàm, quo peccato alii perierunt, ejus se astringere? & in judicium jam promulgatum incidere? causamque jugulatam erigere? aut Deum obfirmatione consilii nostri tentare, aut identidem ipsius iram periclitari?

270 §. 236. [270] Versutè Eques & hic & alibi nos facit accusatores Illustrissimorum Ordinum; quasi non possemus apud Magistratum nostrum loqui de ingratitudine, impœnitentia, desertione Fœderis Dei, quæ sint in hisce provinciis, nisi eundem Magistratum accusemus, aut certos
271 homines denotemus. Neque [271] jam dicimus, immissam hanc sectam hisce provinciis in pœnam, sed, si immittatur, si crescat, si invalescat, pœnam ingratitudini debitam eam fore significamus. Nunc vero certè, per eam tentari fidem multorum, certum est: & confirmandi sunt, qui nutant, & abigendi, qui ad hoc veniunt, ut fidem nostram concutiant.

272 §. 237. [272] Illis, qui amorem veritatis non recipiunt, ut salventur, justo Dei judicio immitti efficaciam seductionis, ut credant mendacio, testatissimum est & teipsa & verbo Dei. Nam Deus etiam prædixit, ita futurum esse in gentibus. 2 Thessal. 2: 11. Unde necesse fuit, ita evenire. Neque enim Deus falli potuit aut mentiri. Necesse adeo est, Deum præscivisse opus suum in libera voluntate, & illius frenos tenere manu sua, & illo genere erroris eas constringi, cujus efficaciam illis immittet. In qua divina *cognitione* quum sit magna *profunditas* & hominis captum excedens sublimitas, Deusque vel hoc major humana mente comperiatur, quare non metuit Eques insultare non nobis sed Deo, & illius consilium, judicium, & prophetiam irridere? Nonne enim Deum irrides, qui multos homines, & peccaturos, & à se punitum iri prædixit, dum irrides querelas nostras super eo, quod ita evenire habuit? Numquid enim ideo hæc prædicta sunt, ut nos securi efficeremur, & in judicia Dei rueremus; an ut ipsis illis prædictionibus vigilantiores efficeremur, Deoque ad judicium venienti occurreremus, & in die mala occultaremur, & servati ipsi gratias ageremus, nosque non ad judicium positos, sed ad vitam & salvationem, per sanctificationem spiritus & fidem veritatis, ab initio captos divina charitate & assumtos (ut est ibid. vers. 13.) gauderemus, ac de hoc amore Deo gratias ageremus? Nam qui, quum hæc legunt à Deo prædicta, irrident atque subsannant, dicentes, Aliter evenire hæc non possunt, Ergo ociosi & securi in duricie cordis nostri procedamus; aut etiam, cum iram Dei prædenunciatam audiant, dicunt, Pax nobis erit, si in obfirmatione cordis nostri pergamus; ii jam eo ipso, nisi resipiscant, se inter pereuntes recensent, seque non dignos vita æterna judicant.

273 §. 238. [273] Esse per terras hasce in plurimis ignorationem Dei & veritatis, & *ἀσέλγειαν* sive servitutem concupiscentiarum, & ex ea hic difficilius esse eluctari quàm fortasse in aliis quibusdam regionibus, quem latere potest? Esse schismata, esse plurimos addictos & affixos Pontificio nomini, nemini obscurum est. Neque negare volumus, veritatis præconium non cohonestari digno fructu. Nam quis vel de se spondebit, se, ut dignum est vocatione nostra, ambulare. Et, si fortasse non simus nobis conscii, Deus tamen major est corde nostro. Non igitur cohorrescendum nobis est, & contremiscendum, quum videmus id agi, ut nobis depositum veritatis, & per nomen Christi Christus eripiatur? Non movebunt nos quotidiana exempla tristium ruinarum? Non percellet, quod dictum est de mystica Tyro, redituram eam ad quæstum suum, & scortaturam cum omnibus regnis terræ? Es. 23: 17.

§. 239. Sed Eques contendit, Socinianas opiniones in
274 [274] exemplis, quæ commemoravimus, neque pœnas deserti fœderis fuisse, neque causam pœnarum. Quod dum
275 molitur, plane ineptit. [275] *Israëlitæ puniti sunt,* inquit, *non opinionibus, sed cædibus.* Imo & opinionibus & cædibus. Quid dicit Psalmus 81. vers. 13. *Dimisi eos in firmitudine cordis sui, abeant in consiliis suis.* & Esaias cap. 29. vers. 10. *Nam effudit in vos spiritum comatis, & occlusit oculos vestros,* &c. Nonne ingens pœna est, quod à Judæis faciem suam occultat, & ab illis cognosci non vult, sed eos conclusit sub inobedientiam? Israëlitæ, quum relinquerent domum Davidis & locum, quem Deus elegerat, testati sunt, se ignaros esse Testamenti Dei, quod notum fecerat Abrahamo, & Isaaco, ac Jacobo, & inter filios eorum Davidi, de quo is loquitur in ultimis verbis: *Testamentum æternum posuit mihi, promtum ad omnes & servatum, quod omne beneplacitum & salus mea* futura sit, *quum* domus mea *non germinabit.* De qua spe sua, juxta prophetiam Nathanis 2 Sam. 7. passim in Psalmis suis canit. atque inter cætera, *Cornu salutis, Tsijone* stante, & in ejus districtu (nempe in Bethleem) *oriturum* & *in Tsijone ipsa floriturum.* Psal. 132. Quid igitur, à loco, quem Deus elegerat, & à regno Davidis abire erat aliud, quàm recedere à spe Israëlis? Si Socino fides, nullum id peccatum fuit. quia promissiones illas non necesse fuit ab illis intelligi vel credi, & Christus ad eos non pertinuit, neque adeo imprudentes fuerunt prophetæ, ut sui temporis hominibus ea, quæ ad ipsos non pertinebant, sine omni fructu, ministrarent (Smalc. *de Christo vero & naturali Filio Dei.* p. 273.) neque per fidem in ipsum Sponsorem & Intercessorem, Angelumque faciei, illum Recuperatorem, debuerunt justificari. Quid porro? Crediderunt, Deum per legem dogmatum illos justificare & vivificare decrevisse. Ne hoc quidem absurdum Socino. Censet enim, pecudum victimis revera peccata ipsorum fuisse expiata, neque aliam expiationem fuisse. Hac autem obedientia etiam vitam immortalem & beatam, quamvis non disertè promissam, consecutos esse, cum Abrahamo. Et testantur prophetæ, illos in obeundis illis ritibus fuisse admodum diligentes. Quid igitur tandem peccarunt? Crediderunt, sibi permissum esse illo tempore ubiquè victimas in nomine Dei offerre, quemadmodum ante institutum Aharonicum sacerdotium fuerat, & eo tempore, quo arca exsulabat à tabernaculo; etiam à sanctis viris factitatum erat: imprimis in iis locis, ubi patriarchæ sacrificaverant. Ne hoc quidem adeo magnum peccatum ex hypothesibus Socini videri poterat, imprimis, quum regni fissionem à Deo esse constaret, propter quam Hierosolymam adire intutum videbatur; & Judæi ipsi extra templum passim adolerent. Atqui Deus propter celsa decem tribus abjecit à facie sua. protestatus, eos dæmoniis adolevisse, non sibi. Numquid hoc solo, quod aliqua levitate & temeritate sibi putarent permissum datumque esse, quod patribus datum concessumque erat? Imo vero, quod fœdus Abrahami, cui adhuc nihil dictum erat de loco certo victimarum offerendarum, reliquerant, & in sensu Sociniano de Christo, & justitia ejus, itemque justitia sua, versabantur.

§. 240. [276] Judæis prophetæ, qui ante captivitatem Ba- 276
bylonicam, & sub ea, & post eam fuerunt, dum populum ad pœnitentiam vocant, quid aliud, quàm Testamentum Abrahamo patefactum, & fidem ejus, & Christum, ejusque personam & beneficia, imprimis regnum verè, propriè & perfectè divinum proponunt? Sed illi non attendentes ad verbum Dei, neque id habentes in se manens, neque voluntatem Dei *volentes facere,* h.e. nolentes illi & in illum, quem daturus erat Israëli, credere, degeneraverunt à *corde patrum.* Quare & Deus scotomate eos percussit, ut Christum videntes non cognoscerent, & verba ejus audientes non revocarent ad animum, & reverterentur ad Deum, sed, quum sepossuisset sibi reliquias, cæteros in manum gladii, & superstites consiliis suis tradidit. Atqui degenerasse in sensus Socinianos similitudo dogmatum evincit.

§. 241. [277] Ecclesiæ Orientis non prius gladio vastatæ 277
sunt, quàm dogmatibus corruptæ, fidelesque in regionibus illis ad brevem numerum redacti essent. Constat autem, à variis hæreticis in hoc pugnatum, ne Christus videretur esse Filius Dei naturâ, aut verè proprieque homo factus. Hinc schismata. Hinc omnis noxa & labes. Tan-

dem Alcoranus successit Euangelio. Non possunt negare Sociniani, se in hypothesi de Christo, & naturis ejus, & officio, & justitia, participare cum omnibus hæreticis, qui Catholicam Ecclesiam oppugnarunt. Neque tamen diffitemur, etiam inter Catholicos tralatitiam fuisse ignorantiam veritatis, & scandala viguisse, imprimis affectatæ dominationis, quæ absque factionibus & conspirationibus procedere non potuit: per quas facies Ecclesiarum miserè fuit fœdata. Hoc profuit illis Sarracenica & Turcica servitus, ne in ditionem & manum Papæ venirent. At cum servitute illa corporali quanta ignorantia introducta est! quàm steriles sunt illæ regiones bonæ frugis! quàm sunt in cognitione Scripturarum pueri!

278 §. 242. [278] Quanta sit contesseratio inter Papana dogmata & Sociniana, supra demonstramus. Pelagianismus incrustatus, legis intra consilia perfectionis depressio, subordinatio sanctorum in regno Ecclesiæ, & eorum adoratio, cumque iis imaginum, & religionis ad placita revocatio, alæ sunt potestatis Papæ præcipuæ. Nec tamen, si vos oderunt Papistæ, & vos illos, ideo nihil inter vos commune est. Neque si in Papatu omnia vestra dogmata damnarentur, ideo vos innocentes essetis: neque nobis minus metuenda esset reductio sub jugum Papæ, si in veritate non stabiles ad Socinismum inclinaremus. Non enim arbitrio hominum decernuntur pœnæ infidelitatis. Verum est, Papam, cum maximè dominaturiret, damnasse Photini de persona Christi sententiam, &, ubi invaluit dominatus Papæ, non contradictum fuisse veritati divinitatis Christi. Debebat enim in templo Dei, h. e. in cœtu profitentium Christi nomen, in quo & fideles essent, sedere. Sed sub Papæ dominatione aliarum doctrinarum falsarum fruticeta creverunt.

279 §. 243. [279] In oriente etiam cœtus fidelium conservatus est; sed & hæreticorum synagogæ sunt, & vulgus ad Mahumedum ivit. Neque sanè pepones sunt, qui Socinismum ad Mahumedismum viam esse censent. Inter quos est Josias Simlerus Tigurinus, vir doctissimus: cujus prognosticon compendio Socinismi confutato præfixum exstat.

280 §. 244. [280] De fiducia in operibus & viribus propriis satis dictum est.

281 §. 245. [281] *Cælestis virtus* vobis est spes immortalitatis per Euangelium excitata; atque ita animi vestri *παράστημα* & vis heroica.

282 §. 246. [282] Qui non sunt solliciti de voluntatis suæ ad bonum flexione, & nihilominus sibi spondent regnum cœleste, à nobis pro iis habentur, qui Spiritûs Dei inanes, & Christi & vitæ ejus expertes, & regni Dei exsortes sint, eosque deploramus, ut infelicissimos. Tales nostra doctrina non gignit. quippe quæ Christum, ut non damnationis per novam legem, ita nec peccati alendi ministrum credi postulat; & per experimentum vitæ Christi & vivæ fidei quotidianis exercitiis & examinibus deprehensum ad spem cœlestis beatitudinis vocat, & eam spem ac certitudinem ejus contemnentes hypocritis accenset.

§. 247. At doctrina, quæ suadet, facere opus per probitatem propriam, & facultatem absolutam, eamque ancipitem ad bonum & malum, idque opus credere esse caussam justificationis, ut à sapientia vera & gloria Dei aliena est, ita nec veram charitatem parere potest.

283 §. 248. Quod [283] Testamentum Dei, & ejus interpretem promissionem, & potentem vocationem filiorum Dei, Abrahami, Christi, *fatalem necessitatem* vocas, vestræ modestiæ est. Consilium vestrum Deo placere vultis, neque vobis sufficit fieri à Deo, nisi faciatis vos ipsi; ideo viis ipsius & consiliis (quæ adire vobis datum non est) non acquiescitis.

§. 249. Si de providentia in mali gubernatione Deo litem facere pulchrum est, & si *virga* potest *tollere eum, qui non est lignum*, Esa. 10: 15. sapis, quod Dei regimen negas. Nam *fatalem necessitatem* dum dicis, tum exsecutionem promissionis in sanctificatione seminis, ejusque salvatione, tum gubernationem mundi in malis suis intelligis. Certè voluntatem creaturæ à divina ditione eximis; quæ est nobilissima ejus pars: & voluntatem Dei à voluntate humana agi & excitari necessario statuis.

284 §. 250. [284] *Simplicitatem fidei Apostolicæ* in Ecclesia retinendam fuisse, atque etiam, ab ea recessum fuisse, tecum fatemur. Sed vestrum dogma, de Christi persona, esse simplicitati Apostolicæ traditionis consentaneum, negamus. Quod in superioribus disputatum est. Hoc clarum est, vestro dogmate admisso, clarissima & efficacissima testimonia scripturarum, tum V. tum N. Testamenti, de Christo nihil nisi tumorem vocabulorum retinere elumbata, exossata, & omni pondere ac ingenua candidaque intelligentia ac sinceritate privata. Ego vero in ea sum sententia, verba Scripturæ potius plus eo, quod sonant, significare, quàm minus. Idque omnes, qui rectè loquuntur, curant, ut in verbis sit *plus quàm dicitur significatio.* ut mihi hoc Quintilianus commodet.

§. 251. [285] Non nos dedignamur Jesum Deum & Dominum, sed vos, qui ipsi veram *deitatem* & verum *dominium* detrahitis. 285
Nam vobis *deitas* Christi, &, ut Apostolus loquitur, *plenitudo deitatis corporaliter* verè, propriè, & quasi *καθ' ὕψος καὶ βάθος, καὶ μῆκος καὶ πλάτος in ipso habitans*, nihil est nisi umbra deitatis, nempe potestas, talis, puta, qualem anima nostra habet in motum membrorum, aut qualem omnes fideles habent, quorum fides in Deum & verbum, quod in Deo loquuntur, non potest esse inane & in terram cadere, sed effectum habet per potentiam Dei.

§. 252. Nec *dominium* vobis aliud quicquam, quam potestas imperandi, qualem & Moses habuit. Porro *dominium*, quod Christo tribuitis, etiam tueri nisi figmento novæ præceptionis & promissionis non potestis. Neque adeo prodest nobis, quod Christi sumus, magis quàm Christo, quod is noster est. quam tamen summam nostræ consolationis, radicem sanctificationis, justificationis, & glorificationis, & fundum gratiarum actionis & gloriationis ubique facit Apostolus.

§. 253. Neque *adoratio*, quam Christo vindicare videri vultis, est revera Christi adoratio. *Christus* enim, secundum Socinum, *nullam propriam adorationem habet.* Socin. de ador. Chr. pag. 52.

§. 254. Non igitur dedignamur Christum hominem, sed gratulamur nobis fratrem verè primogenitum, & à quo hæreditatem accipere possumus, & cujus hæreditas fieri possumus, & qui nos decet Pontifex, in quo cernimus Patrem, ut in Deo solo gloriemur.

§. 255. [286] *Nova symbola* sibi condidisse veteres, probandum erat Equiti, non dicendum. 286
Nam ut de Niceno, quod maximè urit Socinianos, dicamus, testatur Athanasius in epist. de Syn. Arimin. & Seleuc. pag. 673. *περὶ δὲ τῆς πίστεως ἔγραψαν οὐκ, ἔδοξεν, ἀλλ', οὕτω πιστεύει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. καὶ εὐθὺς ὡμολόγησαν, πῶς πιστεύουσιν, ἵνα δείξωσι μὴ ὅτι νεώτερον ἀλλ' ἀποστολικόν ἐστιν αὐτῶν τὸ φρόνημα, καὶ, ἃ ἔγραψαν, οὐκ ἐξ αὐτῶν εὑρέθη, ἀλλὰ ταῦτ' ἐστὶν, ἅπερ ἐδίδαξαν οἱ ἀπόστολοι. De fide vero non scripserunt, visum est, sed, Sic credit Catholica Ecclesia: & statim professi sunt, quomodo crederent; ut ostenderent, non novam sed Apostolicam esse suam sententiam, &, quæ ipsi scripsissent, non ex semet commentos esse, sed illa ipsa esse, quæ docuerant Apostoli.* Profectò, si ea fides, quam exposuerunt, qui in Nicena Synodo convenerunt, non fuit fides Ecclesiarum, coargui potuerunt. Quod si & nova, licebat Arianis eos præjudicio novitatis urgere. Sed nec Ariani exstitissent, si Pauliani sive Photiniani (quos patres suos innuit Eques init. pag. 86. & Socinus de ador. Chr. pag. 29.) vel antiquitatem dogmatis sui probare, vel ejus cum sacris literis convenientiam ostendere, vel novitatis convincere orthodoxos, quos Homousianos vocabant, quivissent. Nam idem volebant Ariani quod Photinus, Christum prorsus rem creatam esse; ut Socinus loquitur. Unde & Justinus Martyr illos, qui ipsius tempore (vixit autem circa annum Christi 140.) Christum Filium electione factum alioqui hominem ex hominibus dicebant, (Semi-Judæi hi erant) Scripturarum testimonio luculenter damnatos asserit. Dialogo cum Tryphone editionis Rob. Stephani pag. 63. Certè mirum est, si fides Socini est Apostolica, nunc demum post quindecim secula audiri illas dictorum & verborum Scripturæ interpretationes, quas nemo hominum unquam audivit, qualque ne ipsi quidem hujus sententiæ patriarchæ noverant. Sit pro exemplo initii Euangelii Johannis expositio. Si sententia Synodi Nicenæ & Tertulliani, & Cypriani, & Irenæi, & Clementis, & Justini Martyris est defectio à veritate, mirum est, quando homines inceperint dediscere tam venustas expositiones: mirum, quis primus introduxerit novam hanc opinionem! Atqui etiam sub Trajano, vix elapso seculo post Christum natum, ut Plinius testatur, Christiani *Christo quasi Deo hymnos cantabant:* &, qui Christum omni tempore, variante mendacii idea, (quum id ageret Satanas, ut, quemadmodum Justinus in Apolog. 2. pag. 158. dicit, *abduceret homines à factore Deo, & τοῦ πρωτογόνου αὐτοῦ primogenito ejus Christo*) deitate vera spoliarunt, nominati, convicti, infamati sunt. Ita Paulus Samosatensis, A. Chr. 269. ita Photinus, A. Chr. 348. ita Ebion, post excidium Hierosolymorum, ita Arius A. Chr. 315. ita alii nomen invenerunt: nemo auctor primus nominatus est defectionis Christianorum ad Filium Dei veri Deum verum. Quid dicemus? Ullosne Christianorum, qui, quum Plinius præsidem Bithyniæ ageret, Christo hymnos quasi Deo cecinerunt, putabimus ad illam Socinianam eruditionem pervenisse, ut scirent, vocabulum *Deus* & ea, quibus id respondet in sacris literis, propriè de creaturis dici; & hoc statim omnes Christianos fuisse oblitos, adeò

adeo ut, quando hoc legimus in Socinianorum libris, videamur nobis in aliud cœlum translati, & non hominum amplius audire sermonem? Imprimis, quum Apostolus alibi λεγομένυς θεὺς *Deos nuncupativos*, 1 Cor. 8: 5. alibi μὴ Φύσει ὄντας θεὺς eos, *qui non natura sunt dii*, Gal. 4: 8. distinctè appellet, eosque ab eo, qui est natura Deus, illo *uno Deo* (quo ipso omnes alii excluduntur, ne possint credi *esse dii*) distinguat; *nobisque unum Deum* esse asserat; idque in oppositione illorum, qui tantum *dicuntur dii*, 1 Cor. 8: 5. 6. & fieri *participes* θείας Φύσεως *divinæ naturæ* h. e. ejus, qui naturâ est Deus, 2 Petr. 1: 4. Idque eo magis mirum est, quum propter hanc causam persecutionem paterentur à gentibus, quæ in ipsos à Judæis erant incitatæ. quod testatur Justinus, & ex Justino annotavit Eusebius, & à nobis cum prophetis convenire non semel demonstratum est: quum potuerint, maximè postquam templum dirutum fuit, Judæis videri πιθανώτεροι fide digniores & acceptiores, si D. Jesum *hominem ex hominibus, ac talem, qualem ii* etiam nunc *expectant, statuissent.* Sic enim loquitur Tryphon apud Justinum dicta pagina. Ἐμοὶ μὲν δοκῦσιν οἱ λέγοντες ἄνθρωπον γεγονέναι αὐτὸν καὶ κατ' ἐκλογὴν κεχρίσθαι καὶ χριστὸν γεγονέναι, πιθανώτερον ὑμῶν λέγειν τῶν ταῦτα, ἅπερ Φὴς, λεγόντων, καὶ γὰρ πάντες ἡμεῖς τὸν χριστὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προσδοκῶμεν γενήσεσθαι. *Mihi videntur, qui dicunt, eum hominem extitisse & secundum electionem unctum esse, ac Christum factum esse, probabilius dicere, quàm ii, qui dicunt, quæ tu dicis. Nam & omnes nos Christum hominem ex hominibus extiturum expectamus, &c.* Quamobrem non video, quomodo
287 eos Eques [287] *non immemores veritatis* appellet, qui, quum inceperunt loqui, ab omnibus, ut immemores scripturæ & διδαγμάτων χριστῦ, redarguti & reprehensi sunt: & eum Judæis, quos *immemores fœderis Dei* & Scriptura & judicium ipsorum arguit, loqui deprehensi sunt. de quibus etiam Justinus affirmat, ἀπόδειξιν μηδεμίαν περὶ ὧν λέγυσιν ἔχοντες, ἀλλὰ ἀλόγως ὡς ὑπὸ λύκυ ἄρνες συνηρπασμένοι, βορὰ τῶν ἀθέων δογμάτων καὶ δαιμόνων γίνονται· *nullam demonstrationem habentes eorum, quæ dicunt, sed bruto more, ut à lupis agni correpti pastus fiunt impiarum sententiarum & dæmonum.*

§. 256. Ego fateor, subnatam esse in Ecclesia non tan-
288 tum [288] *humanarum institutionum*, sed & sermonum ac Φιλοσοφημάτων temerariorum noxiam fruticationem. Sed, circa fidem de persona Christi, ut inciderent in ea, causa fuit in hæreticis: qui orthodoxos doctores eò pertraxerunt, ut similitudinibus nescio quibus & modis loquendi studerent illis satisfacere, ut, quod credebant, intelligi posset. qua in re cespitarunt: quum debuerint solam revelationem urgere, &, quod Scriptura dicit, dicere, & humana dicta hæreticorum repellere; scientes, Deum nulli rei posse assimilari. quod & sæpe, ac sapientius quidem, fecerunt.

289 §. 257. Sed quod de [289] persecutione narrat Eques, Ecclesia Catholica non acquievit quidem Paulianis, qui ab illis exiverant; primum autem exemplum tradendi & persequendi alios, nomen Christi præ se ferentes, Ariani prodiderunt. Qua re impletum fuit verbum Christi, quod extat Matth. 24: 10. *Tunc* (postquam tolerata erit persecutio gentium) *multi scandalizabuntur* (nempe ut fuga crucis veritatem adulterent & δολῶσι τὸν λόγον in gratiam hominum) *& se invicem* (Christiani dicti Christianos) *tradent & se invicem odio habebunt.* Ergo vel hinc constat, Arianos Catholicorum persecutores fuisse *scandalizatos* & à veritate recessisse. Siquidem error & vis simul in Ecclesiam aditum moliri debuerunt. Atqui Ariani Photinianorum socii sunt: &, quemadmodum Plutarchus *superstitiosum* dicit esse προαιρέσει ἄθεον *proposito negatorem Dei*, sed non audere, ita omnis Arianus est proposito Photinianus, sed non audet ei astipulari, fortibus Scripturæ sententiis non valens obloqui. Cujus rei exemplum est in Simone Episcopio, qui, quum negasset, necessarium esse ad salutem, credere æternam Filii generationem, sibi permisit inquirere, quænam esset probabilior sententia, Photini an Arii, & secundùm hanc pronunciavit: ostendens, si auderet negare æternam generationem Filii, se tamen non ausurum Photino accedere. Quare nec mirum est, plures repertos fuisse Arianos, quàm Photinianos, & facilius potuisse principes illaqueare; quum quoad rem quidem parum inter illos interesset, plausibiliora & minus difficilia viderentur illi dicere: quanquam & ipsi inextricabilibus nodis irretiti nunc hoc nunc illud dicere cogerentur.

§. 258. Non est igitur, quod Eques sibi blandiatur de antiquitate sententiæ suæ, quasi tam possit orthodoxa do-
290 ctrina videri [290] *corruptela veritatis* (quam scilicet etiam Apostoli viderint) quàm illa. Nam si & Apostoli viderunt hanc admixtionem mendacii (quam Catholicis imputat Eques) quare nuspiam contra nostrum dogma pugnarunt? quare de Christo omnia planè, propriè, summeque divina prædicare perseverarunt? Quare S. Paulus ad Hebræos scribens, & eos instantis judicii Hierosolymorum admonens, omnia attulit ad magnitudinem Christi æstimandam facientia, & S. Petrus hujus epistolæ mentionem faciens eam calculo suo approbavit, & Christum Deum & Servatorem nostrum vocitavit, eique divinam potentiam assignavit, & ipsius communionem divinæ naturæ communionem, conjunctionemque & cum ea coalitionem definivit; & de secuturis fallis doctoribus hæreses pestilentes invecturis imposterum vaticinans, eos *abnegatores* domini & *heri*, qui eos *emit* in servos sibi, appellavit? Denique Johannes, qui ultimus scripsit, in Euangelio, epistolis, & Apocalypsi, nihil contra nos, omnia autem pro nobis & contra fidei adversarios pronunciavit?

§. 259. Sed Eques noster magno clypeo tutus est. Apostolus prædixit, Deum hominibus misisse efficaciam erroris (nempe, si sequimur Socinianas lineas, qui efficere non poterat, ut Christus celebraretur, is effecit, ut non celebraretur) ut, quia amorem veritatis non susceperant, crederent mendacio. Atqui, inquit, hoc [291] *men-* 291
dacium profectò sententia nostra de Deo, de Filio Dei, de Spiritu sancto esse non potuit. & quæ ratio? *quia post Apostolorum tempora mendacio cito creditum fuit: at sententia nostra errorum admixtione cito corrumpi cœpit.* Ego tanti facio hunc Equitem, ut non dubitem, si quid melius dici potuerit, quin id dicturus fuerit. imprimis, quum vel ipse sibi, vel alius ipsi præiverit in præfatione Jonæ Schlichtingii à Bukowiec ad omnes Pastores & Doctores disputationis adv. Baltas. Meisn. de SS. Trin. &c. 1637. Quid igitur dicit? Futurum erat, ut homines cito desciscerent à veritate ad mendacium. Nostra doctrina mendacium esse non potest. Ergo à nostra doctrina descitum est, & hæc est veritas. Riserit aliquis. Veto ridere. Constantia hæc est. Unicum enim Sociniani dogmatis principium est hoc: Nostra doctrina non potest esse mendacium; & Catholicorum sententia non potest esse veritas. Sed qui rem intuentur, facile vident, Valentini Æonas, Sabellii *trinominem unitatem*, ut Sulpicius & Hieronymus nuncupant, Arii creaturam, per quam Deus omnia condiderit, Pauli Samosatensis, & Photini, & Socini hominem deificatum, esse alternantia unius veritatis adulteria. Neque tantum hoc vident, sed & illud, importunitatem & truculentiam hæreticorum causam dedisse & occasionem Episcopis Occidentis, ut Romanum cuperent esse majorem omnibus Episcopis, & ea auctoritate & potestate, conglomeratâ sub ipsius apice omni Occidentis Ecclesiâ, ut eum, velut retinentiorem orthodoxæ sententiæ de Christo, tanquam gladium hæreseos omnes formidarent. Attamen, quia Socini dogma non potest esse mendacium, & contra Christianorum ab Apostolis deducta doctrina non potest esse veritas, ideo sciscendum est, nos potius ab illis, quàm illos à nobis exivisse. Arduum postulatum. Itane id simpliciter credemus? Non, sed quia Socini doctrina homines [292] *non pejores sed meliores reddendi vim habet.* Id ubi-
que crepat illa factio. Et cogimur sæpius respondere propter eos, quibus grave est totos libros perlegere, & totam causam cognoscere, ne ii putent hoc dari, ad quod non vident semper responderi. Si maximè igitur talis sit doctrina Sociniana, ut homini injungat Creatori & proximo debitum omne officium, & ad nullum peccatum dux sit, eone habebit vim reddendi homines meliores & sanctiores? Si lex, quæ est ad vitam, hominem carnalem non nisi irritat ad concupiscendum contra ipsam legem, & sic occidit, manens litera: quæ potest esse doctrina tam fortis, ut hominem malum reddat bonum imperando? Sit talis doctrina Sociniana, ut nec Philosophi, nec ulla humana argutia, nec Judæi, nec Turcæ possint ei objicere, quod bona opera faciat non necessaria; eritne hoc signum salutaris doctrinæ? Neutiquam, apud me quidem: quia novi, Christianæ religioni objectum fuisse, quod bona opera reddat non necessaria. unde necesse est, aliquid in ea esse, quod arripuerint homines callidi, & detorserint, quasi Christianorum doctrina esset, *Faciamus malum, ut eveniat bonum.* Quoque magis hanc causam calumniæ à sua doctrina Sociniani abesse cupiunt, eò magis eos à veritate recedere, certum est. Nam in nostra doctrina hoc idem, unde illa calumnia nata est, contineri, & similiter etiamnum objici nobis, sanè gaudemus; idque pro charactere veritatis habemus. Nec sanè, si quis Apostolicam doctrinam insimulet, quasi potius ad peccandum extimulet, quàm ad piè vivendum, id argumentum est, illius doctrinam esse κατὰ τὴν εὐσέβειαν & ad pietatem ingenerandam animis aptam natam. Quemadmodum Pharisæi, quod calumniarentur Christianam do-

doctrinam, eo se non probabant felices admodum pietatis magistros. Idem & Socinianis evenit. Nam, quod ad amandum Deum verum & solum efficax incentivum est, id in ipsorum doctrina desideratur. Quare & non potest illorum doctrina esse potentia Dei ad salutem omni credenti. Et vero quid inest maximè in eorum dogmatibus *secundum pietatem*? Numquid hoc, quod negant, D. Jesum esse Deum Israëlis? ut ita non sit is, quem Israël exspectavit, & nos ad eum non possimus accedere? Nam nos non possumus accedere nisi ad Deum Israëlis: & Israël non expectavit nisi Deum suum. An hoc fortasse, quod negant, eum esse quicquam aliud, quàm rem creatam? ut gloriemur in Non-Jehovah? Imo hoc, credo, quod negant, apud Deum esse justitiam, qua ipsum decet peccatum & abusum nominis sui (qui in omni peccato inest) non dimittere impunitum: ut credamus, Deum esse similem peccatori. Sed illud potius, quod lex Dei sit *placitum*, & indifferens aliquid, quod injungi vel non injungi possit: ut negemus æternam veritatem, quæ est fons omnis justitiæ: & veram imaginem Dei, quæ est in sapientia & *sanctitate veritatis*, ignorantes, justos nos in placito quovis, quod fingere possumus cum obtentu Scripturæ, reputemus. Forte, quod negant in homine primo fuisse imaginem justitiæ & rectitudinis divinæ; ut censeamus hominem sine justitia similem Deo esse posse. Aut ut putemus, eam similitudinem esse posse in appetitu *Sibi boni*, quod homo carnalis novit cum brutis: &, in eo acquiescere, eoque contentum esse, id justitiam esse. Neque adeo concupiscentiam per se malum esse, nisi forte, quatenus remoratur novas spes, quæ sunt meliores eis, ad quas quærendas homo creatus est. Itaque, posse hominem esse ad Deum, etiamsi eum non quærat ut suum bonum. Nempe ut brutam habeat & pecuinam justitiam. Certè hoc ad pietatem erit, quod legem Mosis, & *præcepta, quæ qui facit, vivit in eis*, negant promisisse vitam æternam obedientibus: aut esse præcepta perfecta. Nimirum ut Pharisæi secundum legem sint justi: & ut, qui sic est, ut Pharisæus, sit bonus, si non optimus; &, si spem non habeat immortalitatis ex promissione diserta, habeat tamen præsumtionem ex verisimili; eamque minimè fallentem. Quidni vero hoc ipsum, quod negant in homine condito quicquam fuisse immortale: ut etiam pessimus sciat, si id consequi possit, ut in hac vita non doleat, se nunquam doliturum; nisi forte ad momentum horæ, cum videbit pios introduci in æterna gaudia, ipsi autem, quod in vita incertum erat (non potest enim impius hic esse securus, etiamsi forte tutus; quod nec Epicurus ignoravit) id tum cognoscat statim esse futurum, nempe ut aboleatur & non sit amplius. Nam quis neget, ad pietatem ingenerandam, & idolomaniam Pontificiam ex animis delendam, efficacissimum esse, si credamus, Deum talem esse, ut possit suum honorem dare creaturæ? & etiam ligna & imagines propter quandam secum conjunctionem posse velle adorari? Profecto, Christum ut amemus, multum valebit, si negemus, nos ab eo verè & propriè redemtos, aut etiam ipsi ita emtos, ut, lege quadam ipsi ut hæreditas addicti, vivamus ipsi, & in ipso; & ipse vivat in nobis: & si putemus eum ad perfectiorem legem dandam venisse, quæ vires hominis, nisi cœlesti illo afflatu, nempe spe consequendæ per opus nostrum immortalitatis, roborentur & q. sublimentur, exsuperet. Quibus præceptis si non pareamus, non magis ad justitiam adducendam venerit Christus, quàm ad novum inducendum reatum. Cœlestis autem ille afflatus tam certus est ad pietatem dux, quàm idem ille fuit in Eva magister obedientiæ. Nam quid illa aliud concupivit & speravit, quàm fieri majoris cum Deo similitudinis & impeccantiæ particeps, per esum pomi? Hæc spes in ea effecit heroicam illam virtutem, qua se & nos constituit damnatos. Attamen id eximium est ad pietatem, & ad amandum Christum, quod non tantùm longè perfectior est facta lex (quum Deus vetuerit quicquam addi) sed quod illam obedientiam prorsus absque sua interiore ope per nos præstari vult: ut nobis fidamus solis, in nobis saltem ex parte gloriemur, &, quod Paulus pro stercore reputavit, id, non tamen sine concupiscentia contra id placitum (quæ enim est invidia, quod non sine opere justificamur, quum id fieri possit?) neque sine anxia conscientia (quæ non omittit hominem, qui sibi lex est, accusare) id, inquam, pro re pulchra & causa justitiæ Deo imputemus. Quid vero, si etiam illa vires hominum superans justitia credatur esse tam potens, ut tollat omnem habitum peccandi? nempe ut in carne, quæ concupiscit contra spiritum, non videatur esse habitus peccandi; licèt in ea sit lex peccati: quæ facit, ut non faciamus quod volumus, h. e. si omnia, tamen non desinamus concupiscere; atque etiamsi Deus sit major corde nostro, & cor hominis sit dolosum & limosum, & à nemine pernosci possit, tamen non sit habitus peccandi, quod nos latet. neque adeo opus sit dicere, *Miser ego homo: quis me liberabit ex hoc corpore mortis!* Hoc est enim illorum, in quibus necdum est ille cœlestis afflatus. Porro ad orationem ingens incitamentum est, si putemus, Spiritum, qui est ex cœlo, & mortalia corpora excitabit, nihil operari in nobis efficaciter, sed nos integros nostræ libertati permittere. Hoc est scilicet, quod facit in nobis illos *στεναγμὼς ἀλαλήτως*, *gemitus ineloquaces*, ut Novatianus dicit. Utque proximis libenter condonemus offensas ipsorum, non opus est, ut cogitemus, nos ita esse, quemadmodum illi sunt, aut, si cœpimus emendari, id divinum donum esse, atque ita illis indolescamus, & mansuetudinem omnem adhibeamus, metuentes, ne, dum alios judicamus, nos ipsos condemnemus: sed ut cogitemus, illos, qui æquè liberum habent arbitrium atque nos, cum tamen delinquant, esse necessario deteriores & improbiores nobis, qui sua libertate & absolutissima facultate non utantur, ut boni sint; quemadmodum nos facimus scilicet. Imprimis hæc doctrina est admodum accommodata ad extinguendas illas *καταλαλιάς* & sermocinationes de fratribus; quibus exercendis admodum, proh dolor! Sociniani vulgo sumus. Nam sanè non ex Christianis principiis, sed ex Socinianis h. e. carnali nostra superbia illæ nascuntur. Tamen optimi doctores pietatis sunt & valide efficaces, qui nobis secundum principia Aristotelis Ethicam concinnant, ut id, quod apud Deum rectum est, æstimemus mediocritate vitiorum; saltem recta ratione. Nam quod Christus, qui novus legislator perfectiorem legem dedit, oblitus est, ut officia nostra definiret, id rectè ab Aristotele sumitur. Denique, stimulus ad pietatem est potentissimus Mortuorum resurrectio; quia illam non jam Abraham secundum promissionem Dei expectavit, sed Christus promisit primus. qui propterea etiam mortuus est, ut resurgere posset, atque hoc certum pignus habeamus nostræ resurrectionis. non quia ipse est caput & nos membra, atque ipse nos emit hæreditatem suam; sed quia exemplum obedientiæ & sic præmii obtenti factus est. quanquam, si ita est, merito dubitare possumus, an nobis plus sit promissum, quàm Abrahamo: & an satis bene procedat argumentum, *Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus.* Non enim est par causa. Nam si huic argumento opponi potest, Christum esse (juxta hypothesin nostram) Deum, & nos homines; ideoque non esse parem rationem (quæ Socini subtilitas est) eodem jure opponi potest, Christum sine peccato fuisse, nos autem peccatores esse: illum legis obedientiam explesse, nos sine lege per placitum salutem sperare. ideoque non eandem nostram & ipsius causam esse.

§. 260. Mihi non libet ulterius progredi in hoc examine, An Sociniana doctrina sit mater pietatis, & propterea falsa esse non possit. Utinam vero eorum versutiæ non jam magnam stragem edidissent in studio S. Theologiæ. Olim studium Theologicum erat diligens Scripturarum tractatio, & assidua earum meditatio. Per Socinianos effectum est, ut jam non quæratur, quid Paulus dixerit, sed, quid novi de Socino? quid pro, quid contra disputetur? Iis rebus animi occupati studio S. literarum & pietatis vacare vix possunt. Id ne porro gliscat, & domos privatas pervadat, qui metuendum non putat, is mihi videtur nescire, quid sit mali in *διαλογισμοῖς*, disceptationibus infrunitis, & vitilitigationibus ineptis de religione, quibus maximè solent se impendere imperiti & audaces, & qui religionem pro derisiculo habent, sceptici prophani atque athei, ad eversionem audientium. 2 Tim. 2:14.

§. 261. Profecto tantum interest inter doctrinam, ad quam pervenimus, & illam novam Socinianam, ut non possimus in medio subsistere. Visum id & Schlichtingio. qui ea de re in præfatione ad doctores omnium Ecclesiarum. Non possumus claudicare in utramque partem. Vel retinendum est, quod habemus; vel, si nihil accepimus, didicimus, quare nomen Dei & Christi in vanum usurpamus, tanquam in Deum & Christum ejus credentes, cum utrumque ignoremus? Si autem Christum verè didicimus, quare Christi hostes vel audiemus? Sint ipsi judices. Nam, [293] *spretam exagitatamque cœlestem veritatem sequi solere tristia*, denunciant. 293
Igiturne ferendum est, ut illi eam exagitent; nobisque faciendum est, ut mendacium veritatem ubique securè & tuto oppugnet?

§. 262. De [294] *accusatione sanguinaria*, quam nobis 294
imputat Eques, maledictum tam injustum & impudens est, P. 90.
ut nihil possit amplius. Si audiendi non sunt, qui sangui-

nem innocentem petunt, quique sanguinis innocentis fundendi consilium dant; quanto minus, qui se profitentur animas petere. quas nos scimus in Christo & fide illa, quam ex verbo Dei didicimus, salvari. Quare ad illos attendere, est *sanguinem audire*, est oculos firmare ad *aspiciendum malum*. Postulat Deus, ut non audiamus, quo salus corporis aut animæ periclitatur; vel aspiciamus, aut ante oculos feramus, quod malum est. At illi putant, omnia impunè debere dici, & audiri omnia, quæ quisquam blateret: eam esse [295] *libertatem conscientiæ*, eam *libertatem prophetandi*. Qui id audire nolint, *conscientiæ oppressores* esse. Quidni igitur restituimus sacra Papistica? Quare non prædicatur apud nos Alcoranus? Quare non Indorum dæmones adorantur? Cur non Sol & Luna in veneratione sunt? Quare non Teutatem revocamus & Druidas excitamus? Quamobrem Libertinisinus non publicè docetur? 295

APOLOGIA.

De conventibus sacris, quos dicunt a nostris in Hollandia agitari.

CОnventus ad sacra celebranda peculiares à nostris istic agitari, *dum dicunt, cum iis quæ paulo post addunt* [296] *non consentiunt. Fatentur enim longe à nobis abesse schismaticum & separatorum istum spiritum. Et sane si cum illis ipsis, tantis nostris adversariis, in eadem Ecclesiæ communione manere parati semper fuimus, idque quæsivimus; quamvis eos gravissimis erroribus implicitos esse credamus; dummodo parem & mutuam nobis præstare velint charitatem & tolerantiam; donec magis magisque patesceret veritas; cur nos separemus à sacris illorum conventibus & communione, quos Christianos, eosque pietati deditos esse credimus, si, ut isti dicunt, nobis apud illos janua aperta est? Sane nihil melius, nec quicquam Christianorum inter se paci & concordiæ; simulque agnitioni veritatis accommodatius foret, etiamsi id taxandi causa Censores commemorent; quam Catholicam & universalem in Ecclesiis proponere fidem, cui omnes, qui Scripturam pro norma fidei agnoscant, consentire possint:* P.93. *quod factu facile foret, si in rebus dubiis, & quæ controversiam aliquam habent,* [298] *solis Scripturæ verbis uteremur, aut saltem minime controversis. Sic enim foret, ut conjunctis & devinctis inter sese amore & mutua tolerantia Christianorum animis, sensim evanescerent illa omnia, quæ fidei ab Apostolis traditæ, & Scriptura comprehensæ, per varias interpretationes & commenta, admixta sunt: quisque quæreret, quod verum est; nunc, in tot sectis, quisque quærit quod suum est: & crescente partium studio, crescunt contentiones, & pertinacissima odia. Sed qui suis dogmatis* [297] *diffidunt, non facile adducentur, ut huic tam salutari consilio subscribant; quod in ipsis Censoribus nostris videre est.* 296 298 297

De sollicitudine quam gerunt pro Remonstrantium Ecclesia.

Solliciti deinde sunt de Remonstrantium Ecclesia, ne penitus in Socinianorum dogmata prolabatur. O paternam de illis sollicitudinem, quos jam pro hæreticis damnâris, Ecclesia expuleris, & orco adjudicaris. Verentur credo, ne fervidiorem in inferno ignem sentiant. Nam quæ de eorum, à veritate & doctrina, quæ secundum pietatem est, semel agnita, ad se reditu somniant; tam somniare possent, etiamsi inter ipsos & Socinianos in fidei confessione nihil interesset. P.94.

EXAMEN.

296 P. 92. §. 263. [269] Oratio nostra de hominum vestri dogmatis irreptione nihil habet contrarii, Eques. Possunt enim una subsistere, *irrepere eos*, & apud Remonstrantes admitti. Nec negamus, eos sua conventicula agitare. Neque enim in id inquisiveramus. Non est hoc nostrum officium. Quod autem non admittimus tam diversa sentientes, tanquam fratres, causa est, non quod [297] *diffidamus* robori veritatis & illius demonstrationi, sed quod nolumus communicare cum aliorum peccatis, qui distorquent scripturas, & eas commutant in mendacium, &, quia parum fermenti totam massam potest contaminare, atque adeo ut sine digladiationibus (quarum necessitatem vos vestrique similes imponitis) exstimulationi charitatis operam dare possimus. Nam consilium tuum, [298] *ut solis Scripturæ verbis utamur aut saltem minimè controversis*, h. e. quæ in omnes etiam adversos sensus sint ductilia, non est à Deo, idque omni scripturarum auctoritate destituitur. Qua in re, ut in aliis, temeritatem cœtûs vestri ostendis, qui in re tanti momenti sibi audeat tam sublestam regulam figere, & nobis tam improbum consilium dare. 297 P. 93. 298

APOLOGIA.

De eo quod dicunt verendum esse, ne Magistratus connivendo reum sese faciat & participem nostræ blasphemiæ.

SI *ea, quæ credimus, quamvis disertis Scripturæ verbis prodita, venenum animarum putant; præbeant omnibus antidota; quandoquidem sese pro animarum medicis gerunt, an vero nullum præsentius antidotum putant, quam quod à Magistratus potestate petitur? sic plane sentio. Magistratus igitur certior animarum medicus erit, quam ipsi, quem ut ad porrigendum hoc suæ potestatis antidotum incitent, verendum esse dicunt, ne is connivendo reum sese faciat, & participem nostræ blasphemiæ. Nemo nostrum sciens, prudens, blasphemat. Nam quæ isti blasphema putant, nobis sancta sunt, & cum ab istis blasphema appellantur, blasphemare eos credimus: Neque istorum dogmata nobis magis probantur, quam illis nostra. Magistratus igitur recte facit, dum in tali discrimine, manum cohibet, ne conscientiæ cujusquam vim inferat. Regis Poloniæ* [299] *Stephani celebratur sapiens dictum, qui* P.95.
cum sollicitaretur à Papistis, uteretur sua Regia potestate, neque tantam licentiam hæreticis permitteret; respondisse fertur: Missum me facite. Ego sum rex hominum, non conscientiarum. Hæc tria Deus solius suæ potestatis esse voluit: ex nihilo aliquid creare, futura prænoscere, & conscientiis dominari. *O vere dictum Regium, & quia tali spiritu* 299

tu regnum regebatur, nihil ei, quam diu rex iste vixit, ad pacem & fælicitatem de-
P.96. *fuit. Si quis in Christiana Religione, quæ omnem coactionem repudiat, conscientiæ li-*
bertate abutatur, sine cujusquam injuria, nec Magistratus, nec ullus alius culpam præsta-
re tenebitur.

E X A M E N.

299 P.94. 95. §. 264. [299] Stephanus Poloniæ rex piè & rectè. Videbat enim veritatem judiciis premi: & injustum esse, & supra humanam potestatem vim conscientiæ facere. Idem nobis sedet; neque aliud suademus Magistratibus. Nemo erit, quantum per nos stabit, qui Socinianum hominem, quia Sociniana sentit, vel digito tangat. Quos subditos hîc invenit Magistratus, illis vim non faciet. Animorum secreta nemo ruspatur. Quod Deus præcipit, humano præcepto non indiget: & homo id præcipiens, gladiumque ostendens, potest efficere, ut homo mentiatur, non ut obediat. Voluntarius est populus Christi, & spontanea cordis oblatio. Psalm. 110: vers. 3. οὐ ξίφεσιν ἢ βέλεσιν οὐδὲ διὰ στρατιωτῶν ἡ ἀλήθεια καταγγέλλεται, ἀλλὰ πειθοῖ καὶ συμβουλίᾳ, h. e. *Non ensibus aut telis* (quibus tum utebantur Socii vestri Ariani) *veritas annunciatur, sed suadela & consilio.* ait Athanasius in epist. ad solitar. vitam agentes, pag. 643. item θεοσεβείας ἴδιον μὴ ἀναγκάζειν ἀλλὰ πείθειν, *Pietatis est non cogere sed suadere.* dicit idem pag. 661. Præter rem, mi Eques, in istum locum communem descendis. Neque enim id agitur. Tu tamen, nisi hæc ubique inculcasses, minus eloquens fuisses.

A P O L O G I A.

Et quod volunt adstrictam esse libertatem conscientiæ.

VOlunt isti [300] adstrictam & alligatam esse libertatem. Egregiam vero libertatem, quæ
ligata est & constricta; licentia astringi debet, & alligari, non libertas. Quod si liber-
tatis voce abusi, licentiam intelligant: scire debent, nolle Christum [301] libertati conscientiæ
ullos ab humana potestate poni limites. Conqueruntur nunc, postquam timere desierunt, de
300 *libertatis excessu in profitendis, & propugnandis dogmatibus, quæ vera & salutaria putes;*
301 *quod si repente commutatis rebus, conscientiæ ipsorum libertas pari modo constringi & coar-*
302 *ctari inciperet; [302] nullum finem & modum facerent, de injustitia & iniquitate quiritandi.*
303 *Atqui communis vivendi regula est, [303]* ne quod in nobis iniquum ducimus, æquum pute-
P. 97. mus in aliis. *Exemplum habent ante oculos in Cæsaris ditionibus; in quibus ista omnia nunc*
patrantur in Euangelicos, quæ isti Euangelici viri in nos à Vobis patrari cupiunt, & effla-
304 *gitant. Magistratus non alia ratione, magis [304] participem sese hæresium, & si quæ in illis sint*
blasphemiarum, faceret, quam si spirituali isti, Veritatis cum erroribus certamini, sese in-
sereret: ignem enim fodicando, & vires materiamque illi, ipsa potestatis suæ oppositione, sug-
gerendo, magis excitaret, qui sese brevi consumturus fuerat. Neque enim cremandis, aut
prohibendis, & custodiæ includendis libris quidquam proficitur; qui manebunt ad tempus
Tacit. Ann. lib. 4. *occultati, mox in lucem iterum udituri.* Quo magis, *inquit civilis artis callidissimus Au-*
tor, Socordiam eorum inridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse, etiam
sequentis ævi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis gliscit autoritas. Neque aliud
externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam pepere-
P. 98. re. *Et iterum de Nerone*: Libros, *inquit*, exuri jussit; conquisitos lectitatosque donec
cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit. *Quod si vero etiam*
à libris in corpora & fortunas hominum pœna descendat, præter querelas & lamentationes
civium; multo magis incitabuntur animi, ut inquirant, & verum putent, ad quod oppri-
mendum advocanda fuit Civilis Magistratuum potestas. Non alia ratione facilius hæreses
exstingui possunt, vigilantibus veritatis præconibus, quam si externa vi, neque juventur,
neque oppugnentur. Hoc vident, & verum esse agnoscunt ipsi Adversarii; & tamen in de-
precanda vi, nihil apud eos proficimus. An quia hæreticos nos esse dicunt sed hæreticos esse
305 *non sentiunt; ideo cum intelligant, se nobis [305] Scripturis & veritate pares esse non posse,*
vim in subsidiis collocant.

Providendumque esse patriæ ne ex abusu libertatis in oppressionem conscientiæ & servitutem corporis adducatur.

Denique, providendum esse, *ajunt*, ne regio ista, quæ adhuc hospitium fuit Ecclesiæ,
alienetur, aut inquinetur, aut simul & semel Dei verbo, & aliis benedictionibus prive-
tur, & ex [293] abusu libertatis, in oppressionem conscientiæ, & servitutem corporis addu-
catur. *Profecto si consiliis istorum obsecutæ fuerint civiles potestates, id eveniet, quod di-*
cunt. Ista enim, quam monstrant viam, recta [306] ad oppressionem conscientiæ & servitutem
corporis ducit. Illis libertate conscientiæ in suis dogmatis uti licet; cur idem non liceat aliis,
in pari libertate constitutis? quid enim aliud est [307] conscientiæ, uni vero Deo adstrictæ, li-
bertas; quam in Religione sentire quæ velis, & quæ sentias, libere pronuntiare; &, quod
citra cujusque injuriam sit, facere! Maneat Ecclesia; maneat Dei verbum; soli excedant er-
rores, non violentia ulla pulsi, sed sponte ab omnibus relicti; quod præstare poterit, nutricu-
293 P. 99. *la veræ Religionis in Rempublicam recepta, conscientiæ libertas: qua ex civitate pulsa, non*
305 *erit difficile ut in illa, sub nomine Verbi Dei, & Ecclesiæ, hospitentur & regnent multa*
307 P. 100. *falsa & noxia dogmata, quibus nihil commune est cum Verbo Dei & vera Ecclesia; tan-*
demque sequatur, quam isti metuunt, Verbi Dei, ejusque benedictionum privatio, & in au-
ctores

Ctores oppressæ conscientiæ versa oppressio, quæque oppressam conscientiam, tanquam umbra corpus, indivulso nexu comitatur, corporum servitus.

Finiant tandem voto, precanturque, ut Vobis Deus serium zelum largiatur, non pro De voto quo Epistolam finiunt.
temporaria tantum prosperitate, sed etiam pro salute Subjectorum vestrorum, & pro Dei
gloria. *Credo quod illis* [309] *adhuc Zelo non satisfeceritis, nec pari contentione, rem lucri,* 309
& rem Dei egisse videamini. Vobis vero Zelus pro Dei gloria, & hominum salute, nunquam defuit: sed nec sapientia, Zeli directrix deesse debuit, quæ istis deest. Neque enim ulla alia re magis, & Dei gloria, & salus Subjectorum Vestrorum, & simul temporaria Vestra fælicitas, promoveri à Vobis potest, quam si cælestissimum hoc munus, & tanto Vestro san- P. 101
guine partum, conscientiarum libertatem, sartam & inviolabilem, solitâ sapientiâ, (sine qua Zelus tanto perniciosior, quanto fervidior) & immotâ constantiâ conservetis. Ita enim fiet, ut vi & potestate Vestra, ab omnibus fidei controversiis sejuncta, æquum ubique certamen Veritati cum erroribus relinquatur: quo in certamine, [310] *Veritas vim Magistratus si-* 310
bi adjungi respuit; errores contra Veritatem juvari, fas non est.

EXAMEN.

P. 96. §. 265. *Abusum libertatis* diximus posse esse causam imponendi jugi. Augustus nescio quibus, quod ea uti nescirent, libertatem ademit. Quidni faciat Deus? Eques hic
300 aliquid legit de [300] *libertate adstricta & alligata:* aut putavit, se id ex verbis nostris posse deducere.

301 Hinc ingreditur agere de [301] libertate Conscientiæ. De hoc loco communi ista hic reperio. I. *Christum noluisse libertati conscientiæ ullos ab humana potestate poni limites.* Concedimus. Neque enim licet ulli prohibere, quin id scias, quod scis; credas, quod te Deus docuit; dicas, quod dicere jussit. Similiter non hominis est religionem condere, leges imponere conscientiis tanquam de religioso cultu, aut in rebus, in quibus non voluit Deus ullum imponere onus, jugum & præceptum injungere.

302 §. 266. II. [302] Iniquos nos esse, qui in ipsis suadeamus, quod in nobis improbemus. Idem statui in ditionibus Cæsaris in nostros; quod nos cupiamus fieri in ipsos. Falsa narrat Eques. Pontifex &, qui suum putant, Pontifici obedire, cogunt homines, quanta possunt pœna & vexatione, ut ad sua sacra accedant; ut recipiant alium Auctorem fidei præter Deum in scriptura loquentem. Id nemo nostrûm tentat.

303 §. 267. Porro sanè verum est, [303] Aliis faciendum esse, quod nobis fieri desideramus. Neque tamen eo efficitur, ut debeamus aliis præstare, quod ipsi injustè volumus, vel ut omne id concedendum sit injustis & mendacium loquentibus, quod, quorum causa justa & sermo verus est, sibi injustè negari conqueri possint. Nondum rectè, mi Eques, regulam charitatis didicisti. Quod in nobis jus agnoscimus, id in altero agnoscendum est. Non idem, quod juri nostro deberi putamus, etiam injuriæ alterius deberi existimamus. Neque id, quod libido expetit, alterius libidini justè tribuitur. Ita enim, qui abuti aliena conjuge vult, ex lege faceret, prostituens suam. Bonus vir & verax jure queritur, se arceri sermone & domo: at idem malum & mendacem non feret, sed fugiet, & domo, mensa, colloquio arcebit justè. *Planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per injustitiam, illi consulendo per disciplinam; illi immaniter, illi temperanter; illi servientes cupiditati, illi charitati. Occiderunt impii prophetas, occiderunt impios & prophetæ.* Aug. ep. 48.

304 P. 97. 98. §. 268 III. Magistratum non magis se [304] participem hæresium facere & blasphemiarum, quam quum se inserit illis certaminibus. ignem fodicando excitari. libros vetitos diligentiùs quæri. Non certè ii sumus, qui ignoremus, quod ingenium humanum sit, quod studium novitatis, quæ curiositas, quæ & petulantia. Unde fit, ut & veritas eo fortius procedat, quo fortius vinciuntur professores ejus: & mala prohibendo irritentur, si id fiat cum strepitu. Sed nec Deus se participem culpæ fecit, qui sciebat, lege irritatum iri peccatum: nec Magistratus prohibendo sed ferendo cum hæresibus communicat. Cujus est monere, ci, si id non faciat, interitus ejus, qui non cavit sibi, imputabitur. Qui monitus perit, justè perit: sanguis ipsius super ipso est.

305 §. 269. IV. Nos quia ipsis [305] pares non sumus Scripturis & veritate, vim in subsidiis collocare. At stultè faceremus, si, ut fateris, non ignoramus, solere talia mala vetando exasperari. Est aliquid, mi Eques, quod tu videris adhuc ignorare. Quando videmus Diabolum insidiari Ecclesiæ, & alibi vim, alibi dolum parare ad illius pestem; clamamus, vociferamur, utrumquemvis ad vigilandum excitamus: magistratus ad lupos sua auctoritate, si pote, comprimendos, fideles ad preces, ad studium, ad spiritualem pugnam vocamus: studiosos imprimis, eorumque segnitiem in tractandis scripturis objurgamus: ipsos nos ad officium faciendum accendimus, & torpori nostro aliisque peccatis exortum tentationum tantarum imputamus. Scimus enim, talia certamina, quanquam non sine multorum periculo & clade abitura, tamen & ad demonstrationem veritatis & triumphum Christi debere proficere. id autem sine cura, sine motu, sine zelo, sine pugna non fieri. Habenda igitur ratio est potius officii singulorum, quod ipsis Deus imposuit, & nominis Christi, quam carnalis illius prudentiæ, quæ putat, se silendo Satanam vel placaturam vel composituram. Nam is quidem, quia dormiunt homines, non ideo ipse quoque dormiet, & parcet serere zizania. Et, jam nimis dormitum esse, malæ herbæ pullulatio satis ostendit. Sequetur inquisitio. Sequatur. Hoc volumus, hoc cupimus. Excutiatur somnus. Petulantia ingenia peribunt. Eadem à veritate aversa non sanabantur, & in Ecclesiæ gremio posita obstabant profectui; certè non adjuvabant. Bonum est ea separari, ut herbas culturæ reluctantes, bonam segetem strangulantes. Quid faciemus, quid proderit nostra prudentia, si Christi regnum vim facit; si, quos veritatis amor non cepit, eos mendacii laqueis à suo grege vult abstrahi; si ignorantiam & desidiam à fidelibus vult depelli; si se vel per ἐριθείαν vult prædicari; si per hæc certamina ad majora vult præparari. Videntur enim certamina cum Socinianis esse certaminum cum Sarracenis progymnasmata. Nescimus, annon & Turcas velit Deus in medio nostri converti. Certè Judæos in medio nostri habemus. quem Dei populum novimus. cui ad zelum provocando Deus regnum suum & verbum dedit gentibus. Atqui nos parum solliciti fuimus de illis ædificandis, & ad æmulationem excitandis. Non miramur igitur, in nomine Christiano oriri, in quibus cogamur exerceri ad Judæorum institutionem.

§. 270. V. [306] Libertatem conscientiæ retinendam esse, ut retineatur veritas & libertas civilis. Non malè qui- 306 P. 99.
dem. Sed aliud est libertas conscientiæ, aliud licentia petulantiæ & temeritatis. quas Eques, dum definit *libertatem*
conscientiæ, confundit. [307] *Quid enim est aliud*, inquit, 307
conscientiæ, uni vero Deo adstrictæ, libertas, quam in religione sentire, quæ velis, & quæ sentias liberè pronunciare; &, quod citra cujusque injuriam fit, facere. Cum qua definitione jungere operæ precium est, quæ extant p. 103.
Urgetur aliquis [308] *conscientia, ut dogmata, quæ Socini se-* 308
ctam appellatis, cum aliis communicet. Obtemperabit conscientiæ: habebit sibi adversum edictum vestrum, & acerbis pœnis conscientiæ causa involvetur: postponet conscientiam Edicto vestro; multo graviores animi cruciatus & angores sibi accerset.

§. 271. Est ea animi humani depravata indoles, ut non facile velit, quod videt, verè bonum. Quomodo non tergiversabatur Moses, ne mitteretur? Quos non amarores sensit Jeremias propter verbum Dei, quod ipsi erat injunctum, ut loqueretur? Nempe pigri sumus & pavidi natura ad faciendum opus Dei. Sed si venerit nobis in mentem, ut velimus *sapienter agere*, Rom. 1:22. & religionem

nem constituere, aut aliquid dicere vel facere, quod Deo pro justitia imputemus, id volumus approbari ab omnibus, in eo exultamus, in co urgendo fervidissimi sumus. Jamque id nihil nisi conscientiæ vis & incitatio est. At illa libido & sævissima concupiscentia, non conscientia est. Neque enim id conscientia cogit facere, quod qui facit, nescit quid faciat. Judæos conscientia adigebat scilicet, ut Christum vellent cruci affixum; de quibus Servator dixit, Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciant. Atqui, si Equitem audimus, ne Pilatus quidem debuit illos impedire, ne facerent; quia conscientiæ suæ obsequebantur. Nam Christum seductorem & magum & blasphemum judicaverant, quemadmodum partim Sociniani nos. Sciebant autem, non parcendum esse blasphemis & apostatis. Atqui *injuriam fecerunt* Christo. nempe non crucifigendo magum, sed magum judicando, qui non erat.

§. 272. *Conscientia Deo soli adstricta est.* id est, Conscientia dictat, nos de Deo non hominibus, sed ipsi debere credere, & ipsi obedire magis quam hominibus. Ergone *libertas conscientiæ* est *in religione sentire quod velis*? Non certe: sed Deo credere & obedire; &, ut contra faciat; nec cogi quemquam, nec vim justam fieri cuiquam posse. Ut voluntas humana non est auctor revelationis, ita non est magistra sensus in religione. 2 Petr. 1: 20. 21. Conscientia non dictat, tibi licere sentire quod velis; sed, non licere tibi sentire quod velis, quia voluntas tua mala est; at id sentiendum tibi esse, quod Deus testatur. Etiamne *quæ sentias, liberè pronunciare*? Quid? si errore sentias? vel malignitate? vel fingas te sentire, quod non sentis, sed vis esse & haberi verum? De homine non licet tibi pronunciare omnia, quæ sentis; & de Deo liceat? Si ita est, æquè licet mentiri & falsa dicere, atque vera. Conscientia sine scientia non est, nec scientia nisi veritatis. Conscientia est scientia ejus, quod & Deus scit; quodque cum aliis hominibus novimus; quodque animi nostri animadversionem & judicium, quum ageremus, non effugit ac latuit. Hanc qui homini eripi eripere satagit, vult hominem obbrutescere, & in lapidem verti, & non audire Dei vocem cordi insonantem, nec videre lucernam illam Dei, quæ scrutatur penitissima hominis. At non opinio est conscientia, neque præsumtio, qua hoc verum, illud falsum esse volumus. Quæ ipsa quanquam non omnino in potestate sit humana, tamen non omnino exemta est potestati. Nam parentes in liberos, domini in servos, principes absoluti in subditos eam potestatem habent, ut cogant illos audire, quod nollent; & impediant, ne audiant, quod volunt; & terrore adigant ad examen suarum opinionum, sintne tanti, ut pro eis quid pati velint; imprimis & conjurationem in errore & vinculum nexus humani dirumpant. Ipsa Ecclesia in falsas opiniones potestate armata est, reprehendendi, objurgandi, peccata (pro re nata) falsa opinantibus retinendi, eos vitandi & separandi, commercium illis negandi, ἵνα ἐν τραπῶσιν, *ut confundantur* (2 Thess. 3: 14.) imo illos & Satanæ tradendi, ad interitum corporis, ut discant non blasphemare. 1 Tim. 1: 20. 1 Cor. 5. Atqui his longè mitius est fœdus & societatem errantium disturbare, libros supprimere, voces malas compescere, inquietos expellere. Quid? putabimusne, omnibus licere in religione sentire, quæ volunt; & non licere omnibus facere, quod Papistarum est; nempe idola in publico constituta adorare, Missam celebrare, opibus suis juvare Papam & Papæ satellites ad subjugandos, qui non idem faciunt, & illis prodere Civitates suas? Omitto similia. Phreneticis certè non permittimus dicere & facere, quæ volunt; sed eos frenis catenisque cohibemus. Atqui hæresiarchas etiam Socinus phreneticorum loco habet. Et jam supra citavimus ipsius locum ex epistola ad Vadovitam, quo probat, ut tales, si quiescere non velint, carceribus mulctisque compescantur.

§. 273. Ex quo facile apparet, credi à nobis non posse, Socinianos, si Magistratus ex ipsorum voto Christiani fiant, & gladio rectè utantur, armis verbi futuros esse contentos.

Sed conscientia, inquit, nulli suadet injuriam facere. Quid vero, si tuus error tibi suadeat, bonum esse, ut occidas eum, qui à te dissentit: ut Christus dicit, *putabunt se sacrificium Deo offerre, qui vos occident*: etiamne hæc libertas conscientiæ est? Non, inquit. Nam non licet quempiam occidere. Tu quidem ita putas: alius putat aliud; & quod opinatur, conscientiam appellat.

Tamen ne *absque injuria* fieri posse putas, ut quis loquatur, pronunciet, propaget mendacium? Imprimis magna injuria est, mendacium auribus animisque hominum insinuare, per mendacium tentare, scandalizare, perdere. 1 Cor. 8: 10. 11. 12. Fures, latrones, perduelles vi arcentur. Nemo tamen eorum est nocentior iis, qui animas à Deo abducunt. Quomodo igitur sine injuria plurimorum potest fieri, ut falsiloquis permittatur loqui? Fac autem, esse omnes ita in veritate solidatos, ut mendacio non moveantur, tamen nullane est injuria, incestari aures pias impiis sermonibus? Socinus alicubi dicit de quadam opinione, se eam adeo detestari, ut & per somnium nolit sibi in mentem venire. Igitur parum est, si infausta & horrenda cogamur audire vigilantes? Quid, inquietari? Apostolus severè ad Galatas cap. 6: 17. *De cætero nemo mihi molestus sit.* Quid merentur de nobis istiusmodi equites Poloni, ut eorum causa, melioribus omissis, cogamur totos dies cum cavillatoribus, aut cum iis, qui, alioqui nec ingenio nec judicio valentes, & veritatem scripturarum quo oportet ordine & studio discere nolentes, ipsorum sophismata ediscere voluerint, contendere? Nulla injuria est in parentes, liberos corrumpi? aut in pios conjuges, seduci conjuges, ut alienos potius audiant, quam viros suos? aut viros, ut uxoribus, liberisque vel scandalo sint, vel noxæ? aut in civitatem, cives, amicos, notos, eos in lites, in factiones, in suspiciones, in mutuas obtrectationes conjicere? Atqui hæc necessario sequuntur, si unicuique licet, quod vult videri verum, pronunciare, serere, propagare.

Quod non potest esse à conscientia, aut ad ejus libertatem pertinere. Nam conscientia, ut diximus, mendacium nulli dictat, neque testatur ulli, æquum esse, ut mendacium dicamus alteri, aut ut liceat mendacium loqui, aut ut illud necesse sit audire. Atqui, si unusquisque, quod sibi videbitur in religione, loquatur, impossibile est, ut non plurima mendacia, absurda, impia passim audiantur. saltem hoc eveniet, ut doctrina pietatis in derisionem abeat, scepticismus invalescat, quique ad docendum in omni mansuetudine & gravitate vocati erant, cogantur myrmillonum instar theatricè digladiari, nasutis spectaculum pugnacitatis dare, &, quæ ultro citroque dicantur, molesto labore jactare.

§. 274. Video, quid dicat Eques, pro libertate conscientiæ pugnasse Germanos, Belgas, alios. Si non id voluerint, ut cuique in religione non tantum sine ulla omnino intercessione vel compulsione in contrarium liceat sentire, quæ velint, sed & dicere, pronunciare, inserere pluribus, tum sigillatim, tum in cœtibus, quid illud sit, pro quo pugnaverunt. Neque enim hoc certè voluisse, ut Papa, vel imperatores, vel reges perseverarent illos coercere & vexare, quorum religio ipsis improbaretur. Nam talibus se majores opposuisse. Nunc autem nos videri id laudare, quod majores nostri corporum fortunarumque jactura redimendum sibi putaverint. Hoc est, quod ubique insinuas, mi Eques, magis speciosè quam verè. Et profecto, quum in rebus tam palpabilibus vos falli ostendero, æquum fuerit, ne vobis in rebus, quas Deus à vobis sciri non postulat, nimium permittatis. Quum ante seculum, & quod excurrit, Pontifex Leo X. indulgentias protervè curasset prædicari, Lutherus aliique monuerunt, illas prædicationes debere esse suspectas. Res eo usque, ut notum est, processit, ut Lutherus à Papa damnaretur, & is ad Concilium provocaret, eaque provocatio ipsa tanquam hæreticissima repudiaretur. Ibi Cæsar & Episcopi hoc moliri, ut Lutherus sociique ejus tollerentur de medio, & pœnis hæreticorum afficerentur. Electores, Principes, Civitates, omnesque, qui in imperio ordinem constituunt, quibus probare Lutherus suas positiones potuit, sui officii putarunt, innocentes defendere, negaruntque, conscientiæ suæ vis ut fieret, se pati teneri. Eodem tempore Anabaptisticos furores iidem Principes compressere. Et Lutherus ac Philippus Melanchton Antwerpienses de hæresi cujusdam tegularii monuerunt: teste Emanuele Demetrio.

§. 275. Ex quibus perspicuum est, non fuisse eam ipsorum sententiam, Debere omnibus omnia licere dicere. Sed hoc voluerunt, Non debere se adigi in hominis sententiam. Non licere Papæ indemonstrabili sententia declarare hæreticos, quos vellet. Neminem ad fidem cogendum esse. Principes, potestates, civitates non debere impediri in usu libertatis suæ, ut innocentes defenderent, atque etiam religionem, secundum ea, quæ ex Scriptura nota erant, doceri curarent. Quæ erat disputatio de potestate Papæ, & libertate ac jure ipsorum. Nam quorum est approbare religionem publicè docendam, ii non poterant ferre, sibi à Papa præscribi, quid approbare deberent. quemadmodum dudum factum erat, Papa principibus & judicibus legem dante, juxta quam hac

hac in re agerent & judicarent. Perpetua ipsis fuit provocatio ad Euangelium, quod opponebant legibus humanis: ostendentes suis confessionibus, se non recedere ab eo, quod Ecclesia ex Euangelio didicerat. Petebant, se non cogi ad abusus & idololatricos cultus hominum auctoritate stabilitos. Tantum vero abfuerunt Principes & Civitates à licentia defendenda, ut, quia ad se pertinere judicabant, approbare religionem in publico docendam, & scandala atque impietatem arcere, ideo se Papæ, homini externo, & cujus imperium nunquam agnoverant, se opponerent: quanquam eum ut fratrem, si demonstratione scripturarum ageret, audire, & omnibus suæ fidei rationem reddere non recusarent. Ita in Belgio Inquisitionis tyrannis, privilegiorum & libertatis infractio, quæ prætextu edictorum in hæreticos palliabatur, excidium gentis, terrarumque in servitutem redactio, provincialium per Hispanos oppressio, causæ belli fuerunt, non licentia quidvis sentiendi & loquendi. Quam quum Eques Illustrissimis D. D. Ordinibus causam belli, quod tolerarunt, fuisse dicit, in os ipsis, sat temere & irreverenter, calumniam impingit.

P. 100. §. 276. Propter scomma, quo Eques persequitur no-
309 strum votum, ut Deus Proceribus serium [309] zelum & prudens consilium largiatur; quum id votum, quod modestiæ nostræ poterat assignare (quo non Viris in regenda republica exercitatissimis instruendis consilium, sed tantum perpetuas & debitas preces ad salutem reipublicæ & Ecclesiæ tendentes nos habere significabamus) invertit tanquam accusationem tepotis; propter id scomma, inquam, non irascimur. Iniquum enim videri possit, nos magis ab illo hominum genere honorari, quam Deum, ut verbis nostris parcant, qui à divinis manus non abstinent.

§. 277. Quod autem à Magistratibus zelum pro conscientiarum libertate, hoc est, licentia mentiendi & blasphemandi, unicè haberi vult, & potestatem eorum à religionis controversiis sejunctam, quod [310] *Verum vim* 310
sociam respuat, errores juvari fas non sit; non videt bonus vir, se pulchro epilogo in se sententiam dixisse. Errores enim adjuvari præsidio magistratus ac patrocinio, ut invalescant, & veritatis doctores sectatoresque turbent, inquietent, contristent, id ipsum est, quod & nos iniquissimum putamus. Non ineptè quis opinetur, Solomonem nulla alia re idololatriæ crimen contraxisse, quam quod ipsius conniventia & patrocinio opibus regni fana idolis ædificata & ea impunè adorata sunt. Nam qui vult talia fieri, quare non ipse fecisse videatur, causa dici non potest. Atqui potestate, quæ ipsi à Deo tradita est, sine ullius injuria & vi conscientiæ inferenda, servato ordine, legibus, institutisque Reipublicæ, intactaque civili, quam quisque à Deo accepit, libertate, (nam ut potestatis, ita libertatis diversi gradus sunt) non utitur ad defendendos bonos & quietem illorum, ad malum arcendum, ad salutem omnium procurandam, is non, ut oportet, vult bonos veritatisque doctores tranquillè & sine impedimento officium facere; domos, civitates, societatesque pacatas, populum salvum esse; & malum ex republica excesse. Quod quia non, ut par est, vult, non velle contrarium, vix est, ut judicari possit.

APOLOGIA.

Illustrismi & Potentissimi Domini,

Dum defensionem paramus, adversus iniquissimas criminationes & censuras Adver- P. 102. Edictum D. D. Ordinum adversus nos.
sariorum: pervenit ad manus nostras [311] *Decretum Vestrum contra nos damnato-*
rium. Triste id quidem & acerbum nobis accidit; non tamen sine maximo sola-
tio. Solatur nos, quod [312] *inauditi & indefensi damnati simus; inque tali judi-*
cio, in quo adversam tantum partem conspicere licuit; quamvis omne legitimum judicium, 311
ex Accusatore, & Reo, & Judice, neutri partium addicto, compositum esse debeat. Mul- 312
to vero magis solatur nos conscientia innocentiæ; quæ omnium damnationum humanarum
victrix, absolvi habet ab ipso Deo: quam & ipsis conscientiis Vestris defensione nostra ap-
probatum iri confidimus. Solatur nos præterea Vestra singularis sapientia, æquitas, mode- P. 103. Dehortatio ab omni persecutione Religionis causa.
ratio, tot rebus spectata; quæ secum ipsa pugnare, sibique discors esse haud poterit. Scitis
enim, Rectores Vos illius esse Gentis, quæ [313] *libertatem suam, & imprimis conscientiæ,*
sanguinis sui impendio quæsivit, & summo Dei beneficio acquisivit. Non enim pugnatum est
à Vobis Majoribusque Vestris, ut alia de Religione dogmata, eadem crudelitate regnarent:
sed ut omnis crudelitas & persecutio, in iis, quæ conscientiam afficiunt, longissime excesset. 313
[314] *Urgetur aliquis* [308] *conscientia, ut dogmata, quæ Socini sectam appellatis, cum aliis com-* 314 308
municet. Obtemperabit conscientiæ: habebit sibi adversum Edictum vestrum, & acerbis pæ-
nis, conscientiæ causa involvetur: postponet conscientiam Edicto Vestro; multo graviores a-
nimi cruciatus & angores sibi accerset. Ita, post partam tantis laboribus libertatem, media
in libertate, pristina servitus obtinebit, hominibus tantum, & occasionibus commutatis.
Nonne eadem decernebant olim [316] *Inquisitionis Hispanicæ Ministri in Majores Vestros? fu-* P. 104.
gas, exilia, graves mulctas, prohibitiones quærendi pro se suisque victus, librorum compor- 316
tationes, hominum proditiones, juramentorum exactiones, pœnas arbitrarias? virgas, opi-
nor, stigmata, carcerum custodias, supplicia ultima, bonorum publicationes; idque non pro
facinore aut scelere ullo, quod ille ipse qui perpetravit, nefas esse agnoscat; sed pro conscien-
tia: quæ etiamsi infirma esset, & in errore versaretur; tamen perire non deberet infirmus
frater, aliena scientia, propter quem Christus mortuus est. Sic vero, *inquit Apostolus*, 1 Cor. 8: 11: 12.
peccantes in fratres & [317] verberantes illorum conscientiam infirmam, in Christum pecca-
tis. *Hæc & horum similia, ut in florentissima Republica Vestra usu veniant, nunquam pa-* 317
tietur Vestra sapientia & moderatio. [318] *Permittite modo semel Vestris hunc gustum, quam* 318
suavis sit ex hæreticis, eorumque fautoribus detracta mulcta; nunquam in Republica Vestra P. 105.
hæretici, eorumque fautores deerunt. Quid enim hoc rei foret; cum tot diversarum secta-
rum hæretici, Delatorum & Censorum nostrorum judicio, in Provinciis Vestris degant,
solos Socinianos trahi ad noxam? Nocentissima, inquiunt, illorum est hæresis. Quid? an
ultra interitum animarum hæc noxa ire potest, quæ omnibus hæresibus, ex istorum senten-
tia, communis est? fallor, an quia Sociniani haud perinde crimine hæreseos, quam istorum
odio convicti sint? sed etiamsi hæretici tandem desint; semel cæptum in Republica malum,
opper-

*opportunum quemque injuriæ, sub crimine hæreseos, corripiet. Suæ cuique opes, pro hære-
si erunt, passimque fient delationes, & locupletissimus quisque in prædam corripietur. Hæc*
319 *prævidens, & præcavere in Republica Polona cupiens,* [319] *Joannes Samoscius, magnus olim*
P.106. *regni Poloniæ Cancellarius, & exercituum Dux, sapientia & rebus gestis clarissimus, di-
cere solebat:* se dimidium sanguinis sui fundere paratum esse, pro hæreticorum conversio-
ne: sed si quis vim aliquam ad illorum conversionem aut exstirpationem adhibere velit,
contra hunc, tanquam publicæ libertatis hostem, sese paratum esse omnem suum san-
guinem profundere: *Addebatque causam, prioris quidem*; quod vel semi-vivus, & æ-
gram animam trahens, frui se tam optabili ex conversis hæreticis solatio cuperet: *po-
sterioris vero;* quod tam tristem oppressæ libertatis statum, morte prævertere, si aver-
tere non posset, mallet. *At enim, ajunt, impia & blasphema illorum sunt dogmata, nec
sine maximo in Deum peccato, & Ecclesiæ Dei pernicie, tolerari possunt. Audimus vocem
Adversariorum, sed adhuc sub Judice Deo lis est. Nos enim pia, & sancta, & Deo glo-
riosa, & Ecclesiæ Dei salutaria esse credimus. Sontes sumus Adversariorum judicio; sed*
320 *insontes nostro. Hic* [320] *civilis potestas gradum sistere debet, & Deum venerari, qui in ta-*
P.107. *libus soli sibi decretoriam reservavit sententiam. Nimirum Magistratus ad coërcenda il-
la maleficia à Deo constitutus est, quæ illi ipsi, qui patrarunt, maleficia esse agnoscunt;
hos plectat & puniat, qui tormentis persæpe adigendi sunt, ut fateantur, quod libenter
abderent: non qui tormentis adiguntur, ut negent, quod ultro profitentur & imputant.*
Tit.3:10. Apostolus, *inquiunt*, hæreticum perversum esse dicit, & peccare contra suam conscien-
323 tiam. *Sed* [323] *Apostolus hæreticum intelligit, qui cum nosset Apostolicam doctrinam, ul-
tro ab ea declinabat: non eum, qui vel maxime Apostolica loqui sese putat. At noxii
tamen sunt & perniciosi, quamvis sese nocentes haud existiment. Si noxa eorum civi-
lis est, à Magistratu, qui præsidet civitati, cohibendi sunt: sed si noxa hæc ad solum spi-*
322 *ritum pertinet,* [322] *extra Magistratus forum est. Hæreticum esse, neutiquam est Politi-*
P.108. *cum crimen, sed Ecclesiasticum:* [321] *Censuris proinde Ecclesiasticis, non Civilibus pœnis coër-*
321
324 *cendum.* [324] *Distincta enim inter se sunt, Ecclesia & Respublica, nec sine omnium rerum
perturbatione confundi possunt; quod tot atrocissimæ clades, & bella, & eversarum Eccle-
siarum simul & Rerumpublicarum tristissima exempla docent. Ecclesia illos solos, qui nor-
mam pietatis à Christo præscriptæ susceperunt, recipit; illos solos retinet ac fovet, qui ab*
325 *hac norma non recedunt. Respublica* [325] *recipit & fovet cujuscunque generis & Religionis
homines, etiam idololatras, etiam paganos, etiam hæreticos, etiam à Christi nomine apo-
statas: & illæ demum Respublicæ vel maxime, populorum multitudine, & civium concor-
dia florent, quibus*

Tros Rutilusve fuat, nullo discrimine habetur.

Dummodo omnes pacata vivant, & Reipublicæ, quæ omnes in tanta imparitate pariter
P.109. *complexa est, fidem præstent. Dolendum est sane Christianis moderationem hanc & sa-*
326 *pientiam, non sine manifesta Numinis ira,* [326] *à Mahometanis præreptam esse, quamvis fer-
vore & zelo erga suam legem, Christianis non cedant: ut profecto mirum non sit, tot Chri-
stianorum gentes & sectas, in eorum potestatem esse traditas; sub quorum dominatu omnes
nunc quiete vivant; cum antea nullus inter ipsos digladiationum, nullus persecutionum fi-
nis esset. Ita Deus cæcum & inconsultum zelum castigavit simul & cohibuit, qui in Ec-
clesiæ doctoribus, plerumque privata honorum & opum commoda spectat, quamvis Dei
gloriam & Ecclesiæ salutem semper obtentui habent: speciosa ista nomina prætexuntur, nec
quisquam alienæ conscientiæ servitium, & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista*
327 *vocabula usurparet. Nimirum* [327] *hæresis neminem invadit, nisi volentem: volenti vero*
P.110. *nulla fit injuria, præsertim si sint qui moneant, doceant, errores coarguant, & pro Eccle-*
1 Cor. 11:19. *siæ incolumitate vigilent, ut non immerito scriptum reliquerit Apostolus:* [328] Oportet & hæ-
328 reses inter vos esse, ut ii qui probati sunt inter vos, manifesti fiant. *Proinde hæreses,
quamvis ad perniciem Ecclesiæ directæ sint: tamen si quisque probatum sese præstet, ut de-
bet, in bonum Ecclesiæ vertunt. At enim, inquiunt, ipsa Lex divina blasphemos pœnis ci-*
329 *vilibus subjecit. Enimvero,* [329] *qui sese blasphemos esse intelligebant. Eadem civilibus pœ-*
315 *nis affecit, defectores à Deo vivo & vero. Merito: nam* [315] *qui Deum non habent, neque*
330 [330] *Dei conscientiam habere possunt. Conscientia etiam Dei falsi & idoli, in iis, qui à Deo
vero ad idola defecerant, pro nulla habenda erat. Adde, quod Israëlitæ civilibus pœnis
Mosaicæ legi innexi essent, quippe servi; at Christi lex, sicut neminem civilibus pœnis ad
sui susceptionem adigit, sic neque in se suscepta retinet: cuique ad Christum liber est acces-*
P.111. *sus, liber & ab illo recessus; nec Magistratus ullum jus, in Apostasia Civilibus pœnis ple-
ctenda, nisi contra Christianæ religionis naturam, usurpaverit. Hæreticos certe, id est,
eos, qui legi sese firmiter adhærere profiterentur, quod in illius interpretatione diversi ab aliis*

in

in devia irent, Lex nùnquam punivit. Rationum hic & argumentorum certamen erat, non pænarum locus. [331] *Sadducæorum in præcipuo fidei articulo, de mortuorum resurrectione,* 331
gravissima fuit hæresis, utpote mortuorum resurrectionem negantium: sed quia hic de legis interpretatione agebatur, pro insontibus, Civilium pænarum respectu habiti sunt: quanto vero magis hæc æquitas in Christiana lege locum habere debet, ut ii qui sese Legi Christi firmiter adhærere, eamque solam salutarem esse profitentur; de sola tantum illius, quibusdam in locis, interpretatione, cum aliis disceptant, nullo alio fine, quam [332] *ut verus pa-* 332
tescat sensus; exortes Civilium pænarum habendi sunt? Christi Lex adeo ab hæreticorum P.112.
persecutione abhorret, ut ne blasphematores quidem Christi, pænis Civilibus subjiciat. Quorum enim major & certior est blasphemia in Christum, quam Judæorum; qui eum seductorem fuisse, & merito in crucem actum, palam habent? hæcque illorum professio est: & tamen in Vestra quoque Republica [333] *quiete agunt, sua sacra exercent, libros de sua Religio-* 333
ne scriptos divulgant, conventus agunt, in quibus impune Christo maledicunt: qui fit igitur, ut nos, sub blasphemiæ prætextu, edictis cohibeamur, ne [334] *conveniamus ad dicendas* 334
laudes Christo, ut Deo, ad animas Christi spiritu consociandas, ne quidquam mali patremus; operibus sanctis dediti simus, charitatem erga omnes, etiam inimicos, exerceamus; Magistratui, tanquam Dei in terris Vicario, nos morigeros præstemus? Non igitur in nobis blasphemia spectatur, spectaretur enim, vel maxime, in Judæis: Aliud est, quod
istos angit; nempe à Judæorum sibi [335] *argumentis & rationibus non timent: at quia no-* P.113.
stris resistere non possunt, edictis sese Civilium Potestatum communiunt. Quid enim aliud 335
in nobis metuerent, qui Judæis multitudine & opibus ne comparandi quidem sumus? Nec, si vel maxime numero & viribus polleremus, [336] *spiritum habemus Judaicum, alienæ Re-* 336
ligionis persecutorem. Et tamen si quis rem penitius expendat; videbit non alia ratione melius, quam [337] *per ea quæ nos pro veris agnoscimus, Judæis simul & Athæis resisti posse:* 337
quod confessi sunt nonnulli, qui jam præcipites ibant à Christo, nisi in eam quam profitemur veritatem incidissent; cujus cognitione retenti sunt, & in Christi fide confirmati. Hæreses adversus veritatem vix alia ratione invalescunt, quam vel peccandi illecebris, vel hominum auctoritate, potentia, & viribus: quæ cum dogmatis nostris desint, si hæretica sunt, quid P.114.
est, ut sibi tantopere, in tanta suorum potentia ac multitudine, suorumque dogmatum [338] *car-* 338
ni abblandientium dulcedine, à nobis metuant? Vis & efficacia veritatis est, quam timent. Aut igitur nostra, aut illorum dogmata vera sunt. Si nostra; Vestræ pietatis & sapientiæ interest, ne decretis & edictis cum veritate collidamini: Sin illorum; quid [339] *suspectam* 339
faciunt divinam [340] *veritatem, quasi sine Civili potestate, suis viribus consistere non possit,* 340
quæ contra omnium Civilium Potestatem & Tyrannorum vires, evaluit? Nedum ut tanta potentia & opibus munita, contra miseros & inermes errores, nisi armata & nocens sese tueri non possit? Quid errores divexando, [341] *martyrii gloriam iis conciliant, & dum homi-* 341
nes ab illis repellere volunt, [342] *alliciunt? Profecto non alia ratione melius,* [343] *quorum à* 342
partibus stet divina veritas, cognoscere possitis, quam si omni metu & terrore in causa Reli- 343
gionis ex civitate sublato, quieti dissidentium inter sese certamina spectetis; hoc solum, quod P.115.
Vestri muneris est, unice procurantes, ut Scripturis inter se decertent, [321] *non contumeliis,* 321
& ad [344] *populum declamationibus; quibus turbas in pacata civitate excitent, perque speciem* 344
supplicantium, cum nihil minus sint quam calamitosi, ipsi etiam Magistratui formidinem incutiant. Isti tales adductis frænis continendi sunt, qui, nisi caveritis, concitabunt in Vos ipsos addictam sibi plebem, & postquam omnia turbis compleverint, Ecclesias sciderint, Rempublicam liberrimam persecutionibus fœdaverint; causas turbarum in innocentes conjicient; ad exemplum lupi illius Æsopici, qui turbari sibi aquam in flumine ab ove longe infra bibente causatus, ovem corripuit & devoravit. Vos, quibus Civilis in alios potestas commissa est, illi ministri, & famuli estis, quibus prompte Ministerium suum Patrifamilias ad evellenda [345] *zizania offerentibus, & gladium, quem in Republica habent, in Ec-* 345
clesiam quoque ferre volentibus, dictum est; Ne feceritis, ne forte colligentes zizania, e- P.116. Math. 13: 29. 30.
radicetis simul cum ipsis triticum. Sinite utraque simul crescere usque ad messem. *Cui dicto, quia non obediverunt Potestates, infinitos innocentes pro hæreticis occiderunt, & pro zizaniis triticum evulserunt: nec aliter fieri potest, cum numero & viribus augentur hæretici, qui triticum sese esse existimant. Neque unquam evenit, ut Catholicæ & puræ veritati addicti, hæreticos Civilibus pænis vellant, aut ut vellantur auctores sint; cum hoc ipsum maxima & perniciosissima sit hæresis, & ad protegendas hæreses omnes reperta. Angelorum hic ministerio opus est, non hominum; quorum hic facilis est error, at exitu tristis & luctuosus. Civilium Potestatum est, qua talium, si videant dissensiones de fide & Religionis Christianæ dogmatis in Ecclesia,* [346] *nulli partium potestatem suam commodare:* 346
sed omnes æquabili jure regere, & ut inter sese innoxie agant, neve Ecclesiasticæ dissen- P.117.
siones quidquam in Republica turbent, providere; [347] *supplicationes in perniciem diversa sen-* 347
tientium directas, à se repellere, & in Ecclesia cæpta, ad solamque Ecclesiam spectantia, Ec-

 cle-

clesiæ tribunali judicanda relinquere. Sic enim, vi & potestate humana subtracta, qui zi-
zaniis præcipuus succus est & alimentum, zizania sponte sua exarescent, & sola veritas
dominabitur; quietique Magistratus, & quietem jubentes, longe plus præstabunt in zizanio-
rum exstirpatione, quam non irrito tantum, sed & damnosissimo labore occupati. Quid
348 alind suasit [348] Gamaliel, Senator prudentiæ nomine in Sacris Literis commendatus, quam
Actor. ut in rebus ambiguis prudenter consulerent? Si enim, ajebat, doctrina ista ex Deo est, vi-
5:34. P.118. dete ne adversus Deum pugnetis: si ex Deo non est, præsertim cum nulla humana vi, nullis
errorum illecebris nitatur, ipsam per se dissipari necesse est. Vos, nihil aliud spectatis, quam
commune & publicum omnium bonum, nec vestra quidquam interest, ut hujus vel illius do-
gmata obtineant; sed solummodo ut obtineant vera, & quæ vere Christi sunt: at istis qui
349 Vos instigant, & incendunt, [349] privata commoda ante oculos versantur, & pessimum veri
affectus venenum, sua cuique utilitas, honor, existimatio, optima conditio, & similia;
multumque illorum interest, ut hujus, quem sequuntur, auctoris, & non ullius alterius do-
350 gmata, pro veris, ipsiusque Christi dogmatis habeantur. Non frustra [350] Gallionis, Asiæ
Act. 18: 12–15. Proconsulis, memoratur in Sacris Literis exemplum; qui judicem sese Civilium rerum esse
intellexit, non ad Religionem spectantium; propterea Judæis unanimiter apud tribunal suum
contra Paulum instantibus, memorabili exemplo, ne exspectata quidem Pauli defensione,
P.119. respondit: Si, inquit, ô Judæi injustum aliquod factum, aut facinus malum ageretur,
rectè & ex ratione vos ferrem: cum vero sit quæstio de sermone & nominibus, & Lege
vestra; vos videritis: Judex enim ego istorum nolo esse. Qui sese Doctores legis putant,
ipsi de iis, quæ ad legem pertinent, judicent; & quæ judicaverunt, pro sua jurisdictione
exsequantur. Magistratus Civilis, civilia habet, quæ judicet; qui si rerum Ecclesiastica-
rum, & quæstionum ad Religionem spectantium, merito sibi forense judicium non sumit; ne
quidem pœnam & coercitionem eorum, quæ forensis judicii non sunt, debet usurpare. Di-
cat aliquis: Neque Magistratus conscientiam constringendam esse, quæ hæreticos arcere
& coërcere jubeat pœnis civilibus. Nos vero, quo alio fine ista dicimus, quam ut talem
conscientiam Magistratui eximamus, quæ alienam conscientiam premit, & iis, quos inno-
P.120. centes esse novit, aut saltem nullius sibi noxæ conscios, nocet, & vim facit? quæque vel
pessima facere, justum & debitum putat; ut ea, quæ opinione concepit, bona eveniant?
Hæc est illa conscientia, quæ, nisi conscientiæ obnoxiorum, fugas, cædes, direptiones, fa-
ciat, salvam se fore non credit: quæ olim infantes etiam Molocho flammandos dedit:
Rom. 10:2. quam Paulus zelum Dei sine scientia appellat; quæ Paulum ipsum etiam peccatorum pri-
Joan. 16:2. mum fecit; de quâ Christus suis prædixit, Ex Synagoga vos ejicient: sed venit hora, ut
omnis, qui occidit Vos, videatur ministerium offerre Deo. Talem [351] conscientiam pro-
351 hibeat ab omnibus Deus, præsertim à Magistratibus: quæ, quia non solum conscientiis in-
festa est, sine quibus nulla datur Religio; sed etiam Civilem Societatem vehementer lædit;
nullum, sicut in Ecclesia Dei, sic neque in Republica, locum habere debet. Talem conscien-
tiam, qui Magistratibus instillant, omnium, quæ per eam patrentur, & patrari possint,
P.121. malorum, coram Deo rei sunt. Sane [352] Maximilianus II. Imperator, optimus & lauda-
352 tissimus Princeps, ab ejusmodi conscientia alienissimus fuit: qui cujusvis conscientiæ æquum
se præbens, Imperium in summa & longa pace, omniumque bonorum affluentia rexit: ad
353 quem cum [353] Henricus Valesius, Poloniæ regno relicto, ad occupandum hæreditarium Gal-
liæ regnum tendens, in itinere divertisset, & Imperator, ex sermonibus ultro citroque ha-
bitis, animadvertisset, Regem zelo incitatum ferri, adversus eos, quos putabat in regno suo
hæreticos, iisque nil nisi tristia comminari; dehortari Regem cœpit, ne contra hominum con-
scientias bellum gereret: at Rege, amissionem Regni Cælestis hic verti obtendente, retulit Im-
perator: Tu vero, vide sis, ne insuper regnum quoque, quod in terris habes, amittas. Et
fuit illi pro vate Imperator prudentissimus. Nam perpetuis in regno suo turbis, conspiratio-
P.122. nibus, & bellis civilibus agitatus, tandem inconsulti sui zeli pretium tulit, ab illis ipsis,
quibus antehac tantopere gratificatus fuerat, fraudulentâ Monachi manu vita simul & regno
privatus. Equidem nos Deo & veritati confisi, de exitu adeo securi sumus; ut ignominiam,
qua soli ex omnibus hæreticis, quorum ditiones Vestræ (si istis hæreticos esse credimus) refertæ
sunt, tam tristi edicto Vestro, notamur, præcipuæ nobis laudi & gloriæ coram Deo ducamus:
quem supplices veneramur, ut Vobis delictum hoc, quod ignorantes commisistis, clementer con-
donet, & huic flagrantissimo erga gloriam suam zelo, parem scientiam adjungat. Nam sæpe
honestas rerum causas, nisi judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Propterea,
cum ipso edicto Vestro testemini, Vobis hæc bono publico constituta videri; postquam intellexe-
354 ritis, rem secus se habere, non dubium est, fore, ut Cives Vestros [354] æquali jure & libertate
P.123. regatis; quo Rempublicam suam omnes, tanquam communem & benignam omnium Matrem,
nulli Novercam, ament, & salvam cupiant, utque illi ipsi, qui nunc in aliorum oppressione, per
Vestram potestatem, spem habent; postquam moderationem, æquitatem, & justitiam Vestram vi-
derint; omissis inanibus, tandem de veritate, deque salute, tum sua, tum aliorum, majore cum
cura

cura incipiant cogitare: accedente insuper auctoritate & jussu Vestro, ut relictis aliorum insectationibus & criminationibus, [355] *purum Dei verbum proponant, Auditores suos ad omnem* 355
pietatem & modestiam exhortentur, suoque exemplo præeant: sic fiet, ut veritas divina brevi caput suum attollat; errores, quamvis inveterati, subsidant, Respublica Vestra, ex Ecclesiæ disciplina & sanctitate, optimis Civibus repleatur. Faxit Deus, qui Rempublicam Vestram victrici sua manu erexit; & asseruit, gloriam Gentis Vestræ cœlo æquavit, & tot tantisque muneribus cumulatum, compendium quoddam orbis terrarum fecit, ut ad hæc ingentia dona, [356] *plena veritatis suæ cœlestis lux accedat; quo Gens Vestra, omnes gentes ad-* P. 124. 356
eundo, hanc pretiosissimam mercem, ad eas deportet, & ab illis auro & argento variisque mercibus ditata, vicissim eas omni auro pretiosiore puræ veritatis cognitione locupletet.

E R R A T A.

* * * *

Cætera quæ occurrent errata, præsertim in omissa aut perperam adhibita interpunctione, & in minorum literarum pro majusculis, aut contra, positione, intelligens Lector facile emendabit, & Auctori à prælo absenti non imputabit.

E X A M E N.

311 §. 278. In tertia parte, qua Eques [311] edictum Illustrissimorum Ordinum, ut mitissimè loquar, improbat, deque eo conqueritur, ut prolixi simus, causa non est. Nihil enim ferè in ea dicit, quod non & antè dictum sit.

312 §. 279. Primò, [312] inauditos sese damnari. Utinam
P. 102. verò dogma Socinianum, quod Edicto illo rejicitur, auditum non esset.

313 §. 280. Deinde, esse id contra [313] libertatem, impri-
P. 103. mis conscientiæ. Nunquam audiveramus, hanc esse libertatem Belgii, ut cogamur pati Equites Polonos, qui, quæ volunt, in eo dicant de religione. Nullius libertati Edictum derogat: sed intercedit libidini nocendi.

§. 281. Ne color deesset, quum Edictum neminem vetet esse Socinianum, ut posset de conscientiæ libertate
314 paratragœdiando declamare, introducit hunc casum: [314] *Urgeri quem conscientiâ, ut dogmata Socini cum aliis communicet: illi Edictum adversum esse, quod cum acerbis pœnis conscientiæ causa involvat.* Fac, mala esse vestra dogmata. Nam, ut fateris, adhuc sub judice Deo lis est de sanctitate dogmatum vestrorum. Si igitur mala sint, potestne quisquam urgeri conscientia, ut ea communicet cum aliis? Numquid conscientia dictat, mala esse communicanda? Vel, quæ cuique videntur esse bona, pronuncianda esse? Bona igitur conscientia erit ejus, qui se gaudebit errores suos propagasse, qui ipsi videntur esse veritas. Atqui cum illa bona conscientia peribit.

§. 282 Saltem, mi Eques, non tam involutè loquereris de conscientia, si tibi credi velles. Nam & per errorem non loqueris tam confusè. Nosti rem melius. Ideoque
315 p. 110. dicis: [315] *Qui Deum non habent, conscientiam Dei habere non possunt. Conscientia Dei falsi & idoli* (cogeris loqui intricatè, ne transpareat dolus tuus. Quasi sit *conscientia Dei falsi*, qua quis judicat, Deum esse hoc, quod non est Deus, & non opinio: Nam *conscientia idoli* 1 Cor. 8: 7. aliud est: notitia scil. legis Dei, testantis, per idolothyta inquinari Israëlitas) *in iis, qui à Deo vero ad idola defecerunt, pro nulla habenda* est. Jam audi. Qui Christi cognitionem non habet, Christum non habet; qui Christum non habet, Deum non habet; qui Deum non habet, conscientiam Dei non habet. Certè *non habet verbum Dei manens in se.* Joh. 5: 38. Ita Judæi, qui non tantùm putabant, se Christum non debere recipere, sed etiam debere interficere: idque, ut ipsis videbatur, propter mandatum Dei. Quid dices, quare non ipsos urserit conscientia ad Christum occidendum; si Socinianum urget ad dogmata genuina Judaicis dogmatibus communicandum? Porrò, si te urgeat conscientia tua, ut meos imbuas tuis dogmatibus, me autem urgeat mea conscientia, ut te omnibus modis arceam domo mea & à meis, quomodo illæ conscientiæ duæ inter se conciliabuntur? Vim facio tuæ conscientiæ, si tibi non permittam imperium in meam conscientiam? si tibi non servio in eo, ad quod tua illa jactata conscientia, imò concupiscentia te urget & impellit?

§. 283. Apostoli, quum vetarentur à Synedrio in Christi nomine loqui, provocarunt ad Dei mandatum. Mandatum enim habebant, non tantùm prædicandi nomen Christi, sed imprimis Hierosolymis prædicandi. Et prædicandi quidem mandatum extat, sed &, si necesse sit, fugiendi. Tamen præceptum prædicandi, quod videbitur, nullibi extat: sed tantùm confitendi nomen Christi. Hoc si quis facere prohibeatur, aut si cogatur accipere humanam auctoritatem, & juxta illius imperia aliquid facere, tanquam si res illa Deo grata esset, jure meritò dicetur vis fieri conscientiæ. Sed non, quia fidei liberum est loqui, etiam errori & infidelitati.

§. 284. [316] Inquisitionis Hispanicæ invidiam frustra toties movet Eques. Non enim, quia inquisitio Hispanica 316 P. 104.
iniquè egit, ideò nulla debet esse coërctio.

§. 285. [317] *Infirmam conscientiam verberare*, non est 317
mendacium protervè loquentes habere pro ethnicis, eosque arcere domo, & privare nocendi facultate; sed ad illorum facta & dicta connivere. Nam infirmis fide debemus nos accommodare: mendaciloquis resistere. Illos debemus assumere, non in dubitationes disceptationum. At hos, qui imprimis agitant διακρίσεις διαλογισμῶν, debemus vitare, fugere, παραιτεῖσθαι, nec recipere domum. David dicit Psal. 139: 21. 22. *Nonne osores tuos odi? & cum illis, qui surgunt in te, rixor? Perfecto odio odi eos; inimici mihi facti sunt.* In Christum igitur peccat scilicet, cui irascuntur hostes veritatis. Conscientia infirma est, ubi certa lex est, de cujus abrogatione needum planè constat. Ita Judæi non facile poterant adduci, ut crederent, sibi rectum & fas esse, sic vivere, quemadmodum gentium fideles vivere rectum putabant. Sed qui vellent gentibus jugum imponere, nullo divino verbo, sed sua tantum opinione & conjectura ducti, eos non habuit Apostolus pro fratribus infirmis, sed pro ψευδαδέλφοις παρεισάκτοις *falsis fratribus*, qui se pravo consilio ingessissent in cœtum fidelium, pro *exploratoribus* & proditoribus *libertatis*. Ideoque ipsorum conscientiam reveritus non est; neque illis ad horam cessit, sed cordatè se opposuit. Galat. 2: 4. 5.

§. 286. [318] Prætores invitatum iri spe lucri, ut faciant 318
hæreticos, qui non sunt, aliqua specie diceretur, si Edictum hæreticos puniret ut hæreticos. Sed &, numquid propterea leges silere debent, quia potest innocens in falsum crimen vocari? [319] Samoscium laudo, ut amatorem 319
status libertatis, quem in sua gente esse noverat. Neque Illustrissimi Ordines quicquam tentant, quod cum civili libertate gentis Hollandiæ, aut cum jure privato cujusque pugnet. Non credo, Samoscium, qui videbat eos, quos ipse vocabat hæreticos, non posse impediri, quin in suo facerent, quod ipsis videbatur, sine eversione *status libertatis* in Republica, etiam in sua familia cuilibet gannire, quod vellet, permisisse.

§. 287. Si [320] civilis potestas subsistere debet, & se co- 320
hibere in iis, de quibus decretoria Dei sententia est; quare P. 107.
datur unicuique Ecclesiæ judicium? Nam [321] Ecclesiasti- 321
cum judicium agnoscis pag. 108. Ecclesia potest judicare de hæresi, & paterfamilias non potest? aut paterfamilias potest, magistratus non potest? Quod Deus scripsit, Ecclesia intelligere potest scilicet, sed magistratui Christiano obscurum est. quasi & illi non pertinerent ad Ecclesiam, & nihil circa Ecclesiam haberent agendum: & id esset, se nutricios curatoresque Ecclesiæ probare, à controversiis manum abstinere, & ne jurgia verborum ad pugnos procedant, (quod Eques vult p. 115. n. 321.) terrore gladii inhibere. Hoc scil. est, Ecclesiam *in ulnis gestare.*

quod propriè significat elogium *nutriciorum*. Vide Es. 49: 22.23. Adeo ut non major cura parentibus circa suos liberos, quàm Regibus (si possibile sit) circa Ecclesiam sit demandata.

§. 288. Lubet etiam hic requirere, quis hoc Equiti
322 dixerit, [322] Magistratus potestatem circa controversias ita esse nullam? Nam in V. T. non fuit nulla. Fateor, id videri cum sedentibus in Cathedra Mosis abolitum, ne quis gladii terrore populum adigat ad instituta Mosis servandum; quod legimus fecisse Josiam regem, 2 Chr. 34: 33. sed quis legem dedit regibus, ne amoveant scandala ex terra Dei? Non enim terra ipsorum est. Et ubi Ecclesia colligitur, & verbum Dei prædicatur, etiam in gentibus, terra Dei est. Es. 14: 2.

323 §. 289. [323] Qui pag. 83. nostris *mille distinctiones* objiciebat, egregium hic se distinguendi artificem probat, dum non tantum officia magistratus limitat, sed & judicium Ecclesiasticum circa hæreticos. Dicit enim, Apostolum Tit. 3: 10. intelligere *hæreticum*, *qui novit Apostolicam doctrinam, & ultro ab ea declinat.* Non igitur sunt judicandi ab Ecclesia, non vitandi, qui se putant Apostolica loqui, h. e. qui se confidunt posse de omnibus vitilitigare, & præsumunt, ea, de quibus est lis, non esse necessaria ad salutem. Diabolus, quum fatetur se esse Diabolum, fugiendus erit, at, quum se transformat in Angelum lucis, recipiendus erit domum. Denique, quum Apostolus de omnibus hæreticis dixerit, eos esse *αὐτοκατακρίτες* & ultro se damnasse, ut non dignos regno cœlorum; quomodo dubitabimus, omnes hæreticos bis tervè monitos, non ultro deviare? Saltem, quis dicet nobis, quinam ultro devient? Hoc certum est, neminem posse Deo imputare errorem suum. Inobediens Deo est, qui veritati non credit. *Si quis velit facere voluntatem ejus, qui misit me*, (h. e. credere Mosi & Prophetis, Joh. 5: 38. 46.) *cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar*, h. e. mentiar: ait Servator Joh. 7: 17. Nemo invitus infidelis est. A philautia, à segnitie, à mala voluntate, & varia concupiscentia, error est: non à conscientia. Vel hoc reos faciebat Judæos, quod se dicerent videre, & tamen non crederent. Joh. 9: 41. Nolebant à quoquam coargui cæcitatis; non ferebant ejus remedium.

324 §. 290. [324] *Distincta sunt Ecclesia & Respublica*; sed
P.108. ita, ut Respublica Ecclesiæ hospitium esse debeat. Itaque
325 nec [325] *recipit cujuscunque religionis* vel opinionis sectatores: si eos potest *παραιτεῖσθαι* & sine injuria illis portas claudere, ut paterfamilias fores suas claudere potest ei, qui non affert doctrinam Apostolicam. certè non fert eos, qui mendacia seminare, & Ecclesiam tollere satagunt. Si quos necesse sit ferre, tamen nulla lex est, quæ cogat, omnis sectæ homines, etiam idolorum cultores, etiam paganos, etiam illos, quorum religio est nullam putare in factis differentiam, & omnes illos, qui non possunt esse fidi cives recipientibus se, admittere.

326 §. 291. [326] Græcos per servitutem corporalem à spi-
P.109. rituali liberatos, & antea diximus, nec nunc pœnitet. Concedi autem Græcis, ut Mahumedanos ad suam religionem traducant, si negem, vereor, ne dicat Eques, nos Mahumedanos imitari; qui jam dicit, Mahumedanos moderationis laudem Christianis præripuisse. Arriani cognati Socinianorum ii fuerunt, qui Catholicos affligerent & vexarent: quod Edictum nemini Sociniano irrogat. Ii occasionem dederunt Episcoporum elationi. Ea per Satracenos compressa est. Quid hoc ad rem?

327 §. 292. Si [327] *hæresis non occupat nisi volentem, & volenti non fit injuria*, dicerent illi, qui hæreticos capite plectendos censent, non fieri ipsis injuriam, si capite plectantur.

328 §. 293. [328] *Contingere non potest, ut scandala non ve-*
P.110. *niant; sed væ illi per quem veniunt.* Luc. 17: 1. Veniunt autem & per eum, qui legitimis modis potestate sua non obstat, quo minus abundent.

329 §. 294. [329] Ubi scriptum est, legem punire eos duntaxat blasphemos, qui se blasphemos esse intelligunt? Ubi nata est Equiti hæc distinctio?

Etiamsi vero Edictum non puniat nisi Socinianismum suadentes, conventum agentes & librorum venditores (quorum conscientia plerunque eos urget ad maximum lucrum captandum) atque ita hoc, quod de pœnis blasphemorum objicitur & solvitur, nihil ad rhombum faciat: tamen clarum est ex ea lege, quæ punit blasphemos & apostatas, legem non recognoscere libertatem illam conscientiæ, quæ sit, in religione sentire, quæ velis, & pronunciare, facere, cum aliis communicare, quæ sentias.

330 §. 295. [330] Rectum dictum esse, quod, *qui Deum non habent, nec conscientiam Dei habeant*, & antea animadvertimus, & nunc repetimus. In mendacio non potest bona esse conscientia. Ergo mendacium dicendi licentia, non est conscientiæ libertas. Lex jubebat Israelitas adigi in verba fœderis (quod Edictum non postulat) sed eadem exterminabat omnes idololatras. Idola, nomina deorum extraneorum, celsa, etiam ubi Deo Israëlis adolebatur, scandala, terræ fœdatio habebantur.

§. 296. [331] Si quid Sadducæorum cum Pharisæis in 331
cultu & in synedrio mixtura ad rem facit, exemplo hoc P.111.
commendabitur nobis confusio contrariorum dogmatum, dummodo partes contradicentes de sensu verborum legis inter se litigent. Ex quo sequetur, de nulla lite in Ecclesia judicandum esse. Confusionem maximam, & remediis superiorem, fuisse in populo Judaico, nemini ignotum esse potest. Legem tamen punivisse pseudoprophetas, in nomine Domini falsum loquentes, testatissimum est. Viguerunt, etiam in servitute, ademtis judiciis capitalibus, anathemata, plagæ, domorum destructiones, carceres. Idque putarunt se Judæi rectè in Christo, Apostolo & fidelibus exsequi. Zacharias cap. 13. vaticinatur, fore impostorum, ut, si quis ultra prophetet, dicant ipsi pater materque ipsius, non vives, quia mendacium loquutus es in nomine Domini: eumque confodiant. Id ad Christi tempus pertinet. Et concedo, Ecclesiastico judicio illi verbo ab Ecclesia satisfieri. Non tamen planè hic cessare patriam potestatem, cujus portio in magistratu residet, verba ipsa satis declarant.

§. 297. [332] Qui discere cupiunt, eos Edictum non pu- 332
nit: sed eos, qui opus habent ut discant, prohibet mendacium docere, & viam justitiæ evertere.

§. 298. [333] Judæos admittere non omnibus ubique per 333
leges licet. Quibus id licet, quibus legibus id prudenter P.112.
faciant, solent dispicere. Qui eos admiserunt, iis ferendi sunt. Maximè, quia huic genti debemus, ut eam ad æmulationem provocemus. Nulla tamen ratio suadet, ut illis liceat vel Christum blasphemare, vel insidiari Christianis.

§. 299. Malè aptas vestris, quod Plinius de Christianis antiquis testatus est, [334] convenire ad hymnos Christo 334
dicendos, quasi Deo. Illis commentitia illa Deitas, quàm vos Christo tribuitis, ignota fuit. Arnobius, qui trecentos à nomine Christiano numerat annos, etiamsi contendat, Christum eodem jure Deum posse nominari, quo Hercules, aut quivis alius à gentibus nominabatur Deus, tamen testatur, Christum verè & *re certa sine ullo dubitationis ambiguo Deum* esse, & Christianos, *magistro Christo, summi regis ac principis veneratores esse, denique propterea, quod hominem natum Deum fuisse dicerent*, Christianos à gentibus irrisos & rejectos esse. Arnob. lib. 1: 19. 20. 21. 24.

§. 300. Si [335] vestra argumenta metum fecissent, aleam 335
hanc monendi Magistratum Synodi potuissent declina- P.113.
re. Nam nemo ignoravit, ad apologias ventum iri. Pro simplicibus metus est, & impietatis participandæ formido.

§. 301. De [336] *spiritu* vestro, quem negas esse *Judai-* 336
cum, non possumus esse securi. Neque enim videtur nobis spiritus alius, quàm qui Judæos impulit ad occidendum Christum: siquidem doctrina magistrum spiritum testari potest. Valde metuendum est, ne, si is gladium nanciscatur, eo uti velit. Carceres, mulctasque jam vobis permisit spiritus magistri vestri Socini. Omnis terror, citra fusionem sanguinis, Christiano magistratui, qui secundum vestram ideam est, convenit. Et unicum vestrum votum est, ut magistratus sint veri Christiani, supra p. 80. h. e. Sociniani. *Metuo Danaos & dona ferentes.* Metuo spiritum illum, qui parcit sanguini scilicet, ut animabus non parcat. Formido spiritum nimis justum, nimis humilem & pacificum.

§. 302. [337] Judæis & Atheis per dogmata Sociniana 337
resisti posse optimè, supra fidem est. Nam quæ dogmata opinionibus falsis Judæorum magna ex parte concinunt, & veris eorundem sententiis sunt contraria, ut Judæos confundere vel convertere possint, est planè impossibile. Quod ad Atheos attinet, memini, meminerunt & alii, fuisse quendam Didericum Camphusium, qui in epistola typis expressa, & canticis ipsius adjuncta, profiteretur, se pronum fuisse ad relinquendam omnem religionem, donec inciderit in illos libros, qui docerent, perpetuos ignes nihil esse & æternos cruciatus. Credo, hac via multos posse incedere, ut audeant religionem sibi fingere, tanquam sine periculo. Quàm facta sit Sociniana opinatio ad pietatem efficiendam, satis *ὡς ἐν τύπῳ* demonstravimus.

§. 303. [338] *Garri ablandiri* dogmata Ecclesiæ refor- 338
matæ, P.114.

matæ, vetus calumnia est, etiam Apostolo impacta. Esse vero, qui gratiam transferant ad lasciviam, non novum est. Certè iis, qui in lascivia degunt, libertatem non spondemus, quasi aut non sint servi corruptionis, sed integras vires haberent ad obediendum Deo; aut quod faciunt, interim consulentes suis desideriis, causa justitiæ esset. Quod à Sociniano potiùs dogmate consequitur. Nam nos sincerius, *factionem carnis mortem esse*, dicimus, quam ipsi. Neque, quia lacinias bonorum operum, aut abstinentiam quandam à notissimis operibus malis, sive, si quis non audeat facere mala, id pro causa justitiæ reputamus, ideo nullam necessitatem verè bonorum operum statuimus; sed eo magis esse necessaria docemus, quia sine bonis operibus nec liberi, nec salvati, nec vivi, nec hæredes justitiæ, nec fideles, nec Deo gloriosi, nec participes Christi, nec Sp. Sancti possessio, nec bonam conscientiam habere, nec certa spe jucundari, nec hæreditatem Christi & nostram locupletare possumus. Tantum hoc vos malè habet, quod in bonis operibus confessionem veritatis, qua Deus glorificatur, quam vos impugnatis, & propriæ insufficientiæ ac defectus multiplicis; & abnegationem propriæ justitiæ (quam vos contra Deum statuere satagitis) numeramus: & nulla bona opera nisi ex amore, quo Deum diligamus ut amantem nos, proficisci posse asserimus, ut grati ipsi simus, & eo digni reperiamur.

339 §. 304. [339] Magistratus, qui impedit falsitatis doctores, & doctrinas falsas spargi non vult, non facit suspectam doctrinam veritatis, sed simplicioribus consulit, audaces comprimit, sibique pacatæ conscientiæ thesaurum recondit, dum zelo, quem debet, quemque Deus exigit, Deum & veritatem glorificat. Deus potens est ad comprimendum os mendax. Non tamen se suspectum facit impotentiæ, quia etiam hominibus præcepit, ut mendaces abominentur.

340 §. 305. [340] Veritas tuta est. neque poterit fieri, ut mendacium fit veritas, aut veritas mendacium. Sed veritas non prodest illis, qui credunt mendacio. Et natura homo talis est, ut fugiat lucem. Resistendum igitur est Diabolo, ne aures animumque occupet, atque ita per veritatem servari homines non possint. Si nunc doctores essent Apostoli, si non sæpe parvuli adhibendi essent ad pascendos greges, & in cœtibus parvuli non essent, fortasse minùs periculi esset. Attamen & Apostolus Elymam magum cæcitate percussit, ne vias Domini perverteret: & placidissima illa mens optabat, ut absciuderentur ii, qui Galatas turbabant, Gal. 5:12. Neque alia magis causa est, quare ex cœtibus piorum ejiciantur hæretici, quàm ut ne audiant fideles eos, qui ipsorum fidem suffodere conantur. Et nemo sibi debet videri adeo robustus, ut temere in tentationem se præcipitet. Magnum est in viis Dei vel addubitare, vel ad animum revocare σεσοφισμένους μύθους, quibus nequitia impietatem incrustat. Qui hoc virus non expertus est, gratias agat Deo, si perpetua fide inconcussus stetit; sin autem ad omnia indifferens fuit, & inter Dei ac Diaboli consilia fluctuavit hactenus, sciat, se necdum vel Deum vel Diabolum cognovisse, & hujus adhuc teneri laqueis.

341 §. 306. [341] Martyres videntur, qui constanter quicquam perferunt, propter id quod agunt, & nolunt id omittere: soli ii sunt martyres, qui propter conscientiam injusta perferunt. 1 Pet. 2:19. 20.

§. 307. Si & illi, qui missi non sunt, currunt, & homines alliciunt, & homines, si currentibus resistatur,
342 [342] *alliciuntur*, quid faciendum est? Ergo, ne alliciantur homines, non impediendi, sed juvandi sunt, qui eos alliciunt?

343 §. 308. [343] Si illustrissimi Ordines putassent, se opus habere adhuc inquirere, à qua parte stet veritas, scivissent, quid faciendum fuisset. Nunc illi non dubitarunt, veritatem vobiscum non esse. Videtur, Equitis consilium esse, ut Magistratus semper quærat, quæ sit veritas, nunquam determinet.

344 §. 309. [344] Quum iis, qui in Synodis congregantur,
P. 115. instituto Reipublicæ, ut, quæ ad quietem & emendationem Ecclesiæ pertinent, in medium conferant, quando candidè & submissè monent Ordines, aut iis, qui prædicant ad populum, seditionem improperat Eques, meminerit, linguam dolosam jaculis & prunis puniri. Psal. 120: 3. 4. Ministri Ecclesiæ, qui ex officio monent & superiores & inferiores, seditiosi sunt, si paulo altiore voce loquantur: & tu non calumniator es, qui Proceres in eos, qui plebi concitandæ operam non dant, instigas? Pertinent scilicet & hæ artes ad propagationem fidei.

345 §. 310. Parabola de [345] *zizaniis* primò coarguit dormitionem hominum, per quam inimicus homo illa semi- P. 115.
nat. Id monet, omnibus vigilandum esse, ne seminentur. 116.
Quod paterfamilias inhibet servos suos, ne ea colligant; id 117.
non magistratui fibulam ponit, quo minus faciat, quod sui est muneris, sed ipsis rectoribus Ecclesiæ præcipit tolerantiam eorum, in quibus erat similitudo bonæ frugis, licèt aliquid non genuinum haberent admixtum, unde timeri & suspecti esse poterant. Tales igitur, qui alienum quid præ se ferebant, jubet tolerari propter bonos, qui scilicet poterant esse triticum etiam in communione errorum. Nam hæc quorundam errorum natura est, ut simul in iis, qui fundamentum tenent, possint reperiri, & in fundamentum ignorantibus vel etiam aversantibus. Angeli suo tempore erant zizania collecturi. Futurum enim erat, ut fundamentum ipsum in controversiam veniret, & errores pro fundamento venditarentur, & propter eos fundamentum oppugnaretur. Ibi segregata sunt zizania à tritico. Qua segregatione facta, non jam dictum est, ut servi patrisfamilias se contineant, sed ut pro veritate accepta & fortiter & prudenter dimicent. Atqui segregationem factam esse, totus mundus novit. Neque toleratio potuit locum habere, nisi in istis, qui verba fundamenti communia haberent. Quæ in Ecclesia Romana communia fuerunt fidelibus & alienas doctrinas superaddentibus; quemadmodum vicissim etiam alienæ doctrinæ communes fuerunt fundamentum tenentibus & illud ignorantibus. Unde periculum fuisset, si quis omnes alienarum doctrinarum opinione imbutos colligere voluisset, ne etiam triticum exstirparet. Sed ut hæc communio & toleratio non potuit valere nisi in iis, de quibus sperari poterat, eos unà fundamentum tenere; ita minimè locum habet in illis, qui fundamentum verum oppugnant, aut aliud ponunt. Parabola illa non docet, servorum Dei non esse evellere hæreses, sed tantum Angelorum. Nimis sæpe Eques sua verba nobis pro divinis obtrudit. Est enim certè omnis Christiani ἐλέγχειν & *redarguere*; est & Ecclesiæ. Igitur & hominum est, eos, qui Ecclesiam ἐλέγχουσαν ac *redarguentem* non audiverint, *pro ethnicis* aut *publicanis* h. e. alienis à Deo aut scandalosis habere. Est hominum, tradere scandalosos Satanæ. Est igitur hominum, hæreses evellere. Est patris & matris filios falsum loquentes in nomine Domini confodere. Zachar. 13:3.

§. 311. Neque id, quod dicis, [346] *Magistratûs esse, nulli suam potestatem commodare*, ex Deo est, sed ex tuo. 346
Nam Deus vult Magistratus esse gestatores Ecclesiæ. Cujus [347] *supplicationes repelli* dum vis, vis populi fidelis 347
potestatem pro populo non vigere, sed potiùs contra illum, ut tuto & securè rixosi & seductores eum possint ἀναστατοῦν & *inquietare*. Eodem jure dixeris, patresfamilias debere ociosè quiescere, quoties quis in familia novas doctrinas seminare conatur.

§. 312. [348] Gamaliel non fuit tam amens, aut tam impudens, ut putaret, ex successu propagationis esse æstimandas doctrinas; quasi non & veritas per improbitatem 348 P. 117.
hominum in via posset cadere (Esai. 59:14.) & lex stringare (Hab. 1:4.) quæ tua ratio est: sed, quum videret, nec Pharisæos Scribasque extra periculum errandi esse constitutos, &, quæ Apostoli dicebant, posse esse vera, suadebat ἐποχὴν & suspensionem judicii, donec appareret ex reipsa, utrum Apostoli ex Deo an ex suo loquerentur. Idque rectè, nisi manifesti characteres Christi in D. Jesu apparuissent, & à Mose & prophetis edocti fuissent eam doctrinam, quam Christus loquebatur. Nam si mala denunciaret, satis id erat argumenti, agendam esse pœnitentiam. Quid enim causæ erat, quare non excuterent actiones suas, & pœnitentiam agerent, quum lex eam exigens quotidie auribus illorum insonaret? Sed si quis bona in nomine Dei pronunciaret, & alioqui à doctrina legis non discederet, expectandus eventus erat, ut intelligeretur, an is à Deo missus esset, nec ne. Jerem. 28. vers. 9. Ita videbantur Apostoli regnum & refrigerium in nomine Christi polliceri. Judicavit Gamaliel, expectandum esse, non reluctandum: interim per oscitantiam non observans, refrigerium per Christum non nisi obedientibus paratum esse.

§. 313. [349] Nostra scilicet, propter opimas conditiones nostras, interest, ut falsitas obtineat: neque enim 349 P. 118.
habemus animas, quas salvemus. Ergo, ne tu hoc improbo scommate, Eques, uti posses, nobis non accipienda erant è publico stipendia, quibus (post labores non exiguos, post opimiores spes abdicatas, multi etiam impensas non parvas) toleremus vitam & familiam. Quæ si modica diceremus; μεμψίμοιροι à te diceremur. Quanquam autem sint amplissima, minora sunt commodis, quæ alia studia,

studia, operæ, officia suppeditant. Quid vero, mi Eques, dum de opimis nostris commodis loqueris, nonne idem facis, te tuosque illis ἐποφθαλμιᾷν & inhiare?

350 §. 314. Si [350] Gallionis factum aut dictum ad exem-
P.119. plum valet, etiam hoc ad exemplum valebit, quod *omnes Græci Sosthenem principem Synagogæ pulsarunt ante tribunal; neque Gallio id curavit vel hilum.* Sint igitur magistratus non tantum auditores disputationum immobiles, sed & spectatores pugnarum inde exortarum. Ita nihil pudet, mi Eques? Sed quales estis in Theologia, tales etiam estis in Politia. Gallio erat missus, ut leges Romanas exsequeretur, non autem legem Mosis. Et per Romanos Judæis erant ademta judicia capitalia. Αὐτονομία eorum erat restricta ad coërcitionem leviorem & anathemata. Judæi igitur postulabant totum statum rerum mutari, nempe, ut vel Romani præsides exsequerentur leges Mosaicas, vel ipsi capitalia judicia exercerent. Id tentarant jam in Pilato. Joh. 19:7. sed quum id non succederet, falsum crimen læsæ majestatis aut seditionis impegerunt Christo. ibid. 12. Poterant bonâ conscientiâ Christum, etiamsi seductor fuisset, non occidere; quia judicia capitalia ipsis ademta erant: sed quia oderant gratis, ficto crimine, gentibus occidendum tradiderunt. Nostra quæstio alia est; An magistratus Christianus, à populo Christiano constitutus, debeat potestate sua uti, ut populus ille, à quo potestatem accepit, sit expers *ἀναστατώσεως conturbationis*?

351 §. 315. Tecum dicimus, [351] Nullius Magistratus con-
P.120. scientiam posse eum obligare, ut premat conscientiam: sed negamus, mendacium dicere & propagare, posse imperari à conscientia. Si in omnibus magistratibus & subditis esset ea conscientia, ut verum & justum, quod sciunt, non quod opinantur, vellent dicere, facere, defendere; nulla in terris inquietudo esset. Sed, quia homines putant, hoc quod ipsis videtur, sive in causa Religionis, sive in alia justitiæ parte, esse dictatum conscientiæ, &, *quod volunt, sanctum esse*, &, quod sentiunt, sibi dicendum, propagandum, faciendum esse, ideo in mundo pro Conscientia dominatur Error, pro Deo, veritatis & conscientiæ auctore, Auctor erroris & libidinis Satanas. Atqui hoc non ex nostra, mi Eques, sententia proficiscitur, sed ex tua, qui *libertatem conscientiæ* pag. 99. definis, *posse statuere, quod velis, & quod statuas, dicere, communicare, facere, sine injuria* scilicet. Unde patet, non nostrum, sed tuum axioma esse fontem omnium malo-
rum. Atque eo [352] Maximilianus, laudatissimæ memo- 352
riæ Imperator, & sapiens & felix fuit, quod vidit, hoc P.121.
Papam petere, ut sibi conscientiæ subderentur, &, ut libertatem civilem cuilibet imperii membro sartam tectam voluit, ita ad subjugandam conscientiam Papæ minister
esse noluit. Contra [353] Henricus Valesius, in errore con- 353
trario versans, se perdidit.

§. 316. [354] Æquale jus Civibus omnibus administra- 354
ri, nemo magis desiderat, quàm nos. Sed non est idem P.122.
jus veritati & mendacio, neque eadem causa ejus, qui 123.
infestat ac perdit, & ejus, cui per alium non licet cum suis tranquillam & quietam vitam degere in omni honestate, & cumprimis pietate: 1 Timoth. 2:2. si per magistratum stet, ut ille securè hoc faciat, hic autem id cogatur pati.

§. 317. [355] *Purum Dei verbum*, quod *proponi* vis, 355
Eques, non debet esse dolus vocabulorum divinorum ve- P.123.
latus foliis (ut tu velles) sed sincera veritas, nullo interpolata mendacio.

§. 318. [356] Voto Equitis nostrum haud paullo since- 356
rius adjungimus, ut Deus hasce terras non tam opibus P.124.
mundi, quàm veritatis solidæ possessione & regno suo, cujus quæstionem omnia bona sequuntur, faciat nobiles, ut ea totum, si pote, mundum locupletent; quæ non habetur in compugnantium dogmatum conglomeratione, sed in Christi, veri Domini, veri Salvatoris, & magni Dei, & justitiæ ejus demonstratione, & regni ejus in nobis validi per fructus sanorum sermonum, & ex fide humili ac grata profectorum operum ostensione. *Fiet fides temporis tui possessio omnimodæ salutis, sapientiæ & cognitionis. Timor Domini, is illius arca est.* Esai. 33:6.

A M E N.

APHO-

APHORISMI
CONTRA
SOCINIANOS
ET
PONTIFICIOS.

DISPUTATIO I.

De Theologia & principiis ejus.

§. 1. THeologia tota practica est. Nam quæcunque tum de fundamento fidei tum de iis, quæ fundamentum illustrant & muniunt, in ea docentur, faciunt ad πρᾶξιν, non tantum externam, sed & internam, quæ est δοξάζειν θεὸν καὶ εὐχαριστεῖν αὐτῷ. Male igitur Arm. & Socin. ad solam πρᾶξιν externam nos vocant, & nostram Theologiam criminantur speculativam.

§. 2. Est Theologia naturalis sine revelatione per Verbum Dei.

§. 3. Beatitudo, quæ est finis Theologiæ, ad eam homo & conditus fuit, & eam naturaliter appetit.

§. 4. Datur Dei cognitio naturalis.

§. 5. Est in homine non tantum Ratio rectum pravumque necessario discernens, sed & notitia recti ut sibi boni, & pravi, ut sibi mali.

§. 6. Non est speculativè ἄθεος.

§. 7. Theologia naturalis non deducit hominem ad salutem.

§. 8. Non est religio aut pietas communis, per quam omnes homines, quicquid de Deo sentiant, servari possint.

§. 9. Ratio Theologiæ subservit non imperat.

§. 10. Nullum dogma est contra rectam Rationem: ut volunt Sociniani in nostra religione esse.

§. 11. At sunt supra Rationem & Rationis captum.

§. 12. Ideoque non sunt neganda statim, quæ non capimus. ut Remonstr. & Socin. Et negantes talia, hæretici sunt.

§. 13. Theologiæ salutaris principium est Verbum Dei.

§. 14. Verbum Dei tradit cœlestem sapientiam non tantum expressis verbis, sed etiam per consequentias.
Apol.5.a. quas non semper meris Scripturæ verbis exprimi necesse est.

§. 15. Necessarium est non tantum fundamentum fidei nosse & tenere, sed & illa, quæ fundamentum illustrant & muniunt & ei superstruuntur non velle dedita opera ignorare, aut temere convellere.

§. 16. Theologia revelata naturalem confirmat, illustrat, purgat.

§. 17. Revelata naturalem præsupponit &, ratione nostri, in ea se fundat.

§. 18. Verbum Dei loquitur distinctè, emphaticè, ad captum & exercitium docilium Dei.

§. 19. De quibus Deus loquitur more hominum & tanquam notis homini, de iis recta Ratio secundum Scripturas judicat. ut sunt termini humani, connexiones veritatum, analogia rerum spiritualium & corporalium, ordo & consequutio sermonis, ratio differendi, &c.

§. 20. Et quæ ita in vi terminorum continentur, sunt de fide.

§. 21. Sociniani & Remonstrantes principium fidei non faciunt revera Verbum Dei sed præconceptas opiniones & capacitatem Rationis & artem torquendi & exinaniendi Verbum Dei.

§. 22. Verbum Dei, per quod Deus Ecclesiam servare vult, in libris Vet. & Nov. Test. continetur.

§. 23. Verbum Dei Sociniani volunt esse ἰδίας ἐπιλύσεως (contra 2 Pet. 1: 20. Phil. 3: 15.) dum spernunt Scripturæ παραλληλίαν, & ad capacitatem suam omnia torquent, & confidunt ingenio suo de intelligentia Sacr. literarum & fide, spreto etiam orthodoxo consensu Ecclesiæ in Scripturæ explicatione, qui in prophetiis habet testimonium, præferentes illorum paucorum hæreticorum feras opiniones, quæ ab Ecclesia, in qua Deus mirabilia sua edidit opera, secundum Scripturas damnata sunt.

§. 24. Sociniana Catechesis in probanda divinitate Scripturæ primum N. deinde & V. T. multo maxima argumenta omittit & ἀμεθοδίαν committit.

§. 25. Via ad beatitudinem habet testimonium in V. & N. T. & quanquam ea nudè & clarè in N. T. manifestata sit, multaque circa illam mysteria in N. T. sint patefacta, tamen accedente luce N. T. vix dici potest, ex utro T. pleniorem institutionem capere possint, quorum oculi à Christo illuminati sunt.

§. 26. Sed Socin. Catechesis dum dicit, maximè ex N. T. cognosci viam beatitudinis, innuit nec promissa eadem nec præcepta extare in V. T. quod falsum est.

§. 27. Verbum Dei non est ita medium pietatis, ut vult Socinus, scil. ut cùm quis velit Rationi parere, ex Verbo Dei ei persuadeatur, Deum unum esse & remuneratorem quærentium, ex qua persuasione necessario sequatur effectus faciendi rectum.

M DI-

DISPUT. II.

Apol. p. 53. b. Soc. contr. Eutr. p. 7. §. 1. MAlè dicitur, necessaria ad salutem creditu apertis verbis Scripturæ contineri: quasi illa tantum necesse sit credere, quæ tam apertè dicta sunt, ut sine meditatione dummodo quis sanum judicium habeat pateant; eoque alia omnia negligi possint & quomodo libet de iis sentire liceret, tanquam si non necessaria essent.

§. 2. Rectius de perspicuitate sic loquemur. Esse quædam clara & perspicua, ut nullo modo possint obnubilari; alia in vi clare dictorum contineri & per collationem Scripturarum diligentemque meditationem reperiri, vel à doctoribus Ecclesiæ indicari. Ex claris ænigmata & quæ controversiam habent explicari. Non esse obscuritatem, quæ scandalum gignere possit. Ænigmata tandem studio accedente intelligi. Mysteria in thesi ex dogmatibus: in hypothesi ex implementis & consensu prophetiarum cognosci. Necessarium esse, ut homo conetur proficere, &, quantum profecerit, teneat: scandala contra doctrinam & pietatem evitet: se & alios ædificet: omnia in fide agat.

§. 3. Scriptura perspicua est ad convincendum etiam illos, qui ei nolunt credere.

§. 4. Fides Scripturæ non intellectui ejus sed Spiritui sancto debetur.

Apol. 26. b. §. 5. Etiam in V.T. sunt claræ Dei promissiones de salute & vita æterna fidelibus danda.

§. 6. Confessiones non nudis quibusdam verbis Scripturæ texendæ sunt, sed & de sensu Verbi Dei edendæ sunt phrasibus minimè controversæ interpretationis vel ex Scriptura sumtis vel alioqui usitatis.

§. 7. Prophetiæ V.T. maximam partem de rebus N.T. loquuntur. ideoque ex illis mysteria fidei optimè probantur.

§. 8. Etiam ex allegoriis & parabolis argumentandi certa ratio datur.

§. 9. Scriptores sacri in minutis circumstantiis non sunt lapsi.

§. 10. Omnia scripta Vet. & Nov. T. sunt divinitus inspirata.

§. 11. Deus de controversiis judicat in conscientia fidelium per Scripturam tanquam sententiam à se prolatam.

§. 12. Hoc non est spiritum privatum facere judicem controversiarum.

Cat. p. 20. Apol. p. 28. §. 13. Spiritus ille, qui nobis aperit Scripturas, ut in eis videamus vitam æternam esse, non tantum datur jam credentibus sed datur ad credendum sive salutariter intelligendum.

§. 14. Euangelium Johannis immerito obscuritatis accusatur ab Enjed. p. 136. 137. Verba: *Peculiarem phrasin & diversum à reliquis Euangelistis habere Johannem non diffiteor. Quæ an magnificentia & sublimitas dicenda sit, judicent alii. Certè si obscuritas concisa, abrupta, minimè sibi cohærens, & ex allegoriis constans oratio sublimitas dicenda est, fateor Johannem esse sublimem*, &c.

Apol. p. 276. b. §. 15. Non est licitum obtentu libertatis prophetandi omnia dogmata in dubium vocare, quæ sunt extra manifestissima illa quæ in Decalogo præcipiuntur & ab omnibus, qui sanum sinciput habent, recipiuntur.

§. 16. Sociniani & Arminiani in Scripturis interpretandis sibimet contrarii sunt, dum & clamant maximè perspicuam, & ferè ubivis talibus utuntur explicationibus, quæ sine magna arte & subtilitate à nemine possint excogitari vel etiam intelligi, & quales instar cothurnorum ubivis possint applicari.

§. 17. Merito suspectum est, quod à Socino & similibus primis & solis inventum est.

Cat. p. 21. §. 18. In Scripturis revelatur via vitæ non quia homo nihil habet natura commune cum immortalitate & viam ejus ignorat: sed quia Deus misericors ab æterno exitio, in quod homines in Adamo inciderant, vult electos liberare.

Socin. instit. p. 4. Cat. p. 28. §. 19. Via ad vitam est cognitio Dei & Christi, sed ut Sponsoris.

DISPUT. III.

§. 1. COnvenit, necessarium creditu esse ante omnia, quod Deus sit.

§. 2. Id vero credi non potest, nisi aliquo modo naturaliter cognoscatur, aut mediis naturaliter notis sit demonstrabile. Quod quia negat Socinus, ipsum fundamentum religionis tollit.

§. 3. Credere, quod Deus sit, (in genere) non est tantum credere, quod Deus ex se ipso imperium in nos habeat, sed est credere, quod sit Ens necessarium, æternum, omnipotens, omni divinitate sive attributis divinis pollens, esse causam omnium rerum, quæ sunt & fiunt, tum primam efficientem, tum immediatè producentem, tum ultimam finalem; hominis exemplarem: in quo sit hominis bonum: omnium dominum: sanctum & odorem peccati: sufficientem interim ad justificandum impium: testem & revelatorem voluntatis suæ, ut ei credatur & pareatur.

§. 4. Imperio Dei abutuntur Sociniani, dum afflictionem Christi justi & amantium ipsum ad illud solum referunt. Nam licet Deus habuerit potestatem creandi hominem vel non, non potuit tamen hominem creare ad hoc, ut miser esset, extra rationem peccati, vel omni modo affligere extra rationem majoris boni; quod bonum sine dubio aliud non potest esse, quam demonstratio misericordiæ ejus: quandoquidem id pugnat cum imagine Dei ad quam homo conditus est.

§. 5. Malè etiam dilatant imperium ad potestatem imperandi ea, quæ injusta sunt: qualia sunt adorare creaturam & invocare, & ab ea petere, quæ nonnisi à solo Deo alioque petere liceret.

§. 6. Imperium divinum non est causa sola adorationis, sed ipsa veritas divinæ excellentiæ. ideoque & impium est vel alium, quam Deum adorare, vel docere, præcipi posse, ut alius, quam Deus, adoretur.

§. 7. Imperium divinum à Deo non potest ulli communicari.

§. 8. Omne imperium communicatum non est divinum, sed longè inferius; imo est species servitutis & ministerii.

§. 9. Imperium summum Deus sanè habet in creaturis ex se ipso h.e. independenter; sed non pugnat, eum, qui hoc imperium habet, ratione suæ subsistentiæ esse ab alio. Clarius; non pugnat veræ divinitati Christi & independenti ejus imperio, quod genitus est à Deo Patre.

§. 10. Similiter, quod Deus potestatem omnem in cœlo & terra dedisse Filio dicitur, id non præjudicat æterno ipsius in omnia dominio; quia hoc dicitur κατὰ τὴν οἰκονομίαν, qua Filius consilio Patris & suo factus sponsor, obedientia perfecta præstita, novo titulo jus sibi peperit colligendi & salvandi Ecclesiam.

§. 11. Simplicitas Dei necessaria creditu est, ne vacillet æternitas, immensitas, immutabilitas.

§. 12. Deus ita simplex est, ut quicquid in ipso est, sit ipse.

§. 13. Ita volitio Dei est ipse Deus.

§. 14. Et voluntas sua ipsi coæterna est.

§. 15. Dei immensitas necessaria creditu est, licet comprehendi non possit.

§. 16. Remonstrantes, qui immensitatem illam irrident, non possunt certo credere, Christum esse verum Deum, secundum dictum. Joh. 3:13. Apol. 43. a.

§. 17. Neque sequitur ex immensitate Dei, quicquid est, esse Deum.

§. 18. Neque fides immensitatis est porta ad Atheïsmum, sed ejus abnegatio. Apol. ibid.

§. 19. Dei scientia infinita est, quia non tantùm scit omnia quæ fiunt, sed & quæ fieri possunt & quæ futura sunt, quomodocunque. Soc. præl. c. 8.

§. 20. Cum præscientia Dei non pugnat hominis, ut loquuntur, libertas sive mutabilitas à rectitudine sua.

§. 21. Omnia futura sunt Deo præsentia, quia certo futura sunt.

DISPUT. IV.

§. 1. NEcessarium est ad salutem credere, quod Deus sit justus.

§. 2. Quæ justitia est tum in eo, quod peccantes jure punire potest; tum quod puniendo peccata perfectionem aliquam suam, nim. odium peccati demonstret: tum quod peccator indignus sit unione & communione Dei: tum quod Deum deceat, non sine punitione peccati id remittere. Exod. 34:7. נקה לא ינקה

§. 3. Justum est apud Deum ut fœdus facere cum posteris hominis in uno homine, ita in uno omnes damnare.

§. 4. Justum est apud Deum, innocentem hominem obligare ad ferendum pœnam pro homine peccatore.

§. 5. Imo & pœnam peccatoris justo homini imponere 1. si is volens causam peccatoris suscipiat propter majus bonum, scil. gloriam Dei. 2. si ejus tanta dignitas sit, ut mereatur sibi peccatores dari in peculium. 3. si exsolutis pœnis ipse mercedem obedientiæ possit accipere.

§. 6. Non tamen decet Deum, ut puniat peccatum in Sponsore frustra, h.e. sine reali remissione peccati eorum, pro quibus is satisfecerit.

§. 7.

§. 7. Credenda est & misericordia Dei, h. e. ea perfectio, secundum quam laudabile Deo est justificare impium mediante Sponsore.

§. 8. Et libertas in misericordiæ exercitio.

§. 9. Nomen אלהים non est nomen appellativum; sed in proprio significatu proprium Deo supremo.

§. 10. Significans non imperium, sed Entis summi, Auctoris omnium & Domini, jus ad fœdus faciendum cum miseris hominibus ut salventur ab ipso per fidem in ipsum.

§. 11. Pluralis numerus hujus nominis non ab usu linguæ Hebraicæ, sed à mysterio S. Τριάδος potius fluxit ad alia extra id mysterium. Notat Deum τρισυπόστατον. Et de singulis personis dicitur, quia quælibet habet totam Deitatem, & sic Pater Filium & Spiritum sanctum in se habet per περιχώρησιν.

§. 12. Nomen יהוה est incommunicabile creaturis.

§. 13. Virtus nominis hujus est non simpliciter significare eum, qui Dei promissiones implet, sed qui, quum sit necessarium Ens, suas promissiones à se ipsó præstat.

§. 14. Θεός vel ὁ θεός simpliciter maximè in compellatione directa & cum apposito adorationis vel invocationis &c. summum Deum notat.

§. 15. Necessarium est credere Deum esse unum.

§. 16. Non vero unitate personæ. (Hoc enim Deus nuspiam revelavit) sed essentiæ.

§. 17. Persona à substantia prima non differt per intelligentiam internè, sed externè: & præterea substantia prima intelligens differt à persona, ut natura à naturam habente.

§. 18. Necessaria est creditu personarum in divinitate pluralitas, quia necessaria est fides in Christum filium Dei.

§. 19. In hoc articulo fides rudium judicat curiosorum dubitationem. Sufficit τὸ ὅτι divinitus abunde demonstratum.

§. 20. Neque pugnat rationi sed supra ejus captum est.

§. 21. Ab initio Deus revelavit Filii divinitatem in prima promissione, quæ Adamo facta est.

§. 22. Et Abrahamo & Mosi & Israëlitis & Prophetis idem revelatum & creditum est.

§. 23. Ecclesia Christiana non toleravit, ut fratres, qui Christum negarent esse verum Deum.

DISPUT. V.

§. 1. QUum Scriptura Patrem Christi vocat unum Deum, 1 Cor. 8:6. Eph. 4:6. non excludit Filium & Spiritum sanctum, quia eum significat, in quo & à quo est, quisquis est Deus, quique se primitus creatorem universi & auctorem legis ac fœderis gratiæ demonstravit, atque ea parte totius divinitatis negotium gessit. Ita Johan, 17:3. non in contradistinctione Filii sed in conjunctione Filii solus verus Deus appellatur. ut omnes circumstantiæ demonstrant.

§. 2. Rectè probatur divinitas Filii ex eo, quod Deus appellatur.

§. 3. Joh. 10:35. Christus non docet se Deum alio modo vocari, ac Patrem: imo contrarium innuit. confer Luc. 1:35. 1 Joh. 2:20. Joh. 3:31.

§. 4. Invicte S. Trinitas probatur ex Matth. 28: 19. 1 Cor. 12:4.5.6. 1 Joh. 5:7.

§. 5. In specie probant hi loci divinitatem personæ Christi, & personam Spiritus sancti divinam.

§. 6. Licet in Mosen baptisati dicantur Israëlitæ, ut ministrum Dei: tamen non possunt verè dici in nomen Mosis baptisari, ut in nomen Filii Baptisamur.

§. 7. S. Trias probatur non destruitur ex 1 Joh. 5:8.

§. 8. Fides S. Triados non labefactat fidem unius Dei; sed ejus abnegatio introducit duos Deos.

§. 9. Neque obscurat gloriam unius Dei: sed contraria sententia attribuit gloriam unius Dei illi, qui non est natura Deus, atque ita pietatem in idololatriam convertit.

§. 10. Neque evertit viam salutis: sed contraria omnem religionem tollit multis modis. imprimis tollit fiduciam in Christo, quia obscurat & incertum facit ipsius imperium & potentiam: tollit ejus invocationem, quam facit liberam: unde consequitur liberum esse, si quis velit, nunquam à Christo salutaria petere aut sperare: adorationem, quia justitiam adorationis labefactat: &c.

§. 11. Veritas divinitatis & regni Christi est lapis offendiculi omnibus infidelibus, ut Scripturæ testantur. & contra eam totus mundus se commovit, Judæi, Gentiles Arriani, reliqui hæretici. Hoc est argumentum veritatis. Contra sententia Sociniana ad Judaismum & Turcismum ducens reprobanda est.

§. 12. Spiritus sanctus, quando non significat donum ipsius, malè definitur esse *Dei vis & efficacia QUÆDAM scil. quæ secum sanctitatem aliquam afferat.* Omnia enim opera Dei sunt & Spiritus Dei, & Spiritus sanctus est persona. Soc. instit. p. 12. Cat. Rac. p. 46.

§. 13. Luc. 1: 35. *Spiritus* notat divinam personam Filii Dei, secundum expositionem Tertulliani & Justini Martyris. à quo alii Patres non dissident, qui per *virtut Altissimi* intelligunt Filium Dei. Soc. instit. p. 12.

§. 14. Neutri præjudicat illa appellatio, quin persona sit.

§. 15. Spiritus pro divina persona Filii usurpatur Marc. 2:8. Rom. 1:4. 1 Tim. 3:16. Hebr. 9:14. 1 Pet. 3:18.

§. 16. Voces, *Essentia*, *Persona*, *Trinitas*, Ecclesiastici usus sunt, explicantes sensum Scripturæ necessarium, licet eodem sensu alii aliter possint loqui. Attamen postquam obtinuit sensus ejusdem orthodoxi per has voces explicatio, eæ nullo prætextu rejici possunt.

§. 17. Unitas essentiæ & Trinitas personarum indigitata est Deut. 6:4. in quasi Symbolo Israëlitarum. Idem rectè observatum ab Alsted. in Turri Babel p. 281. Sed de Testimoniis aliis agetur Disp. 6.

DISPUT. VI.

§. 1. PErsonarum in una Deitate distinctio jam Adamo nota fuit. siquidem non est verisimile, ea quæ Moses scripsit de eo, ipsi Adamo fuisse ignota. Probant autem eam præter phrasin ברא אלהים 1. Gen. 1:2. 2. Gen. 1:26. 3. Gen. 3:22, 4. Promissio prima in paradiso facta, quæ unum opus nim. ponere inimicitiam inter serpentem & semen mulieris, & conterere caput serpentis simul Deo & homini attribuit. Gen. 3: 15. 5. Neque sine mysterio est, quod Adam uxorem suam propter hanc promissionem vocat matrem *omnis viventis*. Quod non impletur, nisi quando Deus ex illa nascitur. vers. 20. 6. Unde & Heva se putabat jam tum genuisse Dominum, quum peperisset Cainum. Gen. 4: 1.

§. 2. Probat eam quoque apparitio Dei facta Adamo & Loto. Gen. 18. & 19.

§. 3. Item promissio: In semine Abrahami benedictionem consecuturas & sibi benedicturas omnes gentes. Gen. 12:3. 28:14. Gen. 22: 18. Confer Esai. 45: 21. 22. 23. 24. 25, Esai. 65: 16.

§. 4. Item verba ultima Jacobi. Gen. 48: 16. Item descriptio τοῦ Siloh, Gen. 49: 10: 11. 12.

§. 5. Apparitio Dei sive Angeli Dei in rubo. Exod. 3: & similes aliæ.

§. 6. Item locus Exod. 23: 21. ubi angelus talis indicatur, quo comitante Deus ipse dicitur esse præsens: & distinguitur à tali angelo, quo præsente Deus non dicitur esse præsens. Exod. 33: 2. 3. Quod & Hebræi viderunt. Vide Sanhedrim meum pag. 234. & 235.

§. 7. Satis quoque est ad excitationem συνέσεως & fidei benedictio ordinaria Num. 6: 24. 25. 26.

§. 8. Item promissio de verbo fidei Deut. 30: 10. 11. 12: collato Rom. 10: 6. 7. 8.

§. 9. Item verba Jos. 24: 19. collato Hos. 12: 1. Prov. 30: 3. 4.

§. 10. Item promissio facta Davidi ejusque explicationes Ps. 89. & Ps. 110. & Ps. 2. & Ps. 8. & Ps. 45. & Ps. 72.

§. 11. Apud Esaiam multa sunt testimonia. Esa. 5: 1. Esa. 6: 3. Esai. 9: 5. Esa. 11: 1. 3. Esa. 42: 1. 8. Es. 44: 6. Es. 48: 16. 17. (de quo loco cavillatur Socinus in anim. ad Coll: Posnaniense p. 41.) Es. 63: 7. 8. 9. 10.

§. 12. Illustris etiam locus est apud Zachar. 2: 8. 9. 11. vel 12. 13. 25. 3: 1. 2.

§. 13. Item Hag. 2: 5 6. Mal. 3: 1. vel 3. collato cap. 4: 5.

§. 14. In N. T. illæ probationes sunt præ cæteris & præter jam supra commemoratas evidentes Matth. 3: 16. 17. Joh. 14: 16. & 15: 26. 2 Cor. 13: 13. Apoc. 1: 4. 5. 6.

§. 15. Omnia testimonia huc faciunt, quæ probant Filium Dei Christum esse verum Deum, & item illa, quæ probant Spiritum sanctum esse personam. Quibus probatis, quum Deus unus sit, necesse est, Tres esse unum Deum.

§. 16. Antequam id probetur præliminariter notandum, quod vox יהוה non tribuatur creaturis. ut post Socin. volunt & Remonstr. in Apolog. cap. 3. p. 50. b. & 51. a.

§. 17. Vox יהוה notat eum, qui 1. necessario Est, & semper manet idem. 2. bonitate & veritate sua fit, quod est; sive demonstrat bonitatem & veritatem suam ipso actu.

DISPUT. VII.

§. 1. DE Christo necessarium creditu est non modo, quod verus homo sit, sed etiam quod ex virgine natus sit: idque non ad verificandum nomen *Filii Dei* inde à nativitate, sed ut idoneus esse credatur ad Mediatoris officium. Catech. p. 55.

ficium. Nam si communi lege ex Adamo fuisset natus mulieris, sub reatu fuisset cum reliquis.

§. 2. Non vocatur Filius Dei ex illa causa, quia ex Virgine natus est, sed quia est Ἅγιος, h. e. Deus. Luc. 1: 35.

§. 3. Phrasis, *Conceptus ex Spiritu sancto*, malè ad effectionem Spiritus sancti sive divinæ efficaciæ restringitur.

§. 4. Nam quod Matth. 1: 18. dicitur ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, & vers. 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου: id ex Luc. 1: 35. explicandum videtur de superventione Spiritus sancti, h. e. divinæ personæ, quæ ex Virgine carnem assumsit, secundum quem Spiritum Filius Dei ἐν δυνάμει appellatur. Rom. 1: 4. sive est intelligendum de Λόγῳ qui ex Virgine factus est caro. Joh. 1: 14. Atque adeo in Matthæo pro ἐκ πνεύματος ἁγίου substitui potest, ἐκ τοῦ Λόγου. Conf. Disp. VI. th. 13.

Catech. §. 5. Creditu necessarium est, Christum esse Φύσει θεὸν.

p. 55. ibid. §. 6. Neque pugnat rationi unio naturæ immortalis & mortalis; æternæ & initium habentis; immutabilis & mutabilis in una persona.

p. 56. §. 7. Commodè adhibetur similitudo unionis animæ cum corpore in homine, licet hæc non sit exemplum unionis hypostaticæ sive assumtionis in hypostasin.

p. 57. §. 8. Neque sequitur, Si divina natura est persona, Ergo & humana.

p. 57. §. 9. Scriptura nobis non demonstrat unam personam, quæ, exclusa Filii & Spiritus sancti persona, sit Deus natura.

§. 10. Non pugnat esse hominem & Deum.

§. 11. Scriptura non asserit, quod Christus sive Filius Dei divinitatem suam habeat dono. Neque id probant loca Matth. 28: 19. vel potius vers. 18. Phil. 2: 9. 1 Cor. 15: 27. Quicquid enim in his locis dicitur Filio donatum, id est, quod Christus tanquam Sponsor meritus est; quod, licet Deus natura existens & ad hoc opus sufficientiam plenissimam habens, non poterat sine novo titulo sponsionis obitæ & redemtionis patratæ sibi verè vendicare: quodque, ex hypothesi sponsionis, sine perfecta obedientia præstita in hoc homine Jesu demonstrari & manifestari non poterat.

p. 57. §. 12. Sociniani sunt idololatræ, quia servire volunt Deo, qui non est Φύσει θεός.

Mich. 5: 1. Heb. 7: 3. Apoc. 1: 8. 11. 2: 8. §. 13. Filius est Φύσει θεός, quia generatione æterna est: qui nec initium nec finem dierum habet: qui est A & Ω, primus & ultimus.

p. 58. §. 14. Filius Patri opera sua asscribendo non negat se esse verum Deum, sed id probat. Vide Joh. 5: 18. (quem versiculum Catechesis non debuit omittere) 19. 20. 21. 22. 23. 30. 36. Joh. 10: 25. (NB.) 30. 32. 36. 38. Ita Act. 2: 22.

p. 58. §. 15. Atque adeo nec frustra est in Christo divina natura, nec frustra de illo asseritur aut creditur; quia citra hoc non potest cognosci ut Redemtor & Dominus & Caput Ecclesiæ, & is, in quem credendo salvemur.

§. 16. Imo citra divinitatem Christi & juxta principia Socinianorum Christi humanitas non est necessaria ad salutem, neque etiam ipsius divina, quam fingunt, potestas.

p. 59. §. 17. Æternitas Christi rectè probatur ex Joh. 1: 1. *In initio Erat.* Id enim notat *initium* creaturæ. Sic 1 Joh. 1: 1. 2. collato 1 Joh. 2: 14. Non vero notat initium Euangelii.

p. 60. Item ex Joh. 6: 38. 62. Quod argumentum non debilitatur sed confirmatur ex Joh. 3: 13.

p. 61. 62. 63. Item ex Joh. 8: 58. Nam sive τὸ, ἐγώ εἰμι explicetur ex c. 13: 19. & c. 8: 24. (quod convenire videtur cum ratione loquendi. Apoc. 17: 8. 11.) sive τὸ εἰμὶ notet existentiam, cum τῷ πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι jungi & potest & debet. Sed etiamsi cum λέγω illud πρὶν &c. jungatur, ex mente Socini Christi responsio nec apta, nec usitati sensus, nec vera foret. Vide Rom. 4: 12. 16.

DISPUT. VIII.

Cat. Rac. p. 65. 66. §. 1. MAlè negatur τὸ ὁμοούσιον eo argumento, quod Essentia non possit esse communis distinctis personis. Hæc enim est mera petitio principii.

§. 2. Phrasis מִימֵי עוֹלָם Mich. 5: 1. significat æternitatem; licet יְמֵי עוֹלָם Esai. 63: 9. 11. Mal. 3: 4. non significent æternitatem. Nam יְמֵי עֹלָם vel significat dies durationis certæ rei, de qua scil. agitur (ut in dictis locis) vel dies durationis mundi, ubi absolutè עֹלָם usurpatur sine

p. 67. respectu ad certam rem. Atque ita apud Micham. Neque enim verum est, quod Micha respiciat ad tempus constituti regis in populo. Cujus nullum indicium in textu est. Et Sociniana interpretatio inepta est, q. sensus sit: Egressiones ejus erunt ex Davide Bethlehemita. Sic enim 1. idem dicitur per posterius, quod per prius, 2. ineptè & sine causa occultaretur per posterius, quod per prius clarissimè dictum est. Quis enim rex potest ex Bethlehem proditurus dici, nisi qui ex semine Davidis sit, secundum promissionem? 3. ineptissimè diceretur Egressionem habere ab antiquo, à diebus seculi, si intelligendum sit, Non habere sed habiturum esse egressum ab eo, qui fuit diebus priscis. 4. Phrasis Hebraica gemina emphasi sua & verâ atque usitata significatione privatur. Nam מִקֶּדֶם מוֹצָאֹתָיו significat Nativitatem filii Davidis esse longè antiquiorem ortu ex Bethlehem. Altera autem מִימֵי עוֹלָם eam antiquitatem extendit ad principium omnis temporis, atque ita notat eam esse sine principio. Ita מִיּוֹם notat æternitatem Esa. 43: 13. Ezech. 48: 35. & מֵעוֹלָם Ps. 90: 2.

§. 3. Si tantum unus hic locus Mich. 5: 1. in tota Scriptura extaret, secundum eum omnes loci Scripturarum, subinnuentes æternitatem Christi, spretis cavillationibus, explicandi essent.

§. 4. Locus Psalm. 2: 7. de Davide nullatenus debet explicari. p. 67.

§. 5. Etiamsi τὸ *Hodie* non significet æternitatem, sed v. g. diem resurrectionis & ascensionis. Actor. 13: 33. p. 68. Hebr. 5: 5. tamen nec resuscitatio, nec exaltatio Christi est ea *generatio* quam Psalmus prædicat, sed tantum testimonium & manifestatio generationis, unde filius Dei appellatur. Rom. 1: 4. Nam alias quum resuscitatus est ex mortuis non accepisset nomen majus Angelis. Hebr. 1: 5. quia, resuscitari ex mortuis, non est esse majorem Angelis. & sic de ascensione in cœlum.

§. 6. Prov. 8. agitur de Sapientia Dei & quidem ὑπόστασιν habente. p. 69.

§. 7. Prov. 8. & Joh. 1. in init. se mutuo explicant.

§. 8. Impudenter dubitatur, an vox יהוה de Christo dicatur. Vide Esai. 40: 3. collato Luc. 1: 76. Neque ulla exceptio dari potest, nisi hæc: dici Dominum venire, dum venit missus ab ipso. Sed ita adventus Baptistæ esset jam adventus Domini non vero προπόρευσις πρὸ προσώπου Κυρίου. Vide & Mal. 3: 3. vel 1. & cap. 4: 5. Omnes prophetiæ de redemtione יהוה peracta per filium Dei eundem titulum ei vendicant. Vide etiam Esai. 6: 1. collato Joh. 12: 41. Item Psal. 24: 8. 10. collato 1 Cor. 2: 8. p. 72.

§. 9. Concesso, quod Jer. 23: 6. & cap. 33: 16. indicet nomen, quo appellandus sit Israel & Hierosolyma, nim. יהוה צִדְקֵנוּ / tamen invictè colligitur, Christum in eis locis dici יהוה quia illa est denominatio à germine Davidis justitiam donante.

Idem patet ex comparatione Esa. 45: 25. cum 1 Cor. 1: 29. 30. 31.

§. 10. Zach. 2: 8. 9. vel 12. 13. Sunt quidem verba Angeli, cui alius Angelus obviam procedebat, vers. 7. (juxta Hebraic. distinct.) loquentis cum alio Angelo, sed præscribentis verba alteri Angelo, in suo nomine pronuncianda. Atque ita hic Angelus loquens cum Zacharia se vocat *Dominum exercituum*, & sibi attribuit, *Missum esse* ab eo, cujus pupillam tangit, qui tangit Israëlem; *agitare manum super gentes.* Et apertius vers. 10. 11. vel 14. 15. Jehovah habitans in Israële se dicit missum à Jehovah exercituum. Confer Zach. 2: 11. vel 15. cum Joh. 1: 14. & Joh. 17: 8. p. 74.

§. 11. 1 Joh. 5: 20. & Christus appellatur ὁ ἀληθινὸς θεός. quemadmodum uterque appellatur ὁ ἀληθινὸς & Pater & Filius. Pronomen οὗτος numero & genere conveniens cum sequenti ὁ ἀληθινὸς θεός, supponit pro utroque Patre & Filio. p. 75. 76.

§. 12. Nullibi autem dicitur Christus *Deus aliquis verus.*

§. 13. Tit. 2: 13. ex mente Socinianorum debuisset dici, p. 80. καὶ ἐπιφάνειαν τοῦ σωτῆρος &c. μετὰ τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ. Nisi voluit Christum elogio divinitatis ornare, Paulus incautè & periculosè locutus est. Imo nisi τὸ ἡμῶν jungatur vocibus τοῦ μεγάλου θεοῦ sensus epitheti μεγάλου erit obscurus & usus insolens.

§. 14. Argumentum ex Apoc. 1. malè informatur. Sed p. 80. confer Apoc. 1: 8. 17. 18. 2: 8. 4: 8. 9. 10.

DISPUT. IX.

§. 1. APoc. 1: 4. 5. distinguitur quidem Jesus Christus Cat. p. 81. ab eo qui est, erat, & venit, non ita tamen ut non eidem elogium conveniat. Contrarium inde liquet, quia vers. 8. certè vers. 17. & cap. 2: 8. similia sunt sedentis in throno, & Jesu elogia; quia una προσκύνησις utriusque cap. 5: 8. 13. idem elogium Apoc. 4: 10. 5: 14. Item, quia & Christus est καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου. cap. 3: 21.

§. 2. Causa vero talis elogii Patri appropriati est, quia Pater ante incarnationem, & in negotio atque οἰκονομίᾳ salutis totam repræsentat Deitatem: Filius autem & Spiritus san-

sanctus peculiarem præterea personam sustinent ratione missionis suæ.

p. 83. §. 3. Si Actor. 20: 28. legendum esset Χριστοῦ pro θεοῦ, discederetur à formula Scripturæ, quæ Ecclesiam Dei appellare solet. Sed potius Syrus codex suspectus est corruptelæ quam Græcus. Neque aliud dicit Paulus quam quod Joh. 1: 1. 14. 29. Si tamen θεοῦ de Patre velis accipere, non admodum contradixerim; sed tum erit testimonium περιχωρήσεως Patris & Filii, ut 2 Cor. 5: 19. Nihil simile cum Zach. 2: 8.

p. 84. 85. §. 4. Sive 1 Joh. 3: 16. legatur θεοῦ, sive non, certum est sermonem esse de ἀγάπῃ θεοῦ. vers. 1. Ἐκεῖνος vero ad Deum etiam ex mente S. Johannis referri potest, vel ille incaute & periculose loquutus est tum vers. 16. tum vers. 3. 5. 7. Αὐτοκατάκριτος est auctor Catecheseos, qui vers. 3. supplet: *Christus aut Deus*. Nam in omnibus locis indifferens est, quo referas ἐκεῖνος. Sed vers. 5. ex ipso verbo ἐφανερώθη adstruitur divinitas: confer 1 Joh. 1: 2. 1 Tim. 3: 16.

§. 5. Τὸ ἐγένετο Johan. 1: 3. clarius notat *creationem* quam verbum ἐκτίσθησαν. Cum hoc verbum etiam de nova creatura usurpatur.

§. 6. Nihilominus τὸ ἐκτίσθη. Col. 1: 15. 16. 17. 18. non dicitur de renovatione, ut & Eph. 3: 9.

p. 88. 90. §. 7. Τὸ διὰ. Joh. 1: 3. non notat causam secundam, sed immediatam principalem, sed cum Patre.

§. 8. Πάντα & κόσμος. Joh. 1: 3. 10. significat creaturas primæ creationis. Ratio est, quia intelligendum est etiam de non renovatis. Multa enim non facta sunt nova, fatente Catechismo.

§. 9. Item, quia de illis loquitur ibi quæ facta sunt, cum λόγος esset apud Deum, & nondum venisset in mundum quod demum dicitur vers. 9. 11. 14.

§. 10. Item, antequam exstitisset Johannes Baptista.

§. 11. Item, quia novæ creaturæ sub alio titulo fit mentio demum vers. 12. 13. in oppositione aliorum quæ per ipsum facta quidem, sed non renovata sunt. Sic vers. 16. 17. 18.

§. 12. *Sine ipso nihil factum est* additum est ad excludendam exceptionem, & ad demonstrandam æqualitatem, & quod ipse sit finis creaturæ Dei & causa. Est allusio ad Esai. 48: 16.

§. 13. Qui aliter interpretatur Johannem, facit ipsum loqui periculose & incaute, imo stulte & confuse. Huc pertinet regula quam inculcat Socinus de Adorat. Christi pag. 99. quum refutat Adversarii refutationem ex eo, quia S. Scriptor sic loquendo & aliter intelligendo, dedisset occasionem gravissimè errandi & peccandi.

p. 91. §. 14. Hebr. 10: 5. & Johan. 1: 9. sunt parallela. sed κόσμος neutiquam sonat τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, quæ diligenter distinguenda sunt: neque enim οἰκουμένη notat cœlum. Heb. 1: 6. & 2: 5. neque obstat Heb. 8: 4.

p. 92. 93. §. 15. Absurdè Joh. 1: 10. ὁ κόσμος ἐγένετο explicatur per 1. mundus renovatus est. 2. immortalis mundus factus est.

§. 16. Locus Col. 1: 16. non est parallelus Eph. 2: 10. 15. sed Jac. 1: 18. ubi κτίσματα sunt creaturæ primæ creationis, confer cum Apoc. 14: 4.

§. 17. Col. 1: 20. demonstrat vers. 16. agi de prima creatione illorum quæ reconciliantur.

§. 18. Absurdè in explicatione illius loci præponitur resurrectio reconciliationi.

p. 95. §. 19. Locus Heb. 1: 2. pessimè, & contra usum Scripturæ explicatur hoc modo: Per quem tempora futura condidit, vide Heb. 11: 3. Idem confirmat Analysis & comparatio. vers. 2. & 3. cap. 1.

p. 96. §. 20. Locus Heb. 1: 10. 11. 12. loquitur de Christo, quia 1. alias Paulus inepte allegasset ad ostendendam Christi præcellentiam præ Angelis. 2. Psalmus 102. de regno & operibus Christi manifestandis & exhibendis agit per precationem. 3. Utcunque unum prædicatum Christo vindices ex isto dicto, cætera ei quoque asserenda sunt. Sunt enim eidem attributa, & ita copulata, ut unum sit ratio alterius, scilicet creatio & abolitio omnium rerum Deo soli competens, ut immutabilitas ipsius est fundamentum sperandæ ἀφθαρσίας ab ipso.

DISPUT. X.

p. 99. §. 1. HEbr. 1: 3. Filio Dei asseri conservationem rerum probat vis, quam in detorquendo adhibent Sociniani, partim quod notet sustentationem regni (sed & hæc non est nisi verè & in excellentia divina) partim quod gubernationem tantum volunt notari. Apostolus asserit, quam gloriam jam habuerit Filius cum purificationem faceret & consideret ad dextram Patris.

§. 2. Quum Petra esset Christus Israëlitis, qui in deserto, atque adeo symbolum ejus qui ipsos sustentabat, alebat, salvabat, & spirituali lætitia satiabat, cujus communione justi & beati erant, necesse est Christum jam tum extitisse 1 Cor. 10: 4. atque ita Christum quoque in deserto tentatum esse vers. 9. Confer & Psal. 95: 3. 4. 5. 6. 7. 9. 11. & vide Heb. 3: 6. 9. p. 101.

§. 3. Esai. 6. confer Joh. 12: 41. Esaias vidit gloriam exstantem, olim manifestandam, Christi jam exstantis & Esaiam mittentis. p. 105.

§. 4. Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο Joh. 1: 14. & Deus factus est caro sive assumsit carnem sunt ἰσοδύναμα. ἐγένετο & ἦν nec possunt nec debent confundi. Analysis, si de ἐνσαρκώσει accipias, optima est, alias nulla. Carnem fieri non est affligi. p. 106. 107. p. 109.

§. 5. Locus Philipp. 2: 6. 7. non patitur detorsionem. quippe εἶναι ἐν μορφῇ θεοῦ est Deum esse, κενοῦν ἑαυτὸν est non esse ἴσα θεῷ, λαβεῖν σχῆμα δόλȣ est hominis naturam accipere, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γίνεσθαι est similem fieri hominibus. Sic Rom. 8: 3. πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. Falsum est, Christum secundum carnem in mundo fuisse ἐν μορφῇ θεοῦ ante exaltationem. Divinus honor si ipsi mero homini attributus fuit, & ipse accepit, ἁρπαγμὸς fuit. p. 109. p. 111.

§. 6. Θεὸς 1 Tim. 3: 16. omnino legendum est, & non de voluntate Dei, sed de persona divina est accipiendum, tum propter verbum ἐφανερώθη (confer 1 Joh. 1: 1. 2. 3: 2.) & quidem ἐν σαρκὶ in oppositione πνεύματος. tum propter ἀνελήφθη. quod vide Marc. 16: 19. Actor. 1: 2. 11. 22. 10: 16. Luc. 9: 51. quod ridiculè explicatur per **aangenomen** / *receptus est*, ut solemus doctrinam recipere. Et sic esset tautologia. quippe idem cum ἐπιστεύθη. p. 112.

§. 7. Heb. 2: 16. 17. Qui, quia jure fratris semen Abrahæ vindicat sive ejus vindex est, iccirco debuit iis similis fieri communione carnis & sanguinis ad passionem mortis; is revera est Deus incarnatus. p. 114.

§. 8. Ineptè τὸ *communicare carne & sanguine* explicatur per τὸ *esse passionibus obnoxium*. p. 115.

§. 9. 1 Joh. 4: 2. 3. symbolum quasi Christianorum est multa continens. Illa vero ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα significant ipsius descensum ex cœlo & apparitionem in carne sive humana natura. Atque ita includunt divinitatem. Quam qui negat, secundum hoc symbolum Christianus non est. Quanquam & per ὁ υἱὸς & ὁ Χριστὸς indigitatur Deitas 1 Joh. 3: 22. 23. p. 115.

§. 10. Heb. 10: 5. non ingressus Christi in cœlum sed in terram notatur. Est enim adventus ad faciendum voluntatem Patris, vers. 7. scil. mortem obeundo. p. 117.

§. 11. Adversus clarissima elogia divinitatis Christi nihil habent Sociniani nisi turpissimam petitionem principii. Homo non est Deus. p. 118. 119.

§. 12. Christus appellatur Deus, non Deus aliquis. Joh. 1: 1. Rom. 9: 5. Ibi vero & Deus summus.

§. 13. Filius ita unum est cum Patre, ut hæc sit gloria ipsius, quam habuit ante jacta mundi fundamenta, Joh. 17: 5. nimir. quod sit Deus. Joh. 1: 1. p. 120.

§. 14. Unitas voluntatis, quæ est exemplar nostri amoris perpetui, est æternus amor Patris erga Filium.

§. 15. Si unitas potentiæ competit Filio, & essentiæ. Arqui verum Prius. concedente Cat. p. 121.

§. 16. Unio nostra cum Patre est etiam in eo, quod semper erimus cum Patre & Pater in nobis gloriam suam manifestabit. Hujus exemplar non potest esse nisi æterna coexistentia Patris & Filii. Joh. 1: 1. 2.

§. 17. *Æqualem esse Deo* Johan. 5: 18. Philipp. 2: 6. significat partim æqualem esse natura & potentia Patri; partim se cum tanta gloria manifestare, quanta Deo convenit. p. 122.

§. 18. Filius proprius & unigenitus quum dicitur Christus, significatur non præstantia in eodem genere, sed filiatio generis diversi. Alias enim non esset μονογενής. Exemplum Isaaci & Solomonis id confirmat non destruit. p. 125.

§. 19. Christus non est *primus novæ creaturæ* sed ἀρχὴ πάσης κτίσεως πρωτότοκος Col. 1: 15. Ita excipitur è censu creaturæ & quidem veteris & novæ. Sic Apoc. 1: 5. τὸ πρωτότοκος partim non infert communem relationem ad Patrem nisi quæ est Filiorum, ut distinctionem faciat τὸ τίκτειν καὶ τὸ κτίζεσθαι; partim significat comparationem, ut primogenitus servorum ære emtorum diei potest, cujus sunt servi primogeniti sui Domini. p. 127.

§. 20. Joh. 16: 15. 17: 10. communio Filii & Patris in omnibus nihil patitur excludi. p. 127.

p. 128. §. 21. Ὁ λόγος est in quo, ut æterno sponsore, omne decretum & verbum Dei est Næ & Amen, quique ut Deus verba Dei nobis eloquitur. Joh. 3: 31. 34.

p. 131. §. 22. Χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως idem cum Patre est, vult & potest. Et sic εἰκὼν, & πλήρωμα θεότητος.

p. 132. §. 23. Joh. 17: 5. gloriam apud Patrem habere est apud Patrem esse ἐν μορφῇ θεοῦ.

§. 24. Spiritus Christi in Prophetis est missus à Christo: 1 Pet. 3: 19.

p. 136. §. 25. Impudenter contra Scripturam fingitur descensus Christi de cœlo, quem adscensus alius præcedat. Vide omnino Psalm. 68: 19. Joh. 3: 13. Eph. 4: 9. Rom. 10: 6. 7.

§. 26. Hæc vero & quæ sunt Joh. 6: 33. 58. 62. commutare in locutionem impropriam, qualis est Jac. 1: 17. superat omnem impudentiam. Nam descensus Christi ex cœlo significat existentiam Christi aspectabilem in terra post existentiam veram & immensam in cœlo. Joh. 3: 13. Hierosolyma dicitur descendere de cœlo, Apocal. 3: 12. quatenus qui sunt in terra habent communionem libertatis cum iis qui sunt in cœlo. Ita cœlestis civitas in terram propagatur.

§. 27. Similiter à Patre missum venire In mundum significat post æternam consubsistentiam cum Patre apparere in mundo. Joh. 1: 1. 9.

p. 139. 140. §. 28. Εἷς κύριος 1 Cor. 8: 6. non potest dici restrictè & certo modo extra illud dominium unicum quod est Patris & Filii & Spiritus sancti.

§. 29. *Dominus gloriæ* 1 Cor. 2: 8. est qui & *Rex gloriæ* Psalm. 24: 7. 8. 9. 10. h. e. Dominus summus, rex summus.

p. 142. §. 30. Credere in nomen Filii est summus honor.

p. 143. §. 31. Filio debetur fides ut ei, qui est Deus, sive unum essentia cum Patre. 1 Pet. 1: 21. Conf. Rom. 1: 8. Est hæc Christi δόξα. Neque obstat locus Johan. 12: 44.

p. 145. Contra Socinum est Jer. 17: 5. & Esai. 42: 8. Item Esai. 40. vers. 9. 10. 11. 12. &c.

§. 32. Idola sunt qui non sunt ipse Deus, si in eis fides collocetur.

§. 33. *Dare* quod Pater dicitur Christo est τῆς οἰκονομίας in qualitate Sponsoris, & demonstratio ejus, quod Christus ab æterno habet.

§. 34. Nomen supra omne nomen est tantum divinum nomen.

p. 147. §. 35. Παραλληλία locorum Vet. & Nov. Test. invictè probat divinitatem Christi.

1. Esai. 8: 13. 14. cum Luc. 2: 34. Roman. 9: 33. 1 Pet. 2: 7.
2. Esai. 45: 23. cum Rom. 14: 11.
3. Esai. 41: 4. & 44: 6. & 48: 12. cum Apocal. 1: 17.
4. Esai. 35: 4. cum Matth. 11: 4.
5. Zach. 12: 10. cum Joh. 19: 37.
6. Psal. 68: 19. cum Eph. 4: 8.

§. 36. Neque illa sine unione personali Deitatis cum humanitate Christi verificantur: quia oppositio est ad eos, qui habuerunt tantum assistentiam.

p. 150. §. 37. Divinitas Christi non pugnat cum veritate humanæ naturæ.

p. 151. §. 38. Opinio de Christo mero homine spem nostram tollit 1. quia non sequitur ab exemplo resurrectionis Christi ad resurrectionem nostram, (quia nos peccatores, ille non) nisi ille sit caput nostrum. Caput nostrum esse non posset, si non esset Deus. 2. quia sic sponsio æterna, & dignitas meriti, & fides in ipsum, & sanctificatio nostri ac glorificatio & conservatio nostri per ipsum & invocatio ipsius tollitur. Nam nec omniscientia nec potentia ad hoc necessaria in merum hominem convenit.

§. 39. Igitur qui negat illum esse Deum, negat esse Christum & Filium Dei, neque Patrem habet.

DISPUT. XI.

p. 152. §. 1. Quod ad ordinem officiorum Christi attinet, is diversus statui potest. 1. Secundum executionem consummatiorem officii in carne, ut sit Propheta, Sacerdos & Rex. 2. Secundum rem ipsam Sacerdos, Propheta, Rex. Planè autem non convenit sacerdotium postponere regno, quia regnum fundatur in sacerdotio. Neque obstat Zach. 6: 13. conf. Heb. 10: 12.

p. 153. 154. §. 2. Christus non ascendit in cœlum corpore suo, ut disceret voluntatem Patris.

§. 3. Neque missus est ex cœlo, ut corpus ejus de cœlo delapsum sit.

§. 4. Neque propter solam indicationem voluntatis Dei dicitur λόγος. p. 153.

§. 5. Multo minus propter indicationem hanc Deus, aut imago Dei, aut splendor gloriæ ejus appellatur.

§. 6. Aut de eo dicitur, quod plenitudo divinitatis in ipso habitet corporaliter. p. 154.

§. 7. Mediator dicitur Christus, non tantum quia Propheta est, sed quia fœderis novi testator est apud Patrem, & executor quoad nos.

§. 8. Fœdus Dei novum quod Filius plene annunciavit, est voluntas æterna, ac gratia Patris ac Filii de salute Ecclesiæ: quæ ratione Patris dicitur missio, πρόγνωσις, electio Ecclesiæ in ipso; rursus ex parte Filii Sponsio, intercessio. Iterum in consideratione obedientiæ Filii ex parte Patris, datio electorum, datio regni & hæreditatis, datio omnium in manum. Et ex parte Filii ratione nostri, testamenti factio; ex parte utriusque ad nos, quatenus verbo notificatur promissio.

§. 9. Ab hac promissione est distinguendus sermo conditionalis, fœdus & promissionem applicans.

§. 10. Ut & sermo significans medium unicum perveniendi ad fœdus atque amicitiam Dei, nimirum fidem in Christum sub formula præcepti.

§. 11. Quæ duo sunt non fœdus, sed instrumenta Dei externa, quibus adducimur ad acceptandum fœdus.

§. 12. Dum constituitur fœdus Euangelicum in præceptis & promissionibus, confunditur cum fœdere operum.

§. 13. Nam fœdus operum est pactum de salute suspensum à conditione operum præceptorum.

§. 14. Et qualiacunque sint opera quæ præcipiuntur, si maneat eadem ratio, nimirum suspensio à conditione nostri operis, non mutatur natura fœderis.

§. 15. Utrumque Deo indignum est, dicere nos servari & per præcepta perfectiora (quasi non lex doceat veram justitiam) & per imperfectam obedientiam.

§. 16. Quæ est lex hypocriseos.

§. 17. Imo non servamur nisi per δικαίωμα τοῦ νόμου à Mose dati, Rom. 8: 4. perfectum, & quidem hoc est perfectum δικαίωμα, quod lex Mosis ut perfectam obedientiam approbat. Rom. 5: 16.

§. 18. Christus ut Propheta debet distingui ab eis qui ex terra sunt, & idcirco etiam ex terra loquuntur. Joh. 3: 31. Quod non faciunt Sociniani.

§. 19. Christus enim solus loquitur verba Dei, hoc est, quæ non potest nisi Deus, qui supra omnia est, & in cujus manum ratione Sponsionis æternæ omnia data sunt, loqui. Joh. 3: 34.

§. 20. Ubi de abolitione quorundam Præceptorum agit Catechesis, id pertinet ad discrimen Veteris Testamenti. Et hic sane est libertas Novi Testamenti; servitus autem Veteris Testamenti. p. 156.

§. 21. Non tamen causa abolitionis est, quod Vetus Testamentum (h. e. omnis status hominum sub Veteri Testamento) sit carnale; Novum Testamentum sit spirituale. Utrumque enim est spirituale. Et in Novo Testamento non tolluntur omnia, quæ secundum carnem fieri possunt. p. 177.

§. 22. Ceremoniæ abolentur. quia sunt. 1. Umbra futuri. 2. accusatio & chirographum contra nos; ita erant jugum, effectus iræ, lex enim iram operatur. 3. intergerinus paries, arcens Israëlitas ab hæreditate gentium. p. 158.

§. 23. Non demum Paulus sustulit cerimonias, sed Deus ipse vocans gentes & ungens Spiritu sancto, & jubens illas non aversari, idque secundum significationem in lege jam exstantem. Rom. 4. & alibi. p. 157.

§. 24. Lex judicialis non est sublata nisi quatenus præcipiebat de Politiæ Judaicæ à gentibus secretione, & similibus.

DISPUT. XII.

§. 1. Fuit in Veteri Testamento promissio justitiæ & vitæ æternæ per Christum. Falsum igitur, illam in V. T. non contineri. p. 160.

§. 2. Promissio bonorum temporalium in typum & ad jugum fuit addita promissioni vitæ æternæ, ut heres in metu esset & nihil differret à servo.

§. 3. Veteris Testamenti fuit per politiam peculiarem secerni à gentibus terræ partim legibus justioribus, quam quibus illæ gubernabantur, partim per leges interdicentes certa gentilium commercia. Nunc hæ quidem usum non habent: illæ autem in gentium imperiis imitandæ sunt. p. 161.

§. 4.

§. 4. Non quod pœnæ habeant etiamnum rationem alicujus ceremonialis expiationis, sed quod terrore sunt coërcenda peccata & piis procuranda quies.

Socin. de Offic. Christ. th. 13. §. 5. Etiamsi Ecclesia, qua talis, non sit regnum mundanum (ut Papa eam in regnum mundanum conatus est transformare) tamen vivit Ecclesia sive membra Ecclesiæ in rebus publicis.

Socin. de Offic. Christ. th. 14. §. 6. Catechesis magistratum admittens & eum jubens non peccare contra præcepta Christi hypocrisin admittit. nimirum intelligit usum gladii esse contra præceptum charitatis. Ita re ipsa magistratum tollit.

p. 163. §. 7. Adoratio interna insufficienter ponitur in agnitione potestatis, quam habet Deus in nos, quoad corpus & quoad animam. Vera adoratio cordis est humilis agnitio omnium divinarum virtutum atque operum, quæ Deus in verbo suo manifestavit. Commodè in τὸ δοξάζειν καὶ τὸ εὐχαριστεῖν ab Apostolo Rom. 1: 21. distribuitur.

p. 164. §. 8. Circa præceptum de adoratione nulla facta est à Christo novatio, quum petenda in formulam brevissimam redegit.

p. 166. §. 9. Quod ad petitionem tertiam Orationis Dominicæ notat, de hominis infirmitate, & quod indigeat magnis auxiliis ad id faciendum, quod Deus præcipit, maximè sub Euangelio, quod supra hominis vires sit; non est consentaneum principiis Socinianorum de viribus sufficientibus ad obediendum Deo, de integritate naturæ, de naturali quadam necessitate credendi & obediendi, si modo compertum sit, hoc esse nostrum bonum, quod rectum est. Sed omnis infirmitas, quam hîc dolosè inculcat, nihil ipsi est nisi ignorantia æterni præmii.

p. 170. §. 10. Putidissimum mendacium est, dicere, quod Christus ad primum præceptum addiderit mandatum de sui divina adoratione, quum non sit Deus supremus, ipsorum sententia. Ita Christus prævaricator esset, & Deus Pater ipso primo Decalogi præcepto Israëlitas à Christi fide recipienda esset dehortatus. Quippe supra primum præceptum

p. 162. sic sunt interpretati, Vetari eo, divinum cultum alii, præter Deum, exhiberi.

p. 172. §. 11. Non tantum possumus licitè, sed & debemus à Christo & in nomine Christi petere omnia salutaria: siquidem & ipsum adorare tenemur.

p. 175. §. 12. Deus non potest divino cultu affici mediatè: sive, non potest divinus cultus exhiberi non Deo, aut ei, qui Deo subordinatus est, ut is cultus redundet ad Deum.

§. 13. Christo divinum honorem exhiberi & eundem, qui Patri, sed cum discrimine; est contradictio in adjecto. Nihil patrocinii est in 1 Cor. 8. vers. 6.

p. 177. §. 14. Qui Christum non adorant Christiani certè non sunt: sed nec illi, qui ajunt posse non-invocari. Hi enim causam non habent, cur putent credendum in Christum: & adorationem in facto ipsi detrahunt. Imo veram adorationem ipsi non dant, dum negant esse æqualem Patri.

Ibid. & 178. 179. §. 15. Sociniani possunt Pontificios arguere, quod sine Scripturæ testimonio invocent sanctos; sed idololatriæ primariæ eos arcessere non possunt. Utrique vero idololatræ sunt.

DISPUT. XIII.

§. 1. De imaginibus melius sentiunt Sociniani, quam quidam alii & Papismo & Socinianismo fa-

p. 180. ventes, qui præceptum secundum volunt esse positivum, & ad Israëlitas solos pertinens.

p. 185. §. 2. Participatio idololatriæ vetita est: sed non demum in N. T.

p. 186. §. 3. Jurare per Christum verè pium est, sed non demum lege N. T. id sancitum est. Nam quod per Christum juratur, causa est, quod est verus Deus.

p. 186. 187. §. 4. Neque juramenta temeraria demum in N. T. sunt vetita.

p. 188. §. 5. Voluntarium juramentum sive non à judice delatum sine temeritate usurpari potest.

p. 189. §. 6. Præceptum de Sabbatho, quoad substantiam & veritatem non est abrogatum in N. T.

§. 7. Neque præceptum quartum quicquam continet imperfecti.

p. 190. §. 8. Libertatis est, quo die ex septem publicus cultus celebretur; sed quod primus dies huic sancto usui est adoptatus, id tum magnis caussis, & à Christo ipso præbitis occasionibus non sine divina providentia constitutum est; & sine profanitate is dies non potest profanari.

p. 194. §. 9. Ineptè dicit Catechismus additamenta quinti præcepti esse præceptiones de officio magistratus & subditorum, maritorum & uxorum, herorum & servorum.

p. 195. §. 10. Christus non addidit ad sextum præceptum legem de ira, & verbis vindictam spirantibus. Quasi id lege Mosis non fuerit vetitum: neque mandatum fuerit condonare proximo offensas. Smalc.

§. 11. Vindicta per magistratum certis in casibus rectè peti potest. p. 197.

§. 12. Lex præcipit diligere inimicos, quia mandat amare proximum. Proximus autem est omnis homo.

§. 13. Quod autem Matth. 5: 43. extat, huic mandato non præjudicat.

§. 14. Lex etiam vetat adulterium cordis, & divortia, & omnia turpia verba. p. 199.

§. 15. Æque Lex ac Christus vetat avaritiam. p. 203.

§. 16. Non est avaritia plus retinere, quam præcisè necessarium est.

§. 17. Neque minus vetita est gula, luxuria in V. T. quam in N. T.

§. 18. Interim verum est ultimis hisce temporibus magis inexcusabile esse peccatum avaritiam. Jac. 5: 3.

§. 19. Etiam levitatis mendacia sunt vetita in Lege. p. 205.

§. 20. Præcepto decimo vetatur omnis propensio ad peccatum, quæ est in nobis nativa. p. 206.

§. 21. Neque quicquam hîc novatum est à Christo.

DISPUT. XIV.

§. 1. Præceptum abnegationis sui continetur in præcepto X. Decalogi, & in summa Legis, Diliges Dominum ex toto corde. Vide & Prov. 23: 2. Cap. II. p. 207.

§. 2. Præceptum tolerantiæ passim extat. Vide Hebr. 12. ex Prov. 3. item Jobi 5. Psal. 37. &c. Est enim hoc glorificare Deum. p. 208.

§. 3. Imitatio Christi est præcepti veteris impletio. 1 Joh. 2: 7. 8. Quemadmodum ipsa Christi obedientia est δικαίωμα τοῦ νόμου. Huc pertinent fiducia in Deo, charitas, humilitas, assiduitas in precibus. p. 209. 211 212.

§. 4. Charitas perfecta, qua diligitur Deus ex toto corde, non est demum à Christo præcepta, neque etiam præcepta à Christo ut conditio justitiæ.

§. 5. Mori pro fratre est modus charitatis debitæ secundum legem. p. 210.

§. 6. Dilectio hostium lege præcepta est. p. 211.

§. 7. Præceptum de usurpanda S. Cœna nititur generali præcepto de Verbo Dei & signis gratiæ reverenter excipiendis, & ex eo fluit. Cap. III.

§. 8. Neque tam considerari debet ut opus cerimoniale, quàm ut doni acceptio.

§. 9. Non sola Cœna, sed & Baptismus est institutionis divinæ.

§. 10. S. Cœna non tantum est instituta, ut Christi mortem annunciemus, sed etiam ut credentibus esset pignus communionis cum Christo in morte & vita ejus. p. 217.

§. 11. *Hoc* in verbis Cœnæ supponit pro *pane*, non pro tota actione. p. 219. & 224.

§. 12. Corpus Christi comedere verè & spiritualiter minime pugnant. Licet in spirituali esu sit mysterium. Conf. Eph. 5: 32. p. 221.

§. 13. Baptismus non tantum est institutus pro ethnicis & Judæis ad Christum conversis. Eph. 5: 26. Col. 2. vers. 12. Rom. 6. vers. 3. 1 Pet. 3. vers. 21. Matth. 28. vers. 19. Cap. IV. p. 225. p. 228.

§. 14. Est & puerorum.

§. 15. Pietas habet promissionem & futuræ vitæ æque in V. atque in N. T. Cap. V. 232.

§. 16. Meliores tamen sunt promissiones Nov. Test. quam Veteris ratione τελειώσεως in hac vita. Heb. 11.

§. 17. Promissiones corporales in Vet Test. habent restrictionem, & quatenus redundant, pertinent ad jugum.

§. 18. Promissio Spiritus sancti est copiosioris effusionis donorum extraordinariorum, & fiduciæ majoris credentibus dandæ. Cap. VI.

§. 19. Interim sine Spiritu sancto nec credunt homines in N. T. neque etiam in V. T. credentes & sperantes Christum sine regeneratione & sanctificatione Spiritus fuerunt.

§. 20. Nulli sunt sine Spiritu sancto εὔθετοι ad regnum Dei. p. 239.

§. 21. Neque fides pendet vel ab evidentia divini testimonii vel à probitate ingenii non regenerati supernè.

§. 22. Ipsa datio fidei est effusio charitatis Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum & arrhabo τῆς περιποιήσεως.

§. 23. Prædicatio Euangelii non est datio Spiritus sancti.

§. 24. Spiritus sanctus promissus notat χάρισμα Spiritus sancti, qui est persona divina. p. 245.

DI-

DISPUT. XV.

Cap. VII. p. 251. §. 1. Locus 1 Joh. 5: 8. de testimonio Spiritus, aquæ & sanguinis non bene explicatur in Catechesi. Intelligitur enim 1. Deus Pater in terris testans per Spiritum suum per quem locuti sunt Patriarchæ, Moses, Prophetæ &c. 2. Deus Filius sanguine suo tanquam aqua mundans aspergens conscientias nostras. 3. Spiritus sanctus efficax in fidelibus usque ad effusionem sanguinis pro Christi nomine.

§. 2. Quum summa fidei nostræ sit, Jesum esse Filium Dei & Christum, hujus rei veritas à Deo est adstructa tum nativitate ex Virgine, tum innocentia vitæ, tum revelatione omnis veritatis secundum prophetias, tum mirabilibus & divinis planè operibus, tum resurrectione ex mortuis & consecuta ascensione in cœlum, effusione Spiritus sancti &c.

C. VIII. §. 3. Pessimè mors Christi, quæ est causa salutis, pro mero argumento confirmante voluntatem Dei censetur.

p. 254. §. 4. Christus non est Servator noster solo exemplo & potestate.

p. 257. §. 5. Sanguis Christi non voluntatem Dei confirmat, sed promissionem fœderis ratificat, impetrando hæreditatem promissionis eis, qui ipsi dati sunt. Et hoc est meliora loqui, quam sanguis Abel. Heb. 12: 24.

§. 6. Exemplum resurrectionis Christi in se solo non confirmat spem resurrectionis nostræ.

§. 7. Imo magis confirmat nos exemplum Enochi & Eliæ, quam Christi mortui.

§. 8. Sed resurrectio Christi confirmat nos de resurrectione nostra, 1. quia est testimonium perfectæ satisfactionis & impetrationis. 2. quia ea declaratur caput Ecclesiæ.

§. 9. Christus non demum in resurrectione aut post eam accepit omnem potestatem in cœlo & terra.

p. 259. §. 10. Causa salutis nostræ non est resurrectio, sed obedientia Christi usque ad mortem crucis. Sed resurrectio est partæ salutis obsignatio.

p. 262. §. 11. Satisfactio non pugnat cum gratia.

p. 263. §. 12. Satisfactio non pugnat cum ratione, neque si pœnam consideres, neque si satisfacientem consideres. Imo sine satisfactione nos reconciliari potuisse impossibile est. Et in procurando hoc negocio Deus sapientiam testatus est, quam illuminata ratio agnoscit.

§. 13. Satisfactio Christi non parit petulantiam aut negligentiam, imo est incitamentum veræ pietatis iis, qui credunt.

p. 262. §. 14. Satisfactio Christi habet expressa testimonia in Scriptura. neque solis consequentiis nititur.

§. 15. Gloriosum Deo est justificare peccatorem interveniente satisfactione Mediatoris. Et hæc est sola misericordia, quæ in Scripturis laudatur. Et ut Deum decet illam perfectionem creaturæ ad imaginem suam conditæ demonstrare ita liberum est in quibus eam velit demonstrare.

§. 16. Sanctitati divinæ contrarium est, dimittere peccata impunita. Illa perfectio *justitiæ* vocabulo etiam indicatur. Voluntas illam demonstrandi *ira* appellatur. Quæ, quum Deus possit & velit etiam misericordiam demonstrare, liberè exercetur vel in Mediatore vel in peccatore.

p. 268. §. 17. Satisfactionem probat, quod Christus PRO nobis mortuus dicitur.

p. 269. §. 18. Et pro peccatis nostris.

p. 270. §. 19. Quod nos REDEMIT.

p. 271. §. 20. Quod animam suam dedit ἀντίλυτρον.

p. 272. §. 21. Confessione Socinianorum Christi mors est vera satisfactio, & salvatio nostri vera Redemtio, quia omnes conditiones veræ Redemtionis & veri precii adsunt.

p. 273. §. 22. Idem probat, quod Christus est μεσίτης τῆς καινῆς διαθήκης, & ἔγγυος, & ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας &c.

p. 274. §. 23. Quod ἱλασμὸς est & ἱλαστήριον.

276. §. 24. Quod portavit peccata.

p. 275. §. 25. Quod implevit typum sacrificiorum.

DISPUT. XVI.

Cap. IX. p. 280. §. 1. Præcipuum, à parte Dei in fœdere Novo omittunt Sociniani & alii, quod est Proponere Jesum Christum ut ἱλαστήριον, cum promissione facta Christo Sponsori, de fide danda redemtis per ipsum, & promissionis illius declaratione ad omnes sine jugo legis per 1. invitationem ad fidem & 2. applicationem meriti Christi ad conscientiam per verbum fidei jungens justitiam & salutem & sacramenta, & 3. per pollicitationem hæreditatis terræ. quæ sine certamine & judicio hostium non contingit.

§. 2. Fides in Christum non potest esse in illis, qui negant Christum esse verum Deum.

§. 3. Fides est sanè fiducia in Deo per Christum: sed hoc captiosè dicitur nisi explicetur. p. 281.

§. 4. Nam confidere in Deo per Christum non est *non tantum Deo & Christo confidere*, sed Christo confidere, qui est natura unum cum Patre, & cui omnia tradidit in manum, ut Sponsori nostro, ut nos tanquam membra & fratres suos justificet & salvificet.

§. 5. Neque enim Christus consideratur ut instrumentum, ut fiducia in ipsum redundet in gloriam Dei, qui utitur illo instrumento.

§. 6. Fiducia in Deo, quæ est fides salvificans, est seria sui omnisque remedii peccati ac miseriæ abnegatio, acquiescentia in Christo, ut Salvatore, ac Deo Patre, ut Justificante impium.

§. 7. Ejus initium est seria fames & sitis justitiæ, consummatio & tanquam saturitas spiritualis, πληροφορία, ὑπόστασις, καύχησις.

§. 8. Ea recumbit in promissione, qua Deus Pater dedit Filio semen salvandum per ipsum.

§. 9. Eamque acceptat, applicat & vendicat sibi.

§. 10. Apprehendit donum obedientiæ ipsius, sive justitiæ imputationem.

§. 11. Fides *obedientia* vocatur, quatenus mandatur.

§. 12. Mandatur à Lege, objecto ipsius per Euangelium proposito.

§. 13. Non justificat, QUATENUS est ὑπακοή τις sive bonum opus. Crac. Antisoc.

§. 14. Sed quatenus per illam fimus Christo concorpores, & sic participes justitiæ ipsius. p. 259. Grot. Vet. Pac. p. 20.

§. 15. Nova vita sive obedientia Legis, quam Euangelium explicat, est fructus justitiæ & sic ipsius fidei: non vero sub fide comprehenditur in negocio justificationis.

§. 16. Falsum est, quod vera fides satisfactionis Christi pro nobis præstitæ non gignat bona opera.

§. 17. Sequitur autem fidem studium bonorum operum, quia qui credunt sunt sub gratia.

§. 18. Bona opera non sunt fidei forma.

§. 19. Fides justificans non est assensus in eo gradu, quo is proficit ad propositum bene vivendi.

§. 20. Fides temporaria & justificans non sunt ejusdem naturæ & definitionis.

§. 21. Neque persuasio dandæ immortalitatis operatur vel voluntatem sive propositum vel effectum bonorum operum. p. 282. Soc. thess. de causa fid. 6.

§. 22. Neque fidei causa & fundamentum est amor ac studium prava vitandi & recta faciendi. Thess. 7.

§. 23. Sed in omni homine est amor tenebrarum natura, impediens fidem, donec Deus eam det ad sanandum & purificandum cor ad amorem lucis.

§. 24. Apud Apostolum fidei non tantum opponuntur opera perfectæ obedientiæ, quæ non sunt; sed etiam opera obedientiæ inchoatæ, quæ non possunt justificare. quia non sunt τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου. p. 283.

§. 25. Nova obedientia non tantum tollit habitus, sed & actus vitiosos.

§. 26. Neque tamen omnem habitum vitiosum tollit penitus: quia carnem & concupiscentiam carnis non deponimus plenè nisi in morte.

§. 27. Sociniani nihil docent plus quam orthodoxi, quod movent ad studium sanctitatis.

§. 28. Sed gloriam Deo demunt & introducunt hypocrisin pro justitia.

DISPUT. XVII.

§. 1. Malè & contra Scripturam affirmatur, Esse in nostra potestate, ut Deo ad istum modum obediamus. Rom. 8: 7. Cap. X. p. 284.

§. 2. Neque convenit cum hac assertione alia ista, Quod plerunque parum sit virium in hominibus ad facienda ea, quæ Deus præcipit. Nam si hoc verum. neque est in potestate, obedire: vel velle obedire: vel sibi vim facere, ut se Deo subjiciat. p. 288.

§. 3. Quæ nos dicimus in nemine hominum reperiri naturaliter & ex se ipso.

§. 4. Neque convenit cum principiis Socini, ut sit naturaliter in homine voluntas obediendi Deo. Socin. thes. de causa fidei & epist. ad P. Buccel.

§. 5. Liberum arbitrium, quod sit indifferens ad utrumque oppositorum in nullo statu est in homine.

§. 6. Libera voluntas est, quæ bonum suum impræpeditè prosequitur. p. 284.

§. 7. Homo ante lapsum rectitudinem habuit, quam malè & ineptè Socinus mutat in carentiam peccati.

§. 8. Eam rectitudinem amisit homo per lapsum;

§. 9. Factusque est servus peccati:

§. 10. Cumque ipso ejus posteri.

§. 11. Quippe in parente peccarunt, h. e. Deus de ipsis judicium fert idem, quod de Adamo, ut loquitur Socinus in libris de Servatore: sive peccatum primum illis imputat.

§. 12. Quam damnationem inter cæteras pœnas sequitur privatio imaginis Dei & habitualis aversio à Deo se exserens ab ineunte ætate in peccatis omissionis & commissionis omnium facultatum hominis. Gen. 6: 5. 8: 21.

§. 13. Huc faciunt testimonia Psal. 51: 7. Psal. 58: 4. Rom. 5: 12. Job. 14: 4.

p. 288. §. 14. Ad hominis conversionem necessaria est gratia quædam, quam Deus non dat omnibus vocatis, neque vult dare: quamvis non deneget ulli ad eam anhelanti. Hoc enim ipsum est ab ea gratia.

§. 15. Promissiones & Comminationes non sunt confundendæ cum auxilio Dei. Multos enim illæ non convertunt, sed manent apud illos stultitia.

p. 289. §. 16. Deus promissiones obsignat non modo in corde illorum, qui ipsi obediunt, postquam obediverunt, scilicet, sed etiam ut obediant.

§. 17. Illa obsignatio fit per illuminationem & sanctificationem Spiritus Dei.

§. 18. Sine qua nemo credere potest: ut nec sine fide novam obedientiam præstare.

§. 19. Prædestinatio & Providentia Dei pugnat cum hominis pura puta indifferentia; quæ est mera independentia: sed non pugnat cum vera libertate.

§. 20. Neque tollit religionem.

§. 21. Neque facit Deum injustum,

p. 292. §. 22. Hypocritam,

p. 293. §. 23. Insipientem,

§. 24. Malignum vel auctorem peccati.

DISPUT. XVIII.

p. 295. §. 1. Πρόγνωσις notat certi seminis in Massa peccatorum jacentis ex libero beneplacito assumtionem, ut sint sui. Et sic verbum ידע *agnoscere* Gen. 18. vers. 19.

§. 2. Non vero significat consilium de servandis credentibus & obedientibus ipsi: citra certarum personarum designationem.

p. 296. §. 3. Electio in Scripturis in negocio salutis est vel exemtio actualis certorum ex aliis relictis, vel decretum eximendi.

§. 4. Qui assenserunt & professi sunt Euangelium non dicuntur Electi nisi secundum judicium charitatis de sinceritate fidei.

§. 5. Qui obediverunt non dicuntur inde electi, ut à causa, sed ut à signo.

§. 6. Obscurè Catechesis & intricatè loquitur, non explicans utrum Assentientes sint Electi, an sint electi ad assentiendum.

p. 297. §. 7. *Vocatio* est partim externa invitatio, partim potens ad Christum adductio.

§. 8. Rom. 8: 28. 29. 30. stabilitur Prædestinatio certi seminis antecedens bona opera & fidem, ex beneplacito Dei mero profecta ad filiationem, hoc est, fidem, justificationem, sanctificationem & glorificationem.

p. 299. §. 9. Catechesis Sociniana in quæst. 23. hujus capitis invita veritatem dicit: *Deum eos, quos prædestinavit, ut in afflictionibus & gloria Christo conformentur, per Euangelii prædicationem ad cœtum credentium aggregare; à peccatis liberare & justos dicere* [subest hîc anguis in amphibolia verborum] Sed cum addit, quod eosdem *denique perfecto quodam modo ad vitam æternam & immortalem præcognoverit*, præposterè loquitur.

p. 299. 300. §. 10. Testimonia Rom. 9: 16. Joh. 6: 44. Act. 13. vers. 48. impotentiam liberi arbitrii & necessitatem gratiæ clarè probant.

§. 11. Rom. 9: 16. etiam bona voluntas & rectus cursus excluditur à causatione unionis cum Christo: non vero voluntas & cursus excluditur à causatione oblationis gratiæ & beneficiorum.

p. 302. §. 12. Joh. 6: 44. non tantum necessitas promissionis proponendæ significatur, sed necessitas internæ & potentis flexionis per dationem fidei.

§. 13. Act. 13: 48. intelliguntur τεταγμένοι ὑπὸ θεοῦ.

p. 305. §. 14. Si (ut in Pharaone & Juda fatetur Catechesis) est induratio & rejectio à gratia, adeo ut se non possint convertere: sequitur esse gratiam, sine qua homines se non possint convertere; & eam non consistere in nuda vocatione per verbum, sive mandati sive promissionis æternæ vitæ; & esse item electionem ad illam gratiam.

§. 15. Animadvertenda est errorum concatenatio. Justitiam nostram dicit nostram obedientiam. Tollenda est Christi obedientia nobis imputata. Cum hac etiam satisfactio. Nam si satisfactio requiritur & donatur, requiritur quoque perfecta obedientia & donatur. Posita justitia nostra ponenda & libertas & potestas absoluta arbitrii. Consequenter neganda corruptio. Ut integritas naturæ stabiliatur, adimenda imago Dei in sapientia & sanctitate collocata primo homini: item Lex extenuanda, ne deprehendatur natura cum ea pugnare. Et ne Christus nihil attulisse videatur, demenda Legi præceptio verarum virtutum & promissio vitæ æternæ. Item præceptum de fide & promissio vitæ veteribus data. Consequenter ne comminatio promissiones videretur superare, dicendum erat, improbos in morte esse desinere & post mortem nihil pati neque in anima neque in corpore. Quod tamen & ex alio principio fluit. Si enim Christus spem immortalitatis primus ostendit, sequitur hominem primum mortalem fuisse & sic improbos una tantum morte confici penitus. Porro ne libertas nutet tollenda prædestinatio & per consequens gratia conversionis & regenerationis, denique omniscientia Dei etiam ad futura se extendens & consilium Dei de omnibus, Soc. præl. c. 6. in quæ in tempore fiunt.

DISPUT. XIX.

§. 1. JUstificatio non est purificatio & liberatio à vitiis: H. Gr. V. Pac. p. 22

§. 2. Fidem imputare in justitiam aut justitiam per fidem; Ibid. non est eam habere pro facto valde egregio.

§. 3. Justificare non est pro justitia sua approbare, eam Id. p. 23. justitiam quam ipse in nobis fecit:

§. 4. Quæ justitia legalem, & omnem ex viribus hu- Ibid. manis profectam. multis modis superet.

§. 5. Justificatio per fidem non est, quod fides conjun- Id. p. 110 cta cum obedientia, qualis Deo debetur, homini, quatalis est & dum talis est, jus det ad vitam æternam. Contra justificatio est impii, ut talis (ad Legem comparati) sed Christo uniti per fidem. contra Apol. p. 72. b.

§. 6. Justificare non est habitum charitatis infundere. Cap. XI.

§. 7. Justificare est quidem (ut Sociniana Catechesis di- p. 306. cit) justos habere (sive pronunciare) remittendo peccata & vitam æternam dando: sed talis justificatio nec est nec cum decoro Dei esse potest extra δικαίωμα Christi donatum & fide acceptatum.

§. 8. Igitur justificare rectè dicitur Obedientiam Christi imputare.

§. 9. Tum eam, qua omnem justitiam implevit; tum eam, qua pro peccato satisfecit.

§. 10. Justitia per fidem data est ἀμεταμέλητος & revocari non potest.

§. 11. Ideoque eam sequitur sanctificatio ut homo justificatus magis præparetur ad gloriam: sive liberatio à dominio peccati.

§. 12. Non sunt justificati sub lege aut pacto de conditione salutis.

§. 13. Licet consolatio justitiæ per conditionatam propositionem applicetur.

§. 14. Fides in Christum necessaria est ad justificationem non tantum à tempore, quo Christus manifestatus est; sed ab omni tempore, quo Christus, semen mulieris promissus est.

§. 15. Patres ante Christum natum fide promissionis hu- p. 308. jus servati sunt; & hæc ratio justificationis & ante Mosen notificata est & in fœdere Mosaico præsupponitur & in eo includitur.

§. 16. Rectè id probatur ex Actor. 4: 11. 12. 15: 11. p. 307. 309.

DISPUT. XX.

§. 1. MAlè ponitur Regium officium Christi ante p. 311. Sacerdotale. Christus enim est Rex, quia Sacerdos: nec vice versa. Habet populum, quia illum redemit sibi.

§. 2. Resurrectio Christi non est regia Christi dominatio, ut Catechesis loquitur, nisi (quod verum est) ipsius mortis victoria & corporis sui excitatio est. quod eadem Catechesis negat.

§. 3. Christus enim sua ipsius virtute corpus suum ex- p. 313. citavit.

§. 4. Id quod efficaciter probatur ex Joh. 2. vs. 19. Joh. 10. vs. 17. 1 Pet. 3. vs. 18. 1 Cor. 15. vs. 45. 47.

§. 5. Unde sequitur cæteros omnes locos, in quibus p. 314. dicitur Excitatus à Patre sive virtute Patris; ita intelli-

gendos esse, quod virtute & voluntate & Patris & sua excitatus sit. Quia Pater & Filius idem sunt.

§. 6. Causa vero cur Scriptura inculcet, Christum virtute Patris resurrexisse, non est ea, quod velit negare eam esse virtutem Filii, sed ut certiores redderet de expiatione peccatorum nostrorum. Nam Christus à Patre traditus, ut peccatum nostrum in carne ipsius judicaretur, non fuisset etiam à Patre excitatus, nisi perfectè satisfecisset.

p. 301. §. 7. Christi corpus spirituale fuit statim à resurrectione. Idemque retinet etiamnum in cœlo, quod gessit in terra.

§. 8. Quemadmodum per resurrectionem Christus est comprobatus is, quem mors detinere non posset, nimirum filius Dei; ita ascensione in cœlum demonstratus est rex totius Ecclesiæ & dominus omnium ad salutem dandam electis & fidelibus. quo ipso nos quoque collocati sumus in supercœlestibus.

§. 9. Ad dextram Dei sedere non est esse Dei loco, sed est, divina sua potestate regnare super omnia.

§. 10. Christo omnia tradita sunt in manum 1. Quando Pater decrevit per ipsum, ut Sponsorem suo tempore mittendum, Ecclesiam salvare. 2. Quando ipsi ob obedientiam certo præstandam potestatem fecit actu Ecclesiam colligendi & salvandi. Idque statim post lapsum Adami. 3. Quando ipsi obedientia jam præstita, dedit potestatem actu vocandi sine Lege per Euangelium fidei omnes indiscriminatim, & judicium in immorigeros exercendi.

§. 11. Quæ ut diversimodè per divinitatem Christi & humanam naturam exercentur, ita diversimodè potestas illa tum secundum humanam tum secundum divinam naturam Christo data est.

§. 12. Christus κυριεύει πάντων, sed tamen speciatim Κύριος dicitur populi sui ab ipso redemti.

§. 13. Christus exaltatus non tantum imperio, sed & efficacia & essentia ubique præsens est.

§. 14. Dominium tale & gloria capitis & judicis vivorum & mortuorum mero homini non competit.

§. 15. Quia ad dominium requiritur omnipræsentia, omnipotentia, omniscientia, & omnia divina attributa.

§. 16. Et gloria est summa.

§. 17. Christus Rex divino cultu honoratur, qui est fides sive timor Domini. Esai. 11. vers. 3. collato Amos. 5. vers. 21.

§. 18. Regnum Christi æternum est.

§. 19. Licet post abolitam mortem Regnum Patri sit traditurus. Id enim non Christi minorationem notat, sed membrorum Christi assumtionem in gloriam, ut jam Christus, qua homo, in illorum comparatione non habeat gloriam solus tanquam rex apud subditos, sed communem cum illis tanquam fratribus.

Deest disputatio vigesima prima.

DISPUT. XXII.

§. 1. Ecclesia est multitudo evocatorum ex mundo ad agnitionem & fidem salutis in Christo.

§. 2. Quæ *cœtum justorum* constituit, unitate Spiritus convinctum:

§. 3. Oculis Dei manifestum, hominibus quoad formam sui inconspicabilem.

§. 4. Qui per confessionem Verbi Dei, Regis Christi & exercitium Christianarum virtutum in particularibus cœtibus innotescit confusè; quia in hisce hypocritæ verè fidelibus sociantur.

§. 5. Fuit semper Ecclesia visibilis, cui se fideles possent adjungere in bona conscientia.

§. 6. Non quidem vacans erroribus & peccatis: nonnunquam etiam circumsita hominibus pro fundamento errores tenentibus, atque ita verè apostatis.

§. 7. Sed quorum apostasia vel lateret vel contradiceretur.

§. 8. Unde & damnatio pestilentium errorum & separatio melius sentientium consecuta est.

§. 9. De qua Ecclesiæ conflictatione ex doctrina pietatis & testimoniis prophetiarum judicari potest & debet.

§. 10. Atque huc valet etiam præjudicium Ecclesiæ Christianæ contra Paulum Samosatensem, Photinum, Arrium, Nestorium, Pelagium aliosque Socini προπάτορας.

§. 11. Officium Christiani hominis est quærere cœtum cui adhærescat.

§. 12. Neque sufficit veritatis doctrinam habere pro se cognitam.

§. 13. Facta separatione post diligentem explorationem adjungere se oportet τοῖς δοκίμοις.

§. 14. Ecclesia Sociniana non est ea, quæ testimonium habet in Scripturis propheticis.

§. 15. Sed Reformata.

§. 16. Vitia regiminis & publicæ disciplinæ Ecclesiasticæ impeditio in quibusdam Ecclesiis non suadent separationem ab ea.

§. 17. Non omnis error excludit ab Ecclesia, dum modo servetur, quod est Philip. 3: 15. 16.

§. 18. Non licet Reformatis cum Socinianis se jungere adversus Papistas.

§. 19. In Papatu ante Concilium Tridentinum vera Ecclesia fuit.

§. 20. Credibile est, esse adhuc inter Papistas qui partim ignorent profunditates Satanæ, partim ingemiscant super abominationibus. De quibus bene quidem sperandum, sed tamen nihil temere judicandum.

§. 21. Est Ecclesia triumphans inde à morte Abelis.

§. 22. Licet adhuc plenius triumphatura sit in resurrectione mortuorum.

§. 23. Apostoli & Prophetæ non sunt neque dicuntur in Scripturis fundamentum Ecclesiæ. p. 341.

§. 24. Ubi Ecclesia Christi est constituta & bene regitur, ibi non debet quis sine prævia electione & vocatione munus pastoris invadere. p. 345.

§. 25. Imo si quis per privatas admonitiones Ecclesiam collegerit, ubi non fuerat, communi suffragio ministri constituendi sunt.

§. 26. Confirmatio sive χειροθεσία, qua minister electus & vocatus in διακονίαν suam immittitur & populo commendatur more Apostolorum rectè usurpatur.

§. 27. Non vocato administrare Sacramenta non licet.

§. 28. Disciplina Ecclesiastica non tollit officia charitatis & humanitatis, nominatim quæ inter parentes, liberos, conjuges similesque ut & magistratum & subditos intercedunt. p. 351.

FINIS.

APHO-

APHORISMI
CONTRA
PONTIFICIOS.

DISPUTATIO GENERALIS.

§. 1. Papismus est Christianæ Religionis adulterium & corruptio, quæ principio fidei partim derogat auctoritatem & efficaciam principii, partim substituit interpretationem Spiritus privati Papæ, & errores novos & antiquos ab eodem approbatos: Fidem veritatis mutat in ignorantiam & cæcam obedientiam: Dogmatis veris sub λέξεις Scripturæ in falso sensu usurpatis, & extra Scripturæ λέξεις asserit falsa: Cultum Dei in præcepta hominum convertit: Doctrinam justitiæ Christi in doctrinam justitiæ propriæ: Ecclesiam in mundanum regnum convertit: Tyrannidem & seditionem introducit: Conscientiis jugum imponit: Libertatem ad Deum adimit.

§. 2. Papismus in ἀπάτῃ crevit, in tyrannide stabilitus est.

§. 3. Licet Papismus sit vera ἀποστασία, nihilominus tamen vera Ecclesia ad tempus communionem habuit cum ἀποστάταις; & fide veritatis ex verbo Dei Sancto, dogmata vero Papistica partim rejicientes, partim habentes cum ignorantia doli Satanæ, & præparatione animi ad cedendum demonstrationi veritatis, servati sunt.

§. 4. Tandem errores Papistici assecuti sunt summam auctoritatem, & vix ante Concilium Tridentinum.

§. 5. Post manifestatam veritatem, & factam separationem ob reliquias veritatis cum opinione libertatis credendi vana & falsa, ac præcepta hominum pro adiaphoris exsequendi, se aggregare Papistis, est tentare Deum, damnare Ecclesiam Dei, se participem facere iniquitatis & persecutionis, & culpam contrahere interitus multorum falsum fundamentum pro vero tenentium.

§. 6. Dum principium fidei ponunt verbum Dei, ut abstrahit à scripto & non scripto, vel, ut nomen hoc non necessario notat verbum scriptum, & tum Scripturæ autoritatem suspendunt ab autoritate Ecclesiæ, sensum ab interpretatione doctorum, quem Papa approbat, & denique traditiones pari pietatis affectu cum Scripturis accipiendas inculcant, vocant ad fidem spiritus privati Papæ.

§. 7. Scripturæ auctoritas divina est extra auctoritatem Papæ & Ecclesiæ.

§. 8. Sola Scriptura, & post tempora Apostolorum simpliciter, est potentia Dei ad salutem credenti.

§. 9. Sufficiens ad docendum ea, in quibus pietas consistit.

§. 10. Tum apertis verbis, tum firmis consequentiis conscientiam subigentibus in obsequium fidei.

§. 11. Neque minus ad falsa & aliena refellendum.

§. 12. Tum quoad falsitatem: quia quod nec ratione, nec experientia, nec testimonio Dei nititur, temere fingitur.

§. 13. Tum quoad auctoritatem articuli fidei detrahendum, & antithesi conciliandum: 1. quia quod divina revelatione non nititur, articulus fidei esse non potest. 2. De fide est necessarium dogma, non credere sine revelatione Dei, siquidem non nisi Deo credendum est.

§. 14. Perfecta igitur est Scriptura,

§. 15. Quæ in canone Hebraico & libris Novi Testamenti viginti septem continetur.

§. 16. Vertenda in omnes linguas.

§. 17. Ut possit legi ab indoctis.

§. 18. Nec tamen ita ut ulla versio possit esse authentica.

DISPUT. I.

§. 1. AN omnia, quæ in Ecclesia doceri, credi & fieri oportet ad glorificandum nomen Dei & salutem acquirendam, in Scripturis contineantur? A. 2 Tim. 3: 16 Joh. 5: 39. Rom. 2: 18. 19. 20. 2 Pet. 1: 19.

§. 2. An sit aliquod medium conservandæ omnis & sinceræ revelationis divinæ apud Ecclesiam sine Scriptura? Neg.

§. 3. An existet apud Ecclesiam perpetua illibatæ veritatis traditio per doctrinam episcoporum post Apostolos? Neg.

§. 4. An sit ulla traditio pro articulo fidei recipienda absque demonstratione ex Scriptura? Neg.

§. 5. An Ecclesia habeat autoritatem determinandi articulos fidei & præcepta morum per Papam, non per demonstrationem Scripturarum? Neg.

§. 6. An Scriptura fortuitis occasionibus nata? Neg.

§. 7. An Scriptura sit necessaria postquam data est, & an illam dari Ecclesiæ in normam perpetuam necessum fuerit ob causam multiplicationis errorum & tentationum Ecclesiæ? A.

§. 8. An Scriptura sit obscura, dubia ac ambigua, ut nasus cereus? Neg. An habeat plures sensus uno? Neg.

§. 9. An Scriptura indigeat interprete infallibili propter cujus autoritatem interpretationi credatur? Neg.

§. 10. An quæcunque creditu & factu sunt necessaria, in apertis Scripturarum sint posita? Aff. Si per *Aperta* intelligantur & illa, quorum sensus ex Scripturis demonstrabilis est.

§. 11. An in negociis fidei sit locus consequentiis? A.

§. 12. An quisque fidelium teneatur probare Spiritus an ex Deo sint? Aff.

§. 13. An Scripturæ divinitas absque autoritate prætoria & legislatoria altrui possit? A. sive, An autoritas Scripturæ dependeat ab Ecclesia? Neg.

§. 14. Quænam sit Scriptura Canonica? Vet. Test. et libri, qui sunt in Canone Hebraico: Rom. 3: 2. & viginti septem libri Nov. Test.

§. 15. An cæteri libri V. T., qui Hebraicè non extant, sint recipiendi pro divinis? Neg.

§. 16. An Canonici libri perierint aut sint corrupti? Neg.

§. 17. An versio Latina sit authentica? Neg. An textus Hebræus V. & Græcus N. T. etiam in Mattheo, Marco & Epistola ad Hebræos? Aff.

§. 18. An Scriptura debeat verti in omnes linguas? Aff.

§. 19. An Scripturæ lectio sit permittenda omnibus? Aff. sive, An non propter periculum erroris sit subtrahenda?

da? Neg. An etiam fit necessaria Scripturæ lectio & meditatio omnibus? Aff.

§. 20. An Scriptura fit Judex controversiarum? Aff. sub distinctione. Principalis Judex est Spiritus sanctus; ministerialis Ecclesia & ejus ministri; normalis Scriptura; & sententiæ pronunciatio est ἔλεγχος conscientiæ per demonstrationem veritatis.

§. 21. An explicatio Scripturæ Papistica nitens Conciliis & Papa habeat autoritatem ex Scripturis Act. 15: 28. Luc. 22: 32? Neg.

§. 22. An explicatio Reformatorum nitatur conjecturis & judicio spiritus privati? Neg. Imo contra Papistarum principium est fallax conjectura imo detorsio illorum locorum, in quibus infallibilitatem Conciliis & Papæ promissam dicunt.

§. 23. Quale peccatum est demonstrationem veritatis ex Scriptura ad conscientiam damnare ob autoritatem Papæ dissentientis? R. Peccatum in Sp. S.

DISPUT. II.

De Christo.

§. 1. AN Filius rectè dicatur αὐτόθεος? Aff.

§. 2. An nomen Dei Patri in Scripturis alicubi appropriatè, ut origini divinitatis, vel potius ut ei cujus nomen primo Ecclesiæ patefactum est tanquam mittentis Filium & Spiritum sanctum faciendi fœderis causa? Affir.

§. 3. An communicatio idiomatum in Christo sit verbalis? Aff. Est enim veritas phraseos concretæ denominativæ ab altera naturarum de persona, & prædicati alterius naturarum de persona utrinque denominata.

§. 4. An Pontificii retineant sartam tectam veritatem carnis Christi? Neg. Evertunt eam per dogma transsubstantiationis.

§. 5. An Christus secundum animam semper fuerit beatus? Neg. Pugnat enim hoc cum veritate passionum Christi & expressa litera, & tollit fructum passionum Christi. Heb. 2: 17. 18. 4: 15.

§. 6. An Christus quædam quoad experimentum ignoraverit in diebus carnis? Aff.

§. 7. An Christus verè secundum humanitatem nescierit diem ultimi judicii? Aff. An rectè dicatur nescivisse discipulis? Neg. Æquivocationis lusus cavillatorius is esset. Nescientiæ & acceptæ cognitionis exemplum est & Marc. 5: 30.

§. 8. An Christus aliud voluerit, quam Pater constituerat? Aff. An eum rebellione? Neg. sed per obedientiam legis voluit, quod voluit; etiam in quo voluntatem suam subjecit Patris voluntati.

§. 9. An Christus desperaverit? Neg. An tamen rectè dicatur tentatus desperatione? Aff.

§. 10. An Christi anima experta fuerit cruciatus infernales? Aff.

§. 11. An hic sit descensus Christi ad inferos notatus in Symbolo? Aff. ut species insignissima & distincta à præcedentibus gradibus humiliationis.

§. 12. An descenderit ad inferos secundum animam: in gradu exaltationis ut triumphum ageret in loco damnatorum, & liberaret Patres ex limbo? Neg.

§. 13. An paradisus & sinus Abrahæ sint apud inferos? Neg.

§. 14. An Patres fuerint in limbo & non in cœlo ante Christi descensum ad inferos? Neg.

§. 15. An Christum mediatorem oporteat esse Deum & hominem, ut utrinque distaret? Neg. Hoc dicere est nihil intelligentium in Scripturis.

§. 16. An Christus qua Deus sit mediator? vel maximè.

§. 17. An Christus qua Mediator sit minor Patre, secundum divinitatem? Non nisi κατὰ τὴν κένωσιν.

§. 18. An Christus duntaxat qua homo meritus sit nobis? Neg.

§. 19. An Christus meritus sit sibi? Aff.

DISPUT. III.

De Rom. Pontifice.

§. 1. QUanti ponderis sit, scire an Papa habeat primatum in Ecclesia vel non? Bellarm. ait hanc esse quæstionem de summa rei Christianæ. Nos dicimus, eum admittere, esse rem Christianam convellere. Hinc liquet non posse nos uniri Papistis, quamdiu manet in ea Papa, aut quamdiu putamus Papam esse Antichristum.

§. 2. An Ecclesiæ regimen sit Monarchicum? Aff. ratione unius capitis Christi, non aliter.

§. 3. An, præter Christum, ullus possit habere magistratum & principatum in Ecclesia? Neg.

§. 4. An inter ministros Ecclesiæ possit unus esse Monarcha? Neg.

§. 5. An utilis vel necessaria sit talis Monarchia? Neg.

§. 6. An Monarchia utilis sit in regimine politico? Neg.

§. 7. An præferenda in quovis regno Aristocratiæ? Neg.

§. 8. An Deus in populo Israëlitico Monarchiam maximè probaverit? Neg.

§. 9. An peccatum Israëlitarum fuerit petere regem independentem? Neg.

§. 10. An apud Pontificiam Ecclesiam sit regimen mixtum ex Monarchia Aristocratia & Democratia? Neg.

§. 11. An possit Ecclesiæ esse regimen spirituale & nihilominus esse monarcha externus? Neg.

§. 12. An plebs habeat partem in vocatione ministrorum? Aff.

§. 13. Numquid in judiciis? Aff.

§. 14. In legibus ferendis, ordinis causa? Aff.

§. 15. An propterea populus dicendus regere, non regi? Neg.

§. 16. An Magistratus, qua talis, habeat potestatem in Ecclesiam? Neg.

§. 17. An ejus cura versetur circa personas & res Ecclesiasticas? Aff.

§. 18. An Christi institutione sint Episcopi & Presbyteri iidem? Aff.

§. 19. An sine peccato potuerit unus Episcopus cum differentia potestatis presbyterio superponi? Neg.

§. 20. An illa mutatio sit facta ab Apostolis & eorum temporibus? Neg.

§. 21. An mutatio in regimine facta, & quidem multis modis, conveniat cum Pontificiorum gloriatione de antiquitate Ecclesiæ suæ? Neg.

§. 22. An in Ecclesia debeat esse caput vicarium, sive prorex? Neg.

§. 23. An qui se proregem dicit, se fateatur Anti-Christum vocandum? Aff.

§. 24. An ad unitatem fidei conservandam requiratur non modo consilium sed etiam imperium? Neg. Nam τὸ κατακυριεύειν τῶν κλήρων prohibitum est expressè. Matt. 20. 1 Pet. 5.

§. 25. An necesse sit Christum in terris visibiliter præsentem esse, ut solus ut caput Ecclesiæ? Sic statuunt Pontificii. Nos Neg.

§. 26. An Papa habeat plenitudinem potestatis, quam Christus ad utilitatem Ecclesiæ in terris reliquit, in toto orbe? Sic Bell. lib. 1. c. 9. Nos Neg.

§. 27. An præter Christum sit aliquod fundamentum Ecclesiæ? Neg.

§. 28. An Matth. 16. Simon Apostolus vocetur vel indigitetur Petra? Neg.

§. 29. An ulli, præter quam Deo soli, possit tribui ea appellatio? Neg. Psal. 18: 32.

§. 30. An Petrus fuerit pastor ordinarius Ecclesiæ totius, & reliqui Apostoli delegati? Utrumque negatur.

§. 31. An Petrus non habuerit suum κανόνα in functione Apostolica, ut cæteri? Aff.

§. 32. An Petrus assignaverit Apostolis suum κανόνα? Neg.

§. 33. An Petro magis datæ claves regni cœlorum, quam cæteris? Neg.

§. 34. An Petrus rectè dicatur princeps Apostolorum? Periculosè. Princeps enim vel ἄρχοντα vel πρῶτον significat. Πρῶτος suo modo dici potest, non ἄρχον.

§. 35. An per, *Quod solveris*, detur potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi (pro auctoritate?) Neg.

§. 36. An Petrus fuerit Romanus episcopus? Neg.

§. 37. An Petrus ordinaverit reliquos Apostolos? Neg.

§. 38. An fuerit Romæ? Probari id nequit.

§. 39. An instituerit Romanam Ecclesiam? N.

§. 40. An quis debuerit Petro succedere jure divino in Apostolatu? N.

§. 41. An Petrus hoc fuerit, quod Papa esse vult? N.

§. 42. An Papa hoc sit vel esse possit, quod fuit Petrus? sive, an habeat signa Apostoli? N.

§. 43.

§. 43. An principes quum fiunt fideles fiant subditi Papæ? N.

§. 44. An ullum membrum Ecclesiæ, ut Papa, non possit judicari? N.

§. 45. An conveniat cum Papæ infallibilitate communis sententia dicens eum posse fieri hæreticum. N.

§. 46. An tantum in hæresi manifesta sit judicandus? Neg.

§. 47. An Ecclesia sit supra Papam? A.

§. 48. An igitur nemo fidelis dependeat à Papa? A.

DISPUT. IV.

De Antichristo.

§. 1. QUid significet nomen Anti-Christi? Resp. ἀντικείμενον, ψευδόχριστον, sive Hostem Christi sub ejus nomine venientem.

§. 2. An is, qui se Vicarium Christi dicit, sit ψευδόχριστος? Affirm.

§. 3. An Vicarius Christi possit vocari Ἀντίχριστος? A. ut ἀνθύπατος proconsul.

§. 4. An ὁ Ἀντίχριστος sit alius quàm Barchochebas aut Moses Cretensis? Aff.

§. 5. An possit dici C. Caligula aut Trajanus? Neg.

§. 6. An sit in Christiana Ecclesia extiturus? A.

§. 7. An sit unus homo singularis? D. Erit monarcharum series.

§. 8. An Patres erraverint in eo, quod putarunt Antichristum prope esse? Neg.

§. 9. An in eo, quod putarunt Antichristum venturum in fine mundi? A. quia non distinxerunt adventum Antichristi & ejus detectionem ac consumtionem.

§. 10. An Antichristus debeat regnare per 1260. annos, ut eis finitis veniat statim ultimus dies? N.

§. 11. An 1260. anni Apocalypseos cum rebus suis gestis sint impleti? A.

§. 12. An numerus 666. sint annorum & eorum quidem finientium in morte Antichristi? N.

§. 13. An Euangelium debeat prædicari in toto mundo ante adventum Antichristi? D. Est prædicatio Euangelii in mundo ante defectionem & revelationem Antichristi, Apoc. 11: 7. 20: 3. & rursus prædicatio Euangelii regni post Antichristum revelatum. Matth. 24: 14. 30. 31. 2 Thessal. 2: 8. Apoc. 10: 11. 11: 15. 14: 6. 15: 2. 3. 4.

§. 14. An signum præcedens Anti-christum sit desolatio omnimoda Romani Imperii, usque ad abolitionem nominis Regis Romanorum? N.

§. 15. An Imperium Romano-Germanicum per Carolum M. erectum sit κατέχον τὸν Ἀντίχριστον? N.

§. 16. Quod sit κατέχον 2 Thessal. 2. Resp. Imperium Romanum Gentile, quod sub figura Draconis proponitur Apoc. 12.

§. 17. An Henoch & Helias venturi sint ex cœlo & interficiendi ab Antichristo? N.

§. 18. An sacrificium juge (de quo Dan. 12: 11.) sit revera amotum? A.

§. 19. An Antichristus sit missam abrogaturus? N. Imo introducturus.

§. 20. An Antichristus dominabitur duntaxat per tres annos cum dimidio? N.

§. 21. An venturus sit paulo ante finem mundi? N.

§. 22. Quid sit numerus bestiæ & numerus nominis ejus? Explicabitur. Vide libellum nostrum de Antichristo.

§. 23. Quod sit χάραγμα Antichristi? Lex ejus.

§. 24. An Antichristus sit futurus Judæus ex tribu Dan? Neg.

§. 25. A Judæis recipiendus? Resp. Alius apud Judæos, alius apud Christianos est Antichristus: & hic est ille magnus.

§. 26. An sedes Antichristi sit Roma? A.

§. 27. An vera Ecclesia? A. ad tempus manifestationis usque.

§. 28. An negabit Jesum esse Christum κατὰ τὸ ῥητὸν? N. Sed κατὰ τὴν δύναμιν.

§. 29. An in Papa impleatur τὸ ostendere se Deum esse? A.

§. 30. An Papa fecerit miracula Antichristi? A.

§. 31. An gesserit bella Antichristi? A.

§. 32. An idem sit Gog? A.

§. 33. An Deus Maozim sit Deus Missaticus? Probabile est.

§. 34. Quis Deus falsus, quem colet Rex ultimus cum Deo Maussim Dan. 11.? Papa.

§. 35. An in iis articulis, quos Chytræus proponit & Bell. lib. 3. de R. P. c. 27. examinat, possit ostendi dissonantia Antichristiana à veritate? A.

DISPUT. V.

§. 1. AN in Vet. Testam. fuerit judex controversiarum infallibilis nim. Sacerdos summus? N.

§. 2. An tale judicium fuerit in Vet. Testam. ut Sacerdos judici politico demandaverit executionem? N.

§. 3. An tale judicium in Ecclesia Nov. Testam. sit stabilitum, quale in Vet. Testament. populo, scil. armatum potestate gladii? N.

§. 4. An Papa sit summus Ecclesiæ doctor? N.

§. 5. An Papa docens sit infallibilis? N.

§. 6. An Papæ conveniat in rebus verè dubiis docere? N. vide Bell. p. 991.

§. 7. An debeat omnis ipsius doctrina ab auditoris conscientia judicari? A.

§. 8. An Romana Ecclesia particularis non possit errare in fide? N. Nota, quod potuerint persequi Pontificem. p. 995.

§. 9. An possit separari infallibilitas decretorum ab infallibilitate narrationis de præcepto Dei? N.

§. 10. An conveniat cum infallibilitate Papæ, eum errare in præceptis & judiciis particularibus, & condendo legem superfluam & indiscretam? N.

§. 11. An auditorum sit simpliciter obedire pastoribus? N.

§. 12. An conveniat cum infallibilitate Papæ dicere, eum posse errare, ut est particularis persona? N.

§. 13. An igitur debeat probari infallibilitas ejus, etiam ut particularis personæ? A.

§. 14. An Deus ullos dederit Ecclesiæ testes aut doctores, quibus jusserit credi & obediri propter infallibilitatem; sive quorum infallibilitatem præstruxerit ut crederetur ipsis; præter Mosen & Christum? Neg. Ipsorum Apostolorum doctrina prius debuit examinari, quàm crederentur infallibiles. Post Apostolos autem non vult Deus Ecclesiam regere per homines infallibiles.

§. 15. An conveniat cum infallibilitate Papæ error in judiciis facti? N.

§. 16. An conveniat cum assistentia Dei conservante ab errore, negatio assistentiæ conservantis à vita impia & profligata? N.

§. 17. An Papa possit cogere fideles, ut id credant, vel faciant, quod ipse judicaverit, saltem pœnis spiritualibus? N.

§. 18. An sint justæ Leges & Ecclesiam obligantes & non contra divinum jus, quæ non sint à Deo in specie aut in genere latæ? N.

§. 19. An rectè insimuletur Ecclesia reformata, quod Presbyteris nihil aliud tribuat, quàm prædicare & ministrare Sacramenta iis, quibus jusserit magistratus? N. vide Bell. p. 1053.

§. 20. An quis bona conscientia possit se legibus humanis religionis causa latis, præter præceptum Dei, subjicere? N.

§. 21. An Papa habeat eum locum in Ecclesia, quem Moses in populo Judaico? N. Bell. 1062.

§. 22. An Moses habuerit illam potestatem, quam Papa sibi arrogat? Neg.

§. 23. An in Episcopis sit triplex potestas, ordinis, jurisdictionis interioris, & exterioris? Neg. quia solum habent διακονίαν ad docendum, sacramenta administrandum & exercendam disciplinam: quæ non est jurisdictio: denique curam boni ordinis, &c. quæ omnia nec jurisdictio sunt, & interiora Ecclesiæ sunt.

§. 24. An omnis potestas, quam habent Episcopi, qua tales, sit à Christo? A. Bellarm. ait: Priora duo Episcopos habere immediatè à Deo, tertiam per Papam.

§. 25. An ea potestas applicetur per Papam solum? N. Vel an ad id requiratur auctoritas Papæ ullo modo, ut Pastor habeat potestatem regendi Ecclesiam? N.

§. 26. An Papa habeat plenam potestatem in totum mundum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis? N.

§. 27. An Papa possit regna infidelibus erepta donare alicui fidelium? N.

§. 28. An quidam Pontificii serio negent Papam esse dominum mundi? N. Nam & Bonifacius VIII. asserit se habere summum in mundo magistratum: & Bell. c. 5. & c. 6. id quodam modo affirmat.

§. 29. An potestas summa politica debeat homines dirigere ad bonum spirituale? A. contra Pontif. qui id negant.

§. 30. An ea potestas dirigendi ad bonum spirituale per media politica sit Papæ? Neg.

§. 31. An habeat potestatem disponendi de temporalibus Christianorum ad finem spiritualem? N.

§. 32. Possitne regna mutare, leges civiles condere, abrogare? N. judicare? N.

§. 33. An possit quis in N. T. simul fungi officio principis & pastoris? N.

§. 34. An necesse sit Papistis scire fide divina quis sit verus Papa? A.

§. 35. An id eo modo scire possint? N.

DISPUT. VI.

De Conciliis.

§. 1. AN Concilia sint institutionis divinæ? A. contra Pighium & Independentes. Fundantur enim in communione Sanctorum. Vide Matth. 18:20. Phil. 3:15. Rom. 16:17.

§. 2. An congregatio Episcoporum in concilium, ut sint judices, & statuant, quod bonum videtur, sit juris divini? Neg.

§. 3. An in V.T. fuerint Concilia & quo nomine? A. sub nomine קָהָל & עֵדָה/

§. 4. An conventus presbyterorum unius Ecclesiæ particularis propter carentiam jurisdictionis inter Concilia referri non debeant? Neg.

§. 5. An Ecclesia Romana rectè approbet ea Concilia, quæ approbat? Resp. D. 1. Peccat approbando & reprobando ex auctoritate Papæ. 2. peccat approbando, ut Canonem. 3. peccat approbando omnia. 4. peccat reprobando quædam bona. Debent distingui tempora nascentis Antichristi & erescentis & vincentis. Concedimus primis Conciliis quatuor hæreses rectè damnatas secundum Scripturas dogmaticas & propheticas; in aliis maturè quæsitam ἀφορμὴν fundandi imperii Papalis, & legem ejus paulatim confirmatam docemus: servato tamen fundamento Scripturarum usque ad Tridentinum; in quibusdam reprobatis observamus conflictum Ecclesiæ cum Antichristo.

pag. 10. conf. Bell. p. 142. §. 6. An rectè Bellarm. neget Constantiense Concilium totum approbatum à Martino V? Neg. Vide Forbes. p. 773. lin. 12. & s. & Carranz. p. 352. b. & 353.

§. 7. An Papa sit eligendus a Concilio generali? A. ex hypothesi, si sit caput Ecclesiæ.

§. 8. An conveniat capiti Ecclesiæ & cum simplici obedientia ipsi debita, habere assistentiam Spiritus sancti conditionatam, si scil. adhibuerit diligentiam debitam & ordinario medio usus fuerit? Neg.

§. 9. Annon necesse sit examinare an Papa sit usus diligentia debita? A.

§. 10. An Concilium sit medium ordinarium & necessarium definiendæ veritatis? Neg.

§. 11. An Papa habeat Potestatem Concilia indicendi? Neg.

§. 12. An Principes? Aff.

§. 13. An Concilia fuerint indicta à Papis? Neg.

§. 14. An in iis præsederit? Neg.

§. 15. An sufficiat, ad salvandam majestatem Papæ quod ille ita factum approbat? Neg.

§. 16. An Ecclesiæ sponte & ultro possint congregari? Affirm.

§. 17. An Concilium Generale non possit indici nisi ab eo, qui omnes possit cogere? Neg.

§. 18. An Canon, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. adstruat Papæ jus convocandi Concilia, &c. N. Bell. 41.

§. 19. An liceat Concilium convenire invito Papa? A.

p. 47. §. 20. An sit imperfectum Concilium tale? Neg.

§. 21. An omnes & soli Episcopi habeant jus suffragii in Concilio? Neg.

§. 22. An debeant legi ab Ecclesiis pii & docti viri mittendi ad Concilium tum è Presbyteris tum ex aliis? Affirm.

§. 23. An Concilium habeat judicium, quale Prætor, ut ejus sententiæ standum sit? N.

§. 24. Quod sit judicium quod exercetur à Concilio? Resp. Concilium inquirere tenetur in veritatem & falsitatem dogmatum, demonstrare utramque ex Scripturis ad conscientiam, inobedientes & reluctantes salutari veritati & scandala contra doctrinam & mores introducentes vitandos declarare; consentiente Ecclesia.

§. 25. An Papæ sit Concilio præsidere? N.

§. 26. An conditiones postulatæ in Concilio à Protestantibus sint justæ? A. contra Bellarm. lib. 1. cap. 21. Nominatim postulatum de abrogando Canone, quo traditiones æquiparantur Verbo Dei? A. Et an in Syn. Nicæna II. traditiones ἄγραφοι recipi jubeantur eo modo ut in Concilio Trid.? N. vide Cart. p. 298. b. 299. a.

§. 27. An Concilia generalia à Papa approbata non possint errare in fide & in moribus? N.

§. 28. An particularia à Papa approbata sint infallibilia? Neg.

§. 29. An conveniat cum infallibilitate ea, error in quæstionibus facti? N.

§. 30. Item, quod dicit Bell. Posse legitimum Concilium errare in his, quæ non legitimè agit? N. p. 91.

§. 31. An Concilia V.T. habuerint privilegium non errandi usque ad Christum? N.

§. 32. An Concilium sit supra Papam? A.

§. 33. An propterea errare non possit? N.

§. 34. An si possit errare ante approbationem Papæ, sit ordinarium medium cognoscendæ veritatis? N.

§. 35. An Concilia quoad nos sint supra Scripturas? N.

§. 36. An Papistæ controvertentes de quæstione, Utrum Concilia sint supra Papam nec ne, habeant certum principium fidei? N.

DISPUT. VII.

De Ecclesia.

§. 1. QUid Ecclesia? Resp. Cœtus electorum, vocatorum & fidelium: vel, cœtus justorum.

§. 2. An, quia nullum peccatum veniale statuimus, dicendum nobis sit, Ecclesiam esse perfectorum cœtum? Neg.

§. 3. An statuamus Ecclesiam duplicem, quum dicimus externam & internam? N. Una est Ecclesia; quæ à Deo cognoscitur distinctè ratione fidei & justitiæ, ab homine in confuso ratione professionis.

§. 4. An Ecclesia sit cœtus hominum Christianæ fidei professione & Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Vicarii Christi Papæ? Resp. Ut Ecclesia cognoscatur ab hominibus, sufficit primum. Ultimum vero eam descriptionem planè corrumpit.

§. 5. An reprobi, scelesti & impii in Ecclesia sint? si de apertis scandalis sermo est, N. Si de interna impietate; sunt nomine in Ecclesia non veritate.

§. 6. An nulla interna virtus requiratur ad hoc, ut sit pars veræ Ecclesiæ? N.

§. 7. An Catechumeni pertineant ad Ecclesiam? D. Qui credunt, licet necdum baptizati, ad corpus Ecclesiæ pertinent, licet apud homines id possit esse obscurum. Ita infantes fidelium pertinent ad Ecclesiam.

§. 8. Hæretici an pertineant ad Ecclesiam? N. Sed possunt ad tempus, dum latent, haberi pro membris Ecclesiæ.

§. 9. An schismatici sint & non possint esse in Ecclesia, qui nolunt subesse Pontifici? N.

§. 10. An excommunicati omnes sint extra Ecclesiam? N.

§. 11. An verè unquam in Ecclesia fuerint, qui ab ea deficiunt? N.

§. 12. An manifestarii peccatores sint in Ecclesia usque ad sententiam Prælati? N.

§. 13. An infideles occulti sint membra Ecclesiæ si non viva, tamen arida? N.

§. 14. An Papa improbus, donec se separet ab Ecclesia vel à tota Ecclesia judicetur, sit membrum Ecclesiæ? Neg.

§. 15. An Ecclesia sit visibilis? Dist.

1. Non est visibilis in eo, quo unitur Deo & Christo; sed
2. Noscitur in effectis communionis Dei & Christi: alibi tenuius alibi perfectius: non tamen quoad omnia membra cognoscitur à quovis.
3. Cœtus profitentium, in quo est Ecclesia, est visibilis.
4. Is cœtus profitentium potest repleri hypocritis & defectoribus.
5. Ibi οἱ δόκιμοι non statim fiunt manifesti; sæpe etiam opprimuntur.

§. 16. An Ecclesia visibilis, h. e. (ut Bellar. vult) multitudo congregata, in qua sint Prælati & subditi possint deficere? A. Possunt ex cœtu piorum, piis emorientibus, hypocritæ remanere & à veritate deficere: possunt errores in Ecclesia seminari, qui à quibusdam suscipiantur, à quibusdam fundamento adjiciantur per ignorantiam.

tiam. Talis est error de regimine Episcoporum. Non potest tamen totus mundus deficere à professione Scripturæ & Christi.

§. 17. An professio veritatis fundamentalis sit nota Ecclesiæ? A.

§. 18. An non possimus cognoscere, quæ sit vera Scriptura, & quis verus ejus sensus, nisi ex testimonio Ecclesiæ? N.

§. 19. An in vocibus Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam contineantur notæ Ecclesiæ? R. Quæ sanctam & Apostolicam doctrinam habet, est vera Ecclesia & una & Catholica.

§. 20. An nota Ecclesiæ sit nomen Catholicæ? N.

§. 21. Antiquitas? N.

§. 22. An Romana Ecclesia hodierna antiquitate gaudeat illa, ut cum Apostolica Ecclesia conjungatur? N.

§. 23. An duratio? N. Nota esse non potest, quia quæritur de duratione in posterum futura: & quia error & peccatum cum mundo durabit.

§. 24. An amplitudo? D. Prophetia insinuat vocationem gentium & earundem defectionem, ac rursus Euangelii prædicationem per totum orbem.

§. 25. An successio Episcoporum? N.

§. 26. An conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua? N. Fugiunt enim primam antiquitatem judicem. Et hanc conspirationem difficulter possunt probare, & nos non tenemur nisi ut demonstremus nos retinere doctrinam priscorum secundum eas partes, quas Scriptura in Ecclesia singulis temporibus defensum iri prædixit.

§. 27. An unio sub Papa? N.

§. 28. An sanctitas doctrinæ? A. An hac nota polleant Papistæ? N.

§. 29. An efficacia doctrinæ appareat apud Papistas? R. ἐνέργεια τῆς ἀπάτης.

§. 30. An sanctitas vitæ, miracula, prophetia, confessio adversariorum, infelix exitus adversariorum, felicitas? N.

DISPUT. VIII.

De Clericis.

§. 1. AN οἱ κλῆροι 1 Pet. 5: 3. significet ministros Ecclesiæ distinctos à reliquo grege? N.

§. 2. An, isto dato, sequatur subjectio ministrorum Ecclesiæ ad Episcopos? N.

§. 3. An jus non tantum eligendi sed & vocandi ministros Ecclesiæ pertineat ad totam Ecclesiam lege divina? A.

§. 4. An electio fuerit Ecclesiæ Pontificum conniventia duntaxat concessa? N.

§. 5. An ut legitima sit functio ministri Ecclesiæ necessaria sit ordinatio Episcopalis aut Presbyterii existentis? D. Negandum, quando populus timore peccati secedit à suis præpositis.

§. 6. An ordinatio sive impositio manuum fiat nomine Ecclesiæ à presbyterio? A. Concedente Bellarmino lib. 1. c. 3. p. 303. lit. A.

§. 7. An Magistratus Christianus habeat jus electionem ministri approbandi? A.

§. 8. An Apostolicis temporibus facta sit Pastorum electio insciente populo? N.

p. 314. lib. 1. c. 7. §. 9. An populus nullam aliam habeat regulam discernendi verum à falso propheta, quam attendere, an contraria prædicet prædecessoribus vel iis, quæ dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, ab Apostolica sede & Ecclesia principali? N.

§. 10. An populus teneatur magis sequi pastorem errantem, quàm non-pastorem non-errantem? N.

§. 11. Idque ideo, quia populus non possit ea de re judicare? N.

§. 12. An factum sit ex concessione Petri, quod tota Ecclesia elegit Matthiam & Barsabam? N.

§. 13. An electio Episcoporum pertineat ad Papam? ut vel ipse eligat vel præscribat eligendi modum? N.

§. 14. An si Papa sit Episcopus œcumenicus ejus electio pendere debeat ab Ecclesiæ Romanæ ministris, qui Cardinales dicuntur? N.

§. 15. An alii sint ordines in Ecclesia, quàm Presbyteri & Diaconi? N.

§. 16. An idem sit Episcopus qui Presbyter? A.

§. 17. An Episcopi in Veteri Ecclesia fuerint in Presbyterio non ut consules in Senatu, sed ut Reges & Principes in cœtu Consiliariorum? A. prius. N. post.

§. 18 [illegible] i solius Episcopi sit ordinare? N.

§. 19. An potestas jurisdictionis sit penes Episcopos? Neg.

§. 20. An jure divino Pastores teneantur abstinere conjugibus ante officium ducti? Rectè negat Bell.

§. 21. An jure divino incumbat Sacerdotibus votum non nubendi? Item rectè negat Bell.

§. 22. An cœlibatus junctus sit ordinibus præcepto Apostolico? Neg. contra Bellarm.

§. 23. An conjugium sacerdotum sit sacrilegium? N.

§. 24. Annon præceptum Cœlibatus sit doctrina dæmoniorum & nota Antichristi & expressè contra Verbum Dei: inventum ad stabiliendam tyrannidem Pontificiam? A.

§. 25. An verè digami sint & à ministerio Ecclesiæ arceantur, qui post conjuges defunctas matrimonium contrahunt? N.

§. 26. An Laici sint Clericis tributarii & obligentur eis ad decimas? N. Sufficit ministris dari honestum salarium idque optimo ordine ab Ecclesia.

§. 27. An utile sit, Pastores Ecclesiæ donativis possessionibus magnis onerari? N. Notandæ sunt leges, quæ ob avaritiam Clericorum vetuerunt testamento bona Episcopis legari.

§. 28. An sit Ecclesiastica hæc libertas, quod Clerici non subsunt magistratui? N.

§. 29. An Ministri Ecclesiæ etiam functionis suæ Ecclesiasticæ teneantur rationem reddere magistratui? A.

§. 30. An Respublica in qua est Ecclesia sit materialiter una & formaliter duæ ex instituto divino? N. Interim in facto apud Pontificios est verum, & nota Antichristianæ tyrannidis. Vide Dan. 2. *regnum divisum.*

DISPUT. IX.

De Monachis.

§. 1. QUantum sit pondus hujus quæstionis? Bellarm. in præfatione id indicat; quum 1. dicit, Eos sublimius vitæ genus, quam lege divina præceptum sit, instituere. 2. Si convincatur Monachatus vanitatis, errasse Ecclesiam. Ergo & pro lege Dei & contra Antichristi auctoritatem est disputatio. Vide autem Matth. 24: 26. Christi admonitionem.

§. 2. An tendere ad perfectionem charitatis sit vita sublimior lege Dei? N.

§. 3. An diligere Deum, non quantum diligere potest creatura, sed quantum potest creatura mortalis, sit perfectio? Dist. Est perfectio in comparatione ad hypocrisin & charitatem minorem luctantium & inter multos lapsus proficientium: sed non est perfectio in comparatione ad legem: multo minus supra legem.

§. 4. An gradus præceptus dilectionis sit nihil æquè ac Deum diligere, scil. etiamsi aliquid diligas cum Deo non propter Deum? N. quia aliquid diligere cum Deo & non ad Deum est peccatum.

§. 5. An paupertas, continentia, obedientia sensu Papistico sint virtutes ducentes ad perfectionem? N.

§. 6. An Deus colatur per solam contemplationem? Neg.

§. 7. An varietas institutarum religionum accommodata omnibus ingeniis sapiat veram religionem an prudentiam humanam, aut astum Satanæ laqueos tendentis omni generi hominum? A. poster.

§. 8. An Papa possit interdicere erectionem novarum religionum, si eæ sint perfectionis? N.

§. 9. An Monachatus Papisticus habeat exemplum in vitis Sanctorum Vet. Test. & Johanne Baptista? N.

§. 10. An nihil proprii retinere proprio arbitratu, (Vide contrar. apud Bellarm. cap. 11. p. 463. D.) abstinere Cap. 6. conjugio, subjicere se hominibus ad obedientiam cæcam sint bona & meritoria vitæ æternæ opera, & conducant ad satisfactionem pro peccatis? N.

§. 11. An sint justorum opera? N. quatenus tales sunt.

§. 12. An fideles possint alios participes facere suorum bonorum operum, propter communionem Sanctorum? N. extra utilitatem, gaudium, exemplum, glorificationis Dei occasionem.

§. 13. An religio cum intentione perfectionis supra legem quærendæ suscepta prosit ad remissionem culpæ, & pœnæ temporalis, pro qua satisfaciendum esset: & an hoc piè credatur? N.

Vel sic, ex Eman. Sa in verbo, Religio, §. 17.

An professio afferat plenariam peccatorum indulgentiam? N.

§. 14

§. 14. An Monachatus sit secundum Baptisma? N.
§. 15. An involuntarii motus sint peccata? A.

Cap. 7. §. 16. An Christus dederit multa (c. 8.) consilia superantia naturam (bonam) de melioribus actibus, quàm qui præcepti sunt, relicta arbitrio hominis? Nulla.

§. 17. An dilectio Dei ex toto corde &c. sit præcepta, ut aliquid faciendum sub promissione vitæ; an ut finis cujus gratia aliquid faciendum est? A. prius contra quosdam Papistas πελαγιανίζοντας.

§. 18. An illud præceptum requirat exercitium omnium potentiarum ad gloriam Dei omni tempore, secundum possibilitatem creaturæ rectæ? A.

§. 19. An talis dilectionis omissio constituat prævaricatores legis? A.

§. 20. An legi contrarius amor cujusquam rei non relatus ad Deum actu? A.

§. 21. An sint peccata venialia non pugnantia cum dilectione præcepta? N.

§. 22. An cum hoc præcepto pugnent motus involuntarii? A.

§. 23. An possit impleri in hac vita? N.

§. 24. An secundum legem ex toto corde possit magis & minus diligi? N.

§. 25. An Deus possit diligi simul magis appreciativè & minus intensivè? N.

§. 26. An rectè habeat definitio Voti: Religiosa promissio excellentioris boni Deo facta libera voluntate? N. nisi *religiosa* sit *pia*; *excellentioris boni* quod melius sit facere, quàm omittere; & *liberam* non intelligas

p. 537. D. non-obligatam voluntatem. Nam voti materia est id quod præceptum est, vel in genere (& hoc restrictè votum) vel etiam in specie. Rectè Bell. excludit indifferentiam.

§. 27. An liceat vota facere Sanctis? N.

§. 28. An verè sit votum promissio, quæ fit in Baptismo? A.

§. 29. An sit suadenda susceptio votorum in rebus generaliter præceptis & pendentibus à dono? πᾶσα τοιαύτη καύχησις πονηρά.

§. 30. An sit consilii sui abnegatio? N.

§. 31. An Christi sequela sit subjicere voluntatem suam alterius judicio, & ita se subjiciendo judicium abdicare? N.

Sa in verbo Religio par. 10. §. 32. An professus non teneatur ad vota anteà facta & juramenta professioni incompatibilia? N.

§. 33. An si votum simplex matrimonium non faciat nullum, solenne faciat? N.

§. 34. An liceat filiis intrare monasterium invitis parentibus? N.

§. 35. An liceat conjugatis vovere continentiam sive non-usum matrimonii? N.

§. 36. An per votum solenne solvatur matrimonium ratum? N.

§. 37. An Monachi teneantur laborare pro victo? A.

§. 38. An liceat Monachis mendicare? N.

DISPUT. X.

De Laicis.

§. 1. AN Calvinus hoc agat Instit. lib. 4: 20. ut probet in Ecclesia esse debere leges civiles, judicia, gladium? N.

§. 2. An lex civilis obliget conscientiam non minus, quàm divina? D. Propter conscientiam à Deo ligatam debemus obedire potestati, & tamen non habet magistratus potestatem præcepta ponendi animo & conscientiæ, neque de rebus à Deo jam præceptis, neque de non-præceptis: sive cultum Dei velit urgere humana potestate, sive illum prohibere, sive novum introducere.

§. 3. An Pontifices habeant jus belligerandi contra Turcas ad recuperationem terræ sanctæ? N.

§. 4. An Euangelici in Germania & in Belgio &c. petiverint petantque libertatem credendi & profitendi quidvis? N.

§. 5. An Principes teneantur defendere doctrinam Pontificis? N.

§. 6. An bona conscientia eam permittere possint, si ejus exercitium possint impedire? N.

§. 7. An possit à Principe indiscriminatim & intuitu emolumenti carnalis tolerari omnis religio? & an hæc sit sententia Ecclesiæ Reformatæ? N.

§. 8. An inde sequatur iniquos esse, qui negent Pontificiis concedendum esse jus Reformandi? N. Posito enim, unam religionem alterius veritati non præjudicare, nihilominus aliud est Reformatio Euangelicorum aliud Papistarum.

§. 9. An rectè faciant Principes, qui volunt conciliare Pontificios, qua tales sunt & manent, cum Euangelicis? Rectè negat Bell.

§. 10. An omnes hæretici, quia excommunicari possunt & debent, etiam debeant occidi? N.

§. 11. An quis pœna gladii debeat cogi ad religionem profitendam & ejurandum errorem suum? N.

§. 12. An manifestè blasphemus & turbans Ecclesias & politias possit gladio coërceri? A. sed lentè.

§. 13. An magistratus fidem professus desinat esse princeps Papæ vel Clericorum, & fiat eorum subditus? Neg.

§. 14. An magistratui Christiano competat explicatio fidei, ut & Christianis Laicis? A. 1 Cor. 14.

§. 15. An judicia Civilia possit abdicare princeps & ea tradere Ecclesiasticis? N.

§. 16. An Princeps habeat jus reformandi Ecclesiam Papisticam? A. dummodo id fiat legitimo modo, scil. per demonstrationem veritatis & defensionem boni ordinis &c.

§. 17. An Principes à Papa deficientes à Papa possint exauctorari? N.

§. 18. An ob inidoneitatem à Papa possint deponi? N.

§. 19. An injustè agant vectigal exigentes à Clericis? Neg.

§. 20. An similia sentiant Papistæ de Magistratu Anabaptistis Monasteriensibus? A.

§. 21. An sint βλασφημοῦντες τὰς δόξας? A.

De Purgatorio.

§. 1. AN sit? N.
§. 2. An Veterum orationes pro mortuis probent fidem purgatorii? N.

§. 3. An remittatur peccatum & non remittatur pœna? N.

§. 4. An purgatorii doctrina faciat vigilantes in peccatis cavendis, & contraria socordes? N.

§. 5. An purgatorii doctrina possit consistere cum doctrina meriti Christi & justificationis? N.

§. 6. An detur satisfactio congrua ante justificationem, & ex condigno post justificationem? N.

§. 7. An quilibet gradus sufficiat, ut quis servet præcepta Domini? N. c. 3 ¶. Respondeo p. 778.

§. 8. An sit genus hominum nec injustum nec satis justificatum? N.

§. 9. Sitne Limbus? N.

§. 10. An animæ redeant ex limbo vel ex purgatorio? N.

§. 11. Sitne orandum pro mortuis, & an illis prosint vivorum suffragia? Nimir. Missæ, Oratio, opera pœnalia & satisfactoria? N.

§. 12. An eleemosyna & jejunium sit opus satisfactorium? N.

§. 13. An animæ fidelium post mortem commigrent ad Christum? A.

DISPUT. XI.

De Sanctis.

§. 1. AN animæ fidelium post mortem ante diem resurrectionis corporum videant Deum in consummata beatitudine? Hypothesis illa Pontificiorum incerta est. In gloria sunt: sed de gradu non liquet. Augustini sententiam vide p. 857.

§. 2. An Patres ante Christi incarnationem à visione Dei fuerint exclusi, ita ut propterea non fuerint invocati? N.

§. 3. An sinus Abrahæ sit infernus vel limbus? N.

§. 4. An Ecclesiæ competat canonizatio Sanctorum h. e. judicium publicum de vera sanctitate & gloria hominis defuncti: extra verbum Dei? N. Ne Papæ quidem.

§. 5. An consuetudo colendi tacente Papa habeat vim legis? N.

§. 6. An canonizatio Sanctorum sit antiqua in Ecclesia? Bellarminus agnoscit novam. Primam factam à Leone 3. temporibus Caroli M. in Suiberto. lib. 1. c. 8.

§. 7. An Pontifex possit errare in Sanctorum canonizatione? A. quia est facti quæstio.

§. 8. An Deus per miracula testetur Sanctitatem hominis & gloriam? N.

§. 9.

§. 9. An liceat Sanctum non canonisatum privatim colere? N.

§. 10. An sit triplex cultus, divinus, civilis & medius? N. Duplex excellentiæ genus est: Dei & creaturæ: sic & cultus. sed in cultu creaturæ gradus sunt.

§. 11. An δουλεία conveniat Angelis & Sanctis? N. cum Mart. Perezio.

§. 12. An cultus, quem Pontificii exhibent Sanctis & Angelis, nominatim conveniat creaturis? N.

§. 13. An judicium, quo illis tribuitur cognitio necessitatum nostrarum & inspectio cordis nostri? N. Quum enim à Deo revelari non constet, & tamen illis attribuatur, certum est illis attribui simpliciter.

§. 14. An fiducia intercessionis & meritorum? N.

§. 15. An dicere, *S. Petre, miserere mei, salva me*: idque intelligere, *Da mihi hoc & illud tuis precibus & meritis*? N.

p.895. §. 16. An attribuere illis Regimen Ecclesiæ? N.

§. 17. An circa Sanctos, quos non videmus, eos gestus venerationis adhibere, quos erga Deum, quem non videmus? N.

§. 18. An invocare? N.

p.909. §. 19. An illis dare nomen Mediatorum? N. Mediator enim fœderis respectu dicitur: & Mediator fœderis Novi est solus Christus.

p.909.C. §. 20. An Christo soli duntaxat competat mediatio naturæ? N.

De Reliquiis.

§. 1. AN reliquiæ Sanctorum in religioso quodam cultu sint habendæ; ita ut super illis templa & altaria extruantur &c. N.

§. 2. Ad quod genus miraculorum debeant referri ea, quæ ad memorias martyrum aliorumque defunctorum facta dicuntur? R. Alia per quæ Deus fidem martyrum confirmat, alia per quæ tentat, alia per quæ Diabolus decipit.

p.939.A. §. 3. An Col. 2. omnis cultus ab homine excogitatus vetetur? A.

§. 4. Contra quod præceptum tendat cultus Sanctorum & reliquiarum? R. Contra secundum, & interpretativè contra primum. Comparandus cum מצבה Israëlitarum, quæ tamen longè mitiorem idololatriam continebant.

De Imaginibus.

§. 1. AN *idolum* sit falsa similitudo? N. Nam est Hebr. אלוה.

§. 2. An imagines Dei sint εἴδωλα? A.

§. 3. An lex vetet tantum imaginem, quæ habetur pro Deo aut est falsi Dei: non etiam veri Dei, quæ non potest non esse falsa, & quæcunque appellatur Deus? N.

§. 4. An liceat facere imaginem Dei? N. cum Abulensi, Durando, Peresio contra Bell.

§. 5. An imagines in templis debeant poni? N.

§. 6. An imagines sint afficiendæ honore exemplaris? N.

p.998. 1000. §. 7. An, si hoc detur, Christi imago esset adoranda latria? N. cum Henrico.

§. 8. An apud illas sit adorandus Deus? N.

§. 9. An sint afficiendæ honore minori in se? N.

§. 10. An diversus religionis actus exerceri possit, unus qui terminatur in imaginem, alter qui in Deum? N.

§. 11. An imago habeat conjunctionem cum prototypo? N.

§. 12. An identitatem in esse repræsentativo? N.

p.1027. §. 13. An crucis signum habeat effectum fugandi dæmones, pellendi morbos & omnia mala, & sanctificandi ex opere operantis aut ex opere operato? N.

§. 14. An Ecclesia possit instituere Deo vel Sanctis templa & festa, propriè dicta? N.

DISPUT. XII.

De Sacramentis.

§. 1. AN appellatio Sacramentorum eo defendatur, quia Sacramentum in Latina versione ponitur pro μυστηρίῳ sive arcano? N. Sacramenta enim non propriè sunt μυστήρια, sed tantùm, res πνευματικαὶ, signa μυστηρίων.

§. 2. An Sacramenta N. T. sint signa sensibilia (non semper visibilia) data, habentia analogiam rei sacræ scil. gratiæ justificationis, quæ fiat in usu sacramentorum & vi sacramentorum, stata & solennis religionis ceremonia, quæ hominem Deo consecret? N.

§. 3. An hæc definitio conveniat Sacramento Eucharistiæ Papistico, ubi ponunt corpus Christi pro signo? N.

§. 4. An bona sit definitio: *Signum rei sacræ: invisibilis gratiæ visibilis forma*? Insufficiens.

§. 5. Annon sacramenta sint visibilia Signa & sigilla justitiæ fidei? A.

§. 6. An sacramenta sint visibilia? A.

§. 7. An sint mandata verbo expresso in Scripturis? A. in consideratione Ecclesiæ post Apostolos.

§. 8. An promissio gratiæ præcedens, quam confirment sacramenta, sit de necessitate sacramenti? A.

§. 9. An promissio de fructu Sacramenti contineatur in Scriptura? A.

§. 10. An verbum annexum sacramento sit promissio, vel potius assertio? Assertio promissoria.

§. 11. An sacramenta sint celebranda sine verbo h. e. sine repetitione institutionis & promissionis? N.

§. 12. An sacramenta confirment promissionem de remissione peccatorum? A.

§. 13. An sacramenta sint sigilla? A.

§. 14. An sigilla æternæ benevolentiæ? A.

§. 15. An possint excusari Pontificii, ut Bellarminus, à p.58.
blasphemia, qui dicit, inde sequi Deum mentiri? N.

§. 16. An circumcisio in solo Abrahamo fuerit sigillum p.61 62.
justitiæ fidei? N.

§. 17. An ἐπερώτημα 1 Petr. 3: 21. sit aliud quàm pignus & arrhabo sive sigillum dans libertatem interrogandi sive stipulandi gratiam? N.

§. 18. An certa verba sint forma sacramentorum N. Testamenti? N.

§. 19. An in administratione Sacramentorum debeat aliud verbum adhiberi, quàm repetitio vel commemoratio institutionis, cum significatione finis actionis præsentis, scil. obediendi ei mandato? N.

§. 20. An Papistæ certis verbis adscribentes effectum p.86.C.
gratiæ notentur per Φαρμακὸς, & כשפים in Esaia, Apo- 87.C.
calypsi &c.? A. 88.B. 127 C.

§. 21. An circumcisio fuerit Sacramentum legis natu- p.90.C.
ræ? N.

§. 22. An quædam Sacramenta, velut Baptismus & Pœ- p.96.A.
nitentia, sint necessaria necessitate medii? N.

§. 23. An si Confirmatio sit divinæ institutionis non æ- p.95.C.
què esset necessitate medii necessaria, præsupposita necessitate Baptismi? Omninò.

§. 24. An Baptismus sit medium simpliciter, Eucharistia medium ad bene esse? N.

§. 25. An Christus dederit Ecclesiæ potestatem & ἀναμαρτησίαν ad instituendum cerimonias Ecclesiasticas, quales sunt Papisticæ? N.

§. 26. An requiratur ad valorem Sacramenti in ministro p.122.
intentio faciendi, quod facit Ecclesia? N.

§. 27. An Sacramenta pendeant à ministri potestate & p.128.
voluntate? N.

§. 28. An hæc doctrina non pugnet cum fine Sacramen- p.131.
torum, substrato fundamento quod homo non debeat quærere certitudinem fidei de sua justificatione? A.

§. 29. An Sacramenta sanctificent ex opere operato, p.138.
præviis dispositionibus; & ea sanctificatio sit justificatio: an verò hac doctrina evertatur justitia fidei? A. post. N. prius. Vide p. 146.B.C.

§. 30. An efficiant gratiam per vim inhærentem? N.

§. 31. An per vim assistentem? N.

§. 32. An per motum & præparationem? N. p.141.

§. 33. An sint causæ morales gratiæ? N. 175.D.

§. 34. An quæ facta sub V. T. sunt figura sacramento- p.175. p.152.
rum Novi Testamenti? N. 153.

§. 35. An sacramenta Vetera figuræ Novorum? N.

§. 36. An Vetera à Novis differant hoc, quod illa non conferant gratiam? N.

§. 37. An sit alia differentia, quàm quod illa V.T. hæc N.T. sint, & hujus promissiones confirment? N.

§. 38. An status Abrahami fuerit sub lege naturæ & im- p.183.
perfectior statu Israëlitarum sub lege scripta? Absolutè negatur.

§. 39. An circumcisioni annexa promissio remissionis p.196.
peccatorum & vitæ æternæ? A.

§. 40. An in V. T. fuerit expiatio pro omnibus pœni- p.198.C.
tentium peccatis? A.

§. 41. An Manna fuerit πνευματικὸν βρῶμα vi promissio- p.200.D.
nis? A.

§. 42. An per Sacramenta imprimatur character? N. Et p.270.
an 2 Corinth. 1. intelligatur character cum quo quis damnari potest? N.

DISPUT. XIII.

De Sacramentis in genere.

215. §. 1. CHaracter non est causa non repetendi Baptismi: sed quia obsignat fœderis unici æternam justitiam, sive perseverantiam in gratia.

§. 2. Duo sunt Sacramenta Nov. Testam. & non plura.

§. 3. An Baptismus excellat reliquis quoad effectum remittendi peccata & omnem pœnam? N.

§. 4. An Confirmatio excellat Baptismo quoad effectum gratiæ ad bene operandum; & sit Baptismi quædam perfectio & consummatio? N.

§. 5. An Eucharistia excellat omnibus quoad substantiam Sacramenti? N.

§. 6. An Pœnitentiæ (sacramentum) excellat omnibus (excepto baptismo) necessitate? R. supervacuum est, posito baptismo.

§. 7. An Matrimonium excellat significatione, scil. unionis Christi cum Ecclesia? N.

§. 8. Sintne cerimoniæ à Christo institutæ vel Apostolis sola traditione compertæ? N.

§. 9. An dæmones fugiant crucem, ut canes baculum? Neg.

§. 10. An Ecclesiæ sit instituere ritus, ad repræsentandum mysterium, ad morbos curandos, pellendos dæmones, ad peccata venialia purgandum per modum impetrationis, & applicationis meritorum Christi, ut ex opere operato producant illos effectus? N.

§. 11. An tales institutiones teneant sub timore peccati? N.

§. 12. An cerimoniæ habeant quid meritorium? N.

§. 13. An cerimoniæ sint religioni, quod sal carni & cortex medullæ? N.

p. 254. §. 14. An Abelis cultus fuerit ἐθελοθρησκεία? N.

§. 15. An Sacramenta debeant administrari Latinè? N.

De Baptismo.

§. 1. AN per Φωτισμὸν Hebr. 6. & 10. intelligatur Baptismus? N.

§. 2. An sit necessaria forma baptisandi, Ego te baptizo in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti? idque propter
p. 272. C. traditionem & præceptum Ecclesiæ? N. Quia Græci non ita baptisant.

p. 273. D. §. 3. An Baptismus datus in nomine Christi sit aut absolutè aut sub conditione repetendus? N.

§. 4. An Baptismus sit necessarius ut medium regenerationis? N.

§. 5. An verè Bell. objiciat Calvino, quod statuat fidelium liberis non imputari peccatum originis? N.

§. 6. An locus Joh. 3: 5. sit intelligendus de baptismo sub anathemate, quod sancit Concilium Tridentinum? Neg.

p. 279. §. 7. An infantes omnes non baptizati pereant? N.

§. 8. An per Baptismum applicetur passio Christi, ut medium? N.

p. 287. §. 9. An baptismus cœperit esse necessarius necessitate præcepti demum in Pentecoste? N.

§. 10. An Martyrium ex opere operato conferat primam gratiam; & an non pugnent, Accedere ad martyrium in peccatis sine affectu ad peccatum in fide & charitate inchoata? N.

§. 11. An fundamentum illius assertionis, nim. Quia non justificamur per fidem solam: non sit directè contrarium Euangelio? Omninò.

§. 12. An jus baptizandi competat Presbyteris cum subordinatione & dependentia ab Episcopis? N.

§. 13. An liceat Laicis & mulieribus in ullo casu baptizare? N.

§. 14. Annon Concilium Florentinum hoc definiens post dubitationem diuturnam fecerit Novum articulum fidei? A.

p. 323. §. 15. An ad baptismum infantium necessarium sit illis tribuere fidem actualem vel habitualem vel regenerationem in eo instanti, quo baptizantur? N.

§. 16. An infantes rectè dicantur credere fide aliena? Neg.

§. 17. An rectè negetur, infantes habere ullos novos motus & sanctificationem, qui baptizantur? N.

p. 324. §. 18. An rectè dicantur infantes actu credere dum baptizantur? N.

§. 19. An baptismus ex opere operato tollat omnem culpam & pœnam? & conferat gratiam ac dona divina, quibus homo formaliter justificatur? & imprimat characterem indelebilem? N.

§. 20. An concupiscentia post Baptismum sit peccatum? A.

§. 21. An sine calumnia proponat Bellarminus sententiam Euangelicorum de libertate Christiana, quod peccatum quidem sit facere contra legem, &, sed non imputetur, nec pendeat justificatio aut salus ab impletione legis, ideo non obligari Christianos ad legem divinam sed solum ad fidem? N. p. 335.

§. 22. An Baptismus obsignet justitiam perpetuam? A.

§. 23. An post Baptismum alio sacramento pœnitentiæ opus sit? N.

§. 24. An baptismus Johannis sit ejusdem efficaciæ cum baptismo Christi? A. An repetendus? N.

DISPUT. XIV.

De Confirmatione.

§. 1. AN manus impositio, qua Apostoli usi sunt, ut baptizati acciperent Spiritum sanctum, fuerit verum Sacramentum, & signum perpetuum gratiæ in Ecclesia retinendum; & in omnibus usurpatum? N.

§. 2. An Confirmatio Papistica sit idem cum impositione manuum Apostolica? N.

§. 3. An Apostoli manus imposuerint ad accipiendam p. 384.
fidem & justitiam? N.

§. 4. An veteres Christiani ritum unctionis habuerint indubitanter pro sacramento? N.

§. 5. An in Chrisinatione Papistica sit Φαρμακεία? Aff.

§. 6. An sit Ἰουδαϊσμὸς velle ungi ut sacerdotes Veteris Testamenti? A.

§. 7. An sine depreciatione Baptismi asseratur, Confirmationem conferre gratiam gratum facientem & majorem quam ipse Baptismus in ordine ad roborandam animam adversus impetus Diaboli? N.

§. 8. An sit Sacramentum quod detur per Episcopum & non presbyterum, velut Confirmatio? N.

§. 9. An qui Confirmant in Papatu sint veri Episcopi? Vicarii dicuntur & finguntur Episcopi locorum longinquorum, ut Hierosolymæ & c. ubi forte non sunt Ecclesiæ. p. 419.
Sunt histriones.

§. 10. An ritus cæteri in Confirmatione sint legitimi, an verò superstitiosi & prophani? Hoc dicimus. Nec juvat 1 Tim. 4: 5.

De Eucharistia.

§. 1. AN secundùm mentem orthodoxorum nihil amplius faciat S. Cœna, quàm imago crucifixi, cum illa inscriptione; Ecce Agnus Dei portans peccata p. 436. 480. C.
mundi? N.

§. 2. An corpus Christi post consecrationem adsit localiter in Cœna? N.

§. 3. An verè præsens esse credant Papistæ, qui non p. 438.
credant illud præsens esse secundùm modum existentiæ & 439. D.
præsentiæ corporis? N.

§. 4. An conveniat cum hodierna doctrina Transsub- p. 440.
stantiatorum, corpus tangi sensualiter, non tantum in sacramento, quod coactus est confiteri Berengarius? N.

§. 5. An Johan. 6. agatur de Sacramento Eucharistiæ? p. 451.
Neg.

§. 6. An ex ejus vers. 61. 62. 63. fortiter refellatur esus p. 513.
oralis? A.

§. 7. An pronomen *Hoc* supponat pro *pane*? A.

§. 8. An verba Christi sint tam obscura ut illis debeat imputari dissensio Theologorum? N.

§. 9. An institutio Cœnæ sit magis Testamentum Christi quàm totum Instrumentum Novum; & ideò aspernetur tropos? N.

§. 10. An ex verbo Dei possit expressè satis (docilibus) p. 470.
probari explicatio verborum, *Hoc est corpus meum*? A.

§. 11. An possit τὸ EST capi pro Significat vel repræsentat, & sic esse sedes tropi? A. *Est* per modum signi & sigilli per significationem & substitutionem.

§. 12. An possit esse tropus in voce *Corpus*? A. ut videtur in illo: Panis est communio: & si sic dicam: Fideles in Cœna edunt corpus Christi, quod tum metonymice (quoad vocem *corpus*) tum metaphoricè (quoad vocem *edunt*) rectè explicatur.

§. 13. An Hoc possit demonstrare Corpus ut contentum sub speciebus? N.

§. 14. Annon ille, qui propriè loqui vellet, diceret: Hic

Hic est corpus, In hoc est corpus: imo, in his accidentibus? A.

§. 15. An Exod. 24: 8. Hic est sanguis Testamenti, denotetur in prædicato sanguis victimæ, pecudis, an Christi? Inclin. in posterius. Collato Zachar. 9: 11. & Psalm. 50: 5.

p. 491. §. 16. An sit improprium. Agnus est Pascha? A. quia sensus est: Significat id, quod est causa transitus: & sigillum est transitus.

p. 492. §. 17. An si sit propria locutio, quum *est* valet *significat* in rebus, quarum essentia est posita in significando; tum impropria possit dici; Panis est corpus, per modum signi & sigilli? N.

p. 492. & 497. §. 18. An locus 1 Cor. 10: 16. 17. non apertè explicet mentem verborum institutionis, & ullo modo possit torqueri, ut *panis* non significet verum panem? N.

§. 19. An locus Matth. 24: 26. faciat apertè contra præsentiam localem corporis in cœna? A.

§. 20. An doctrina talis præsentiæ possit stare cum articulo de ascensione Christi in cœlum. Act. 1: 11? N.

§. 21. An 1 Corint. 10. in esu spirituali comparemur cum Israëlitis? A.

DISPUT. XV.

De Eucharistia.

§. 1. AN possit à Papistis probari, Transsubstantiationem fuisse creditam à Patribus priorum seculorum? N.

§. 2. An, quod fuerit in Ecclesia articulus fidei, ante tempora ultima Innocentii III. imo potius Concilii Tridentini? N.

§. 3. An ex illis, quæ cap. XXXIX. lib. 2. Bellarminus colligit è Patribus Transsubstantiatio probetur? N.

Vide p. 627. & 8. §. 4. An corpus multis in locis esse simul possit, sive, non repugnet? N.

§. 5. An corpus possit esse in diversis locis & sub dimensionibus hostiæ non quidem circumscriptivè, per modum corporis, sed definitivè per modum spiritus? N.

§. 6. Sitne de fide, Christum habere tale corpus & talem modum præsentiæ corporis, qualia nos habemus & in gloria habebimus? A.

§. 7. An sine contradictione possint statui ista:

Corpus, quod in diversis locis est, posse alibi calidum, alibi frigidum, alibi vivum, alibi mortuum esse: ut vult Alex. Alensis? N.

Corpus interfectum in uno loco, esse mortuum in altero, noi nihil patitur à loco & circumstantiis? quod vult Bellarminus? N.

Corpus esse illocaliter in loco? N.

Corpus habens magnitudinem & sic partem extra partem non coextendi corporibus assitis? N.

Majus sub minori contineri? N.

Non expellere corpus è loco adæquato? N.

Partem extra partem habens adesse illocaliter: quum una pars alteri sit locus: v. g. Venter cordi & aliis visceribus? N.

p. 654. 655. §. 8. Annon doctrina de Corporis ubiquitate & præsentia in pluribus locis ex æquo tollat argumentum pro incorporeitate divinæ essentiæ? A.

§. 9. An Berengarius fuerit auctor doctrinæ nostræ? Neg.

§. 10. An, posito, uno seculo omnes homines credidisse præsentiam corporis Christi in Cœna, sequatur, Ecclesiam aliquando periisse de mundo? N. Sed & hypothesis falsa est.

§. 11. An miracula facta à Transsubstantiatoribus probent Transsubstantiationem: an vero potius arguant Antichristum? A. posterius.

§. 12. An, ut Durandus voluit, panis forma deperdita, materia informetur ab anima Christi, & sic fiat illius corpus? N. Hæc tamen est vera conversio. quam Bellarminus urget, & dum illum modum rejicit, negat.

p. 677. §. 13. An panis assumatur à verbo; ut voluit Rupertus?

p. 678. N. Vel eo modo ut voluit Johannes Parisiensis? N.

§. 14. An hunc errorem effugere possint Papistæ, servata proprietate? vel saltem annon sit æquè fundatus, ac Transsubstantiatio? N. prius. A. post.

§. 15. An servent *τὸ ῥητὸν* Transsubstantiatores hoc modo: Quod fuit panis & desiit esse panis est corpus Christi? N. An non in eo 1. contradictio: dum *panis* dicitur,

p. 691. quod non est panis. 2. improprietas: dum dicitur, Hoc esse, quod intelligitur, Hic esse.

p. 691. p. 693. §. 16. Annon hæc sit annihilatio panis? A. Infra nominatur mutatio deperditiva & non-conservatio.

§. 17. An talis sit conversio cibi per nutritionem, per adductionem animæ? N. Cibus enim non fit anima. p. 694.

§. 18. An retineat *τὸ ῥητὸν*, qui sic explicat: Id, quod sub specie panis continetur non est amplius panis sed corpus? N.

§. 19. An sine tropo per *hoc* possint connotari Accidentia, ut continens, & corpus ut contentum? N.

§. 20. An *species* in Patribus significet accidentia & dimensiones? N. p. 701. in loco Cyrilli.

§. 21. An abjuratio Berengarii juvet Transsubstantiationem? N. p. 721.

§. 22. An fuerit Transsubstanciatio dogma fidei ante Lateranense Concilium? N. cum Scoto. p. 714.

§. 23. An panis sit corpus Domini extra celebrationem Cœnæ? N.

§. 24. An Sacramentum sit adhibendum ad impetrandum sanitatem, ad evitandum naufragium, ad expellendos dæmones &c? N. p. 751.

§. 25. An Christus instituerit Cœnam in azymo? A.

§. 26. An obligemur ad azymum? N.

§. 27. An vino miscenda sit aqua, ob mysterium? N.

§. 28. An consecratio fiat verbis, *Hoc est corpus meum*, pronunciatis à sacrificulo, & quidem abruptè? N. p. 794.

§. 29. Sitne necessaria ordinatio Episcopi ad conficiendum Sacramentum? N.

§. 30. An ad dignè manducandum requiratur confessio apud Sacerdotem? N.

§. 31. Utrum S. Cœna tollat peccata? N. p. 817.

§. 32. An liceat cœnam administrare sub una specie? N.

§. 33. An Sacramentum sit adorandum? N.

§. 34. An in S. Cœna offeratur Christus pro vivis & mortuis? N.

§. 35. An Christiani habeant templa & altaria materialia propriè dicta? N.

§. 36. An licitæ sint missæ privatæ? N.

§. 37. An Eucharistia celebranda lingua ignota? N.

DISPUT. XVI.

De Sacram. Pœnitentiæ.

§. 1. AN fides, quæ ad pœnitentiam requiritur, & quam fideles possunt habere, sit certitudo fidei Catholicæ? An moralis & humana? Af. prius; An fiducia sit minus certa quam fides? N. p. 1094. 1114. D.

§. 2. An Reformati jubeant omnes, quibus Sacramenta ministrant, quoquo modo esse certos de remissione peccatorum; & illos qui dubitant de justificatione, infideles judicent? N.

§. 3. An rectè Heshusius culpetur ut mendax, quod dixit, Papistas absolvere non tantum in nomine Jesu Christi, sed & B. Mariæ, Sanctorum, & propriorum operum? Neg. p. 1104. 1105. B.

§. 4. Quid *μετάνοια* & *μεταμέλεια* different? illud resipiscentia, hoc mutatio propositi, 2 Cor. 7: 10.

§. 5. An illud necessariò significet voluntariam ultionem proprii peccati? N.

§. 6. An pœnitentia signis externis manifestata, accedente ad eam verbo Absolutionis, sit Sacramentum novæ legis propriè dictum? N. p. 1121. D.

§. 7. An in verbo Absolutionis, quod Sacerdos pronunciat, sit vis Sacramenti, quæ efficienter, & instrumentaliter concurrat ad remissionem peccatorum? N. p. 1122. E.

§. 8. An ideo nihil referat, qua lingua fiat absolutio? N. p. 1136. B.

§. 9. An reconciliatio nova, fiat per hoc Sacramentum, post Baptismum? N. Unum Sacramentum Pœnitentiæ Baptismus; unde & secunda tabula post naufragium, si intelligatur Sacramentum, dici non debet.

§. 10. An Baptismus prosit & sufficiat ad animum tranquillandum, de remissione peccatorum post Baptismum? A. p. 1146.

§. 11. An ex Hebr. 6. concludi possit, Papistas non debere quenquam ad pœnitentiæ Sacramentum admittere, supposito, ibi agi de peccantibus post Baptismum? A.

§. 12. An verè pœnitentes, unquam gratia Baptismi excidant? N.

§. 13. An qui scandalizant Ecclesiam post Baptismum alio Sacramento ei reconcilientur quam communione Eucharistiæ? N. Vide p. 1170.

§. 14. Annon pugnent ista: Baptismum in suo (quodam) effectu semper manere; & non habere eam vim, ut promissionem per modum signi visibilis confirmare & obsignare possit? Aff. Nisi illum quendam effectum, intelligit Characterem, & alium effectum Baptismi, permanentem abnegat, ut hic sit effectus Baptismi permanens, esse Baptizatum.

§. 15. An peccata, sive homo peccator, sit materia Sacramenti? N.

p. 1155. §. 16. An verbum Absolutionis, possit esse forma Sacramenti, sine externo ritu, qui Sacramentum constituat? Neg.

§. 17. An actio pœnitentis, sit materia Sacramenti? N. quia actio interna non potest; neque Confessio externa, est medium justificationis à Deo institutum.

p. 1167. §. 18. An terror animo incussus à Lege, separata promissione, possit hominem juvare, & præparare ad justificationem? N.

§. 19. An pœnitentiæ veræ, sive Conversionis ad Deum initium sit fides promissionis, includens dolorem de peccato, quatenus gloriam Dei violat; & separatione à Deo, atque desiderium & famem justitiæ, cum abnegatione justitiæ propriæ? Aff.

§. 20. An pars pœnitentiæ sit serium propositum gratitudinis? Aff.

§. 21. An non nostri confundant pœnitentiam cum justificatione? N. An potius Papistæ justificationem confundant cum pœnitentia? A. Nihil aliud est apud illos pœnitentiæ virtus, quam justificatio, quam illi statuunt.

§. 22. An possint opera bona ad pœnitentiam referri, & simul pœnitentiæ fructus dici? A.

Vide p. 1179. C. D. §. 23. An, cum pœnitentia nemini viventi sit interclusa, (quantum homini plerunque cognitum est) ex hypothesi Papistarum non sequatur, novo Sacramento Pœnitentiæ aliusmodi opus esse, in tertia & sic quarta resurrectione? A.

§. 24. An pœnitentia solennis aliud sit, quam publica sui humiliatio, ad sanandum scandalum publicum? N.

§. 25. An Contritio, h. e. pudor & dolor ob peccatum, atque humiliatio ex amore Dei profecta, sit opus lege præceptum? A. atque adeo ad legem pertineat? A.

p. 1189.

§. 26. An ea liberet à peccatis? N.

§. 27. An possit existere sine fide promissionum, qua desideramus justitiam, & animas nostras Christo committimus? N. confer p. 1192. B. 4.

p. 1193. §. 28. An serio Bellarm. Contritionem acceptam ferat gratiæ, & à Papistis acceptam ferri doceat? N.

p. 1209. §. 29. An contritio sive dolor peccati, & votum, ac propositum Obedientiæ, sit medium justificationis? N.

p. 1217. 1221. §. 30. An contritio ex toto corde, (secundum legem,) sit conditio & medium justificationis? N.

§. 31. An præceptum de agenda pœnitentia, quovis tempore peccatorem obliget? Af.

§. 32. An contritio fidelium sit summa appreciativè? N.

§. 33. An qui negat requiri Contritionem summam intensivè, & eam dicit nihilominus medium justificationis, blasphemet sanctitatem Dei? A.

DISPUT. XVII.

De Pœnitentia II.

§. 1. AN præter contritionem requiratur ad consolationem de remissione peccatorum votum Sacramenti sive Absolutionis sacerdotalis? N.

§. 2. An secundum doctrinam Papistarum sufficiat votum Absolutionis sacerdotalis sine reali perceptione? N.

§. 3. An peccatum in Spiritum sanctum aliquando remittatur? N.

p. 1252. §. 4. An timor pœnæ (quem non operatur fides & amor
p. 1254. Dei) sit bonus & utilis? N. An memoretur inter dona Spi-
p. 1256. ritus sancti Es. 11:2? N. An coerceat voluntatem peccan-
p. 1257. di? N. An odium pœnæ sit Attritio? N. Est enim odium justitiæ Dei.

p. 1259. §. 5. An Deus sit timendus propter aliud, diligendus propter se? Resp. Diligendus est ad honorem ipsius, sive ut nos referamus ad ipsum, ut ipsius perfectio in nobis per bonitatem glorificetur. Timendus ad hoc ipsum, quia justè demonstrabitur gloria justitiæ ipsius in iis, qui non amant ipsum.

p. 1260. §. 6. An Attritio cum Absolutione sufficiat ad justificationem? N.

p. 1264. §. 7. An Confessio h. e. Enumeratio omnium peccatorum mortalium sit necessaria? N.

Ibid. §. 8. An Christus Sacerdotes instituerit judices super terra cum ea potestate, ut sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus possit reconciliari? N.

p. 1270. §. 9. An quidam credentes in Christum in æternum pereant, quod à sacerdote absolvi non potuerint? N.

Ibid. §. 10. An minister absolvens remittat peccatum verè? Resp. Remittit pœnam, quam Ecclesia infligit manifestariis peccatoribus.

§. 11. An Apostoli minus requisiverint confessionem p. 1277.
peccatorum ante baptismum quàm Johannes, propter vim justificandi ex opere operato? N. Vide Actor. 19: 18. Conf. p. 1279.

§. 12. An sit juris divini privata confessio etiam occultorum delictorum? idque ad sacramentalem & justificantem absolutionem? N.

§. 13. Quæ utilitas confessionis auricularis? Resp. 1. hypocrisis. 2. superstitio. 3. tyrannis in conscientias & in bona 4. proditio secretorum ad retinendum imperium. 2 Tim. Confer. p.
3: 6. 5. impudentia & titillatio. 1369. D.

§. 14. An remissa culpa remaneat reatus pœnæ temporalis? N.

§. 15. An reatus pœnæ temporalis possit redimi operibus bonis? N.

§. 16. Laboriosis? N.

§. 17. Sponte suscipiendis ad finem illum? N.

§. 18. An sacerdotum sit imponere opera laboriosa & mulctas? N.

§. 19. An Oratio, Jejunium & Eleemosyna sint satisfactiones? N.

§. 20. An opera nostra, ut à Spiritu sancto profecta ha- p. 1354.
beant quandam infinitatem ad satisfaciendum? N.

§. 21. Annon per satisfactiones reducatur servitus Ve- p. 1358.
teris Testamenti? A. Conf. p.

§. 22. Annon sit hypocrisis, superstitio, Simonia & 1392. B.
apertio januæ ad impietatem Indulgentia? A.

§. 23. An sanguis Christi non prosit fidelibus nisi per p. 1384.
Absolutionem & Indulgentiam una cum cæteris Sacramentis dispensetur? N.

§. 24. Et an sanguis Christi dispensetur & applicetur per p. 1386.
Sacramenta, ut media justificationis? N.

DISPUT. XVIII.

Unctio.

§. 1. AN Unctio infirmorum extrema sit Sacramentum p. 1419.
à Christo institutum ad gratiam spiritualem con- D.
ferendam? N.

§. 2. An sit insinuatum Marc. 6: 13. & tanquam institutum repertatur Jacob. 5: 14? N.

§. 3. An unctio, qua Apostoli unxerunt ægrotos, fuerit sacramentalis? Rectè Bellarminus, Tapperus, Jansenius. N.

§. 4. An ex vi loci Jac. 5: 14. teneantur ministri ungere ægrotos? N. Nulla unctio est reliqua in Ecclesia nisi medicinalis.

§. 5. An unctio hoc tempore sanet corpus sive sit signum p. 1420.
miraculi? N. Qui miraculum faciunt non sub conditione C. D.
ea prædicunt, sed simpliciter, ut instinctu Spiritus sancti.

§. 6. An tollat peccatorum reliquias, ita ut aliquando fiat p. 1421.
per illam servari, qui alioqui plane damnandus erat? N.

Ordinatio.

§. 1. AN Ordinatio sit verum Sacramentum N. T? N.

§. 2. An gratia, quæ 1 Tim. 4: 14. 2 Tim. 1: 6. p. 1427.
& quæ dicitur dari per impositionem manuum, sit gratia justificationis? N.

§. 3. An potestas administrandi Sacramenta in Ecclesia p. 1431.
præsupponat justificationem? N.

§. 4. An χειροθεσία Episcopalis sit Sacramentum? N. p. 1432.
cum veteribus Scholasticis, qui sine dubio consequenter Conf. p.
sentiunt, Episcopalem ordinem esse diversum, à Presby- 1433. C.
teri ordine, & non esse fundatum in Scripturis. D. 1434. B. 8.

§. 5. An Episcopus habeat distinctum ordinem à Presbytero jure divino? N.

§. 6. An Ordinatio imprimat characterem? N.

§. 7. An det gratiam gratum facientem? N.

§. 8. An necesse sit Presbyteros προϊσταμένους perennare in p. 1443.
officio? N.

Matrimonium.

§. 1. AN sit Sacramentum cui annexa promissio gratiæ justificantis? N.

§. 2. An polygamia Patrum sit sacrum symbolum? N. p. 1457.
Licet inde typus sumatur.

§. 3. An matrimonium sit propterea insolubile, quia p. 1458.
significat institutione divina insolubilem conjunctionem p. 1475.
Christi & Ecclesiæ? N. C. D.

§. 4. An remoto Sacramento paria sint conjugia fide- p. 1418.
lium & infidelium? N.

§. 5. An polygami successivè sint arcendi ab ordinibus? p. 1491.
Neg.

p. 1566. §. 6. An Deus dispensaverit circa polygamiam in Vet. Test.? N.

§. 7. An id asserens Bellarminus possit cum fundamento reprehendere Anabaptistas polygamos? N.

§. 8. An matrimonium ratum non consummatum possit solvi per ingressum in prætensam religionem? N.

§. 9. An matrimonium consummatum possit solvi consensu conjugum per votum continentiæ perpetuæ? N.

§. 10. An solvatur matrimonium quoad cohabitationem, si alter conjugum deficiat à fide? N.

§. 11. An pars innocens (rupto per adulterium matrimonio) maneat illigata vinculo matrimonii, ut non possit cum alio conjuge contrahere? N.

p. 1522. A. §. 12. An Matt. 5: 32. παρεκτὸς λόγȣ πορνείας sit negativè non exceptivè sive restrictivè dictum: quod Augustinus putasse dicitur? N.

p. 1529. §. 13. An ex præmissis sequatur etiam nocenti permittendas esse alias nuptias? N.

§. 14. An parentum consensus sit ad matrimonium contrahendum necessarius? D. de liberis, qui sunt sub potestate? A.

§. 15. An votum monasticum, ordo, disparitas religionis, cognatio spiritualis impediant matrimonium? N.

p. 1567. §. 16. An votum solenne magis dirimat matrimonium contractum, quam simplex? N.

p. 1568. §. 17. An irritæ sint nuptiæ cum ea, quæ per adulterium cognita est? N.

§. 18. An si matrimonium fidelis cum infideli irritum sit, Papa super eo possit dispensare? N.

§. 19. An secundum jus Canonicum bene possint distingui gradus liciti ab illicitis? N.

p. 1589. p. 1580. §. 20. An possit Papa dispensare in gradibus, quos Leviticus prohibet? N. Papa permisit Henrico VIII. Angliæ regi ducere uxorem fratris sui defuncti malè.

p. 1585. p. 1606. A. §. 21. Æquè malè Martinus V. permisit nuptias cum sorore carnaliter cognita.

p. 1593. §. 22. An gradus prohibiti in Levitico debeant reciprocè intelligi? A.

§. 23. An gradus prohibiti in Levitico sint turpes naturaliter? A. Hoc cogitur fateri Bellar. p. 1599. C. D.

p. 1605. B §. 24. An conjugium in quovis gradu sit dispensabile? N.

§. 25. An causæ matrimoniales pertineant ad magistratum judicandæ? A.

DISPUT. XIX.

De Gratia primi hominis.

p. 19 contrarium §. 1. AN imago Dei, cum qua Adam creatus sit, homini sit naturalis? A.

p. 780. B. Confer p. 41. A 5. ex Thoma B. 5. §. 2. An status ipsius? A.

§. 3. An appetitus vitæ æternæ in vera beatitudine? A.

§. 4. An fœdus operum, quo vocatus fuit ad eam beatitudinem secundum finem (licet non ex dignitate) naturæ sit? A.

p. 5. §. 5. An hæc sententia sit Pelagiana? Crassum est hoc Bellarmini σόφισμα.

§. 6. An primus homo in creatione acceperit gratiam gratum facientem? N. Accepit rectitudinem ad acquisitionem justitiæ.

p. 8. A. 16. A. 8. D 3. confer p. 12. C. 7 p. 34. D. 5. §. 7. An homo in statu integritatis indiguerit auxilio Dei conservante & præveniente & determinante ad bonum? A. Jansen. Aug. de gr. Christi Salvat. lib. 2. c. 5.

§. 8. An homo in statu primo habuerit naturaliter aliquam rixam superioris & inferioris partis? N.

p. 19. p. 21 B. 7. p. 22. C. 3. p. 24. D. 4 §. 9. An homo primus potuerit condi in eo statu, quo post lapsum est; ita ut homo lapsus à se in puris naturalibus constituto differat ut spoliatus à nudo? N.

p. 26. A. C. D. p. 37. B. §. 10. An hæc opinio sit tolerabilis in Ecclesia? N. quippe manifestè πελαγιανίζȣσα. Vide Cornel. Jansenium integro libro in suo Augustino.

§. 11. An possit concupiscentia esse naturalis, ut & rixa facultatum? N. contra Bellarminum & Socinum.

p. 25. §. 12. Annon Papæ duo Pius V. & Gregorius XIII. hoc damnantes sint hæretici Jansenio? A.

p. 31. C. 2. §. 13. An ex peccato potuerint naturalia corrumpi? A. contra Bellarminum, Socinum, Pelagium.

p. 32. D. 3 §. 14. An concupiscentia homini potuerit esse naturalis & sine vitio? N.

p. 33. D. 34. A. D. §. 15. An si naturale fuit homini posse inhærere Deo, ergo non fuit gratuitum? N.

p. 45. §. 16. An primo homini mori naturale fuerit? N.

p. 63. §. 17. An lignum vitæ perfectam immortalitatem afferre potuerit? N.

De Amissione gratiæ & statu peccati.

§. 1. AN peccatum sufficienter definiatur, tanquam per genus, dictum, factum, concupitum? N. Confer Bellarm. p. 302.

§. 2. An sit vera distributio peccatorum in mortalia & venialia natura sua? N. p. 102.

§. 3. An perfectio, qua quis semper actu diligit Deum, imperetur à Deo? A. p. 87.

§. 4. An aliquo modo perfecti sunt, qui res suas deserunt sua sponte & consilio? N.

§. 5. An perfectio, quæ tribuitur Sanctis in Scripturis, sit impletio legis? N.

§. 6. An Virgo Maria sine peccato originali fuerit? N. Vel in filii conceptione à fomite liberata? N. p. 89.

§. 7. An neget Calvinus, electos peccare lethaliter, quoad judicium legis? N. p. 91. 92.

§. 8. An Euangelici statuant, cum quavis fiducia misericordiæ specialis peccata condonari etiam in vita turpissima? Minimè. p. 96.

§. 9. An detur peccatum contra legem in rigore & non in rigore? N. Peccatum materialiter tantum contra legem? N. p. 111.

§. 10. An mandatum diligendi Deum impleatur per amorem objectivum, appreciativum, deficiente intensivè maximo amore? N. Bellarminus fatetur peccatum veniale tollere fervorem charitatis. p. 116. p. 125. D. 127.

§. 11. An sit peccatum non promerens pœnam sempiternam? N. p. 127.

§. 12. An Calvinus dicat Deum auctorem peccati magis quam Bellarminus cap. 13. lib. 2. §. *Sed si forte* & seq. & c. 16. §. *Porro*? N. p. 145. B. 5. p. 209. 216.

§. 13. An salvet se per concursum indifferentem? N. p. 164. A 165. C.

§. 14. An per præscientiam ex hypothesi? N. An per auxilium incongruum? vide p. 181. D. N. 139 C. p. 200.

§. 15. An sit præscientia ex hypothesi permissionis (otiosæ) & influxûs indifferentis? N. C. 6. p. 200.

§. 16. An Deus ad motum peccati, quem permittit, concurrat indifferenter? &, quod permittit, aliquando non fiat? N.

§. 17. An permissio Dei sit speculativa, vel cessatio actus? N. p. 191.

§. 18. An nunquam ita destituat sive induret Deus quin saltem juvet ad impetrandam gratiam & vires, quibus obduratio tolli possit? N. p. 181. B. 4.

§. 19. An Deus circa peccatum nec velle nec nolle habeat, sed negativè non velle? N. p. 189 C. D. 190.

§. 20. An ullus motus creaturæ, qua motus, sit malus? N. p. 206. contra p. 112. C 5.

DISPUT. XX.

De Peccato primi hominis.

§. 1. AN conveniat principiis Pontificiorum dicere Adamum in pomo plus quam venialiter peccasse? N. p. 213. 238.

§. 2. An rectè dicatur: O Felix culpa, quæ tantum meruit habere Redemtorem? N. p. 220.

§. 3. Quod primum peccatum Adami? An superbia? Resp. Non cum timore conservare verbum Dei, deinde ratiociniis uti ad verbi Dei malam interpretationem per affectationem similitudinis Dei medio inepto scil. esu pomi. tanquam ex opere operato. p. 221.

§. 4. An si in statu integritatis nullum potuit esse veniale peccatum, post lapsum ullum esse tale possit? N. p. 238.

De Peccato Originis.

§. 1. AN Euangelici cogantur negare privationem justitiæ originalis, quia non agnoscunt donum justitiæ originalis naturæ superadditum? N. Non agnoscunt justitiam originalem naturæ superadditam, sed agnoscunt rectitudinem naturalem, & ejus privationem in posteris. Legendus Jansenius contradicens Bellarmino & Scholasticis tom. 2. p. 261.

§. 2. An ab hoc dissentiat Zuinglius? N.

§. 3. An Pontificii, qui morbum naturæ negant esse peccatum, sincerius agnoscant peccatum originis? N. p. 260.

§. 4. An morbus ille naturæ non includat carentiam rectitudinis & aversionem habitualem? Includit. Dolus est, hæc à morbo distinguere, & morbum non vocare peccatum, quasi aliqua inobedientia carnis ad spiritum & aversio à Deo non mereretur dici peccatum. p. 261.

§. 5. An rectè probetur Pec. orig. ex 2 Cor. 5: 15. οἱ πάντες ἀπέθανον? N. nisi per consequentiam. p. 273.

p. 321. 325.458. §. 6. An filii fidelium electi & in infantia morientes non sanctificentur à reatu peccati originis ante baptismum? N. & æternis pœnis damni subjiciantur? N.

Ibid. §. 7. An inde sequatur, negari peccatum originis in filiis fidelium? N.

p. 325. 326. c. 9. §. 8. An possit sine hæresi dubitari, an Maria Virgo sit in peccato concepta? N.

p. 341. §. 9. An Concilii Milevitani & Arausicani definitio generalis de peccato debeat & possit limitari ex Concilio Tridentino: an potius hoc illis contrarium sit? A. posterius.

p. 343. §. 10. An rectè & salvis principiis fidei de originali peccato Bellarminus agnoscat parentum peccata in liberis puniri, eorum, qui oderunt Deum; & neget contagionem culpæ, quæ non potest esse nisi imputatio, & in adolescentibus peccati per imitationem approbatio? N.

§. 11. An Lutherus, Melanthon, Kemnitius confundant originale cum actuali peccato? N. secundùm explicationem Kemnitii p. 368. B. Interim nota, quod illa hominis naturalis impuritas includat carentiam sanctorum motuum cordis, qui in infantibus etiam possunt esse, &
p. 368. c. 5. fuissent, si cum imagine Dei nascerentur. Ideoque falsum est, non teneri infantes ad habendos tales sanctos & rectos motus.

p. 370. 377. §. 12. An concupiscentia, quæ remanet in justificatis, sit peccatum, sive impuritas contraria rectitudini, quam Lex præcipit; *ἀνομία*? A.

p. 371. §. 13. An illa pravitas sit tantùm in rebellione partis inferioris? N. persanata superioris partis aversione? N.
p. 372. p. 401. B. 4. 7. Contra c. 10. l. 10. dicit in justificatis spiritum ipsum esse carnalem.

p. 377. §. 14. An peccatum originis ita tollatur per baptismum, ut nihil maneat in renatis, quod habeat veram peccati rationem? N.

p. 381. contra 430. c. 3. 4. 11. §. 15. An *caro* Rom. 7. sumatur non pro toto homine sed tantùm pro ea parte, quæ vires inferiores complectitur? N

D. 6. p. 394. §. 16. Si concupiscentia non trahatur sed creetur à diabolo non sit futura peccatum sed res naturalis? N.

p. 442. B. contra p. 443. D. 4. p. 394. p. 398. p. 433. §. 17. An motus concupiscentiæ primi sive involuntarii (qui sic dicuntur) sint peccatum? A. cum Jansenio, qui contrariam sententiam insaniam dicit. tom. 2. p. 844. & seq.

D. 3. p. 400. §. 18. An Lex dicens: Non concupisces: damnet fomitem, ut appellant Pontificii? A.

p. 401. D. 1. 9. 402. D. 3. p. 401. p. 404. §. 19. An Paulus Rom. 7. tantùm deploret non servari à justificatis perfectionem, quæ sit finis præcepti, sed non sit propriè in præcepto? N. Et an hoc doceat Augustinus in citato loco? N.

A 3. p. 416. §. 20. An concupiscentia repugnans legi ut lex contraria non sit peccatum? N.

C. 1. Vide & p. 421. D. 8. Lib. 5. cap. 13. §. 21. An rectè dicatur, Concupiscentiam involuntariam esse legi contrariam materialiter sive ut objectum, non ut actus? N. Est *σοφὸν φάρμακον*, quo eluditur Scriptura Rom. 7: 23. Idem audet dicere de delectatione carnis, cui spiritus repugnat.

§. 22. An sit doctrina Augustini; Concupiscentiæ peccatum tolli, non ut non sit, sed ut non imputetur? A. Vide Jansf. tom. 2. p. 188. 189. 202. 215. 245. Contra Concil. Trid. Bell. p. 440. A.

p. 421. §. 23. An habere concupiscentiam sit peccatum, & an sine culpa haberi possit? N.

p. 421. B. §. 24. Annon Bellarmin. neget peccatum originale, dum negat esse peccatum habere concupiscentiam non ex propria culpa? A. Confer ibidem 442. B.

p 445. B. §. 25. An sibi constet Bellarminus agnoscens imputationem peccati & negans imputationem justitiæ Christi? N.

p. 450. D. 8. §. 26. Annon Bellarminus peccatum originale ponat in sola imputatione peccati primi? A.

p. 473. §. 27. An pœna peccati originis sit & pœna sensus? A. cum Jansf. tom. 2. p. 428.

DISPUT. XXI.

De Gratia.

§. 1. AN satis rectè explicetur & candidè, à Bellarmino, Vocabulum *Gratiæ*? N. 1. quia planè omittit considerationem vocis originalis חן & חסד 2. quia omittit sensum *favoris impromeriti & amoris ac studii constantis, ad conferendum summum bonum amato*; quam quidem gratiam æternam vocat, cap. 2. sed non potest reduci ad cap. 1. 3. quia confundit *χάριν*, & *χάρισμα*. 4. quia non docet, quare & quæ *χαρίσματα* sint *ἀμεταμέλητα*. Rom. 11: 29. 5. quia vocat ea gratiam, quæ in Scripturis non appellantur, ut constitutionem hominis primi, in imagine Dei, quam Pelagiani sic vocabant.

§. 2. An aliquis habitus infusus sit gratia gratum faciens? N. quà est habitus. Habitus enim neque secundum c. 3.
Legem, neque secundum Euangelium gratum facit; neque ut opus ex se edit. Fides posset dici *χάρισμα* gratum faciens inserendo in Christum, sed vera gratia, gratum faciens, est amor Dei in Christo.

§. 3. An auxilium Speciale sit gratia gratum faciens? c. 2.
N.

§. 4. An *per obedientiam Christi justos constitui*, sit *merito obedientiæ Christi reconciliari nobis* Deum, & nos *donari justitia inhærente*? Pars prima & secunda non consistunt simul. Nec cum prima parte congruit negatio ejus, quod p. 534. B.
Christi justitia nobis imputetur.

§. 5. An Charitas distincta à fide, sit donum gratum p. 543. D.
faciens, sive nos uniens Christo? N.

§. 6. An primum & primarium effectum, sive donum p. 552. A
Spiritus S. sit charitas à fide distincta? N.

§. 7. An detur auxilium sufficiens ad conversionem, positum in hominis potestate? N. contra Bellar. lib. 1. cap. 11. cum Jansenio, August. vid. Indic. tom. 3. verbo Gratia sufficiens, ad lib. 3. & gratia Salvatoris.

§. 8. An gratia sit efficax ob eventum? N. cum Bell. cap. 12. Contra Lessium cap. 10. & L. Molinam. p. 780. col. 1. A. 6.

§. 9.. An Deus tunc dicatur operari velle in nobis, quando ita vocat, ut nos videt secuturos? N. contr. Bellar. vocari id solet gratia congrua.

§. 10. An sit ulla vocatio externa congrua, si non sit cor à Deo apertum? N. cum Jansf. contr. Bellar.

§. 11. An homines convertantur per gratiam physicè determinantem? Af.

§. 12. An sit gratia operans ut velimus sine nostro motu libero, scil. per indeliberatum desiderium, & cooperans cum velimus nostro libero motu? N. cum Bellarm.

§. 13. An requiratur auxilium ad actum externum? Aff. contr. Bellarm. p. 579. D.

§. 14. An omnibus hominibus detur auxilium sufficiens p. 581.
ad se convertendum? N. 590. B.

§. 15. An auxilium ad novum peccatum vitandum o- p. 599.
mnibus semper adsit, vel immediatè vel mediate, hoc est, 605.
ita ut habeant quo possint majorem gratiam impetrare? N.

§. 16. An hinc sequatur, excæcatos & induratos non peccare? N.

§. 17. An sincerè Bellarm. Prædestinationis causam nullam ex parte nostri dari asserat, cum ejus certitudinem collocet, in Scientia Dei conditionali, & congrua vocatione externa? N.

§. 18. An Prædestinatio sit potius intelligentiæ, quam p. 614.
voluntatis? N.

§. 19. An Bellarm. vel Lessius se satis discriminent a Pelagianis, quod hi velint haberi fidem ex viribus naturæ, Lessius ex Gratia sufficienti, (quæ nihil est nisi vocatio, aut etiam natura) Bellarm. ex vocatione congrua? N.

§. 20. An cum Bellarm. damnat Pelagianismum qui p. 622.
statuant prædestinationem, ex prævisione, quod quis fe- B.C.
cerit quantum in se est, non damnet Scholasticos plerosque hæreseos, & sic Ecclesiam Romanam, ut terrentem Hæreticos? Aff.

§. 21. An sit Reprobatio solo peccato originali obstrictorum? Aff.

§. 22. An objectum Prædestinationis rectè dicatur ho p. 644. D.
mo condendus? Aff.

§. 23. An Prædestinatio sit præparatio meritorum salutis propriorum? N.

DISPUT. XXII.

De Libero arbitrio Lib. 3. 4. 5. 6.

§. 1. AN ad libertatem voluntatis faciat, posse velle malum? N.

§. 2. An libertas voluntatis postulet indifferentiam contradictionis. Negat. cum Jansf. Aug. de grat. Christ. Salv. l. 6. c. 35. p. 718. 719. ubi hæc: Liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit aut nolit.

§. 3. An rectè distribuatur libertas, ut sit à necessitate, à peccato, à miseria? Rectè negat Jansf. p. 746.

§. 4. An rectiùs, A peccato, à justitia? A. cum eodem ex Rom. 6. Joh. 8. Est verò illa *A peccato* ad serviendum justitiæ, vel pura, cum mutabilitate aut sine ea, vel impura sine tamen defectione.

§. 5.

§. 5. An rectè dicatur voluntas hominis indifferens vel propter mutabilitatem à rectitudine, vel propter sanabilitatem per gratiam, vel propter desertionem in tentatione ad tempus? N.

§. 6. An sufficiat ad libertatem potestas volendi cum judicio in actu reflexo quo te velle velis? A.

p.659.A. §. 7. An requiratur ad libertatem posse rejicere divinam inspirationem? N.

p.659.B. §. 8. An rectè à Pio V. & Gregorio XIII. damnetur hoc: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò, libere fit*? N.

p.662. §. 9. An Bellarminus sibi constet, quum dicit, Posse
p.703. eligere malum esse defectum liberi arbitrii? N.

A.7.
p.672. §. 10. An voluntatis electio pendeat necessariò ab ultimo judicio practicæ rationis? N.

p.676. §. 11. An superiori thesi conveniat dicere, judicium
D.9. istud ipsum ultimum & practicum esse in potestate voluntatis? N.

p.677. §. 12. An libertas in eo sit sita, quòd voluntas propositis variis rationibus non necessariis sinat se moveri ab una & non ab alia? N. quia hoc est posse invenire ratiocinationes multas Eccles. 7:29.

p.680. §. 13. An voluntas sit potentia merè activa? N. Ipse Bellar. sibi contrarius, qui docet illam determinari à judicio rationis.

p.683. §. 14. An potius homo quàm voluntas moveat rationem? N.

p.686. §. 15. An Bell. convenienter sibi dicat, Voluntatem se ad judicium rationis & occursum rerum magnarum habere per modum causæ naturalis? N.

p.693.B. §. 16. An, si amor finis sit naturalis, possit institui de-
9.C.9.D. liberatio de ejus appetitione? N.

10.695.
A.3.4.5. §. 17. An in rebus civilibus sit aliqua indifferentia, h. e. ut quomodocunque fiant, nihil boni neque mali sit? N.

p.717. §. 18. An in ullo actu creatura non indigeat auxilio? N. cum Bell.

p.722. §. 19. An temeraria sit Servi Arbitrii appellatio post pec-
lib.4.c.6. catum? N. contra Bell. cum August.

§. 20. An homo in naturalibus & civilibus habeat electionem in bonum sine gratia? N.

p.727. §. 21. An Manichaismus rectè impingatur iis, qui omnes actiones hominis à divina præmotione, & rectas ab auxilio suspendunt, & hominem post lapsum dicunt esse servum peccati? N.

p.744. §. 22. An homo, ut liber sit, necesse habeat non deter-
C.11.D. minari ab alio? N.

4.
p.747. §. 23. An Dei concursus se teneat ex parte effectûs, non
lib.4. ex parte causæ, h.e. ipsius voluntatis? N.

c.15.
p.751. §. 24. An Deus futuras actiones liberas non videat nisi
p.753. in humana voluntate? N.

§. 25. An divinam motionem præcedat τὸ sinere se moveri per determinationem negativam? N.

§. 26. An per hoc *Sinere* Bell. possit explicare concordiam concursus Dei & lib.arb. in actionibus mali? N.

§. 27. An causæ secundæ à prima applicentur ad opus? A. cum Bell. c.16. contra eundem cap.14.

§. 28. An homo animalis in speciali possit judicare bonum morale sibi faciendum esse & malum omittendum; sine auxilio Dei? N. sine gratia coerciva posse.

f.766. §. 29. An abstinere manum à rapina sit implere præceptum VIII. secundùm substantiam operis? N.

p.768: §. 30. An homo, nulla tentatione urgente, sine fide,
781. cum auxilio speciali & etiam sine illo suis viribus possit aliquod bonum morale ita perficere, ut in eo nullum omni-
p.785. nò peccatum admittat? N. ne fine quidem pravo? ut sint
p.787. bona opera simpliciter? N. ut Deo auctori naturæ obediant? N. idque quia ad aliquem bonum finem referatur, qui movet virtute ultimi finis? N.

p.776. §. 31. An ad vincendas tentationes requiratur auxilium
A.11. speciale proprie dictum h. e. interna illustratio & motio supernaturalis? A.

p.775. §. 32. An ulla tentatio vincatur ab irregenito non per aliam tentationem? N.

p.799. §. 33. An unquam peccator agat non ex cupiditate, sed
B.7. ex bono naturæ, & tum faciat bonum morale? N.

p.805. §. 34. An homo in statu peccati sit arbitrii LIBERI ad bonum morale? N. Bellar. c.18. l.5. p.824. limitat, *Posito auxilio gratiæ*. Quæ est implicatio. Sed ille *sufficientem* intelligit. Gloriatur suam sententiam esse omnium Catholicorum: sed fallit. Ludit verò in voce *liberi*.

§. 35. An homo per gratiam convertentem possit non converti? N. contra Bell. l.6.

DISPUT. XXIII.

De fide justificante & justitia inhærente.

§. 1. AN justificatio significet in Sacris acquisitionem justitiæ habitualis? N.

§. 2. An ejusdem incrementum? N.

§. 3. An justitia, unde justificatio, sit ordinis rectitudo sive congruentia cum regula? N. Est enim jus filiorum ad hæreditatem, in Filio; non obstante propria injustitia & lege obedientiæ meritum flagitante, propter eundem.

§. 4. An legalis justitia sit bonitas exteriorum factorum? Neg.

§. 5. An justitia, qua homo rectè ordinatur erga Deum & proximum, sit alia quàm legalis? N.

§. 6. An justitia legalis excludat auxilium? N. Ludunt Papistæ vocabulis: *Auxilium gratiæ* propriè dicitur id, quo homo peccator gratuitò regeneratur. Hoc excludit legalis justitia (quia præsupponit remissionem peccati, quæ cum justitia legali consistere non potest) at non tantùm. Sed illi auxilium gratiæ intelligunt id quod opponitur propriis viribus. Sic dicimus nullas esse vires in ullo statu quæ citra auxilium legem implere possint. Argumento ab an- Vide Bell.
gelis Job. 4:18. Pharisæus etiam agnoscebat gratiam p.953 17
Dei & tamen arguitur ut affectator justitiæ legalis. Luc. 18:11:

§. 7. An ad gloriam capitis pertineat pulchritudo membrorum, quam habeant antequam membra sint? N.

§. 8. An dentur in homine dispositiones ad justificationem, quæ sit causa materialis? N.

§. 9. An fides justificans sit solum assensus firmus & certus ad ea omnia, quæ Deus credenda proponit, & non fiducia? N.

§. 10. An ad fidem requiratur notitia, & sit obsignatio testimonii cogniti? D. Fundamentum fideli explicitè cognitum esse oportet.

§. 11. An publicanus Luc. 18. caruerit fiducia? N. p.953.

§. 12. An fiducia specialis misericordiæ insit fidei justificanti? A. Sive intelligat justificationem, qua sumus unum cum Christo, sive eam, qua Deus absolvit conscientiam. Qui enim animam suam Christo committit, credit, se id facientem inventum iri in Christo; & ex hoc ipso effectu Spiritus sancti, maximè post experimentum, se & consolari potest &, Deo dante victoriam tentationum, consolatur de gratia Dei.

§. 13. An fiducia illa tollat orationem, bona opera? p.951.
Minimè. Confer Bell. p.962. §. *Quarta ratio*.

§. 14. An fides miraculorum possit esse absque fide justificante? A.

§. 15. An sola fides justificet? A.

§. 16. An fides, quæ sola justificat, à Reformatis credatur esse sola? N. quia Spiritus per fidem purificat corda.

§. 17. An timor fidem consequens, itaque charitas sive dilectio, spes, pœnitentia sive dolor ob peccata, propositum sacramenti accipiendi, & melioris vitæ justificent, ut dispositiones? N.

§. 18. An fides justificans possit à dilectione aliisque virtutibus separari? N.

§. 19. An fides justificet ut dispositio, impetrando, pro- p.995.
merendo, suo quodam modo inchoando justificationem, p.998.
& habeat vim justificandi h.e. purgandi à peccatis & sanctificandi? N.

§. 20. An sit meritum de congruo ad justificationem di- p.1015.
gnitatem habens? N.

§. 21. An facienti quod in se est gratia succurrat? N. p.1017.

§. 22. An gratia Euangelica admittat conditionem, ex p.1016.
qua oriatur meritum saltem ex pacto? N. 1617.

§. 23. An Euangelici doceant justificationem hominis 1021.
omni flagitiorum genere cooperti per fidem? N.

§. 24. An per & propter inhærentem justitiam formaliter justificemur? N.

§. 25. An Reformati, qui statuunt justitiam in remissione peccatorum & justitiæ Christi imputatione, duplicem faciant justificationis causam? N.

§. 26. An habitus ullius virtutis possit tollere reatum peccati? N. Et an habitus possit esse justitia? N.

§. 27. An Pontificii revera agnoscant meritum Christi, non agnoscentes nobis id donari sive imputari? N.

§. 28. An Concilium Tridentinum can. 10. ullatenus ab Ecclesia admitti possit, quo anathema dicitur, qui dixerit justitiam Christi esse nostram formaliter? N. Quia evertit fundamentum.

§. 29. An imputatio justitiæ, quæ à Reformatis statuitur, sit putare aliquem esse justum? N.

§. 30

§. 30. An fides per charitatem & bona opera informetur? N.

p. 1070. 1071. C. 1074. D. §. 31. An sibi & Concilio consentiat Bellarminus, concedens donari nobis merita Christi, ac si nos ipsi Deo satisfecissemus, & requirit insuper inhærentem? N.

§. 32. An erraverit Pighius & Colonienses dicentes, justitiam nostram esse imparem ad fundandum jus filiorum Dei? N.

DISPUT. XXIV.

De incertitudine, mutabilitate & inæqualitate justitiæ &c.

§. 1. AN fidei adsit certitudo, qua quis credat, se verè electum & justum esse? A.

§. 2. An illa certitudo sit tantùm conjecturalis? N.

§. 3. An Reformati statuant, hoc esse primum creditum? N. Sic enim ordinant methodum fidei.

1. Attendere divino testimonio propter auctoritatem Dei: & velle hoc, quod Deus dicit, distinctè intellectum esse verum; exclusa omni ratiocinatione.

2. Credere, se ad Christum accedentem justum & salvum fore: & hac fiducia animam suam Christo committere, neque vel propriam justitiam vel remedium miseriæ aliud quærere.

3. Fidei suæ experimentum quærere in sanctificatione, charitate & patientia; & se ipsum explorare, ut possis pacare animum tuum.

4. Spem & consolationem in bona conscientia sibi applicare & in timore Dei conservare.

§. 4. An anxietas quorundam, qui vel propter judicii debilitatem vel propter ingentes tentationes se consolari non possunt, faciat infideles? N.

§. 5. An Pontificii, stante doctrina ipsorum de justificatione, possint habere bonam conscientiam, consolationem Euangelicam & spem ac fiduciam, sibi esse remissa peccata? N.

p. 1112. §. 6. An impossibilis sit certitudo conversionis absque revelatione? N.

p. 1137. §. 7. An spes non ferat ex parte intellectus certitudinem absolutam? N. Et an nostra spes sit exspectatio? A.

p. 1145. §. 8. An nulla detur certitudo electionis, quia nemo certò statuere possit, se facturum omnia illa opera, quæ Christus fieri jubet? N.

p. 1146. §. 9. An, qui statuunt posse fideles excidere, possint habere certitudinem electionis & spem vitæ æternæ? N. & primum quidem & Bell. rectè negat in Kemnitio.

p. 1150. §. 10. An inhabitatio Spir. S. sciatur certitudine fidei? A. An sine hac fide possit esse Spir. S. pignus hæreditatis? N.

§. 11. An possit fides amitti saltem ad tempus? N.

§. 12. An justificatio sit perfecta? A.

§. 13. An inde sequatur paritas gloriæ? N.

De justitia Operum.

p. 1165. §. 14. An Euangelici doceant, bona opera posse tutò omitti? N.

§. 15. An homo justus sit liber à debito legis implendæ? A. & an inde sequatur opera illi esse indifferentia, h. e. nec præcepta nec prohibita? N.

§. 16. An promissiones Euangelicæ requirant conditionem legis implendæ? N.

§. 17. An differentia Legis & Euangelii in eo sit, quòd illa sit inchoata, hoc consummata lex; illa non dans, hoc lex dans gratiam; illa non justificans, hoc lex justificans? Neg.

§. 18. An Christus sit novus aut novæ legis legislator? N.

§. 19. An libertas ab Euangelicis constituatur in conscientiæ solutione à lege sive regula sanctitatis? N.

p. 1190. 1192. §. 20. An dicere nos esse liberos à dominio & reatu legis moralis & naturalis & nos esse justos operibus & teneri ad justitiam operum sint consentanea? N.

§. 21. An bona opera sint necessaria ad salutem necessitate efficientiæ? D. Salus vel latè dicitur, ut contineat justificationem, & N. vel strictè, ut notet justitiæ fructum, & A. quatenus est res, qua ipsa beati sumus formaliter: vel strictissimè, ut notat vitam gloriosam, & N. Adducunt salutem ut necessarium connexum, sed non efficiunt.

§. 22. An bonis operibus fiamus justiores? N.

§. 23. An per obedientiam suam sint fideles justi, vel, an ullum ipsorum opus sit verè secundùm legem justum? Neg.

§. 24. An consentiat sibi Bellar. dicens, peccata nostra quamvis levia & quotidiana purgari à Christo, & sanguinem ejus nos purgare ab omni peccato? N.

§. 25. An justorum opera sint peccata? N. sed cum defectu culpabili.

De meritis Operum.

§. 26. An bona opera mereantur bona temporalia? aut spiritualia hujus vitæ? N.

§. 27. An mereantur vitam æternam opera fidelium? Neg.

§. 28. An Christus nobis sit meritus vitam sub conditione meriti, vel, ut mereremur? N.

§. 29. An in bonis meritis possit poni fiducia? N. Nihil enim sunt nisi δοκιμὴ & ἀπαρχὴ πνεύματος, qui est ἀῤῥαβών.

§. 30. An Bellarm. requirens ad meritum liberum voluntatis arbitrium, scil. indeterminatum per gratiam, consentiat cum illis, qui dicunt meritum habere dignitatem à gratia & consistere cum ejus determinatione? Neg.

§. 31. An meritum præsupponat justitiam & adoptionem? N.

§. 32. An obedientia Adami fuisset meritum ex condigno, an ex pacto? N. prius. A. posterius. p. 1294.

§. 33. An pactum hoc fuit gratuitum? A. sed conveniens imagini Dei & ex ea consequens.

§. 34. An perseverantia procedat à merito fidei vel obedientiæ? N.

DISPUT. XXV.

De bonis Operibus in particulari.

§. 1. AN orationis fructus sit satisfactio pro pœna, aut meritum, sive impetratio, propriè loquendo? N. An potius signum impetrationis omnium necessariorum & salutarium? A.

§. 2. An quinta petitio sit instituta pro peccatis venialibus? N. Et an consentaneum sit venialia peccata appellare ea, quæ debita dicuntur, quia & injuriam Deo facit peccans, & sic constituitur debitor satisfactionis ac pœnæ? Neg.

§. 3. An fides, sine qua oratio nihil consequitur, sit assensus generalis, an fiducia misericordiæ in Christo? N. prius. A. post.

§. 4. An horæ Canonicæ in Papatu observatæ sint laudabiles? N.

§. 5. An *Salve Regina* & aliæ istiusmodi preces Pontificiorum sint immunes à superstitione & idololatria? Neg.

§. 6. An cantus theatralis h. e. non virilis & gravis, sed aures titillans in Ecclesiis sit habendus? N.

§. 7. An jejunium per se sit cultus? N.

§. 8. Sitne jejunium indicendum non ad preces? N.

§. 9. Sitne jejunium in meridie cœnare? N.

§. 10. Sitne jejunium carnibus abstinere, & aliis cibis uti? N. An potius talem ciborum delectum præscribere, sit tyrannidem usurpare, vetare cibos, & doctrina dæmoniorum? A.

§. 11. An in Decalogo propterea jejunium non contineatur, quia ad temperantiam pertinet? N. p. 1410.

§. 12. An jejunium sit utile ad satisfaciendum Deo, vel ad eum placandum? N. p. 1432.

§. 13. An quadragesimæ jejunium sit ab Apostolis institutum? N. p. 1451.

§. 14. An abstinentia carnium bis in hebdomada debeat commemorari passio Dominica? N.

§. 15. An ante diluvium carnes vetitæ fuerint? N. p. 1416.

§. 16. An Papæ sit jejunio interdicere quibusdam diebus? N.

§. 17. An eleemosynæ non ponantur in Decalogo, quia pertinent ad præcepta charitatis, non justitiæ? N. An pertineat ad præcepta justitiæ, & sit præcepta præcepto sexto & octavo? A.

§. 18. An eleemosyna satisfaciat aut mereatur? N.

FINIS.